MAXIMA
BIBLIOTHECA
VETERVM PATRVM,
ET ANTIQVORVM SCRIPTORVM
ECCLESIASTICORVM.

PRIMO' QVIDEM A' MARGARINO DE LA BIGNE,
in Academiâ Parisiensi Doctore Sorbonico, in lucem edita.

DEINDE CELEBERRIMORVM IN VNIVERSITATE COLONIENSI Doctorum studio, plurimis Authoribus, & Opusculis aucta, ac historicâ methodo per singula sæcula quibus Scriptores quique vixerunt, disposita.

HAC TANDEM EDITIONE LVGDVNENSI,
ad eandem Coloniensem exacta, novis supra centum Authoribus, & Opusculis hactenus desideratis, locupletata,

ET IN TOMOS XXVII. DISTRIBVTA.

Huic etiam Editioni accesserunt INDICES QVATVOR *præclari, in hac tàm multiplicium Scriptorum vastissimâ collectione verè faces, & ut quis ad ipsorum lectionem introducatur, utilissimi, imò omninò necessarij.*

I. AVTHORVM ALPHABETICVS, ipsorum ætates, & scripta indicans.
II. CLASSICVS, Authores per materias de quibus egerunt, exactè distribuens.
III. SYNOPSIS appellatus, operum omnium Authorum analysim continens, & argumenta exhibens.
IV. GENERALIS materiarum amplissimus.

Consule quæ de his indicibus in ipsorum frontispicio, circa eorum utilitatem, & usum prænotata sunt.

TOMVS SECVNDVS,

In duas partes divisus, quarum Prior continet Scriptores Sæculi primi: Posterior, Scriptores secundi: id est, à Natali Christi ad ann. 200.

LVGDVNI,
Apud ANISSONIOS.
M. DC. LXXVII.
CVM APPROBATIONIBVS, ET SVPERIORVM PERMISSV.

SERIES AVTHORVM ET OPVSCVLORVM QVÆ IN HAC BIBLIOTHECÆ MAXIMÆ SS. Patrum. TOMI II. PARTE I. continentur.

SANCTVS JACOBVS *Frater Domini*, Author Epiſtolæ, quæ inter ſeptem Canonicas prima eſt, compoſuit Miſſam quæ extat, ſed ab aliis aucta. f. 1. Dicitur à quibuſdam bic Jacobus ſcripſiſſe Euangelium, quod ſecundum Hebræos inſcribebatur, ex quo fragmenta reperiuntur apnd S. Hieronymum. Scribit & S. Athanaſius in Synopſi, Jacobum in Evangelium Matthæi primum omnium interpretationem adbibuiſſe. Extat & nunc ſcriptum aliquod apocrypbum, quod Proto-Evangelium Jacobi inſcribitur, ſed quia ab Hæreticis noſtri temporis primò vulgatum eſt, in tomis Orthodographorum, omittendum putauimus.

S. MARCVS *Evangeliſta*, præter Evangelium, dicitur ſcripſiſſe vitam S. Barnabæ Apoſtoli, quam putatur Beda in Latinam linguam tranſtuliſſe. Edita eſt etiam à Joanne à S. Andrea Canonico Pariſienſi ſub hujus nomine Liturgia, cujus exemplar Græcum acceperat à Cardinali Sirleto. Habetur fol. 9. Vide de S. Marco Hieronymum libro de Eccleſiaſticis cap. 8.

S. PETRI *Apoſtolorum Principis*, Miſſa, à D. Guillelmo Lindano Epiſcopo Gandavenſi edita, extat f. 14.

S. BARNABÆ *Apoſtoli* (vt fertur) Epiſtola Catbolica juxta antiquam interpretationem Latinam, quam R. P. Hugo Mcnardus Congregationis S. Mauri in Gallia Monachus Inter M. S. Corbeienſis Abbatiæ, detexit; qui & banc interpretationem correxit, & lacunas replevit ex textu Græco ipſi olim à P. Sirmundo S. I. communicato. Vide obſervationes præfixas buic Epiſtolæ f. 16.

HERMAS, ſiue HERMES, Author operis nomine Paſtoris, ſiue Paſtoralis inſcripti, & tribus libris diſtincti. Quod quidem opus, cujus fidei & authoritatis ſit, provt nunc extat, diſces ex prolegomenis ad ipſum, f. 22.

S. PROCHORVS *unus fuit è ſeptem primis Diaconis.* Narratio de vitâ & miraculis S. Joannis quæ ſub ejus nomine circumfertur, extat fol. 46. De qua quidem bæc habet Joannes Braſſicbellenſis Magiſter ſacri Palatij. Hiſtoria de vita S. Joannis Apoſtoli falsò adſcribitur S. Prochoro Diacono de 7. primis, & Cbriſti diſcipulo; eſt enim apochrypba, & fabuloſa.

S. LINVS *Vnus ex 70. Chriſti diſcipulis*, natione *Hetruſcus*, *Beati Petri in Pontificatu ſucceſſor*, Martyr obiit Romæ juxta Sixtum Senenſem ſub Galba Imperatore anno Cbriſti 70. ſecundum verò S. Irenæum lib. 3. cap. 3. Epipbanium hæreſi 28. Euſebium in Cbronico, & alios, anno 78. Feruntur ſub ejus nomine libri duo apocryphi de paſſione Petri & Pauli, extant hîc f. 67. Hos tamen genuinum eſſe S. Lini martyris opus putarunt tùm Sixtus Senenſis lib. 2. Bibliothecæ ſanctæ, tùm Sigebertus libro de viris illuſtribus cap. 5. his verbis, Linus ſcripſit Græco ſermone Martyrium Petri & Pauli uno die paſſurum, & Orientalibus Eccleſiis deſtinavit. Joannes Jacobus Chiffletius in ſua Veſuntione Imperiali bos libros aſſerit reperiri ſinceros, & nulla Manicbæorum fuligine deformatos in antiquiſſimis ejuſdem Vrbis codicibus.

S. IGNATIVS *tertius poſt B. Petrum Antiochenus Epiſcopus*, ſcripſit Epiſtolas quaſdam prorſus Apoſtolicas, quæ vnà cum Epiſtola B. Virginis ad ipſum, extant f. 73. cum ſcboliis Hieronymi Vairlenij. Earundem Epiſtolarum non interpolatarum, & provt ab antiquis Patribus citantur, interpretatiu vetus Latina habetur ex duobus Anglicanis codicibus M. S. deprompta, & exemplari Græco Bibliothecæ Magni Hetruriæ Ducis reſpondens. His conjuncta eſt nova Epiſtola Mariæ Caſſabolitis ad ipſum Ignatium. fol. 100.

S. POLYCARPVS *Martyr*, ſupervixit uſque ad Imperium M. Antonini. Scripſit unam Epiſtolam ad Philippenſes valdè vtilem, ut ait S. Hieronymus, & quæ ad ſua uſque tempora in Aſiæ Conventibus legebatur. Addita ſunt quædam aliorum Polycarpi operum fragmenta. fol. 104.

S. MARTIALIS *Epiſcopus primus Lemouicenſis*, cognomento CEPHAS, quem Clemens Alexandrinus lib. 5. hypotypoſeon, vt refert Euſebius lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 12. dicit unum fuiſſe

ex

ex 72. discipulis,duas dicitur scripsisse Epistolas,unam ad Burdegalenses, alteram ad Tolosanos, quæ extant f.166. Sed vide de eorum suppositione observationes Cardinalis Bellarmini, & P.Labbe S.I. quæ ipsis præmittuntur. Putat autem Clemens Alexandrinus loco supra citato hunc illum esse Cepham, cui Apostolus Paulus in faciem restitisse scribitur. Sed eam opinionem ut commentitiam meritò reiicit Hieronymus,cum, vt ait Sixtus Senensis lib.6. Bibliothecæ,annotatione 275. Res ipsa doceat totum illum sermonem ad B.Petrum Apostolum pertinere, eaque constans est istius loci interpretum & Ecclesiasticorum scriptorum sententia.

S. DIONYSIUS AREOPAGITA, *Pauli Apostoli discipulus, & Galliarum Apostolus*, scripsit de Cœlesti & Ecclesiastica Hierarchia, de Divinis Nominibus ,de Mystica Theologia, & Epistolas ; quæ omnia extant à fol.115. usque ad fol.376.ex nova interpretatione Balthasaris Corderij S.I. Addita sunt ad singula capita scholia S.Maximi Martyris cum Paraphrasi Georgij Pachymeræ, eodem Interprete Corderio. Iis autem præmittitur Apologia P. Halloix ex eadem Societate pro iisdem operibus authori suo vindicandis.

S. CLEMENS, de quo Apostolus Paulus ad Philippenses scribens ait, *cum Clemente & cæteris cooperatoribus meis,quorum nomina scripta sunt in libro vitæ*, quartus post B.Petrum *Romanus Episcopus*, vt inquit S. Hieronymus, multa scripsit, sed quæ ab eruditis in dubium revocantur ; ex quibus hìc extant fol.376. decem libri Recognitionum cum præfatione D. Lamberti Gruteri Venradij tam ad hoc quam ad alia ejusdem opera, ut sunt libri 8 Constitutionum, quorum ultimo ejusdem Liturgia continetur, sex Epistolæ, & Canones Apostolorum, quæ quia impressa sunt in novissima Parisiensi Conciliorum editione anni 1672. tomo 1. hìc consultò omittuntur. De eodem vide Sixtum Senensem lib.2. Bibliothecæ sanctæ, Bellarminum de scriptoribus Ecclesiast. & alios. Martyrium passus est sub Trajano in Taurica Chersoneso anno Christi 100.

APPENDIX AD SÆCULUM PRIMUM.

ARISTEAS scripsit de septuaginta duobus Scripturæ sacræ Interpretibus, ad Polycratem fratrem, historiam, quæ extat fol.465. de quo opere vide quæ prænotata sunt initio.

TESTAMENTA *duodecim Patriarcharum*, habentur fol.477. Hic liber quamvis sit apocryphus, est tamen pervetustus, quippe cujus meminit Origenes homilia 15 in Iosuë, & Procopius in Commentario super caput 38 Geneseos: & in eo adducuntur plurima tum prophetica oracula, tum ad virtutem & ad Dei cultum adhortamenta : multa quoque in eo inferuntur vaticinia ex libro Henoc qui deperditus est.

SIBYLLARUM ORACULA magnæ fuisse apud primos Christianos authoritatis nemini in antiquorum Patrum scriptis vel leviter versato, potest esse dubium, quippe ad quorum lectionem ipsum S. Paulum Christianos adhortatum fuisse testis est Clemens Alexandrinus lib.6. Stromatum. Extant ea Oracula in 8 libros digesta fol.492. In quibus tamen constat multa sub Sibyllarum nomine falsò esse inserta. Addita sunt præterea multa earundem fragmenta ex variis authoribus collecta. Videat qui volet de Sibyllis plura apud Sixtum Senensem libro 2. Bibliothecæ & apud alios Scriptores,quorum testimonia in prolegomenis ad hos libros adducuntur.

GASPAR VARRERIUS edidit censuram in Berosum, Manethonem & alios Authores ab Annio Viterbiensi editos ; qui quia manifestæ suppositionis arguuntur, ab hac Bibliotheca exclusi sunt. Extat hæc censura fol.529. Vide autem vera Berosi & aliorum fragmenta apud Josephum in libris antiquitatum, & contra Appionem.

BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM, ECCLESIASTICORVMQVE Scriptorum. Sæculum primum.

SANCTI IACOBI APOSTOLI, FRATRIS DOM. ET HIEROSOLYMORVM primi Episcopi diuina Missa.

De authoritate & fide huius Liturgiæ sancti Iacobi consule Sixtum Senensem, lib. 2. Biblioth. in Iacobo. Claudium Sanctesium & Iacobum Pamelium in liturgicis. Constat antiquos Patres illius meminisse, & S. Cyrillum Hierosolym. catechesi 5. mystagog. plura ex illâ mutuatum. Huius quoque mentionem facit Proclus Constantinopolitanus, libro de traditione diuinæ Missæ, & præcipuè Concilium Trullanum Canone 32. his verbis. Nam & Iacobus Iesu Christi Domini nostri frater secundum carnem, cui primùm Ierosolymitanæ Ecclesiæ Thronus creditus; Et Basilius Cæsareæ Archiepiscopus, cuius gloria omnem terrarum orbem peruasit, mystico nobis in scriptis tradito sacrificio, peragendum in sacro mysterio ex aquâ & vino sacrum poculum ediderunt.

Ex Tomo primo dissertationum P. Philippi Labbe In Bellarminum.

Etsi verum sit à posterioribus ita locupletatam esse hanc Liturgiam, vt non sit facilè diiudicare quæ pars eius S. Iacobum habuerit authorem, quod sapienter monuit Bellarminus, indubitatum tamen esse debet eruditis omnibus, aliquam fuisse Liturgiam S. Iacobi antiquis notam, quæ Caluinisticæ Cœnæ profanam nouitatem etiam in iis, quæ supersunt, eius veluti vestigijs euidentissimè reuincat.

SACERDOS INCIPIT.

Diuinum & supercœleste mysterium.

PECCATORVM multitudine inquinatum ne me spreueris, Domine Deus noster. Ecce enim accedo ad diuinum hoc & super cœleste mysterium tuum; & indignus quidem, sed de tuâ bonitate confisus emitto tibi vocem: *Deus sis mihi peccatori propitius, peccaui in cœlum & coram te*, neque dignus sum qui oculos obuertam huic sacræ & spiritali mensæ, in quâ vnigenitus Filius tuus & Dominus noster Iesus Christus, mihi qui peccator sum & omnibus maculis labefactatus, mysticè proponitur in sacrificium. Proinde hanc orationem, & gratiarum actionem tibi offero, vt mihi Spiritus tuus paracletus mittatur, fortificans ac instaurans me ad hanc Missam; dignúmque me habeas qui vocem illam quam ex te populo annuntiaui, citra meam damnationem proferam in Christo Iesu Domino nostro; cum quo benedictus es, vnà cum omnibus modis sancto & bono, & viuificatore atque consubstantiali tibi Spiritu; nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Missa.

Oratio cùm assistit Altari.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, trino & vni; luci diuinitatis quæ est singulariter in Trinitate, & quæ sine diuisione diuiditur. Trinitas enim vnus Deus omnipotens, cuius gloriam cœli enarrant; terra verò, eius dominationem; & mare, eius omnipotentiam; & omnis creatura siue ea sensu aliquo sentiatur siue ratione tantùm intelligatur, eius magnificentiam semper prædicat: quia eum omnis gloria, honor, potentia, magnificentia & decus decet; nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Oratio cùm incenditur thus, in ingressu & principio Missæ.

Domine Iesu Christe, Dei sermo qui tuâ sponte te, Deo ac Patri victimam irreprehensam in cruce obtulisti:

ille duplicis naturæ carbunculus, qui forcipe labia prophetæ attigisti, & eius peccata abstulisti, tange & nostros qui peccatores sumus, sensus; ac nos purga omni maculâ, purosque nos siste sancto ALTARI tuo vt tibi laudis sacrificium offeramus: & præsentem hunc ex nobis inutilibus seruis tuis suffitum recipe in odorem suauitatis; fœtoremque animæ & corporis nostri, fragrantem redde; ac vi illâ Spiritus tui sanctificante nos sanctifica: solus enim tu sanctus es qui sanctificas & sanctificaris; fidelibusque impartiris quem vnà cum æterno Patre tuo, ac modis omnibus sancto, bono, & viuifico Spiritu tuo, gloria decet nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Oratio in principio.

Benefice Rex sæculorum, vniuersæque creaturæ opifex; recipe ad te accedentem Ecclesiam tuam per Christum tuum, & singulis, quod vtile est, perfice: omnes ad perfectionem adduc; & nos gratiâ tuæ sanctificationis dignos redde, nos in sanctam tuam Ecclesiam congregans, quam tibi asseruisti pretioso Sanguine vnigeniti Filij tui Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi, cum quo benedictus es & laudatus, vnà cum sanctissimo, & bono, viuificoque Spiritu tuo, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Diaconus: Dominum rursus oremus.

Sacerdos dicit orationem cùm incenditur thus in ingressu congregationis.

Deus qui admisisti Abelis dona, Noë & Abrahami Sacrificium, Aaronis & Zachariæ thymiama; accipe (quæso) de manibus nostris (qui sumus peccatores) thus hoc quod tibi adolemus in odorem suauitatis, nostrorumque peccatorum remissionem ac totius populi tui, quia benedictus es; & te gloria decet Patrem & Filium ac Spiritum sanctum, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Diaconus: Domine benedic.

Sacerdos, ipsi adprecatur.

Dominus & Deus noster Iesus Christus, qui per immensam bonitatem ac amorem acerrimum crucifixus est; & lanceâ, clauisque perfodi non recusauit: qui ARCANVM AC TREMENDVM HOC MYSTERIVM ad recordationem æternam, nobis propagandum exhibuit; benedicat hoc in Christo Deo tuum ministerium: Benedicat etiam ingressum nostrum; perfectèque absolute exhibitionem sacri huius nostri ministerij, ineffabili suâ miseratione; nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Orans Diaconus, respondet.

Dominus benedicat dignosque nos faciat qui seraphicè dona feramus; & canticum illud celeberrimum diuini atque ter sancti hymni accinamus ei qui nullius rei est indigus; quique omni perfectione sanctificante plusquam plenus est, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum.

Deinde canere incipit Diaconus, in ingressu.

Vnigenite Fili & Verbum Dei, qui es immortalis, ac dignatus es propter nostram salutem, ex sanctâ Deiparâ semperque Virgine Mariâ carnem induere: sine vllâ conuersione homo factus es, crucique affixus Christe Deus; ac morte mortem conculcasti: vnus cùm sis sanctæ illius Trinitatis; cum Patre sanctoque Spiritu cooglorificatus; serua nos.

Sacerdos hanc Orationem dicit, à foribus vsque ad ALTARE.

Deus omnipotens, Dominus magni nominis qui nobis aditum ad Sancta Sanctorum dedisti; per aduentum vnigeniti Filij tui, Domini ac Dei Seruatoris nostri Iesu Christi, supplices tuam imploramus inuocamusque bonitatem, quandoquidem contremiscimus ac trepidamus ad SANCTVM ALTARE TVVM accessuri: fac illabatur in nos (Deus) tua bona gratia; & nostras animas sanctifica, corporaque & spiritus, nec non cogitationes nostras ad pietatem conuerte, vt purâ conscientiâ tibi dona offeramus & munera fructuum oblationes; vt deleantur delicta quæ admisimus, & vt toti populo tuo sis propitius; idque gratiâ & miseratione ac benignitate vnigeniti Filij tui, cum quo benedictus es in sæcula sæculorum, Amen.

E *Munera, & fructuum oblationes in Missa.*

Postquam Sacerdos ingressus est ad ALTARE. dicit:

Pax omnibus.

Populus: Et spiritui tuo.

Sacerdos: Dominus benedicat nos omnes, & sanctificet in ingressu & celebratione diuinorum & immaculatorum mysteriorum: animasque beatas requiescere faciat cum Sanctis & iustis, sua Ipsius gratiâ & benignitate, nunc, & semper, in sæcula sæculorum, Amen.

Oratio pro defunctis.

F

Deinde Diaconus Collectam dicit:

In pace Dominum oremus.

Pro pace

Vt nobis pacem de cœlo det, ac benignè nobiscum Deus agat & seruet animas nostras; Dominum oremus.

Vt etiam vniuerso mundo pacem largiatur, & omnes Ecclesias vniat; Dominum oremus.

Vt remittat nobis peccata, ac condonet delicta nostra, atque liberet nos ab omni tribulatione, irâ, periculo, necessitate, & hostium insultu, Dominum oremus.

Deinde Cantores canunt illum Hymnum ter sanctum:

Sancte Deus, sancte fortis, sancte immortalis, miserere nostri.

Hymnus ter sanctus.

Deinde Sacerdos, inclinans se, orat:

G *Oratio contra tentationes & tribulationes.*

Clemens & misericors, longanimis, & multæ misericordiæ, Domine verax, respice ex prompto habitaculo tuo & exaudi nos supplicibus verbis te orantes, ac libera nos ab omni tentatione diaboli & hominum, & ne tuum auxilium à nobis auertas, nosque ne grauiùs corripias quàm vires nostræ ferant: non enim superandis aduersis, nos sufficimus: sed tu Domine potens es seruare nos & eripere ab omnibus calamitatibus & aduersis. Libera nos Deus pro tuâ bonitate, ab omnibus angustiis ac molestiis huius mundi, vt purâ conscientiâ ad sanctum ALTARE tuum ingressi, beatumque & ter sanctum hymnum recloentes, vnà cum cœlestibus virtutibus, illum citra vllam tui offensionem tibi mittamus; ac tibi grato & diuino oblato SACRIFICIO digni abs te habeamur vitâ æternâ.

Exclamatio. Quoniam sanctus es Domine Deus noster, & in sanctis habitas & requiescis: tibi & gloriam, ac ter sanctum hymnum illum mittimus, Patri, & Filio, ac Spiritui sancto, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum.

Populus: Amen.

Sacerdos: Pax omnibus.

Populus: Et spiritui tuo.

Cantores: Alleluia.

H *Lectiones de vtroque Testamento in Missâ.*

Deinde leguntur fusissimè oracula sacra veteris Testamenti & Prophetarum; & Filij Dei Incarnatio demonstratur, Passio, Resurrectio ex mortuis, ascensus in cœlum; secundus præterea aduentus eius cum gloriâ: Atque id fit singulis diebus, in sacrâ & diuinâ Missâ.

Post lectionem & doctrinam, Diaconus dicit:

Dicamus omnes; Domine miserere: Domine omnipotens, Deus patrum nostrorum, oramus te: exaudi nos. Vt pacem desuper mittat, & seruet animas nostras; Dominum oremus.

Preces pro pace.

Vt totus mundus pace fruatur,, seruesque ac faueas populo omni qui Christum amplectitur; te rogamus, exaudi nos: liberesque ab omni tribulatione, irâ, periculo, ac necessitate, captiuitate, morte amarâ, & iniquitatibus nostris, te rogamus, exaudi nos. Pro populo circunstante, & expectante à te largam & magnam mise-

ricordiam

A Psal. 27. *Crux pretiosa est cornu Christianorum.*

concordiam; supplices oramus te, vt effundas in eum viscera misericordiæ tuæ. *Saluum fac populum tuum, & benedic hereditati tuæ*: Visita mundum tuum in misericordiâ tuâ, & miserationibus tuis. Extolle cornu Christianorum, pretiosæ & viuificæ crucis potentiam. Domine multùm misericors, te supplices oramus: exaudi nos te rogantes & miserere.

Populus dicit ter: Domine miserere.

Pro peccatis.

Diaconus: Oremus Dominum, vt peccata nobis dimittat, nostrisque delictis det veniam, & liberet nos ab omni tribulatione, irâ, periculo, & necessitate. Vt dies omnes transigamus in perfectione, sanctitate, pace, & sine peccato. Omnes à Domino petamus, Angelum pacis, fidelem ducem, custodem animarum & corporum nostrorum. A Domino petamus, Veniam & remissionem peccatorum ac delictorum nostrorum. A Domino petamus, Quæ bona & vtilia sunt animis nostris & corporibus, vt pacem mundo det. A Domino petamus, Vt reliquum vitæ nostræ tempus, in pace & bonâ valetudine peragamus. A Domino petamus, Vt in Christianâ syncerâque fide, ad finem vsque sine dolore, molestiâ, ac infamiâ, perseueremus: & bonam defensionem ante verendum & tremendum tribunal Christi; à Christo petamus.

B

Maria matris Dei & omnium Sanctorũ memoria in Missâ. Rom. 2. Iacob. 1.

Sacerdos: Tu enim es bona illa annuntiatio, illuminatio, seruator & custos animarum & corporum nostrorum, Deus & vnigenitus tuus Filius, & Spiritus tuus sanctissimus, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum.

Populus: Amen.

Sacerdos: Commemorantes sanctissimam, immaculatam, gloriosissimam Dominam nostram matrem Dei, & semper virginem Mariam, cum omnibus Sanctis, & iustis nos ipsos, & mutuo inter nos, & omnem vitam nostram Christo Deo commendemus.

Populus: Tibi Domine.

C

Sacerdos: Deus qui sanctis ac diuinis salutaribusque oraculis tuis nos instituisti; illumina nostras animas (qui peccatores sumus) vt quæ prædicta sunt, assequi possimus: nec auditores tantùm, spiritualium Canticorum cernamur; sed & bonorum operum factores, fidemque præstemus non simulatam, vitam inculpabilem, & conuersationem irreprehensam.

Exclamatio:

In Christo Iesu Ddmino nostro; cum quo benedictus es, cum sancto, bono, & viuifico Spiritu tuo, nunc, & semper, & in sæcula.

Populus: Amen.

Sacerdos: Pax omnibus.

Populus: Et spiritui tuo.

Diaconus: Capita nostra Domino inclinemus.

Populus: Tibi Domine.

Sacerdos orat dicens:

D

Domine viuificator, & bonorum suppeditator; qui hominibus Dominum nostrum Iesum Christum, beatam spem vitæ æternæ dedisti; dignos nos facito, qui in sanctitate, hoc quoque tibi Diuinum Sacrum perficiamus, vt futurâ beatitudine perfruamur.

Exclamatio:

Vt sub tuâ potentiâ semper protecti, & in lucem veritatis deducti; tibi gloriam & gratiarum actionem referamus, Patri, & Filio, & Spiritui sancto; nunc & semper.

Populus: Amen.

Cathecumeni.

Diaconus: Nullus Catechumenorum, nullus eorum qui nondum initiati sunt ad sacra, nullus eorum qui orare nobiscum non possunt; ingrediatur. Recognoscite vos inuicem. Ad fores, omnes recti. Deum rursus oremus.

Sacerdos dicit orationem incensi:

Domine omnipotens Rex gloriæ; Deus qui omnia nosti antequam fiant: adsis nobis in hâc sanctâ horâ te inuocantibus, & redime nos ab infamia peccatorum; expurga mentem nostram & cogitatione ab impuris cupiditatibus ac impostura mundi, omnique diabolicâ suggestione: & suscipe de manu nostra (qui peccatores sumus) hunc suffitum, quemadmodum accepisti ea quæ Abel, Noë, Aaron & Samuël ac Sancti tui omnes obtulerunt: ab omni malâ te nos liberans & seruans; vt tibi semper grati simus, te adoremus, glorificemus Patrem vnigenitúmque Filium tuum, & Spiritum tuum sanctum; nunc, & semper, & in sæcula.

Et inchoant Lectores hymnum Cherubicum.

Sileat omnis humana ac mortalis caro, stétque cum metu & tremore; ac nihil terrestre apud seipsum cogitet: Rex enim regnantium, & Dominus dominantium, CHRISTVS DEVS NOSTER PROGREDITVR VT IMMOLETVR AC DETVR IN CIBVM FIDELIBVS; ipsum autem antecedunt Angelorum chori cum omni imperio & potentiâ, Cherubim multorum oculorum, ac Seraphim sex alarum, faciesque velantia & cum clamore canentia hymnum, Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Sacerdos adferens SANCTA DONA, *hanc orationem dicit*:

Deus Deus noster qui panem cœlestem, cibum vniuersi mundi, Dominum nostrum Iesum Christum demisisti Seruatorem, Redemptoremque ac benefactorem, benedicentem, & sanctificantem nos; ipse benedic huic Oblationi, & eam admitte ad supercœleste Altare tuum: memento (vt bonus & humanus) eorum qui obtulerunt, & propter quos obtulerunt: nosque conserues insontes, & inculpatos in hâc sacrâ tuorum diuinorum mysteriorum operatione; quoniam sanctificatum est ac glorificatum, venerandum omni ex parte & magnificum nomen tuum Patris & Filij, & Spiritus sancti, nunc & semper, in sæcula sæculorum.

Sacerdos: Pax omnibus.

Diaconus: Domine benedicito.

Sacerdos: Benedictus Deus benedicens & sanctificans nos omnes in hâc oblatione diuinorum, & ab omni labe mundorum mysteriorum; & in quiete & tranquillitate beatas componens animas cum Sanctis & iustis; nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Diaconus: Sapienter attendamus.

Sacerdos: Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ: & in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei: *Et reliqua Symboli fidei.*

Deinde, ceruice inclinatâ.

Deus vniuersorum & Domine; indignos nos hâc horâ, dignos redde benignissime vt puri & mundi ab omni dolo & omni simulatione, in vnum coniungamur inter nos, pacis ac charitatis vinculo; confirmati sanctificatione diuinæ tui cognitionis, per vnigenitum Filium tuum Dominum & Seruatorem nostrum Iesum Christum; cum quo benedictus es cum sancto, bono & viuificatore Spiritu tuo; nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Diaconus: Stemus honestè; stemus reuerenter; stemus cum timore Dei, & cum cordis compunctione. In pace Dominum oremus.

Sacerdos: Quoniam Deus es pacis, misericordiæ, dilectionis, commiserationis, & humanitatis; tu & vnigenitus Filius tuus, & Spiritus tuus sanctus; nunc, & semper.

Populus: Amen.

Sacerdos: Pax omnibus.

Populus: Et spiritui tuo.

Diaconus: Osculemur inter nos in sancto osculo. Capita nostra Domino inclinemus.

Sacerdos inclinans se, hanc orationem dicit.

Tu qui solus es Dominus & misericors Deus; inclinantibus ceruices suas coram Sancto Altari, & petentibus abs te dona spiritalia, emitte gratiam tuam bonam, & benedic omnibus nobis omni benedictione spirituali, & quæ adimi non possit; qui in altis habitas, & humilia respicis.

Exclamatio:

Quoniam laudabile, adorabile, & pergloriosum est nomen tuum sanctissimum, Patris, & Filij, & Spiritus sancti; nunc & semper & in sæcula sæculorum.

Diaconus: Domine benedic.

Sacerdos: Dominus benedicet, & vnà ministrabit cum omnibus nobis, gratiâ suâ & benignitate.

Et rursus: Dominus benedicet, & dignos nos faciet qui assistamus sancto Altari, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum.

Et rursus.

Benedictus Deus qui benedicit & sanctificat nos omnes qui assistimus. ET OPERAMVR IMMACVLATIS IPSIVS MYSTERIIS, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum.

Diaconus collectam Catholicam & vniuersalem facit.

In pace Dominum oremus.

Populus: Domine miserere.

Diaconus: Serua, miserere, commiserere, ac custodi nos Deus tuâ gratiâ. Vt mittat Deus de cœlo pacem, & vt nobis benignus sit, animasque nostras seruet; Dominum oremus.

Pro iis qui sunt vtiles & præclara opera exequuntur in sanctis Dei Ecclesiis; qui pauperes commendatos habent, viduas & orphanos, peregrinos, & indigentes: & qui nobis mandarunt vt memoriam eorum haberemus, in orationibus: Dominum oremus.

Pro senibus & imbecillis, infirmis, laborantibus, & iis qui infestantur ab immundis Spiritibus; vt Deus celeriter sanitatem & salutem eis mittat: Dominum oremus.

Pro iis qui in virginitate & castitate, in monasteriis ac in venerando connubio degunt: & pro sanctis Patribus & Fratribus qui in montibus, speluncis, & foraminibus terræ exercentur: Dominum oremus.

Pro nauigantibus, iter facientibus, peregrinantibus Christianis, ac pro fratribus nostris qui in captiuitate, exilio, carcere, & durâ seruitute agunt; vt in pace reuertantur: Dominum oremus.

Pro remissione peccatorum, & pro veniâ erratorum nostrorum; & vt liberemur ab omni tribulatione, irâ, periculo, & necessitate, & insultu hostium: Dominum oremus.

Vt aërem temperatum reddat, pluuias lenes, rores benignos, fructuum magnam vim; & vt annus plenam nobis omnium rerum copiam suppeditet; & totius anni curriculo, fructus nobis abundent: Dominum oremus.

Pro omnibus Patribus & Fratribus nostris præsentibus & nobiscum orantibus in hâc sanctâ horâ & omni tempore; vt studiosi, laboriosi, alacres, ac diligentes sint: Dominum oremus.

Pro omni animâ Christianâ afflictâ & vexatâ, misericordiæ & auxilij Dei indigente; & vt errantes reuertantur, & redeant ad pietatem; vt infirmi conualescant, captiui liberentur; patresque ac fratres nostri qui antè obierunt, in pace requiescant: Dominum oremus.

Vt oratio nostra exaudiatur, & accepta sit coram Deo; & vt mittat nobis largam misericordiam & commiserationem suam: Dominum oremus.

Commemorationem agamus sanctissimæ, immaculatæ, gloriosissimæ, benedictæ Dominæ nostræ matris Dei, & semper virginis Mariæ; ac omnium Sanctorum & iustorum; vt precibus atque intercessionibus eorum, omnes misericordiam consequamur.

E

& Sanctorum intercessio.

Pro propositis, pretiosis, cœlestibus, ineffabilibus, immaculatis, gloriosis, reuerendis, horrendis, & diuinis donis; & vt seruet præsentem Sacerdotem qui ea offert: Dominum Deum supplices imploremus.

Pro sacerdote offerente.

Populus: Domine miserere. *Ter.*

Deinde signacula Crucis, Sacerdos facit super dona; & stans, apud se sic dicit:

Gloria in excelsis Deo, & in terrâ pax, hominibus bona voluntas. *Ter.* — Luc. 2.

Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. *Ter.* — Psal. 50.

Impleatur os meum laude tuâ Domine, vt celebrem gloriam tuam, toto die magnificentiam tuam. *Ter.* — Psal. 70.

† Patris: Amen. Filij: Amen. & Spiritus sancti: Amen, nunc, semper, & in sæcula sæculorum.

Videtur hic deesse, In nomine.

Et inclinans se hinc & inde, dicit:

F

Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum. — Psal. 33.

Et respondent: Spiritus sanctus veniet super te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. — Luc. 1.

Deinde Sacerdos diffusè:

Domine Domine qui visitasti nos in misericordiâ & commiseratione: & nobis abiectis peccatoribus ac indignis seruis tuis concessisti, vt confidentes accederemus ad sanctum Altare tuum, & offeremus tibi verendum hoc & incruentum Sacrificium pro nostris peccatis & ignorantiis populi; respice in me seruum tuum inutilem, & dele per viscera misericordiæ tuæ, delicta mea: & pura redde labia mea & cor meum ab omni inquinatione carnis & spiritus; & auerte à me omnem cogitationem turpem & insipientem; & idoneum me fac virtute Spiritus tui sanctissimi ad hoc sacrum ministerium; & recipe me tuâ bonitate, accedentem ad sanctum Altare tuum: Et placeat tibi, vt hæc quæ offerimus Dona manibus nostris, accepta tibi sint; meisque infirmitatibus condones, & non me proiicias à facie tuâ, neque meam indignitatem auerseris: sed miserere mei secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates meas, vt inculpatè accedens ante gloriam tuam dignus sim qui operiar protectione vnigeniti Filij tui, & illuminatione Spiritus tui sanctissimi: nec vt seruus peccati, reprobus fiam, sed vt seruus tuus gratiam inueniam & misericordiam ac peccatorum remissionem coram te; nunc, & in futuro sæculo. Næ dominator omnipotens, & omnibus viribus prædite Domine, exaudi orationem meam; tu es enim qui omnia in omnibus agis, & abs te omnes quærimus in omnibus auxilium & subsidium, ab vnigenito Filio tuo, & à bono & viuificante & consubstantiali Spiritu, nunc & in sæcula.

Verendum & incruentum sacrificium. — G — Psal. 50. — *Spiritus consubstantialis.*

Deus qui propter magnum atque ineffabilem erga homines amorem, misisti Filium tuum vnigenitum in mundum, vt ouem errantem reduceret; ne auerseris nos peccatores, verendum hoc & incruentum Sacrificium attrectantes: non enim de nostrâ iustitiâ confidimus, sed benignâ misericordiâ tuâ quâ genus nostrum redimis: supplicamus & imploramus bonitatem tuam, ne Mysterium hoc quod ad salutem nobis dispensatum est, in condemnationem populo sit, sed in abolitionem peccatorum ac animarum & corporum renouationem; vtque tibi Deo & Patri gratum sit per misericordiam & humanitatem vnigeniti Filij tui cum quo benedictus es cum sanctissimo, bono, & viuificante Spiritu tuo, nunc, & semper, & in sæcula.

H

Domine Deus qui nos creasti, & in hanc vitam protulisti; qui nobis viam ad salutem ostendisti, & benignè nobis mysteria cœlestia detexisti; quique nos huic ministerio præfecisti in virtute sanctissimi Spiritus tui: placeat tibi Domine, vt ministri simus tui noui Testamenti ac Sacrificij immaculatorum tuorum

mysteriorum,

mysteriorum; & admitte nos accedentes ad sanctum tuum Altare, secundùm multitudinem misericordiæ tuæ; vt digni simus qui offeramus tibi munera & Sacrificium pro nobis, & pro iis quæ populus per ignorantiam admisit: daque nobis (Domine) vt tibi cum omni metu, ac pura conscientia hoc Sacrificium spiritale atque incruentum offeramus: quod vbi admiseris in sanctum, supercœleste, ac intellectuale tuum Altare, in odorem suauitatis spiritalis; vicissim mitte nobis gratiam Spiritus tui sanctissimi. O Deus, respice in nos, & ad nostrum hoc rationale obsequium intuere: idque accipe vt Abel dona accepisti, Noë sacrificia: Mosis & Aaronis sacerdotia: Samuëlis pacifica, Dauidis pœnitentiam, Zachariæ incensum, vt de manu Apostolorum tuorum verum hunc cultum accepisti: ita quoque è manibus nostris qui peccatores sumus, recipe munera hæc proposita per tuam benignitatem; & fac vt oblatio nostra, grata & acceptabilis sit per Spiritum sanctum sanctificata, in propitiationem peccatorum nostrorum & eorum quæ populus per ignorantiam admisit, & in requiem animarum eorum qui ante nos dormiunt: vt & nos abiecti, & peccatores, & indigni serui tui, digni habiti qui sine dolo ministremus sancto Altari tuo, mercedem accipiamus fidelium & prudentium dispensatorum, gratiamque inueniamus, & misericordiam in die illa tremenda retributionis tuæ iustæ & bonæ.

A Sacrificium immaculatorum mysteriorum. Moysis sacerdotium. Oblatio acceptabilis in B requiem Animarum eorũ qui dormierunt. Merces fidelium dispensatorum.

Oratio velaminis.

GRatias tibi (ô Domine Deus noster) agimus, quòd nobis fiduciam dederis ad ingressum Sanctorum tuorum: quam renouasti nobis viam recentem, & viuentem per velamen carnis Christi tui. Dignos igitur cùm nos feceris qui ingrediamur in locum Tabernaculi gloriæ tuæ, simulque intra illud velum, & aspiciamus Sancta sanctorum: flectimus genua ad tuam bonitatem. Domine, miserere nostri, quandoquidem veneramur ac tremiscimus quum tuum sanctum Altare nobis accedendum est & offerendum sacrificium hoc verendum, & incruentum pro nostris peccatis, & pro iis quæ populus per ignorantiam admisit. Emitte (ô Deus) tuam bonam gratiam; & sanctifica animas nostras, corpora spiritusque: & conuerte cogitationes nostras ad pietatem, vt in pura conscientia, tibi oleum pacis offeramus & sacrificium laudis, per misericordiam & benignitatem vnigeniti Filij tui, cum quo benedictus es, cum sancto, bono, & viuificatore Spiritu tuo, nunc & semper.

C Sacrificium verendum & incruentum.

Populus: Amen.

Sacerdos: Pax omnibus.

Diaconus: Stemus honestè, stemus reuerenter, stemus cum timore Dei & compunctione: attenti simus diuinæ oblationi, vt Deo pacem offeramus.

Populus: Oleum pacis, sacrificium laudis.

D

Sacerdos: Et reuelans inuolucra ænigmatum quæ symbolicè hoc sancto sacrificio circundantur: clarè nobis ostende & imple oculos nostri intellectus luce illâ incomprehensibili & paupertatem nostram purificatam ab omni inquinamento carnis & Spiritus, dignam effice quæ accedat ad hoc verendum & horrendum ministerium: quia mirum in modum benignus & misericors Deus es, & tibi gloriam & gratiarum actionem referimus, Patri, & Filio, & sancto Spiritui, nunc & semper, & in sæcula.

2. Cor. 13.

Deinde exclamatio. Charitas Domini & Patris: gratia Domini & Filij, & communicatio ac donum Spiritus sancti, sit cum omnibus vobis.

Populus: Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos: Attollamus mentem, & corda.

Populus: Dignum & iustum est.

Deinde Sacerdos orat: Verè dignum, & iustum est, decens & debitum, vt te laudemus, te hymnis celebremus, tibi benedicamus, te adoremus, tibi laudem decantemus, tibi gratias agamus omnis creaturæ visibilis ac inuisibilis opifici, thesauro æternorum bonorum, fonti vitæ & immortalitatis, omnium Deo ac Domino: quem cœli, & cœli cœlorum laudibus celebrant, ac omnis virtus eorum, Sol & Luna; vniuersusque astrorum chorus, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt: Ierusalem cœlestis congregatio, Ecclesia primogenitorum descriptorum in cœlis: Spiritus iustorum & Prophetarum, animæ Martyrum & Apostolorum; Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, ac Virtutes tremendæ; Cherubimque multos oculos habentia; & Seraphim sex alis prædita: quæ duabus quidem alis operiunt facies suas: duabus verò, pedes; & reliquis duabus volantia; clamant alterum ad alterum incessabili voce; perpetuis laudibus.

E Ezech. 13.

Exclamatio.

Hymnum triumphalem tuæ magnificæ gloriæ; clara voce canentia, clamantia, glorificantia, vociferantia, ac dicentia.

F

Populus.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus sabaoth: plenum cœlum & terra, gloria tua; osanna in excelsis.

Benedictus qui venit in nomine Domini, osanna in excelsis.

Sacerdos signacula faciens Crucis super dona, dicit:

Signacula Crucis.

Sanctus es rex sæculorum, & omnis sanctitatis Dominus & dator: Sanctus & vnigenitus Filius tuus Dominus noster Iesus Christus per quem omnia fecisti: Sanctus & Spiritus tuus sanctus qui omnia perscrutatur, etiam profunditates tuas: qui Deus es, Sanctus es, omnipotens & in omnia potestatem habens, bone, reuerende, misericors & compatiens (maximè, creaturæ tuæ) qui fecisti hominem ex terrâ ad imaginem & similitudinem tuam, qui dedisti ei vt Paradiso frueretur; qui eum postquam transgressus est mandatum tuum & lapsus est, non despexisti, neque dereliquisti (ô benigne) sed correxisti eum, vt misericors Pater; eum per legem vocasti, per Prophetas eum instituisti, postremò autem, ipsum vnigenitum Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum demisisti in mundum, vt veniens tuam renouaret atque exsuscitaret imaginem, qui de cœlo descendit & carne indutus est ex Spiritu sancto & Mariâ virgine Matreque Dei: qui conuersatus cum hominibus, omnia dispensauit ad salutem generis nostri: & qui voluntariam & viuificam (per Crucem) mortem, expers ipse peccati, pro nobis peccatoribus subiturus; eâ nocte quâ tradebatur vel potiùs seipsum tradebat pro vitâ & salute mundi.

Gen. 3. G

Deinde Sacerdos panem manibus accipiens, dicit:

Accipiens panem in sanctas, Immaculatas, inculpabiles & immortales manus suas, in cœlum suspiciens, ac tibi Deo & Patri ostendens; gratias agens, sanctificans, frangens, dedit nobis Discipulis suis, & Apostolis, dicens:

H

Diaconi dicunt: In remissionem peccatorum, & in vitam æternam.

Deinde exclamat:

Exclamatio in consecratione.

Accipite & comedite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur & datur in remissionem peccatorum.

Populus: Amen.

Deinde accipit Calicem, & dicit:

Similiter postquam cœnauit, accipiens calicem & permiscens ex vino & aquâ, & aspiciens in cœlum, ac ostendens tibi Deo & Patri, gratias agens, sanctificans, benedicens, implens Spiritu sancto, dedit nobis discipulis suis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro vobis & multis effunditur & datur in remissionem peccatorum.

Matt. 26.

Populus: Amen.

Sacerdos: Hoc facite in meam commemorationem: quotiescunque enim comederitis panem hunc, & hunc calicem biberitis, mortem Filij hominis annun-

A

clatis, & resurrectionem eius confitemini, donec veniat.

Dicunt Diaconi: Credimus & confitemur.

Populus: Mortem tuam domine annuntiamus, & resurrectionem tuam confitemur.

Sacerdos: Memores igitur & nos peccatores, passionum eius viuificarum, Crucis salutaris, ac mortis, Sepulchri & Resurrectionis à mortuis tertio die, Ascensionis in cœlos, & assessionis eius ad dexteram tuam Dei & Patris, & secundi, gloriosi, & tremendi eius aduentus, cùm venerit cum gloria ad iudicandum viuos & mortuos, cùm reddet vnicuique secundùm opera eius: offerimus tibi Domine, hoc sacrificium venerandum & incruentum, orantes, ne secundùm peccata nostra nobiscum agas, neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis, sed secundùm æquitatem tuam & ineffabilem humanitatem tuam prætergrediens, atque delens chirographum illud quod est contra nos famulos tuos, largire nobis cœlestia & æterna tua dona, quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparasti (Deus) diligentibus te: neque propter me, & propter mea peccata repudies populum, benigne Domine.

Sacrificiũ incruentum. *Psal. 78.* B *1. Cor. 2.*

Deinde dicit, ter repetens: Populus enim tuus, & Ecclesia tua supplicant tibi.

Populus: Miserere nostri Domine Deus, Pater omnipotens.

Rursus Sacerdos dicit: Miserere nostri Deus omnipotens: Miserere nostri Deus Seruator noster: Miserere nostri, Deus, secundùm magnam misericordiam tuam, & demitte super nos, & super hæc dona proposita, Spiritum tuum sanctissimum.

Deinde inclinata ceruice, dicit: Dominum viuificum, vnà cum te Deo Patre, & vnigenito Filio tuo assidentem, simul regnantem, consubstantialem, & coæternum, qui loquutus est in lege & Prophetis, & in nouo Testamento, qui descendit in specie columbæ super Dominum nostrum Iesum Christum in Iordane fluuio, & mansit super eum: qui descendit super Apostolos tuos in specie ignearum linguarum, in cœnaculo sanctæ & gloriosæ Sion, in die Pentecostes: ipsum Spiritum tuum sanctissimum demitte nunc quoque Domine in nos, & in hæc dona sancta proposita.

C

Et erigens se exclamat: Vt superueniens, sancta & bona, & gloriosa sua præsentia, sanctificet & EFFICIAT HVNC PANEM CORPVS SANCTVM CHRISTI tui.

Populus: Amen.

Sacerdos: Et Calicem hunc, pretiosum sanguinem Christi tui.

Populus: Amen.

Sacerdos apud se stans: Vt sit omnibus ex his sumentibus in remissionem peccatorum, & in vitam æternam, in sanctificationem animarum & corporum ad fructus bonorum operum ferendos, in confirmationem sanctæ tuæ, Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ quam fundasti supra petram fidei vt portæ inferorum non præualeant aduersus eam: liberans eam ab omni hæresi, & scandalis, & iis qui operantur iniquitatem: seruans eam vsque ad consummationem sæculi.

D

Et inclinatus: Offerimus tibi, Domine, & pro sanctis tuis locis quos glorificasti diuinâ apparitione Christi tui, & aduentu sanctissimi tui Spiritus, & præcipuè pro gloriosâ Sion, matre omnium Ecclesiarum, ac pro sanctâ tuâ Catholicâ & Apostolicâ Ecclesiâ, quæ est per vniuersum orbem: larga dona sancti tui Spiritus, nunc quoque suppedita ei Domine. Memento (Domine) & sanctorum Patrum fratrumque qui in eâ sunt, ac Episcoporum qui per vniuersum orbem orthodoxâ fide distribuunt verbum tuæ veritatis. Memento (Domine) & omnis ciuitatis ac regionis, eorumque qui in orthodoxâ fide in iis habitant, vt in pace, securitatéque degant. Memento (Domine) nauigantium, iter facientium, peregrinantium Christianorum, in vinculis & custodiis detentorum, captiuorum, exulum, eorum qui ad metalla & supplicia damnati sunt, & qui in duriseruitute agunt, patrum & fratrum nostrorum. Memento (Domine) infirmorum, & laborantium, & eorum qui ab immundis Spiritibus infestantur, vt à te Deo, celeriter ab iis sanentur & seruentur. Memento (Domine) omnis animæ Christianæ & afflictæ & vexatæ, implorantis misericordiam & auxilium à te Deo: conuersionis etiam errantium. Memento (Domine) laborantium & ministrantium nobis Patrum & fratrum nostrorum, propter nomen sanctum tuum. Memento (Domine) omnium, vt benignè illis facias: omnium miserere Domine, omnibus nobis reconciliare: redde multitudinem populi tui pacificam, dissipa scandala, aboleto bella, siste hæreseôn irruptiones, pacem tuam, tuamque charitatem largire nobis, Deus, Seruator noster qui es spes omnium finium terræ. Memento (Domine) temperiei aëris, imbrium lenium, mitis roris, vbertatis fructuum, & in totius anni circulum benignitatis tuæ: oculi enim omnium in te sperant, & tu das illis escam in tempore opportuno, aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione. Memento (Domine) eorum qui fructificant, & præclara edunt facinora in Ecclesiis tuis sanctis: & eorum qui pauperes, viduas, orphanos, peregrinos, & egenos in memoriâ habent: & eorum omnium qui mandarunt vt sui memores essemus in orationibus. Præterea meminisse digneris (Domine) eorum qui has oblationes obtulerunt hodierno die ad sanctum Altare tuum, & pro quibus vnusquisque obtulit, vt in mente habet, & eorum quos nuper tibi recensui. Memento (Domine) secundùm multitudinem misericordiæ tuæ & miserationum tuarum, mei etiam qui abiectus & inutilis seruus tuus sum; & Diaconorum circunstantium sanctum Altare tuum, ac largire eis vitam inculpatam; eorum ministeriam sine maculâ conserua, & gradus bonos assere tibi vt inueniamus misericordiam & gratiam cum omnibus Sanctis tuis qui ab æterno tibi placuerunt per generationem ac generationem: Maiorum nostrorum, Patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum, Sanctorum, & omnis Spiritus iusti in fide Christi tui consummati.

E *Oblatio & preces pro locis terræ sanctæ. Ecclesia Sion mater omnium Ecclesiarũ. Pro ciuib. Pro nauigantibus, & peregrinis. Pro infirmis. Pro afflictis. Pro pace* F *& contra hæreses. Pro aëris serenitate, & vbertate fructibus. Pro benefactoribus & commendatis, & iis qui sunt vtiles Ecclesiæ. Pro seipso sacerdote sacrificante.* G *Pro Diaconis ad Altare.*

Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum; benedicta in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, quia Saluatorem peperisti animarum nostrarum.

Salutatio Angelica. Luc. 1.

Deinde exclamat Sacerdos: Præcipuæ, sanctissimæ, immaculatæ, super omnes benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ, Deiparæ, semperque virginis MARIÆ.

Cantores: Dignum est, vt te vere beatam dicamus Deiparam, semper beatam, & omnibus modis irreprehensam & Matrem Dei nostri; honorabiliorem quàm Cherubim, & gloriosiorem quàm Seraphim; quæ sine corruptione Deum verbum peperisti: te reuera Deiparam magnificamus.

Memoria Deiparæ Virginis.

Et rursus canunt.

H

Tibi, ô plena gratiæ; vniuersa creatura gratulatur, Angelorum cœtus, & hominum genus; quæ es templum sanctificatum, paradisus spiritalis, virginum gloria, ex quâ Deus carnem assumpsit & puer factus est Deus noster qui est ante sæcula: tuum enim vterum, thronum fecit; & tuum ventrem latiorem ac ampliorem cœlis ipsis reddidit: tibi, ô gratiæ plena; vniuersa creatura gratulatur gloria tibi!

Virgo Deipara.

Diaconus: Memento, Domine Deus noster.

Sacerdos inclinatus dicit: Memento Domine Deus noster, spirituum & vniuersæ carnis quorum memoriam egimus & quorum non egimus, Orthodoxorum ac rectè de fide sentientium, ab Abel iusto vsque ad hodiernum diem: fac eos requiescere in regione viuentium in regno tuo, & deliciis Paradisi; in sinu Abrahæ, Isaac & Iacob, sanctorum Patrum nostrorum, vnde exulat dolor, tristitia, & gemitus; vbi præsidet lumen vultus tui, & perpetuò refulget; nostræ verò vitæ fines, Christianos, acceptabiles, & peccatis puros, in pace

Pro fidelibus defunctis.

dirige,

dirige, Domine, Domine, colligens nos sub pedes electorum tuorum, quando voles & vt voles: duntaxat, sine infamiâ & offensionibus, per Filium tuum vnigenitum Dominum, Deum, ac Seruatorem nostrum Iesum Christum: ipse enim solus est qui absque peccato apparuit super terram.

Pro pace. *Diaconus*: Et pro pace & tranquillitate totius mundi, & sanctarum Dei Ecclesiarum, & pro quibus vnusquisque obtulit vel cogitat offerre, & pro omni populo circunstante, & pro omnibus.

Populus: Pro omnibus.

Sacerdos exclamat: Parce & nobis & ipsis, vt benignus, & humanus.

Pro peccatis. *Populus*: Remitte, ignosce, & condona Deus, peccata nostra voluntaria & non voluntaria, quæ opere admisimus, quæ verbo, quæ prudentes & imprudentes; quæ noctu, quæ interdiu, quæ animo & cogitatione: omnia nobis condona, vt bonus, & benignus.

Sacerdos: Gratiâ & misericordiâ, ac benignitate vnigeniti Filij tui; cum quo benedictus es & glorificatus, cum sanctissimo, bono, & viuifico Spiritu tuo, nunc & semper, & in sæcula.

Populus: Amen.

Sacerdos: Pax omnibus.

Populus: Et Spiritui tuo.

Diaconus: Etiam atque etiam semper Dominum in pace Oremus.

Pro oblatis & sanctificatis, pretiosis, supercœlestibus, ineffabilibus, immaculatis, gloriosis, tremendis, horrendis, diuinis Donis, Domino Deo: Oremus.

Preces super oblata. Vt Dominus Deus noster, acceptis iis in sanctum & supercœleste, mentale & Spiritale Altare suum, in odorem Spiritalis fragrantiæ; rependat ac mittat nobis diuinam gratiam, donum sanctissimi Spiritus: Oremus.

Vnitatem fidei & communicationem sanctissimi eius, & adorandi Spiritus, postulantes; nos ipsos, ac inter nos inuicem, & omnem vitam nostram Christo Deo commendemus.

Populus: Amen.

Sacerdos ad hæc orat:

Deus & Pater Domini & Dei, ac Seruatoris nostri Iesu Christi, magni nominis Dominus, natura beata, bonitas effusa, Deus omnium ac Dominus, qui es benedictus in sæcula, qui sedes super Cherubim, qui à Seraphim glorificaris, cui assistunt mille millia & decies millies decies millena millia sanctorum Angelorum, & Archangelorum militiæ, dona tibi oblata, munera, frugum oblationes, accepisti in odorem suauitatis: sanctificareque & *Oblata.* perficere dignatus es (ô bone) gratiâ Christi tui, & aduentu sanctissimi Spiritus tui, sanctifica Domine & animas nostras, corpora & Spiritus: nostras quoque mentes *Contra malas cogitationes.* tange, explora conscientias, omnemque malam cogitationem à nobis aufer, omnem impudicam ratiocinationem, omnem turpem cupiditatem, indecentem omnem cogitationem, omnem inuidiam ac superbiam & hypocrysin, omne mendacium, omnem dolum, omnem huius vitæ distractionem, omnem auaritiam, omnem vanam gloriam, desidiam omnem, omne vitium, omnem iram, omnem iracundiam, omnem iniuriarum recordationem, omnem blasphemiam, commotionem omnem carnis & spiritus alienam à voluntate sanctitatis tuæ.

Exclamatio: Et dignare Domine benigne, vt nos audacter & confidenter, inculpatè, puro corde, animo contrito, facie minimè confusâ atque erubescente, labiis sanctificatis, audeamus inuocare te sanctum Deum Patrem: qui in cœlis es, & dicere:

Matth. 6. Luc. 11. *Populus*: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, &c.

Sacerdos inclinatus dicit: Et ne nos inducas in tentationem, Domine, Domine virtutum, qui nosti infirmitatem virium nostrarum: sed libera nos à malo & operibus eius, ab omni insultu & machinatione eius, propter nomen tuum sanctum quod inuocatum est super nostram humilitatem.

Exclamatio: Quoniam tuum est regnum, potentia, & gloria, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nunc & semper.

Populus: Amen.

Sacerdos: Pax omnibus.

Populus: Et spiritui tuo.

Diaconus: Capita nostra Domino inclinemus.

Populus: Tibi Domine.

Sacerdos: Tibi inclinamus, qui serui tui sumus (Domine) ceruices nostras, coram sancto altari tuo, expectantes copiosam à te misericordiam: abundantem gratiam tuam *Sancta Mysteria.* & benedictionem demitte nobis, (Domine) & sanctifica animas nostras, & corpora atque Spiritus, vt efficiamur digni qui socij & participes simus sanctorum tuorum mysteriorum, in remissionem peccatorum & in vitam æternam.

Exclamatio: Tu enim adorandus es, & glorificatus es (ô Deus noster) & vnigenitus Filius tuus, & Spiritus tuus sanctissimus, nunc & semper.

Populus: Amen.

Sacerdos exclamat: Et erit gratia & misericordia sanctæ & Consubstantialis, increatæ & adorandæ Trinitatis, cum omnibus nobis.

Populus: Et cum spiritu tuo.

Diaconus: Cum timore Dei & reuerentiâ attendamus.

Leuit. 11. 45. *Sacerdos attollens donum apud se dicit*: Sancte, qui in sanctis requiescis, Domine; Sanctifica nos verbo tuæ gratiæ, & aduentu sanctissimi tui Spiritus: tu enim dixisti, Domine, sancti eritis, quoniam ego sanctus sum: Domine *Filius Patri & Spiritui sancto consubstantialis.* Deus noster, Verbum Dei incomprehensibilis & Consubstantialis Patri, & Spiritui sancto, coæterne & inseparabilis, suscipe incorruptum hymnum in sanctis & incruentis sacrificiis tuis, vnà cum Cherubim & Seraphim, à me quoque peccatore clamante & dicente.

Incruenta sacrificia. Collecta generalis. *Exclamatio*: Sancta sanctis.

Populus: Vnus sanctus, vnus Dominus Iesus Christus in gloriam Dei Patris, cui gloria in sæcula sæculorum.

Diaconus: Pro remissione peccatorum nostrorum & propitiatione animarum nostrarum, & pro omni anima afflictâ & vexatâ, misericordiæ & auxilij Dei indigente, & conuersione errantium, curatione infirmorum, liberatione captiuorum, requie patrum & fratrum nostrorum qui ante nos dormierunt, dicamus omnes extensâ voce, Domine miserere.

Populus: Domine miserere, *duodecies.*

Mixtio panis & calicis. *Deinde sacerdos frangit panem, dimidiumque dextrâ, sinistrâ verò dimidium tenet, & quod tenet manu dextra immergit in calicem, dicens*: Vnio sanctissimi corporis, & pretiosi sanguinis Domini & Dei, ac Seruatoris nostri Iesu Christi.

Et signat id quod tenet manu sinistrâ, deinde hoc signato, alterum dimidium signat, ac statim incipit diuidere, & ante omnia distribuere in singulos calices partem vnam, dicens: Vnitum est, & sanctificatum, & consummatum, in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti, nunc, & semper.

Et cum signat panem, dicit: Ecce agnus Dei, Filius Patris, qui tollit peccata mundi, mactatus pro mundi vitâ, & salute. *Et cum distribuit vnam partem in singulos calices, dicit*: Portio sancta Christi, plena gratiæ & veritatis, Patris & Spiritus sancti, cui gloria & imperium in sæcula sæculorum.

Psal. 22. Psal. 33. Psal. 144. & 116. *Deinde incipit diuidere in partes, & d[illegible]*: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ, *& reliqua Psalmi.*

Deinde: Benedicam Dominum in omni tempore, *& reliqua.*

Deinde: Exaltabo te Deus meus rex: *& reliqua.*

Deinde: Laudate Dominum omnes gentes, &c.

Diaconus: Domine benedic.

Sacerdos: Dominus benedicet, & conseruabit nos à condemnatione, in perceptione immaculatorum Donorum suorum, nunc, & semper, & in sæcula.

Et postquam absoluerint, dicit Diaconus: Domine benedic.

Isa. 6. *Sacerdos*: Dominus benedicet, & dignos nos faciet, qui puris forcipibus accipiamus igneum carbonem, & impo-

namus in ora fidelium, ad purgationem & renouationem animarum ipsarum, & corporum,& nunc & semper.

Christi corpus in sacrificio distribuitur in partes, nec tamē diuiditur.

Deinde quod sequitur : Gustate & videte, quòd benignus est Dominus, qui in partes distributus ac non diuisus, & fidelibus impertitus nec consumptus est, in remissionem peccatorum, & vitam æternam, nunc, & semper, & in sæcula.

Diaconus : In pace Christi cantemus.

Psal. 33.

Cantores : Gustate & videte, quod benignus est Dominus.

Sacerdos orationem dicit ante communionem : Domine Deus noster, panis cœlestis, vita vniuersi, peccaui in cœlum & coram te, & non sum dignus particeps fieri immaculatorum tuorum Mysteriorum, sed tu misericors Deus, dignum me fac gratia tua, vt citra condemnationem particeps fiam sancti corporis & pretiosi sanguinis in remissionem peccatorum & vitam æternam.

Deinde impertit Clero. Cum autem attollant Diaconi discos & calices ad impertiendum populo: Diaconus ait, tollens primum discum : Domine benedic.

Sacerdos respondet : Gloria Deo qui sanctificauit, & sanctificat nos omnes. *Diaconus ait* : Exaltare supra cœlos, & supra terram vniuersam, gloria tua, & regnum tuum permanet in sæcula sæculorum.

Psal. 56

Et cum Diaconus depositurus est in mensulam, ait Sacerdos: Benedictum nomen Domini Dei nostri in sæcula.

Diaconus : Cum timore Dei, & fide, ac dilectione accedite.

Populus : Benedictus qui venit in nomine Domini.

Et rursum, cum attollit discum de mensula ait : Domine benedic.

Sacerdos : Serua Deus populum tuum, & benedic hæreditati tuæ.

Psal. 27.

Sacerdos rursus : Gloria Deo nostro qui sanctificauit nos omnes. *Et cùm deponit calicem super sanctam mensam, Sacerdos dicit* : Sit nomen Domini benedictum in sæcula sæculorum.

Diaconi & Populus dicunt : Imple os nostrum laude tuâ, Domine, & gaudio reple labia nostra, vt laudemus gloriam tuam, & toto die magnificentiam tuam.

Et rursus : Gratias agimus tibi Christe, Deus noster, quoniam dignatus es nos participes fieri corporis & sanguinis tui, in remissionem peccatorum & in vitam æternam. Vt nos à condemnatione conserues, obsecramus, vt qui bonus & benignus sis.

Oratio suffitus ad extremum vestibulum.

Actio gratiarū.

Agimus gratias tibi Seruatori, vniuersorum Deo pro omnibus bonis quæ nobis præbuisti, & pro sumptione sanctorum & immaculatorum tuorum mysteriorum : & offerimus tibi suffitum hunc, orantes vt nos conserues sub operimento alarum tuarum, & digneris nos vsque ad vltimum spiraculum vitæ nostræ participes facere sanctificationum tuarum in sanctificationem animarum & corporum, in hæreditatem regni cœlorum : quia tu es sanctificatio nostra Deus, tibique gloriam & gratiarum actionem referimus, Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Et incipit Diaconus in vestibulo. Gloria tibi, gloria tibi, gloria tibi Christe rex, Verbum Patris vnigenitum, quoniam dignatus es, vt nos peccatores & indigni serui tui fruamur immaculatis Mysteriis tuis in remissionem peccatorum & in vitam æternam : Gloria tibi.

Et cùm vestibulum transierit Diaconus, incipit hunc in modum dicere : Etiam atque etiam & omni tempore, in pace Dominum oremus. Vt perceptio sacrorum eius Mysteriorum, valeat nobis ad amoliendam omnem malam rem, in viaticum æternæ vitæ, in communicationem ac donum Spiritus sancti: oremus.

Viaticum æternæ vitæ.

Sacerdos orat : Deus qui propter multam & ineffabilem benignitatem condescendisti infirmitati seruorum tuorum, & dignatus es nos Mensæ huius cœlestis participes facere ; ne condemnes nos peccatores, ob perceptionem mysteriorum tuorum immaculatorum ; sed obserua nos benignè in sanctificatione Spiritus sancti tui, vt sancti effecti assequamur partem & hæreditatem cum omnibus Sanctis, qui tibi ab æterno accepti fuerunt, in lumine vultus tui, per misericordiam vnigeniti Filij tui Domini & Dei ac Seruatoris nostri Iesu Christi ; cum quo benedictus es, cum sancto & benigno, atque viuifico Spiritu tuo ; quoniam benedictum & glorificatum est, omnibus modis honorandum & magnificum nomen tuum, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Populus : Amen.

Sacerdos : Pax omnibus.

Populus : Et spiritui tuo.

Diaconus : Inclinemus capita nostra Domino.

Sacerdos : Deus magnus & mirabilis, respice in famulos tuos, quoniam tibi ceruices inclinauimus : extende manum tuam fortem & plenam benedictionibus ; & benedic populo tuo : conserua hæreditatem tuam, vt semper & perpetuo glorificemus te solum viuentem & verum Deum nostrum, sanctam & Consubstantialem Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum ; nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Trinitas Consubstantialis.

Exclamatio : Tibi enim conuenit & debetur laus & gloria à nobis, (omnipotens) honor, & adoratio, ac gratiarum actio ; Patri, & Filio, & Spiritui sancto ; nunc & semper.

Populus : Amen.

Diaconus : In pace Christi cantemus.

Et rursus dicit : In pace Christi eamus.

Populus : In nomine Domini. Domine benedic.

Oratio quando dimittitur populus, quæ dicitur a Diacono.

Ex gloriâ in gloriam progredientes, laudamus te Seruatorem animarum nostrarum. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, nunc, & semper & in sæcula laudamus te Seruatorem animarum nostrarum.

Sacerdos Orationem dicit, ab ipso Altari vsque ad Sacrarium.

Ex virtute in virtutem progredientes, & absoluto omni diuino Sacrificio in Templo tuo ; nunc etiam te oramus (Domine Deus noster) dignare nos perfectâ benignitate; dirige viam nostram, confirma nos & stabili in timore tuo, & nos dignare regno cœlesti, in Christo Iesu Domino nostro, cum quo benedictus es cum sancto, bono, & viuifico Spiritu tuo, nunc, & semper, & in sæcula.

Diaconus : Etiam atque etiam, semper in pace Dominum oremus.

Oratio quæ dicitur in Sacrario, postquam dimissus est populus.

Largitus es nobis (Domine Deus) sanctificationem in perceptione sanctissimi Corporis, & pretiosi sanguinis vnigeniti Filij tui Domini nostri Iesu Christi : impartire nobis gratiam quoque Spiritus sancti tui boni, & conserua nos inculpabiles in fide : deduc nos in perfectam adoptionem, & redemptionem, & in futuras illas æternas fruitiones : tu enim es sanctificatio, & illuminatio nostra Deus ; ac vnigenitus Filius tuus, & Spiritus tuus sanctissimus ; nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Diaconus : In pace Christi conseruemur.

Sacerdos : Benedictus est Deus, qui benedicit & sanctificat perceptionem SANCTORVM, VIVIFICORVM, ET IMMACVLATORVM MYSTERIORVM ; nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Deinde Oratio propitiationis.

Domine Iesu Christe, Fili Dei viuentis, Agne, ac Pastor ; qui tollis peccatum mundi, qui debitum duobus debitoribus remisisti, & Peccatrici mulieri remissionem peccatorum eius concessisti, qui sanitatem Paralytico cum remissione peccatorum eius largitus es : remitte, condona, ignosce (Deus) peccata nostra voluntaria & non voluntaria, quæ prudentes & imprudentes perpetrauimus,

Ioan. 1. Luc. 7. Ibid. Marc. 2.

A traiumus, quæ per transgressionem & inobedientiam fecimus, quæ spiritus tuus sanctissimus melius nouit quàm nos serui tui: & si quid à mandatis tuis vt homines carnem gestantes, & mundum hunc inhabitantes, vel à diabolo seducti aberrarunt, siue dicto siue facto; vel in maledictionem inciderunt, aut peculiari anathemate irretiti sunt, rogo & precor ineffabilem tuam benignitatem, vt verbo absoluantur: & vt ipsis condones & iusiurandum, & peculiare Anathema, secundum bonitatem tuam. Age, Domine, Domine exaudi orationem meam pro seruis tuis, & prætermitte vt iniuriarum immemor, omnia eorum errata: ignosce ipsis omne delictum & voluntarium & inuoluntarium; libera eos ab æterno supplicio. Tu enim es, qui præcepisti nobis, dicens; Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata in cœlis, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta in cœlis; quoniam tu es Deus noster, Deus, qui misereri, seruare, & dimittere peccata potes; ac te gloria decet cum Patre sine principio, & spiritu viuifico, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Matt. 10, & 18.

B

IOANNI A S. ANDREA Ecclesiæ Parisiensis Canonico.

G. SIRLETVS CARDINALIS S.

CVM ex literis tuis ad Illustrissimum & Reuerendissimum Dominum meum Cardinalem Senonensem, cognouissem, te S. Marci Euangelistæ Liturgiam vehementer cupere, dedi operam, vt ex vetustissimo codice Monasterij S. Mariæ ὁδηγητρίας*, quod Rossani apud Calabros sub instituto S. Basilij regitur, describeretur, & quam diligentissimè cum Exemplari collata, primo quoque tempore ad me mitteretur. Cùmque Illustrissimus, & Reuerendissimus Senonensis, vt est tui amantissimus omniumque bonarum rerum, earum præsertim quæ ad Ecclesiæ Catholicæ antiquitatem pertinent, obseruantissimus, a nobis flagitaret, vt Liturgiam ipsam mitteremus, non potuimus hoc diutius tibi debere. Idque vt libentius faceremus, ea res nos maximè adhortata est, quòd ab amplissimo atque optimo Domino Senonensi planè didicimus, quam egregia sit in te pietas, illa quidem patria & auita virtus, quanta in propugnandâ orthodoxa fidei veritate alacritas.*

C

Sunt hæc quidem semper vtilia, & laboranti Ecclesiæ necessaria remedia, tum vel maximè hoc tempore, cùm noui, recentesque exurgentes loquuntur peruersa, vt abducant discipulos post se, magistri mendaces, introducentes sectas perditionis. Quapropter vigilandum est, si nolumus decipi, pugnandum si volumus superare, & diuinæ prouidentiæ maiores in dies gratiæ sunt agendæ, quæ quotidie nobis arma suppeditat, quibus hostiles acies retundere, impetus repellere, & paternam Catholicæ veritatis possessionem ab aduersariorum iniuriâ euentes, integram inuiolatamque fidem seruare possimus. Non deerit Dominus Ecclesiæ sanctæ, quam acquisiuit sanguine suo, fidelis est ad seruandum, potensque ad præstandum quod promisit, fore scilicet vt portæ inferi non præualeant aduersus eam, vt nec vnquam præualuerunt, neque aliquando præualebunt adiuuante Christo Domino, qui assiduis precibus rogandus est, vt mittat operarios plures in vineam suam, quam exterminare Aper de syluâ & singularis ferus depasci in dies, magis magisque conatur.

D

DIVINA LITVRGIA, SEV MISSA, Sancti Apostoli & Euangelistæ Marci, Discipuli sancti Petri, è Græco sermone in Latinum conuersa.

EX TOMO II. DISERTATIONVM P. Phil. Labbe in Bellarminum,

Quæ Græcè & Latinè extat nunc S. Marci Liturgia è veteri codice eruta studio Cardinalis Sirleti, non eo sensu dicitur sancti Marci, quòd omnia quæ in eâ leguntur hoc tempore, scripserit S. Marcus, sed quod in Ecclesiâ Alexandrinâ ab eodem Euangelistâ primum accepta fuerit, deinde Interpolata, & aucta plerisque identidem additis, vt de Missæ Romanæ Canone, quem antiquissimum ne ipsa quidem hæretica negauerit impudentia, ac similibus Liturgijs & Officiis Ecclesiasticis eruditi meritò censent.

A

Sacerdos. Pax omnibus.
Populus. Et spiritui tuo.
Diaconus. Orate.
Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.
Sacerdos sic orat.

Gratias agimus tibi, & plus quàm gratias agimus, Domine Deus, Pater noster, Pater Domini, & Seruatoris nostri Iesu Christi: propter omnia, & per omnia, & in omnibus; quia protexisti, adiuuisti, fouisti & deduxisti nos anteactæ nostræ vitæ tempore, & adduxisti nos ad hanc vsque horam, dignatus denuò sistere coram te in loco sancto tuo: remissionem petentes peccatorum nostrorum, & propitiationem omni populo tuo. Certè precamur & obsecramus te, humani generis amator bone, da nobis, vt sanctum hunc diem totumque vitæ nostræ tempus sine peccato transigamus, cum omni gaudio, sanitate, salute, & omni sanctificatione, & timore tuo. Omnem autem inuidiam, omnem metum, omnem tentationem, omnem Satanicam operationem, omnes improborum hominum insidias repelle à nobis, ô Deus, & à sanctâ tuâ Catholicâ & Apostolicâ Ecclesiâ. Tu nobis ea largire, quæ honesta & vtilia sunt, si quid peccauimus in verbo vel opere, vel cogitatione, tu, tanquam bonus, & humani generis amator, conniuere digneris, neque deseras nos, ô Deus, sperantes in te, neque inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo, & ab omnibus operibus eius: gratiâ & commiseratione, & benignitate vnigeniti filij tui, [*elatâ voce*] per quem, & cum quo tibi gloria & imperium in sanctissimo, & bono, & viuifico spiritu tuo, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

S.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax omnibus.
Populus. Et spiritui tuo.
Diaconus. Orate pro Rege.
Populus. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.
Sacerdos autem hunc in modum orat.

Dominator Domine, Deus omnipotens, Pater Domini, & Dei, & Seruatoris nostri Iesu Christi, precamur, & obsecramus te, vt Regem nostrum in pace ac fortitudine, iustitiâque conserues. Subiicito ei, ô Deus, omnem inimicum & aduersarium. Apprehende arma & scutum & exurge in adiutorium eius. Da ei, ô Deus, victorias, vt animum ad ea intendat, quæ nobis pacifica sunt, & ad nomen sanctum tuum. Vt & nos in tranquillitate dierum eius quietam & tranquillam vitam degamus in omni pietate & honestate, gratiâ & commiserationibus, & benignitate vnigeniti filij tui, [*elata voce*] per quem & cum quo tibi gloria & imperium cum sanctissimo & bono, & viuifico spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et spiritui tuo.

Diaconus. Orate pro Papâ & Episcopo.

Populus. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Sacerdos orat.

Dominator Dominus, Deus omnipotens, Pater Domini, & Dei, & Seruatoris nostri Iesu Christi, precamur & obsecramus te, humani generis amator bone, vt sanctissimum & beatissimum Pontificem nostrum Papam N. & Reuerendissimum Episcopum N. conserues. Conserua nobis eos annis multis pacificè perfungentes sancto sacerdotio, cui à te præfecti sunt, pro sanctâ & beatâ voluntate tuâ, verbum veritatis rectè administrantes, cum omnibus orthodoxis Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, Cantoribus, & laïcis, cum omni plenitudine sanctæ & solius vniuersalis Ecclesiæ pacem & sanitatem & salutem eis largiens. Preces autem eorum, quas pro nobis offerunt, & nos pro ipsis, admitte, Domine, ad sanctum & cœleste rationaleque altare tuum. Omnem autem aduersarium sanctæ tuæ Ecclesiæ pedibus eorum citò subiice, gratiâ & miserationibus & benignitate vnigeniti filij tui, [*Elatâ voce*] per quem & cum quo tibi gloria & imperium, cum sanctissimo, & bono, & viuifico spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et spiritui sancto.

Diaconus. Ad orationem state.

Populus. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Sacerdos subiungit orationem Introitus, & ad incensum.

Domine Christe Deus noster, qui duodenâ luce lucentem lampadem duodecim Apostolorum elegisti, & eos in vniuersum mundum misisti, vt prædicarent & docerent Euangelium regni tui, & curarent omnem morbum & infirmitatem in populo & insufflasti in facies eorum, & dixisti eis, Accipite Spiritum sanctum paracletum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Si quorum retineritis, retenta sunt: ita & in nos insuffla circumassistentes seruos tuos in introitu sacri ministerij, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Lectores, Cantores, & Laïcos, cum omni plenitudine sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ. Libera nos, Domine, ab execratione, & maledictione, & ab anathemate, & vinculo, & excommunicatione, & à parte aduersarij, & purga labia nostra & cor nostrum ab omni inquinamento, & omni nequitiâ: Vt corde puro & purâ conscientiâ tibi hoc incensum offeramus, in odorem suauitatis, & in remissionem peccatorum nostrorum, & totius populi tui, Gratiâ, & commiserationibus, & benignitate vnigeniti filij tui [*Elatâ voce*] per quem & cum quo tibi gloria & imperium cum sanctissimo & bono, & viuifico spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Populus. Amen.

Diaconus. Recti.

Et psallunt, Vnigenitus Filius & Verbum. *Fitque Introitus Euangelij.*

Dicit Diaconus. Ad orationem.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et Spiritui tuo.

Diaconus. Ad orationem.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos Orationem trisagij subiungit.

Dominator Domine, Iesu Christe, Verbum coæternum, principio carentis Patris, qui nobis similis per omnia factus es dempto peccato, ad generis nostri salutem, qui sanctos tuos discipulos & Apostolos misisti, vt prædicarent & docerent Euangelium tuum, & mederentur omni morbo & omni infirmitati in populo tuo: ipse nunc quoque, Domine, emitte lucem tuam & veritatem tuam, & illumina oculos mentis, vt intelligamus sermones tuos diuinos: fac vt idonei eorum auditores simus, & non solùm auditores, verumetiam factores verbi fiamus: vt fructificemus, & bonos fructus producamus, à tricenis ad centenos, vt regni cœlorum digni habeamur, [*Elatâ voce*] & citò anticipent nos misericordiæ tuæ, Domine, [*Elatâ voce.*] Tu enim es Euangelismus, seu boni annuntiatio, seruator & custos animarum & corporum nostrorum Domine Deus, & tibi gloriam & gratiarum actionem, & trisagium, seu ter sanctum, hymnum offerimus, Patri, & Filio, & Spiritui sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

E

Populus. Amen.

Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis.

Trisagio completo populum cruce signat Sacerdos dicens. Pax omnibus.

Populus. Et spiritui mo.

Sequitur πρόσχωμεν, *hoc est, Attenti simus. Apostolus. Prologus. Alleluia ex præscripto dicunt.*

Diaconi. Domine benedicito.

Sacerdos dicit. Dominus benedicat, & vobiscum ministret, suâ ipsius gratiâ, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

F

Sacerdos, prius quàm Euangelium recitetur, incensum offert, dicens.

Incensum offerimus coram sanctâ gloriâ tuâ, quod assumas in sanctum & supercœleste & intellectuale tuum altare. Vicissim nobis mittito gratiam tui Spiritus, quia benedictus es, tu quoque gloriam tuam mitte.

Diaconus Euangelium recitaturus dicit. Domine benedicito.

Sacerdos. Dominus benedicat, & fortificet, & auditores nos faciat sancti sui Euangelij, qui est benedictus Deus nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Diaconus. State recti. Audiamus sanctum Euangelium.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et spiritui tuo.

Hinc recitat Euangelium Diaconus. Mox Collectæ orationem subiungit Sacerdos.

G

Ægrotos Domine, populi tui visitans in misericordiâ & visitationibus sana. Peregrè profectos, vel profecturos fratres nostros, eò quò tendunt, singulos deducito. Bonas pluuias emittito in loca iis opus habentia & egentia. Fluuiales aquas ad earum mensuram tuâ gratiâ sursum elicito. Fructus terræ augeto in semen & in messem. Regnum serui tui, quem in terrâ regnare iustum censuisti, in pace & fortitudine, & iustitiâ, & tranquillitate conseruato. Humilem & misericordem, & Christi amantem ciuitatem istam libera Deus, à diebus malis, à fame, peste, & Gentium incursione, vt & Niniuitarum ciuitati pepercisti; quia misericors & miserator es, quique iniquitatum hominum non recordaris. Tu per Prophetam tuum Esaiam dixisti: Et protegam ciuitatem istam, vt saluem eam, propter me, & propter Dauid seruum meum. Quare precamur & obsecramus te, humani generis amator bone, protege ciuitatem istam propter Martyrem tuum & Euangelistam Marcum, qui nobis viam salutis demonstrauit, gratiâ, & miserationibus, & benignitate vnigeniti tui filij, [*Elatâ voce*] per quem & cum quo tibi gloria & imperium cum sanctissimo, & bono, & viuifico tuo spiritu.

Esa.37.g.

H

Diaconus. Incipe. Hinc dicunt versum. *Diaconus dicit, tres.*

Sacerdos hanc subiungit orationem.

Dominator Domine, Deus omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, precamur & obsecramus te, vt pacem quæ de cœlo est, cordibus nostris infundas, quin & vitæ huius pacem nobis dones, sanctissimum & beatissimum Papam nostrum N. & Reuerendissimum Episcopum nostrum N. conseruans. Conseruato nobis eos multis annis pacificè fungentes sancto, cui eos præfecisti, Pontificatu, pro sanctâ & beatâ voluntate tuâ, rectè dispensantes verbum veritatis, cum omnibus orthodoxis Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, Cantoribus, cum omni plenitudine sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, Episynagogis, seu congregationibus nostris, Domine, benedicito. Da vt eas liberè citraque impedimentum celebremus pro sanctâ tuâ

Forte Litanias tres intelligit, quarum tamen prima ante Euangelium: reliqua duæ. Recitato Euangelio dicuntur in D. Basilij Missa.

voluntate.

A voluntate. Ædes precibus, ædes eulogiis, seu benedictionibus accommoda, & nobis & successoribus nostris seruis tuis in sæculum largire.

Exurge, Domine, & dissipentur inimici tui: fugiant omnes, qui oderunt nomen sanctum tuum. Populo autem tuo fideli & orthodoxo benedic, multiplica eos in millia & decies centena millia. Nec præualeat mors peccati contra nos; neque contra omnem populum tuum: gratiâ & miserationibus, & benignitate vnigeniti filij tui, *elatâ voce* per quem, & cum quo, tibi gloria & imperium cum sanctissimo, & bono, & viuifico spiritu tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et spiritui tuo.

Diaconus. Videte, ne quis Cathecumenorum.

Hinc psallunt, qui Cherubim mysticè. *Sacerdos incensum offert ad* [illegible] *seu munus honorarium & sic orat.*

B Domine Deus noster, qui nullis rebus eges, suscipe incensum hoc, quod tibi ab indignâ manu offertur, tuâque benedictione nos omnes dignare. Tu enim es sanctificatio nostra, tibique gloriam sursum mittimus.

Hinc sancta ingrediuntur, ad altare, & Sacerdos sic orat.

Sancte, summe, tremende, qui in sanctis requiescis, Domine, ipse nos sanctifica, nosque dignare[a] tremendo tuo sacerdotio, nosque siste venerando altari tuo, cum omni conscientiâ bonâ, cordaque nostra purgato ab omni inquinamento. Reprobum omnem sensum à nobis expelle. Sanctifica mentem & animam, & da nobis sanctorum Patrum nostrorum ritum obseruare cum timore tuo propitiantibus vultum tuum omni tempore. Tu enim es qui benedicis & sanctificas vniuersa, & tibi gloriam & gratiarum actionem sursum mittimus.

Diaconus. Salutate vos inuicem.

Sacerdos salutationi apprecatur.

C Dominator Domine omnipotens, aspice de cœlo ad Ecclesiam tuam, & ad omnem populum tuum, & totum gregem tuum, seruaque nos omnes indignos seruos tuos, oues gregis tui: nobisque tuam largire charitatem, & tuum auxilium, & emitte nobis donum sanctissimi tui spiritus, vt in corde puro puraque conscientia salutemus nos inuicem in osculo sancto, non in dolo, non in hypocrisi, non alieno adhærentes instituto, sed innocentes & immaculati, in vno spiritu, in vinculo pacis & charitatis, vnum corpus & vnus spiritus in vnâ fide, quemadmodum etiam vocati sumus in vnâ spe vocationis nostræ, vt occurramus omnes in diuinum & infinitum amorem in Christo Iesu Domino nostro, cum quo benedictus es.

Tunc Sacerdos incensum offert dicens.

Incensum offertur nomini tuo. Assumatur ergo, quæsumus, è pauperculis manibus nostris, qui peccatores sumus, ad super cœleste altare tuum, in odorem suauitatis in propitiationem totius populi tui. Quia te decet omnis gloria, honor, adoratio, & gratiarum actio, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

D *Et post Salutationem, Diaconus elatâ voce.*

Ad offerendum pro more state.

Sacerdos Cruce signans patinas & calices, elatâ voce dicit.

CREDO in vnum Deum, &c.

Diaconus. Ad orationem state.

Sacerdos. Pax omnibus.

Diaconus. Orate pro offerentibus.

Sacerdos Orationem propositionis subiungit.

Dominator Domine, Iesu Christe, coæternum verbum æterni Patris, & Spiritus Sancti, magne Pontifex, panis qui de cœlo descendisti, & eduxisti de corruptione vitam nostram, qui dedisti teipsum agnum immaculatum pro mundi vitâ, rogamus & obsecramus te, hominum amator Domine, ostende faciem tuam super hunc panem, & super hos calices, quos sanctissima mensa suscipit Angelico ministerio, Archangelicâ chori statione, & sacerdotali sacrificio, in tuam gloriam & renouationem animarum nostrarum, gratiâ, & miserationibus, & humanitate vnigeniti filij tui, per quem & cum quo tibi gloria & imperium.

E *Populoque dicente.* Et incarnatus est de spiritu sancto *crucem facit, eodemque subiungente.* Crucifixus etiam pro nobis. *denuò cruce signat.* Et in spiritum sanctum, *itidem.* *Et expletâ fide Sacerdos cruce populum signat, elatâ voce pronuntians.*

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum nostra corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum & iustum.

Diaconus. * * *

Sacerdos Anaphoram, seu eleuationem inchoat.

F Verè quippe dignum est & iustum, sanctumque & decorum, atque nostris animabus vtile, qui es, ô Dominator Domine, Deus pater omnipotens, te laudibus & hymnis celebrare, tibi gratias agere, tibi confiteri per diem & noctem incessabili ore, non silentibus labris, & corde non tacito: tibi, inquam, qui fecisti cœlum & terram, quæ cœli ambitu continentur, quæque in terrâ sunt, mare, fontes, flumina, lacus, & omnia, quæ in eis sunt, tibique qui fecisti hominem ad imaginem & similitudinem tuam: cui paradisi quoque delicias largitus es, transgressum non aspernatus es, neque deseruisti, ô bone, sed denuò per legem reuocasti, per Prophetas vt puerum erudiisti, denique reformasti & renouasti per hoc tremendum, & viuificum, & cœleste Sacramentum. Quæ omnia fecisti per tuam sapientiam, lucem veram, vnigenitum filium tuum, Dominum, & Deum, & Seruatorem nostrum Iesum Christum, per quem tibi cum ipso & Spiritu sancto gratias agentes offerimus rationabilem & incruentam oblationem hanc, quam offerunt tibi, Domine, omnes Gentes ab ortu Solis vsque ad occasum; à Septentrione, ad Meridiem: quia magnum

G nomen tuum in omnibus Gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini sancto tuo, & sacrificium, & oblatio.

Certè precamur & obsecramus, humani generis amator bone.

Memento, Domine, sanctæ, soliusque Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ, quæ à finibus terræ ad eosdem fines vltimos diffunditur, omnium denique populorum, & omnium ouilium tuorum.

Pacem, quæ de cœlo est, vt Brabeura, largire nostris omnium cordibus, imò & vitæ huius pacem nobis dona.

Regem, Legiones, Principes, Senatus & concilia, populos, vicinias, introitus, & exitus nostros in omni pace disponito.

Rex pacis, tuam pacem da nobis, in concordiâ & charitate posside nos, ô Deus alium quàm te Deum non nouimus, nomen tuum nominamus, viuificato nostras omnium animas, & non præualebit mors peccati contra nos neque contra totum populum tuum.

H Ægrotos, Domine, populi tui visitans in misericordiâ & miserationibus sana. Auerte ab eis & à nobis omnem morbum & infirmitatem. Spiritum debilitatis effugato ab eis. Valerudinarios diuturnis morbis decubantes exsuscita. Spiritibus impuris vexatos sana, eorum qui vel carceribus, vel metallis, vel accusationibus, vel condemnationibus, vel exiliis, vel amarâ seruitute, vel tributis diuexantur, miserere, omnes liberato: quoniam tu Deus noster, qui soluis compeditos, qui erigis elisos, spes desperantium, auxilium destitutorum, resurrectio lapsorum, portus naufragantium, vltor afflictorum, omni animæ Christianæ afflictæ & oberranti, da misericordiam, da remissionem, da refrigerium. Quin & nostros, Domine, quibus animo laboramus, morbos sana, corporis infirmitates cura, Medice animarum & corporum; Episcope, seu Inspector omnis carnis; visita & sana nos, per salutare tuum. Fratres nostros peregrè profectos, vel profecturos, in omni loco dirige, siue per terram, siue flumina, siue lacus, siue vias, siue quouis

modo

[a] Fortè; [illegible] honestè.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et spiritui tuo.

Diaconus. Orate pro Papâ & Episcopo.

Populus. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Sacerdos orat.

Dominator Dominus, Deus omnipotens, Pater Domini, & Dei, & Seruatoris nostri Iesu Christi, precamur & obsecramus te, humani generis amator bone, vt sanctissimum & beatissimum Pontificem nostrum Papam N. & Reuerendissimum Episcopum N. conserues. Conserua nobis eos annis multis pacificè perfungentes sancto sacerdotio, cui à te præfecti sunt, pro sanctâ & beatâ voluntate tuâ, verbum veritatis rectè administrantes, cum omnibus orthodoxis Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, Cantoribus, & laicis, cum omni plenitudine sanctæ & solius vniuersalis Ecclesiæ pacem & sanitatem & salutem eis largiens. Preces autem eorum, quas pro nobis offerunt, & nos pro ipsis, admitte, Domine, ad sanctum & cœleste rationaleque altare tuum. Omnem autem aduersarium sanctæ tuæ Ecclesiæ pedibus eorum citò subiice, gratiâ & miserationibus & benignitate vnigeniti filij tui, [*Elatâ voce*] per quem & cum quo tibi gloria & imperium, cum sanctissimo, & bono, & viuifico spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et spiritui sancto.

Diaconus. Ad orationem state.

Populus. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Sacerdos subiungit orationem Introitus, & ad incensum.

Domine Christe Deus noster, qui duodenâ luce lucentem lampadem duodecim Apostolorum elegisti, & eos in vniuersum mundum misisti, vt prædicarent & docerent Euangelium regni tui, & curarent omnem morbum & infirmitatem in populo & insufflasti in facies eorum, & dixisti eis, Accipite Spiritum sanctum paracletum: quorum remittitis peccata, remittuntur eis. Si quorum retinetis, retenta sunt: ita & in nos insuffla circumassistentes seruos tuos in introitu sacri ministerij, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Lectores, Cantores, & Laicos, cum omni plenitudine sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ. Libera nos, Domine, ab execratione, & maledictione, & ab anathemate, & vinculo, & excommunicatione, & à parte aduersarij, & purga labia nostra & cor nostrum ab omni inquinamento, & omni nequitiâ: Vt corde puro & purâ conscientiâ tibi hoc incensum offeramus, in odorem suauitatis, & in remissionem peccatorum nostrorum, & totius populi tui, Gratiâ, & commiserationibus, & benignitate vnigeniti filij tui [*Elatâ voce*] per quem & cum quo tibi gloria & imperium cum sanctissimo & bono, & viuifico spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Populus. Amen.

Diaconus. Recti.

Et psallunt, Vnigenitus Filius & Verbum. *Fitque Introitus Euangelij.*

Dicit Diaconus. Ad orationem.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et Spiritui tuo.

Diaconus. Ad orationem.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos Orationem trisagij subiungit.

Dominator Domine, Iesu Christe, Verbum coæternum, principio carentis Patris, qui nobis similis per omnia factus es dempto peccato, ad generis nostri salutem, qui sanctos tuos discipulos & Apostolos misisti, vt prædicarent & docerent Euangelium tuum, & mederentur omni morbo & omni infirmitati in populo tuo: ipse nunc quoque, Domine, emitte lucem tuam & veritatem tuam, & illumina oculos mentis, vt intelligamus sermones tuos diuinos: fac vt idonei eorum auditores simus, & non solùm auditores, verumetiam factores verbi fiamus: vt fructificemus, & bonos fructus producamus, à tricenis ad centenos, vt regni cœlorum digni habeamur, [*Elatâ voce*] & citò anticipent nos misericordiæ tuæ, Domine, [*Elatâ voce.*] Tu enim es Euangelismus, seu boni annuntiatio, seruator & custos animarum & corporum nostrorum Domine Deus, & tibi gloriam & gratiarum actionem, & trisagium, seu ter sanctum, hymnum offerimus, Patri, & Filio, & Spiritui sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

E

Populus. Amen.

Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis.

Trisagio completo populum cruce signat Sacerdos dicens. Pax omnibus.

Populus. Et spiritui tuo.

Sequitur πρόσχωμεν, *hoc est, Attenti simus. Apostolus. Prologus. Alleluia ex præscripto dicunt.*

Diaconi. Domine benedicito.

Sacerdos dicit. Dominus benedicat, & vobiscum ministret, suâ ipsius gratiâ, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

F

Sacerdos, prius quàm Euangelium recitetur, incensum offert, dicens.

Incensum offerimus coram sanctâ gloriâ tuâ, quod assumas in sanctum & supercœleste & intellectuale tuum altare. Vicissim nobis mittito gratiam tui Spiritus, quia benedictus es, tu quoque gloriam tuam mitte.

Diaconus Euangelium recitaturus dicit. Domine benedicito.

Sacerdos. Dominus benedicat, & fortificet, & auditores nos faciat sancti sui Euangelij, qui est benedictus Deus nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Diaconus. State recti. Audiamus sanctum Euangelium.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et spiritui tuo.

Hinc recitat Euangelium Diaconus. Mox Collectæ orationem subiungit Sacerdos.

G

Ægrotos Domine, populi tui visitans in misericordiâ & miserationibus sana. Peregrè profectos, vel profecturos fratres nostros, eò quò tendunt, singulos deducito. Bonas pluuias emittito in loca iis opus habentia & egentia. Fluuiales aquas ad earum mensuram tuâ gratiâ sursum elicito. Fructus terræ augeto in semen & in messem. Regnum serui tui, quem in terrâ regnare iustum censuisti, in pace & fortitudine, & iustitiâ, & tranquillitate conserua-m. Humilem & misericordem, & Christi amantem ciuitatem istam libera Deus, à diebus malis, à fame, peste, & Gentium incursione, vt & Niniuitarum ciuitati pepercisti; quia misericors & miserator es, quique iniquitatum hominum non recordaris. Tu per Prophetam tuum Esaiam dixisti: Et protegam ciuitatem istam, vt saluem eam, propter me, & propter Dauid seruum meum. Quare precamur & obsecramus te, humani generis amator bone, protege ciuitatem istam propter Martyrem tuum & Euangelistam Marcum, qui nobis viam salutis demonstrauit, gratiâ, & miserationibus, & benignitate vnigeniti mi filij, [*Elatâ voce*] per quem & cum quo tibi gloria & imperium cum sanctissimo, & bono, & viuifico tuo spiritu.

Esa. 37. g.

H

Diaconus. Incipe. Hinc dicunt versum. *Diaconus dicit, tres.*

Forte Litanias tres intelligit, quarum, tamen prima ante Euangelium, reliqua duæ, Recitato Euangelio dicuntur in D Basilij Missa.

Sacerdos hanc subiungit orationem.

Dominator Domine, Deus omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, precamur & obsecramus te, vt pacem quæ de cœlo est, cordibus nostris infundas, quin & vitæ huius pacem nobis dones, sanctissimum & beatissimum Papam nostrum N. & Reuerendissimum Episcopum nostrum N. conseruans. Conseruato nobis eos multis annis pacificè fungentes sancto, cui eos præfecisti, Pontificatu, pro sanctâ & beatâ voluntate tuâ, rectè dispensantes verbum veritatis, cum omnibus orthodoxis Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, Cantoribus, cum omni plenitudine sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, Episynagogis, seu congregationibus nostris, Domine, benedicito. Da vt eas liberè citraque impedimentum celebremus pro sanctâ tuâ

voluntate. Ædes precibus, ædes eulogiis, ſeu benedictionibus accommoda, & nobis & ſucceſſoribus noſtris ſeruis tuis in ſæculum largire.

Exurge, Domine, & diſſipentur inimici tui: fugiant omnes, qui oderunt nomen ſanctum tuum. Populo autem tuo fideli & orthodoxo benedic, multiplica eos in millia & decies centena millia. Nec præualeat mors peccati contra nos; neque contra omnem populum tuum: gratiâ & miſerationibus, & benignitate vnigeniti filij tui, *elatâ voce* per quem, & cum quo, tibi gloria & imperium cum ſanctiſſimo, & bono, & viuifico ſpiritu tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et ſpiritui tuo.

Diaconus. Videte, ne quis Cathecumenorum.

Hinc pſallunt, qui Cherubim myſticè. *Sacerdos incenſum offert ad Εὐλόγιον ſeu munus honorarium & ſic orat.*

Domine Deus noſter, qui nullis rebus eges, ſuſcipe incenſum hoc, quod tibi ab indignâ manu offertur, tuâque benedictione nos omnes dignare. Tu enim es ſanctificatio noſtra, tibique gloriam ſurſum mittimus.

Hinc ſancta ingrediuntur, ad altare, & Sacerdos ſic orat.

Sancte, ſumme, tremende, qui in ſanctis requieſcis, Domine, ipſe nos ſanctifica, noſque dignare tremendo tuo ſacerdotio, noſque ſiſte venerando altari tuo, cum omni conſcientiâ bonâ, cordaque noſtra purgato ab omni inquinamento. Reprobum omnem ſenſum à nobis expelle. Sanctifica mentem & animam, & da nobis ſanctorum Patrum noſtrorum ritum obſeruare cum timore tuo propitiantibus vultum tuum omni tempore. Tu enim es qui benedicis & ſanctificas vniuerſa, & tibi gloriam & gratiarum actionem ſurſum mittimus.

Diaconus. Salutate vos inuicem.

Sacerdos ſalutationi apprecatur.

Dominator Domine omnipotens, aſpice de cœlo ad Eccleſiam tuam, & ad omnem populum tuum, & totum gregem tuum, ſeruaque nos omnes indignos ſeruos tuos, oues gregis tui: nobiſque tuam largire charitatem, & tuum auxilium, & emitte nobis donum ſanctiſſimi tui ſpiritus, vt in corde puro puraque conſcientia ſalutemus nos inuicem in oſculo ſancto, non in dolo, non in hypocriſi, non alieno adhærentes inſtituto, ſed innocentes & immaculati, in vno ſpiritu, in vinculo pacis & charitatis, vnum corpus & vnus ſpiritus in vnâ fide, quemadmodum etiam vocati ſumus in vnâ ſpe vocationis noſtræ, vt occurramus omnes in diuinum & infinitum amorem in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cum quo benedictus es.

Tunc Sacerdos incenſum offert dicens.

Incenſum offertur nomini tuo. Aſſumatur ergo, quæſumus, è pauperculis manibus noſtris, qui peccatores ſumus, ad ſuper cœleſte altare tuum, in odorem ſuauitatis in propitiationem totius populi tui. Quia te decet omnis gloria, honor, adoratio, & gratiarum actio, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Et poſt Salutationem, Diaconus elatâ voce.

Ad offerendum pro more ſtate.

Sacerdos Cruce ſignans patinas & calices, elatâ voce dicit.

Credo in vnum Deum, &c.

Diaconus. Ad orationem ſtate.

Sacerdos. Pax omnibus.

Diaconus. Orate pro offerentibus.

Sacerdos Orationem propoſitionis ſubiungit.

Dominator Domine, Ieſu Chriſte, coæternum verbum æterni Patris, & Spiritus Sancti, magne Pontifex, panis qui de cœlo deſcendiſti, & eduxiſti de corruptione vitam noſtram, qui dediſti teipſum agnum immaculatum pro mundi vitâ, rogamus & obſecramus te, hominum amator Domine, oſtende faciem tuam ſuper hunc panem, & ſuper hos calices, quos ſanctiſſima menſa ſuſcipit Angelico miniſterio, Archangelicâ chori ſtatione, & ſacerdotali ſacrificio, in tuam gloriam & renouationem animarum noſtrarum, gratiâ, & miſerationibus, & humanitate vnigeniti filij tui, per quem & cum quo tibi gloria & imperium.

Populoque dicente. Et incarnatus eſt de ſpiritu ſancto *crucem facit, eodemque ſubiungente.* Crucifixus etiam pro nobis. *denuò cruce ſignat.* Et in ſpiritum ſanctum; *ttidem.* *Et expletâ fide Sacerdos cruce populum ſignat, elatâ voce pronuntians.*

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et cum ſpiritu tuo.

Sacerdos. Surſum noſtra corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino:

Populus. Dignum & iuſtum.

Diaconus. * * *

Sacerdos Anaphoram, ſeu eleuationem inchoat.

[* Forte, Stemus honestè.]

Verè quippe dignum eſt & iuſtum, ſanctumque & decorum, atque noſtris animabus vtile, qui es, ô Dominator Domine, Deus pater omnipotens, te laudibus & hymnis celebrare, tibi gratias agere, tibi confiteri per diem & noctem inceſſabili ore, non ſilentibus labris, & corde non tacito: tibi, inquam, qui feciſti cœlum & terram, quæ cœli ambitu continentur, quæque in terrâ ſunt, mare, fontes, flumina, lacus, & omnia, quæ in eis ſunt, tibique qui feciſti hominem ad imaginem & ſimilitudinem tuam: cui paradiſi quoque delicias largitus es, tranſgreſſum non aſpernatus es, neque deſeruiſti, ô bone, ſed denuò per legem reuocaſti, per Prophetas vt puerum erudiiſti, denique reformaſti & renouaſti per hoc tremendum, & viuificum, & cœleſte Sacramentum. Quæ omnia feciſti per tuam ſapientiam, lucem veram; vnigenitum filium tuum, Dominum, & Deum, & Seruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem tibi cum ipſo & Spiritu ſancto gratias agentes offerimus rationabilem & incruentam oblationem hanc, quam offerunt tibi, Domine, omnes Gentes ab ortu Solis vſque ad occaſum; à Septentrione, ad Meridiem: quia magnum nomen tuum in omnibus Gentibus, & in omni loco incenſum offertur nomini ſancto tuo, & ſacrificium, & oblatio.

Certè precamur & obſecramus, humani generis amator bone.

Memento, Domine, ſanctæ, ſoliuſque Catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ, quæ à finibus terræ ad eiuſdem fines vltimos diffunditur, omnium denique populorum, & omnium ouilium tuorum.

Pacem, quæ de cœlo eſt, vt Brabeuta, largire noſtris omnium cordibus, imò & vitæ huius pacem nobis dona.

Regem, Legiones, Principes, Senatus & concilia, populos, vicinias, introitus, & exitus noſtros in omni pace diſponito.

Rex pacis, tuam pacem da nobis, in concordiâ & charitate poſſide nos, ô Deus alium quàm te Deum non nouimus, nomen tuum nominamus, viuificato noſtras omnium animas, & non præualebit mors peccati contra nos neque contra totum populum tuum.

Ægrotos, Domine, populi tui viſitans in miſericordiâ & miſerationibus ſana. Auerte ab eis & à nobis omnem morbum & infirmitatem. Spiritum debilitatis effugato ab eis. Valetudinarios diuturnis morbis decubantes exſuſcita. Spiritibus impuris vexatos ſana; eorum qui vel carceribus, vel metallis, vel accuſationibus, vel condemnationibus, vel exiliis, vel amarâ ſeruitute, vel tributis diuexantur, miſerere, omnes liberato: quoniam tu Deus noſter, qui ſoluis compeditos, qui erigis eliſos, ſpes deſperantium, auxilium deſtitutorum, reſurrectio lapſorum, portus naufragantium, vltor afflictorum, omni animæ Chriſtianæ afflictæ & oberranti, da miſericordiam, da remiſſionem, da refrigerium. Quin & noſtros, Domine, quibus animo laboramus, morbos ſana, corporis infirmitates cura, Medice animarum & corporum; Epiſcope, ſeu Inſpector omnis carnis; viſita & ſana nos, per ſalutare tuum. Fratres noſtros peregrè profectos, vel profecturos, in omni loco dirige, ſiue per terram, ſiue flumina, ſiue lacus, ſiue vias, ſiue quouis

modo iter facientes, omnes vndique adducito ad portum tranquillum ad portum salutarem, ipse nauigationis & viæ comes eis esse dignare, suis eos redde, gaudentes gaudentibus, sanos sanis: quin & nostram, Domine, hac in vitâ peregrinationem à damno & tempestate immunem vsque in finem conseruato. Pluuias bonas ex thesauris tuis in loca demitte iis opus habentia & egentia. Lætifica & renoua earum descensu faciem terræ, vt stillicidiis eius lætetur germinans. Fluuiales aquas elicito ad iustam earum mensuram. Lætifica & renoua earum ascensu faciem terræ. Riuos eius inebria, multiplica genimina eius. Fructibus terræ, Domine benedicito, saluosque nobis & incorruptos conseruato. Exhibe nobis eos in semen & messem. Benedicito etiamnum, Domine, coronæ anni benignitatis tuæ, propter pauperes populi tui, propter viduam & propter pupillum: propter peregrinum, & propter aduenam: propter nos omnes sperantes in te, & inuocantes sanctum nomen tuum. Oculi enim omnium in te sperant, & tu das escam ipsorum in tempore opportuno. Qui das escam omni carni, imple gaudio & lætitiâ corda nostra, vt semper omnem sufficientiam habentes abundemus in omne opus bonum, in Christo Iesu Domino nostro. Rex Regum, & Domine dominantium, regnum serui tui orthodoxi & Christum amantis Regis nostri, quem super terram regnare iustum censuisti, in pace, & fortitudine, & iustitiâ, & tranquillitate, conseruato. Subiicito ei, Deus omnem hostem & aduersarium, tam nostratem quàm externum. Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium ei. Effunde frameam, & conclude aduersus eos, qui persequuntur eum. Obumbra super caput eius in die belli: fac, vt de fructu lumbi eius sedeat super sedem eius. Loquere ad cor eius bona, pro sanctâ tuâ Catholicâ & Apostolicâ Ecclesiâ, & omni Christum amante populo, vt & nos in tranquillitate eius tranquillam & quietam vitam degamus, in omni pietate & sanctitate. Animabus patrum & fratrum nostrorum, qui antea in Christi fide obdormierunt, dona requiem, Domine Deus noster, memor maiorum nostrorum, qui à sæculo sunt, Patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Episcoporum, Sanctorum, Iustorum, omnis spiritus in fide Christi defunctorum, necnon eorum, quorum hodierno die memoriam agimus, & sancti Patris nostri Marci Apostoli * & Euangelistæ, qui demonstrauit nobis viam salutis.

** Nomen auctoris Liturgiæ hic adhiberi minimè nouum videri debet, cùm id quoque factum reperiatur in Liturgiâ D. Clementis & Chrysostomi; vt exempli tantum causâ auctorum nomina inferantur: eâdemque ratione in libris legis Mosis ipsius decessus obtinetur.*

Aue gratiâ plena, Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, quia peperisti Seruatorem animarum nostrarum. *Elatâ voce* in primis sanctissimæ, intemeratæ, & benedictæ Dominæ nostræ Dei genitricis & semper virginis Mariæ.

Diaconus. Domine benedicito.

Sacerdos. Dominus benedicat tibi gratiâ suâ, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Diaconus. τὰ Δίπτυχα legit, hoc est, sacras tabulas quibus defunctorum Catalogus continetur.

Sacerdos autem se inclinans apprecatur.

Et horum omnium animabus dona requiem, Dominator, Domine Deus noster, in sanctis tuis tabernaculis, in regno tuo, largiens eis promissionum tuarum bona, quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparasti, Deus, diligentibus sanctum nomen tuum: eorum, inquam, animabus dona requiem, easque regno cœlorum dignare: nostris autem fines vitæ Christianos, & tibi beneplacitos, peccatoque carentes largire: & da nobis, vt partem & hæreditatem habeamus cum omnibus sanctis tuis, qui sacrificij oblationes offerunt. Eucharisteria, seu gratiarum agendarum munera suscipe Deus in sanctum, & cœleste, & intellectuale altare tuum, in magnitudines cœlorum, per Archangelicum ministerium tuum, eorum qui multum & parum, clam & palam & liberè offerre volunt, & non habent: & eorum, qui hodierno die oblationes obtulerunt, vt suscepisti munera iusti tui Abel. *Hic oblato incenso Sacerdos pergit.* Sacrificium Patris nostri Abrahæ, Zachariæ incensum, Cornelij eleemosynas; & viduæ minuta æra duo, suscipe insuper eorundem Eucharisteria, eisque retribue pro terrenis cœlestia, pro temporalibus æterna. Sanctissimum & beatissimum Papam N. quem præsciuisti fore, vt sibi sancta tua Catholica & Apostolica Ecclesia omnium suffragiis eligeret, necnon sanctissimum Episcopum N. nostrum conseruans. Conseruato eos, vt multis annis pacificis temporibus sancto tuo fungantur Pontificatu, cui eos præfecisti, pro sanctâ tuâ beatâque voluntate rectè dispensantes verbum veritatis. Memento etiam vbique degentium orthodoxorum Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, Cantorum, Monachorum, semper virginum, Viduarum, Laicorum. Memento, Domine, sanctæ Christi Dei nostri ciuitatis, & ciuitatis Imperatricis, & nostræ huius, omnis denique ciuitatis & regionis, & eorum, qui orthodoxâ in Christi fide eas incolunt, pacis & securitatis. Memento, Domine, omnis animæ afflictæ & vexatæ, diuinâque misericordiâ egentis, necnon conuersionis eorum, qui à rectâ viâ deerrauerunt. Memento, Domine, fratrum nostrorum, qui captiui tenentur, da eis, Domine, vt miseratione digni sint coram omnibus qui eos captiuos duxerunt. Memento, Domine, nostri quoque peccatorum, & indignorum seruorum tuorum, & peccata nostra deleto, vt bonus & benignus Deus. Memento, Domine, mei quoque humilis & abiecti peccatoris, & indigni serui tui, & peccata mea deleto, vt bonus & benignus Deus. Adesto nobis, qui sanctissimo nomini tuo ministramus. Congregationibus nostris, Domine benedicito. Idololatriam è mundo radicitus extirpato. Satanam & omnem eius operationem & nequitiam conterito sub pedibus nostris. Inimicos Ecclesiæ tuæ, Domine, vt semper, ita etiam nunc humilia: patefac eorum superbiam. Demõstra eis citò eorum imbecillitatem. Insidias eorum, præstigias eorum & versutias, quibus nos adoriuntur, infectas & irritas efficito. Exurge, Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant retrorsum omnes qui oderunt sanctum nomen tuum. Populo autem tuo fideli & orthodoxo benedic in millena millia, & decies millena millia, facientibus sanctam voluntatem tuam.

Diaconus. Qui sedetis, surgite.

Sacerdos orare pergit.

Redime vinctos, de necessitatibus suis afflictos exime, esurientes satia, desolatos consolare, errantes conuerte, in tenebris sedentes illumina, lapsos erige, instabiles confirma, ægros sana, omnes in viam salutis dirige, eosdemque in sanctum ouile tuum congrega, nos autem ab iniquitatibus nostris libera, protector noster & defensor per omnia factus.

Diaconus. Ad Orientem.

Sacerdos se inclinans orare pergit.

Tu enim es supra omne imperium, & omnem potentiam, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Tibi astant millia millium, & decies millies centena millia Sanctorum Angelorum & Archangelorum exercitus. Tibi astant honoratissima tua duo animalia, nimirum multocula Cherubim, & sex alata Seraphim, quæ duabus quidem alis facies tegunt, & duabus pedes, & duabus volant, & clamant alterum ad alterum incessabilibus vocibus, & non tacitis Theologiis, triumphalem & trisagium seu ter-sanctum hymnum; canentia, clamantia, glorificantia, vociferantia, & dicentia magnificæ tuæ gloriæ: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth. Plenum est cœlum & terra gloriâ sanctâ tuâ. *Elatâ voce* semper equidem omnes sanctificas, sed & cum omnibus te glorificantibus suscipe, Dominator Domine, nostram quoque sanctificationem qui cum ipsis te laudamus & dicimus.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus.

Sacerdos mysteria sancta signaculo crucis signat, dicens.

Plenum enim reuerà est cœlum & terra gloriâ tuâ per apparitionem Domini & Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi, fac, ô Deus, vt plenum quoque sit hoc sacrificium benedictione tuâ, per aduentum sanctissimi Spiritus tui.

Quia

Quia ipse Dominus & Deus, & summus Rex noster Iesus Christus nocte quâ tradebat seipsum pro peccatis nostris, & mortem pro omnibus subibat carne, recumbens cum sanctis suis discipulis & Apostolis, accepit panem in sanctas,& immaculatas,& inculpatas manus suas, suspiciens in cœlum ad te patrem suum Deumq; nostrum & Deum vniuersorum,gratias egit,benedixit,sanctificauit,fregit,deditque sanctis & beatis discipulis & Apostolis dicens, [*Elatâ voce*]Accipite,comedite.

Diaconus. Attendite.

Sacerdos elatâ voce.

Hoc enim est corpus meum,quod pro vobis frangitur, & distribuitur in remissionem peccatorum.

Populus. Amen.

Sacerdos autem orans ait.

Similiter & calicem, postquam cœnauit accipiens, factâque vini & aquæ commixtione, suspiciens in cœlum ad te patrem suum, Deumque nostrum & Deum vniuersorum,gratias egit,benedixit, sanctificauit,impleuit Spiritu sancto, & tradidit sanctis & beatis discipulis suis & Apostolis,dicens,[*Elatâ voce.*]

Bibite ex eo omnes.

*Diaconus.Denuò.*Attendite.

Sacerdos elatâ voce pergit.

Hic est enim sanguis meus noui Testamenti, qui pro vobis & multis effunditur, & distribuitur in remissionem peccatorum.

*Populus.*Amen.

Sacerdos sic orare pergit.

Hoc facite in meam commemorationem.Quotiescunque enim manducabitis panem hunc,& calicem hunc bibetis, mortem meam annuntiatis, & resurrectionem meam, & ascensionem confitemini, donec veniam. Mortem tuam, Dominator Domine omnipotens,cœlestis Rex vnigenite Fili, Domineque & Deus, & Seruator noster Iesu Christe,annuntiantes,& triduanam beatamq; tuam à mortuis resurrectionem confitentes, in cœlos quoque ascensionem confitemur;tuamq; à dextris Dei tui & Patris cathedram, necnon secundum & terribilem & tremendum tuum aduentum expectantes,in quo venturus es iudicare viuos & mortuos in iustitiâ,& reddere tibi, Domine Deus noster, quæ tua sunt,de tuis bonis hæc proposuimus coram te. Enimuero te rogamus & obsecramus, generis humani amator bone, vt emittas ex alto sancto tuo, ex præparato tabernaculo tuo, ex incircumscriptis sinubus tuis ipsum Paracletum spiritum veritatis, sanctum Dominum viuificantem, qui in lege, & Prophetis, & Apostolis locutus est, qui vbique adest, & omnia replet, & operatur suâ potentiâ,non tanquam minister,in quibus vult sanctificationem pro beneplacito tuo,simplex natura in partes diuisus actu, diuinorum charismatum fons, tibi consubstantialis, ex te, [filioque] procedens,in throno regni tui tecum sedens,& cum vnigenito filio tuo Domino & Deo & Seruatore nostro Iesu Christo.Emitte præterea super nos, & super panes & calices istos Spiritum sanctum tuum, vt eos sanctificet & conseruet, tanquam Deus omnipotens [*Elatâ voce*] & faciat panem quidem corpus.

Populus. Amen.

Sacerdos elatâ voce.

Calicem autem sanguinem noui Testamenti ipsius Domini & Dei, & Seruatoris, & summi Regis nostri Iesu Christi.

Diaconus. Descendite Diaconi.

Sacerdos elatâ voce.

Vt fiant omnibus nobis, qui ex iis participamus, in fidem,in sobrietatem,in medelam,in temperantiam, in sanctificationem, in renouationem animæ, corporis,& spiritus, in communionem beatitudinis vitæ æternæ, & immortalitatis,in glorificationem sanctissimi tui nominis,in remissionem peccatorum,vt tuum & in hoc,quemadmodum in vniuerso, glorificetur & laudetur,& sanctificetur sanctissimum & pretiosum, & glorificatum nomen cum Iesu Christo & sancto Spiritu.

*Populus.*Sicut erat,& est.

Sacerdos. Pax omnibus.

Diaconus. Orate.

Sacerdos tacitus orat.

Deus lucis genitor, vitæ author, gratiæ factor,sæculorum fundator, scientiæ dator, sapientiæ thesaure, sanctitatis doctor, precum purarum animæ benefactor, qui pusillanimibus in te confidentibus das, in iis quæ cupiunt Angeli, prospicere, qui eduxisti nos ex abysso ad lucem, qui dedisti nobis è morte vitam, qui largitus es nobis è seruitute libertatem, qui tenebras peccati in nobis existentes per aduentum vnigeniti tui filij soluisti, & Ipse nunc, Dominator Domine, per aduentum sanctissimi tui spiritûs, illumina oculos mentis nostræ ad percipiendum sine iudicij reatu immortalem & cœlestem hunc cibum, & sanctifica nos integrè & absolutè animâ, corpore, & spiritu:vt cum sanctis tuis discipulis & Apostolis dicamus tibi orationem hanc.

Pater noster,qui es in cœlis,&c.

[*Elatâ voce*]& dignare nos, Dominator,generis humani amator, Domine, vt cum libertate,sine iudicij reatu,in corde puro,animâ illuminatâ,inconfusâ facie,sanctificatis labris, audeamus inuocare te, qui in cœlis es, sanctum Deum Patrem & dicere.

Populus. Pater noster, &c.

Sacerdos orat.

Certè, Domine, Domine, ne Inducas nos in tentationem,sed libera nos à malo.Nouit enim multa tua misericordia,quòd tentationem ferre non possimus, præ multâ nostrâ infirmitate, sed fac etiam cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere. Tu enim dedisti nobis potestatem calcandi serpentes & scorpins, & omnem potestatem inimici, [*Elatâ voce*] quia tuum est regnum & potentia.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Diaconus. Capita vestra Iesu Christo inclinate.

*Populus.*Tibi,Domine.

Sacerdos sic orat.

Dominator Domine Deus omnipotens, qui sedes super Cherubim, & glorificaris sub Seraphim, qui ex aquis mundum extruxisti, & astrorum choris eum ornasti, qui in excelsis incorporeos Angelorum exercitus constituisti ad perennes glorificationes: tibi animarum corporumque nostrorum ceruices inclinamus, seruitutis obsequium designantes & rogamus te, vt tenebrosos peccati insultus ex cogitatione nostrâ depellas, & diuinis sancti Spiritus tui splendoribus mentem nostram exhilares, vt cognitione tui multiplicati dignè participemus iis, quæ nobis proposita sunt, bonis intemerati corporis, & pretiosi Sanguinis, vnigeniti filij tui Domini, & Dei, & Seruatoris nostri, Iesu Christi, condonans nobis omnem peccatorum speciem, per multam & inuestigabilem bonitatem tuam, gratiâ, & miserationibus, & humanitate vnigeniti filij tui, [*Elatâ voce*] per quem & cum quo tibi gloria & imperium cum sanctissimo, & bono, & viuifico spiritu tuo.

Sacerdos. Pax omnibus.

Diaconus. Cum timore Dei.

Sacerdos sic orat.

Sancte, summe, tremende, qui in sanctis requiescis, Domine sanctifica nos verbo gratiæ tuæ, & aduentu sanctissimi spiritûs tui. Tu enim dixisti, Domine, Sancti eritis,quia ego sanctus sum,Domine Deus noster,incomprehensibile Dei verbum, Patri & sancto Spiritui consubstantiale,& coæternum,& principio, vt illi carens,suscipe immortalem hymnum, qui cum Cherubim & Seraphim, & à me peccatore & indigno seruo tuo ex indignis meis labiis, clamat & dicit.

Populus. Kyrie eleison. Kyrie eleison.Kyrie eleison.

*Sacerdos elatâ voce.*Sancta Sanctis.

Populus. Vnus Pater sanctus, vnus filius sanctus, vnus Spiritus sanctus, in vnitate Spiritûs sancti, Amen.

Diaconus. Pro salute & defensione.

Sacerdos cruce signat populum, elatâ voce.

Dominus cum omnibus.

Hinc frangit Sacerdos panem, & dicit.

Laudate Deum in, &c.

Panem in frusta secat Sacerdos dicens assistentibus.

Dominus benedicat,& vobiscum ministret,per magnam, &c.

Hinc dicit Sacerdos.

Iubete.

Clerus. Spiritus sanctus iubeat & sanctificet.

Sacerdos. Ecce sanctificata sunt & consecrata.

Clerus. Vnus Pater sanctus, *ter.*

Et dicit Sacerdos.

Dominus cum omnibus.

Clerus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos dicit. Ipse benedixit eis.

Hinc participat Sacerdos Euchetes, seu Orator, pro humanitate alius.

Psal. 14.

Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum,&c.

Et cum distribuit clero, dicit.

Corpus sanctum.

Et ad calicem dicit.

Sanguis pretiosus Domini, & Dei, & Seruatoris nostri.

Hinc sacrificio completo dicit Diaconus.

Ad Orationem state.

Sacerdos. Pax omnibus.

Diaconus. Orate.

Sacerdos Orationem Eucharistiæ, seu gratiarum actionis, subiungit.

Gratias agimus tibi, Dominator Domine Deus noster, pro perceptione sanctorum, intemeratorum, immortalium,& cœlestium mysteriorum tuorum, quæ dedisti nobis in beneficium,& sanctificationem, & salutem animarum & corporum nostrorum. Certè precamur & obsecramus te, generis humani amator bone Domine, largire nobis communionem sancti corporis & pretiosi sanguinis vnigeniti Filij tui in fidem inconfusam, in charitatem non fictam, in abundantiam pietatis, in auersionem cuiusvis contrarij, in obseruationem mandatorum tuorum, in præparationem vitæ æternæ, in defensionem acceptabilem, ante tremendum tribunal Christi tui, [*Elatâ voce*] per quem & cum quo tibi gloria & imperium cum sanctissimo,& bono, & viuifico spiritu.

Deinde Sacerdos conuersus ad populum dicit,

Rex maximè, patrique coæterne, qui potentiâ tuâ infernum spoliasti,& mortem conculcasti, & fortem vinxisti, & Adam è tumulo excitasti, Deificâ tuâ virtute,& lucido splendore ineffabilis tuæ diuinitatis, ipse Domine, per sumptionem intemerati corporis tui & pretiosi sanguinis tui, emitte inuisibilem dexteram tuam plenam benedictionum,& omnibus nobis benedic, miserere, corrobora diuinâ tuâ virtute, & aufer à nobis malitiosam & peccatricem carnalis concupiscentiæ operationem, illumina intellectuales oculos nostros contra circumstantem tenebrarum nequitiam. Coniûge nos beatissimo beneplacitorum tibi conuentui, quia per te,& tecum, Patrem & sanctissimum spiritum omnis hymnus decet, honor, imperium, adoratio, & gratiarum actio, nunc, & semper,& in secula seculorum.

Diaconus. Ite in pace.

Populus. In nomine Domini.

Sacerdos [*Elatâ voce.*]

Charitas Dei & Patris, gratia filij Dominique nostri Iesu Christi, communicatio & donum sanctissimi spiritûs, sit cum omnibus nobis, nunc & semper, & in secula seculorum.

Populus. Amen.

Sit nomen Domini benedictum.

Sacerdos orat in Diaconio, hoc est, sacro Armario, seu sacristia, dicens.

Dedisti nobis, Domine, sanctificationem in participatione sanctissimi corporis & pretiosi Sanguinis vnigeniti Filij tui, da nobis gratiam & donum sanctissimi spiritûs, & custodi nos irreprehensibiles in vitâ, & deduc ad perfectam redemptionem & adoptionem, & ad futuras sempiternas fruitiones. Tu enim es sanctificatio nostra,& tibi gloriam sursum mittimus Patri, & Filio, & Spiritui sancto, nunc,& semper,& in secula seculorum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et spiritui tuo.

Et dimittit, dicens.

Benedictus Deus, qui benedicit & sanctificat,& protegit, & conseruat omnes nos per participationem sanctorum eius mysteriorum, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

MISSA APOSTOLICA,

Siue diuinum sacrificium sancti Apostoli Petri.

EDITA STVDIO, ET EX Interpretatione Guliel. Lindani Episcopi Gandauensis.

EX TOMO II. DISERTATIONVM P. Phil. Labbe in Bellarminum.

Quæ S. Petri Apostolorum Principis dicitur Liturgia seu Missa Apostolica, non indubitatæ fidei asseritur, eique multa fuisse à posterioribus inserta adtextaque identidem res ipsa loquitur.

Oratio ad panis propositum siue in Altare illationem per Diaconum.

SICVT ouis ad lanienam ductus est, & sicut agnus coram tondente ipsum, vocem non edit, sic non aperuit os suum. In humilitate eius, iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit? Patris, & Filij, & Spiritus sancti. *Quando commiscet vinum & aquam dicit.* Vnus militum lanceâ latus eius pupigit, & statim exiuit sanguis & aqua, mundi salutis scaturigo. *Post hæc orationem facit Propositionis, siue Oblationis Sacerdotalis.* Domine Deus noster, qui te ipse obtulisti pro huius mundi vitâ, respice in nos, & super panem istum & calicem hunc, & fac eum immaculatum tuum corpus, & pretiosum sanguinem in perceptionem animarum & corporum, quoniam sanctificatum atque glorificatum est ter venerandum & magnificè decorum nomen tuum, Patris, &c.

Oratio Thymiamatis, quando thurificatio peragitur.

Deus sancte, & in sanctis requiescens, lumen habitans inaccessum, ipse Domine tuâ benignâ humanitate conniue ad plurima nostra delicta: & sicuti Zachariæ suffitum Thymiamatis suscepisti, sic de manibus nostris, peccatorum, hanc suscipe thurificationem, in odorem suauitatis, atque nobiscum fac misericordiam tuam. Quoniam sanctificatum & glorificatum est ter venerandum & magnificè decorum nomen tuum, Patris, &c.

Postquam Thymiama sparsit, obsolat dona, siue sacrificium immolandum, dicens. Obtexit Domine cœlos virtus tua,& gloriæ tuæ plena est terra.

Post hæc dicit.

Dominus

Dominus regnauit, irascantur populi. Qui sedes, &c.

Tum populo aspergit Thymiama: deinde clarâ voce Diaconus.

Benedic Domine.

Sacerdos dicit.

Benedictum regnum Patris & Filij, &c.

Diaconus. In pace rogemus Dominum pro supernâ pace, Pro pace N. Pro hâc sacrâ domo, pro Patre & Patriarchâ nostro venerando N. pro Religiosiss. Augustis, vt vnà propugnent, pro ciuitate hâc, pro aëris temperie, pro nauigantibus, viatoribus, &c. Vt nos liberemur.

Sacerdos dicit precem ingressûs, vel introitûs. Here Domine Deus noster, qui in cœlis Angelorum ordines & agmina constituisti, fac vt cum introitu nostro sit sanctorum Angelorum introitus, qui vnà nobiscum ministrent, & tuam bonitatem conglorificent. Opitulare, salua, miserere. Sanctissimæ, *&c.* Quoniam te decet omnis gloria, honor, &c. *Et statim* Sapientia recta, &c. Venite adoremus, & procidamus ante ipsum. Vnigenitus Filius, & Verbum Dei, &c.

Deinde sacerdos voce clarâ dicit. Dominus vobiscum.

Populus. Et cùm spiritu tuo.

Sacerdos. Oremus. *Populus.* Domine miserere, *ter. Tum sacerdos altâ voce.* Præbe nobis Domine seruis tuis dexteram cœlestis auxilij, vt te toto corde perquirant & quæ dignè postulant, consequantur per Dominum nostrum Iesum Christum, cum quo viuis & regnas Deus noster in vnitate Spiritus sancti in sæcula. *Populus.* Amen. Sanctus Deus, Sanctus fortis. *Et interea dum populus dicit hymnum ter sanctum, precatur sacerdos*

Domine Deus omnipotens, qui solus sanctus es, & in sanctis requiescis, & à cœlestibus potestatibus ter sanctum hymnum suscipis, suscipe & de ore nostro, peccatorum, hunc ter sanctum hymnum, nobis misericordias tuas & miserationes largiens intercessionibus sanctæ genitricis Dei, & omnium sanctorum tuorum. *Sacerdos.* Attendamus. Pax omnibus. *Populus.* Et spiritui tuo. *Sacerdos.* Sapientia, &c.

Deinde legit textum Apostolicum, Alleluia, & Euangelium, & statim contentam orationem. Miserere nostri Deus. *Subditque precem contentã.* Domine Deus noster hanc contentam supplicationem, suscipe à seruis tuis, & miserere nostri secundum multitudinem misericordiæ tuæ, & miserationes tuas ad nos demitte & ad omnem populum tuum, qui diuites misericordias à te expectat. *Ac post precem & exclamationem statim dicit:* Qui Cherubim, &c. *secretè. Deinde Sacerdos precatur pro seipso, decantato Cherubico hymno, in hunc modum.* Nullus dignus est eorum, qui carnalibus cupiditatibus illigati sunt, & voluptatibus, ad te accedere, vel appropinquare, vel tibi ministrare rex gloriæ: tibi enim ministrare magnum est, & terribile ipsis etiam cœlestibus potestatibus, sed tamen propter tuam ineffabilem & immensam benignitatem citra vllam mutationem & conuersionem homo factus es, & pontifex noster appellatus es, huius ministratorij & incruenti sacrificij consecrationem nobis tradidisti, vt Dominus omnium: tu enim solus Domine Deus noster dominaris cœlestibus & terrestribus, qui super Cherubicum thronum veheris, qui Seraphim Dominus, & rex Israël, qui solus sanctus & in sanctis requiescis: te ergo rogo qui solus bonus es, & ad exaudiendum propensus, respice in me peccatorem & inutilem seruum tuum, & purga animam meam & cor meum à malâ conscientiâ, & fac me virtute sancti tui spiritus idoneum, vt sacerdotij gratiâ indutus, huic sanctæ mensæ assistam, & sanctum & impollutum corpus tuum, & sanguinem pretiosum consecrem; ad te enim accedo inclinans caput meum, & oro te ne auertas faciem tuam à me, vel me à famulis tuis reiicias, sed digneris vt à me peccatore & indigno seruo tuo hæc dona offerantur; tu enim es qui offers, & offerris, & qui suscipis & impertis, Christe Deus noster: & tibi gloriam offerimus cum Patre principij experte, & sanctissimo & bono & viuifico tuo spiritu, nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

Deinde repositis sacris [donis] in sacrâ mensâ, sacerdos lauat manus suas, dicens. Lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum, vt audiam vocem laudis tuæ. *Tum tres facit pœnitentias, dicens:* Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. *Mox Sacerdos clarâ voce* Dominus vobiscum. *Populus.* Et cum spiritu tuo. *Sacerd.* Hostia, hostia. *Populus.* Credo in vnum Deum, &c. *Sacerdos.* Stemus honestè, stemus cum reuerentiâ, &c. *Populus.* Misericordiam, pacem. *Sacerdos altâ voce.* Hostiam tibi Domine destinatam in oblationem sanctifica, & per eam nos clementer suscipe, per Dominum nostrum Iesum, Filium tuum, quo cum viuis & regnas Deus in vnitate Spiritûs sancti per omnia sæcula sæculorum. *Popul.* Amen. *Sacerd.* Sursum corda. *Popul.* Habemus ad Dominum. *Sacerd.* Gratiarum actiones submittamus Domino Deo nostro. *Popul.* Dignum & iustum est. *Sacerd.* Verè dignum & iustum, decorum est & salutare, tibi semper & vbique gratiarum actiones submittere, Domine sancte, Pater omnia gubernans, omnipotens & æterne Deus, Per Dominum nostrum Iesum Christum: per quẽ gloriam tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt potestates, cœli, cœlorumque virtutes, ac beata Seraphim sociâ exultatione deseruiunt & colunt, cum quibus & nostras voces vt suscipi iubeas deprecamur, supplici confessione dicentes: *Clara voce.* Victorialem hymnum canentes, clamãtes. *Populus.* Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. *Sacerdos deinceps orat.* Te igitur benignissime Pater per Dominum nostrum Iesum Christum supplices rogamus & deprecamur, vt accepta habeas, & benedicas hæc dona hanc oblationem, hanc sanctam hostiam, irreprehẽsam. In primis quæ tibi offerimus pro sanctâ tuâ Catholicâ & Apostolicâ Ecclesiâ. Pacificare, custodire, adunare, gubernare dignare omnes terrarum fines, vnà cum seruo tuo Papâ, & Patriarchâ nostro N. meque misero & indigno. Memento Domine seruorum tuorum, & ancillarum tuarum & omnium adstantium, quorum tibi fides nota est, & manifesta in te affectio. Qui quidem offerunt hanc hostiam laudis pro seipsis, & suis omnibus pro redẽptione animarum & corporũ, pro spe salutis & incolumitatis suæ. Tibi reddunt vota sua, æterno, & viuo Deo. Communicantes & memoriam venerantes. Aue gratiâ plena Maria, Dominus tecum, &c. *Clarâ voce.* In primis sanctæ, gloriosæ, semperque Virginis Mariæ, Genitricis Domini & Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, sed & beatorum tuorum Apostolorum & Martyrum, Petri, Pauli, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Thomæ, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis Thaddæi, Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelij, Cypriani Laurentij, Chrysogoni, Ioannis & Pauli, Cosmæ & Damiani, & omnium sanctorum tuorum. Quorum intercessioni & precibus concede vt in omnibus tuâ protectione muniamur, adiuti per Dominum nostrum Iesum Christum.

Hic commemorat dormientes.

Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctipopuli tui, quam tibi offerimus, quæsumus Domine benignè suscipe, dies nostros in pace dispone, à futurâ æternâ damnatione libera, & in electorum gregem iube connumerari, per Dominum nostrum Iesum Christum, vt in omnibus tuâ protectione quæsumus, benedictam, incircumscriptam, gratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, vt nobis corpus & sanguis fiat dilecti Filij tui, Domini verò nostri Iesu Christi. Qui pridie eius diei quâ passus est, accipiens panem in sanctas & immaculatas manus suas, oculosque in cœlum leuans ad te Deum & Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, dedit discipulis suis, dicens. *Clara voce.* Accipite, comedite. Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur.

Deinde continuat secretò. Similiter rursum, postquam cœnatum erat, accipiens calicem, & gratias agens, benedixit, dedit sanctis suis discipulis, dicens. *Clara voce.* Bibite ex eo omnes. Hic est sanguis meus. *Populus.* Amen. *Sacerdos addit.* Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facite. Vnde recordantes, Domine, nos serui tui sed & populus tuus sanctus Christi tui, Domini autem nostri & Dei, beatæque passionis, atque ab Inferis Resurrectionis, sed & gloriosæ in cœlos Ascensionis. *Clara vo-*

ce. Tua ex tuis tibi offerimus,per,&c. *Populus.* Te laudamus, Te benedicimus,&c.

Sacerdos adprecatur. Tua ex tuis offerimus venerandæ Maiestati tuæ, de donis tuis & charismatibus hostiam puram,hostiam sanctam,hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ,& calicem salutis perpetuæ. Super quæ propitio & sereno vultu respicere digneris,& accepta habere, sicuti dignatus es dona pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quemadmodum tibi obtulit primus sacerdos tuus Melchisedech sanctum sacrificium,& immaculatam hostiam, supplices te rogamus Omnipotens Deus, iube hæc administrari [*siue* in ministerium & cultum præsentari] per manum sancti Angeli tui in illud sublime altare tuum , coram diuinâ Maiestate tuâ , vt qui ex hoc altari portionem sacram corporis Filij tui siue sanguinis sumpserimus,omni cœlesti benedictione & gratiâ repleamur , per Dominum nostrum Iesum Christum. *Clarâ voce.* In primis memento Domine Archiepiscopi.

Hic commemorat viuos. Nobis igitur peccatoribus & indignis famulis tuis,in multitudine tuæ miserationis sperantibus,portionem aliquam & societatem largiri digneris,cum sanctis Apostolis tuis & martyribus,cum Ioanne, Stephano, * Matthæo, Barnaba, Ignatio Alexandro, Marcellino,Petro,Felicitate, Perpetuâ,Agathâ,Luciâ,Agnete, Cęciliâ,Anastasiâ,Barbarâ,Iulianâ,gloriosissimorum Martyrum quadraginta, & omnium tuorum sanctorum. Quibuscum nos socia , non actiones considerans , sed remissionis peccatorum , quæsumus , veniam dona per Iesum Christum Dominum nostrum,per quem hæc omnia,Domine,bona semper præbes,sanctificas,viuificas,benedicis, & præstas nobis. [*Tenensque panem sacerdos signat calicem dicens:*]Per ipsum,& cum ipso,& in ipso est tibi Deo & Patri omnipotenti in vnitate Spiritus sancti omnis honor & gloria. *Clarâ voce.* In sæcula sæculorum. *Populus.* Amen. *Sacerdos Clarâ voce.* Oremus. *Populus.* Kyrie eleison. *Ter. Sacerdos Clarâ voce.* Diuinâ doctrinâ eruditi, & salutaribus admonitionibus docti, audemus dicere. *Populus.* Pater noster. *Sacerdos Clarâ voce.* Quoniam tuum est regnum,& potestas,& gloria. Pax omnibus. Capita. *Sacerdos adprecatur.* Libera nos, quæsumus Domine, ab omni malo,præsente,ac futuro, intercessionibus immaculatæ & gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ , semperque Virginis Mariæ, beatorum tuorum gloriosorum Apostolorum Petri & Pauli,omnium sanctorum tuorum, concede pacem in cordibus nostris,vt protectione miserationis tuæ adiuti,ex nostris eruamur peccatis , & ab omni perturbatione inueniamur securi , Per Dominum nostrum Iesum Christum,cum quo viuis & regnas Deus noster in vnitate Spiritus sancti, *Clarâ voce*, in omnia sæcula sæculorum. *Populus.* Amen.

*forsà legendum Matthiâ.

Sacerdos orat. Intende Domine Iesu Christe, Deus noster , de sancto habitaculo tuo & de throno gloriæ regni tui,& veni ad eos sanctificandos, qui supra cum Patre sedes,& hic nobiscum inuisibiliter versaris : & dignare potenti manu tuâ impertiri nobis impollutum corpus tuum & pretiosum sanguinem, & per nos toti populo.

Diaconus. Attendamus. *Sacerdos sustollit panem, dicens:* Sancta sanctis. *Populus.* Vnus Pater sanctus , vnus Filius sanctus , vnus Spiritus sanctus , in vnitate Spiritus sancti, Amen. *Deinde legit Communionem.* [*Orationem qua ad sacram Eucharistiæ participationem Populum præparat.*] Agnus Dei qui tollis peccata mundi , miserere nobis. *Postquam omnes communionem acceperunt, Thymiama spargit, dicens:* Exaltare super cœlos Deus , & super omnem terram gloria tua. *Et post Thymiama sparsum , Clarâ voce.* Benedictus semper Deus noster , nunc, & semper , & in omnia sæcula,&c. *Populus.* Impleatur os nostrum. *Diaconus.* Erecti qui diuinorum,immaculatorum,cœlestium, viuificorum,tremendorum mysteriorum fuimus participes, dignè in omnibus gratias agamus Domino. *Tum illud,* suscipe,salua. *Tum orat Sacerdos.* Hæc nos,Domine,quæsumus , communio purget ab omni inquinamento carnis & spiritus , & cœlestium bonorum faciat esse consortes: Per Dominum nostrum Iesum Christum, Quo cum viuis & regnas Deus in vnitate Spiritus sancti in sæcula sæculorum. *Clarâ voce.* Quoniam tu es sanctificatio nostra, & tibi gloria. *Populus.* Amen. *Diaconus.* In pace procedamus. *Sacerdos retro precatur.* Benedictus Deus per quem immaculatum corpus & sanguinem ipsius participare dignati sumus, ipse benedicat & custodiat nos omnes,& dignos faciat cœlesti suo regno , nunc & semper, & in omnia sæcula sæculorum, Amen. *Deinde*, Plenitudo legis & Prophetarum, &c.

SANCTI BARNABÆ APOSTOLI (VT FERTVR) EPISTOLA CATHOLICA

Ab antiquis olim Ecclesiæ Patribus, sub eiusdem nomine laudata & vsurpata.

Hanc primùm è Tenebris eruit, P.R. Dominus Hugo Menardus Monachus Congregationis S. Mauri in Galliâ.

LECTORI.

CVM in Philastrij Episcopi Brixiẽsis volumen manuscriptum è Corbeiensi Monasterio incidisset aliquando R.P. Hugo Menardus ibidem proximè post Epistolam Tertulliani de cibis Iudaïcis , Barnabæ nomine insignitam Epistolam vnà cum Iacobi Apostoli Epistolâ deprehendit; moxque in animum induxit, eam vt ex puluere & squallore excuteret. At quia ex infra nominandis Patribus hic Epistolâ Barnabam , seu quemuis alium græce fuisse locutum haud dubiè didicerat, hæsit non parum implicatus, nec eiusmodi monumentum, sic imperfectum ac neuis scatẽs (vt illa, quâ codex exscriptus est, ætas ferebat) in publicũ ausus est inferre. Verum suppetias tãdem attulit doctissimus Sirmundus Societatis IESV presbyter : Is quippe de apographo Græco, quod Romæ inter ms. & schedas R. P. Turriani eruditione , ac rerum multarum scientiâ clarissimi , repererat, libentissimè accommodauit Menardo. Vnde autem exscripserit apographum Turrianus ? res est nobis prorsus ignota. At verò velut genuinam nomine Barnabæ Epistolam ab antiquis scriptoribus laudatam atque vsurpatam, versio ipsa Latina manu antiquâ sine dubio ante annum nongentesimum scriptã persuadet ; cum fermè continuo textui græco respondeat in omnibus. Præterea sententiæ iisdem verbis, quibus in apographo, à Clemente Alexandrino, & aliis passim afferuntur , eandem esse fidem faciunt.

DE SANCTO BARNABA, ET EIVS EPISTOLA.

SANCTVS Barnabas natione Cyprius, gente Iudæus, tribu Leuites, qui & Ioseph appellatus, vnus è Septuaginta duobus Christi discipulis fuit, vt docent Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum: & Eusebius lib. 1. hist. Eccl. cap. 12. & lib. 2. cap. 1. Agrum quem habebat vendidit, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum , vt scribitur Act. 4. vnà cum sancto Paulo gentium Apostolus declaratus est à Prophetis & Doctoribus , qui erant Antiochiæ , Spiritu sancto reuelante Act. 13. Multas terras & maria obiuit ad Christi fidem disseminandam, multis ac variis exantlatis laboribus. Multas Ecclesias fundauit, inter quas Mediolanensem. De tempore quo passus est, nihil certi statui potest, cum nullus alicuius notæ scriptor antiquus suppetat , qui de illius morte scripserit , vt notat Baronius. Ferunt quandam ab eo scriptam esse epistolam , quæ inter Canonicas scripturas non habetur, quam etsi citent Clemens Alexandrinus & Origenes , tamen inter scripturas dubias , nothas & apocryphas connumeratur , cum nunquam Ecclesiæ auctoritate pro Canonicâ recepta sit. Quod satis experientiâ constat, & ex Eusebio lib. 3. hist. Ecclesiasticæ cap. 19. qui eam inter scripturas minime genuinas recenset. *Inter*

scripturas minime legitimas annumerantur acta Pauli, & liber qui vocatur Pastor, & Apocalypsis Petri, quibus additur quæ fertur nomine Barnabæ epistola. Idem censet Diuus Hieronymus lib. de scriptoribus Ecclesiasticis. *Barnabas Cyprius, qui & Ioseph Leuites cum Paulo gentium Apostolus ordinatus vnam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem epistolam composuit, quæ inter apocryphas scripturas legitur*, & & lib.13. commentariorum in Ezechielem cap.43. *Vitulum autem qui pro nobis immolatus est, & multa scripturarum loca, & præcipuè Barnabæ epistola, quæ habetur inter scripturas apocryphas, nominat.* Eiusdem sententiæ est Nicephorus Callistus lib.2.cap.46. & lib.4. cap.33. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus in Canone scripturarum eam inter scripturas noui testamenti, ὅσαι ἀντιλέγονται, id est, quibus contradicitur, recenset, non vero inter apocryphas. De illâ tacet Synodus Romana sub Gelasio Papâ sola Barnabæ Euangelij factâ mentione, quod inter scripturas apocryphas connumerat. Illius sæpe meminit Alexandrinus, multosque ex eâ profert locos, quemadmodum & Origenes, eam quoque citat sanctus Gregorius Nazianzenus in Philocaliâ. Sanctus Hieronymus in libro de interpretatione nominum Hebraicorum post explicationem eorum, quæ reperiuntur in Apocalypsi, interpretatur ea quæ extant in sancti Barnabæ epistolâ, Hoc modo. *De epistolâ Barnabæ Abraham Pater videns populum, &c.* Hi sunt veteres auctores, qui de hâc epistolâ scripserunt, aut meminerunt. Quæ quidem iure inter scripturas apocryphas à citatis auctoribus connumeratur, tum quia, an Barnabæ sit incertum est: tum quia in eâ quædam reperiuntur, quæ difficultate minime carent. Siquidem nonnullæ sunt in eâ salebræ, ad quas minus cauti offendere possint, quamquam benignam explicationem possint admittere. Non hoc tamen dico, quasi velim eam ab omni næuo pertinacius excusare, quemadmodum hodie video nonnullos, qui vetera quædam monumenta à se edita, continentia meras aniculatum nænias, seu potius ægroti veteris somnia, quæ ad primum intuitum viris doctis nauseam moueant, tantâ animi contentione (quamuis sine ratione) defendere conantur, vt velint ea scriptorum omnium veterum ac recentiorum auctoritati præferri. Nec id mouere quemquam debet, quod Clemens Alexandrinus, & Origenes, cum hanc citant epistolam, nunquam eam apocrypham esse dixerint. Siquidem eiusmodi auctores sæpe vtuntur apocryphis: vt libro Enoch, Pastoris, Matthiæ traditionum libro, Petri Apocalypsi, Euangelio Ægyptiorum, & similibus. Vnum tamen certum est hanc epistolam, quæ modo à nobis exit, eam esse quam sanctus Hieronymus, Clemens Alexandrinus, & Origenes olim præ manibus habuerunt, cum omnes locos ab illis ex eâ citatos, in hâc quam edimus, epistolâ, reperire liceat, vno excepto, qui profertur à Clemente Alexandrino lib. 6. Stromatum, cum exponens hunc Psalmistæ locum: *Hæc porta Domini, iusti intrabunt per eam*, sic ait: *enarrans dictum Prophetæ, Barnabas infert: cum multæ portæ sint apertæ, quæ est iustitia, ea est in Christo, in quam beati sunt omnes, qui sunt ingressi.* Sed puto, aut lapsum esse memoriâ Clementem Alexandrinum, aut certe locum esse deprauatum, & legendum esse Κλήμης, non Βαρνάβας. Nam hic locus habetur in epistolâ sancti Clementis ad Corinthios, vbi idem locus Psalmistæ exponitur: hæc porta Domini iusti intrabunt in eam. Cum igitur multæ portæ apertæ sint, quæ in iustitiâ est, eadem, & in Christo est, in quam beati omnes qui intrarunt.

Cum autem hæc vnica feratur sancti Barnabæ epistola, notandum tamen esse putaui epistolam sancti Pauli ad Hebræos à Tertulliano libro de pudicitiâ sancto Barnabæ attribui, vt clarum est ex eius verbis. *Extat enim & Barnabæ titulus ad Hebræos, adeo satis auctoritatis viro, vt quẽ Paulus iuxta se constituerit in abstinentiæ tenore: aut ego solus, aut Barnabas, non habemus hoc operandi potestatem: & vtique receptior apud Ecclesias Barnabæ epistola illo apocrypho Pastore Mœchorum. Monens itaque discipulos, omissis omnibus initiis, ad perfectionem magis tendere; nec rursus fundamenta pœnitẽtiæ iacere ab operibus mortuorum: Impossibile enim, inquit, eos qui semel illuminati sunt, & donũ cæleste gustauerunt & participauerunt Spiritum sanctum, & verbum Dei dulce gustauerunt, &c.* Quæ verba legere licet in epistolâ Pauli ad Hebræos c.6. Hinc capiendus est Philastrius lib. de hæresibus c.60. *Sunt alij qui epistolam beati Pauli ad Hebræos non asserunt esse, sed dicunt, aut Barnabæ esse beati Apostoli, aut Clementis.* Vbi haud dubie Tertullianum intelligit. Sed de his satis: nunc restat, vt de illius argumento siue subiecto breuiter agam.

Cum Iudæi quidam ad fidem Christi conuersi galatizarentur (vt cum Tertulliano loquar) hoc est, legem Mosaicam vnà cum Euangelio retinendam esse putarent, idque multis Christianis persuaderẽt, sanctus Barnabas, siue quis alius, sanctum Paulum imitatus eorum doctrinâ hâc epistolâ conuellere conatur, docetque multis scripturæ locis ac figuris legem Moysi iam abrogatam esse, eique Euangelium successisse. Hic est huius epistolæ scopus, ad quem nonnulla hîc, quæ non sunt προηγουμένου, seu præcipui argumenti, sed veluti secundarij tractatus, vt de aduentu Christi, passione, &c. referuntur: nam illius gratiâ tractantur, cum ad eius intelligentiam non parum conferant, iuxta morem Oratorum, qui interdum aliò digrediũtur, non inutiliter quidem, cum id plenioris elucidationis gratiâ facere soleãt. Sub finem epistolæ multa docet Christianos, quæ ad vitam recte instituendam plurimum inducunt. Hinc fit, vt hæc epistola in duas partes commode distribui possit: quarum altera est didascalica: quæ multis argumentis docet nullum esse amplius legis Mosaicæ, & Iudaïcarum cæremoniarum vsum: altera parænetica, in qua præclara & vtilia monita salutis & præcepta dantur.

Prior pars capita duodecim complectitur. In primo de cessatione sacrificiorum Mosaicæ legis agitur; in secundo de ieiuniorum eiusdem legis abolitione, in tertio agitur de instantibus calamitatibus, admonenturque fideles, ac virtutum studium, quod Iudæi suis ieiuniis & cæremoniis postponebant: In quarto tractatur de Christi aduentu, missione Apostolorum, Christi passione & exaltatione, in quinto de hominis reparatione disputatur, in sexto rursus de Christi passione, & de quibusdam illius circunstantiis in septimo de antiquatione circuncisionis veteris, & de circuncisione aurium & cordis. In octauo de escis prohibitis in veteri lege, deque illarum mysticâ interpretatione in nono de baptismo & cruce: in decimo de reprobatione populi Iudaici, & gentilium electione: in vndecimo de abrogatione sabbathi Iudaici: in duodecimo de templi Iudaici repudiatione ac demolitione, & de templi spiritalis ædificatione.

Secunda pars duobus capitibus absoluitur. In primo agitur de viâ lucis, hoc est, de iis quæ Christiano agenda sunt; in altero de viâ tenebrarum, hoc est, de iis, quæ animæ fideli fugienda ac vitanda sunt: tum demum sequitur epilogus.

Hæc autem epistola ab Origene lib. 1. contra Celsum sub finem, Catholica, id est, vniuersalis appellatur: *Extat sanè in Barnabæ Catholicâ epistolâ scriptum, &c.* quia non ad vnam certam gentem, aut nationem scripta est, sed ad omnes Christianos: *ita enim diffiniuntur Catholicæ Apostolorum epistolæ, vt manifestum ex Leontio libro de sectis cap. 2 Catholicæ dictæ sunt, quod non ad vnam scriptam sunt gentem, vt Pauli epistolæ, sed generaliter ad omnes.*

S. BARNABÆ EPISTOLA CATHOLICA.

AVETE filij & filiæ, in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui nos dilexit, in pace. Magnarum & honestarum rerum Dei æquitate abundantium sciens esse in vobis supra modum exhilaror beatis & præclaris spiritibus vestris; quod sic naturalem gratiam accepistis. Propter quod plurimum gratulor mihi sperans liberari: quia verè video in vobis infusum spiritum ab honesto fonte Dei. Cum persuasum mihi sit hoc & plenius sciam, quia dum vos alloquor multa mihi bona successerunt in viâ æquitatis Domini. Ideo fortian &

ce. Tua ex tuis tibi offerimus,per,&c. *Populus.* Te laudamus, Te benedicimus,&c.

Sacerdos adprecatur. Tua ex tuis offerimus venerandæ Maiestati tuæ, de donis tuis & charismatibus hostiam puram,hostiam sanctam,hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ,& calicem salutis perpetuæ.Super quæ propitio & sereno vultu respicere digneris,& accepta habere, sicuti dignatus es dona pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quemadmodum tibi obtulit primus sacerdos tuus Melchisedech sanctum sacrificium,& immaculatam hostiam, supplices te rogamus Omnipotens Deus, iube hæc administrari [*siue* in ministerium & cultum præsentari] per manum sancti Angeli tui in illud sublime altare tuum ,coram diuinâ Maiestate tuâ, vt qui ex hoc altari portionem sacram corporis Filij tui siue sanguinis sumpserimus,omni cœlesti benedictione & gratiâ repleamur, per Dominum nostrum Iesum Christum. *Clarâ voce.* In primis memento Domine Archiepiscopi.

Hic commemorat viuos. Nobis igitur peccatoribus & indignis famulis tuis,in multitudine tuæ miserationis sperantibus,portionem aliquam & societatem largiri digneris,cum sanctis Apostolis tuis & martyribus,cum Ioanne, Stephano, * Matthæo, Barnaba, Ignatio Alexandro, Marcellino,Petro,Felicitate, Perpetuâ,Agathâ,Luciâ,Agnete, Cęciliâ,Anastasiâ,Barbarâ,Iulianâ,gloriosissimorum Martyrum quadraginta, & omnium tuorum sanctorum. Quibuscum nos socia , non actiones considerans , sed remissionis peccatorum , quæsumus , veniam dona per Iesum Christum Dominum nostrum,per quem hæc omnia,Domine,bona semper præbes,sanctificas,viuificas,benedicis, & præstas nobis. [*Tenensque panem sacerdos signat calicem dicens:*]Per ipsum,& cum ipso,& in ipso est tibi Deo & Patri omnipotenti in vnitate Spiritus sancti omnis honor & gloria. *Clarâ voce.* In sæcula sæculorum. *Populus.* Amen.*Sacerdos Clarâ voce.* Oremus.*Populus.* Kyrie eleison. *Ter.Sacerdos Clarâ voce.* Diuinâ doctrinâ eruditi, & salutaribus admonitionibus docti, audemus dicere. *Populus.* Pater noster. *Sacerdos Clarâ voce.*Quoniam tuum est regnum,& potestas,& gloria.Pax omnibus.Capita.*Sacerdos adprecatur.* Libera nos, quæsumus Domine, ab omni malo,præsente,ac futuro, intercessionibus immaculatæ & gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ , semperque Virginis Mariæ, beatorum tuorum gloriosorum Apostolorum Petri & Pauli,omnium sanctorum tuorum, concede pacem in cordibus nostris,vt protectione miserationis tuæ adiuti,ex nostris eruamur peccatis , & ab omni perturbatione inueniamur securi , Per Dominum nostrum Iesum Christum,cum quo viuis & regnas Deus noster in vnitate Spiritus sancti,*Clarâ voce*,in omnia sæcula sæculorum.*Populus.* Amen.

fortè legendum Matthiâ.

Sacerdos orat. Intende Domine Iesu Christe, Deus noster , de sancto habitaculo tuo & de throno gloriæ regni tui,& veni ad eos sanctificandos, qui supra cum Patre sedes,& hîc nobiscum inuisibiliter versaris : & dignare potenti manu tuâ impertiri nobis impollutum corpus tuum & pretiosum sanguinem, & per nos toti populo.

Diaconus. Attendamus. *Sacerdos sustollit panem,dicens:* Sancta sanctis. *Populus.* Vnus Pater sanctus , vnus Filius sanctus , vnus Spiritus sanctus , in vnitate Spiritus sancti, Amen.*Deinde legit Communionem.* [*Orationem qua ad sacram Eucharistiæ participationem Populum preparat.*] Agnus Dei qui tollis peccata mundi , miserere nobis. *Postquam omnes communionem acceperunt, Thymiama spargit, dicens:* Exaltare super cælos Deus , & super omnem terram gloria tua. *Et post Thymiama sparsum , Clarâ voce.* Benedictus semper Deus noster , nunc, & semper , & in omnia sæcula,&c.*Populus.* Impleatur os nostrum. *Diaconus.*Erecti qui diuinorum,immaculatorum,cœlestium,viuificorum,tremendorum mysteriorum fuimus participes, dignè in omnibus gratias agamus Domino. *Tum illud,* suscipe,salua. *Tum orat Sacerdos.* Hæc nos,Domine,quæsumus , communio purget ab omni inquinamento carnis & spiritus , & cœlestium bonorum faciat esse consortes: Per Dominum nostrum Iesum Christum, Quo cum viuis & regnas Deus in vnitate Spiritus sancti in sæcula sæculorum. *Clarâ voce.* Quoniam tu es sanctificatio nostra, & tibi gloria.*Populus.*Amen. *Diaconus.*In pace procedamus. *Sacerdos retro precatur.* Benedictus Deus per quem immaculatum corpus & sanguinem ipsius participare dignati sumus, ipse benedicat & custodiat nos omnes,& dignos faciat cœlesti suo regno , nunc & semper, & in omnia sæcula sæculorum, Amen. *Deinde* , Plenitudo legis & Prophetarum, &c.

SANCTI BARNABÆ APOSTOLI (VT FERTVR)

EPISTOLA CATHOLICA

Ab antiquis olim Ecclesiæ Patribus, sub eiusdem nomine laudata & vsurpata.

Hanc primum è Tenebris eruit, P.R. Dominus Hugo Menardus Monachus Congregationis S. Mauri in Galliâ.

LECTORI.

CVM in Philastrij Episcopi Brixiẽsis volumen manuscriptum è Corbeiensi Monasterio incidisses aliquando R.P.Hugo Menardus ibidem proximè post Epistolam Tertulliani de cibis Iudaïcis , Barnaba nomine insignitam Epistolam vnà cum Iacobi Apostoli Epistolâ deprehendis;moxque in animum induxis,eam vt ex puluere & squallore excuteres. At quia ex infra nominandis Patribus hãc Epistolã Barnabam , seu quemuis alium græcè fuisse locutum haud dubiè didiceras, hæsis non parum implicatus, nec eiusmodi monumentum,sic imperfectum ac næuis scatẽs (vt illa,quâ codex exscriptus est,ætas ferebat) in publicũ ausus est inferre.Verum suppetias tãdem attulit doctissimus Sirmundus Societatis IESV *presbyter : Is quippe de apographo Græco, quod Romæ inter ms. & schedas R. P. Turriani eruditione , ac rerum multarum scientiâ clarissimi , repererat, liberalissimè accommodauit Menarde. Vnde autem ex scripseris apographum Turrianus ? res est nobis prorsus ignota. At vero veluti genuinam nomine Barnabæ Epistolam ab antiquis scriptoribus laudatam atque vsurpatam,versio ipsa Latina manu antiquâ sine dubio ante annum nongentesimum scriptã persuadet ; cum fermè continuo textui græco respondeat in omnibus. Præterea sententiæ iisdem verbis, quibus in apographo,à Clemente Alexandrino,& aliis passim afferuntur , eandem esse fidem faciunt.*

DE SANCTO BARNABA, ET EIVS EPISTOLA.

SANCTVS Barnabas natione Cyprius, gente Iudæus, tribu Leuites, qui & Ioseph appellatus, vnus è Septuaginta duobus Christi discipulis fuit, vt docent Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum: & Eusebius lib.1. hist. Eccl. cap.12.& lib.2. cap.1.Agrum quem habebat vendidit, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum , vt scribitur Act. 4. vnà cum sancto Paulo gentium Apostolus declaratus est à Prophetis & Doctoribus, qui erant Antiochiæ , Spiritu sancto reuelante Act.13. Multas terras & maria obiuit ad Christi fidem disseminandam,multis ac variis exantlatis laboribus. Multas Ecclesias fundauit, inter quas Mediolanensem.De tempore quo passus est, nihil certi statui potest, cum nullus alicuius notæ scriptor antiquus suppetat , qui de illius morte scripserit , vt notat Baronius. Ferunt quandam ab eo scriptam esse epistolam , quæ inter Canonicas scripturas non habetur, quam etsi citent Clemens Alexandrinus & Origenes , tamen inter scripturas dubias , nothas & apocryphas connumeratur , cum nunquam Ecclesiæ auctoritate pro Canonicâ recepta sit.Quod satis experientiâ constat, & ex Eusebio lib.3. hist. Ecclesiasticæ cap.19. qui eam inter scripturas minime germanas recenset. *Inter*

scripturas

scripturas minime legitimas annumerantur acta Pauli, & liber qui vocatur Pastor, & Apocalypsis Petri, quibus additur quæ fertur nomine Barnabæ epistola. Idem censet Diuus Hieronymus lib. de scriptoribus Ecclesiasticis. *Barnabas Cyprius, qui & Ioseph Leuites cum Paulo gentium Apostolus ordinatus vnam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem epistolam composuit, quæ inter apocryphas scripturas legitur,* & & lib. 13. commentariorum in Ezechielem cap. 43. *Vitulum autem qui pro nobis immolatus est, & multa scripturarum loca, & præcipuè Barnabæ epistola, quæ habetur inter scripturas apocryphas, nominat.* Eiusdem sententiæ est Nicephorus Callistus lib. 2. cap. 46. & lib. 4. cap. 33. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus in Canone scripturarum eam inter scripturas noui testamenti, *ὅσαι ἀντιλέγονται*, id est, quibus contradicitur, recenset, non vero inter apocryphas. De illâ tacet Synodus Romana sub Gelasio Papâ sola Barnabæ Euangelij factâ mentione, quod inter scripturas apocryphas connumerat. Illius sæpe meminit Alexandrinus, multísque ex eâ profert locos, quemadmodum & Origenes, eam quoque citat sanctus Gregorius Nazianzenus in Philocaliâ. Sanctus Hieronymus in libro de interpretatione nominum Hebraicorum post explicationem eorum, quæ reperiuntur In Apocalypsi, interpretatur ea quæ extant in sancti Barnabæ epistolâ, Hoc modo. *De epistolâ Barnabæ Abraham Pater videns populum, &c.* Hi sunt veteres auctores, qui de hâc epistolâ scripserunt, aut meminerunt. Quæ quidem iure inter scripturas apocryphas à citatis auctoribus connumeratur, tum quia, an Barnabæ sit incertum est: tum quia in eâ quædam reperiuntur, quæ difficultate minime carent. Siquidem nonnullæ sunt in eâ salebræ, ad quas minus cauti offendere possint, quamquam benignam explicationem possunt admittere. Non hoc tamen dico, quasi velim eam ab omni næuo pertinacius excusare, quemadmodum hodie video nonnullos, qui vetera quædam monumenta à se edita, continentia meras nutricularum nænias, seu potius ægroti veteris somnia, quæ ad primum intuitum viris doctis nauseam moueant, tantâ animi contentione (quamuis sine ratione) defendere conantur, vt velint ea scriptorum omnium veterum ac recentiorum auctoritati præferri. Nec id mouere quemquam debet, quod Clemens Alexandrinus, & Origenes, cum hanc citant epistolam, nunquam eam apocrypham esse dixerint. Siquidem eiusmodi auctores sæpe vtuntur apocryphis: vt libro Enoch, Pastoris, Matthiæ traditionum libro, Petri Apocalypsi, Euangelio Ægyptiorum, & similibus. Vnum tamen certum est hanc epistolam, quæ modo à nobis exit, eam esse quam sanctus Hieronymus, Clemens Alexandrinus, & Origenes olim præ manibus habuerunt, cum omnes locos ab illis ex eâ citatos, in hâc quam edimus, epistolâ, reperire liceat, vno excepto, qui profertur à Clemente Alexandrino lib. 6. Stromatum, cum exponens hunc Psalmistæ locum: *Hæc porta Domini, iusti intrabunt per eam,* sic ait: *enarrans dictum Prophetæ, Barnabas infert: cum multæ portæ sint apertæ, quæ est iustitia, ea est in Christo, in quam beati sunt omnes, qui sunt ingressi.* Sed puto, aut lapsum esse memoriâ Clementem Alexandrinum, aut certe locum esse deprauatum, & legendum esse Κλήμης, non Βαρνάβας. Nam hic locus habetur in epistolâ sancti Clementis ad Corinthios, vbi idem locus Psalmistæ exponitur: hæc porta Domini iusti intrabunt in eam. Cum igitur multæ portæ apertæ sint, quæ in iustitiâ est, eadem, & in Christo est, in quam beati omnes qui intrarunt.

Cum autem hæc vnica feratur sancti Barnabæ epistola, notandum tamen esse putaui epistolam sancti Pauli ad Hebræos à Tertulliano libro de pudicitiâ sancto Barnabæ attribui, vt clarum est ex eius verbis. *Extat enim & Barnabæ titulus ad Hebræos, adeo satis auctoritatis viro, vt quē Paulus iuxta se constituerit in abstinentiæ tenore: aut ego solus, aut Barnabas, non habemus hoc operandi potestatem: & vtique receptior apud Ecclesias Barnabæ epistola illo apocrypho Pastore Mœchorum. Monens itaque discipulos, omissis omnibus initiis, ad perfectionem magis tendere; nec rursus fundamenta pœnitentiæ iacere ab operibus mortuorum: Impossibile enim, inquit, eos qui semel illuminati sunt, & donū cæleste gustauerunt & participauerunt Spiritum sanctum, & verbum Dei dulce gustauerunt, &c.* Quæ verba legere licet in epistolâ Pauli ad Hebræos c. 6. Hinc capiendus est Philastrius lib. de hæresibus c. 60. *Sunt alij qui epistolam beati Pauli ad Hebræos non asserunt esse, sed dicunt, aut Barnabæ esse beati Apostoli, aut Clementis.* Vbi haud dubie Tertullianum intelligit. Sed de his satis: nunc restat, vt de illius argumento siue subiecto breuiter agam.

Epistolæ argumentum. Cum Iudæi quidam ad fidem Christi conuersi galaticarentur (vt cum Tertulliano loquar) hoc est, legem Mosaïcam vnà cum Euangelio retinendam esse putarent, idque multis Christianis persuaderēt, sanctus Barnabas, siue quis alius, sanctum Paulum imitatus eorum doctrinā hâc epistolâ conuellere conatur, docetque multis scripturæ locis, ac figuris legem Moysi iam abrogatam esse, eique Euangelium successisse. Hic est huius epistolæ scopus, ad quem nonnulla hîc, quæ non sunt προηγούμενα, seu præcipui argumenti, sed veluti secundarij tractatus, vt de aduentu Christi, passione, &c. referuntur: nam illius gratiâ tractantur, cum ad eius intelligentiam non parum conferant, iuxta morem Oratorum, qui interdum aliò digrediūtur, non inutiliter quidem, cum id plenioris elucidationis gratiâ facere soleāt. Sub finem epistolæ multa docet Christianos, quæ ad vitam rectè instituendam plurimum inducunt. *Epistolæ diuisio.* Hinc fit, vt hæc epistola in duas partes commode distribui possit: quarum altera est didascalica: quæ multis argumentis docet nullum esse amplius legis Mosaicæ, & Iudaïcarum cæremoniarum vsum: altera parænetica, in quâ præclara & vtilia monita salutis & præcepta dantur.

Prior pars epistolæ. Prior pars capita duodecim complectitur. In primo de cessatione sacrificiorum Mosaicæ legis agitur; in secundo de ieiuniorum eiusdem legis abolitione, in tertio agitur de instantibus calamitatibus, admonenturque fideles, ad virtutum studium, quod Iudæi suis ieiuniis & cæremoniis postponebant: In quarto tractatur de Christi aduentu, missione Apostolorum, Christi passione & exaltatione, in quinto de hominis reparatione disputatur, in sexto rursus de Christi passione, & de quibusdam illius circunstantiis, in septimo de antiquatiōne circumcisionis veteris, & de circumcisione aurium & cordis. In octauo de escis prohibitis in veteri lege, deque illarum mysticâ interpretatione: in nono de baptismo & cruce: in decimo de reprobatione populi Iudaici, & gentilium electione: in vndecimo de abrogatione sabbathi Iudaici: in duodecimo de templi Iudaici repudiatione ac demolitione, & de templi spiritalis ædificatione.

Secunda pars epistolæ. Secunda pars duobus capitibus absoluitur. In primo agitur de viâ lucis, hoc est, de iis quæ Christiano agenda sunt; in altero de viâ tenebrarum, hoc est, de iis, quæ animæ fideli fugienda ac vitanda sunt: tum demum sequitur epilogus.

Hæc autem epistola ab Origene lib. 1. contra Celsum sub finem, Catholica, id est, vniuersalis appellatur: *Extat sanè in Barnabæ Catholicâ epistolâ scriptum,* &c. *quia non ad vnam certam gentem, aut nationem scripta est, sed ad omnes Christianos: ita enim diffiniuntur Catholicæ Apostolorum epistolæ, vt manifestum ex Leontio libro de sectis cap. 2. Catholicæ dictæ sunt, quod non ad vnam scriptam sunt gentem, vt Pauli epistolæ, sed generaliter ad omnes.*

S. BARNABÆ EPISTOLA CATHOLICA.

AVETE filij & filiæ, in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui nos dilexit, in pace. Magnarum & honestarum rerum Dei æquitate abundantiam sciens esse in vobis supra modum exhilaror beatis & præclaris spiritibus vestris; quod sic naturalem gratiam accepistis. Propter quod plurimum gratulor mihi, sperans liberari: quia verè video in vobis infusum spiritum ab honesto fonte Dei. Cum persuasum mihi sit hoc, & plenius sciam, quia dum vos alloquor multa mihi bona successerunt in viâ æquitatis Domini. Ideo forsan & ego

ergo cogito diligere vos super animam meam: quia magnitudo fidei & dilectio habitat in illo, & spes vitæ. Cogitans ergo (quasi curæ mihi fuerit, vt vobiscum partiar ex eo quod accepi) futurum mihi hoc in mercede, talibus spiritu seruiens, appropiaui pauca vobis mittere, vt fidem vestram consummatam habeatis, & scientiam. Tres sunt ergo constitutiones Domini, vitæ spes, initium, & consummatio. Propalauit enim Dominus per Prophetas, qui prætrierunt, & futurorum dedit nobis initia scire. Sicut ergo locutus est, honestius & altius accedite ad aram illius. Ego autem non tamquam doctor, sed vnus ex vobis, demonstrabo pauca, per quæ in plurimis lætiores sitis.

I. Cum sint ergo dies nequissimi, & contrarius habeat huius sæculi potestatem: debemus attendentes inquirere æquitates Domini. Fidei ergo nostræ adiutores, timor & sustinentia: quæ autem nobiscum pugnant patientia est, & continentia. Hæc cum apud Dominum permanent casta, collætantur illis sapientia & intellectus. Adaperuit enim nobis per omnes Prophetas, quia non vtitur nostris hostiis, neque oblationibus, hæc dicens:

Esa. 1.

Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum, dicit Dominus: Plenus sum holocaustomatibus arietum, & pinguaminibus agnorum: & sanguinem hircorum & taurorum nolo? Nec si veniatis videri mihi. Quis enim exquisiuit hæc de manibus vestris? calcare aulam meam, non adiicietis. Si attuleritis mihi similaginem, vanum supplicamentum execratio mihi est. Neomenias vestras, & diem magnum non sustineo; ieiunium, & ferias, & dies festos vestros odit anima mea. Hæc ergo vacua fecit, vt noua lex Domini nostri Iesu Christi, quæ sine iugo necessitatis est, humanam habeat oblationem. Dicit Dominus iterum ad illos: *Numquid ego præcepi parentibus vestris, cum exierunt de terrâ Ægypti, vt offerrent mihi hostias & victimas: sed hoc præcepi illis dicens: Vnusquisque vestrum aduersus proximum non habeat malitiam, & iuramentum mendax non habeat.* Intelligere ergo debemus, cum non simus sine intellectu, consilium benignitatis Patris nostri: quia nobis dicit, volens nos similiter errantes quærere, quemadmodum ad illum accedamus, nobis enim dicit: *Sacrificium Deo cor contribulatum: odor suauitatis Deo cor clarificans eum, qui plasmauit.* Et: *sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicit.* Certius ergo inquirere debemus, fratres, de nostrâ salute, vt ne quando habeat introitum in nobis & euertat nos à vitâ nostrâ.

Esa. 58.

II. Dicit ergo iterum de his ad illos: *vt quid mihi ieiunatis, vt hodie audiatur vox vestra in clamore? Non tale ieiunium elegi, dicit Dominus, vt quis humiliet animam suam sine causâ. Neque si curuaueris quasi circulum collum tuum, & saccum te circumdederis, & cinerem strauerit: nec sic celebrabis ieiunium acceptum.* Ad nos autem sic dicit: *Cum ieiunaueris, solue omnem nodum iniustitiæ, & omnem consignationem iniquam dolo, resolue suffocationes impotentium commerciorum, dimitte quassatos in remissionem, & omnem cautionem malignam dissipa. Frange esurienti panem tuum, & egenos sine tecto induc in domum tuam, cum videris nudum vesti, & domesticos seminis tui non despicies. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & vestimenta tua cito orientur: & præibit ante te iustitia, & claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis, & Deus exaudiet te, cum adhuc loqueris, dicet: ecce adsum si abstuleris à te nodum, & suadelam malorum, & verbum murmurationis; & dederis esurienti panem ex animo.* In hoc ergo, fratres, prouidens est, & misericors Deus, quia cum in simplicitate crediturus esset populus, quem comparauit dilecto suo, antè ostendit omnibus nobis, vt non incurramus, tanquam proselyti, ad illorum legem.

III. Oportet ergo de instantibus multum scrutantes scribere, quæ nos possint sanare, fugiamus ergo ab omni opere iniquitatis, & odio habeamus, errorem huius temporis, vt * futuro diligamur. Non demus animæ nostræ spatium, vt possit habere potestatem discurrendi cum nequissimis & peccatoribus; ne quando similemus illis. Consummata enim tentatio, sicut scriptum est, sicut Daniel dicit, appropinquauit. Propter hoc enim Dominus intercîdit tempora, & dies, vt acceleret dilectus illius ad hæreditatem suam. Dicit sic Propheta:

* l. futuro diligamus.

Dan. 7.

Reges in terris decem regnabunt, & resurget retro pusillus, qui deponet tres in vnum. De regnis similiter. De hoc ipso dicit iterum Daniel. *Et vidi quartam bestiam, nequam & fortem, & sauiorem cæteris bestiis marinis: & apparuerunt illi decem cornua: & ascendit aliud cornu breue in medio illorum: & deiecit cornua tria de maioribus cornibus.* Intelligere ergo debemus, adhuc & hoc rogo vos tanquam vnus ex vobis, omnes amans super animam meam, vt attendatis vobis: & non similetis eis, qui peccata sua congerunt, & dicunt, quia testamentum illorum & nostrum est. Nostrum autem, quia illi in perpetuum perdiderunt illud, quod Moyses accepit. Dicit enim scriptura:

Exo. 31.

& fuit Moyses in monte ieiunans XL. diebus, & XL. noctibus: & accepit testamentum à Domino, tabulas lapideas scriptas manu Dei. Sed conuersi in idola perdiderunt illud: dicit enim Dominus Moysi.

Exo. 32.

Moyses descende celerius, quia præteriit legem populus tuus, quem eduxisti de terrâ Ægypti. Et proiecit Moyses tabulas lapideas de manibus suis, & confractum est testamentum eorum, vt dilectio Iesu consignetur in præcordiis vestris in spem fidei illius. Propter quod attendamus nouissimis diebus. Nihil enim proderit nobis omne tempus vitæ nostræ, & fidei, si non modo iniquum, sed & futuras tentationes odio habeamus, sicut dicit filius Dei: *resistamus omni iniquitati, & odio habeamus eam.* Ergo considerate opera malæ viæ. Non separatim debetis seducere vos tanquam iustificati; sed in vnum conuenientes inquirite, quod communiter dilectis conueniat & prosit. Dicit enim Scriptura:

Esa. 5.

Væ illis, qui sibi solis intelligunt, & apud se docti videntur! Simus spiritales, simus templum consummatum Deo: In quantum est in nobis, meditemur timorem Dei, & custodiamus mandata illius. Dominus non acceptâ personâ iudicat mundum. Vnusquisque secundum quæ facit, accipiet. Si fuerit bonus, bonitas eum antecedit; si nequam, merces nequitiæ eum sequitur. Attendite, ne quando quiescentes iam vocati obdormiamus in peccatis nostris, & nequam accipiens potestatem nostram suscitetur & excludat à regno Domini. Adhuc & illud intelligite, cum videritis tanta signa, & monstra in populo Iudæorum, & sic illos derelinquit Dominus: Attendamus ergo, ne forte, sicut scriptum est, *multi vocati, pauci electi*, inueniamur.

Matt. 22.

IV. Propter hoc Dominus sustinuit tradere corpus suum in exterminium, vt remissione peccatorum sanctificemur, quod est sparsione sanguinis illius, scripta sunt enim de illo, quædam ad populum Iudæorum, quædam ad nos. Dicit autem sic ad nos:

Esa. 53.

Vulneratus est propter iniquitates nostras, & vexatus est propter peccata nostra, sanguine illius sanati sumus. Tanquam ouis ad victimam adductus est: & sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum. Supergratulari ergo debemus Domino, quia & præterita nobis ostendit, & sapientes fecit, & de futuris non sumus sine intellectu. Dicit autem ad illos:

Prou. 1.

non iniuste tenduntur retia auibus. Hoc dicit, quia iuste * periet homo habens viæ veritatis scientiam, & se à viâ tenebrosâ non continet adhuc. Et ad hoc Dominus sustinuit pati pro animâ nostrâ, cum sit orbis terrarum Dominus; cui dixit Pater die ante constitutionem sæculi:

* peribit.

Gen. 1.

Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Quomodo ergo sustinuit, cum ab hominibus hoc pateretur, discite. Prophetæ ab ipso habentes donum, in illum prophetauerunt: ille autem, vt vacuam faceret mortem, & de mortuis resurrectionem ostenderet, & quia in carne oportebat eum apparere, sustinuit, vt promissum parentibus redderet: Et per nos ipse sibi populum nouum parans, Indicabat in terrâ existens, quod factâ resurrectione iudicaret, & ad summam, docens populum Iudæorum, & tanta monstra & signa faciens, prædicauit & superdilexit illum: sed non crediderunt nec dilexerunt illum. Tunc Apostolos suos, qui incipiebant prædicare Euangelium suum, elegit, qui erant super omne peccatum peccatores: vt ostenderet, quia non venit vocare iustos, sed peccatores. Tunc ostendit se esse filium Dei. Si enim non

Luc. 5.

[A] venisset in carne, quomodo possent homines sanari? Cum respicientes solem, qui aliquando desinere debet, qui est opus manus Dei, non possint radios eius diutius intueri. Filius ergo Dei ideo in carne venit, vt consummationem peccatorum definiret eis, qui persecuti sunt ad mortem Prophetas illius. Propterea igitur passus est, dicit autem Esaias [Cap. 51.]: *Plagâ corporis illius omnes sanati sumus.* Et alius Propheta [Zach. 13.]: *Feriam pastorem, & dispergentur oues gregis.* Ipse autem voluit sic pati. Dicit enim, qui prophetat de illo [Psal. 21.]: *Parce animæ meæ à gladio.* Et [Psal. 118.]: *Confige clauis carnes meas, quia nequissimorum conuentus insurrexerunt in me* [Psal. 21.]: & iterum dicit [Esai. 50.]: *Ecce posui dorsum meum ad flagella, & maxillas meas ad palmas. Faciem autem meam posui, tanquam solidam petram.*

V. Cum autem fecit Dei præceptum, quid dicit [Ibidem.]? *Quis est, qui contradicit, resistat mihi, qui æqualis futurus est mihi, propinquet puero Dei? Væ vobis, quia omnes veterascetis tanquam vestimentum, & tinea deuorabit vos.* [Esai 8.] Iterum dicit Propheta [Esai. 28.]: *Tanquam lapis expositus est in adflictionem. Ecce mittam in fundamenta Sion lapidem* [B] [Ibidem.] *pretiosum, electum.* Et quid dicit? *& qui crediderit in illum, non confundetur.* In lapide ergo fides nostra? absit: Sed quia in fortitudine posuit corpus illius, dicit iterum Propheta [Esai. 50.] [Psal. 117.]: *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Hæc est dies, magnus & mirabilis quem fecit Dominus.* Simplicius vobis scribo, vt intelligatis: *Ego sum peripsema charitatis vestræ.* Quid ergo dicit [Psal. 21.]: *Circumuenerunt me conuentus nequissimorum, vallauerunt me tanquam apes* [Psal. 117.]. Et iterum dixit [Psal. 21.]: *Super vestem meam sortes miserunt.* In carne ergo incipiente illo venire, ante ostensa sunt quæ passurus erat. Dicit ergo Propheta ad Iudæos [Esai. 3.]: *Væ animæ iniquorum, quia dicunt inter se* [Sap 2.], *circumueniamus iustum; quia insuauis est nobis.* Et Moyses autem dicit ad illos: *Hæc dicit Dominus Deus: Intrate in terram bonam, quam promisit Dominus Abraha, Isaac, & Iacob, & Dominamini illius terræ, quæ fluit lac & mel.* Quid dicat scientia, discite? [C] *Credite*, inquit, *in eum, qui in carne apparebit, Iesum.* Homo enim terra est: cum ex terrâ sit figmentum Adæ. Quid ergo dicit? *in terram bonam fluentem lac & mel.* Et benedictus Dominus, quia sapientiam, & sensum posuit in nobis absconditorum suorum. Dicit enim Propheta, parabolam Domini quis intelliget nisi sapiens, & diligens Dominum suum? Quia ergo, cum nos recognouit in remissionem peccatorum, fecit nos aliam figuram tanquam pueros habere; vt spiritu figuraret nos. De nobis enim dicit Scriptura sicut dicit filio [Gen. 1.], *faciamus hominẽ ad imaginem & similitudinem nostram; & supersit bestiis terræ, & auibus cæli, & piscibus maris.* Et Dominus videns bonam figuram nostram dixit: *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Rursus vobis ostendam, quomodo in vobis secundam figuram nouissimis temporibus fecit. Dicit Dominus: *Ecce facio nouissima tanquam priora.* Propter hoc ergo prædicauit Propheta: *Intrate in terram, quæ fluit lac & mel, & dominamini eius.* [D] Ecce igitur nos denuo plasmati sumus, quemadmodum in alio Prophetâ dicit: Ecce dicit Dominus: auferam ab eis, id est, ab eis, quos præuidebat spiritus Domini, corda lapidea, & dabo eis carnea. Quia ipse incipiebat apparere, & in nobis habitare: templum enim Domini inhabitatio cordis nostri est. Dicit ergo iterum: *& quomodo apparebo Deo Domino meo*: &: *magnificabor* (inquit) *confitebor in Ecclesiâ fratrum meorum, & decantabo tibi in Ecclesiâ Sanctorum.* Nos ergo sumus, quos induxit in terram bonam. Quid ergo lac & mel? Quia ab initio infans melle & lacte viuificatur, sic & nos per fidem promissionis & verbum dum adnutrimur, viuemus dominatum agentes terræ. Dixit superius, crescant & dominentur piscibus. Quis est, qui possit modo esse super bestias, aut super aues, aut super pisces? sentire debemus, quia superesse potestatis est, vt quis imperans Dominus sit. Si igitur hoc minimè nunc contingit, nunquid nobis dicet aliquando, cum & ipsi consummati & perfecti erimus, vt hæredes simus testamenti Domini.

VI. Intelligite ergo, filij dilecti, quia omnia bonus Dominus ostendit nobis, vt sciremus, cui per omnia gratias agere debeamus. Si ergo filius Dei, cum sit Dominus, qui incipiet iudicare viuos & mortuos, passus est, vt plaga illius viuificaret nos: credamus, quia filius non poterat pati, nisi propter nos. Sed & potatur aceto & felle. Audite quemadmodum de hoc significauerint sacerdotes templi in scriptâ lege præcepti, vt si quis non ieiunaret ieiunium, morte moreretur, præcepit Dominus: quia ipse pro peccatis nostris incipiebat vas spiritus sui offerre hostiam; vt & figuram quæ fuerat sub Isaac, qui oblatus est ad aram, consummaret. Quid dicit Propheta? *& manducent de hirco, quem oblaturi sunt ad ieiunium pro omnibus peccatis.* Attendite diligenter: *& manducent sacerdotes soli intestinum non lotum cum aceto.* Ad quid? quoniam me, pro peccatis populi mei incipientem offerre corpus meum, potabitis aceto cum felle, manducate vos soli, populo ieiunante, & plangente in cilicio & cinere. Et vt ostenderet, quia ab illis debet pati, sic præcepit: *Sumite hircos duos bonos, & similes, & offerte, & accipiant sacerdotes vnum in holocaustum pro peccatis, alium autem in maledictionem.* Attendite, quomodo figura Iesu ostendebatur. *Exspuite in illum*, inquit, *omnes, & pungite, & imponite lanam coccineam circa caput illius, & sic in aram ponatur: & cum ita factum fuerit, adducite, qui ferat hircum in eremum, & auferat lanam & ponat illam in stirpem, quæ dicitur rubus, cuius & fructus in agris adsueuimus inuenientes manducare huius stirpis dulces fructus inueniuntur.* Ad quid ergo hoc? attendite: *Vnum ad aram, alium tanquam maledictum.* Et quare is, qui maledictus, coronatus est? videbunt illum tunc in illâ die chlamydem habentem coccineam circa corpus, & dicent: nonne hic est, quem nos crucifiximus fastidientes, & conspuentes, & compungentes? Vere hic fuit, qui tunc se dicebat esse filium Dei. Sicut ergo similis, sic similes hircos & æquales; sed cum viderint eum tunc venientem, admirentur in similitudine capri. Ergo videtis figuram eius, qui passurus erat, Iesu. Quare & lanam in medio spinarum ponunt? figura Iesu est Ecclesiæ posita: quia qui voluerit tollere lanam coccineam, oportet illum multa pati propter spinæ nequitiam, & coastatum sic dominari illius. *Sic* inquit, *qui volunt me videre, & attingere regnum meum, debent compressi, & multa patientes accipere me.*

Quam autem figuram putatis esse: quia præceptum est populo Iudæorum offerre vaccam homines, in quibus peccata consummata sunt, & occisam comburere, & tollere tunc cinerem pueros, & mittere in vasa fictilia, & suspendere in ligno lanam coccineam & hyssopum, & sic spargere pueros circa singulas turbas populi, vt sanctificentur à peccatis? Videte ergo, quomodo in similitudine dicat nobis. Vitulus est Iesus, qui offerebant, homines peccatores, hi qui obtulerunt eum ad victimam, deinde non amplius homines peccatores; nulla amplius peccatorum opinio: Qui sparserunt pueri, hi erant, qui nuntiauerunt nobis remissionem peccatorum, & castitatem præcordij nostri: quibus dedit Euangelij potestatem; qui sunt duodecim in testimonium tribuum: quia duodecim sunt tribus Iudæorum ad prædicandum: quare tres pueri aspergentes? In testimonium Abraham, Isaac, & Iacob, quia hi magni apud Deum. Quare ergo & lana in ligno est? quia regnum Christi in ligno est: quare qui crediderit in illum, viuet in perpetuum. Quare in vnum lanam & hysopum? quia in regno illius dies erunt nequissimi, & sordidi, in quibus nos sanabimur, quia is qui carne sordidatur, hysopo sanatur; & propter hoc quæ sic facta sunt, nobis lucida, illis autem obscura; quia non audierunt vocem Domini.

VII. Dicit autem de auribus, quomodo circuncidat aures præcordij nostri. Dixit per Prophetam: *Auditu auris exaudiuit me.* Et iterum dicit; *auditione audient, qui longe sunt, & quæ feci, scient. Circuncidite*, dicit Dominus *aures vestras*: Et iterum dicit; *audi Israël quia hæc dicit Dominus Deus tuus.* Et iterum spiritus Domini prophetas, *quia qui vult viuere in perpetuum, auditione audiat vocem pueri mei.* Et iterum dicit, *audi cælum*

& percipe auribus terra, quia Dominus locutus est hæc in testimonium. Et iterum dicit; *audite verbum Domini principes populi huius.* Et iterum: *Audite vocem clamantis in Eremo.* Ergo circuncidit aures nostras, vt audito verbo credamus, circuncisio enim in quâ confisi sunt abrogata est. Circuncisionem autem dixit non corporis. Sed prætererierunt, quia Angelus nequam docebat illos. Dicit autem ad illos: *Hæc dicit Dominus Deus vester.* Hic inuenio nouam legem. *Vn illis qui seminant in spinis. Circuncidite vos Domino vestro.* Hoc est audite Dominum vestrum: & circuncidite nequitiam de præcordiis vestris. Dicit autem iterum: *Ecce dicit Dominus: omnes nationes sine circuncisione corporis sunt: hic autem populus sine circunsione cordis est.* Sed etiam circuncisus est populus in signum; sed & Iudæus & Arabs,& omnes sacerdotes idolorum, & Ægyptij in circuncisione sunt. Ergo & hi de testamento sunt. Ergo discite, filij, de omnibus abunde, quia Abraham primus circuncisionem dedit in spiritu prospiciens in Iesum, accipiens trium litterarum doctrinam circuncidit Abraham de domo suâ homines trecentos octodecim. Scitote quia decem & octo primò,tum trecenti sunt: & distinctione factâ dicit decem & octo: In duabus litteris, Iota decem, & Ita octo, habes Iesum. Quia vero crux in Tau, incipiebat habere donum, tunc dicit, & trecentos. Habes igitur Iesum in duabus litteris; & in vna littera Tau, crucem. Scitote quia naturale donum doctrinæ suæ posuit in nobis. Nemo altius didicit à me verbum, sed scio, quia digni estis.

VIII. Quare autem Moyses dicit: *Non manducabis porcinam, nec aquilam, nec accipitrem, nec coruum, nec omnem piscem,qui non habet in se squamam.* Tres accepit Moyses in conscientiâ suâ constitutiones. Ad summa dicit illis in secundâ lege: *& disponam ad populum hunc æquitates meas.* Ergo non est mandatum Dei, ne manducent, sed Moyses in figurâ locutus est illis. Porcinam ergo ad hoc dixit; *Non eris coniunctus hominibus talibus qui cum luxuriant, obliuiscuntur dominum suum.* Porcus enim cum manducat, Dominum non nouit; cum esurit, tunc clamat; & cum accepit, iterum tacet. *Nec manducabis*, inquit, *aquilam, aut accipitrem, aut coruum.* Hoc dicit: non adiunges te, nec similabis talibius hominibus, qui nesciunt per laborem & sudorem sib acquirere escam, sed rapiunt alienam per suam iniquitatem; & obseruant quasi in simplicitate ambulantes quem dispolieor: sic aues istæ solæ sibi non acquirentes escam, sed pigræ sedentes quærunt, quomodo alienas carnes deuorent, cum sint pestilentiosæ per suam nequitiam. *Non manducabis*, inquit, *murænam, nec polypum, nec sepiam.* Non, inquit, similabis adhærens talibus homioibus, qui in perpetuo impij, & iudicati iam mortui sunt. Hi enim pisces soli maledicti sunt, non natantes sicut reliqui, sed in imâ altitudinis terrâ inhabitant. *Sed nec leporem manducabis.* Vt quid dicit? Non eris,inquit, corruptor puerorum, nec similabis talibus, quia lepus singulis annis facit ad fellandum singula foramina, & quotquot annis viuit, totidem foramina facit. *Sed nec belluam*, inquit, *manducabis*: Hoc est non eris mœchus, aut adulter, nec corruptor,nec similabis talibus: quia hæc bestia alternis annis mutat naturam, & fit modo masculus, modo fœmina. Sed & quod dicit: *Mustelam edibis*: Non eris, inquit, talis, qui audit iniquitatem, & loquitur immunditiam: Non, inquit, adhærebis immundis, qui faciunt iniquitatem ore suo, hoc enim animal ore parit. De escis ergo Moyses acceptis tribus constitutionibus in Spiritu, sic locutus est: illi autem secundum concupiscentiam corporis, tanquam de escis diceret, sic perceperunt. Accepit autem earum trium constitutionum scientiam Dauid, & dicit: *Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum*: sicut pisces eunt in tenebris in profundo? *Nec in via peccatorum stetit*: sicut qui videntur timere Dominum, & exerrant, tanquam porcus. *Nec in pestilentia cathedrâ sedit*: sicut aues quæ sedent ad rapinam. Habetis consummatam cognitionem de escis. Sed dicit Moyses: *Manducabitis omne quod ruminat*; hoc est, qui escâ acceptâ scit eum, qui se pascit & refrigerauus in eo lætari videtur. Benedicit prouidens mandatum. Quid ergo dicit? adhærere eis, qui timent Dominum, qui tenent distinctum sermonem in corde suo, & cum eis, qui loquuntur æquitates Domini, & custodiunt, qui sciunt, quia assidua lectio opus est lætitiæ. Et cum his qui ruminant verbum Domini: Quid animal vngulam diuidens? quia iustus in hoc mundo ambulat, & regnum cœlorum accipit. Videte quomodo spiritualiter legem constituit Moyses. Sed vnde illis, hæc intelligere? Nos autem intelligentes mandata, loquimur, sicut voluit Dominus. Propterea circuncidit nobis aures & corda, vt hæc intelligamus.

IX. Quæramus ergo, si curæ fuerit Domino ostendere de aquâ, & de cruce. De aquâ scriptum est ad populum Iudæorum, quomodo tinctionem, quæ adfert remissionem peccatorum,non recipiant, sed sibi instituant. Dicit ergo Propheta: *Sic horruit cœlum, & in hoc plurimum expauit terra, quia duo mala fecit populus hic; me dereliquerunt fontem aquæ vitæ, & foderunt sibi lacus detritos, qui non possunt aquam portare. Nunquid petra ruinosa est mons sanctus meus Sina? eritis enim tanquam auis pullus ablatus.* Et iterum dicit Esaias: *Ego antecedam te, & montes æquabo, & ostia ærea contribulabo, & seras ferreas confringam, & dabo tibi thesauros obscuros, inuisos, vt scias, quia ego sum Dominus Deus. Et inhabitabis in altissimâ spelunca fortis petræ*, deinde quid dicit filio? *& aqua illius fidelis. Regem cum magnitudine videbitis, & animus vester meditabitur timorem Domini.* Et iterum Dauid dicit: *Erit qui hoc facere cœperit, tanquam lignum quod plantatum est iuxta tractus aquarum, quod fructum dabit tempore suo: & folia eius non decidens, sed omnia quæcunque faciet, prosperabuntur: non sic impij, non sic; sed tanquam puluis, quem abiicit ventus à facie terræ. Propterea non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum: quoniam scit Deus viam iustorum, & via impiorum peribit.* Sentire autem debetis, quomodo aquam & crucem in vno dono constituit. Hoc ergo dicit: felices, qui sperauerunt in crucem & descenderunt in aquam, mercedem in tempore suo, Tunc, inquit, reddam: modo autem, dicit: *folia illius non decident.* Hoc est, quia omnis sermo, qui exierit per os vestrum, erit in spem & resurrectionem multis. Et iterum alius Propheta dicit: *Erit terra Iacob laudabilis super omnem terram.* Hoc dicit vas spiritus illius quod magnificabit. Deinde quid dicit: *Erat flumen trahens ad extra: & adscendebant inde arbores speciosa: & quicumque ex illis manducauerit, viuet in perpetuum.* Hoc dicit: Si quis, inquit, audierit hos vocantes, atque eis crediderit, viuet in æternum. Hoc est, quia nos descendimus in aquam pleni peccatis & sordibus, & ascendimus fructibus pleni, in præcordiis nostris timorem & spem habentes in Dominum. Ideo dicit: *Et qui manducauerit, viuet in perpetuum.*

Similiter & crucem significat, in alio Prophetâ dicente: *Et quando hæc consummabuntur, & dixit Dominus, cum lignum inclinatum fuerit, & resurrexerit, & cum de ligno sanguis stillauerit.* Habes iterum de cruce, & de eo, qui incipit crucifigi. Dicit autem iterum in Mose, cum pugnaret populus Iudæorum, & ceciderunt Iudæi ab aliegenis, vt illos commemoraret, dum oppugnantur, quia propter peccata sua trahuntur in mortem, dixit in præcordiis Moysi Spiritus; fac figuram crucis & eius qui passurus est, quia si non crediderint in illum, in perpetuu oppugnabuntur. Et iterum ascendit Moyses in aggerem, & stans Eminentissimus omnium manus extendebat, & vincebant Iudæi; deinde cum deposuerat, vincebat Amalec. Hoc ad quid? vt scirent, qoia non possunt liberari, nisi in cruce Christi sperauerint. Et iterum dicit in alio Prophetâ: *Expandi manus meas totâ die ad populum impersuasibilem, & contradicentem viæ iustæ meæ.* Item Moyses facit figuram Iesu, quia oportebat illum pati, & quia ipse viuificauit, quem illi putauerant perdidisse. Cadente enim populo Iudæorum, quia intulerat Dominus,vt morsu colubræ morerentur, quia præteritio

E

Hier. 2.

F

Esai. 16.

Cap. 45.

Esai. 33.

Psal. 1.

G

H

Esai. 65.

Eua per colubram fuerat, voluit illos corripere, & ideo sic morti tradere, qui mandata eius præterierunt. Ad summam, ipse Moyses, qui præceperat, dicit, *Non erit vobis, neque conflatile, neque sculptile*; ipse fecit serpentem æreum, vt figuram Iesu ostenderet, & posuit in cruce, & per præcones conuocauit populum: & cum venissent, rogabant Moysen, vt pro sanitate eorum Dominum rogaret; & tunc dixit illis Moyses: *Cum aliquis ex vobis morsus fuerit, veniat ad colubram in ligno positam, & speret, quoniam cum sit ipsa mortua, potest alios sanare, & sine morâ curabitur*: & ita faciebant. Habes in hoc gloriam Iesu, quod in ipso sint omnia, & in ipsum.

[Exod. 20. Deut. 6. Num. 21. Sap. 16.]

Quid dicit rursus Moyses, Ause filio Naue, vt ostendat Iesum esse filium Dei; audiente populo, quod omnia pater de filio suo Iesu ostendit filio Naue, vocauit Moyses filium Naue, & imposuit illi nomen Iesu, quando misit eum exploratorem terræ, & dixit: *Accipe librum in manu tuâ, & scribe, quæ dicit Dominus; quia amputauit à radicibus omnem domum Amalec Filius Dei Iesus in nouissimus diebus.* Ecce iterum Iesus non filius Naue, sed filius Dei in carne apparuit. Quoniam igitur dicturi erant quod, Christus filius sit Dauid: verens & intelligens errorem peccatorum, iterum dicit Dauid: *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis.* Et iterum dicit Esaias: *Sic dicit Dominus Christo meo, meo Domino, cuius tenui dexteram, vt exaudiant illum gentes, & virtutem regum corrumpam.* Videte quomodo illum Prophetæ Dominum, non tantum filium dicunt.

[Num. 13. Exod. 17. Cap. 45.]

X. Quæramus igitur, si hic populus hæreditatem capit, & testamentum in illis est, aut in nobis. De hoc audite, sic scriptum est. Rogabat Isaac pro Rebeccâ vxore suâ, quia sterilis erat: Exaudiuit autem eum Deus: & concepit. Et Rebecca quærebat à Domino, quid portaret, & dixit illi Dominus: *Duæ nationes in vtero tuo sunt, & duo populi ex vtero tuo nascentur. & maior seruiet minori.* Intelligite, quis sit Isaac, & quæ Rebecca; & quis populus minor, aut maior. Iterum dixit Iacob, Ioseph filio suo: *Ecce Dominus non fraudauit me ex conspectu suo, perduc ad me filios tuos. & benedicam illos.* Et adduxit Manassem & Ephraim. Volens autem Manassem benedici, quia maior erat, statuit illum ad dexteram patris sui Iacob. Vidit autem Iacob in Spiritu figuram populi, qui postea futurus erat: & conuertit manus, & transtulit dexteram super caput Ephraim minoris, & benedixit illum. Et dixit Ioseph patri suo: *Transfer manum tuam dexteram super caput Manassæ, quia primitiuus filius meus est.* Et dixit Iacob: *Scio, fili, scio: sed maior seruiet minori; sed & hic benedicetur.* Videte quem voluerit esse primum testamenti hæredem. Si hoc ergo & per Abraham commemoratum est, habemus consummationem scientiæ nostræ. Quid ergo dicit Abraham, cum solus credidisset, & positum esset in iustitiâ: *Ecce posui te, Abraham patrem nationum, quæ credunt Domino non circuncisæ.* Sed testamentum quod iurauit parentibus, vt daret populo, an dederit, quæramus. Dedit, sed illi non fuerunt digni accipere propter peccata sua. Dicit enim Propheta: *Et erat Moyses ieiunans in monte Sinâ, vt acciperet testamentum à Domino quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Et accepit à Deo tabulas scriptas manu Dei. Et vt accepit, deferebat ad populum, vt illis daret. Et dixit Dominus: *Moyses, Moyses, descende celerius, quia populus tuus quem eduxisti de terrâ Ægypti, præteriit legem.* Et intellexit Moyses, quia fecerunt sibi iterum conflatile: & proiecit de manibus tabulas, & confractæ sunt. Moyses accepit, sed illi non fuerunt digni: quomodo accepimus nos, discite. Moyses cum esset seruus, accepit: ipse vero Dominus nobis dedit, qui nos in hæreditatem elegit propter nos omnia sustinens apparuit, vt illi consummati sint in peccatis, & nos per illum hæreditatem testamenti [Domini nostri Iesu Christi] accipiamus; qui in hoc paratus est, vt per aduentum ipsius præcordia nostra, quæ iam absumpta erant à morte, & tradita iniquitati, liberaret à tenebris, & testaretur in nobis testamentum seruorum suorum. Scriptum est enim, quomodo illi pater mandauerit, vt liberaret nos à tenebris, & pararet sibi populum sanctum. Dicit ergo Propheta sic: *Ego Dominus Deus tuus, vocaui te in æquitate. tenebo manum tuam, & fortem te faciam, dedi te in testimonium gentibus, & in lumen nationum, vt aperias oculos cæcorum, & educas de vinculis alligatos.* Scitote ergo, vnde liberati sumus. Et iterum Propheta dicit: *Posui te in lucem nationum, vt sis in sanitas, vsque in nouissimum terræ, sicut dicit Dominus, qui te liberauit Deus.* Iterum Propheta dicit: *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me: bene nuntiare humilibus misit me, curare contribulatos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, & vocare annum Domini acceptabilem.*

[Gen. 25. Gen. 48. Genes. 15. 17. Exod. 32. Esai. 42. Esai 49 Esai. 61]

XI. Adhuc & de sabbato scriptum est in decem verbis, quibus locutus est in monte Sinâ ad Moysen: *Sanctificate sabbatum Domini manibus mundis, & puro corde.* Et alibi dicit: *Si custodierint filij mei sabbatum, tunc faciam misericordiam in illis.* Sabbatum dicit initio constitutionis: *Et fecit Deus die sexto opera sua, & consummauit die septimo, & requieuit in illo die.* Attendite filij quid dicit, *consummauit in sex dies.* Hoc dicit, quia consummabit Deus omnia in sex millia annorum. Dies enim apud illum mille anni sunt. Ipse mihi testis est, dicens: *Ecce hodiernus dies erit tanquam mille anni.* Vnde scire debetis, quia in sex millia annorum consummabuntur omnia. Et quid dicit: *Requieuit Deus die septima?* Hoc est, cum venerit filius illius, & amputabit tempus iniquitatis, & iudicabit impios, & mutabit solem, lunam, & stellas, tunc bene requiescet in die septima. Ad summam hoc dicit: *Sanctificabis illum diem manibus mundis, & corde puro.* Quem ergo diem sanctificauit Deus, quis potest sanctificare modo, nisi qui sit mundo corde in omnibus? Nos errauimus. Videns ergo qui refrigerans sanctificauit illum, ipsi iustam recipientes promissionem, sublatâ iniquitate renouatis vero omnibus à Domino, & nos tunc poterimus sanctificare ipsi sanctificati primum. Ad summam dicit illis: *Dies solennes vestros, & sabbata non sustineo.* Videte, quomodo dicit non hæc sabbata sibi accepta, sed quæ fecit, & in die suo consummauit omnia, initium octauâ diei facturus, qui est alterius sæculi initium. Propter quod agimus diem octauum in lætitiâ, in quo & Iesus resurrexit à mortuis, & cum apparuisset, ascendit ad cœlum.

[Deut. 5. c. Genes. 2. Psal. 89.]

XII. Adhuc & de templo dicemus, quomodo errantes in ædem spem habuerunt tanquam in Deum, qui illos fecit, quasi sit domus Dei, tanquam ethnici conseruauerunt illum in templo. Sed quomodo dicat Dominus, discite, vacuum faciens templum: *Quis mensus est manu aquam & cælum palmo, & totam terram pugno? nonne, dicit Dominus, cælum mihi thronus est, terra autem scabellum pedum meorum est? qualem domum mihi ædificabitis, aut quis locus erit requietionis meæ?* Vnde cognoscitis, quia vana spes est illorum. Et iterum: *Qui deposuerunt templum hoc, ipsi illud & ædificabunt.* Et fiet: dum enim belligerarent, depositum est ab inimicis. Nunc & ipsi inimicorum ministri ædificabunt illud. Iterum sicut incipiebat ciuitas, & populus totus Iudæorum, tradi, propalatum est: dicit enim Scriptura: *In nouissimis diebus tradet Dominus oues pascuæ, & ouile, & turrem eorum in exterminium.* Et factum est, secundum quæ Dominus locutus est. Quæramus ergo, si est templum Deo. Est vbi ipse, dicit facere, & consummare. Scriptum est; *Et erit, septimanâ consummatâ, ædificabitur templum Deo præclarè in nomine Domini.* Inuenio, quia templum est. Quomodo ergo ædificabitur in nomine Domini? Discite. Antequam crederemus Deo, erat habitatio nostra corrupta & infirma, sicut templum, quod per manus ædificatur: quia erat plenum idololatriâ, & erat domus dæmoniorum, propter quod faceremus, quæ Deo essent contraria. Ædificabitur autem in nomine Domini attendite, vt præclarè templum Deo ædificetur, & quomodo discite, vt cum acceperimus remissionem peccatorum, & cum credidimus in nomine Domini, non sumus iam tales, quales ab initio creati. Non enim ex

nobis dæmones eiiciuntur, sed peccata dimittuntur, quæ similiter atque illi faciebamus, antequam crederemus. Propter quod in nobis verè Deus inhabitat, quomodo sermo fidei illius, vocatio promissionis illius, sapientia æquitatis, præcepta testamenti illius, in nobis prophetans ipse, & in nobis habitans. Quia cum sub seruitute mortis eramus, aperiens ostium templi nostri, quod est os pœnitentiam dans nobis, fecit de nobis domum incorruptam. Qui enim concupiscit liberari, videt non in hominem, sed in eo qui habitat & qui loquitur in illo miratur, quod nunquam tales sermones audierit eum dicentem, neque ipse concupierit audire. Hoc est spirituale ædificatum Domino templum. Quantum fuerit in simplicitate demonstrandi vobis, non intermisi quicquam. Sperat anima mea me nihil desiderio meo relicturum aliquid eorum quæ spectant ad vestram salutem. Si enim de instantibus ac futuris scriberem vobis, non intelligetis, quomodo in parabolis posita sunt multa. Hæc autem sic sunt. Habes interim de maiestate Christi, quomodo omnia in illum, & per illum, facta sunt: cui sit honor, virtus, gloria, nunc & in sæcula sæculorum.

Secunda pars huius epistolæ parænetica. Duæ viæ.

Transeamus ad alteram cognitionem & doctrinam. Duæ sunt viæ doctrinæ & potestatis; vna lucis & altera tenebrarum. Differentia quidem multa duarum viarum: vna quidem, cui præsident lucis ministri angeli Dei, altera quæ subest angelis Satanæ. Ille quidem est Dominus à sæculis in sæcula: hic vero princeps temporis iniquitatis.

Via lucis.

I. Via igitur lucis est huiusmodi. Si quis velit incedere ad præfinitum locum, id suis operibus properabit exequi. Cognitio igitur nobis data in hâc viâ ambulandi, est eiusmodi. Diliges factorem tuum. Glorificabis eum, qui te à morte redemit. Simplex eris corde, spiritu diues. Non adhærebis ambulanti in viâ mortis. Abhorrebis facere id quod Deo displicet. Odio habebis omnem simulationem. Ne relinquas mandata Dei. Ne te ipsum exaltes; eris autem humilis. Non assumes tibi ipsi gloriam. Ne ineas malum consilium aduersus proximum tuum. Non dabis animæ tuæ audaciam. Non fornicaberis. Non mœchaberis. Non eris puerorum corruptor. Non prætermittas verbum Dei, super aliorum impuritate corripienda. Non accipies personam, quo minus corripias alicuius delicta. Mansuetus eris. Esto quietus. Contremisces ad verba, quæ audieris. Ne hæsita, verum futurum sit, an non. Ne assumas nomen Domini in vanum. Diliges proximum tuum super animam tuam. Non interficies partum per abortionem; neque, postquam prodierit, occides. Non abstinebis manum tuam à filio tuo, vel à filiâ tuâ; sed à pueritiâ docebis eos timorem Domini. Ne concupiscas rem proximi tui; neque sis alienorum bonorum vsurpator. Neque adhæreas ex animâ tuâ superbis, sed cum iustis & humilibus recenscaris. Quæ tibi contingunt tentationes & vexationes dæmonum, inter bona accepta reputa. Non eris inconstans animo, neque bilinguis: laqueus est enim mortis linguæ duplicitas. Subiectus eris Domino; dominis, vt Dei imagini in verecundiâ & timore. Ne imperes ancillæ, aut seruo tuo in amarulentiâ animi, his videlicet qui timent eum: ne quando contingat, vt non timeas eum, qui super vtrumque est, Deus. Non enim venit vocare secundum personam, sed super quos spiritus præparauit. Communicabis in omnibus rebus proximo tuo. Nihil dices quicquã tibi proprium. Si enim communicatis inuicem in bonis incorruptibilibus, quanto magis in corruptibilibus? Ne sis præceps in linguâ: os enim laqueus est mortis. Quantum potes, sanctifica animam tuam. Ne porrigas manum tuam ad accipiendum; neque eam ad dandum claudas. Diliges, vt pupillam oculi tui, omnes, qui tibi verbum Dei loquuntur. Memento diei iudicij nocte & die: exquirites quotidie vultum sanctorum, & per verbum speculans, & ambulans ad exhortandum, meditans quoque ad saluandam animam per verbum. Et manibus tuis laborabis ad redemptionem peccatorum tuorum. Date non ambiges, neque dans murmurabis. Omni petenti te da. Cognosces autem, quis sit bonus mercedis retributor. Seruabis, quæ accepisti, nihil addens, aut demens. Semper odio habebis flagitiosum. Iudicabis iuste. Non facies schisma. Pacem compone inter dissidentes, eos concilians. Confiteberis peccata tua. Non accedes ad orationem tuam in conscientiâ malâ. Hæc est via lucis.

Via tenebrarum.

II. Via autem tenebrarum obliqua est, & maledictionis plena. Est enim via mortis æternæ cum supplicio; in quâ sunt ea, quæ perdunt animam eorum, idololatria, audacia, elatio potestatis, hypocrisis, duplicitas cordis, adulterium, homicidium, rapina, superbia, transgressio, dolus, malitia, arrogantia, veneficium, magia, auaritia, proiectio timoris Dei: persecutores bonorum, osores veritatis, amentes non cognoscentes mercedem iustitiæ, non adhærentes bono, iusto iudicio viduæ & orphano minime attendentes, vigilantes non ad timorem Dei, sed ad malum. A quibus longe absunt, mansuetudo, & vigilantia: diligentes vana, vindictæ amatores, non miserentes egeno, non laborantes ad leuandum oppressum, ad detractionem prompti, & faciles, non cognoscentes factorem suum, liberorum homicidæ, corruptores creaturæ Dei, se ab indigente auertentes, opprimentes oppressum, diuitum aduocati, pauperum iniqui iudices, per omnia peccatores.

Epilogus totius epistolæ.

III. Æquum est igitur eum qui didicit iustificationes Domini, quæ prius scriptæ sunt, in eis ambulare. Qui enim eas facit, in regno Dei glorificabitur: qui vero illa eligit, cum suis operibus peribit. Propterea resurrectio, propterea retributio. Interrogo eminentes inter vos, si accipitis aliquod bonæ voluntatis meæ consilium. Habetis vobiscum, quibus bene fecistis: nolite eos derelinquere. Prope est enim dies, in quo omnia cum eo, qui malus est, peribunt. Prope est Dominus, & merces eius. Etiam atque etiam rogo vos, estote vobismetipsis boni legislati, vobis ipsis manete consultores fideles. Tollite ex vobis omnem simulationem. Deus vero totius mundi dominator det vobis sapientiam, scientiam, intelligentiam, cognitionem iustificationum suarum in patientiâ. Estote discipuli Dei, exquirentes quid à vobis postulet Dominus. Et facite, vt salui sitis in die iudicij. Si qua est vero bonæ rei recordatio, mei mementote, hæc meditantes; vt & desiderium, & vigilantia, in aliquod bonum euadat. Rogo vos gratiam hanc efflagitans: pulchrum hoc vas vobiscum est, in nullo horum deficite; sed indesinenter hæc exquirite, & adimplete omne mandatum. Hæc enim digna sunt. Quare quantum potui, diligentius laboraui vobis scribere, vt vos exhilararem. Salui estote dilectionis filij & pacis. Dominus gloriæ & omnis gratiæ sit cum Spiritu vestro. Amen.

DE HERMA, * ET EIVS PASTORE, siue Pastorali Libro.

** Damasus Pp. in vitâ Pij I. P. M. Hermetem siue Hermem hunc Pij illius fratrem fuisse ait. in libro Pontificali.*

Ex Pij I. Pont. Maximi Epistolâ decretali, ad omnes Christi Fideles.

NOSSE vos volumus, quod Pascha Domini, die Dominicâ, annuis solennitatibus sit celebrandum. Istis ergo temporibus, Hermes, Doctor fidei & Scripturarum, effulsit inter nos: Et licet nos, idem Pascha, prædictâ die celebremus, & quia tamen quidam inde dubitarunt, ad corroborandas eorum animas, eidem Hermæ, Angelus Domini in habitu Pastoris apparuit & præcepit ei, vt Pascha die Dominico ab omnibus celebraretur: vnde & vos Apostolicâ authoritate instruimus, omnes eadem seruare debere, &c.

Ex Origenis, περὶ ἀρχῶν 2. Lib. Cap. 5.

2. ll. Mã dat. 5.

In eo Libello, qui Pastoralis dicitur de Angeli positione,

quam

A

quem Hermes conscripsit; ita refertur: Primò omnium, crede quia vnus est DEVS, &c.

2. li. Mandat. 6.

Ex eiusdem περὶ ἀρχ. lib.3. Cap.2. & Hom.35. in Lucæ Cap.18.

Sed & de Pastoribus, Liber, hac eadem declarat, dicens quòd bini Angeli singulos quosque hominum comitentur, &c.

Visione 2.

Ex eiusdem περὶ ἀρχ. lib.4. Cap.2.

Vt homo, sic Scriptura constat corpore & anima: Quod nos etiam in Libello PASTORIS *(qui à nonnullis contemni videtur) designatum videmus, cum iubetur Hermes, duos libellos scribere, & postea denunciare Presbyteris Ecclesia, qua didicit à Spiritu*: Et scribes (*inquit*) 2. Libellos, & dąbis vnum Clementi, & vnum Graptæ, &c.

Visione 3.

Ex eiusdem Homilia 9. in Numerorum Caput 14.

Quod dies peccati, in annum pœna reputetur (inquit) *non solum in hoc Libro, in quo nihil est omnino, de quo dubitari possit, ostenditur; sed & in Libello* PASTORIS *(si cui tamen Scriptura illa recipienda videtur) similia designentur.*

B

Ex eiusdem Hom.13. in Ezechielis Caput 27.

In Libro PASTORIS, *in quo Angelus docet Pœnitentiam, 12. Virgines habent nomina sua, Fides, continentia, &c. Potestis quippe legere si vultis: Deinde quando turris adificatur, cum assumpseris fortitudines Virginum, pariter accipies, quod de portis dicitur: Ornamentum quippe est tibi vnaquaque virtus, &c.*

Ex eiusdem lib.10. Commentariorum in Caput 16. Epistolæ ad Romanos.

Salutate Asyncritum, Hermam, &c. *Puto* (inquit) *quòd Hermas iste, sit scriptor Libelli illius, qui* PASTOR *appellatur: qua Scriptura, valde vtilis videtur mihi, &c. vt puto, diuinitus inspirata, &c.*

C

Ex S. Patris N. Athanasij Archiepiscopi Alexandrini Libro de Incarnatione Verbi, &c.

Ex vtilissimo PASTORIS *Libro primo crede vnum esse Deum, qui condidit omnia, fecitque vt essent, qua non erant, quod & Paulus indicat, Hebr.11.* fide intelligimus (*inquit*) verbo Dei esse perfecta sæcula, &c.

Ex eiusdem Apologetico 1. pro Synodi Nicænæ decretis, contra Hæresim Arrianam.

Hi (de Eusebianis loquitur) *sunt, vt* PASTOR *dixit, Progenies Diaboli, quique, specimen potius cauponum quàm Magistrorum pra se ferant, &c.*

Ex eodem Apologetico.

In PASTORE *quoque scriptum habetur (nam & inde etiam, quanquam is Liber ex Canone non sit, allegationes faciunt) Ante omnia crede, quod vnus sit Deus, qui omnia creauit: sed id nihil ad filium spectat: loquitur enim Liber, de omnibus per filium creatis, &c.*

D

Ex Eusebij Ecclesiasticæ Historiæ Libri tertij, Capite 3.

Idem Nicephor. Hist. Lib. 2. cap. 46. Idem Nicephor. Hist. lib. 4. cap. 14.

Quoniam Apostolus ipse in salutationibus quas extrema Epistola ad Romanos attexit: inter alios, etiam Herma cuiusdam (cuius opus esse ferunt, qui PASTORIS *Libellus inscribitur) mentionem facit: intelligendum est; istum, tametsi in quastionem a nonnullis vocatur, ac propterea Scripturis omnium assensu approbatis, nullo modo annumerandus ducitur, ab aliis tamen pernecessarium, iis prasertim, qui primis fidei elementis imbuendi sunt, iudicatum esse. Vnde hoc quidem tempore, cum non modò in Ecclesiis palam peruulgatum, verum etiam eius testimonia à nonnullis veterum Scriptorum, in suis libris citata animaduertimus.*

Ex eiusdem Historiæ Libri 5. Cap.8.

Librum item PASTORIS, *non modò legendo cognouit* (de D. Irenæo loquitur) *sed etiam approbatione confirmauit*: Præclarè (*inquit*) loquitur Liber (*Librum* PASTORIS *intelligit*) qui sic loquitur; *Primum omnium, vnum Deum esse credito, &c.*

Ex D. Hieronymi Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogo.

Hermam, cuius Apostolus Paulus ad Romanos scribens, meminit: Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, HERMAM & qui, cum eis fratres sunt, *asserunt esse authorem Libri, qui appellatur* PASTOR: *& apud quasdam Gracia Ecclesias, etiam publicè, legitur? Reuera, vtilis Liber, multique, de eo, Scriptorum veterum, vsurpauerunt testimonia, sed apud Latinos penè est ignotus.*

Ex Theodoreti Ecclesiasticæ Historiæ, 1. Libri, Cap.8.

Quin-etiam pro se citauerunt Arriani, sententiam Libri qui PASTOR *inscribitur, qua ita se habet*: Primùm omnium, credito vnum esse Deum, &c.

Ex Sixti Senensis, Bibliothecæ sanctæ, libro secundo.

Hermas, Opus edidit Graco sermone 3. Libris distinctum, quorum primus, Ecclesia inscribitur; Secundus, PASTOR: *Tertius* Similitudinum. *Citatur a Clemente Alexandrino, Stromatum, lib.6. Origene, Homiliá 10. in Iosue, Irenao 1. Lib. contra Hareses: Cassiano, Collationis 13. Cap.12. Gratiano 34. q. 2. Ego dixi Pastori Lombardo, & Ruffinus in explicatione Symboli, eum inter Scripta Ecclesiastica numerat cum Libris Tobia, Iudith, & Machabaorum: demum tamen reiectus est a Gelasio inter fides dubia Scripturas: vt arbitror, ad hareticorum subuersionem, non Arrianorum quidem, (quorum haresi affine aliquid dixisse tamen videtur: Lib.3. Similitudinũ. videlicet, semen humanum, cum filio Dei, fuisse à Deo ditatum) sed Nouatianorum quibus initium videtur dedisse, quod non semel ait, 2. Libro Mandato 4. non esse secundam Pœnitentiam.* Hæc testimonia de Hermâ collecta fuerunt à D. Margarino de la Bignè, in prioribus editionibus Parisiensibus, & videntur esse de alio libro Hermæ, qui modò non extat, vt ex testimonio, quod sequitur Card. Rob. Bellarmini apparet.

EX BELLARMINO DE SCRIPTORIBVS Ecclesiasticis

De Auctore Libri, qui pastor inscribitur.

HERMEN siue Hermes librum scripsit apud veteres valde celebrem, quem inscripsit, *Pastorem*. Is liber quamuis à sancto Hieronymo in lib. de Script. Eccles. vtilis esse dicatur, & nomine scripturæ a sancto Irenæo libro quarto, capite trigesimo septimo citetur; & ab aliis antiquissimis Scriptoribus, vt Clemente Alexandrino, & Origene in testimonium adducatur: tamen nunquam fuit io Canone sanctorum, & diuinorum librorum; nam Gelasius in Concilio Romano inter Apocrypha scripta illum reiecit: & S. Hieronymus in prologo Galeato: & S. Athanasius in libro de Decretis Nicænæ Synodi, & Eusebius libro tertio Hist. cap. 3. dicunt hunc librum non esse in Canone: quod idem scripsit Tertullianus io lib. de Pudicitiâ.

Quamuis autem hic liber multa vtilia habeat, vt sanctus Hieronymus scribit: habet tamen etiam aliqua noxia, vt de vnicâ pœnitentiâ secundùm errores Nouatianorum, quibus hic liber omnino fauere videtur: vt etiam illud de duobus geniis, siue de duobus Angelis vno bono, & altero malo, singulis hominibus à Deo tributis; quem errorem ex hoc auctore accepit Ioan. Cassianus, eumque posuit in tertiâ decimâ collatione cap. 15. ante eum Origenes Homil.35. In Lucam.

Quis autem iste Hermam fuerit, non parua quæstio est. Nam Origenes in cap.16. ad Romanos, Eusebius lib.3. Histor.cap.3.& S.Hieronymus in lib. de Script.Eccles. dicunt, hunc esse illum Hermam, quem salutari iubet Apostolus in Epist. ad Romanos cap.16. cùm ait, Salutate Asyncritum, Plegontem, Hermam, &c. Damasus autem siue potius Anastasius Bibliothecarius in vitis Pontificum, quæ habentur ad initium primi Tomi Conciliorum, scribit, Hermam, siue Hermetem auctorem libri Pastoris fuisse fratrem S. Pij Romani Pontificis, & librum appellatum esse Pastorem, quoniam Angelus in habitu Pastoris Hermeti apparuerat, & vt ea scriberet, quæ illi reuelauerat, iusserat.

Non videtur autem fieri posse, vt Hermes frater Pij Pontificis ille sit, quem Apostolus salutari iusserat in Epist. ad Romanos: nam inter illam salutationem, & Pontificatum Pij intercedunt, vt minimum, anni centum, & qui salutabatur ab Apostolo, non erat infans recens natus, sed vir aliquis grauis, notus Apostolo ex operibus bonis: proinde non est probabile, illum superuixisse vsque ad tempora Pij Pontificis.

Deinde scribit S. Hieronymus loco notato, librum Pastoris apud Græcos fuisse notissimum, apud Latinos penè ignotum: at si auctor libri fuisset homo Latinus, & Romani Pontificis frater, debuisset liber ipsius notior Latinis esse, quàm Græcis.

Existimo igitur diuersos esse auctores, & diuersos eorum libros, quamuis idem ferè nomen gererent: nam præter ea, quæ dicta sunt, is, qui ab Apostolo salutari iubetur, vocatur Hermam; frater Pij dicitur Hermes: deinde liber, qui scriptus dicitur à fratre Pontificis, præcipuè continebat mandatum Domini per Angelum, vt Pascha die Dominico celebraretur: at in libro Pastoris, qui à veteribus citatur, & qui adhuc extat, nulla mentio fit Paschatis celebrandi die Dominico. Quare probabile est, librum Hermetis, fratris Pontificis citò interiisse: & solum reliquum esse illum celebriorem, quem scripsit Hermam discipulus Apostolorum.

Quod etiam confirmatur ex eo, quòd S. Irenæus lib.4. cap.37. citans cum librum dicit, Benè ergo Scripturâ dicit, primò omnium crede, quoniam vnus est Deus. Neque enim Irenæus scripturam absolutè vocaret librum auctoris sui temporis, & qui Apostolus, vel Apostolorum auditor non fuisset. Vide & Baron. Tom.2. Ann.159. & Ann.164.

Ex Tomo primo dissertationum P. Labbe S.I. in Bellarminum.

Distingunt, vt duos Hermetes, ita & duos libros Baronius & Bellarminus Cardinales, & ab Hermâ Discipulo S. Pauli librum, qui olim apud quasdam Græciæ ciuitates legebatur publicè, teste S. Hieronymo in Catologo, ex quo multi Scriptorum veterum testimonia vsurparunt, licet pene ignotus esset Latinis, volunt fuisse conscriptum: alterum vero, qui excidit, ab Hermete Pij Papæ fratre compositum, in quo mandatum continebatur Angeli in habitu Pastoris de Paschate die tantum Dominico celebrando. Quod vero ad authoritatem eius spectat, standum arbitror Gelasij Papæ decreto illum inter apocrypha reiicientis: neque tamen iis accedo qui supposititium putant opusculum illud tripartitum quod modò extat, licet inserta sint à malèferiatis quibusdam interpolatoribus hæreses ac fabellæ.

Tertullianus in illum librum commotior, hæc de eo habet, *Cederem tibi*, Zephyrinum Romanum Pontificem alloquitur, *hæreticarum partium fautor, Si scriptura Pastoris, quæ sola Mœcos amat, diuino instrumento meruisset incidi*, si non ab omni Concilio Ecclesiarum inter apocrypha & falsa iudicaretur.

Ex indice Librorum expurgandorum Ioan. Mariæ Brassichensis Mag. S. Palatij.

Dubitandum nullo pacto est libellum hunc Pastoris, vt modo scriptus habetur, ab Herma Pauli Discipulo non esse conscriptum, cum & hæresibus & fabulis sit oppletus. Eum S. Gelasius in Romano Concilio inter apocrypha scripta abiicit: item & S. Prosper libro contra Cassianum cap.30. nullius authoritatis esse pronunciat. Verisimile est ab hæreticis fuisse deprauatum.

HERMÆ, QVI SANCTI PAVLI Discipulus fuit, eius operis quod à Patribus, Pastoris, siue Pastoralis nomine, item duæ viæ, vel indicium Petri inscribitur & citatur.

LIBER I.

VISIO PRIMA.

Contra turpes, & elatas cogitationes, & negligentem Hermæ filiorum castigationem.

Qvi enutriuerat me, vendidit quandam puellam Romæ. Post multos autem annos hanc visam ego recognoui, & cœpi eam diligere vt sororem. Exacto autem tempore aliquo, lauari eam in flumine Tyberi vidi & porrexi ei manum, & eduxi eam è flumine, Visaque ea, cogitabam in corde meo dicens: Felix essem, si talem vxorem & specie & moribus sortitus essem. Hoc solum, nec vltra quicquam cogitaui. Post tempus autem aliquod cum iis cogitationibus proficiscens, honorificabam creaturam Dei, cogitans quàm magnifica & pulchra sit. Et dum ambulassem, obdormiui. Et spiritus me rapuit, & tulit me per quendam locum ad dexteram, per quem non poterat homo iter facere. Erat autem locus ille in rupibus, & abruptus, & inuius ab aquis. Cumque transissem locum illum, veni ad planitiem: & genibus positis, cœpi orare Dominum, & confiteri peccata mea. Et orante me, apertum est cœlum, & video mulierem quam concupiueram, salutantem me de cœlo, & dicentem: Herma, aue. Et ego prospiciens illam, dico ei: Domina, quid tu hic facis? At illa respondit mihi: Recepta sum huc, vt peccata tua arguam apud Dominum: Domina, inquam, nam tu me argues? Non, inquit. Sed audi verba, quæ tibi dicturs sum. Deus, qui in cœlis habitat, & condidit ex nihilo ea, quæ sunt, & multiplicauit propter sanctam Ecclesiam suam, itascitur tibi, quoniam peccasti in me. Respondens dico ei: Domina, si in te ego peccaui, vbi, aut quo in loco, aut quando tibi turpe verbum aliquod locutus sum? Nonne semper te quasi dominam arbitratus sum? Nonne semper te reueritus sum velut sororem? Quid in me comminisceris hæc tam nefanda? Tunc illa arridens mihi ait: In corde tuo ascendit concupiscentia nequitiæ. An non videtur tibi, viro iusto iniquam rem esse, si ascenderit in corde illius mala concupiscentia? Peccatum est ei, & quidem grande. Iustus enim vir, iusta cogitat. Cogitante ergo illo quæ iusta sunt, & rectè eo incedente, in cœlis propitiuum habebit Dominum in omni negotio suo. Qui autem nefanda cogitant in cordibus suis, mortem & captiuitatem sibi assumunt: maximè ij, qui sæculum hoc diligunt, & gloriantur in diuitiis suis: & qui non expectant futura bona, vacuantur animæ eorum. Hæc autem faciunt dubij, qui non habent spem in Domino, & contemnunt & negligunt vitam suam. Sed tu ora ad Dominum & sanabit peccata tua, totiusque domus tuæ, & omnium sanctorum. Postquam autem locuta est verba hæc, clausi sunt cœli. Et ego totus eram in mœrore & metu, & dicebam intra me: Si hoc mihi peccatum adscribitur, quomodo potero saluus esse, aut quomodo exorabo Dominum pro peccatis meis abundantissimis? Quibus verbis rogabo Dominum, vt mihi propitius sit? Hæc me recogitante, & discernente in

Leuis concupiscentia, grauis est in viro iusto. Contra superbos.

A

corde meo, video contra me cathedram de lanis candidis, sicut nix, factam magnam. Et venit mulier anus in veste splendidâ, habens librum in manu, & sedit sola, & salutauit me, Herma aue. Et ego mœstus & plorans, dixi: Domina aue. Et illa dixit mihi: Quid mœstus es Herma, qui eras patiens, & modestus, & semper hilaris? Respondens dico ei: Domina, contumelia mihi obiecta est à muliere optimâ, dicente quod peccaui in eam. At illa dixit mihi: Absit à seruo Dei res ista. Sed fortè in corde tuo ascendit illius concupiscentia. Est quidem in seruis Dei talis cogitatio peccatum inferens. Non enim debet hæc cogitatio abhorrenda esse in seruo Dei: neque spiritus probatus, concupiscere malum opus: & præcipue Hermas, qui est continens ab omni concupiscentiâ scelestâ, & est omni simplicitate plenus; & innocentiâ magnâ. Veruntamen non causâ tui irascitur Dominus, sed propter domum tuam quæ nefas admisit in Dominum, & in parentes suos. Et tu cùm sis amator filiorum, non commonuisti domum tuam, sed dimisisti illos conuersari violenter, propter hoc enim irascitur tibi Dominus. Sed sanabit omnia, quæ in te gesta sunt mala in domo tuâ. Propter illorum enim peccata & iniquitates, consumptus es à secularibus negotiis. Iam enim misericordia Dei misertia est tui, & domus tuæ, & conseruauit te in gloriâ: tu tantum noli vagari, sed animæquus esto, & conforta domum tuam. Tanquam ærarius producens opus suum, exponit ei, cui vult: sic & tu verbum quotidianum, iustum docens, abscindes grande peccatum. Ne desinas ergo commonere natos tuos, scit enim Dominus quod pœnitentiam agent ex toto corde suo, & scribet te in libro vitæ. Cúmque finisset verba hæc, ait mihi: Vis audire me legentem? Dico ei: Domina, volo. Esto ergo auditor. Et reuoluto libro, legebat gloriosè, magnificè, & mirificè, quæ non poteram in memoriâ retinere. Erant enim verba terrifica, quæ non poterat homo sustinere. Nouissima tamen verba memoriæ mandaui, erant enim pauca, & vtilia nobis: Ecce Deus virtutum, qui inuisibili virtute, & magno sensu suo condidit mundum, & honorifico consilio circumdedit decorem creaturæ suæ, & fortissimo suo verbo confixit cœlum, & fundauit terram super aquas, & virtute suâ potenti condidit sanctam Ecclesiam suam, quam benedixit, ecce * transfert cœlos ac montes, colles, ac maria, & omnia plena fient electis eius, vt reddat illis repromissionem quam repromisit, cum multo honore & gaudio seruauerint legitima Dei, quæ acceperunt in magnâ fide. Cúmque consummasset legendo, exurrexit de cathedrâ: & venerunt quatuor iuuenes, & tulerunt item cathedram ad orientem. Et vocauit me ad se, & tetigit pectus meum, aitque mihi: Placuit tibi lectio mea? Dico ei: Domina, hæc mihi nouissima placent, priora autem sæua & dura sunt. At illa ait mihi: Hæc nouissima iustis, priora autem * refugis & Ethnicis. Et cùm loqueretur mecum, duo quidam viri apparuerunt & sustulerunt illam in humeris, & abierunt, vbi & cathedra erat ad orientem. Hilaris autem discessit. Et cùm abiret, ait mihi, Confortare Herma.

Ira Dei ob negligentiam filiorum castigatiuum.

B

Herma pœna ob peccata domesticorum.

C

** Mutabit.*

Loquitur Dominus de nouis cœlis, in quibus habitabit iustitia, hoc est, de nouâ creaturâ.

** Apostatis desertoribus.*

D

VISIO II.

Rursum de negligenti vxoris loquacis & filiorum libidinosorum castigatione & eius modo.

CVm verò proficiscerer cum his, circa illud tempus quo & anno priore ambulans, commemoratus sum anni prioris visionem. Rursúmque me abstulit spiritus, & duxit me in eundem locum quo anno primo, & honorificaui nomen eius, quod dignum me arbitratus sit, & manifestauerit mihi peccata pristina. Et cùm surrexissem [illegible] oratione, video contra me anum illam, quam & anno superiore videram, ambulantem, & legentem libellum aliquem. Et ait mihi: Potes hæc electis Dei renuntiare? Dico ei: Domina, tanta in memoriâ retinere non possum: da autem mihi libellum, & describam. Accipe, inquit, & restituas mihi illum. Vt autem accepi, in quendam locum agri secedens, descripsi omnia ad literam, non inueniebam enim syllabas. Cúmque consummassem scripturam libelli, subitò de manu meâ raptus est libellus, à quo autem non vidi. Post quindecim autem dies, cùm ieiunassem, multúmque rogassem Dominum, reuelata est mihi scientia scripturæ. Erat autem Scriptura hæc. Semen tuum Herma, deliquit in Dominum, & prodiderunt parentes suos in nequitiâ magnâ. Et audierunt proditores parentum & prudentes profecerunt. Sed etiam nunc adiecerunt peccatis suis libidines, & commaculationes nequitiæ, & sic impleuerunt iniquitates suas. Sed impropera verba hæc filiis tuis omnibus, & coniugi tuæ quæ futura est soror tua. Et ipsa enim compescat linguam suam, in quâ malignatur. Et auditis verbis his, continebit se; & consequetur misericordiam. Erudietur enim, postquam improperaueris illi hæc verba, quæ mandauit ille dominator, vt tibi reuelentur. Tunc remittentur illis peccata, quæ iampridem peccauerunt, & omnibus sanctis, qui peccauerunt vsque in hodiernum diem, si ex toto corde suo egerint pœnitentiam, & abstulerint à cordibus suis dubitationes. Iurauit enim Dominator ille per gloriam suam, super electos suos, præfinitâ istâ die, etiam nunc si peccauerit aliquis, non habiturum illum salutem. Pœnitentiæ enim iustorum habent fines: impleti sunt dies pœnitentiæ omnibus sanctis, gentibus autem pœnitentia vsque in nouissimo die. Dices ergo eis qui præsunt Ecclesiæ, vt dirigant vias suas in iustitiâ: vt recipiant in pleno repromissionem cum multâ gloriâ. Permanete ergo, qui operamini iustitiam, & sic facite, vt sit transitus vester cum sanctis Angelis. Felices vos, quicunque sustinetis pressuram superuenientem magnam, & quicunque non negauerit vitam suam. Iurauit enim Dominus per filium suum. Qui denegauerit Filium & se, spondentes se vitam illius, & ipsi denegaturi sunt illum in aduenientibus diebus. Ij autem qui nunquam denegauerint, ob nimiam misericordiam propitius factus est illis. Tu autem Herma, noli meminisse iniuriarum filiorum tuorum, sed nec sororem tuam negligas, sed cura vt emendentur à pristinis peccatis. Erudientur enim doctrinâ istâ, si tu iam non fueris memor iniuriæ illorum. Memoria enim iniuriarum mortem operatur, obliuio verò earum vitam æternam. Tu autem Herma magnas tribulationes sæculares sustinuisti, propter præuaricationes domus tuæ, quoniam illas, vt ad te nihil pertinentes, neglexisti, & in negotiationibus tuis malignis implicitus es, sed illud te saluum faciet, quod non discesseris à Deo viuo. Et simplicitas tua, & singularis continentia, saluum facient te, si permanseris. Et omnes saluos facient, quicunque huiuscemodi operantur, & ingrediuntur in innocentiâ & simplicitate. Hi qui huiusmodi sunt, inualescent aduersus omnes nequitias, & permanebunt in vitam æternam. Felices omnes, qui operantur iustitiam, non absumentur vsque in vitam æternam. Dices autem: Ecce magna tribulatio venit. Si tibi videtur, iterum nega. Propè est Dominus conuertentibus, sicut scriptum est in Heldam & Modal, qui vaticinati sunt in solitudine populo. Reuelatum autem est mihi fratres dormienti, à iuuene specioso, & dicente mihi: Anum illam à quâ accepisti libellum, quam putas esse? Et ego dixi: Sibyllam, Erras, inquit, non est. Quæ est ergo Domine? Et dixit mihi, Ecclesia Dei est. Et dixi ad illum: Quare ergo anus est? Q[illegible]niam, inquit, omnium prima creata est, ideò anus: [illegible] propter illam mundus factus est: Post hæc autem visionem vidi in domo meâ, & venit illa anus, & interrogauit me, si iam libellum dedissem senioribus. Et respondi. Adhoc non. At illa dixit: Benè fecisti, habeo enim quædam verba edicere tibi. Cùm autem consummauero omnia verba, apertè scientur ab electis. * Scribes ergo duos libellos: & mi[illegible] vnum Clementi, & vnum Graptæ. Mittet autem [illegible]ens in exteras ciuitates, illi enim permissum est. Grapte autem commonebit viduas, & orphanos. Tu autem leges in hac ciuitate cum senioribus qui præsunt Ecclesiæ.

E

Ieiunat Herma.

Coniux futura Soror. Caute lege, nam autor Nouatianum dogma probare videtur, nō esse secundam pœnitentiā, hoc est, si semel quis post baptismū peccet posse pœnitere, ubi autem si subinde peccat, illi proiesse pœnitentiam, quasi hæresis transfersus.

F

G

Iniuriarum obliuio, & memoria.

H

Num.

Sybilla.

Ecclesia quàm antiqua.

** Locum hunc interpretatur de duplici Scripturæ sensu, Orig. περὶ ἀρχ. Lib. 4. cap. 2.*

VISIO III.

De Triumphantis Ecclesiæ structurâ, & variis hominum reproborum ordinibus.

VIsio quam vidi fratres, visio talis erat. Cùm ieiunassem frequenter, & precatus essem Dominum, vt mihi ostenderet reuelationem, quam pollicitus est ostendere per anum illam, eâdem nocte apparuit mihi anus illa, & dixit mihi: Quoniam sic langues, & sollicitus es ad sciendum omnia, veni in agrum, vbi vis: & circa horam sextam manifestabo me tibi, & ostendam tibi, quæ oporteat te videre. Rogaui illam dicens: Domina, in quem locum agri? Vbi, inquit, vis, elige locum bonum, secretum. Antequam autem loqui cœpissem, & dicere ei locum, ait mihi: Veniam, vbi vis. Fui ergo fratres in agro, & obseruaui horas, & veni in locum, vbi constitueram ei venire. Et video subsellium positum, erat cervical lineum, & super lineum expansum carbasinum. Videns hæc posita, & neminem esse in loco, stupere cœpi, & capilli mei exurrexerunt, & quasi horror me comprehendit, cùm essem solus. Ad me autem reuersus, & memoratus gloriam Dei, & acceptâ audaciâ, positis genibus confitebar DEO iterum peccata quæ prius. Ecce venit illuc cum iuuenibus sex, quos & ante videram, & stetit post me orantem, & audiebat me orantem, & confitentem Domino peccata mea. Et tangens me, dixit: Desine iam pro peccatis tuis tantum orare. Ora & pro iustitiâ, vt accipias partem ex eâ in domo tuâ. Et erexit me de loco, & apprehendit manum meam, & adduxit me ad subsellium, & ait illis iuuenibus: Ite, & ædificate. Postquam autem discesserunt iuuenes, & nos soli fuimus, ait mihi: Sede hîc. Dico ei, Domina sine seniores antè sedere. Quod tibi dico, inquit, sede. Cumque vellem sedere ad dexteram partem, non est passa, sed annuebat mihi manu, vt ad sinistram partem sederem. Cogitante autem me, & mœsto existente, quòd non siuit me ad dextram partem sedere, ait mihi: Quid mœstus es Herma? Locus qui est ad dextram, illorum est, qui iam meruerunt Deum, & passi sunt causâ nominis eius. Tibi autem superest multum, vt cum illis sedeas. Sicut manes, in simplicitate tuâ permane, & sedebis cum illis, & quicunque fuerint operati illorum opera, & sustinuerint, quæ illi sustinuerunt. Dico ei: Domina, vellem scire quæ sustinuerunt. Audi, inquit. Feras bestias, flagella, carceres, cruces causâ nominis eius. Propter hoc, illorum sunt dextræ partes sanctitatis, & quisquis patietur propter nomen Dei: reliquorum autem sinistræ partes sunt. Sed vtrisque eis, & qui ad dextram, & qui ad sinistram sedent, sunt dona & promissiones, tantùm; quòd ad dextram sedentes habent gloriam quandam. Tu autem cupidus es sedere ad dextram cum eis: sed * exiguitates tuæ multæ sunt. Emundaberis autem ab exiguitatibus tuis. Sed & omnes qui dubij non fuerint, emundabuntur ab omnibus peccatis in hunc diem. Et cùm hæc dixisset, volebat abire. Et procidens illi ad pedes, rogaui illam per Dominum, vt mihi demonstraret, quod repromiserat visum. At illa rursus apprehendit manum meam, & erexit me, & fecit sedere super subsellium ad sinistram: & eleuatâ virgâ quâdam splendidâ, dixit mihi: Vides rem magnam? Dico ei: Domina nihil video. Ecce non vides contra te turrim magnam, quæ ædificatur super aquas lapidibus quadris splendidis? In quadrato enim ædificabatur turris ab illis sex iuuenibus, qui venerant cum illâ. Alia autem multa millia virorum, adportabant lapides. Quidam autem de profundo trahebant lapides: alij de terrâ transferebant, & porrigebant illis sex iuuenibus. Porrò illi accipiebant, & ædificabant. Hi autem qui de profundo extrahebantur lapides, omnes sic ponebantur in structuram: politi enim erant, & conuenientes commissuræ cum aliis lapidibus, sicque coniungebantur alius ad alium, ita vt commissuræ eorum non paterent. Et in hunc modum apparebat structura turris, tanquam ex vno lapide ædificata. Cæteros autem lapides, qui adferebantur de terra, quosdam quidem reiiciebant, quosdam verò adaptabant in structuram. Alios exscindebant, & proiiciebant longè à turri. Alij autem lapides multi circa turrim positi erant: & non vtebantur illis ad structuram. Erant enim quidam ex illis scabrosi, alij autem scissuras habebant, alij verò candidi & rotundi, non conuenientes in structuram turris. Videbam autem alios lapides proiici longè à turri, & incidentes in viam, & non manentes in viâ, sed volui de viâ in locum desertum. Alios autem in ignem incidentes & ardentes. Alios cadentes secus aquam, nec posse volui in aquam, volentibus quidem eis intrare in aquam. Et cùm hæc mihi demonstrasset, volebat recedere. Dico ei: Domina quod mihi prodest hæc vidisse, & non scire quæ sint hæ res? Respondens dixit mihi: Versutus es homo, volens scire ea quæ circa turrim sunt. Ita, inquam, Domina vt fratribus annuntiem, & hilariores fiant, & hæc audientes, honorificent Dominum cum multâ gloriâ. Et illa ait: Audient quidem multi: & cum audierint; quidam ex eis gaudebunt, quidam autem flebunt. Sed & illi audientes si pœnitentiam egerint, & ipsi gaudebunt. Audi nunc de similitudine turris omnia hæc, & hactenus mihi de reuelatione molestior esse noli. Reuelationes enim istæ finem habent, impletæ sunt enim. Sed tu non desinis in petendo reuelationes; * improbus enim es. Turris quidem quam vides ædificari, ego sum Ecclesia, quæ tibi apparui & modò, & prius. Quodcunque igitur volueris, interroga de turri, & reuelabo tibi, vt gaudeas cum sanctis. Dico ei: Domina, quoniam me semel dignum arbitrata es, vt omnia mihi reueles, reuela. Ait mihi: Quodcunque oportuerit tibi reuelari, reuelabitur, tantùm vt cor tuum apud Dominum sit, & ne dubites, quodcunque videris. Interrogaui illam. Quare turris ædificata est super aquas, Domina? Dixeram tibi & prius, versutum te esse, circa structuras diligenter inquirentem: igitur inuenies veritatem. Quare ergo super aquas ædificatur turris, audi. Quoniam vita vestra per aquam salua facta est, & fiet. Fundata est enim verbo omnipotentis & honorifici nominis. Continetur enim ab inuisibili virtute Dei. Respondens dico ei: Magnificè habent se res hæ. Illi autem iuuenes sex qui ædificant, qui sunt, Domina? Hi sunt Angeli Dei, qui primò constituti sunt, quibus tradidit Dominus vniuersam creaturam suam struendi, ædificandi & dominandi creaturæ illius. Per hos enim consummabitur structura turris. Cæteri autem qui adportant lapides, qui sunt? Et ipsi sancti Angeli Domini. *Cùm ergo consummata fuerit structura turris, omnes simul epulabuntur iuxta turrim, & honorificabunt Dominum, quoniam consummata erit structura turris. Interrogaui eam dicens; Vellem scire exitum lapidum, & vim eorum qualis sit. Respondens autem, dixit mihi: Nunquid tu præ omnibus melior es, vt tibi reueletur? Alij enim priores te sunt, & meliores te, quibus oportebat reuelari visiones has, sed vt honorificetur nomen Dei, tibi reuelatum est, & reuelabitur, propter dubios, qui cogitant in cordibus suis, vtrumne sint hæc, an non sint. Dic illis quòd hæc omnia sunt vera, & nihil extra veritatem est, sed omnia firma, certéque fundata sunt. Audi nunc & de lapidibus qui sunt in structurâ. Lapides quidem illi quadrati, & albi, conuenientes in commissuris suis, ij sunt Apostoli, & Episcopi, & doctores, & ministri qui ingressi sunt in clementiâ Dei, & Episcopatum gesserunt, & docuerunt, & ministrauerunt sanctè & modestè electis Dei qui dormierunt, quique adhuc sunt, & semper cum illis conuenerunt, & in se pacem habuerunt, & se inuicem audierũt. Propter hoc & in structuram turris conueniunt commissuræ eorum. Qui verò de profundo trahuntur, & imponuntur in structuram, & conueniũt commissuræ eorum cum cæteris lapidibus, qui iam ædificati sunt, ij sunt qui iam dormierunt, & passi sunt causâ nominis Domini. Cæteri autem lapides qui adportabantur à terrâ, volo scire qui sunt, Domina? Ait: Eos, quidem qui in terram vadunt, & non sunt politi, illos Deus probauit, quoniam ingressi sunt in æquitatem Domini, & direxerunt vias in mandatis eius. Qui autem adferuntur, & ponuntur in structurâ turris, ij sunt nouelli in fide & fideles. Commonentur autem ab Angelis ad benefaciendum,

Marginalia: *Oratio pro iustitiâ.* — *Sedes Martyrum.* — *Dextra & Sinistra Beatitudinis.* — ** Vitia.* — *Lapidum multi ordines.* — ** Molestus.* — *Turris est Ecclesiæ.* — *Baptismus.* — *Angeli primi Ecclesiæ Architecti.* — ** Sed illi sunt his excellentiores.* — *Ecclesiæ multi sunt ordines.*

propterea

propterea quòd non est inuenta nequitia in illis. Quos autem reiiciebant, & ponebant iuxta turrim, qui sunt illi? Ii sunt, qui peccauerunt, & voluerunt pœnitentiam agere, propter hoc non sunt longè proiecti à turri, quoniam vtiles erunt in structura, si pœnitentiam egerint. Qui ergo pœnitentiam acturi sunt, si egerint pœnitentiam, fortes erunt in fide, si nunc pœnitentiam egerint, dum ædificatur turris. Nam si consummata fuerit structura, iam qui non habet locum, vbi ponatur, sed erit reprobus, solummodo autem hoc habebit, qui iam ad turrim positus est. Qui autem recidebantur, & longè proiiciebantur à turre; vis scire qui sont? Ii sunt filij iniquitatis, & qui crediderunt in simulatione, & omnis nequitiâ non discessit ab eis: propter hoc non habent salutem, quoniam non sunt vtiles in structurâ, propter nequitias suas. Quapropter excisi sunt & longè proiecti, propter iram Domini, quia exacerbauerunt eum. Cæteros autem lapides quos vidisti complures positos, non euntes in structuram; ij quidem scabrosi erant. Hi sunt, qui cognouerunt veritatem, & nec permanserunt in eâ, nec coniuncti sunt sanctis, propter hoc inutiles sunt. Qui autem scissuras habebant: qui alius aduersus alium in cordibus discordiam habent, & non habent pacem inter se: In præsentiâ quidem pacem habentes; cùm autem vnus ab * illo discesserit, nequitia eorum in cordibus permanet. Hæ sunt ergo scissuræ quas habent lapides. Qui verò curti sunt; ij sunt, qui crediderunt quidem, sed plurimam partem habent iniquitatis; propter hoc curti, & non integri sunt. Candidi autem & rotundi, & non conuenientes in structuram turris: qui sunt Domina? Respondens mihi, dixit: Vsquequo stultus es & insensatus, & omnia interrogas, & nihil intelligis? Hi sunt habentes quidem fidem, habentes autem & diuitias huius sæculi. Cùm ergo venerit tribulatio: propter diuitias suas & negotiationes abnegant Dominum. Respondens, dico ei: Domina: quando ergo vtiles erunt Domino? Cùm circuncisæ (inquit) fuerint diuitiæ eorum, quæ eos delectant: tunc erunt vtiles Domino, ad ædificium. Sicut enim lapis rotundus, nisi decisus fuerit & abiecerit ab se aliquid, non potest quadratus fieri: sic & qui diuites sunt in hoc sæculo, nisi circumcisæ fuerint diuitiæ eorum, non possunt Domino vtiles esse. A te primùm scito. Quando diues fuisti, inutilis eras: nunc verò vtilis es, & aptus vitæ tuæ: nam & tu ipse ex iis lapidibus fuisti. Cæteros autem lapides quos vidisti longè proiectos à turri, & currentes in viâ, & volui de viâ in loca deserta: ij sunt qui crediderunt quidem; dubitatione autem suâ, reliquerunt viam suam veram, putantes se meliorem viam posse inuenire. Errant autem, & miseri sunt: ingredientes in desertas vias. Qui autem cadebant in ignem, & ardebant: ij sunt, qui in perpetuum abscesserunt à Deo viuo, nec amplius illis ascendit in corda, pœnitentiam agere; propter desideria libidinum suarum, & scelerum quæ operantur. Cæteri verò qui cadebant iuxta aquas, & non poterant volui in aquas, qui sunt? Ij sunt, qui verbum audierunt, volentes baptizari in nomine Domini: quibus, cùm venit in memoriam sanctitas veritatis, retrahunt se, ambulántque rursus post desideria sua scelesta. Consummauit igitur enarrationem turris. Ego verò, cùm adhuc essem improbus; interrogaui illam: An iis omnibus lapidibus qui proiecti sunt, nec conueniebant in structuram turris: an est pœnitentia, & habebunt locum in turre hac? Habent (inquit) pœnitentiam; sed in hac turre non possunt conuenire: alio autem loco ponentur multo inferiore: & hoc, cum cruciati fuerint, & impleuerunt dies peccatorum suorum. Et propter hoc transferentur, quoniam perceperunt verbum iustum. Et tunc illis continget transferri de pœnis: si ascenderint in corda ipsorum opera, quæ operati sunt scelesta. Quòd si non ascenderint in corda ipsorum: non erunt salui, propter duritiam cordis sui. Cùm ergo destiti interrogare illam de omnibus istis: ait mihi; Vis aliud videre? Cumque cupidus essem ad videndum: hilaris factus sum vultu. Respiciens me: subrisit, & ait mihi: Vides septem mulieres circa turrim? Video (inquam) Domina. Turris hæc (inquit) ab iis supportatur secundùm præceptum Domini: Audi nunc effectus earum. Prima quidem earum quæ continet manu, fides vocatur: per hanc salui fient electi Dei. Alia verò quæ succincta est, & viriliter agit, abstinentia vocatur: hæc filia est fidei. Quisquis ergo secutus fuerit illam, felix fiet in vitâ suâ, quoniam ab omnibus operibus malis abstinebit: credens quòd si se continuerit ab omni concupiscentiâ, hæres erit vitæ æternæ. Cæteræ autem (inquam) Domina, quinque: quæ sunt: Filiæ (inquit) inuicem sunt. Vocatur autem quædam simplicitas, alia innocentia, alia modestia, alia disciplina, alia autem charitas. Cùm ergo seruaueris opera matris earum, omnia poteris custodire. Volebam scire (Domina) quam quæque earum habeat virtutem. Audi; inquit; Virtutes æquales habent; connexæ autem ad inuicem sunt virtutes earum, & sequuntur se inuicem sicut natæ sunt. Ex fide nascitur abstinentia: de abstinentia simplicitas; de simplicitate innocentia; de innocentiâ modestiâ; de modestiâ disciplina & charitas: harum ergo opera, sancta, & pudica, & recta sunt. Quicunque ergo seruierit his, & voluerit tenere opera earum; in turri habebit habitaculum cum sanctis Dei. Interrogaui illam de temporibus, si iam consummatio est? Illa autem exclamauit voce magna, dicens: Insensate homo? nonne vides turrim semper ædificari? Quando ergo consummata fuerit turris, & ædificata; habet finem: sed & citò consummabitur. Noli me amplius interrogare quicquam: Sufficiat tibi & omnibus sanctis commemoratio ista, & renouatio spirituum vestrorum. Sed non tibi hæc soli reuelata sunt, sed vt omnibus demonstres ea. Post triduum enim intelligere te oportet, Herma, verba hæc quæ tibi incipio dicere, vt loquaris ea in auribus sanctorum; vt audientes ea, cùm fecerint, emundentur à nequitiis suis; sed & tu cum illis. Audite me ergo, filij! Ego vos enutriui in multâ simplicitate, & innocentiâ, & modestiâ, propter misericordiam Dei, quæ super vos stillauit in iustitiâ; vt sanctificemini & iustificemini ab omni nequitiâ, & omni prauitate: vos autem non vultis requiescere à nequitiis vestris. Nunc ergo audite me, & pacem habete alius cum alio, & visitate vos alterutrum, & suscipite inuicem, & nolite soli creaturas Dei percipere. Abundantius etiam impertite egentibus: Quidam enim compluribus cibis, infirmitatem carnis suæ contrahunt, & violant carnem suam: Aliorum autem qui non habent escas, marcescit caro ipsorum propter id quod non habent sufficientem cibum; & consumitur corpus eorum. Hæc igitur intemperantia nociua est vobis habentibus & non communicantibus iis qui egent. Attendite iudicium superueniens. Qui eminentiores estis; inquirite esurientes, dum adhuc turris non est consummata. Postquam enim consummata fuerit turris; voletis benefacere, & non habebitis locum. Videte ergo vos, qui gloriamini in diuitiis vestris, ne fortè ingemiscant ij, qui egent: & gemitus eorum ascendat ad Dominum, & excludamini cum bonis vestris extra ianuam turris. Nunc itaque vobis dico, qui præestis Ecclesiæ, & amatis primos consessus; nolite similes fieri maleficis. Et malefici quidem, venena sua in pixidibus baiulant; vos autem venenum vestrum & pharmacum in corde continetis, & non vultis purgare corda vestra, & permiscere sensum vestrum puro corde vt habeatis misericordiam a Rege magno. Videte ergo filij, ne fortè hæ dissensiones vestræ fraudent vitam vestram. Quomodo vos erudire vultis electos Dei, cùm ipsi non habeatis disciplinam? Commonete ergo vos inuicem, pacatique estote inter * eos; vt & ego coram patre vestro astans, rationem reddam pro vobis Domino. Cumq; desiisset mecum loqui, venerunt illi sex iuuenes, qui ædificabant; & tulerunt illam ad turrim, & alij quatuor sustulerunt subsellia, & abierunt ipsi iterum in turrim: horum faciem non vidi, quoniam auersi erant. Euntem illam rogabam, vt mihi reuelaret de tribus figuris in quibus mihi apparuit. Respondens autem mihi; dixit: de his alium te oportet interrogare, vt tibi reueletur. Apparuit autem mihi (fratres) prima visione, ante superiorem; valde anus & in cathedra sedens. Alia autem visione faciem quidem iune-

Margin notes: A — *Peccatores pœnitentes.* — *Reprobi.* — *Hypocritæ.* — B — *Apostatæ.* — *Litigiosi.* — * *alio.* — *Diuites damnati.* — C — *Diuitiæ impediunt salutem.* — *Hermes aliquando diues.* — *Infideles.* — *Impœnitentes.* — *Purgatorium.* — *Caute lege, nam* — D — *perperam existimare videtur in purgatorio locum esse merito, & demerito, nec ibi adesse salutis certitudinem, quorum primum est hæresis manifesta, secundum verò temerarium, & à communi Theologorum sensu dissentiens.* — E — *V. de post alios Bellarminũ lib. 2. de purgatorio cap. 2. & 4. Locum hũc citat Orig. Hom. 13. in Ezech. cap. 27.* — *Abstinentia fidei filia.* — F — *Virtutum nexus.* — G — *Corpus laedi satietate & inedia.* — *Exhortatio ad opera charitatis.* — H — *Exhortatio ad Ecclesiæ Pastores.* — * *al. Vos.*

nilem habebat, carnem autem & capillos aniles, & stans mihi loquebatur, hilarior autem erat quàm primum. Tertia autem visione tota iunior erat & aspectu decora; tantùm quòd capillos aniles habebat: hilaris autem facie erat; & super subsellium sedens. De his ipsis mœstus eram valde, donec cognoscerem visionem hanc. Video anum illam in visu noctis dicentem mihi: Omnis cogatio humilitate eget: Ieiuna ergo, & percipies à Domino quod postulas. Ieiunaui ergo diem vnam. Eâdem nocte apparuit mihi iuuenis, & ait: Quid tu frequenter petis reuelationes in oratione? vidè, ne multa postulans, noceas carni tuæ. Sufficiant tibi reuelationes hæ; nunquid poteris fortiores reuelationes videre, quàm quas vidisti? Respondens ei dico: Domine, hoc solùm peto, pro tribus figuris illius anus, vt integra fiat reuelatio. Respondit mihi: Vos non insensati estis; sed dubitationes vestræ vos insensatos faciunt, eò quòd non habeatis cor vestrum ad Dominum. Respondi illi, & dixi: Sed à te ea diligentiùs cognoscemus. Audi (inquit) de figuris quas inquiris. In primâ quidem visione quarè anus tibi apparuit super cathedram sedens; quoniam spiritus vester antiquior, etiam marcidus est, & non habens vim à vestris infirmitatibus & dubitatione cordis: Sicut enim seniores qui non habent spem renouandi, & nihil aliud expectant nisi dormitionem suam, sic & vos infirmati à secularibus negotiis, tradidistis vos in socordiam, & non proiecistis à vobis sollicitudinem in Domino, & confusus est sensus vester, & inueterastis in tristitiis vestris. Quare ergo super cathedram sedebat, volebam cognoscere Domine? Respondit: quoniam omnis infirmus super cathedram sedet, propter infirmitatem suam, vt contineatur infirmitas eius. Ecce habes figuram primæ visionis. Secundâ autem visione, vidisti illam stantem, & iuuenilem faciem habentem, & hilariorem quàm pristinam; carnem autem & capillos aniles. Audi (inquit) & hanc parabolam. Cùm senior iam fuerit aliquis, desperat de seipso propter infirmitatem suam & paupertatem, & nihil aliud expectat nisi diem extremum vitæ suæ. Deinde subitò illi relicta est hæreditas, & audiens exurgit, hilarisque factus induit virtutem; & iam non discumbit, sed stat, & liberatus est à prioribus mœroribus, & iam non sedet, sed viriliter agit: Ita & vos audite reuelationem quam Deus vobis reuelauit: quia misertus est Dominus vestri, & renouauit spiritum vestrum, & deposuistis infirmitates vestras; accessit vobis fortitudo, & inualuistis in fide, & visâ Deus fortitudine vestrâ gauisus est. Propter hoc demonstrauit vobis structuram turris; & alia ostendet, si ex toto corde pacem habueritis inter vos. Tertiâ autem visione vidisti illam adolescentiorem, honestam & hilarem, & serenum vultum eius. Sicut enim, si alicui mœsto superuenerit nuntius bonus aliquis, statim oblitus est mœroris, nihilque aliud spectat nisi annuntiationem quam audiuit, & confortatur de cætero, & renouatur spiritus eius propter gaudium quod accepit: sic & vos renouationem accepistis spirituum vestrorum, videntes hæc bona. Et quia super subsellium vidistis sedentem, fortis positio est; quoniam quatuor pedes habet subsellium, & fortiter stat: nam & Mundus per quatuor elementa continetur. Qui ergo pœnitentiam egerint integrè, iuniores erunt; & qui ex toto corde pœnitentiam egerint, erunt fundati. Habes in pleno reuelationem, nihil ampliùs postules de reuelandis: si quid autem oportuerit, reuelabitur tibi.

Oratio eget humilitate, & ieiunio.

Ecclesia triplex figura.

Senum cogitationes.

Pacisfrenitus fratria.

Pœnitentia vtilitas.

VISIO IV.

De tentatione & tribulatione hominibus superuentura.

Visionem vidi, (fratres) post dies viginti pristinæ visionis, figuram tribulationis superuenturæ. Proficiscebar enim in illâ viâ Campanâ: à viâ autem publicâ, in villam, sunt ferè stadia decem. Rarò autem iter fit per locum illum. Et solus ambulans, rogabam Dominum, vt reuelationes eius quas mihi ostendit per sanctum Ecclesiam suam confirmaret; & daret pœnitentiam omnibus seruis suis qui scandalizati sunt, vt honorificetur nomen eius magnum & honorificum: & quia me dignum existimauit, vt ostenderet mihi mirabilia sua & eum honorificarem, & gratias agerem, tanquam vox mihi respondit: Ne dubites Herma. Intra me ergo cœpi cogitare & dicere: Ego quid habeo dubitare, sic fundatus à Domino: & qui vidi honorificas res? Progressus sum paululùm (fratres) & ecce video puluerem vsque ad cœlum: Cœpi dicere intra me; nunquid iumenta veniunt, & puluerem excitant? distabat autem à me, tanquam stadium. Et ecce video magis magisque puluerem exurgentem, adeò vt suspicarer esse aliquid diuinitùs. Pusillum autem resplenduit Sol, & ecce video bestiam magnam veluti cetum, & ex ore eius locustæ igneæ procedebant. Erat autem statura bestiæ illius pedes ferè centum: Caput autem habebat tanquam vas vinale. Cœpi flere, & inuocare Dominum, vt me liberaret ab illâ. Deinde recordatus sum verbi quod audieram; ne dubites Herma. Indutus ergo (fratres) fidem Dei, & memoratus quis docuit me magnalia, audenter in bestiam me tradidi. Sic autem veniebat bestia illa, ita vt posset in ictu ciuitatem delere. Veni propter illam, & tam grandis bestia extendit se in terram, & nihil nisi linguam proferebat; & in totum non mouit se, donec pertransissem illam totam. Habebat autem bestia illa super caput colores quatuor; nigrum, deinde rubeum & sanguinolentum, inde aureum, deinde album. Postquam autem pertransiui illam, progressus sum ferè pedes triginta, & ecce occurrit mihi virgo quædam exornata, tanquam de thalamo prodiens, tota in albis, & calceamentis albis circundata, & vsque ad faciem, vittam habens: pro tegumento autem habebat capillos nitidos. Cognoui ergo à pristinis visionibus, quoniam Ecclesia est: & hilarior factus sum. Salutauit autem me, dicens: Aue tu, homo! Et illam resalutaui dicens: Domina, aue! Respondens autem dixit mihi; nihil tibi occurrit homo? dico ei; Domina, occurrit mihi talis bestia quæ possit populum consumere; sed virtute Dei, & singulari eius misericordiâ, euasi illam. Benè effugisti (inquit) quoniam sollicitudinem & solicitudinem tuam ad Dominum proiecisti, & cor tuum aperuisti ad eum, credens quòd per nullum alium poteris saluus esse, nisi per magnum & honorificum nomen eius. Propter hoc misit Dominus Angelum suum qui est super bestias, cui nomen est, Hegrin, & obturauit os eius, ne te dilaniaret. Magnam tribulationem effugisti, propter fidem tuam, & qui talem bestiam non dubitasti. Vnde ergo, & enarra electis Dei magnalia ipsius: & dices illis, quòd bestia hæc figura est pressuræ superuenturæ. Si ergo præparaueritis vos, poteritis effugere illam, si cor vestrum fuerit purum ac sine maculâ, & reliquos dies vestros seruieritis Deo sine querelâ. Immittite solicitudines vestras super Dominum, & ipse diriget eas. Credite Deo qui estis dubij: quoniam omnia potest, & auertere iram suam à vobis, & mittere vobis præsidia. Væ dubiis his qui audierint verba hæc, & contempserint: melius erat illis non nasci. Interrogaui eam de illis quatuor coloribus quos habebat bestia in capite. At illa respondit mihi, dicens: Iterum tu curiosus es, de rebus huiusmodi interrogans. Et dixi: Domina, demonstra mihi quid sint illa? Audi (inquit) illud nigrum: mundus est, in quo commoramini: igneum autem & sanguinolentum; quoniam oportet seculum hoc per sanguinem & ignem deperire: aurea autem pars, vos estis qui effugistis seculum hoc. Sicut enim per ignem aurum probatur & vtile fit; sic & vos probamini qui habitatis in illis. Qui igitur permanserint & probati fuerint ab eis, purgabuntur. Et sicut aurum emendatur, & remittit sordem suam; sic & vos abiicietis omnem tristitiam & angustiam, & emundabimini in structuram turris. Alba autem pars superuenturi est seculi, in quo habitabunt electi Dei; quoniam immaculati & puri erunt electi Dei in vitam æternam. Tu ergo ne desinas loqui hæc auribus sanctorum. Habetis & figurā tribulationis superuenturæ magnæ. Nam si vos volueritis,

Ecclesia figura vt Virginis.

Hegrin Angelus bestiis præpositus. Angelos rebus omnibus præsidere ait Origenes Hom. 8. in Hierem.

4. Colores bestiæ.

nihil

A

nihil erit. In mente habete ista quæ præscripta sunt. Hæc cùm dixisset, discessit: non vidi autem quem in locum abierit. Strepitus autem factus est, & auersus sum retrorsum, metuens; & putabam bestiam illam aduenire.

HERMÆ QVI SANCTI PAVLI Discipulus fuit.

LIBER II.

PROEMIVM.

Angelus custos.

B

CVM orassem domi, & consedissem supra lectum, intrauit vir quidam reuerendâ facie, habitu pastorali, pallio albo amictus, peram in humeris, & virgam in manu gestans, & salutauit me: Et ego resalutaui eum. Protinusque consedit iuxta me, & ait mihi: Missus sum ab illo venerabili Nuntio, vt habitem tecum reliquos dies vitæ tuæ. Et ego putabam, ipsum ad tentandum me venisse. Et dico ei: Tu enim quis es? Ego enim noui cui tradi tus sum. Ait mihi: Non cognoscis me? Non, inquam. Ego (inquit) sum Pastor ille cui traditus es. Adhuc loquente eo, figura eius mutata est. Cumque cognouissem esse eum cui traditus fueram, confusus sum, protinusque metus me subiit, & totus mœrore confectus sum, quia ei responderam insipienter. Ait mihi, Noli confundi, sed virtutem concipe animo in mandatis meis quæ daturus sum tibi. Missus sum enim (inquit) vt quæ vidisti superius, omnia tibi rursus ostendam, præcipuè, quæ ex eis vtilia sunt vobis. Primùm omnium, mandata mea & species similitudinum scribe: Reliqua autem, sicut ostendero tibi, sic ea scribes. Ideò autem præcipio tibi, primum mandata mea & similitudines scribere; vt subinde legendo, faciliùs ea custodire possis. Scripsi igitur mandata & similitudines, ita vt præcepit mihi. Quæ audita si custodieritis, atque in his ambulaueritis, & exercueritis ea mente purâ, recipietis à Domino quæ pollicitus est vobis. Sin autem iis auditis, non egeritis pœnitentiam, sed adhuc adieceritis ad delicta vestra: à Domino, aduersa recipietis. Hæc omnia præcepit mihi scribere Pastor ille, nuntius pœnitentiæ.

C

MANDATVM PRIMVM.

De fide in vnum Deum.

Locum hunc citat Origenes. περὶ ἀρχ. 1. Lib. c. 3. Eusebius Eccle- siast. Hist. lib. 5. & Niceph. lib. 5.

PRimum omnium, crede quòd vnus est Deus qui omnia creauit & consummauit, & ex nihilo omnia fecit. Ipse capax vniuersorum, solus immensus est. Qui nec verbo definiri, nec mente concipi potest. Crede igitur in eum, & time eum; & timens, habe abstinentiam. Hæc custodi, & abiice abs te omnem nequitiam, & indue virtutem iustitiæ; & viues Deo, si custodieris mandatum hoc.

D

MANDATVM II.

De fugiendâ obtrectatione, & eleemosynâ faciendâ in simplicitate.

Contra obtrectatores.

DIxit mihi: Simplicitatem habe, & innocens esto, & eris sicut infans qui nescit malitiam, quæ perdidit vitam hominum. Primùm de nullo malè loquaris, neque libenter audias malè loquentem. Sin verò & tu audieris; particeps eris peccati malè loquentis, & credens, tu quoque peccatum habebis, quia credidisti male loquenti de fratri tuo. Perniciosa est detractio: inconstans dæmonium est: Nunquam in pace consistit: sed semper in discordiâ manet. Contine te ab illa, & semper pacem habe cum fratre tuo. Indue constantiam sanctam in quâ nulla sunt peccata, sed omnia læta sunt: & benè fac de laboribus tuis. Omnibus inopibus da simpliciter, nihil dubitans cui des. Omnibus da: omnibus enim Deus dari vult de suis donis. Qui ergo accipiunt, reddent rationem Deo, quare acceperunt, & ad quid. Qui autem accipiunt fictâ necessitate, reddent rationem; qui autem dat, innocens erit. Sicut enim accepit à Domino, ministerium consummauit, nihil dubitando cui daret & cui non daret: & fecit hoc ministerium simpliciter gloriosè ad Deum. Custodi ergo mandatum hoc sicut tibi locutus sum; vt pœnitentia tua simplex inueniatur, & possit domui tuæ bene fieri: & cor mundum habe.

Detrectatio est Dæmonium inconstans.

MANDATVM III.

De fugiendo mendacio, & Hermæ pœnitentiâ ob simulationem.

ITerum mihi dixit: Veritatem dilige, & omnis sermo verus ex ore tuo procedat; vt spiritus quem Dominus constituit in carne tuâ, verax inueniatur apud cunctos homines; & Dominus magnificetur qui dedit spiritum in te, quia Deus verax est in omni verbo & non est mendacium in ipso. Qui ergo mentiuntur, abnegant Dominum, non reddentes Deo depositum quod acceperunt: acceperunt enim spiritum sine mendacio. Hunc si mendacem reddunt, coinquinant mandatum Domini, & fraudatores fiunt. His auditis; ego vehementer fleui. Qui cùm flentem me videret; dixit mihi: quid ploras? Et dixi: quoniam Domine nescio an possum saluus esse? Quare? inquit. Et dixi: quia nunquam Domine, verum locutus sum verbum in vita meâ, sed semper in simulatione vixi, & mendacium pro veritate affirmaui omnibus; & non mihi quisquam contradixit, sed fides habita est verbo meo. Quomodo ergo potero viuere, cùm sic egerim? Et dixit mihi: Tu quidem bene & vere sentis, oportebat enim te sicut Dei seruum, in veritate ambulare, & malam conscientiam cum spiritu veritatis non coniungere, nec tristitiam Spiritui Dei sancto & vero facere. Et dixi illi: nunquam (Domine) hæc verba tam diligenter audiui. Et dixit mihi: nunc audis: Cura deinceps, vt & illa quæ priùs locutus es falsa pro negotiis tuis; his verbis & illa fidem recipiant. Possunt enim & illa fidem recipere, si vera locutus fueris deinceps, & si veritatem seruaueris, poteris vitam consequi. Et quicunque audierit hoc mandatum, & fecerit, & recesserit à mendacio; viuet Deo.

MANDATVM IV.

De dimittendâ adulterâ.

MAndo (ait) tibi, vt castitatem custodias, & non ascendat tibi cogitatio cordis de alieno matrimonio aut de fornicatione: hæc enim parit peccatum magnum. Tu autem semper memor esto Domini, omnibus horis, & nunquam peccabis. Si enim hæc cogitatio in cor tuum ascenderit tam mala, magnum peccatum facis: & qui hæc faciunt, viam mortis sequuntur. Vide ergo, tu abstine te ab hac cogitatione: Vbi enim castitas manet in corde hominis iusti, nunquam ibi ascendere debet cogitatio mala. Et dixi illi: Domine permitte me pauca verba tecum loqui. Dic, inquit. Et dixi illi: Domine, si quis habuerit vxorem fidelem in Domino, & hanc inuenerit in adulterio, nunquid peccat vir, si conuiuit cum illâ? Et dixit mihi: Quamdiu nescit peccatum eius, sine crimine est vir viuens cum illa. Si autem scierit vir vxorem suam deliquisse, & non egerit pœnitentiam mulier, & permanet in fornicatione sua, & conuiuit cum illâ vir reus erit peccati eius, & particeps mœchationis eius *. Et dixi illi: Quid ergo, si permanserit in vitio suo mulier? Et dixit: dimittat illam vir; & vir per se maneat. Quòd si dimiserit mulierem suam, & aliam duxerit & ipse mœchatur. Et dixi illi: Quid si mulier dimissa pœnitentiam egerit & voluerit ad virum suum reuerti nonne recipietur a viro suo? Et dixit mihi: imò si non receperit eam vir suus, peccat, & magnum peccatum sibi admittit: sed debet recipere peccatricem quæ pœnitentiam egit; sed non sæpe: Seruis enim Dei pœnitentia vna est. Propter pœnitentiam ergo non debet

A

Error Nouatianorum de vnicâ pœnitentiâ. Idololatria est adulterium.

dimissâ coniuge suâ, vir aliam ducere. Hic actus similis est in viro, & in muliere. Non solùm mœchatio est illis qui carnem suam coinquinant; sed & is qui simulachrum facit, mœchatur. Quòd si in his factis perseuerat, & pœnitentiam non agit, recede ab illa, & noli conuiuere cum illâ, alioquin & tu particeps eris peccati eius. Propter hoc præceptum est vobis, vt cœlibes maneatis tum vir tum mulier; potest enim in huiusmodi pœnitentia esse. Sed & ego non do occasionem vt hæc ita agantur; sed ne ampliùs, qui peccauerit, peccet. De prioribus autem peccatis eius, Deus qui potestatem habet sanitatem dandi, dabit remedium, quia ipse est qui habet potestatem omnium. Iterum interrogaui, & dixi: quoniam Dominus existimauit me dignum esse vt mecum habites semper; pauca verba mihi edissere, quia non intelligo quicquam, & cor meum obturatum est à pristinâ conuersatione: & sensum mihi aperi, quia vehementer obtusus sum, & in totum nihil intelligo. Et respondens dixit mihi: Ego præpositus sum pœnitentiæ, & omnibus pœnitentiam agentibus sensum do. An non tibi videtur, pœnitentiam agere, magnam sapientiam esse; quoniam qui pœnitentiam agit, sensum magnum adipiscitur? Sentit enim se peccasse, & fecisse nequiter in conspectu Domini; & recordatur intellectu, quod deliquit; & pœnitentiam agit, & amplius non operatur nequiter, sed operatur benè, & humiliat animam suam, & torquet eam, quia peccauit. Vides ergo, quòd pœnitentia sensus est magnus. Et dixi illi: propter hoc (Domine) diligenter inquiro omnia, quoniam peccator sum; vt sciam quæ operer, & viuam, quia multa sunt peccata mea. Et dixit mihi: Viues, si hæc mandata mea custodieris: & quicunque audierit & fecerit mandata hæc, viuet Deo. Et dixi illi: etiam nunc (Domine) audiui à quibusdam doctoribus, quòd alia pœnitentia non est nisi illa, cùm in aquam descendimus & accipimus remissionem peccatorum nostrorum, vlterius non peccare, sed in castitate permanere. Et ait mihi: rectè audisti. Nunc autem, quia diligenter omnia quæris; & hoc tibi demonstro, non dans occasionem illis qui credituri sunt aut qui crediderunt Domino. Qui enim iam crediderunt aut qui credituri sunt; pœnitentiam peccatorum non habent, sed remissionem: Illis enim qui vocati sunt ante hos dies, posuit Dominus pœnitentiam. Quoniam cogitationes præcordiorum nouit Deus, & scit infirmitatem hominum, & multiplicem nequitiam diaboli; quâ molitur aliquid sinistri seruis Dei, & malignè insidiatur illis: misericors ergo Dominus, misertus est figmenti sui. Et posuit pœnitentiam istam; & potestatem pœnitentiæ huius mihi dedit. Et ideo dico tibi, quòd post vocationem illam magnam & sanctam, si quis tentatus fuerit à diabolo & peccauerit, vnam pœnitentiam habet. Si autem subinde peccet, & pœnitentiam agit, non proderit homini talia agenti, difficile enim viuet Deo. Et ego dixi: Domine, reuixi, vbi tam diligenter audiui hæc mandata. Scio enim, si postea nihil adiecero peccatis meis, saluus ero. Et dixit: Saluus, inquam, & omnes quicunque fecerint hæc mandata, salui erunt. Et iterum dixi illi: Domine, quoniam patienter me audis, etiam hoc mihi demonstra. Dic, inquit. Si vir, vel mulier alicuius decesserit, & nupserit aliquis illorum, nunquid peccat? Qui nubit non peccat, inquit. Sed si per se manserit, magnum sibi conquirit honorem apud Dominum. Serua ergo castitatem, & pudicitiam, & viues Deo. Hæc tecum loquor, & mando tibi, custodi deinceps ex quo tibi traditus sum, & in domo tuâ habito, & prioribus peccatis tuis erit remissio, si mandata mea custodieris. Sed & omnibus erit remissio qui mandata mea custodierint.

B

Pœnitentia est magna sapientia.

Cautè legenda, ne videatur negare pœnitentiam iis qui post baptismum lapsi sūt.

C

Error.

Cum iudicio lego ista, nam auctor iterum atque iterum inculcat errorem Nouatianorum de vnicâ pœnitentiâ.

D

Secundæ nuptiæ. Magnus est honor castitatis vidualis.

MANDATVM V.

De tristitiâ cordis & pœnitentiâ.

Impatientia obscurat Spiritum sanctum.

ÆQuanimis, inquit, esto & patiens; & omnium operum nequissimorum dominaberis, & operaberis omnem iustitiam. Quòd si patiens fueris, Spiritus sanctus qui habitat in te, mundus erit, & non obscurabitur ab aliquo nequissimo Spiritu; sed † gaudens dilatabitur, & epulabitur in vase in quo inhabitat; & apparebit Domino hilaris in pace magnâ. Quòd si iracundia aliqua superuenerit; continuò Spiritus sanctus qui in te est, angustiabitur, & quæret discedere. Suffocatur enim aspectu nequissimo: & non habet locum apparendi Domino sicut vult, tribulatur enim ab iracundiâ. Vtrique ergo spiritus cùm pariter inhabitant, perniciosum est homini. Si quis enim assumat absinthij pusillum, & mittat in amphoram mellis; nonne totum mel exterminabitur; & tantum mellis à modico absinthio disperit & perdit dulcedinem mellis; & iam non habet gratiam apud Dominum suum: quoniam totum mel amarum factum est & vsum suum perdidit. Sed si in mel non mittatur absinthium; dulce erit, & in vsu Domino suo. Vide enim quàm sit æquanimitas dulcior melle; & vtilis erit Domino qui in ipsâ commoratur: nam iracundia inutilis est. Si ergo mixta fuerit iracundia æquanimitate, contribulatur animus, & non est vtilis Deo oratio illius. Et dixi illi: Vellem scire, Domine, nequitiam iracundiæ, vt custodiam me ab illâ. Et dixit mihi: scies, &, si non custodieris te ab illâ perdes spem tuam cum totâ domo tuâ: sed recede ab illâ. Ego enim tecum sum nuntius æquitatis, & omnes qui ab eâ recedunt, quicumque pœnitentiam egerint ex totis præcordiis suis, viuent Deo, sed & cum illis ero, & conseruabo omnes. Iustificati enim sunt omnes, qui pœnitentiam egerint, à sanctissimo * nuntio. Audi nunc, inquit, nequitiam iracundiæ, quàm praua, quàmque noxia est, & quo pacto seruos Dei euertit: qui enim pleni sunt in fide, non potest nocere illis, quoniam virtus Dei est cum illis, euertit enim dubios & vacuos. Quoties autem viderit tales homines, iniicit se in corda eorum, & de nihilo aut vir, aut mulier amaritudinem percipit propter res quæ sunt in vsu, aut pro conuictu, aut pro aliquo verbo, si quod fortè incidit superuacuo, aut pro amico aliquo, aut debito, aut pro his similibus superuacuis: hæc enim stulta sunt, & superuacua & vana seruis Dei. Æquanimitas autem valida est & fortis, & habet virtutem magnam, & sedet in amplitudine magnâ, hilaris in pace, gaudens & honorificans Dominum in omni tempore mansuetè. Hæc enim æquanimitas habitat cum benefidentibus: nam iracundia stulta est & leuis, & fatua. De stultitiâ verò nascitur amaritudo, & ex amaritudine iracundia, ex iracundiâ verò furor. Hic ex tot malis creatus furor operatur peccatum magnum & insanabile. Cum enim hæc omnia in vno vase sunt, vbi & Spiritus sanctus moratur: non capit hos vas, sed supereffluit: quoniam tener Spiritus non potest cum malo spiritu immorari, recedit & habitat cum mansueto, deinde cùm recesserit ab homine in quo habitabat, fit homo vacuus à Spiritu sancto, & postea repletur spiritibus malignis, & obcæcatur à cogitatione malâ. Recede ergo tu ab iracundiâ, & indue animæquitatem, & resiste iracundiæ, & inuenieris cum pudicitiâ & castitate à Deo. Vide ergo, ne fortè negligas hoc mandatum: si enim huic mandato obedientiam præstiteris, & cætera mandata mea quæ tibi mandaturus sum, poteris seruare. Confirma ergo nunc te in mandatis istis vt viuas Deo, & quicunque seruauerint hæc mandata, viuent Deo.

E

** al. Lætitiâ exultabit: Iracūdia extinguit Spiritum sanctum.*

Iracūdia inutilem reddit orationē.

F

** al. Angelo.*

Iracūdia euertit parum fideles. Iracūdia nequitia & quàm leuia sint argumenta.

G

Æquanimitas. Iracundia stulta est & leuis.

Castitas iracundiam superatam sequitur. Qui restitit iracundiæ, potest implere Dei mādata.

H

MANDATVM VI.

De agnoscendis vniuscuiusque hominis duobus Geniis; & vtriusque inspirationibus.

PRæceperam, inquit, tibi in primo mandato, vt custodires fidem, & timorem & pœnitentiam. Etiam, inquam, Domine. Sed nunc tibi volo monstrare virtutes horum mandatorum, vt scias effectus illorum, quomodo ipsa posita sunt ad iustum pariter & iniustum. Tu itaque crede iusto, iniusto autem tu nihil crede: Iustitia enim rectam viam habet, at iniustitia prauam. Sed tu rectam viam custodi, prauam autem relinque. Praua autem via non habet exitum bonum, sed offendicula multa: Aspera est & spinosa, & ducit ad interitum, & noxia

Via iniustitia est spinosa.

est

A

est hominibus ambulantibus in illâ: qui autem viam rectam petunt; æqualiter ambulant sine offensione, quia non est aspera, neque spinosa. Vides igitur quòd melius est per hanc viam incedere? Ibis, enim, inquit, & quicunque ex toto corde crediderint in Domino, ibunt per illam. Audi nunc, inquit, primum de fide. Duo sunt Genij cum homine: Vnus, æquitatis; & vnus iniquitatis. Et ego dixi illi: quomodo, Domine, scire potero, quòd duo sunt Genij cum homine? Audi, inquit, & intellige. Æquitatis Genius tener est, lenis & verecundus, mansuetus & quietus. Cùm ergo in cor tuum ascenderit, continuò loquetur tecum de iustitiâ, de pudicitiâ, de castitate, de benignitate, de veniâ, de charitate, de pietate. Hæc omnia cùm ascenderint in cor tuum, scito quòd Genius æquitatis tecum est: huic ergo Genio crede, & operibus eius. Accipe nunc & Genij iniquitatis opera. Primum amarus, iracundus, & stolidus est; & opera illius perniciosa sunt, & euertunt seruos Dei. Cùm ergo in cor tuum ascenderint hæc, intelliges ab operibus eius, hunc esse Genium iniquitatis. Quomodo, Domine, intelligam? Audi, inquit, & intellige. Cùm iracundia tibi accesserit, aut amaritudo; intellige eum esse in te: deinde cupiditas multorum operum, & optimorum ciborum, & ebrietatum, & appetentia multarum rerum alienarum, & superbia, & multiloquia, & ambitio & quæcunque iis similia sunt. Hæc ergo cùm in cor tuum ascenderint: intellige Genium iniquitatis tecum esse. Tu ergo cùm cognoueris opera illius, recede ab illis omnibus, & nihil illi crede, quia mala sunt opera illius, & non conueniunt seruis Dei. Habes ergo vtrorumque Geniorum opera: Intellige nunc & crede Genio æquitatis, quia doctrina illius bona est. Licet enim sit felicissimus homo & cogitatio alterius Genij ascendat in cor illius, oportet illum virum, aut mulierem peccare. Si autem etiam nequissimus vir fuerit, aut mulier; & ascenderint in cor illius, opera Genij æquitatis; necesse est, illum aut illam aliquid boni facere. Vides ergo quod bonum est genium æquitatis sequi. Si ergo illum secutus fueris, & credideris operibus illius; viues Deo: & qui crediderint operibus illius, viuent Deo.

Vititur author toto hoc sexto mandato voce Genij gentilium pro voce Angeli. Angelus iniquitatis quales cogitationes immittit nobis.

B

C

MANDATVM VII.

De Deo timendo & Dæmone non metuendo.

Timor Dei.

TIme, inquit, Dominum, & mandata eius custodi. Seruans enim præcepta Dei, eris potens in omni actu & omne negotium tuum erit incomparabile. Timens enim Dominum, omnia bona operaberis. Hic est timor quo timere oportet, vt saluus esse possis. Diabolum autem ne timeas; timens enim Dominum, dominaberis illius, quia virtus in illo nulla est: In quo autem virtus non est, is ne timendus quidem est in quo verò virtus gloriosa est, is etiam timendus est. Omnis enim virtutem habens, etiam timendus est. Nam qui virtutem non habet, ab omnibus contemnitur. Time planè facta diaboli, quoniam maligna sunt: metuens enim, Dominum timebis, & opera diaboli non facies, sed abstinebis te ab eis. Duplex enim timor est. Si enim malum operari volueris; timens Dominum, ne id quidem facies. Si autem bonum operari volueris; timor vtique Domini validus, & ingens, & gloriosus est. Time igitur Deum, & viues. Et quicunque eum metuerint custodientes mandata eius, eorum vita est apud Dominum; non custodientium autem, nec vita in illis est.

Diabolus non metuendus.

D

Timor duplex.

MANDATVM VIII.

Declinandum esse à malis, & facienda bona.

Duplex abstinentia.

DIxi tibi, inquit, quòd creaturæ Domini duplices sunt, & abstinentia duplex est. A quibusdam ergo abstinere oportet, à quibusdam verò non. Manifesta, inquam, mi Domine, a quibus abstinere oportet, & à quibus non. Audi, inquit; A malo abstine, & noli id facere. A bono autem abstinere noli, sed fac illud. Si enim abstinueris à bono, & non id feceris, peccabis. Abstine igitur ab omni malo, & scies omnem iustitiam. Quales, inquam, malignitates sunt hæ, à quibus abstinere oportet? Audi, inquit, Ab adulteriis, ebrietatibus, commessationibus malignis, ab esca nimiâ, à lautitiâ, & inhonestate, à superbiâ, ab abnegatione, à mendacio, à detractione, à nequitiâ fictâ, à recordatione iniuriæ, & à fama pessimâ. Hæc enim sunt opera iniquitatum, à quibus abstinere oportet seruum Dei. Qui enim ab iis abstinere non potest, viuere Deo non potest. Audi nunc, inquit, & sequentia eorum. Et quidem multa sunt adhuc, à quibus abstinere debet seruus Dei. A furto, ab abnegatione, à falso testimonio, à cupiditate, à superbiâ, & quæcunque iis similia sunt. Videntur ergo tibi hæc mala esse, an non? Equidem valde mala sunt seruis Dei. Ab his ergo omnibus debet abstinere seruus Dei. Abstine ergo ab omnibus his, vt viuas Deo, & scribaris cum abstinentibus. A quibus ergo debeas abstinere, illa sunt. A quibus autem non debeas abstinere, audi. Ab omnibus bonis operibus noli abstinere. Sed fac illa. Audi, inquit, virtutem bonorum operum quæ debeas operari, vt saluus esse possis. Primum omnium est fides, timor Domini, charitas, concordia, æquitas, veritas, patientia, castitas. Iis nihil est melius in vitâ hominum, qui hæc custodierint & fecerint in vitâ suâ. Deinde horum sequentia audi. Viduis administrare, orphanos & pauperes non despicere, & seruos Dei ex necessitate sedimere, hospitalem esse, hospitalitate enim Inuenitur aliquando fructus bonus. Non contradicere, quietum esse, humillimum fieri omnium hominum, maiores natu colere, studere iustitiæ, fraternitatem conseruare, contumelias sufferre, æquanimem esse. Lapsos à fide non proiicere, sed æquanimes facere, peccantes admonere, debitores non premere, & si qua iis similia. Videntur tibi hæc esse bona, an non? Quid enim melius est, inquam, verbis istis? Viue ergo in his mandatis, & noli ab eis recedere. Si enim custodieris hæc omnia mandata, viues Deo, & omnes qui custodierint hæc mandata, viuent Deo.

E

F

Fraternitatem conseruare.

G

MANDATVM IX.

Postulandum à Deo assiduè, & sine hæsitatione.

ITerum dixit mihi: Tolle à te dubitationem, & nihil omnino dubites. Petens aliquid à Domino, ne dicas intra te: quomodo verò possum aliquid petere à Domino, & obtinere, cùm sim peccator tantorum malorum in Dominum? Noli hoc cogitare, sed ex totis præcordiis conuertere ad Dominum. Pete sine dubitatione, & scies misericordiam Domini, quòd non te derelinquet, sed petitionem animæ tuæ adimplebit. Non est enim Deus sicut homines memores iniuriarum, sed est immemor iniuriarum, & miseretus figmenti sui. Ergo purifica cor tuum ab omnibus vitiis huius sæculi, & obserua prædicta verba tibi à Deo data, & accipies omnia bona quæ petis, & ex omnibus petitionibus tuis nihil deerit tibi, si sine dubitatione petieris à Domino. Qui ergo tales non sunt, omnino nihil impetrant eorum quæ petunt. Nam qui pleni sunt fide, omnia petunt fidenter, & accipiunt a Domino, quia sine dubitatione petunt. Omnis enim dubitans homo, si non pœnitentiam egerit, difficile Deo viuet. Purifica ergo cor tuum a dubitatione, & indue fidem, & crede Deo, & omnia quæ petieris, accipies. Sed si petas aliquando petitionem, & non accipias, noli dubitare, quia non cito acceperis petitionem animæ tuæ: forsitan enim propter tentationem, aut pro peccato tuo quod tu ignoras, tardiùs accipies petitionem tuam. Sed tu noli desinere petendo petitionem animæ tuæ, & accipies. Si autem cessaueris petendo, de te queraris, non de Deo, quòd non dederit tibi. Vide ergo dubitationem hanc, quàm perniciosa sit & sæua, & multos radicitùs euellat à fide, etiam valde fideles & firmos. Etenim

H

Dubij ni exorant.

Cur nõ exaudimur à Deo.

hæc dubitatio filia est diaboli,& valde nequiter agit cum seruis Dei. Contemne ergo dubitationem, & dominaberis illius in omni re. Indue firmam fidem & potentem. Fides enim omnia repromittit, & omnia consummat. Dubitatio autem non credit se aliquid impetraturam omnibus operibus suis quæ agit. Vides ergo,inquit, quòd fides desursum est à Deo, & habet virtutem magnam. Dubitatio autem terrenus spiritus est, & à diabolo, virtutem non habens. Tu igitur serua virtutem fidei: à dubitatione autem recede, quæ non habet virtutem, & viues Deo, & omnes viuent Deo quicunque hæc egerint.

Dubitatio.

MANDATVM X.

De animi tristitiâ, & non contristando spiritum Dei qui in nobis est.

LOngè fac à te omnem tristitiam, etenim hæc soror est dubitationis & iracundiæ. Quomodo, inquam, Domine, soror est harum? Aliud mihi videtur tristitia, aliud iracundia, aliud dubitatio. Et ait: Sine sensu, non intelligis. Tristitia enim omnium spiritus nequissimus est, & pessima seruis Dei, & omnium spiritus exterminat, & cruciat Spiritum sanctum, & iterum saluum facit. Ego, inquam, Domine, insipiens sum, & non intelligo quæstiones istas, quomodo possit cruciare, & iterum saluum facere, non intelligo. Audi, inquit, intellige. Hi qui nunquam exquisierunt veritatem, neque inquisierunt de maiestate, sed tantùm crediderunt, sunt inuoluti in negotiis hominum Ethnicorum. Et alius mendax Prophetes est, qui perdit sensus seruorum Dei, dubiorum autem, non illorum qui fidunt in Domino plenè. Illi ergo dubij quasi ad diuinum spiritum veniunt, & interrogant illum, quid illis futurum sit. Et ille mendax Prophetes, nullam habens in se virtutem spiritus diuini, loquitur illis secundùm interrogationem illorum, & implet animas illorum promissis, sicut illi volunt. Ille autem Prophetes inanis est, & inania respondet inanibus. Quicquid enim interrogatur à vanis hominibus, vana respondet illis. Quædam autem verba vera loquitur. Diabolus enim implet eum spiritu suo, vt deiiciat aliquem ex iustis. Quicunque ergo fortes sunt in fide Domini, & induti sunt veritatem, talibus spiritibus non iunguntur, sed discedunt ab illis. Quotquot autem dubij sunt, & subinde pœnitentiam agunt, consulunt tanquam Ethnici & permagnum sibi peccatum congerunt, idolis seruientes. Quicunque ergo tales sunt, interrogant pro negotio quolibet, simulachra colunt, & stulti sunt, & inanes à veritate. Omnis enim spiritus à Deo datus non interrogatur: sed habens virtutem diuinitatis, à se omnia loquitur, quia desursum est à virtute diuini spiritûs. Qui autem interrogatus, loquitur secundùm desiderium, & aliis multis rebus huius sæculi: huiusmodi non intelligunt quæstiones diuinitatis; obscurantur enim iis negotiis, & corrumpuntur, & confringuntur. Sicut vites bonæ quæ negliguntur, ab herbis & spinis premuntur & necantur: sic & homines qui talibus crediderunt, ij negotiis & actionibus multis incidenuot, & euacuantur à sensu suo, & nihil omnino intelligunt, de diuitiis cogitantes: Sed si quando audierint de Domino, sensus eorum in negotiis ipsorum est. Qui autem timorem Domini habent, & scrutantur de Deo veritatem, cogitationem omnem habent ad Dominum. Omnia quæ dicuntur eis, percipiunt; & statim intelliguntur, quia habent timorem Domini in se. Vbi enim spiritus Domini inhabitat; ibi & sensus multus adiungitur. Adiunge ergo te Domino; & omnia intelliges ac senties. Audi nunc insipiens; quemadmodum tristitia cruciat Spiritum sanctum, & quomodo saluum facit. Cùm dubius inciderit in negotium aliquod, & non prouenit illi propter dubitationem; tristitia hæc intrat hominem, & tristem facit Spiritum sanctum, & vexat eum. Deinde iterum: iracundia cùm accesserit homini pro negotio aliquo, vehementer irascitur, & hæc ira intrat in præcordia irascentis, & vexatur in negotio suo quod agit, & postea pœnitet quod malè fecerit. Vtræque ergo res lædunt Spiritum sanctum; dubitatio, & tristitia. Dubitatio; quia non successit actus eius: & tristitia; quia fecit iracundiam spiritui. Aufer ergo tristitiam à te, & noli offendere Spiritum sanctum qui in te habitat; ne roget Dominum & recedat a te. Spiritus enim Dei, qui datus est in carnem, tristitiam non sustinet. Indue te ergo hilaritate quæ semper habet gratiam apud Dominum, & lætaberis in eâ. Omnis enim hilaris vir benè operatur, & bona sapit, & contemnit iniustitiam: Vir autem tristis malè facit, quia tristem facit Spiritum sanctum qui datus est homini hilari. Et iterum malè facit, quòd tristis orat Dominum, & non antè facit exomologesim, & non impetrat à Deo quod petit. Semper enim oratio tristis hominis, non habet virtutem vt accedat ad altare Dei. Et dixi illi: Domine quare non habet virtutem oratio tristis hominis vt ascendat ad altare Domini? Quoniam, inquit, tristitia sedet in corde eius. Cùm ergo mixta fuerit oratio viri cum tristitiâ, non patietur orationem mundam ascendere ad altare Dei. Sicut enim vinum aceto mixtum, eandem suauitatem non habet: sic & tristitia Spiritui sancto mixta, eandem orationem mundam non habet. Munda ergo te à tristitiâ malâ, & viues Deo; & omnes viuent Deo, qui proiecerint à se tristitiam, & induerint hilaritatem.

Tristitia est nequissimus omnium spirituū. — *Pseudoprophetæ, quidam …* — *Vites inculta spinis obruuntur.* — *Tristitia cruciat Spiritum sanctum.* — *Hilaris benè operatur.* — *Exomologesis ante orationē. Oratio cū tristitiâ inefficax est.*

MANDATVM XI.

Spiritus & Prophetas probari ex operibus: & de duplici Spiritu.

OStendit mihi sedentes in subselliis homines, & vnum sedentem in cathedrâ. Et dixit mihi: Vides illos qui in scamnis sedent? Video, inquam, Domine. Illi, inquit, sunt fideles, Et ille qui in cathedrâ sedet Spiritus terrestris est. Nam in Ecclesiam viuorum non accedit, sed refugit: applicat autem se dubiis, & vacuis: & in angulis & abditis locis diuinat illis, & delectat illos, loquendo secundùm omnia desideria cordis eorum. Vacuis enim vasis quod committitur, non effluit: sed conueniunt alius ad alium. Cùm autem venerit in turbam virorum iustorum habentium spiritum diuinitatis, & oratio virorum fit ad Dominum: exinanitur homo ille, quoniam spiritus ille terrestris fugit ab illo, & obmutescit, nec quicquam potest loqui. Sicut in apotheca si obturaueris vinum vel oleum, & inter illa vasa posueris amphoram vacuam, & rursum obturamentum deponere volueris, amphoram illam quam posuisti, vacuam inuenies: sic & Prophetæ vacui, cùm venerint inter spiritum iustorum: quales veniunt, tales inueniuntur. Habes vtrorumque Prophetarum vitam. Proba ergo de vitâ & operibus, hominem qui dicit se Spiritum sanctum habere. Tu autem crede spiritui venienti à Deo habenti virtutem. Spiritui autem terrestri vacuo, qui à diabolo est, in quo fides non est neque virtus, credere noli. Audi ergo similitudinem quam tibi dicturus sum. Accipe lapidem, & mitte in cœlum: aut iterum accipe siphonem aquæ, & eiacula in cœlum: & vide si possis pertundere cœlum. Quomodo, inquam, Domine, hæc fieri possent? Vtraque enim quæ dixisti, fieri non possunt. Sicut ergo, inquit, hæc fieri non possunt: sic spiritus terrestris sine virtute est, & sine effectu. Accipe nunc virtutem de sursum venientem, in hac similitudine. Grando minimum granum est: & cùm cadit super caput hominis, quomodo dolores præstat? Aut iterum: vide stillicidium quod a tegulâ cadit in terram, & cauat lapidem: Sic igitur minima quæ desursum cadunt super terram, magnam habent virtutem. Adiunge te ergo huic habenti virtutem, & ab illo vacuo recede.

Spiritus terrestris qualis sit. — *Spiritus probandus ex operibus.* — *Cœlestis virtus maxima est.*

MANDATVM XII.

De duplici cupiditate: Dei mandata non esse impossibilia, & diabolum non metuendum credentibus.

ITerum dixit mihi: Tolle à te omnem cupiditatem malam, & indue cupiditatem bonam & sanctam. Indutus

enim

A *Mala cupiditas per bonã frænatur.*

enim cupiditatem bonam, oderis malam, & refrænabis eam sicut volueris. Horrenda est enim cupiditas mala, & difficilè mitigatur. Horribilis est valdè & fera, & feritate suâ consumit homines: maximè si inciderit in eam seruus Dei: & nisi sapiens fuerit, consumetur ab illâ pessimè. Consumit autem tales qui non habent vestem cupiditatis bonæ: & implicat illos negotiis huius sæculi, & tradit illos morti. Quæ sunt, inquam, Domine opera cupiditatis malæ, quæ tradunt homines morti? Demonstra mihi, vt recedam ab illis. Audi, inquit, in quibus operibus cupiditas mala, morti tradit seruos Dei. Spiritus omnium hominum terrestris est, & leuis, & virtutem non habet in totum, & multa loquitur. Et dixi quomodo igitur scire potest aliquis, eos? Audi, inquit, de vtrisque vasis: & sicut dico tibi, sic probabis Prophetam Dei, & falsum Prophetam. Primùm, Ita proba hominem qui habet Spiritum Dei: quia Spiritus Dei de sursum est, quietus est & humilis, & recedit ab omni nequitiâ & desiderio vano huius sæculi, & omni homine se facit humiliorem, & nemini respondet interrogatus, nec singulis respondet: neque cùm vult, homini loquitur Spiritus Dei; sed tunc loquitur cùm vult Deus.

Spiritus bonus, qualis sit. B

Cùm ergo venerit homo qui habet Spiritum Dei, in Ecclesiam iustorum habentium fidem Dei, & oratio fit ad Deum: tunc * nuntius sanctus diuinitatis implet hominem illum Spiritu sancto; & loquitur in turbâ, sicut Deus vult. Sic ergo dignoscitur spiritus diuinitatis, In quocunque spiritus diuinitatis loquitur.

** al. angelus.*

Audi nunc & de spiritu terrestri, vacuo & fatuo, virtutem non habente. Primùm autem, hunc homo putatur spiritum habere; exaltat enim se, & vult primam cathedram habere, & improbus est, & verbosus, & in deliciis conuersatur, & in voluptatibus multis, & mercedem accipit diuinationis suæ: Quòd si non acceperit: non diuinat. Itáne Spiritus Dei potest mercedes accipere, & diuinare? Non conuenit hæc facere Dei Prophetam! Sed cupiditas mala est, concupiscere vxorem alienam; vel mulierem concupiscere virum alienum; & lautitias concupiscere diuitiarum, & multitudinem ciborum superuacuorum, & ebrietatem multam, & delicias multas.

Spiritus terrestris qualis sit.

C *Deliciæ fatuæ sūt*

Fatuæ enim sunt deliciæ multæ, & voluptates multæ superuacuæ sunt seruis Dei. Hæc ergo cupiditas mala est & perniciosa, quæ mortificat seruos Dei. Hæc enim cupiditas à diabolo est. Quicunque ergo recesserint à cupiditate malâ, viuent Deo: nam quicunque subiecti fuerint cupiditati malæ; in perpetuum morientur: mortifera enim est hæc cupiditas mala. Tu ergo indue cupiditatem iustitiæ; & armatus timore Domini, resiste cupiditati malæ: Timor enim habitat in cupiditate bonâ. Et cupiditas mala, cùm viderit te armatum timore Domini resistente sibi, fugiet à te longè, & non comparebit ante te, timens arma tua; & obtinebis victoriam, & coronaberis ob illam, & peruenies ad cupiditatem bonam, & trades victoriam Deo quam acceperis, & seruies ei operando sicut ipse volueris. Si autem seruieris cupiditati bonæ, & subditus ei fueris: poteris dominari super cupiditatem malam, & erit subdita tibi sicut volueris.

D *Qui seruit cupiditati bonæ, superat prauam cupiditatē.*

Vellem scire, Domine, quomodo seruire debeam cupiditati bonæ? Audi, inquit, habe timorem Dei, & fidem in Deo, & veritatem ama, & iustitiam dilige, & fac bonum: hæc operando, probatus eris seruus Domini, & seruies Deo; & omnes quicunque seruierint cupiditati bonæ, viuent Deo.

Consummatis his mandatis duodecim: dixit mihi. Habes hæc mandata, ambula in his: & audientes homines hortare vt pœnitentiam agant, & pœnitentia eorum munda fiet reliquis diebus vitæ eorum. Et ministerium hoc quod tibi do, explica diligenter, & multum consequeris fructum, & inuenies gratiam apud omnes qui pœnitentiam agent & credent verbis tuis. Ego enim tecum sum, & cogam illos credere.

Seruitus cupiditatis bonæ qualis sit.

Et dixi illi: Domine: hæc mandata magna & præclara sunt: & exhilarare cor hominis possunt, qui poterit custodire mandata hæc: sed nescio, Domine, an possint mandata hæc ab homine custodiri. Ait mihi: Hæc mandata facilè custodies, & non erunt dura: sed si tamen in cor tuum posueris non posse ab homine custodiri, non custodies ea. Nunc autem dico tibi, si non custodieris hæc mandata & omiseris, non eris saluus, neque filij tui, neque domus tua: quia ipse iudicaueris quòd non possint hæc mandata ab homine custodiri. Hæc mihi vehementer iracundè locutus est, ita vt conterreret me valdè: Vultum enim suum mutauerat, ita vt non posset homo sustinere iram eius. Et cùm vidisset me conturbatum totum, & confusum: cœpit loqui moderatiùs & hilariùs, dicens: Stultè & insensatè, inconstans & ignorans maiestatem Dei, quàm magnus quamque mirabilis sit qui orbem creauit propter hominem, & omnem creaturam subiecit homini, & omnem potestatem dedit illi, vt dominetur horum mandatorum. Dominari, inquit, potest omnium horum mandatorum, qui habet Dominum in corde suo: qui autem habent Dominum in labiis suis, & cor illorum obtusum est, & longè sunt à Domino; illis mandata hæc dura sunt & difficilia. Ponite ergo vobis qui vacui & leues estis in fide, Dominum Deum vestrum in corde habere; & intelligetis quòd nihil facilius est his mandatis, neque dulcius, neque mansuetius, neque sanctius; & conuertite vos ad Dominum Deum, & relinquite diabolum & voluptates eius, quia malæ sunt, & amaræ, & immundæ: & nolite timere diabolum, quia in vobis potestatem non habet. Ego enim vobiscum sum nuntius pœnitentiæ, qui dominor illius. Diabolus autem timorem facit, sed timor illius vanus est. Nolite ergo timere eum, & fugiet à vobis. Et dixi illi: Domine; audi me pauca verba dicentem tibi. Dic, inquit. Homo, inquam, cupit quidem mandata Dei custodire; & nemo est qui non petat à Domino vt possit mandata eius seruare: sed diabolus durus est; & potentiâ suâ dominatur in Dei seruos. Et dixit: Non potest, inquit, dominari in Dei seruos qui ex totis præcordiis in Dominum credunt. Potest autem diabolus luctari: sed vincere non potest. Si enim restitistis illi; fugiet à vobis. Nam quicunque fide pleni non sunt, timent diabolum, quasi potestatem habentem: Diabolus enim tentat seruos Dei; &, si inuenerit vacuos, exterminat. Sicut enim homo cùm impleuit amphoras bono vino; & inter illas amphoras paucas semiplenas posuit; & venit vt tentet & gustet amphoras, non tentat plenas; scit enim quòd bonæ sunt; semiplenas autem gustat; ne sint acidæ factæ, citò enim semiplenæ amphoræ acescunt, & perdunt saporem vini: Sic & diabolus venit ad homines seruos Dei, vt tentet illos. Quicunque autem pleni sunt fide, resistunt illi fortiter; & ille recedit ab eis, quia non habet locum intrandi. Tunc vadit ad illos qui non sunt in fide pleni; & quoniam habet locum, inde intrat in illos: & quæcunque vult, facit illis, & fiunt famuli eius. Sed vobis dico ego nuntius pœnitentiæ; ne timeatis diabolum. Missus enim sum vt vobiscum sim, quicunque ex totis præcordiis egeritis pœnitentiam; vt confirmem vos in fide. Credite ergo, qui propter delicta vestra obliti estis Deum; & qui salutem vestram abiicientes, peccatis vestris grauatis vitam vestram: quod si conuersi fueritis ad Dominum ex totis præcordiis vestris, & seruieritis ei secundùm voluntatem ipsius: dabit remedium peccatis vestris prioribus, & habebitis potestatem dominandi omnibus operibus diaboli. Minas autem illius in totum timere nolite, sine virtute enim sunt, sicut hominis mortui nerui. Audite ergo me, & timete Dominum omnipotentem qui potest vos saluos facere & perdere; & custodite mandata eius vt viuatis Deo. Et dixi illi: Domine, modò confirmatus sum in omnibus mandatis Domini, quandiu mecum es; & scio quòd confringes omnem virtutem diaboli. Sed & nos exuperabimus illum si possumus mandata hæc quæ præcepisti (Domino confirmante) custodire. Custodies, inquit, si cor tuum purificaueris ad Dominum: sed & omnes custodient, qui purificauerint corda sua à vanis cupiditatibus huius sæculi: & viuent Deo.

HERMÆ QVI D. PAVLI Discipulus fuit, falsò adscripti Pastoris.

LIBER III.

SIMILITVDO I.

Nos, quia in hoc mundo permanentem ciuitatem non habemus: debere inquirere futuram.

ET dixit mihi: scitis vos, Domini seruos in peregrinatione morari? Ciuitas enim vestra, longè est ab hac ciuitate. Si ergo scitis ciuitatem vestram, in quâ habitaturi estis; quid hic emitis agros, & apparatis lautitias & ædificia, & habitationes superuacuas? Hæc enim qui comparat in hac ciuitate, non cogitat in suam ciuitatem redire. O stulte, ô dubie & miser homo, qui non intelligis hæc omnia aliena esse; & sub alterius potestate! dicit enim tibi Dominus ciuitatis huius: Aut legibus vtere meis, aut recede de ciuitate meâ. Tu ergo quid facies, qui habes legem in ciuitate tuâ? Nunquid propter agros tuos, aut propter aliquos apparatus tuos, poteris negare legem tuam? Quòd si negaueris, & volueris redire in ciuitatem tuam: non recipieris, sed excluderis inde. Vide ergo: vt sicut peregre consistens, nihil ampliùs compares tibi, quàm sit necessarium & sufficiens tibi: & paratus esto, ne cùm voluerit Dominus ciuitatis huius expellere te, contradicas legi eius: & eas in ciuitatem tuam vt vtaris lege tuâ, sine iniuriâ hilaris. Vos igitur videte qui seruitis Deo, & habetis eum in cordibus vestris: operamini opera Dei, memores mandatorum & promissorum eius quæ promisit: & credite ei quòd faciet vobis, si mandata eius custodieritis. Pro agris ergo quos emere volueritis, redimite animas de necessitatibus prout quisque potest, & viduas absolvite, orphanis iudicate, & opes ac diuitias vestras in huiusmodi operibus consumite: In hoc enim vos Dominus locupletauit, vt huiusmodi ministeria expleatis. Multò melius est hæc facere, quàm agros aut domos emere; quoniam hæc omnia peribunt in sæculo: at quæ pro nomine Dei feceris, inuenies in ciuitate tuâ, & habebis gaudium sine tristitiâ & timore. Diuitias ergo gentium nolite cupere, perniciosæ sunt enim seruis Dei: de propriis autem quas habetis, ea agite, quibus possitis consequi gaudium. Et nolite adulterare, nec alterius vxorem tangere, neque concupiscere; concupisce tuum opus, & saluus eris.

Temperes, ten cogitat futuram ciuitatem.

Exhortatio ad eleemosynam.

SIMILITVDO II.

Vt vitis vlmo fulcitur; sic diues, oratione pauperis iuuatur.

CVm ambularem in agrum, & considerarem vlmum & vitem, & cogitarem intra me de fructibus earum: apparuit mihi Angelus, & dixit mihi: Quid intra te cogitas? Et dixi illi: de hac vite & vlmo disputo, Domine: quoniam fructus illarum decori sunt. Et dixit mihi: Hæ duæ arbores in exemplum positæ sunt seruis Dei. Et dixi illi: Vellem scire, Domine, harum arborum exemplum quod dicis. Audi, inquit: Vides hanc vitem, & hanc vlmum? Video, inquam, Domine. Hæc vitis, inquit, fructifera est: vlmus autem lignum sine fructu est: sed vitis hæc, nisi applicata fuerit vlmo, & super illam requieuerit, non potest multum fructum facere. Iacens enim in terrâ, malos fructus dat, quia non pendet super vlmum: sed si suspensa fuerit vitis super vlmum, & pro se, & pro vlmo fructum dat. Vide ergo quòd vlmus fructum dat non minorem, quàm vitis; sed potiùs maiorem. Quomodo, inquam, Domine, maiorem quàm vitis? Suspensa, inquit, in vlmo, fructum multum & bonum dat: iacens autem in terrâ, exiguum & pessimum fructum dat. Hæc igitur similitudo posita est seruis Dei, pauperi & diuiti. Respondi, inquiens: Domine, demonstra mihi! Audi, inquit: Diues habet opes: à Domino verò pauper est: distrahitur enim circa diuitias suas, & valde exiguam habet orationem ad Dominum; & quam habet, inertem habet, & non habentem virtutem. Cùm igitur diues præstat pauperi, quæ illi opus sunt, pauper orat ad Dominum pro diuite, & Deus præstat diuiti omnia bona, quia pauper diues est in oratione, & virtutem magnam habet apud Dominum oratio eius. Tunc ergo diues præstat omnia pauperi, quia sentit illum exaudiri à Domino, & libenter ac sine dubitatione præstat ei omnia, & curat ne quid ei desit. Pauper Deo gratias agit pro diuite, quia opus faciunt à Domino. Apud homines ergo vlmus non putatur dare fructum, & nesciunt neque intelligunt quod si societas aduenerit viti, & vitis duplum dat fructum, & pro se & pro vlmo. Sic & pauperes, pro locupletibus orantes ad Dominum, exaudiuntur, & augentur opes eorum, quoniam præstant pauperibus ex opibus suis: Sunt igitur ambo consortes bonorum operum suorum. Quicunque igitur hæc fecerit, non deseretur à Domino, ac erit scriptus in libro vitæ. Felices igitur qui possident, & sentiunt se locupletari: qui hoc enim senserit, poterit aliquid ministrare.

Diuitis oratio vt plurimùm iners est.

SIMILITVDO III.

Vt hyeme virides arbores, ab aridis: sic in hoc sæculo iusti ab iniustis internosci non possunt.

OStendit mihi arbores multas abiectis foliis, quæ mihi velut aridæ videbantur: omnes enim similes erant. Et dixit mihi: Vides arbores has? Video, inquam, Domine, similes aridis. Respondens dixit mihi: Hæ arbores, in similitudinem sunt horum qui in sæculo morantur. Respondi, inquiens: cur velut aridis similes sunt? Quoniam, inquit, nec iusti, nec iniusti cognoscuntur, sed similes sunt in hoc sæculo. Hoc enim sæculum iustis hyems est, qui non agnoscuntur, cum peccatoribus habitantes, sicut in hyeme omnes arbores abiectis foliis, aridis similes sunt: nec potest cognosci quæ sunt aridæ aut quæ virides: sic & in hoc sæculo, nec iusti nec iniusti cognoscuntur, sed similes sunt omnes.

SIMILITVDO IV.

Vt æstate viuidæ arbores ab aridis fructu & virentibus foliis internoscuntur: sic in futuro sæculo iusti ab iniustis, beatitudine differunt.

OStendit mihi iterum arbores multas: quarum aliæ frondes emittebant: aliæ aridæ erant. Et dixit mihi: Vides ne has arbores? Respondi, video, Domine, alias aridas, & alias frondentes. Hæ arbores, inquit, quæ virides sunt, iusti sunt qui habitaturi sunt in futuro sæculo. Illud enim futurum sæculum æstas est iustis: peccatoribus autem hyems. Cùm ergo illuxerit misericordia Domini, tunc declarabuntur qui seruiunt Deo, & omnes perspicui erunt. Sicut enim in æstate fructus arboris cuiuscunque declaratur & patet: sic & iustorum factum declarabitur, & patebit, & omnes hilares & gaudentes in illo sæculo restituentur. Nam cæteræ gentes (peccatores scilicet) sicut arbores quas vidisti aridas, tales inuenientur aridi, & sine fructu in illo sæculo: & sicut arida ligna comburentur, & palàm fient, quoniam malè fecerunt in omni tempore vitæ suæ: & comburentur ideo, quia peccauerunt, & peccatorum suorum non egerunt pœnitentiam: sed & cæteræ gentes comburentur, quia non agnouerunt Deum creatorem suum. Tu ergo fac fructum bonum, vt in æstate cognoscatur fructus tuus, & abstine te a multis negotiis, & nihil delinques: quicunque enim multa negotia agunt, multa delinquunt: quia constricti sunt circa ne-

Negotiosi homines in multis peccant.

gotia sua, & non seruiunt Deo. Nam quomodo potest homo qui non seruit Deo, aliquid petere & accipere à Deo? Qui enim seruiunt Deo, petunt & accipiunt sua desideria. Quòd si vnum negotium eractat aliquis, poterit seruire Deo: quoniam non alienatur animus eius à Domino, sed purâ mente seruit Deo. Hoc ergo si féceris, poteris in venturo sæculo habere fructum: sed & qui fecerint hæc, fructum ferent.

SIMILITVDO V.

De vero ieiunio, & eius mercede, tum & de corporis munditiâ.

CVm ieiunarem & sederem in monte quodam, & gratias agerem Deo pro omnibus quæ fecerat mecum, video pastorem illum sedentem iuxta me, ac dicentem mihi: quid tam manè huc venisti? Respondi: quoniam, Domine, stationem habeo. Quid est, inquit, statio? Et dixi: ieiunium. Et dixit: quid est illud ieiunium? sicut solebam, inquam, sic ieiuno. Nescitis, inquit, Deo ieiunare, neque est ieiunium hoc quod ieiunatis Deo, nihil proficientes. Quare, inquam, Domine, ita dicis? Dico certè, inquit, non esse ieiunium hoc quod putatis vos ieiunare: sed ego te docebo quod sit ieiunium plenum, acceptúmque Deo. Audi, inquit, Dominus non desiderat tale ieiunium superuacuum: sic enim ieiunando nihil præstas æquitati. Ieiuna certè verum ieiunium tale. Nihil in vitâ tuâ nequiter facias: sed mente purâ serui Deo, custodiens mandata eius, & in præceptis eius ingrediens: neque admiseris desiderium nocens in animo tuo. Crede autem Domino, si hæc feceris timorémque eius habueris, atque abstinueris ab omni negotio malo, Deo te victurum. Hæc si feceris, ieiunium magnum consummabis, acceptúmque Domino. Audi similitudinem quam dicturus sum tibi, ad ieiunium pertinentem. Quidam cùm haberet fundum, seruosque multos: in quâdam parte fundi sui posuit vineam successoribus: deinde peregrè profectus, elegit seruum quem habebat fidelissimum, ac sibi probatum, eique assignauit vineam, præcipiens vt vitibus iungeret palos: Quod si fecisset, & mandatum suum consummasset, libertatem eidem se daturum promisit. Nec præterea quicquam aliud præcepit illi quod in eâ faceret; atque ita peregrè profectus est. Postquam autem seruus ille curam apprehendit, fecit quæcunque præceperat Dominus. Cúmque depalasset vineam illam, & animaduertisset eam herbis repletam, cœpit secum ita cogitare; peregi quod mihi præceperat Dominus, fodiam nunc vineam hanc, & erit formosior cùm fuerit fossa, & extractis herbis maiorem dabit fructum, & non suffocabitur ab herbis. Adgressus deinde fodit, & omnes herbas quæ in eâ erant, extraxit, atque ita euasit vinea speciosissima ac læta, non suffocata ab herbis. Post aliquantum verò temporis venit Dominus eius, & ingressus est vineam: quam cùm depalatam vidisset decenter, ac circumfossam, & extractas herbas ab eâ, & lætas esse vites; ex facto hoc serui sui, gaudium cœpit. Adhibito itaque filio quem charum & hæredem habebat, & amicis quos in consilio aduocabat, indicat ea quæ seruo suo facienda mandasset, quæ præterea ille fecisset. At illi protinus gratulati sunt seruo illi, quòd tam plenum testimonium Domini sui assecutus fuisset. Ait deinde illis: Ego quidem huic seruo libertatem promisi, si custodisset mandatum meum quod dederam, & custodiuit illud, & præterea opus bonum adiecit in vineam, quod mihi quàm plurimum placuit. Pro hoc igitur opere quod fecit, volo eum filio meo facere cohæredem; quoniam cùm sensisset, quid esset bonum, non omisit, sed fecit illud. Hoc consilium Domini & filius, & amici eius comprobauerunt, vt fieret scilicet hic seruus cohæres filio. Post dies deinde non multos, conuocatis amicis, Paterfamilias misit de cœnâ suâ seruo illi cibos complures. Quos cùm accepisset ille, sustulit ex eis quod sufficiebat sibi, reliquum autem conseruis suis distribuit. Quibus acceptis, illi lætati sunt; & cœperunt illi optare, vt maiorem gratiam apud Dominum inueniret ob ea quæ fecerat ipsis. Hæc omnia cùm audisset Dominus eius, percepit iterum maximum gaudium; & conuocatis rursum amicis & filio, exponit factum serui sui de cibis suis quos ei miserat: Illi itaque tantò magis assenserunt patrifamilias, ipsum seruum cohæredem filio debere fieri. Dico ei: Domine, has similitudines non noui neque intelligere possum, nisi eas tu mihi exponas. Omnia, inquit, exponam tibi quæcunque locutus fuero tecum, aut ostendero tibi. Mandata Domini custodi, & eris probatus, & scriberis in numero eorum qui custodiunt mandata eius. Si autem præter ea quæ mandauit Dominus, aliquid boni adieceris, maiorem dignitatem tibi conquires, & honoratior apud Dominum eris quàm eras futurus. Igitur si custodieris mandata Domini, & adieceris etiam ad ea stationes has, gaudebis; maximè si secundùm mandatum meum seruaueris ea. Dico ei: quicquid mihi præceperis, Domine, seruabo; scio enim te mecum futurum. Ero, inquit, tecum, qui tale propositum habes. Sed & cum omnibus ero, quicunque idem propositum habent. Ieiunium hoc, inquit, custoditis mandatis Domini, valde bonum est. Sic igitur seruabis illud. Primùm omnium caue ab omni probro, & turpi verbo, & ab omni noxiâ cupiditate, & purifica sensum tuum ab omni vanitate sæculi huius. Si hæc custodieris, erit hoc ieiunium iustum. Sic ergo facies. Peractis quæ suprà scripta sunt, illo die quo ieiunabis, nihil omnino gustabis nisi panem & aquam; & computatâ quantitate cibi, quam cæteris diebus comesturus eras, sumptum diei illius quem facturus eras, repones, & dabis viduæ, pupillo aut inopi, & sic consummabis humilitatem animæ tuæ; vt qui ex eo acceperit, satiet animam suam, & pro te adeat Dominum Deum oratio eius. Si igitur sic consummaueris ieiunium tuum, quemadmodum præcipio tibi, erit hostia tua accepta Domino, & scribetur hoc ieiunium tuum. Hæc statio sic acta est bona, hilaris, & accepta à Domino. Hæc tu si seruaueris cum liberis tuis & totâ domo tuâ; custoditis his, felix eris. Et quicunque hæc audita custodierint, felices erunt; & quicquid petierint à Domino, obtinebunt. Et precatus sum eum, vt mihi explanaret hanc similitudinem de fundo, & Domino, ac vineâ & seruo, qui depalauerat vineam, & herbis quæ extractæ de vineâ erant, & de filio, & de amicis quos in consilio adhibuerat: Intellexi enim esse illud similitudinem. Ait mihi: Valde audax es ad interrogandum; nihil enim debes interrogare: nam si oportuerit demonstrari, demonstrabitur tibi. Dico ei: Domine, quæcunque ostenderis mihi nec declaraueris, frustrà videro illa si non intellexero quidnam sint; & similitudines si quas proposueris & non exposueris, frustrà audiero eas. Respondit mihi rursus, dicens: Quicunque Dei seruus est, Dominúmque habet in præcordiis suis, petit ab eo intellectum, & obtinet: & omnem similitudinem explicat, & intelligit verba Domini quæ inquisitione egent: quicunque verò inertes sunt & pigri ad orandum; illi dubitant petere à Domino, cùm sit Dominus tam profundæ bonitatis, vt petentibus à se, cuncta sine intermissione tribuat. Tu ergo qui confirmatus es ab illius nuntio, & accepisti orationem tam potentem, cùm piger non sis, cur iam à Domino intellectum non petis, & accipis? Dico ei: Cùm te præsentem habeam, necesse est vt à te petam, & interrogem; tu enim omnia mihi ostendis & loqueris, cùm ades. Nam si sine te ea viderem vel audirem: tunc Dominum rogarem, vt ostenderet mihi. Et respondit: Dixeram tibi paulò antè, callidum esse & audacem, qui solutiones similitudinum interroges. Sed quia ita es pertinax soluam tibi hanc quam desideras similitudinem, vt omnibus notam facias eam. Audi nunc, inquit, & percipe animo. Orbem terrarum fundus ille significat, qui in similitudinem est positus: Dominus autem fundi, demonstratur esse is qui creauit cuncta, & consummauit, & virtutem illis dedit: filius autem, Spiritus sanctus est: Seruus verò ille, Filius Dei est: Vinea autem, populus est quem seruat ipse: Pali verò nuntij sunt qui à Domino præpositi sunt ad continendum populum eius: Herbæ autem quæ euulsæ sunt de vineâ, admissa sunt seruorum

Ieiunium dicebatur statio.

Ieiunij modus.

Ieiunio adiungenda eleemosyna.

Stationem agere, pro ieiunare.

Vinea, populus Dei.

Dei. Cibi verò quos de cœnâ misit illi, mandata sunt quæ per Filium dedit populo suo. Amici autem illi quos in consilio aduocauit, Angeli sunt sancti quos primò creauit. Absentia verò illius patrisfamilias, tempus est quod in aduentum eius restat. Dico ei: Domine, magnificè & mirè omnia hæc se habent, atque honestè: numquid ergo, Domine, inquam, hæc potero intelligere? Ne quidem quispiam præterea homo, tametsi valde prudens sit, poterit intelligere ea. Sed nunc mihi demonstra, Domine, quod quæro. Quære quod vis, inquit. Quare, inquam, Filius Dei, in similitudine hac seruili loco ponitur? Audi, inquit: In seruili conditione non ponitur Filius Dei, sed in magnâ potestate & imperio. Et dixi: quomodo, inquam, Domine? non intelligo. Quoniam, inquit, eis quos Filio suo tradidit, Filius eius, nuntios præposuit ad conseruandos singulos: Ipse autem plurimum laborauit plurimúmque perpessus est, vt aboleret delicta eorum. Nulla enim vinea potest fodi sine labore ac dolore. Deletis igitur peccatis populi sui, ipse eisdem monstrauit itinera vitæ, datâ eis lege quam à Patre acceperat. Vides igitur, esse Dominum populi; acceptâ à Patre suo, omni potestate? Quare autem Dominus in consilio adhibuerit Filium de hæreditate, & bonos Angelos. Quia nuntius audit illum Spiritum sanctum qui infusus est omnium primus in corpore, in quo habitaret Deus. Collocauit enim eum intellectus in corpore, vt ei videbatur. Hoc ergo corpus in quod inductus est Spiritus sanctus, seruiuit illi spiritui, rectè in modestiâ ambulans & castè, neque omnino maculauit spiritum illum. Cùm igitur corpus illud paruisset omni tempore Spiritui sancto, rectéque & castè laborasset cum eo, nec succubuisset in omni tempore, fatigatum corpus illud, seruiliter conuersatum est, sed fortiter cum Spiritu sancto comprobatum Deo, receptum est. Placuit igitur Deo, huiusmodi potens cursus; quia maculatus non esset in terrâ, possidens in se Spiritum sanctum in consilio. Aduocauit ergo Filium, & nuntios bonos; vt & huic scilicet corpori quod seruit Spiritui sancto sine querelâ, locus aliquis consistendi daretur, ne videretur mercedem seruitutis suæ perdidisse. Accipiet enim mercedem omne corpus purum ac sine maculâ repertum, in quo habitandi gratiâ constitutus fuerit Spiritus sanctus. Habes & huius similitudinis expositionem. Percepi, inquam, Domine, tuam voluntatem, auditâ hac expositione. Audi vlteriùs, inquit. Corpus hoc tuum custodi mundum atque purum, vt spiritus ille qui inhabitabit in eo testimonium referat illi, & tecum fuisse iudicetur. Atque etiam vide, ne quando persuadeatur tibi interire corpus hoc: & abutaris eo in libidine aliquâ. Si enim corpus tuum maculaueris, maculabis etiam eodem tempore & Spiritum sanctum: &, si maculaueris corpus tuum, non viues. Et dixi: Quid si per ignorantiam aliquam id admissum est, antequam audirentur verba hæc quo pacto assequetur salutem, is qui maculauit corpus suum? Prioribus, inquit, rebus, qui per ignorantiam admiserunt, remedium tribuere solus Deus potest, eius enim est omnis potestas. Sed nunc custodi te: & cùm sit Dominus omnipotens & misericors, prioribus admissis remedium dabit, si in futurum non maculaueris corpus tuum, & spiritum: Consortes sunt enim ambo, & alteruter sine altero non coinquinatur; vtrumque ergo serua mundum, & viues Deo.

Corpus immortale, scilicet post resurrectionem.

SIMILITVDO VI.

De duplici genere hominum voluptuariorum, & eorum morte, defectione, & pœnarum duratione.

CVm sederem domi, & glorificarem Dominum pro omnibus quæ videram, & de mandatis cogitarem ea valdè bona esse, & magna, & honesta, ac læta, & quæ possint salutem hominum afferre; intra me-ipsum hæc dicebam: Felix ero, si in his mandatis ambulauero; & quicunque in his ambulauerit, viuet Deo. Dum hæc loquerer mecum, video eum quem & priùs, sedentem iuxta me, & hæc mihi dicentem: Quid dubitas de mandatis meis quæ tibi præcepi? Bona sunt, nihil omnino dubitaueris: sed indue fidem Domini, & ambulabis in eis: Ego enim in illis dabo tibi vires. Hæc mandata vtilia sunt his qui delictorum suorum antè gestorum acturi sunt pœnitentiam, si in futurum in iis ambulauerint. Quicunque igitur agitis pœnitentiam; abiicite à vobis nequitiam huius sæculi. Induite verò omnem virtutem, & æquitatem, & poteritis custodire hæc mandata, neque deinceps peccetis. Si enim deinceps non peccaueritis, plurimum ex prioribus recideritis. In mandatis meis ambulate, & viuetis Deo. Hæc à me dicta sunt vobis. Postquam hæc mecum locutus est, ait mihi: Eamus in agrum, & pastores pecorum tibi ostendam. Eamus (inquam) Domine. Et venimus in quendam campum, & illic ostendit mihi iuuenem pastorem, vestitum synthesim, vestimentorum colore coccineo. Pascebat autem pecora copiosa, & pecora illa velut in voluptatibus erant, & plurimis deliciis, & hilaritate exultabant, & exultantia discurrebant huc atque illuc. Et ipse pastor vehementem ex grege suo percipiebat voluptatem; & vultus pastoris illius valde hilaris erat, inter pecora discurrentis. Ait mihi Angelus: Vides autem hunc pastorem? Video (inquam) Domine. Et dixit mihi, Hic nuntius illecebrarum, dulcedinis, ac voluptatis est. Hic ergo corrumpit mentes seruorum Dei, & auertit eos à veritate, oblectans cupiditatibus; & pereunt. Obliuiscuntur enim mandata Dei viui, & in luxuriis conuersantur & deliciis vanis, & corrumpuntur ab hoc nuntio malo aliqui vsque ad mortem, aliqui verò vsque ad defectionem. Dico ei: Domine, non intelligo quid sit *ad mortem*, & quid sit *ad defectionem*. Audi, inquit: Quæcunque pecora vidisti valde læta & exultantia: ij sunt qui in perpetuum à Deo discesserunt, & tradiderunt se desideriis huius sæculi: Iis ergo non est per pœnitentiam regressus ad vitam, quoniam quidem adiecerunt ad reliqua delicta sua, & nomen Domini nefandis insectati sunt verbis: huiusmodi homines, morti sunt destinati. Quæ vero vidisti pecora non exultantia, sed vno loco vescentia: ij sunt qui tradiderunt se quidem deliciis ac voluptatibus: nihil verò nefandum in Dominum locuti sunt: hi igitur non defecerunt à veritate: ideoque repositam adhuc habent spem vitæ in pœnitentiâ. Defectio enim habet spem aliquam redintegrationis: mors verò perpetuo tenetur interitu. Rursum progressi sumus paululùm, & ostendit mihi pastorem magnum & velut agrestem figuram habentem, amictum pelle albâ caprinâ, peram gestantem in humero, & manu virgam nodosam & valdè duram, & flagellum in manu, aspectum autem trucem & sæuum habebat, vt posset terrere aliquos: talis erat aspectus eius. Hic ergo accipiebat ab illo iuuene pastore ea pecora quæ delicias quidem agebant, sed non exultabant; & compellebat ea in præcipitem locum quendam ac spinosum tribulisque confertum, vsque adeò vt de spinis & tribulis se non possent explicare; sed implicita ibi pascebantur spinis & tribulis: & graues cruciatus experiebantur ex verberibus eius, agebat enim ea, & nec consistendi eis locum ante tempus permittebat. Cùm viderem ergo sic ea flagellari, & miserias experiri, dolebam pro eis, quia valde cruciabantur, nec vlla requies eis dabatur. Dico ad pastorem illum qui erat mecum: Quis est (Domine) hic pastor tam implacabilis, & tam amarus, qui nullo modo miseratione moueatur aduersus hæc pecora? Hic (inquit) pastor, pro iustis quidem nuntius est, sed præpositus pœnæ. Huic ergo traduntur qui à Deo aberrauerunt, & seruierunt desideriis ac voluptatibus sæculi huius. Punit ergo eos sicut meruit vnusquisque eorum, sæuis variisque pœnis. Vellem (inquam) nosse, Domine, varias has pœnas, cuiusmodi sunt. Audi, inquit: Variæ pœnæ, atque tormenta hæc sunt quæ homines quotidie in vitâ suâ patiuntur. Alij enim detrimenta patiuntur, alij inopiam, alij diuersas acrimonias; quidam inconstantiam, alij iniurias ab indignis patientes, multáque alia exercitia & incommoda. Plurimi enim, inconstanti consilio multa conantur, nec quicquam conducit eis, & dicunt in actibus suis successum se non habere. Succurrunt iis ea quæ nequiter fecerunt,

Spiritus voluptatis qualis sit.

Cautè lege, nã redit sapius ad Nouatianũ errorẽ de vnicâ pœnitentiâ.

Angelus præpositus pœnæ.

Pœna varia hominũ in hac vitâ.

A

cerunt, & Dominum causantur. Cùm igitur perpessi fuerint omnem vexationem & omne incommodum, tunc traduntur mihi ad bonam admonitionem, & firmantur in fide Domini, & per reliquos dies vitæ seruiunt Domino mente purâ. Et cùm cœperint delictorum agere pœnitentiam, tunc ascendunt in præcordia eorum opera sua, in quibus se nequiter exercuerunt; & tunc dant Deo honorem, dicentes iustum iudicem eum esse, meritòque se omnia esse perpessos secundùm facta sua. In reliquum verò seruiunt Deo mente purâ, & successum habent in negotiis suis omnibus, accipientes à Domino quæcunque poscunt: Et tunc gratias agunt Domino, quòd sint mihi traditi; nec iam quicquam crudelitatis patiuntur. Dico illi: Etiam nunc, Domine, demonstra mihi. Quid inquiris; inquit. Dixi ei: An per idem tempus crucientur qui discedunt à timore Dei, quantum vsi fuerint falsâ dulcedine ac voluptatibus; Ait mihi: Per idem tempus etiam cruciantur: Et dixi ei: Exiguum igitur cruciantur, oportebat autem eos qui sic percipiunt voluptates, vt Dominum obliuiscantur; septies tantum pati pœnarum. Ait mihi: Fatuus es, nec intelligis huius pœnæ virtutem. Et dixi: Si enim intelligerem, Domine, non interrogarem vt demonstrares mihi. Audi, inquit, quanta sit vis vtriusque dulcedinis ac voluptatis: Dulcedinis vna hora, suo spatio terminatur; Pœnæ verò vna hora triginta dierum vim possidet. Quicumque igitur vno die perceperunt fallacem dulcedinem ac voluptatem, vnoque die cruciatus sit; anni spatium dies cruciatus eius valebit. Ita, quot dies perceperit quisque voluptatem, totidem annis cruciatur. Vides, igitur, inquit, exiguum esse tempus mundanæ dulcedinis ac voluptatis; pœnæ verò tormentorumque amplius. Dixi ei: Domine, quoniam non intelligo omnia tempora hæc dulcedinis, voluptatis, ac pœnæ; lucidiùs mihi de his expone. Respondit mihi, dicens: Insipientia tua tibi perseueranter inhæret. Nònne vis potius mentem tuam purificare, & Deo seruire? Vide, ne fortè tempore exacto, tu insipiens reperiaris. Audi nunc, quemadmodum vis, quo faciliùs intelligas. Qui vno die commiserit se deliciis ac voluptatibus, & fecerit quicquid appetit animus eius, plurima repletur stultitia, nec intelligit quid admittat, ac postero obliuiscitur quid fecerit pridie: dulcedo enim & voluptas nullam memoriam habent, propter stultitiam quæ insita est illis. Cum verò vno die accesserit homini cruciatus ac pœna, toto anno torquetur: magnam enim memoriam possidet pœna. Toto igitur anno dolens meminit, & tunc recordatur dulcedinis illius vanæ, ac voluptatis; & sentit propterea se pati pœnas. Quicunque igitur se dulcedini & voluptati tradiderint, sic puniuntur; quoniam vitam habentes, ipsi se reddunt obnoxios morti. Dixi ei: quæ sunt Domine, voluptates noxiæ; Omni, inquit, homini voluptas est, quodcunque libenter facit. Etenim iracundus satisfaciens motibus suis, percipit voluptatem suam; & adulter, & ebriosus, & detractor, & mendax, & cupidus, & fraudator; & quicunque iis simile aliquid admittit, morbo suo parens, percipit ex eâ re voluptatem. Hæ omnes dulcedines ac voluptates noxiæ sunt seruis Dei; Propter has itaque cruciantur & patiuntur pœnas. Sunt etiam voluptates salutem hominibus afferentes: Multi enim opera bonitatis facientes, percipiunt voluptatem, dulcedine suâ tracti. Hæc ergo voluptas vtilis est seruis Dei, & vitam parat huiusmodi hominibus: illæ verò noxiæ quæ suprà dictæ sunt, tormenta & pœnas pariunt. Quicunque verò permanserint in illis, nec admissorum suorum egerint pœnitentiam, mortem sibi acquirent.

B — Pœnarũ tempus, pro modo peccatorum.

Cautè ista lege, nam nec certa nec secura est hæc temporum præscripta compensatio. C

Voluptates noxiæ quæ sint. D

SIMILITVDO VII.

Pœnitentibus faciendos esse pœnitentia dignos fructus.

POst dies paucos video illum in eo campo, in quo pastores illos ante videram, & ait mihi: Quid inquiris; Veni inquam, rogare te Domine, vt pastorem illum præpositum pœnæ iubeas de domo meâ exire quia vehementer me affligit. Et respondens: Necesse est, inquit, patiaris incommoda & vexationes: sic enim præcepit de te ille nuntius bonus; quia tentare te vult. Quid, inquam, Domine, tam graue peccatum admisi, vt huic nuntio traderer; Aduerte, inquit. Completa quidem habes peccata, sed non tam multa vt huic nuntio debeas tradi; sed multa delicta & scelera domus tua commisit: ideoque factis eorum ille bonus nuntius exacerbatus, iussit te aliquantum temporis vexationem experiri; vt & illi admissorum suorum agant pœnitentiam, & abluant se ab omni cupiditate huius sæculi. Cùm itaque egerint pœnitentiam, & purificati fuerint, tunc discedet à te nuntius ille qui præpositus est pœnæ. Dico ei: Domine, si ita illi gesserunt, vt exasperarint nuntium bonum; ego quid feci? Respondens: Aliter, inquit, non possunt illi vexationem, pati, nisi tu qui caput ex totius domus, labores. Quicquid enim tu passus fueris, necesse est vt & illi sentiant; quando verò tu benè stabilitus fueris, illi nullam vexationem possunt experiri. Et dixi: sed ecce iam nunc Domine, agunt pœnitentiam totis præcordiis Et ego scio, inquit, totis præcordiis eos agere pœnitentiam: nunquid ergo, ait protinus putas aboleri delicta eorum qui agunt pœnitentiam; Non proinde continuo: sed oportet eum qui agit pœnitentiam, affligere animam suam, & humilem animosè præstare in omni negotio, & vexationes multas variasque perferre, cùmque perpessus fuerit omnia quæ illi instituta fuerint, tunc forsitan qui eum creauit & qui formauit vniuersa commouebitur erga eum clementiâ suâ, & aliquod remedium dabit; idque ita, si viderit eius qui pœnitentiam agit, cor purum esse ab omni opere nequissimo. Tibi autem & domui tuæ, vexari nunc expedit, & multam vexationem pati necesse est, sicut præcepit nuntius Domini, qui te mihi tradidit. Quin potiùs gratias agas Domino, quòd præscius futuri, dignum te habuit cui prædiceret tribulationem instare, valentibus eam sustinere. Dico ei: Et Domine mecum esto, & facilè omnem vexationem sustinebo. Ego, inquit, ero tecum: sed & rogabo nuntium illum qui præpositus est pœnæ, vt leuiùs te affligat; sed & exiguo tempore pacieris aduersa, iterumque tuo loco restitueris: tantummodò in humilitate animi persenera. Pare Domino, mente purâ, domusque tua, ac nati, & in mandatis eius ambula quæ præcepit tibi, & pœnitentia tua poterit esse firma atque pura. Et si hæc custodieris cum domo tuâ, incommoda à te recedent: sed & ab omnibus quicunque in his mandatis ambulauerint, omnis vexatio recedet.

B — Hermas pro domesticorum peccatis afflictus.

F — Reatus perdamanet etiã post pœnitentiam.

G — Angelus præpositus pœnæ.

SIMILITVDO VIII.

Electorum, & pœnitentium peccatorum multa sunt genera: omnes autem pro pœnitentia & bonorum operum suorum modo habebunt mercedem.

OStendit mihi salicem tegentem campos ac montes, sub cuius vmbram venerunt omnes qui vocati erant in nomine Domini. Et iuxta salicem illam stabat nuntius Domini valdè præclarus & sublimis, & secabat cum falce magna ab illâ salice ramos, & populo illi qui erat sub vmbra salicis illius, exiguas & quasi cubitales virgas porrigebat: Postquam autem accepissent vniuersi, deposuit falcem, & arbor illa integra permansit, sicut anteà videram eam: quam ego rem mirabar, atque intra me disputabam. Ait ad me pastor ille: Desine mirari, quòd arbor illa tota ramis præcisis permanserit integra: sed exspecta, nunc demonstrabitur tibi quid significet: Angelus ille qui populo porrexit virgas, & rursus eas ab illis reposcit: & quo quisque eas perceperat ordine, eodem etiam vocabatur ad illum virgasque reddebat: quas cùm acceperat ille, considerabat. A quibusdam enim accipiebat aridas & putridas, velut à tinea tactas: & iubebat eos qui huiusmodi virgas tradiderant, secerni, & seorsum statui: Alij porrigebant aridas, quidem, sed non tactas à tinea; & hos seorsum statui iubebat: Alij porrigebant semiaridas virgas; & hi quoque seorsum

H

statuebantur: Quidam autem dabant virgas suas semiaridas & scissuras habentes; & hi seorsum statuebantur. Alij virgas suas adferebant, quarum dimidia pars arida erat, dimidia verò viridis, & hi seorsum statuebantur. Alij virgas suas afferebant, quarum duæ partes virides erant, tertia verò arida, & hi seorsum statuebantur: Alij virgas suas afferebant, quarum duæ partes aridæ erant, tertia verò viridis, & hi seorsum statuebantur. Quidam porrigebant virgas suas paululum aridas (exiguissimum enim aridum erat in virgis eorum, id est, ipsum cacumen, scissuras verò habebant, & hi seorsum statuebantur. Aliorum autem in virgis, exiguum erat viride, reliquum verò aridum, & hi seorsum statuebantur. Alij veniebant afferentes virgas suas sicut acceperant virides; maximaque pars populi huiusmodi virgas porrigebat, & magnum ex his nuntius ille gaudium cœpit, & hi seorsum statuebantur. Alij afferebant virgas suas virides, & pampinos habentes, & hi seorsum statuebantur: & hos quoque nuntius ille magna cum hilaritate excipiebat. Alij afferebant virgas suas virides, ex quibus excreuerant pampini earum: qui pampini quosdam fructus adferebant: qui huiusmodi virgas porrigebant, valdè hilares erant vultu: sed & nuntius ipse quidem ex eis magnam lætitiam percipiebat, nec minùs pastor ille ex eâdem causa hilaritatem capiebat. Tunc nuntius Domini coronas iussit afferri. Allatæ sunt autem coronæ velut ex palmis factæ, & coronauit eos viros nuntius in quorum virgis pampinos inuenerat, & fructum; & iussit eos ire in turrim. Sed & illos viros misit in turrim, in quorum virgis sine fructu inuenerat pampinos, dato eis sigillo: Nam vestem eandem habebant, id est, candidam sicut niuem, cum qua iubebat ipsos ire in turrim: Nec minus & eos qui reddiderant virgas suas sicuti acceperant virides; data eis veste candidâ, & sic eos dimisit ire in turrim. His consummatis, ait ad pastorem illum: Ego vado, tu verò dimitte hos intra muros, in eo loco quo quisque meruit habitare, consideratis priùs virgis eorum diligenter. tamen ne quis te fallat, considera: sed & si quis te præterierit, inquit, ego eos super aram probabo. His ad pastorem dictis, recessit. Postquam ille discesserat, ait mihi pastor: Accipiamus ab omnibus virgas, & plantemus illas, si possint reuirescere. Dico ei: Domine, istæ quæ sunt aridæ virgæ, quomodo possunt reuirescere? Ait mihi: Arbor ista salix est, & semper amat vitam. Si plantatæ ergo fuerint hæ virgæ, exiguumque humoris acceperint, plurimæ ex eis reuirescent. Tentabo enim, & suffundam eis aquam; & si qua earum potuerit viuere, gratulabor ei: quòd si non, certè non videbor ego negligens fuisse. Iussit deinde me vocare eos. Et sicut steterunt quisque eorum, venerunt ordine suo, virgasque suas tradiderunt. Quas acceptas, ille singulas plantauit ordinibus suis: & postquam plantasset omnes, aquam multam supereffudit illis, ita vt tegerentur ab aquâ, neque ab eâ extarent. Deinde cùm irrigasset illas, ait mihi: exeamus, & post paucos dies reuertamur & visitemus eas: qui creauit enim hanc arborem, viuere vult omnes eos qui ex eâ acceperunt virgas: ego autem spero, cùm sint aquâ superinfusæ hæ virgæ, plurimas victuras humore capto. Dico ei: Arbor hæc, Domine demonstra mihi quid sit; valdè enim moueor, quòd tot ramis recisis integra videatur esse, nec omnino quicquam de eâ minus videtur esse, quo maximè stupeo. Audi, inquit: Arbor hæc magna, quæ campos tegit ac montes totamque terram, lex est Dei in totum orbem terrarum data. Hac autem lege Filius Dei prædicatus est in omnibus finibus orbis terræ. Populi verò stantes sub vmbrâ; ij sunt qui audierunt prædicationes eius & crediderunt. Nuntius autem ille magnificus & bonus, Michaël est, qui populi huius habet potestatem, & gubernat eos: hic enim in corde eorum qui crediderunt, inserit legem. Visitat igitur eos quibus dedit legem, si eam custodierunt. Videt autem vniuscuiusque virgam, & ex eis multas labefactas. Illæ enim virgæ Domini lex sunt. Cognoscit autem deinde omnes eos qui non seruauerunt legem: sciens sedem vniuscuiusque eorum. Dico ei: Quare, inquam, Domine, alios dimisit in turrim, alios tibi hic reliquit? Hi, inquit, quicunque supergressi sunt legem quam ab eo acceperunt, in meâ relicti sunt potestate, vt admissorum suorum agant pœnitentiam: qui autem satisfecerunt legi, & seruauerunt eam, sub illius potestate sunt. Qui sunt ergo, Domine, inquam, in turrim euntes coronati? Ait mihi: quicunque luctati cum diabolo, vicerunt eum: illi sunt coronati. Illi autem sunt, qui vt seruarent legem, perpessi sunt iniqua. Illi verò qui virides virgas, pampinosque sine fructu habentes tradiderunt, propter eandem quidem legem vexationem sustinuerunt, non obierunt autem mortem, sed nec abnegauerunt sanctam legem. Hi verò qui virides sicut acceperant tradiderunt, modesti sunt, atque iusti, & qui valde purâ mente vixerunt & custodierunt mandata Dei. Reliqua autem scies cùm considerauero illas virgas quas plantaui & irrigaui. Post paucos verò dies reuersi sumus, eodemque loco consedit nuntius ille magnificus, ego autem astiti ei. Tunc ait mihi: Succinge te sabano, & ministra mihi. Succinxi me sabano mundo, quod erat factum ex sacco. Vt autem vidit me cinctum, & paratum illi ministrare, ait: Voca viros illos, quorum virgæ plantatæ sunt, suo quemque ordine sicut porrexerunt illas. Et duxit me in campum, & vocaui omnes, qui etiam vniuersi constiterunt ordinibus suis. Ait deinde ad illos: quisque virgam suam extrahat, & ad me afferat. Et primò tradiderunt qui aridas & putridas habuerunt, & quorum putridæ & aridæ repertæ sunt virgæ, iussit eos stare seorsum. Deinde porrexerunt qui aridas quidem, sed non putridas habuerunt. Aliqui eorum tradiderunt virgas virides, quidam verò aridas & putridas, velut à tinea tactas. Eos qui virides tradiderant, iussit seorsum stare. Illos verò qui aridas & putridas tradiderunt, cum primis stare iussit. Porrexerunt deinde illi qui semiaridas habuerant, & scissuras habentes; quidam verò virides pampinos habentes, & in pampinis fructum; sicut illi qui in turrim ierunt coronati. Alij porrexerunt aridas, & non putridas: quidam verò sicut fuerant, semiaridas & scissuras habentes. Iussit vnumquemque eorum seorsum stare, alios suo quemque ordine, alios seorsum. Deinde porrexerunt qui habuerant virides quidem virgas, sed scissuras habentes; hi omnes virides tradiderunt, suoque ordine steterunt. Gaudium autem ex his percepit hic pastor quòd omnes politæ essent, & deposuissent scissuras suas. Deinde porrexerunt qui dimidiam viridem, & dimidiam aridam habuerant: quorundam verò inuentæ sunt totæ virides: aliorum semiaridæ, aliorum virides & pampinos habentes; hi omnes dimissi sunt, vnusquisque in suum ordinem. Deinde qui habuerant duas partes virgarum suarum virides, tertiamque aridam: multi ex eis virides porrexerunt, multi semiaridas, cæteri verò aridas & non putridas: hi omnes dimissi, sunt in suum quisque ordinem. Deinde porrigebant qui habuerant in virgis suis duas partes aridas, tertiamque viridem; multi quoque ex eis porrexerunt semiaridas, quidam verò aridas & putridas, alij autem semiaridas & scissuras habentes, pauci verò virides: hi igitur omnes constiterunt in suo quisque ordine. Deinde porrexerunt qui tertium habuerant aridum, reliquum verò viride: horum virgæ maiori ex parte inuentæ sunt virides ramusculos habentes, & in eis ramusculis fructum: & reliquæ virides totæ. Ex his virgis gaudium vehementer percepit pastor ille, quia sic inuenerit eas. Abierunt & illi in ordines suos. Postquam autem omnium virgas considerasset, ait mihi: Dixeram tibi, arborem hanc diligere vitam. Vides quòd multi egerunt pœnitentiam, & assecuti sunt salutem! Video, inquam, Domine. Vt scias inquit, bonitatem & clementiam Domini magnam, & honorandam esse, qui dedit spiritum iis qui digni erant agere pœnitentiam. Et dixi: Quare ergo, Domine, non omnes egerunt pœnitentiam? Ait mihi: Quorum videtat Dominus puras mentes futuras, & seruituros ei ex totis præcordiis, illis tribuit pœnitentiam. At quorum aspexit dolum & nequitias, & animaduertit ad se fallaciter reuersuros negauit iis ad pœnitentiam regressum, ne rursus legem eius nefandis

Homo salix comparatur.

Salix est lex Dei.

Michael Angelus.

Martyres.

Confessores.

Sabanū.

Pœnitentia.

Cur non omnes agāt pœnitentiā. Cautè lege, nam auctor in Pelagianā errorem præ-

male

A

Iactantiâ errorem præcipitare videtur. Nullas enim Deus prævidet puras & sanctas mentes futuras nisi quas ipse valet facere præordinauit.

Mysteria multiplicitû virgarum.

maledicerent verbis. Dico ei : Nunc mihi, Domine, demonstra, quid is sit locus cuiusque eorum qui virgas reddiderunt, & sedes eorum : vt auditis his & crediris, ij qui non custodierunt integrum, sed dissipauerunt sigillum quod acceperunt, agnitis suis factis pœnitentiam agant:& accepto à te sigillo, Domino dent honorem, quòd sit super eos motus clementiâ suâ : & miserit te, vt spiritus eorum renoues. Audi, inquit : quorum virgæ aridæ & putridæ repertæ sunt, & velut à tineâ tactæ : hi sunt transfugæ, Ecclesiæ proditores, qui inter reliqua sua delicta, nefandis verbis Dominum insectati, nomen eius negauerunt, quod super eos erat inuocatum : hi igitur omnes mortui sunt Deo, atque etiam neminem eorum vides egisse pœnitentiam, tametsi audierint mandata mea quæ tu eis protulisti : ab huiusmodi ergo hominibus abest vita. Hi quoque qui aridas & non putridas tradiderunt, non procul ab illis fuerunt : ficti enim erant, & doctrinas prauas intulerunt, & peruerterunt seruos Dei ; præcipuè eos qui peccassent, non sinentes eos ad pœnitentiam redire, sed doctrinis fatuis detinentes : hi ergo habent ad spem regressum : atque etiam multos vides agere pœnitentiam, ex quo eis mandata mea protulisti, & adhuc agent pœnitentiam. Quicunque verò non egerint pœnitentiam, ij & pœnitentiam & vitam suam amittent ? at his qui egerint, murus imprimis cœpit esse sedes eorum, etiam qui non in turrim ascenderunt. Vides igitur (inquit) in pœnitentiâ, peccantium inesse vitam, non agentium verò pœnitentiam, mortem paratam. De his verò qui semiaridas virgas porrexerunt, & scissuras habuerunt, audi. Quorum tantummodo semiaridæ erant virgæ, hi dubij sunt, nec enim viui sunt, nec mortui. At hi qui semiaridas & scissuras habentes tradiderunt, & dubij sunt, & maledici: de absentibus detrahentes, & nunquam inter se pacem habentes, & inter se inuidentes: Et iis quidem proposita est pœnitentia, vides enim ex his aliquos pœnitere. Quicunque verò eorum citò egerunt pœnitentiam, hi in turri habent sedem, at ij qui tardè egerunt, in muris habitant: qui verò non egerunt pœnitentiam, sed in suis permanserunt factis, morte morientur. At verò hi qui virides quidem virgas sed scissuras habentes tradiderunt, fideles semper fuerunt & boni : sed habentes inter se quandam inuidiam & contentionem de principatu & dignitate : Verùm omnes huiusmodi insipientes sunt & fatui, qui habent inter se æmulationem de principatu. Attamen hi quum sint alioquin boni, si auditis mandatis istis emendauerint se, & citò per suasionem meam egerint pœnitentiam, in turri denique incipient habitare, sicut & hi qui egerunt dignè pœnitentiam. Quòd si quis eorum rursus ad dissensionem redierit, repelletur à turri, & vitam suam perdet. Vita etiam eorum qui custodiunt mandata Domini, in mandatis consistit, non in principatu, aut aliquâ dignitate : per patientiam enim & humilitatem animæ, vitam homines consequentur: per seditiones verò & contemptum legis mortem sibi acquirent. Qui verò in virgis suis dimidium aridum habebant, & dimidium viride ; hi sunt negotiationibus inuoluti, neque appliciti sanctis : Ideoque etiam dimidium eorum viuit, dimidium verò mortuum est. Multi igitur ex illis, auditis mandatis egerunt pœnitentiam, & in turri habitare cœperunt : quidam verò eorum, in totum destiterunt. His igitur non est locus pœnitentiæ ; a negotiatione enim sua nefanda in Dominum locuti sunt, & eum abnegauerunt : propter hanc igitur nequitiam amiserunt vitam. Multi verò ex his dubiam mentem induerunt, adhuc & iis est regressus : qui si citò pœnitentiam egerint, in turri sedem habebunt ; si verò tardiùs egerint, in muris habitabunt ; si autem non egerint, mortem sibi acquirent. At hi qui duas partes virgarum suarum virides habuerant, & tertiam aridam, compluribus modis deprauati negauerunt Dominum. Ex his igitur multi egerunt pœnitentiam, atque ita in turri habitare cœperunt ; & multi à Deo in perpetuum recesserunt : Illi igitur in totum amiserunt vitam. Quidam vero dubia mente conceptâ, dissensiones concitauerunt ; iis adhuc regressus est, si citò egerint pœnitentiam, nec voluptatibus suis remorati fuerint : si autem permanserint in factis suis, mortem sibi acquirent. Qui verò porrexerunt virgas suas, quarum duæ partes aridæ fuerant, & tertia viridis ; fideles quidem fuerunt, sed locupletati & exsaturati bonis apud exteras gentes celebriores esse cupierunt, & in superbiam magnam inciderunt, & sublimia cœperunt sperare, & veritatem deserere, neque appliciti sunt iustis : cum exteris gentibus conuixerunt, & hæc illis vita dulcior visa est ; à Deo tamen non recesserunt, & in fide perseuerauerunt sed opera fidei non exercuerunt. Multi igitur ex illis egerunt pœnitentiam, & sedes eorum in turri esse cœperunt : Alij verò viuentes cum exteris gentibus ; & elati vanitatibus suis, in perpetuum à Deo defecerunt, nationum facinoribus & operibus seruientes : huiusmodi ergo homines adnumerati sunt exteris nationibus. Alij ex his dubiam mentem habere cœperunt non sperantes se propter facta sua assequi posse salutem : Alij dubij facti, dissensiones excitauerunt. His igitur & illis qui propter facta sua dubij esse cœperunt, adhuc est regressus ; sed hæc pœnitentia cita esse debet, vt sit in turri sedes eorum. His verò qui non agunt pœnitentiam, sed permanent in voluptatibus suis, mors propè est. At hi qui virgas virides porrexerunt, exceptis cacuminibus earum, quæ sola arida erant, & scissuras habebant : semper boni atque fideles & probi erga Deum fuerunt, sed parumper deliquerunt propter inanes voluptates & minutas cogitationes, quas intra se habuerunt. Auditis ergo verbis meis plurimi egerunt pœnitentiam celeriter, & in turri habitare cœperunt. Quidam autem ex his euaserunt dubij ; quidam adiecerunt ad dubiam mentem etiam dissensiones mouere : In his igitur etiam nunc spes est regressus, quia boni semper fuerunt, difficilè autem mouebuntur. Qui verò virgas suas aridas porrexerunt, exceptis cacuminibus earum, quæ sola erant viridia : crediderunt quidem Deo, in sceleribus verò conuersati sunt, nunquam tamen à Deo recesserunt, sed semper nomen Domini libenter tulerunt, & libenter in hospitiis suis Dei seruos susceperunt. Audito igitur hoc, regressi, sine mora egerunt pœnitentiam, & omnem virtutis æquitatem exercuerunt. Aliqui verò eorum obierunt : & alij libenter aduersa passi sunt, memores factorum suorum. Postquam finisset omnium virgarum explanationes, ait mihi : Vade & dic omnibus vt agant pœnitentiam, & viuent Deo quia motus Dominus magnâ clementiâ suâ, misit me vt pœnitentiam nuntiarem omnibus ; his etiam qui non merentur propter facta sua assequi salutem. Sed patiens est Dominus, & inuitationem per filium suum factam vult conseruare. Dico ei : Spero Domine, fore vt auditis his, vniuersi agant pœnitentiam : credo enim, vnumquemque agnitis suis factis, & accepto Dei timore, ad pœnitentiam regressurum. Ait mihi : Quicunque toto corde egerint pœnitentiam, & purificauerint se ab omni nequitiâ quæ suprà dicta est, & non adiecerint adhuc ad delicta sua quicquam, accipient à Domino remedium priorum peccatorum suorum, si nihil dubitauerint de mandatis his, & viuent Deo. Qui verò adiecerint, inquit, ad delicta sua, & conuersati fuerint in cupiditatibus sæculi huius, damnabunt seipsos ad mortem. Tu verò ambula in mandatis istis, & viues Deo ; & quicunque ambulauerint in his, & rectè ea exercuerint, viuent Deo. Postquam verò hæc omnia mihi ostendit, ait mihi : Reliqua post dies paucos tibi ostendam.

B

Apostata impœnitentes. Hypocrita.

Pœnitentia est peccatorum vita.

Detractores.

C

Ambitiosi.

Seditiosi.

D

Causâ legenda haret super in eodem Nouatiano luto.

SIMILITVDO IX.

Ædificandæ militantis, & triumphantis Ecclesiæ mysteria maxima.

POstquam scripsi mandata, & similitudines Pastoris illius nuntij pœnitentiæ, venit ad me, & dixit mihi : Volo ostendere tibi, quæcunque spiritus tibi ostendit, qui in effigie Ecclesiæ locutus est tecum. Ille enim Spiritus, Filius Dei est. Et quia infirmior eras corpore, non antè per nuntium declaratum est tibi quàm firmatus es à Spiritu, auctúsque viribus, vt etiam nuntium possis

videre; tunc enim benè quidem & magnificè ædificatio turris, ab Ecclesiâ tibi ostensa est, sed vt à virgine monstrata cuncta vidisti. Nunc autem per nuntium illustrâris, per eundem quidem spiritum: Sed oportet te omnia diligenter videre. Idcirco enim in domum tuam missus sum habitare, ab illo nuntio venerando; vt cùm omnia potenter videris, nihil vt priùs expauescas. Et duxit me in ascensum montis Arcadiæ; & consedimus in cacumine eius. Et ostendit mihi campum magnum, & circa eum duodecim montes, aliâ atque aliâ figurâ. Quorum primus niger erat sicut fuligo: secundus glabrus sine herbis: tertius spinis & tribulis plenus: quartus habebat semiaridas herbas; quarum superior pars erat viridis, proxima autem radicibus arida; quædam etiam herbæ, cùm sol incanduisset, aridæ fiebant: Quintus mons aspertimus erat; sed herbas virides habebat: Sextus mons scissuris erat plenus; quibusdam minoribus, quibusdam verò maioribus: sed in illis scissuris erant herbæ non valde quidem latæ, sed velut marcidæ esse videbantur. Septimus verò mons, delectabiles habebat herbas, & totus fertilis erat, & omne genus pecudum & volucrum cœli pabulum carpebant ex illo: & quantum vescebantur ex illo, tantò lætiores herbæ crescebant. Octauus mons, fontibus erat repletus, & ex illis fontibus adaquabatur omne genus creaturæ Dei. Nonus mons nullam omnino aquam habebat, & totus destitutus erat; sed & mortiferos serpentes alebat, & hominibus perniciosos. Decimus mons proceras arbores continebat, totusque erat vmbrosus: & sub vmbrâ pecudes iacebant requiescentes ac ruminantes. Vndecimus mons densissimis arboribus repletus erat, & arbores illæ aliis atque aliis oneratæ videbantur fructibus, vt quisquis videret, cuperet edere de fructibus earum. Duodecimus mons, candidus erat totus, & aspectum habebat delectabilissimum, & ipse sibi summum præstabat decorem. In medio verò campo candidam & ingentem petram mihi ostendit, quæ de ipso campo surrexerat: & petra illa altior montibus illis erat, & quadrata, ita vt posset totum orbem sustinere. Vetus autem mihi videbatur esse, sed habebat nouam portam, quæ nuper videbatur exculpta. Et porta illa clariorem splendorem quàm Sol habebat: ita vt mirarer vehementer lumen eius. Circa verò portam illam stabant virgines duodecim, ex quibus quatuor quæ obtinebant angulos portæ, digniores mihi videbantur esse, sed & cæteræ dignæ erant: stabant autem in quatuor partibus portæ. Erat autem & id ad gratiam illarum virginum, quòd illæ binæ & binæ vestitæ erant linteis tunicis, & decenter succinctæ exterius, brachiis dextris tanquam fascem aliquem leuaturæ, sic erant paratæ: vehementer enim hilares erant, atque promptæ. Hæc quum vidissem, mecum ipse mirabar, quòd tam magnas & præclaras res viderem. Et rursus mirabar propter virgines illas, quòd tam decoræ & delicatæ essent, & ita constanter ac fortiter starent, tanquam totum cœlum portaturæ. Et quum hæc intra me cogitarem, ait ad me pastor ille: quid intra te disputas atque torqueris, & ipse tibi sollicitudinem adiicis? Quæcunque non potes intelligere, noli attendere, tanquam si sapiens sis, sed roga Dominum, vt accepto sensu intelligas ea. Quæcunque post te sunt, non potes videre, quæ verò sunt antè te, vides. In his igitur, quæ non potes videre, noli torqueri, & eorum intelligentiam cape, quæ tu vides. Desine esse curiosus: Ego autem demonstrabo tibi cuncta quæcunque debeo ostendere: nunc autem reliqua considera. Et quum hæc dixisset mihi, suspexi: Et ecce vidi venisse sex viros excelsos ac venerandos, & omnes similes vultu, & vocasse quandam multitudinem virorum, & hi qui venerant vocati ab illis, & ipsi quoque excelsi & fortes erant. Iusserunt autem illi sex eos turrim quandam super eam portam ædificare. Magnus verò tunc fremitus cœpit esse decurrentium circa portam huc atque illuc, eorum virorum qui ad ædificandum turrim venerant. Virgines verò illæ, quæ stabant circa portam, iubebant eis ædificationem turris accelerare: Ipsæ autem expoirexerunt manus suas, tanquam aliquid accepturæ ab illis. Tunc illi sex iusserunt, vt ex quodam profundo lapides attollerent, & in ædificationem turris præpararent. Et eleuati sunt decem lapides candidi, quadrati, circumcisi. Postquam verò sex illi aduocauerunt has virgines, iusserunt eas, vniuersos lapides quicunque in turris ædificationem mittendi essent, portare, & translatos per portam tradere eis qui ædificaturi erant turrim illam. Continuò hæ virgines eosdem lapides, qui prius eleuati erant de profundo, inter se eleuare cœperunt pariter omnes. Qui autem steterunt circa portam, sic etiam portabant, vt qui videbantur esse fortiores, ad angulos ponerentur: cæteri verò lapides ad latera subiiciebantur: atque ita vniuersos lapides pertulerunt, eósque per portam translatos, ædificantibus (sicut iussæ erant) tradiderunt: Illi verò excipientes, extruxerunt illos. Hæc autem ædificatio super illam petram magnam & portam fiebat, atque ab iis tota turris sustentabatur. Horum autem decem lapidum structura totam portam illam repleuit, quæ in fundamento turris illius esse cœpit. Post illos verò decem lapides, alij viginti quinque eleuati sunt de profundo, & hi structi sunt in ædificationem turris eiusdem per illas virgines leuati, sicut priores. Post hos alij triginta quinque eleuati sunt, & hi similiter eodem opere aptati sunt. Post hos, quadraginta lapides ascenderunt, & hi omnes adiecti sunt in structuram turris illius. Quatuor ergo ordines cœperunt esse in fundamento turris illius: desierunt enim lapides extrahi de profundo paulisper: & hi, qui ædificabant, quieuerunt. Iterum illi sex viri, multitudini imperauerunt, vt de illis duodecim montibus adaptarent lapides ad ædificationem turris eiusdem. Illi autem excidebant de vniuersis montibus variorum colorum lapides, & deferentes eos porrigebant virginibus: quos illæ accipientes transferebant, & in ædificationem turris porrigebant. In quâ quum structi essent illi, candidi, variique fiebant, & similiter omnes, priores mutabant colores. Quidam verò ab ipsis viris porrigebantur, qui quum in eam ædificationem venissent, quales ponebantur, tales & permanebant. Hi nec candidi fiebant nec varij, quoniam non erant à virginibus per portam translati. Hi ergo lapides deformes erant in ædificatione. Quos quum animaduertissent illi sex viri, iusserunt tolli, & suo loco reponi vnde delati fuerant. Et dicunt ad illos, qui lapides illos adferebant: Omninò vos nobis ad ædificationem hanc lapides porrigere nolite, sed iuxta turrim ponite eos, vt hæ virgines translatos porrigant: nisi enim ab his virginibus translati fuerint per hanc portam, colores suos mutare non possunt: nolite igitur frustra laborare. Effecta est autem structura illo die, sed turris consummata non est: futurum enim erat, vt ædificaretur, propterea etiam nunc & quædam dilatio facta est. Et iusserunt illi sex eos, qui ædificabant, abire, & veluti aliquandiu quiescere: Illis verò virginibus præceperunt, ne à turri discederent. Propterea autem videbantur mihi relictæ, vt custodirent turrim illam. Postquam autem recesserunt, dico ad pastorem illum: Quare Domine, non est peracta ædificatio turris? Non enim, inquit, antè consummari potest, quàm veniat Dominus eius, & structuram hanc probet: vt si quos lapides non bonos in eâ inuenerit, mutentur. Ad voluntatem enim eius ædificatur hæc turris. Vellem, inquam, Domine, scire, quid significet ædificatio turris huius, & de hac petrâ, & de hac portâ cognoscere, & de montibus, & de virginibus, & de lapidibus qui extracti sunt de profundo, nec circumcisi sunt, sed sicut ascenderunt, sic missi sunt in structuram, & quare primùm lapides decem in fundamento structi sunt, deinde viginti quinque, deinde triginta quinq; deinde quadraginta. Item de illis lapidibus qui positi sunt in structuram, iterúmque sublati, & in locum suum relati. De omnibus his Domine, desiderium animæ meæ comple, & omnia mihi demonstra. Et dixit mihi: Si tardus non fueris, omnia nunc cognosces, & videbis reliqua quæ futura sunt huic turri, & omnes similitudines diligenter cognosces. Et venimus post dies paucos in eundem locum vbi sederamus, & dicit mihi: Perueniamus ad turrim: Dominus enim eius venturus est, vt consideret eam. Venimus igitur illuc, & neminem alium quàm virgines illas inuenimus. Et interrogauit eas: an affuisset Dominus turris illius? Et

E

F

G

Turris nō est cōsummata, & cur.

H

responderunt continuò eum adfuturum, vt consideret structuram illam. Post pusillum verò video multitudinem virorum magnam venientem, & in medio eorum ita excelsum virum vt magnitudine suâ ipsam turrim superaret: & circa eum sex illos quos in ædificatione imperare videram, & eos omnes qui ædificauerunt turrim illam, & præterea alios quàm plures dignitate splendidos viros. Virgines verò illæ quæ custodiebant turrim illam, adcurrunt, & osculatæ sunt eum, & propè eum cœperunt ambulare. Ille aotem tam diligenter considerabat structuram illam, vt singulos lapides contrectaret, quinetiam singulos virga quam in manu tenebat, feriebat. Ex quibus quidam quum essent percussi, nigri fiebant velut fuligo, quidam autem tanquam scabri, quidam scissuras habentes, quidam curti; quidam nec nigri, nec albi, quidam asperi, nec cum cœteris lapidibus conuenientes, quidam plurimas maculas babentes. Hæ sunt varietates lapidum illorum, qui in structura illa non idonei reperti sunt. Iussit eos Dominus omnes de turri deponi, & iuxta eam relinqui, & alios lapides afferri, & loco eorum reponi. Et interrogauerunt eum, qui ædificabant, ex quo monte vellet afferri, & reponi in locum eiectorum? De montibus quidem vetuit afferri, sed ex campo quodam, qui propè erat, iussit afferri. Foderunt enim campum illum, & inuenerunt lapides splendidos, quadratos: quosdam verò etiam rotundos, quicunque autem erant in illo campo, omnes allati sunt, & per portam transportati à virginibus illis, & qui ex eis quadrati erant, formati sunt, & positi in locum eiectorum: at verò qui rotundi, non sunt adiecti in structuram: quoniam duri erant, & longum esse videbatur, circumcidere eos: sed positi sunt circa turrim tanquam futurum esset, vt circumciderentur, & in structuram mitterentur: valde enim splendidi erant. Hæc quum vidisset vir ille dignitate præcipuus, & Dominus totius turris, vocauit hunc pastorem, & tradidit ei lapides, qui reprobati erant, & positi circa turrim, & ait ad illum: Communda diligenter lapides hos, & apta in structuram turris, vt cum cæteris possint conuenire, eos autem qui non conueniunt longè à turri proiicies. Hæc cùm præcepisset ei, cum omnibus cum quibus venerat ad turrim, abiit. Virgines autem illæ steterunt circa turrim, custodientes eam. Et dixi ad pastorem illum: Quonam modo possunt lapides hi in structuram huius turris, cùm reprobati sint redire? Et dixit mihi: Ego de lapidibus istis maiorem partem circumcidam, & adiiciam in structuram, & conuenient cum cæteris. Et dixit: Quomodo Domine, possint circumcisi eundem locum implere? Quicunque, inquit, minores inuenti fuerint, in mediam structuram ibunt, maiores verò deforis ponentur, & continebunt eos. Hæc cùm dixisset mihi: Eamus, inquit, & post triduum reuertamor, & emundatos hos lapides in structuram adiiciam: Ea enim, quæ sunt circa turrim, commundari debent omnia, ne fortè subitò paterfamilias superueniat, & immunda ea, quæ circa turrim sunt, inueniat, & ita aspernetur, & hi lapides non mittantur in structuram turris huius, & ego negligens paterfamilias videar esse. Post triduum autem cùm venissemus ad eandem turrim, ait mihi: Consideremus hos lapides omnes, & videamus, qui ex eis possunt in structuram ire. Dico ei: Consideremus Domine. Primùm omnium cœpimus considerare eos, qui nigri fuerant. Quales enim a structura depositi fuerant, tales sunt reperti. Iussit eos à turri moueri, & seorsum reponi. Deinde considerauit eos, qui scabrosi fuerant, & multos ex eis circumcidi iussit, & per virgines eos in structuram turris aptari. Illæ autem, sublatos eos aptauerunt in mediâ structurâ: reliquos autem iussit cum illis nigris reponi, nam & hi transierant nigri. Deinde considerabat eos qui scissuras habebant: & ex illis multos circumcidi iussit, & per illas virgines adiici in structuram. Hi deforis positi sunt, quoniam integri inuenti sunt; reliqui autem propter multitudinem scissurarum non potuerunt afformari, propterea proiecti sunt ab ædificatione turris. Deinde considerabat eos, qui curti facti erant, multi ex illis scissuras habebant, & nigri transierant: alij verò scissuras magnas habebant, quos iussit apponi cum illis, qui reiecti erant: reliquos autem commundatos, & afformatos adiici iussit in structuram, quos sublatos virgines illæ in mediâ structurâ aptauerunt: infirmiores enim erant. Deinde considerabat eos, qui dimidij quidem albi, dimidij autem nigri fuerant reperti, & multi ex illis nigri inuenti sunt. Iussit & hos transferri ad illos, qui reiecti erant, reliqui verò toti candidi inuenti sunt, & hi sublati sunt à virginibus, & aptati in eâdem turri, exteriores autem positi sunt, qui integri inuenti sunt, ita vt possent continere eos, qui in medio constructi erant: nihil enim eis recisum est. Deinde considerabat eos, qui duri & asperi fuerunt, pauci ex his adiecti sunt, quoniam non poterant circumcidi: valde enim duri reperti sunt: reliqui autem formati sunt, & in mediâ structurâ à virginibus aptati, infirmiores enim erant. Deinde considerabat illos, qui maculas habebant, & ex iis pauci reperti sunt nigri, & hi ad cæteros adiecti sunt: qui verò superfuerant, candidi & integri inuenti sunt: & hi à virginibus in structuram aptati sunt, & deforis positi, propter fortitudinem suam. Venit deinde, vt consideraret eos lapides, qui candidi & rotundi erant, & ait mihi: Quid faciemus de his lapidibus? Et ego dixi: Domine, nescio. Nihil ergo, inquit, excogitas de his? Ego, inquam, artem hanc non noui, nec lapidarius sum, nec possum intelligere quicquam. Et dixit: Non vides eos valde rotundos esse? quod si voluero eos quadratos redigere, plurimùm mihi ex his recidendum est: sed necesse est aliquos ex his in structuram turris transire. Et dixi: Si necesse est, quid igitur te implicas, & non eligis, si quos habes eligere, & aptas in structuram illam? Et elegit, quos vidit maximos & splendidissimos, & afformauit eos: quos sublatos, virgines illæ in exterioribus partibus structuræ posuerunt; reliqui verò, qui superfuerunt, repositi sunt in eundem campum vnde sumpti erant, abiecti verò non sunt: Quoniam, inquit, adhuc exiguum deest huic turri, quod ædificandum erit, & forsitan vult Dominus hos lapides aptari in eâ structurâ, quia valde candidi sunt. Vocatæ sunt deinde mulieres speciosissimæ duodecim, nigrâ veste vestitæ, incinctæ, & exertis humeris, capillisque solutis. Videbantur autem mihi hæ mulieres agrestes esse. Et iussit eas pastor ille tollere lapides illos, qui de structurâ eiecti erant, & eos referri in montes vnde ablati fuerant. Et illæ gaudentes sustulerunt omnes, ac reportauerunt eos, vnde extracti fuerant. Postquam autem nullus lapis circa turrim iaceret, ait mihi: Circumeamus hanc turrim & videamus, nunquid aliquid desit illi. Cœpimus ergo circumire eam. Et vt vidit eam decenter ædificatam, cœpit valde hilaris esse, ita enim decenter ædificata fuerat, vt qui vidisset, concupisceret structuram eius: quoniam quasi de vno lapide videbatur esse, nec vsquam commissura apparebat, sed ex petrâ vnâ videbatur exculpta. Ego autem huiusmodi turrim attentè considerans, valde lætabar. Et ait: Affer calcem, & testas minutas, vt formas eorum lapidum, qui sublati sunt de structurâ, & iterum repositi, expleam, ea enim quæ circa turrim sunt, omnia æquari debent. Et feci, sicut iussit mihi, & attuli ad eum. Et ait mihi: Præstò adsis mihi, inquit, & citò hoc opus perficietur. Compleuit ergo formas illorum lapidum, & iussit locum mundari circa turrim. Tunc virgines illæ apprehenderunt scopas, & mundauerunt totum, & sustulerunt excrementa & sparserunt aquam, quo completo factus est locus delectabilis, & turris decora. Ait deinde mihi. Omnia commundata sunt: si venerit Dominus hanc turrim consummare, nihil inueniet, quod de nobis queratur. Hæc quum dixisset, volebat abire. At ego apprehendi peram eius, & cœpi rogare eum per Dominum, vt mihi omnia, quæ ostenderat, explicaret. Ait mihi: Habeo modicam occupationem, at omnia tibi explicabo: expecta autem me hìc, dum venio. Dico ei: Domine, quid hic solus faciam? Respondit: Non es solus, omnes enim virgines tecum sunt. Et dixi: Trade me Domine ergo eis. At ille vocauit illas, & dixit eis: Commendo vobis hunc, donec venio. Remansi igitur cum virginibus illis. Illæ autem hilares erant, & affabiles mihi, præcipuè tamen

Lapides tactu nigrescentes.

Delectus lapidum in turris ædificatione.

quatuor, quæ cæteras præcedebant dignitate. Dicunt mihi deinde Virgines illæ: Hodie pastor ille huc venturus non est. Et dixi: Quid ergo ego faciam? Et dicunt mihi: Vsque in vesperam expecta eum, si forsan venerit, & loquetur tecum, sin minus, nobiscum dum veniat, manebis. Dixi eis: Expectabo eum vsque ad vesperam, quòd si non venerit, domum ibo, & reuertar mane. Responderunt mihi: Nobis assignatus es, non potes recedere à nobis. Et dixi: Vbi manebo? Dicunt mihi: Nobiscum dormies vt frater, non vt maritus, frater enim noster es, & de cætero tecum habitare paratæ sumus, valde enim charum te habemus. Ego autem erubescebam cum eis manere. Et verò, quæ ex illis prima esse videbatur, amplexata me est, & osculari me cœpit. Cæteræ verò quum vidissent me amplexari ab illâ, & ipsæ cœperunt me vt fratrem osculari, & ducere circa turrim, & ludere mecum. Quædam autem ex illis Psalmos canebant, quædam choros ducebant. Ego autem circa eam turrim in silentio lætus cum eis ambulabam, & videbar mihi iunior factus esse. Postquam verò vespera esse cœpit, domum repentè abire volebam, illæ autem retinuerunt me, & non permiserunt abire. Mansi ergo illâ nocte cum eis iuxta eandem turrim. Strauerunt autem tunicas suas linteas in terram, & me in medio collocauerunt, nec quicquam aliud faciebant, nisi quòd orabant. Sed & ego cum illis sine intermissione orabam, neque minus quàm illæ. Quæ quum me sic orantem vidissent, ingens gaudium perceperunt, & cum eis illic fui vsque ad diem posterum. Et cùm adorassemus Dominum, tunc venit pastor ille, & ait ad illas: Nullam ei fecistis iniuriam? Et dixerunt ei: ipsum interroga. Dico ei: Domine, magna voluptas me cepit, quòd mansi cum eis. Et dixit mihi, quid cœnasti? Et dixi: Cœnaui, Domine, totâ nocte verba Domini. Benè, inquit, te acceperunt? Et dixi: Benè Domine. Nunquid vis nunc audire? Et dixi: Volo Domine: & primùm sicut te interrogauero, rogo vt sic mihi demonstres. Quemadmodum vis, inquit, sic tibi rem explanabo, nec quicquam te celabo. Primùm omnium Domine, inquam, hoc mihi demonstra. Petra hæc, & porta quid sunt? Audi, inquit: Petra hæc, & porta filius Dei est. Quonam pacto, inquam, Domine, petra vetus est, porta autem noua? Audi, inquit, insipiens, & intellige. Filius quidem Dei omni creaturâ antiquior est, ita vt in consilio patri suo adfuerit ad condendam creaturam. Porta autem propterea noua est, quia in consummatione in nouissimis diebus apparebit, vt qui assecuturi sunt salutem, per eam intrent in regnum Dei. Vidisti, inquit, lapides illos qui per portam translati sunt in structuram turris collocatos, eos verò qui non erant translati per portam, abiectos in locum suum? Et dixi: Vidi Domine. Sic, inquit, nemo intrabit in regnum Dei, nisi qui acceperit nomen filij Dei. Si enim ciuitatem aliquam volueris intrare, & ciuitas illa cincta sit muro, & vnam habeat tantummodo portam, nunquid poteris aliâ intrare ciuitatem illam, nisi per portam quam habet? Et quonam modo, inquam, Domine, aliter fieri potest? Sic ergo, inquit, in illam vrbem non potest aliter intrari, nisi per nomen filij eius, qui est ei charissimus. Et dixit mihi: Vidisti turbam eorum, qui ædificabant turrim illam? Vidi, inquam, Domine. Et dixit: illi omnes nuntij sunt dignitate venerandi. His igitur veluti muro cinctus est Dominus. Porta verò filius Dei est, qui solus est accessus ad Deum. Aliter ergo nemo intrabit ad Deum, nisi per filium eius. Vidisti, inquit, illos sex viros, & in medio præcelsum virum illum ac magnum, qui circa turrim ambulauit, & lapides de structurâ reprobauit? Vidi, inquam, Domine. Ille, inquit, præcelsus, filius Dei est: & illi sex nuntij sunt dignitate conspicui, dextrâ, læuâque eum circunstantes. Ex his, inquit, excellentibus nuntiis, nemo sine eo intrabit ad Deum. Et dixit: Quicunque ergo nomen eius non acceperit, non intrabit in regnum Dei. Et dixi. Quid est deinde hæc turris? Hæc, inquit, Ecclesia est. Et virgines hæ quæ sunt Domine? Et dixit mihi: Hæ, inquit, Spiritus sancti sunt, non aliter enim homo potest in regnum Dei intrare, nisi hæ induerint eum veste suâ.

E

Etenim nihil proderit tibi accipere nomen Filij Dei, nisi etiam & vestem earum acceperis ab eis. Hæ namque virgines potestates sunt Filij Dei. Ita frustra nomen portabit quis, nisi etiam potestates eius portauerit. Et dixit mihi: Vidisti lapides illos, qui abiecti sunt? Illi enim nomen quidem portarunt, vestem autem illarum non induerunt. Et dixi: Quæ est vestis earum, Domine? Ipsa, inquit, nomina, vestis earum est. Quicunque ergo, inquit, nomen filij Dei portat, harum quoque nomina portare debet, nam & filius nomina portat earum. Quoscunque, inquit, lapides vidisti in structurâ remansisse, per manus harum traditos earum potestate vestiti sunt. Ideoque totam turrim concordem vides cum petrâ, & velut ex vno lapide factam. Sic quoque ij, qui crediderunt Deo per filium eius, induti sunt spiritum hunc. Ecce vnus erit spiritus, & vnum corpus, & vnus color vestium eorum: sed & illi assequentur ista, qui portauerint nomina virginum harum. Et dixi: Quare ergo Domine, abiecti sunt lapides, qui reprobati fuerunt, cùm & ipsi per portam translati fuerint, & per manus virginum harum in structuram turris huius? Quoniam, inquit, cura tibi est, omnia diligenter inquirere: audi de iis lapidibus qui abiecti sunt. Hi omnes nomen filij Dei acceperunt, sed & potestatem virginum harum: his ergo spiritibus acceptis consummati fuerunt, & in numero seruorum Dei redacti, & vnum corpus eorum esse cœpit, atque vna vestis, eandem enim sentiebant æquitatem, quam pariter exercebant. At verò postquam viderunt mulieres illas, quas aduertisti nigrâ veste vestitas, exertis humeris, & solutis crinibus, concupiuerunt sollicitare illas, ob pulchritudinem earum, & induti sunt potestate earum, virginum verò proiecerunt amictum. Hi igitur abiecti sunt à domo Dei, & traditi mulieribus illis. At hi qui non sunt corrupti pulchritudine earum, in domo Dei remanserunt. Habes, inquit, horum lapidum, qui abiecti sunt, explicationem. Et dixi: Si qui ergo Domine, hominum qui huiusmodi sunt, egerint pœnitentiam, & abiecerint cupiditatem mulierum illarum, & conuersi redierint ad virgines, & earum potestatem induerint, nónne intrabunt in domum Dei? Intrabunt, inquit, si abiecerint omnia opera mulierum illarum, & harum virginum resumpserint potestatem, & in operibus earum ambulauerint, & ideò intermissio facta est struendi, vt si hi egerint pœnitentiam, adiiciantur in structuram turris: si autem non egerint pœnitentiam, alij struantur loco eorum, & illi tunc abiicientur in toto. Ad hæc omnia gratias egi Domino, quòd in omnes in quibus inuocatum est nomen eius, motus clementiâ, miserit præsidem nuntium pœnitentiæ ad nos, qui deliquimus ei: & quod renouauerit spiritus nostros iam certè deficientes, neque habentes spem salutis, nunc verò recreat ad redintegrationem vitæ. Et dixi: nunc (Domine) demonstra mihi, quare non in terrâ ædificatur hæc turris, sed supra petram, & portam. Quoniam, inquit, insipiens & sine intellectu es; ideò interrogas. Et dixi: Necesse habeo Domine, omnia te interrogare, quoniam nihil omninò intelligo; responsa enim omnia, magna & præclara sunt, & quæ homines vix intelligere possunt. Audi, inquit: nomen filij Dei, magnum & immensum est; & totus ab eo sustentatur orbis. Si ergo, inquam, omnis Dei creatura per Filium eius sustentatur; cur non & eos sustinet, qui inuitati sunt ab eo, & nomen eius ferunt, & in præceptis eius ambulant? Nónne etiam vides, inquit, quòd sustinet eos, qui ex totis præcordiis portant nomen eius? Ipse igitur fundamentum est eorum: & libenter portat eos, qui non negant nomen eius, sed libenter sustinent illum. Et dixi: Demonstra mihi, Domine, nomina virginum harum, & mulierum illarum quæ nigrâ veste sunt indutæ. Audi, inquit, nomina virginum quæ potentiores sunt, quæ obtinuerunt angulos portæ; hæc sunt: Prima vocatur fides; secunda abstinentia; tertia potestas; quarta patientia; cæteræ autem, quæ infra has consistunt, his nominibus vocantur: simplicitas, innocentia, castitas, hilaritas, veritas, intelligentia, concordia, charitas. Qui-

Fideles sunt concordes.

F

G

Pœnitentia.

H

Virgines turris custodes.

cunque

cunque itaque portant hæc nomina & nomen Filij Dei; in regnum Dei poterunt intrare. Audi nunc mulierum nomina, quæ nigrâ veste vestitæ sunt, ex his quatuor potentiores sunt; quarum prima perfidia; secunda intemperantia; tertia incredulitas; quarta voluptas nominatur. Sequentes verò harum, sic nominantur: tristitia, malitia, libido, iracundia, mendacium, stultitia, inflatio, odium, hos spiritus, qui portat Dei seruus regnum Dei videbit quidem, sed non intrabit in illud. Lapides verò illi (Domine) qui de profundo in structurâ aptati sunt; qui sunt? Decem (inquit) qui in fundamentis collocati sunt: primum sæculum est: sequentes viginti quinque secundùm sæculum est iustorum virorum. Illi autem triginta Prophetæ domini, ac ministri sunt: quadraginta veró Apostoli & doctores sunt prædicationis Filij Dei. Et dixi: cur ergo, Domine, virgines illæ etiam in structuram turris porrexerunt translatos per portam? Et dixit: hi enim primi spiritus, illos portauerunt, & omnino alius ab alio non recesserunt, nec spiritus ab hominibus, nec homines à spiritibus: sed iuncti fuerunt hi spiritus cis vsque ad diem quietis: qui nisi hos spiritus secum habuissent, non fuissent vtiles structuræ turris huius. Et dixi: Etiam nunc, Domine, demonstra mihi. Quid quæris? inquit: Quare, inquam, de profundo, hi lapides ascenderunt, & positi sunt in structuram turris huius; cùm iampridem portauerint Spiritus iustos? Necesse est, inquit, vt per aquam habeant ascendere, vt requiescant: Non poterant enim aliter in regnum DEI intrare, quàm vt deponerent mortalitatem prioris vitæ. Illi igitur defuncti, sigillo Filij DEI signati sunt, & intrauerunt in regnum DEI: antequam enim accipiat homo nomen Filij Dei, morti destinatus est: at vbi accipit illud sigillum, liberatur à morte, & traditur vitæ. Illud autem sigillum aqua est, in quam descendunt homines morti obligati, ascendunt verò vitæ assignati: & illis igitur prædicatum est illud sigillum: & vsi sunt eo, vt intrarent in regnum Dei. Et dixi: quare ergo, Domine, illi quadraginta lapides ascenderunt cum illis de profundo, iam habentes illud sigillum? Et dixit: quoniam hi Apostoli & doctores, qui prædicauerunt nomen Filij Dei, cùm habentes fidem eius & potestatem, defuncti essent, prædicauerunt his qui antè obierunt, & ipsi dederunt eis illud signum. Descenderunt igitur in aquam cum illis, & iterum ascenderunt. Sed hi viui ascenderunt: at illi qui fuerunt antè defuncti, mortui quidem descenderunt, sed viui ascenderunt. Per hos igitur vitam receperunt, & cognouerunt Filium Dei: ideóque ascenderunt cum eis, & conuenerunt in structuram turris. Nec circumcisi, sed integri ædificati sunt, quoniam æquitate pleni, cum summâ castitate defuncti sunt, sed tantummodò hîc sigillum defuerat eis. Habes horum explanationem. Et dixi: nunc iterum, Domine, & de montibus illis mihi demonstra, quare varij, & aliâ, atque aliâ sunt figurâ. Audi, inquit, hi duodecim montes, quos vides, duodecim sunt gentes, quæ totum obtinent orbem. Prædicatus est ergo in eis Filius Dei, per eos quos ipse ad illos misit. Quare autem (inquam) varij sunt, & aliâ atque aliâ figurâ? Audi, hæ duodecim gentes, quæ totum obtinent orbem, duodecim nationes sunt. Et sicut eos montes vidisti varios: ita & hæ gentes. Sensus quoque & actus vniuscuiusque montis te docebo. Prius (inquam) Domine, hoc mihi demonstra, cùm sint tam varij hi montes, quonam pacto in structuram huius turris conuenerint, vnóque redigantur colore, & non minus splendidi sint quàm qui ascenderunt ex profundo? Quoniam (inquit) vniuersæ nationes quæ sub cœlo sunt, audierunt & crediderunt, & vno nomine, Filij Dei, vocati sunt. Accepto igitur eius sigillo, eandem omnes prudentiam, eundemque sensum acceperunt, & vna fides atque charitas eorum fuit, & spiritus virginum harum cum eius nomine ferebant. Ideoque structura turris huius concolor videbatur, & fulgebat vsque ad Solis claritatem. At verò postquam ita senserunt, vnum corpus eorum cœpit esse omnium. Quidam tamen ex eis maculauerunt se, & proiecti sunt de genere iustorum, & iterum redierunt ad statum pristinum, atque etiam deteriores quàm prius euaserunt. Quomodo (inquam) Domine, deteriores qui cognouerunt Dominum? Et dixit: Is quidem qui non nouit Dominum, si nequiter viuit, manet in eo nequitiæ suæ pœna: At, qui nouit Dominum, omnino abstinere debet ab omni nequitiâ, & magis magisque seruire bonitati. Nonne ergo ille qui bonitatem sequi debebat, si nequitiæ præferat partes, plus peccare videtur, quàm is qui deliquit ignorans Dei virtutem? Ideóque, hi quidem morti destinati sunt: at verò hi qui cognouerunt Dominum, atque eius mirabilia & opera viderunt, si nequiter viuunt, duplo amplius punientur, & ipsi morientur in æuum. Sicut ergo vidisti, postquam eiecti sunt lapides de turri, qui reprobati erant, traditi sunt spiritibus perniciosis atque sæuis: & ita purificatam turrim vidisti, vt crederetur ex vno lapide esse tota: Ita & Ecclesia Dei cùm purificata fuerit, eiectis ex eâ malis, atque fictis, scelestis & dubiis, & quicunque nequiter in eâ se gesserunt, ac variis nequitiæ peccatorum generibus, erit vnum corpus eius, vnus intellectus, vnus sensus, vna fides, eademque charitas: & tunc Filius Dei lætabitur inter illos, & recipiet voluntate putâ populum suum. Et dixi: Domine, magnificè & honorificè se habent cuncta: nunc mihi demonstra effectum & vim vniuscuiusque montis, vt omnis anima in Domino fidens, auditis his honoret magnum ac mirabile & sanctum nomen eius. Audi (inquit) veritatem horum montium, id est, duodecim gentium. In primo monte nigro, qui crediderunt transfugæ sunt ac nefanda in Dominum loquentes, & proditores seruorum Dei: Illis proposita mors est, pœnitentia non est: Ideóque nigri sunt, quia genus eorum scelestum est. De secundo verò monte glabroso: ficti sunt, qui crediderunt, & doctores sunt nequitiæ: & hi proximi sunt superioribus, non habentes inter se fructum æquitatis. Sicut enim mons eorum sterilis est, ac sine fructu, ita & huiusmodi homines habent quidem nomen, fide verò inanes sunt, neque est in eis vllus fructus veritatis. His tamen data est pœnitentia, si citò eam sequuntur: sin autem tardant, erunt & ipsi mortis priorum consortes. Quare (inquam) Domine: iis quidem aditus est ad pœnitentiam, prioribus verò non est? penè enim eorum eadem sunt admissa! Ideò (inquit) est his per pœnitentiam regressus ad vitam, qui nihil in Dominum suum locuti sunt nefandum, neque proditores seruorum Dei fuerunt, sed per quandam habendi cupiditatem fefellerunt homines ducentes eos secundùm cupiditates peccantium: ideò dabunt quandam eius rei pœnam, sed tamen iis proposita est pœnitentia, qui nihil in Dominum suum dixerunt nefandum. De tertio verò monte, qui spinas & tribulos habebat: tales sunt: qui crediderunt, diuites quidam; quidam autem plurimis obstricti negotiis: tribuli enim diuitiæ sunt: spinæ verò, qui multis obligati sunt negotiis. Hi ergo qui plurimis obligati sunt negotiis, variisque rebus: non adiungunt se seruis Dei, sed aberrant, ab his negotiis reuocati, à quibus suffocantur. Etiam & hi qui diuites sunt, ipsi difficiles se ad conuersationem seruorum DEI præbent, metuentes ne quid poscatur ab illis: hi ergo difficilè in regnum Dei intrabunt. Sicut enim excalceatis pedibus, difficile in tribulis ambulatur: sic & huiusmodi homines, difficile est in regnum Dei intrare. Sed & eis omnibus datus ad pœnitentiam regressus, si tamen citò redierint ad illam, vt quia prioribus diebus cessauerunt ab opere, repetito tempore aliquid boni facere possint: actâ igitur pœnitentiâ, si fecerint opera bonitatis, viuent: sin autem in admissis suis permanserint, tradentur mulieribus illis, quæ eis auferent vitam. De quarto verò monte habente plurimam herbam, cuius superior pars viridis erat, ipsæ verò radices aridæ, quædam etiam à Solis ardore tactæ arescebant, huiusmodi sunt quidam dubij qui crediderunt: & quidam alij, in labiis Dominum non in corde ferentes: Ideóque aridæ sunt, & nullum fundamentum habentes herbæ eorum: verbis enim tantummodo viuunt: opera verò eorum mortua sunt. Hi ergo nec mortui sunt nec viui, & dubij similiter sunt: Ipsi enim dubij nec virides sunt neque aridi, id est, nec viui nec mortui.

Spiritus mali.

Mysteria 12. Montium.

Christiani improbi, deteriores Paganis.

Apostatarum vix vlla est Pœnitentia. Cautè lege: nam rursus immiscet Nouatianismum.

Hæreticorū hypocritarū nullus est fructus.

Sera pœnitentia.

Diuitiæ sunt spinæ.

Diuites non facilè saluantur.

Dubij in fide radices non agunt.

A

Sicut enim herbæ eorum, Sole viso aruerunt: ita & dubij, simul vt audierunt persecutionem, incommoda metuentes, redierunt ad simulachra, & rursus seruierunt eis, & erubuerunt Domini ferre nomen. Huiusmodi ergo homines, nec viui nec mortui sunt, sed & hi possunt viuere, si citò egerint pœnitentiam: sin minus, iam traditi sunt mulieribus illis, quæ auferent vitam eorum.

Superbi, insensati.

De quinto verò monte aspero, & virides herbas habente: huiusmodi sunt, qui crediderunt, fideles quidem sed difficilè credentes, & audaces, ac sibi placentes: volentes videri cuncta scire, nihilque omnino scientes: propter hanc igitur audaciam, sensus discessit ab illis, & intrauit in eos temeraria arrogantia. Sublimes autem se gerunt, & veluti prudentes, & cùm sint stulti, cupiunt doctores videri: propter hanc stultitiam, dum se magnificant, multi eorum exinaniti sunt: magnum enim dæmonium est, audacia & confidentia inanis. Ex his igitur multi abiecti sunt: alij autem agnito errore suo, pœnitentiam egerunt, & subdiderunt se habentibus sensum.

Audacia, est magnum dæmonium.

B

Sed & cæteris horum similibus proposita est pœnitentia, neque enim mali fuerunt, sed insipienter potius & stulti. Hi ergo si egerint pœnitentiam, viuent Deo: sin minus, habitabunt cum mulieribus illis, quæ nequitias suas exercebunt in eis. De sexto monte habente scissuras maiores & minores: huiusmodi sunt, qui crediderunt. Et hi in quibus scissuræ minores erant: hi sunt, qui inter se habent lites, & propter querelas suas in fide languent, sed multi ex eis egerunt pœnitentiam, idémque cæteri facient auditis mandatis meis: exiguæ enim sunt lites eorum, ac facilè ad pœnitentiam recurrent. At hi qui maiores habent, sicut lapides pertinaces erunt, simultatum & offensarum sunt memores, iracundiam inter se exercentes: hi ergo abiecti sunt à turri, & à structura eius reprobati: huiusmodi ergo homines difficilè viuent. Deus & Dominus noster, qui dominatur omnium rerum, & creaturæ suæ vniuersæ habet potestatem, offensas meminisse non vult, sed ab his qui peccata sua confitentur, facilè placatur. Homo verò cùm sit languidus, mortalis, infirmus, & repletus peccatis, homini perseueranter irascitur, tanquam conseruare eum posset aut perdere.

Discordes in fide languent.

Odium deponendum.

C

Ego autem moneo vos, Nuntius & præpositus pœnitentiæ, vt quicunque propositum tale habetis, deponatis illud, & ad pœnitentiam recurratis, & Dominus medebitur prioribus delictis vestris, si ab hoc dæmonio vos purificaueritis: sin minus, ad mortem trademini illi. De monte verò septimo in quo virides & hilares erant herbæ, & totus mons fertilis erat, omnéque genus pecudum carpebant pabulum ex herbis montis eiusdem, & quantò magis herbæ illæ carpebantur, tantò læriores reuirebant: huiusmodi sunt, qui crediderunt simplices & boni semper, & nullas habentes inter se dissensiones, sed lætantes semper de seruis Dei, induti spiritum virginum harum, & semper in omnes homines ad faciendam misericordiam prompti, & de laboribus suis cunctis hominibus facilè tribuentes sine improperio & deliberatione. Visâ igitur Dominus simplicitate & omni infantiâ eorum, auxit eos in laboribus manuum suarum, & dedit eis in omni opere gratiam.

D

Ego autem hortor vos, præpositus pœnitentiæ Nuntius, in eodem proposito permanere, quicunque estis huiusmodi: ne eradicetur semen vestrum in æuum. Dominus enim vos probauit, & conscripsit in nostrum numerum, & omne semen vestrum cum Filio Dei ditauit, de spiritu enim eius estis omnes. De octauo verò monte in quo plurimi erant fontes, in quibus adaquabatur omne genus creaturæ Dei tales sunt, qui crediderunt Apostolis, quos misit Dominus in totum orbem prædicare: & quidam doctores qui castè & syncerè prædicauerunt ac docuerunt, nec quicquam omnino subscripserunt malæ cupiditati, sed assiduè in æquitate & veritate ambulauerunt: hi ergo inter Angelos conuersationem habent. De nono autem monte deserto ac serpentes habente, huiusmodi sunt, qui crediderunt, sed & maculas habebant. Hi sunt ministri malè ministerium agentes, diripientes viduarum bona & pupillorum; sibi, non aliis ex his quæ acceperunt ministrantes. Hi, si permanserint in eâdem cupiditate, morti se tradiderunt, nec vlla erit in eis spes vitæ, quòd si conuersi fuerint, & castè consummauerint ministerium suum, poterunt viuere:

E

Qui verò scabrosi reperti sunt, ij sunt, qui nomen Domini abnegauerunt, nec ad Dominum rursus redierunt, sed agrestes euaserunt atque deserti, non applicantes se ad Dei seruos, sed separati ab eis, pro paruâ solicitudine vitam suam amiserunt. Sicut enim vitis aliqua derelicta in sæpe, cui nulla cultura contingit, disperit & suffocatur ab herbis, & agrestis tempore efficitur (desinit enim vtilis esse Domino suo) sic & huiusmodi homines de seipsis desperantes, exacerbati Domino suo inutiles esse cœperunt. His ergo demandatur pœnitentia, si, non ex præcordiis inuenti fuerint negasse: an vitam assequi possint, ignoro. Ideoque dico, vt in his diebus, si quis negauit, ad pœnitentiam reuertatur: nam fieri non potest, vt nunc Dominum suum quis abnegans, postea assequi possit salutem, sed illis reputatur proposita pœnitentia, qui olim abnegauerunt.

Apostatæ non pœnitentes.

Vitis inculta.

F

Accelerare enim qui acturus est, pœnitentiam debet, antequam peragatur ædificatio turris huius, sin minus, à mulieribus illis trahetur ad mortem. Qui verò curti, dolosi sunt, & alius in alium comminiscentes: hi sunt serpentes in eo monte mixti. Sicut enim mortiferum est hominibus serpentum venenum, ita & verba talium inficiunt homines, atque perdunt. Curti sunt igitur à fide suâ, propter hoc genus vitæ suæ in quo morantur. Aliqui verò eorum acceptâ pœnitentiâ, assecuti sunt salutem: sed & cæteri huiusmodi homines æquè assequentur, si egerint pœnitentiam, sin minus, morientur cum mulieribus illis, quarum vim possident ac potestatem. De decimo verò monte in quo arbores erant tegentes pecora: tales sunt, qui crediderunt, quidam Episcopi: id est, præsides Ecclesiarum. Alij verò hi lapides, qui non ficto sed alacri animo semper in domos suas seruos Dei receperunt: & deinde qui præsides sunt ministeriorum, qui & inopes & viduas protexerunt, & castam perpetuò conuersationem habuerunt. Ergo hi homines à Domino proteguntur.

G

Hæc quicunque egerint, honorati sunt apud Dominum, & inter Nuntios locus eorum est, si perseuerauerint vsque in consummationem parere Domino. De vndecimo monte in quo erant arbores aliis atq; aliis fructibus oneratæ, hi sunt, qui crediderunt, & propter nomen Domini mortem obierunt, & animo prompto passi sunt, & ex toto corde suo animas suas tradiderunt. Et dixi: quare ergo (Domine) omnes hæ arbores habent quidem fructus, sed earum quædam pulchriores? Audi, inquit, quicunque propter nomen Domini passi sunt, honorati apud Deum habentur: & omnium eorum deleta sunt delicta, quia propter nomen Filij Dei mortem obierunt. Quare autem fructus earum dispares sint, & excellant quidam inter illos, audi. Quicunque enim perducti ad potestates, interrogati non negauerunt Dominum, sed prompto animo passi sunt, honoratiores sunt apud Deum: qui excellunt igitur fructus, eorum sunt: Qui verò timidi & dubij fuerunt, & deliberauerunt in corde suo, vtrumne faterentur, an negarent, & passi sunt, horum fructus exiguiores sunt, quoniam hæc cogitatio ascendit in corda eorum: mala enim ac nequam est huiusmodi cogitatio, perinde ac si quis seruus neget Dominum.

Martyrũ delicta deleta martyrio.

H

Cauete igitur vos, qui huiusmodi cogitationes habetis, ne permaneat hæc mens in vobis, & Deo moriamini. Vos igitur quicunq; propter hoc nomen mortem obitis, Dominum honorare debetis, quòd dignos vos habet Dominus vt nomen eius feratis, & omnia peccata vestra redimantur. Nónne ergo vos potiùs fœlices existimauis? Putate potiùs, si quis ex vobis patitur, magnum opus perficere. Vitam enim vobis donat Dominus, nec intelligitur. Delicta enim vestra vos grauabant, & nisi passi essetis huius nominis causâ, propter peccata certè vestra mortui eratis Deo. Hæc igitur vobis dico, quicunque deliberatis de confessione aut de abnegatione. Confiteamini igitur vos habere Dominum Deum; ne fortè negantes, tradamini in vincula. Si omnes enim gentes seruos suos puniuot, quicunque Dominum suum negauerunt, quid putatis vos Dominum vobis facturum, qui vniuersorum

Non est dubitandum in persequutione.

habet

Innocentes & simplices.

habet potestatem? Remouete igitur de præcordiis vestris has disputationes, vt in perpetuum viuatis Deo. De duodecimo verò monte candido, tales sunt, qui crediderunt sicut infantes sinceri, quibus nulla malitia ascendit in sensum: nec sciuerunt, quid sit malitia, sed semper in synceritate manserunt. Huiusmodi ergo homines, sine vllâ dubitatione inhabitabunt regnum Dei, quoniam in nullo negotio mandata Dei maculauerunt, sed cum synceritate permanserunt omnes dies vitæ suæ eodem sensus tenore. Quicunque ergo permanserint (inquit) sicut infantes, non habentes malitiam: honoratiores erunt omnibus illis quos iam dixi: Omnes enim infantes honorati sunt apud Dominum, & primi habentur. Fœlices ergo vos, quicunque remoueritis malitiam à vobis, & indueritis innocentiam, quia primi videbitis Deum. Postquam finiuit omnium montium explanationem, dico ei: Domine, nunc expone mihi de lapidibus his qui allati ex campo, in locum reprobatorum ad structuram turris missi sunt: Item de lapidibus illis rotundis qui in structuram turris adiecti sunt: & de his qui adhuc rotundi remanserunt. Audi (inquit) de lapidibus. Qui allati de campo, in structuram turris positi sunt eorum loco qui reprobati erant: radices sunt illius candidi montis. Tùm igitur hi qui de illo monte crediderunt facti sunt innocentes, iussit Dominus eius turris, eos qui de radicibus montis essent, in structuram collocari. Intellexit enim, si ad ædificationem iissent, splendidos illos permansuros, nec vllum de his amplius denigrandum. Quòd si ita de cæteris montibus adiecisset, non necesse habuisset rursus visitare eam turrim atque purgare. Hi autem omnes candidi sunt, qui crediderunt, & qui credituri sunt, ex eodem enim genere sunt. Fœlix hoc genus, quia innocuum est. Audi nunc & de illis rotundis lapidibus & splendidis. Hi omnes, de hoc candido monte sunt. Quare autem rotundi sunt reperti; causa est, quia diuitiæ suæ illos pusillum à veritate obscurauerunt, atque obfuscauerunt: sed à Deo nunquam recesserunt, nec vllum verbum malum processit de ore eorum; sed omnis æquitas, virtus & veritas. Horum ergo mentem cùm vidisset Dominus, & posse eos veritati fauere, iussit bonos quoque permanere, & opes eorum circuncidi: non enim voluit in totum illas tolli, vt possent boni aliquid facere de eo quod eis relictum est & viuere Deo, quoniam & ipsi de genere bono sunt: Ideo ergo pusillum circuncisi sunt, & positi in structuram turris huius. Cæteri verò qui adhuc rotundi permanserunt, neque apti reperti sunt in eam structuram, quia mundum acceperunt sigillum, repositi sunt in loco suo: valde enim rotundi reperti sunt. Oportet autem circuncidi hoc sæculum ab illis & vanitates opum suarum, & tunc conuenient in regno Dei: necesse est enim eos intrare in regnum Dei: hoc enim genus innocuum benedixit Dominus. Ex hoc ergo genere non intercider quisquam: etenim licet quis eorum tentatus à nequissimo diabolo aliquid deliquerit, citò recurret ad Dominum Deum suum. Fœlices verò iudico, ego Nuntius pœnitentiæ, quicunque innocentes estis sicut Infantes, quoniam pars vestra bona est & honorata apud Deū. Dico autem omnibus vobis quicunq; sigillum hoc accepistis, simplicitatem habete, neque offensarum memores estote, neque in malitiâ permanete, neque in memoriâ offensarum amaritudines in vniuscuiusque spiritu fiant, sed his malis scissuris remedia procurate, atque tollite illas à vobis: vt Dominus pecorum gaudeat de vobis, gaudebit autem si omnia inuenerit sana. Si autem pecus aliquod ex talibus inuenerit dissipatum, væ erit pastoribus. Quod si ipsi pastores dissipati fuerint, quid respondebunt ei pro pecoribus? Nunquid dicent, à pecore se vexatos? Non credetur illis. Incredibilis enim res est, pastorem pati posse à pecore: & magis punitur propter mendacium suum. Et ego sum pastor, & validissimè oportet me de vobis rationem reddere. Consulite ergo vobis, dum adhuc turris ædificatur. Dominus habitat in viris amantibus pacem: etenim vera pax chara est. A contentiosis verò & perditis malitiâ, longè abest: reddite igitur ei spiritum integrum, sicut accepistis. Si enim dederis fulloni vestimentum integrum, idque integrum vis denuò recipere, fullo autem scissum tibi illud reddat, recipies illud? Nónne statim excandesces, & eum conuitio persequeris, dicens: Vestimentum meum integrum tibi dedi, quare scidisti illud, & inutile fecisti? nunc propter scissuram quam in eo fecisti, vsui esse non potest! Nónne ergo hæc omnia verba dices fulloni, & de scissurâ quam in vestimento tuo fecerit? Si igitur tu doles de vestimento tuo, & quereris, quod non illud integrum recipias? quid putas Dominum tibi facturum, qui spiritum integrum tibi dedit, & tu eum totum inutilem redegisti, ita vt nullo vsui esse possit domino suo? Inutilis enim cœpit esse vsus eius, cùm sit corruptus à te. Nónne igitur dominus de spiritu suo, propter hoc factum tuum idem faciet? Planè, inquam, omnibus iis quoscunque inuenerit in memoriâ offensarum permanere, idem faciet. Clementiam (inquit) eius nolite calcare, sed potius honorificate eum, quòd tam patiens est ad delicta vestra & non est sicut vos? Agite pœnitentiam: vtile enim, id est vobis. Hæc omnia quæ suprà scripta sunt, ego Pastor Nuntius pœnitentiæ ostendi, & locutus sum seruis Dei. Si ergo credideritis, & audieritis verba mea, & ambulaueritis in ipsis, & correxeritis itinera vestra, viuere poteritis: Sin autem permanseritis in malitiâ, & memoriâ offensarum, nullus ex huiusmodi peccatoribus viuet Deo. Hæc omnia à me dicenda, dicta sunt vobis. Ait mihi ille pastor: Omnia à me interrogasti? Et dixi. Ita Domine. Quare ergo non interrogasti me (inquit) de formâ lapidum in structurâ repositorum, vt tibi explicarem formas? Et dixi: Oblitus sum Domine. Audi nunc ergo, inquit, & de illis. Hi sunt, qui nunc mandata hæc audierunt, & ex totis præcordiis egerunt pœnitentiam: cúmque vidisset Dominus bonam atque puram pœnitentiam eorum, & posse eos in eâ permanere, iussit priora peccata eorum deleri: Hæ enim formæ, peccata eorum erant, & exæquata sunt, ne apparerent.

Pastorum pœna.

Incredibile est pastorem à grege posse pati.

SIMILITVDO X.

POstquam perscripseram librum hunc, venit Nuntius ille, qui me tradiderat illi Pastori, in domum in quâ eram, & consedit supra lectum, & astitit in dextera eius ille Pastor. Deinde vocauit me, & hæc mihi dixit. Tradidi te (inquit) & domum tuam huic Pastori, vt ab eo protegi possis. Ita (inquam) Domine? Si vis ergo protegi, inquit, ab omni vexatione, & ab omni sæuitiâ, successum autem habere in omni opere bono, atque verbo, & omnem virtutem æquitatis: in mandatis iis ingredere quæ dedit tibi: & poteris dominari omni nequitiæ: custodienti enim tibi mandata illa, subiecta erit omnis cupiditas & dulcedo huius sæculi, successus verò in omni bono negotio te sequetur. Maturitatem huius & modestiam suscipe in te, & dic omnibus, in magno honore esse eum & dignitate apud Deum, & magnæ potestatis eum præsidem esse, & potentem in officio suo. Huic soli per totum orbem pœnitentiæ potestas tributa est. Poténsne tibi videtur esse? Sed vos maturitatem huius, & modestiam quam in vos habet, despicitis. Dico ei: interroga ipsum Domine: ex quo in domo meâ est, an ne aliquid extra ordinem fecerim, aut in aliquo eum offenderim! Et ego (inquit) scio, nihil extra ordinem fecisse te, neque esse facturum: & ideò hæc loquor tecum vt perseueres: benè enim hic de te apud me existimauit. Tu autem cæteris hæc verba dices: vt & illi qui egerunt, aut acturi sunt pœnitentiam, eadem quæ tu sentiant, & hic apud me de iis interpretetur, & ego apud Dominum. Et ego (inquam) Domine, omni homini indico magnalia Dei: spero autem eos omnes qui amant ea & ante peccauerunt, his auditis acturos esse pœnitentiam, vitam recuperantes. Permane ergo (inquit) in hoc ministerio, & consumma illud. Quicunque autem mandata huius exequuntur, habebunt vitam, & hic, & apud Dominum magnum honorem: Quicunque verò huius mandata non seruant, fugiunt à suâ vitâ, & aduersantur illi, & qui mandata eius non sequuntur, mor-

se tradunt, & vnusquisque eorum reus erit sanguinis sui. Tibi autem dico, vt serues mandata hæc, & remedium peccatorum tuorum omnium habebis. Misi autem tibi has Virgines, vt habitent tecum: vidi enim eas valde affabiles tibi esse. Habebis igitur tu eas adiutrices, quò magis possis huius mandata seruare: non potest enim fieri, vt sine his virginibus hæc mandata seruentur. Vides autem eas libenter esse tecum: sed & ego præcipiam eis, vt omninò à domo tuâ non discedant: tu tantùm commundа domum tuam, in mundâ enim domo libenter habitabunt, mundæ sunt enim, atque castæ, & industriæ, & omnes habentes gratiam apud Dominum. Igitur si habueris domum tuam puram, tecum permanebunt: si autem pusillum aliquid inquinationis acciderit, protinus à domo tuâ recedent: hæ enim virgines, nullam omnino diligunt inquinationem. Dico ei: spero me (Domine) placiturum eis, ita vt in domo meâ libenter inhabitent semper. Et sicut is cui me tradidisti, nihil de me queritur: ita neque illæ querentur. Ait ad Pastorem illum: Video seruum Dei velle videre, & custodire hæc mandata, & virgines has mundâ habitatione collocaturum. Hæc cùm dixisset, iterum Pastori ille me tradidit, & vocauit Virgines, & dixit eis: Quoniam video vos libenter in domo huius habitare, commendo eum vobis & domum eius, vt à domo eius non recedatis omnino. Illæ verò libenter hæc verba audierunt. Ait deinde mihi: Viriliter in ministerio hoc conuersare: omni homini indica magnalia Dei, & habebis gratiam in hoc ministerio. Quicunque ergo in his mandatis ambulauerit, viuet, & fœlix erit in vitâ suâ: quicunque verò neglexerit, non viuet, & erit infœlix in vitâ suâ. Dic omnibus, vt non cessent (quicunque rectè facere possunt) bona opera exercere, vtile est illis. Dico autem, omnem hominem de incommodis eripi oportere. Is enim qui eget, & in quotidianâ vitâ patitur incommoda, in magno tormento est ac necessitate: Quisquis igitur huiusmodi animam eripit de necessitate, magnum gaudium sibi acquirit. Nam is qui huiusmodi vexatur incommodo, pari tormento cruciatur, atque se torquet is, qui in vinculis est. Multi enim propter huiusmodi calamitates, cùm eas sustinere non possunt mortem sibi conciscunt. Qui nouit igitur calamitatem huiusmodi hominis, & non eripit eum, magnum peccatum admittit, & fit reus sanguinis eius. Facite igitur opera bona, quicunque accepistis à Domino, ne, dum moramini facere, consummetur structura turris: propter vos enim intermissum est opus ædificationis eius. Nisi igitur festinaueritis facere rectè; consummabitur turris, & excludemini. Postquam verò locutus est mecum, surrexit de lecto, & apprehenso Pastore, & Virginibus, abiit. Dixit autem mihi remissurum se Pastorem illum & virgines illas in domum meam.

HISTORIA PROCHORI, CHRISTI Discipuli, de vitâ, miraculis, & Assumptione B. Ioannis Apostoli.

PROCHORVS, *vnus è septem Diaconis, quos Lucas in Actibus refert ab Apostolis electos, laborum D. Ioannis factus socius, miraculorumque multorum minister, & testis omnium, historiam scripsit de vitâ & miraculis B. Ioannis Apostoli magistri, cui eidem fuit vice notarij & amanuensis, vt ipse testatur cap. 46. Sed in scribendo duntaxat Euangelio: nam Apocalypsim sicuti ex eodem capite patet B. Ioannes propriâ manu exarauit. Confirmat vtramque sententiam Sixtus Senensis, atque Simeon Metaphrastes in vitâ Ioannis his verbis: Ioannes vnum quendam è septem Diaconis se sequi iubet. Prochorus hic vrus & montis verticem capessit, & more Samuelis rectus erigitur, & sicut Moses manibus eleuatis effiguratur, & mentem à sensibus abstrahit, tunc horrenda tonitrua, terrores, & fulgura ac his similia quæ antea Mosi legem recipienti contigerant, facta sunt. Ad extremum tonitrua in vocem exprimuntur, & dilucidè resonant. In principio erat verbum, &c. quæ Prochorus, qui prius quidem, veluti exanimis præ timore ceciderat, represso paululum metu, sub tremulâ manu ex ore & voce Ioannis Theologi, quæ ipsum erat tonitru, verba eius cœpit scribere, sic prosequens donec totum compleret Euangelium. Cæterùm Athanasius in Synopsi, nescio quibus coniecturis Ioannis Euangelium Ephesi à Gaio scriptum existimauit. Hunc verò Prochorum à D. Petro relictum Antiochenorum & Nicomediensium Episcopum testatur Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus lib. de Laboribus, & Peregrinationibus Petri & Pauli Apostolorum.* Hæc Historia fuit adiecta per Margarinum de la Bigne, in prioribus editionibus. Sequitur nunc iudicium Rob. Card. Bellarmini.

EX BELLARMINO DE SCRIPTORIBVS Ecclesiasticis

De Prochoro, vno ex primis septem Diaconibus.

PRochorum fuisse vnum ex primis septem Diaconibus testatur sanctus Lucas in Actis Apostolorum cap. 6. Sed narratio, quæ sub eius nomine extat in Bibliotheca sanctorum Patrum, videtur omnino conficta. Nam quod in eâ legitur, sanctum Ioannem Apostolum, & Euangelistam, cùm ei fortè obtigisset Asia, grauissimè id tulisse ac vehementer ingemuisse, séque ad pedes aliorum Apostolorum abiecisse, atque propterea à sancto Petro fuisse reprehensum, indignum omnino est tanto Apostolo.

Quod in eâdem narratione scribitur, posteaquam S. Ioannes ex ollâ feruentis olei illæsus exiuit, à fidelibus, qui illic aderant, Ecclesiam in eius honorem fuisse constructam, incredibile est. Qui enim id auderent in oculis sæuientis Domitiani?

Quod denique in eâdem narratione dicitur, Euangelium à sancto Ioanne in Insula Pathmo fuisse conscriptum, repugnat communi sententia, quæ habet, Euangelium à sancto Ioanne scriptum fuisse diu post exilium Pathmos, in vltima suâ ætate.

Vide sanctum Athanasium in Synopsi extremâ, vbi dicit, Euangelium prædicatum quidem à sancto Ioanne in Pathmo, sed editum Ephesi post reditum ab exilio. Cui consentiunt Eusebius lib. 3. Hist. cap. 24. Epiphanius in hæresi quinquagesimâ primâ, Hieronymus in lib. de Script. Eccles. Victorinus, & Primasius in expositione Apoc. Beda, Rupertus & alij in suis expositionibus in Ioannem.

Fortasse hæc Prochori narratio de rebus gestis sancti Ioannis, est liber ille, qui sub nomine Circuitus Ioannis, inter Apocrypha recensetur à sancto Athanasio in Synopsi.

CAPVT I.

De Sortitione Apostolorum & naufragio B. Ioannis.

FActum est autem post assumptionem Domini nostri Iesu Christi Filij Dei viui in cœlum, vt congregarentur discipuli in Gethsemani, quibus dixit Petrus, Notum vobis est Fratres, quomodo Dominus noster mandatum nobis relinquens præcepit ire in vniuersum mundum prædicare *Euangelium omni creaturæ*, & baptizare *in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*: & cùm nos nihil aliud desideremus, quàm quod nobis à Domino præceptum est, adimplere promptè: ergo Fratres charissimi per gratiam Trinitatis impendamus nosmetipsos in opus nobis à Domino mandatum, quia dixit is, *ego mitto vos sicut oues inter lupos: estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Notum vobis est Fratres, quòd serpens, si quis voluerit occidere, totum corpus suum tradit, caput tamen suum abscondit: ita & nos Fratres similiter mortem accipiamus, & Christum Dominum, qui est

Matt. 28.
Trinitas.
Matt. 10.

E F G H

A caput nostrum, non negemus. Similiter autem & columbæ, cùm filiis priuantur, non dolent, & Dominum suum nesciunt abnegare. Scitis, quia dixit nobis Dominus & magister, *quoniam si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Quare Fratres, multæ tribulationes nos manent, sed sunt reposita bona his qui tribulationem patientur propter nomen sanctum eius. Respondens autem Iacobus frater Domini dixit: Benè Petre, super his pollicitus est: nam & tempus est, vt hæc impleantur: scitis tamen fratres mei, mihi à Domino dictum esse vt Hierosolymis remaneam. Et respondens Petrus dixit: Scimus omnes, hæc loca tuæ dispensationi esse commissa: & non licere ab Hierosolymâ discedere: Miserunt ergo Apostoli sortes, & venit Asia in sortem Ioannis, qui grauiter ingemuit, & cum lachrymis se ad pedes fratrum pronus misit in terram. Et Petrus dextrâ manu eum apprehendens, de terrâ erexit, & dixit: nos omnes te veneramur tanquam primum, habemus patientiam tuam exemplar & adhortationem omnium nostrûm: quid igitur fecisti Frater, &

Ioan. 15.

Sortiuntur Apostoli prouincias. Niceph. lib. 3. c. 1

B turbasti corda nostra? Respondens Ioannes Petro dixit: Ignosce mihi Pater, quia turbatus sum vehementer horâ hâc, quia cùm cecidisset Asia in sorte meâ, grauiter id animo tuli, vt mors etiam mihi muneris loco censeatur, si quando contingat me in mari periclitari: neque memor fui verbi Domini mei qui dilexit me, qui dixit, quia *capillus capitis vestri non peribit:* Sed nunc Fratres, ignoscite, & orate pro me, vt Deus & Dominus meus indulgeat mihi hoc. Nam amodò paratus sum ire quocunque eius bona voluntas & benè placitum fuerit. Et surgentes steterunt vniuersi ad Orientem, rogantes Iacobum fratrem Domini, vt orationem faceret, cum quo pariter orauerunt vniuersi. Deinde missi sunt Apostoli quisque in sortem propriam. Et missus est aliquis de septuaginta duobus discipulis Domini in ministerio cum quolibet Apostolorum. Ego autem Prochorus sortitus sum ministerium cum Ioanne Apostolo. Descendentibus ergo nobis ab Hierosolymis Ioppen, ibi & mansimus tribus diebus in domo viduæ regionis Tabitæ: Cùm autem

Matth. 10. Luc. 12.

Discipuli dati sunt comites Apostolorum.

C venisset nauis ab Ægypto quæ ibi exonerata volebat transire in partes occiduas, ascendimus vt nauigaremus in Asiam. Cùm autem fuissemus in imo nauis, cœpit Ioannes mœstus esse, & dixit ad me: Fili mi Prochore, multæ tribulationes, & multa maris pericula super nos ventura sunt, & de morte aut vitâ meâ nihil mihi à Domino reuelatum est, vos tamen de maris periculo liberabimini, neque peribit vnus ex vobis. Cùm ergo fili mi, saluus de maris periculo euaseris, vade in Asiam: ingrediens Ephesum, expecta illic per tres menses aduentum meum, & si infra id tempus me Deus aduenire voluerit, erit incumbendum ministerio nobis commisso, vt illud impleamus: si autem præterierit tempus, & non venero, reuertens fili mi, Hierosolymam ad Iacobum Fratrem Domini, fac quicquid iniunxerit tibi. Hæc cùm ad me dixisset Ioannes magister meus circa horam ferè vndecimam, eleuata tempestas nauem illisit, & confractâ naue mansimus in ipso naufragij periculo ab vndecimâ

S. Ioannis naufragium.

D diei horâ vsque ad tertiam noctis custodiam, quâ quisque amplectens de naui quod poterat, aut remum aut fragmentum, vt natans euaderet, per Dei misericordiam impetu maris circa horam diei sextam in partes Seleuciæ, excepto Ioan. eiecti fuimus omnes pariter ad stadia quinque. Eramus ergo omnes animæ quadraginta duæ. Cùm ergo eiecti fuissemus à mari, per longum tempus iacuimus vt examines præ nimio frigore & metu, & fatigatione: deinde reuertentes intrauimus Seleuciam, & omnibus rebus naufragio perditis, non habentes quid manducaremus, quæsiuimus panem, & accipientes manducauimus: & illi qui mecum eiecti fuerunt ad littus, insurrexerunt in me, mihi conuitiantes & dicentes, quis vir hic est, qui tecum erat? magus enim est, maleficiis suis vt substantiam nostram tolleret & abiret, nauem perire fecit: & tu socius eius similis illi magus, Aut ergo restitue nobis maleficum illum, aut non sinemus te ab hâc ciuitate abire liberum: nam vir dignus morte es tu: prode nobis, vbi sit maleficus ille, ecce enim, qui in naui eramus, hîc sumus omnes, ille verò solus non comparet, & commouerunt contra me ciuitatem, idipsum illis persuadentes. Comprehendentes igitur miserunt in carcerem: & die sequenti exhibuerunt me Præsidi ciuitatis, qui asperè me alloquens dixit: vnde es tu, & cuius religionis, quo ministerio viuis, & quod tibi nomen? Dic nobis hæc omnia, priusquam te tormentis conficiamus. Cui respondi, de terrâ sum Hebræorum, religione Christianus, nomine autem Prochorus, naufragio huc eiectus sum, & accusatores mei. Præses ait: quomodo igitur salui & reduces omnes estis, & solus socius tuus non comparet; certum est, vt isti testantur vos esse magos, & vos in mari hoc maleficium fecisse: & vt nemo suspicetur, & vobis maleficium non imputetur, tu solus cum nautis inuentus es: at tuus socius substantiam rerum suarum tulit, & abiit: aut fortè quia malefici estis, multorum sanguinis rei, diuino actum est iudicio vt socius tuus perierit, tu verò è duobus solus saluus euaseris, vt malè in hâc ciuitate pereas: dic igitur, ne cancelleris, an socius tuus perierit, an periculum euaserit; Ego verò cum fletu respondi de eo, quod interrogas, tibi respondebo id quod sciam. Et imprimis, vt de me loquar, non magus sum, sed Christianus, & Christi discipulus: præcepit autem Christus Dominus discipulis suis antequam in cœlum ascenderet, dicens: *Ite in mundum vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, & baptizate omnes gentes, quæ voluerint credere,* &c. Post verò ascensionem eius in cœlum, Apostoli eius congregati in vno loco, sortes miserunt inter se quam regionem sortiretur vnusquisque eorum ad prædicandum, vt illuc proficisceretur, & prædicaret. Et cùm sors Asiæ cessisset Ioanni magistro meo, qui nobiscum erat in naui, grauiter tulit in animo, & quia tunc recusauit, quod Spiritui sancto placuisset, reuelatum illi est, quia peccauerat, quòd maris tempestatem pateretur, & cùm ingressi fuissemus nauem quæcunque passuri eramus mihi in veritate prædixit præcepitque, vt cùm Ephesi essem, illum ad tertium mensem expectarem, quoniam si diutius esset superstes in terrâ, ad illum terminum compareret, vt ipse ministerium à Domino sibi commissum adimpleret: quod si infra id tempus non compareret, præcepit, vt in propriam terram reuerteretur. Non igitur magister meus magus est, sed ipse electus est, repletus à Domino, fidelissimus veritatis annuntiator: in fide Iesu Christi firmissimus. Et cùm me audiuisset Selemnis quidam, qui venerat ab Antiochiâ hæc verba in simplicitate loquentem rogauit, vt me abire sinerent, & permiserunt. Et exiens à Seleuciâ, post quadraginta dies veni in Asiam, in pagum quendam, qui erat in littore maris: & fortè sessionem repetiens, in ipsam ingressus ad post multas tribulationes quiescendum, & occultus primò cùm apparuissem vidi grandem procellam, quæ eiecit virum in littore maris: & ego festinando surgens multum compatiebar ei vt qui maris pericula prius expertus eram, & cucurri, vt illum adiuuarem, nondum enim sciebam esse Ioannem & appropinquans apprehendi manum eius, & erexi, & agnouit me, & ego tandem illum, & cum multis lachrymis nos inuicem amplexi sumus, gratias Deo agentes, qui omnibus est misericors, & de omnibus periculis solus liberator potentissimus, & aliquantulum præ concepta lætitiâ tanquam muti mansimus, & Ioannes ad se reuersus, cœpit, quæ circa eum acciderunt, narrare, & quo pacto ipsum semper Deo saluante, quadraginta diebus & quadraginta noctibus inter littus marisque fluctus agitatus ferebatur, & ego illi quæcunque passus fueram.

D. Ioannes & Prochorus præstant operam Balneatrici: hic inferos, ille incensoriam.

CAPVT II.

POstea verò de loco illo surreximus, & intrauimus pagum, vbi panem & aquam petentes manducauimus & bibimus, & suscepimus versus Ephesum agere

it

se tradunt, & vnusquisque eorum reus erit sanguinis sui. Tibi autem dico, vt serues mandata hæc, & remedium peccatorum tuorum omnium habebis. Misi autem tibi has Virgines, vt habitent tecum: vidi enim eas valde affabiles tibi esse. Habebis igitur tu eas adiutrices, quò magis possis huius mandata seruare: non potest enim fieri, vt sine his virginibus hæc mandata seruentur. Vides autem eas libenter esse tecum: sed & ego præcipiam eis, vt omninò a domo tuâ non discedant: tu tantùm communda domum tuam, in mundà enim domo libenter habitabunt, mundæ sunt enim, atque castæ, & industriæ, & omnes habentes gratiam apud Dominum. Igitur si habueris domum tuam putam, tecum permanebunt: si autem pusillum aliquid inquinationis acciderit, protinus à domo tuâ recedent: hæ enim virginea, nullam omnino diligunt inquinationem. Dico ei: spero me (Domine) placiturum eis, ita vt in domo meâ libenter inhabitent semper. Et sicut is cui me tradidisti, nihil de me queritur: ita neque illæ querentur. Ait ad Pastorem illum: Video seruum Dei velle videre, & custodire hæc mandata, & virginea has mundâ habitatione collocaturum. Hæc cùm dixisset, iterum Pastori ille me tradidit, & vocauit Virgines, & dixit eis: Quoniam video vos libenter in domo huius habitare, commendo eum vobis & domum eius, vt à domo eius non recedatis omnino. Illæ verò libenter hæc verba audierunt. Ait deinde mihi: Viriliter in ministerio hoc conuersare: omni homini indica magnalia Dei, & habebis gratiam in hoc ministerio. Quicunque ergo in his mandatis ambulauerit, viuet, & fœlix erit in vitâ suâ: quicunque verò neglexerit, non viuet, & erit infœlix in vitâ suâ. Dic omnibus, vt non cessent (quicunque rectè facere possunt) bona opera exercere, vtile est illis. Dico autem, omnem hominem de incommodis eripi oportere. Is enim qui eget, & in quotidianâ vitâ patitur incommoda, in magno tormento est ac necessitate: Quisquis igitur huiusmodi animam eripit de necessitate, magnum gaudium sibi acquirit. Nam is qui huiusmodi vexatur incommodo, pari tormento cruciatur, atque se torquet is, qui in vinculis est. Multi enim propter huiusmodi calamitates, cùm eas sustinere non possunt mortem sibi conciscunt. Qui nouit igitur calamitatem huiusmodi hominis, & non eripit eum, magnum peccatum admittit, & fit reus sanguinis eius. Facite igitur opera bona, quicunque accepistis à Domino, ne, dum moramini facere, consummetur structura turris: propter vos enim intermissum est opus ædificationis eius. Nisi igitur festinaueritis facere rectè; consummabitur turris, & excludemini. Postquam verò locutus est mecum, surrexit de lecto, & apprehenso Pastore, & Virginibus, abiit. Dixit autem mihi remissurum se Pastorem illum & virgines illas in domum meam.

Eleemosyna.

HISTORIA PROCHORI, CHRISTI Discipuli, de vitâ, miraculis, & Assumptione B. Ioannis Apostoli.

PROCHORVS, *vnus è septem Diaconis, quos Lucas in Actibus refert ab Apostolis electos, laborum D. Ioannis factus socius, miraculorumque multorum minister, & testis omnium, historiam scripsit de vitâ & miraculis B. Ioannis Apostoli magistri, cui eidem fuit vice notarij & amanuensis, vt ipse testatur cap. 46. Sed in scribendo duntaxat Euangelio: nam Apocalypsim sicuti ex eodem capite patet B. Ioannes propria manu exarauit. Confirmat vtramque sententiam Sixtus Senensis, atque Simeon Metaphrastes in vitâ Ioannis his verbis: Ioannes vnum quendam è septem Diaconis se sequi iubet. Prochorus hic erat & montis verticem capessit, & more Samuelis vectus erigitur, & sicut Moses manibus eleuatis effiguratur, & mentem à sensibus abstrahit, tunc horrenda tonitrua, terrores, & fulgura ac his similia quæ antea Mosi legem recipienti contigerant, facta sunt. Ad extremum tonitrua in vocem exprimuntur, & dilucidè resonant. In principio erat Verbum, &c. quæ Prochorus, qui primo quidem, veluti exanimis præ timore ceciderat, represso paululum metu, sub tremulâ manu ex ore & voce Ioannis Theologi, quæ ipsum erat tonitru, verba eius cœpit scribere, sic prosequens donec totum compleret Euangelium. Cæterùm Athanasius in Synopsi, nescio quibus coniecturis Ioannis Euangelium Ephesi à Gaio scriptum existimauit. Hunc verò Prochorum a D. Petro relictum Antiochenorum & Nicomediensium Episcopum testatur Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus lib. de Laboribus & Peregrinationibus Petri & Pauli Apostolorum.* Hæc Historia fuit adiecta per Margarinum de la Bigne, in prioribus editionibus. Sequitur nunc iudicium Rob. Card. Bellarmini.

EX BELLARMINO DE SCRIPTORIBVS Ecclesiasticis

De Prochoro, vno ex primis septem Diaconibus.

Prochorum fuisse vnum ex primis septem Diaconibus testatur sanctus Lucas in Actis Apostolorum cap. 6. Sed narratio, quæ sub eius nomine extat in Bibliotheca sanctorum Patrum, videtur omnino conficta. Nam quod in eâ legitur, sanctum Ioannem Apostolum, & Euangelistam, cùm ei fortè obtigisset Asia, grauissimè id tulisse ac vehementer ingemuisse, seque ad pedes aliorum Apostolorum abiecisse, atque propterea a sancto Petro fuisse reprehensum, indignum omnino est tanto Apostolo.

Quod in eâdem narratione scribitur, posteaquam S. Ioannes ex ollâ feruentis olei illæsus exiuit, a fidelibus, qui illic aderant, Ecclesiam in eius honorem fuisse constructam, incredibile est. Qui enim id auderent in oculis sæuientis Domitiani?

Quod denique in eâdem narratione dicitur, Euangelium à sancto Ioanne in Insula Pathmo fuisse conscriptum, repugnat communi sententiæ, quæ habet, Euangelium à sancto Ioanne scriptum fuisse diu post exilium Pathmos, in vltima suâ ætate.

Vide sanctum Athanasium in Synopsi extremâ, vbi dicit, Euangelium prædicatum quidem a sancto Ioanne in Pathmo, sed editum Ephesi post reditum ab exilio. Cui consentiunt Eusebius lib. 3. Hist. cap. 24. Epiphanius in hæresi quinquagesimâ primâ, Hieronymus in lib. de Script. Eccles. Victorinus, & Primasius in expositione Apoc. Beda, Rupertus & alij initio expositionis in Ioannem.

Fortasse hæc Prochori narratio de rebus gestis sancti Ioannis, est liber ille, qui sub nomine Circuitus Ioannis, inter Apocrypha recensetur à sancto Athanasio in Synopsi.

CAPVT I.

De Sortitione Apostolorum & naufragio B. Ioannis.

Factum est autem post assumptionem Domini nostri Iesu Christi Filij Dei viui in cœlum, vt congregarentur discipuli in Gethsemani, quibus dixit Petrus, Notum vobis est Fratres, quomodo Dominus noster mandatum nobis relinquens præcepit ire in vniuersum mundum prædicare *Euangelium omni creaturæ*, & baptizare *in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*: & cùm nos nihil aliud desideremus, quàm quod nobis à Domino præceptum est, adimplere promptè: ergo Fratres charissimi per gratiam Trinitatis impendamus nosmetipsos in opus nobis à Domino mandatum, quia dixit is, *ego mitto vos sicut oues inter lupos: estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*. Notum vobis est Fratres, quòd serpens, si quis voluerit occidere, totum corpus suum tradit, caput tamen suum abscondit: ita & nos Fratres similiter mortem accipiamus, & Christum Dominum, qui est

Matt. 28.

Trinitas.

Matt. 10.

Ioan. 15.

Sortiuntur Apostoli prouincias. Niceph. lib. 3. c. 1

Matth. 10. Luc. 12.

Discipuli dati sunt comites Apostolorum.

B. Ioannis naufragium.

caput nostrum, non negemus. Similiter autem & columbæ, cùm filiis priuantur, non dolent, & Dominum suum nesciunt abnegare. Scitis, quia dixit nobis Dominus & magister, *quoniam si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Quare Fratres, multæ tribulationes nos manent, sed sunt reposita bona his qui tribulationem patientur propter nomen sanctum eius. Respondens autem Iacobus frater Domini dixit: Benè Petre, super his pollicitus est: nam & tempus est, vt hæc impleantur: scitis tamen fratres mei, mihi à Domino dictum esse vt Hierosolymis remaneam. Et respondens Petrus dixit: Scimus omnes, hæc loca tuæ dispensationi esse commissa: & non licere ab Hierosolymâ discedere: Miserunt ergo Apostoli sortes, & venit Asia in sortem Ioannis, qui grauiter ingemuit, & cum lachrymis se ad pedes fratrum pronus misit in terram. Et Petrus dextrâ manu eum apprehendens, de terrâ erexit, & dixit: nos omnes te veneramur tanquam primum, habemus patientiam tuam exemplar & adhortationem omnium nostrûm: quid igitur fecisti Frater, & turbasti corda nostra? Respondens Ioannes Petro dixit: Ignosce mihi Pater, quia turbatus sum vehementer horâ hâc, quia cùm cecidisset Asia in sorte meâ, grauiter id animo tuli, vt mors etiam mihi muneris loco censeatur, si quando contingat me in mari periclitari: neque memor fui verbi Domini mei qui dilexit me, qui dixit, quia *capillus capitis vestri non peribit:* Sed nunc Fratres, ignoscite, & orate pro me, vt Deus & Dominus meus indulgeat mihi hoc. Nam amodò paratus sum ire quocunque eius bona voluntas & benè placitum fuerit. Et surgentes steterunt vniuersi ad Orientem, rogantes Iacobum fratrem Domini, vt orationem faceret, cum quo pariter orauerunt vniuersi. Deinde missi sunt Apostoli quisque in sortem propriam. Et missus est aliquis de septuaginta duobus discipulis Domini in ministerio cum quolibet Apostolorum. Ego autem Prochorus sortitus sum ministerium cum Ioanne Apostolo. Descendentibus ergo nobis ab Hierosolymis Ioppen, ibi & mansimus tribus diebus in domo viduæ regionis Tabitæ: Cùm autem venisset nauis ab Ægypto quæ ibi exonerata volebat transire in partes occiduas, ascendimus vt nauigaremus in Asiam. Cùm autem fuissemus in imo nauis, cœpit Ioannes mœstus esse, & dixit ad me: Fili mi Prochore, multæ tribulationes, & multa maris pericula super nos ventura sunt, & de morte aut vitâ meâ nihil mihi à Domino reuelatum est, vos tamen de maris periculo liberabimini, neque peribit vnus ex vobis. Cùm ergo fili mi, saluus de maris periculo euaseris, vade in Asiam: ingrediens Ephesum, expecta illic per tres menses aduentum meum, & si infra id tempus me Deus aduenire voluerit, erit incumbendum ministerio nobis commisso, vt illud impleamus: si autem præterierit tempus, & non venero, reuerteris fili mi, Hierosolymam ad Iacobum Fratrem Domini, fac quicquid iniunxerit tibi. Hæc cùm ad me dixisset Ioannes magister meus circa horam ferè vndecimam, eleuata tempestas nauem illisit, & confractâ naue mansimus in ipso naufragij periculo ab vndecimâ diei horâ vsque ad tertiam noctis custodiam, quâ quisque amplectens de naui quod poterat, aut remum aut fragmentum, vt natans euaderet, per Dei misericordiam impetu maris circa horam diei sextam in partes Seleuciæ, excepto Ioan. eiecti fuimus omnes pariter ad stadia quinque. Eramus ergo omnes animæ quadraginta duæ. Cùm ergo eiecti fuissemus à mari, per longum tempus iacuimus vt exanimes præ nimio frigore & metu, & fatigatione: deinde reuertentes intrauimus Seleuciam, & omnibus rebus naufragio perditis, non habentes quid manducaremus, quæsiuimus panem, & accipientes manducauimus: & illi qui mecum eiecti fuerunt ad litus, insurrexerunt in me, mihi conuitiantes & dicentes, quis vir hic est, qui tecum erat? magus enim est, maleficiis suis vt substantiam nostram tolleret & abiret, nauem perire fecit: & tu socius eius similis illi magus, Aut ergo restitue nobis maleficum illum, aut non sinemus te ab hâc ciuitate abire liberum: nam vir dignus morte es tu: prode nobis, vbi sit maleficus ille, ecce enim, qui in naui eramus, hîc sumus omnes, ille verò solus non comparet, & commouerunt contra me ciuitatem, idipsum illis persuadentes. Comprehendentes igitur miserunt in carcerem; & die sequenti exhibuerunt me Præsidi ciuitatis, qui asperè me alloquens dixit: vnde es tu, & cuius religionis, quo ministerio viuis, & quod tibi nomen? Dic nobis hæc omnia, priusquam te tormentis conficiamus. Cui respondi, de terrâ sum Hebræorum, religione Christianus, nomine autem Prochorus, naufragio huc eiectus sum, & accusatores mei. Præses ait: quomodo igitur salui & reduces omnes estis; & solus socius tuus non comparet; certum est, vt isti testantur vos esse magos, & vos in mari hoc maleficium fecisse: & vt nemo suspicetur, & vobis maleficium non imputetur, tu solus cum nautis inuentus es: ac tuus socius substantiam totum furatum tulit, & abiit: aut fortè quia malefici estis, multorum sanguinis rei, diuino actum est iudicio vt socius tuus perierit, tu verò è duobus solus saluus euaseris, vt malè in hâc ciuitate pereas: dic igitur, ne cunctêris, an socius tuus perierit, an periculum euaserit; Ego verò cum fletu respondi de eo, quod interrogas, tibi respondebo id quod sciam. Et imprimis, vt de me loquar, non magus sum, sed Christianus, & Christi discipulus: præcepit autem Christus Dominus discipulis suis antequam in cœlum ascenderet, dicens: *Ite in mundum vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, & baptizate omnes gentes, quæ voluerint credere,* &c. Post verò ascensionem eius in cœlum, Apostoli eius congregati in vno loco, sortes miserunt inter se quam regionem sortiretur vnusquisque eorum ad prædicandum, vt illuc proficisceretur, & prædicaret. Et cùm sors Asiæ cessisset Ioanni magistro meo, qui nobiscum erat in naui, grauiter tulit in animo, & quia tunc recusauit, quod Spiritui sancto placuisset, reuelatum illi est, quia peccauerat, quòd maris tempestatem pateretur, & cùm ingressi fuissemus nauem quæcunque passuri eramus mihi in veritate prædixit præcepitque, vt cùm Ephesi essem, illum ad tertium mensem expectarem, quoniam si diutius esset superstes in terrâ, ad illum terminum compareret, vt ipse ministerium à Domino sibi commissum adimpleret: quòd si infra id tempus non compareret, præcepit, vt in propriam terram reuerterer. Non igitur magister meus magus est, sed ipse electus est, repletus à Domino, fidelissimus veritatis annuntiator: in fide Iesu Christi firmissimus. Et cùm me audiuisset Selemnis quidam, qui venerat ab Antiochiâ hæc verba in simplicitate loquentem, rogauit, vt me abire sinerent, & permiserunt. Et exiens à Seleuciâ, post quadraginta dies veni in Asiam, in pagum quendam, qui erat in littore maris: & fortè fossam reperiens, in ipsam ingressus ad post multas tribulationes quiescendum, & occultus primò cùm apparuissem, vidi grandem procellam, quæ eiecit virum in littore maris: & ego festinando surgens multum compatiebar ei, vt qui maris pericula prius expertus eram, & cucurri, vt illum adiuuarem, nondum enim sciebam esse Ioannem: & appropinquans apprehendi manum eius, & erexi, & agnouit me, & ego tandem illum, & cum multis lachrymis nos inuicem amplexi sumus, gratias Deo agentes, qui omnibus est misericors, & de omnibus periculis solus liberator potentissimus, & aliquantulum præ conceptâ lætitiâ tanquam muti mansimus, & Ioannes ad se reuersus, cœpit, quæ circa eum acciderunt, narrare, & quo pacto ipsum semper Deo saluante, quadraginta diebus & quadraginta noctibus inter littus marisque fluctus agitatus ferebatur, & ego illi quæcunque passus fueram.

D. Ioannes & Prochorus præstant operam Balneatrici: hic infusoris, ille incensoris.

CAPVT II.

POstea verò de loco illo surreximus, & intrauimus pagum, vbi panem & aquam petentes manducauimus & bibimus, & suscepimus versus Ephesum age-

iter. Et cùm ingressi fuissemus ciuitatem, stetimus in foro Dianæ, vbi balneum erat Principis loci illius: & suscepimus viam versus quendam, cuius nomen erat Dioscorides. Et instruebat me Ioannes dicens, Fili Prochore, nemo huius ciuitatis per te sciat, cur huc venerimus, neque qui sumus, donec Deus suam nobis voluntatem reuelauerit, & quid acturi simus: tantummodo habeamus in Christo Domino nostro fiduciam. Cùm itaque ad me loqueretur: ecce mulier quædam Romana, Romeca nomine, robusta corpore, cui traditum fuerat balneum, & ipsa sterilis, quæ viribus corporis confisa vehementer verberibus & plagis affligere solebat eos, quos ad opus balnearum seruos conduxerat, vt nemo mercenariorum molestias eius perferre valeret. Hæc ergo de balneo egressa, vt vidit nos solitariè sedentes, & facie demissos, arbitrata est nos homines despectos & necessariorum vitæ egenos, sibique fore vtiles & gratis seruituros, & dixit ad Ioannem, vnde es tu homo; qui dixit, alienigena sum: quæ dixit, de quâ terrâ? qui respondit: De Iudæâ: Tunc illa, quam religionem sequeris? Dixit, Christianus sum: illa verò dixit, quomodo huc aduenisti? Respondit, Naufragium passus, sicut Deo placitum est, tandem ex naufragio huc adueni: vis, inquit, ergo mihi seruire, & mihi ad balneum fornacem accendere, & ego tibi tradam, quæ tuo corpori erunt necessaria; qui dixit, se velle: & illa me assumens dixit, Et tu vnde es? Ioannes dixit, noster Frater est. Et Romeca: & iste, inquit, mihi necessarius est ad fundendam aquam, & introduxit nos in balnea, & instituit Ioannem fornacis incensorem, & me aquæ infusorem. & dabat nobis per dies singulos, panis vncias tres: & per annum, quod corpori necessarium esset, promittebat. Quarto autem die postquam ingressi sumus, stabat Ioannes magister meus in fornace, non satis rectè opus camini implens: & intrans Romeca cœpit eum vehementer vrgere & pulsare cum asperis conuitiis, postmodum minas intentans, vt melius perageret opus, egressa est. Et ego Prochorus ex loco, in quo aquam ministrabam, audiui vniuersa, quæ locuta est Romeca, & quo pacto pulsasset, & inhumanè tractasset magistrum meum, & in animo sum vehementer commotus: tacui tamen, neque vllum locutus sum verbum, sed magister meus vt per spiritum agnouit me esse tristem propter ipsum, dixit mihi: fili mi Prochore, quia cùm Asia mihi sorte cessit, animus hæsit, & grauiter tuli: maris naufragium sum perpessus, & non ego solus, sed tu & illi meâ causâ, qui vnà mecum eratis: & fui per quadraginta dies, sæuâ maris violentiâ circundatus, donec Deus & Dominus & magister meus, in quem peccaui, me voluit in terram vocare: & tu turbatus in paucis conuitiis vnius mulieris, vanis tentationibus agitaris? Ambula in iniuncto tibi munere, & illud exequere diligenter. Nam Dominus noster Iesus Christus, creator omnium, alapis cæsus est, & flagellatus est à creaturâ suâ, & nobis pius magister factus est patientiæ exemplum, vt nos simus in similibus passionibus prompti & tolerantes: insuper hæc omnia nobis Dominus & verus amator noster præcepit, cùm dixit, In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras. Et cùm hæc dixisset Ioannes, perrexi ad opus, ad quod me ordinauerat Romeca. Et illa iterum ingressa quærebat, quid necessarium esset corporibus nostris. Et Ioannes, quod necessarium est corporibus nostris satis habemus, & in opere nobis commisso diligenter intendimus: quomodo ergo inquit illa, vos incusant omnes vt inutiles? Cui Ioannes, quia nusquam hoc opus tractauimus, & ideo nobis difficile est omnia, vt decet, à principio perficere: sed si nos perseuerauerimus, artifices euademus, Habent enim artes omnes à principio, non omnia rectè & sine errore perficere. Et his dictis, egressa est mulier. Diabolus autem ab initio bonis inuidens, se transformauit in similitudinem mulieris: & introiens, verberibus & plagis & asperioribus conuitiis cœpit Ioannem lacessere, dicens: Ministrum te huius operis constitueram, & omnia perdidisti, non valeo te vlterius sustinere: accende magis magisque caminum, vt ego te in medium dedam: & arripiens malignus ille pallium quo tegebatur, Ioanni minas intendens dicebat, vitam tibi nunc adimam flagitiosè, exi foras, non fero vt mihi amplius seruias. Ioannes verò per spiritum agnoscens, quòd dæmon esset, qui in illis habitabat thermis inuocato nomine Iesu statim illum expulit. Porrò vno mane intrauit Romeca, & dixit Ioanni iterum: de te multa dicunt, quòd non bene susceptum opus peragis, sed id eos agnosco dicere, vt te liberum abire sinam, & expellam: verùm non sic vltra potes à me exire. Nam si abire voles, vnum de his membris, quæ tibi magis necessaria sunt, vel auferam. Illis verò omnibus nihil contradixit Ioannes. Tunc verò mulier considerans patientiam viri, & ipsum adeò mansuetum & mitem; cœpit durius vrgere, & indignari, & dixit: non vt seruus meus, sed vt libet agis: quid ais? Nunquid confiteris tuam seruitutem? responde nunc mihi. Ioannes verò dixit: etiam serui tui sumus, ego succensor, & Prochorus infusor. Illo autem tempore, Romeca amicitias habebat cuidam Causidico, ad quem profecta, dixit: quondam à parentibus meis mihi serui relicti fuerunt, qui profugi multis annis reperti sunt, verùm eorum emptionis chartas iam perdidi: ad me autem venerunt, possumne emptionis chartas innouare? Cui dixit: si conficeri non abnuant, à parentibus tuis seruos se tibi relictos, potes illis præsentibus & dicentibus, serui tui sumus chartas innouare. Hæc autem Ioannes per spiritum cognoscens dixit ad me: fili Prochore, id agnosces: mulier cui seruimus, per confessiones requirere vult à nobis, si serui sui sumus: quod si confiteamur nos seruos eius esse, paratos testes habet fide dignos, quos iam exquisiuit. Et nos per Chirographum suæ seruituti adiiciet facietque suos seruos. Noli ergo fili, super hâc te contristari, sed gaude magis, quia digni sumus pro nomine Christi contumeliam pati. Et hæc loquente ad me Ioanne: ecce Romeca venit, apprehenditque Ioannem per manum, & cœpit eum cædere, & dicere: serue fugitiue, cur cùm venit Domina, non occurris, & dignâ eam veneratione prosequeris? liber esse, fugitiue existimas, sed in seruitutem Dominæ tuæ restitutus es: & colaphis eum cædebat, vt timorem incuteret, & eius acquiesceret voluntati, & dicebat: Nónne respondebis mihi bis, nónne es tu seruus meus? cui Ioannes, ecce iam dictum est tibi, quòd serui tui sumus, ego incensor & Prochorus aquæ infusor: dixit iterum Romeca, cuius seruus es tu serue fugitiue? Cui Ioannes, cuius vis vt dicamus, quod serui sumus? quæ dixit: dicatis, serui tui sumus. Et Ioannes dixit, dictum est tibi iam à nobis, & adhuc per scriptum confitemur, quòd serui tui sumus. Volo, inquit, illa, coram tribus testibus per confessiones vestras id mihi ratum fieri. Et Ioannes: Noli, inquit, moram facere hodie si iubes, quod dictum est, faciemus. Illa ergo nos assumens abiit è regione templi Dianæ, & coram testibus petiit sibi scripta fieri secundùm confessiones nostras, & singulos nostrûm in opus suum introduxit. At nunc de balneis ipsis dicamus.

Dæmon minatur B. Ioanni incendiū.

CAPVT III.

D. Ioannes Dioscoridem & Theonem oppressos à dæmone suscitat: fugátque dæmonem

CVm primùm ponerentur, talis dæmonum illusio circa eas facta narratur: nam cùm fundamenta locarentur, dæmonis suggestu quidam venefici iuuenculam vere prono adhuc viuentem supposuerunt, quæ & ibi mortua est, cœperuntque superædificare thermas persuasi eas faustiores ob iuuenculam futuras: Sed longè aliter euenerat. Nam diabolus in eo loco diuersabatur, & illâ occasione ludificabat homines, & ter in anno aut iuuenem aut iuuenculam in illis balneis suffocabat. Deinceps verò quidam Ephesinæ ciuitatis nomine Dioscorides, obseruatum tempus penes se habebat, quo tempore & quo die, id contingere soleret. Qui filium formâ decorum vnde-vicesimum natum annum habebat, cui insidiabatur dæmon, vt suffocaret, non obseruato solito tempore. Ego pariter ingressus cum ministris suis vas ministerij mei

Cacodæmon balneis infestis.

portabam. Verùm immundus dæmon repentinum impetum faciens eum illicò suffocauit, dimisitque mortuum, & famuli eius territi lugentes & plangentes exierunt dicentes, heu nos miseros, quid nos faciemus, quia Dominus noster mortuus est? Cùm verò Romeca hæc audisset, vittas capitis sui soluit, capillosque vellebat, & cum eiulatu maximo clamabat, Væ mihi miseræ, quid Domino meo Dioscoridi dictura sum; quid cùm audierit, quia mortuus est filius eius, qui illi erat vnicus; O magna Ephesiorum Diana adiuua nos: ostende super iuuenem mortuum virtutem tuam, nos omnes mulieres simulque viri Ephesiorum confitemur, quia per te gubernantur omnia, & per te virtutes magnæ efficiuntur, nunc ausculta ancillæ tuæ, & restitue Domini mei serui tui filium, vt omnes qui sperant in te, cognoscant, quia non tuæ sunt virtutes super te, & redde nobis adolescentem istum, & statue patri suo viuum, & redime omnes gentes, quia tu es vera Dea, & non est alius Deorum te potentior.

Diana præfes Ephesiorum.

Cumque digitis capillos rumperet, & in eo luctu ab horâ tertiâ ad nonam perduraret, de mortuo nulla consolatio apparebat, & plurima turba conueniebat, quæ partim iuuenem plangebat, partim Romecæ condolebat. Et cùm hæc agerētur, venit à ministerio suo ad me Ioannes. Prochore fili, inquit, quid de hâc re dicitur? Sed cùm Romeca nos vidisset adinuicem loquētes, priusquam respondissem ad hæc, venit & apprehendit Ioannem: & ait, fugitiue deprehense, deprehensa sunt maleficia, quibus vsus es ab eâ die, quâ ad nos ingressus es, & ideò magna Diana deseruit me? vel igitur filium Domini mei Dioscoridis mihi restituas, vel vitam hâc horâ tibi adimam. Cui Ioannes, & quid est, inquit, Domina, quod accidit tibi? illud mihi aperi. Illa verò furore succensa cœpit eum colaphis cædere, & dicere: serue nequam ad escam promptus, & piger ad opus, nunquid vniuersi Ephesiorum sciunt, quod factum est, & tu ad me venisti, vt me irrideres, & gauderes, & simulares te nescire quod factum est, & quia filius Dioscoridis Domini mei in balneis mortuus est? His factis Ioannes ab eâ discessit nihil molestè ferens quod illi factum est: & cùm modicum stetisset, ingressus in blaneas eiecit spiritum immundum & virtute Domini nostri IESV Christi animam in corpus iuuenis reuocauit, exiuitque de thermis, per manum iuuenem tenens, & perrexit ad Romecam, & dixit ei: accipe nunc filium Domini tui: quæ cùm vidisset, pauore mentis attonita, in terram collapsa est veluti examinis, & mortua. Ioannes verò, illam per manum tenens dulciter erexit, quæ viso tantæ rei miraculo tanto stupore tenebatur, vt immobilis tanquam lapis perseueraret, & exacto fermè duarum horarum spatio ad se benè reuersa, non audebat aspicere in faciem Apostoli, sed confusione magnâ repleta id intra se cogitabat, quomodo in vultum hominis huius respiciam, qui cùm seruus meus non esset, feci meum seruum, contra ante mentita sum in conspectu eius: plagis non dignus fuit, & ego incessanter ipsum cædebam; O misera quid faciam! O mors veni inuocata, & absorbe miseram! Et iterum spiritu defecta collapsa est in terram, quam cùm vidisset Ioannes sic immutatam, apprehendit eam per manum, & erexit: & sanctæ Crucis signaculo muniuit: Quæ ad se reuersa, cecidit ante pedes Apostoli, flens ac ita dicens: Oro te suppliciter, annuncia mihi quis es tu, certa enim sum, quòd vel Deus es vel Dei filius, qui tales virtutes operaris. Ioannes autem dixit illi, neque Deus sum, neque Dei Filius, sed ego discipulus Domini Iesu Christi Filli DEI viui, & recubui supra pectus eius, & audiui ab eo mysteria, quæ annuntio tibi, si in eum credideris, eris ancilla eius, sicut ego sum eius seruus. Tunc verò Romeca cum rubore, verecundia, ac timore magno dixit Apostolo Ioanni: ergo vir Dei te precor, vt mihi quæcunque aduersum te gessi, dimittas quod te plagis, verberibus, & conuiciis male affecerim, & insuper quod contra, & te hominem tuum falsis vsa testimoniis infœlix mentita sum: dixi enim, quoniam serui mei essetis. Cui Ioannes, Crede in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & crimina dimittentur tibi. Cui Romeca respondit, credo homo Dei, quæcunque ab ore tuo audiero.

B. Ioannes accusatur Dianam expulisse.

Suscitatur alius Dioscoridis.

Signaculum sanctæ Crucis.

Cùm autem hæc agerentur, multa turba circumstabat: Et interea vnus de Dioscoridis familiâ, cucurrit, vt nuntiaret, quæ homo Dei Ioannes fecisset, quomodo filius suus in balneis mortuus fuisset, & quomodo resuscitasset eum Ioannes, quodque multa turba viuentem circundaret. At Dioscorides cùm audiuisset de morte filij sui, subitò pauore consternatus & constrictus, continuò expirauit. Ille verò, qui attulerat nuntium, in balneas reuersus, vbi Ioannes docebat, & vbi pariter erat Dioscoridis filius, exclamabat, heu mihi, Dominus meus Dioscorides mortuus est. Quo infœlici nuntio de suo patre audito, Theon Dioscoridis Filius, continuò surrexit, & dimisso Ioanne ad Patrem cucurrit; & cùm in domum venisset, inuenit Patrem iam mortuum; & humi iacentem. Suscepto igitur magno luctu, rediit ad Ioannem, & procidens ad pedes eius dixit, ô homo Dei, qui me mortuum ad vitam reuocasti, obsecro adiuua me: nam Pater meus, vt de morte meâ audiuit, continuò est mortuus: ne me cogas iterum quem de morte excitasti, præ dolore mortem gustare. Ioannes autem vt erat mitissimus, inquit illi: Noli ô Theon perturbari, nam mors Patris tui, tibi & illi vita erit. Et assumens Theonem per manum, dixit illi, eamus nunc ad Patrem tuum Dioscoridem. Sequebatur autem eum Romeca, & multa plorantium & flentium turba. Et introduxit Theon Ioannem ad Patrem suum, & apprehendit Ioannes dextram manum eius, & dixit: Dioscorides, tibi dico in nomine Domini nostri Iesu Christi Filij Dei viui, surge: & continuò Dioscorides surrexit à morte, plurima verò circumstantium turba viso tanto miraculo, collaudabant magnalia Dei: sed inter illos quidam illum esse magum dicebant: alij verò, quorum mens sanior, contra asserebant magos, mortuos suscitare non posse. Cùm verò Dioscorides, qui à mortuis suscitatus fuerat, ad se corruersus fuisset, dixit ad Ioannem, tu ne es ô homo Dei, qui Filium meum à morte reuocasti; Cui inquit Ioannes, non ego eum suscitaui, sed Christus Filius Dei, qui per me prædicat, illum suscitauit. Et continuò Dioscorides ad pedes eius prouolutus dixit, quid me oportet facere, vt saluus efficiar, & seruus sim Christi Filii Dei? Tunc Ioannes, Crede, inquit, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, & baptismum suscipias. Dixit autem Dioscorides ad Ioannem, ecce ego & Filius meus, quæcunque habemus omnia, in manus tuas commendamus. At Ioannes, ad Discoridem: non ista, inquit, mihi opus sunt, neque Deo meo. Et ex illâ horâ secuti sunt Ioannem. Ille verò eos docebat, dicens: Deus qui solus est, super omnes misericors, misit filium suum in terram, qui ex Mariâ Virgine natus, passus, mortuus, & sepultus fuit, ad inferos descendit, fideles suos illinc eruens, & triumphans super mortem, tertiâ die resurrexit, post verò resurrectionem eius per quadraginta dies nobis duodecim Apostolis suis apparuit, & simul nobiscum manducauit & bibit, præcepitque nobis, vt per vniuersum mundum euntes euangelizaremus, & super omnia potestatem dedit, sanare vniuersos languores, mortuos suscitare, dæmones effugare, & in remissionem peccatorum homines baptizare. Et non solùm nobis hanc potestatem tribuit, sed & his qui per prædicationem nostram in eum sunt credituri, maximè qui in ordine nostro & ministeriorum feruore & deuotione, quemadmodum & nos, apti erunt ministrare: qui verò non crediderint, condemnabuntur. Factâ verò concione Ioannis; accesserunt ad eum Dioscorides & Filius eius, rogantes vt baptizarentur. Quibus Ioannes dixit, Deus te & filium tuum suscipiat. Et eo adhuc loquente, ecce Romeca literas, quas de seruitute nostrâ confinxerat, attulit, reddiditque magistro meo Ioanni, & eodem in loco dilacerauit. Postea Dioscoridem in suâ domo, & Theonem filium eius, & hospitam nostram Romanam baptizauit. Et mox vt exiuimus de Dioscoridis domo, venimus in locum balneatum, in quo fueramus seruitio addicti, commutante nos Dioscoride Domino loci: & ingressus Ioannes, à toto territorio tetrum dæmonem, qui Theonem suffocauerat, expulit:

Dioscorides à D. Ioanne suscitatur.

quo facto reduxit nos Dioscorides in domum suam, & positis mensis gratias Deo agentes, comedimus, & bibimus, & vsque ad vesperam cum eo permansimus.

CAPVT IV.

D. Ioannes Dianæ idolum comminuit.

MAne autem facto, dies festus Dianæ agebatur ab vniuersâ Ephesiorum ciuitate, positumque erat in sublime, Dianæ idolum prophanum templum. Illuc verò perrexit Ioannes, & ascendit, & se in dexterâ idoli parte collocauit, & cùm ciuitatis homines candidis vestibus pro sacrificandi situ induti fuissent, Ioannes sordidis amiciebatur, quibus in balneis ministrauerat: quem videntes Ephesij indignantes & furore succensi, tulerunt lapides, vt iacerent in eum: & cùm iactare vellent in Ioannem, diuinâ virtute vertebantur in simulachrum Dianæ, ita vt fermè totum comminueretur simulachrum, at videntes quod ne vnus lapidum Ioannem attigisset, dentibus frendebant: quidam autem videntes quod factum fuerat, ridebant.

CAPVT V.

D. Ioannes hortatur Ephesios ad fidem, ad quam eos lapidum iactatione, terræmotu, & octingentorum suscitatione conuertit.

IOannes post idoli ex iactu comminutionem, dixit ad eos: Viri Ephesij cur hanc insaniam committitis in solennitate dæmoniorum, & Deum verum relinquitis totius mundi auctorem & creatorem vestrum; Deus autem tunc protegebat Apostolum suum Ioannem à furore eorum, & non valebant Ephesij manus iniicere in eum, & Ioannes dicebat ad eos: ecce Dea vestra verè consumpta, & à vobis per lapides, quos in me intorquere voluistis, comminuta; adunate nunc eam, & rursus vt prius instaurate, vel si quid potestatis habet, orate, vt in me, qui causa comminutionis sui, vlciscatur offensam, vel virtutem aliquam ostendat, per quam credam ipsam esse Deam, alioqui pateat Deam vestram habere potestatem nullam. Hæc audientes Ephesij, nimio furore bacchantes iterum voluerunt mittere lapides in eum, sed lapides in eos conuertebantur, seque mutuò lapidibus obruebant. Videns autem Ioannes, sic eos à dæmone furiâ accensos, & se mutuò interficientes, dixit ad eos: O viri Ephesij, cur in vosmetipsos dæseuitis; cessate iam, & videte terribilem veri Dei potentiam, quem contra vos per furorem vestrum prouocastis: quia sermonem eius quem pro salute vestrâ vobis attuli, deliramentum putastis. Cessate igitur, & attenti videte. Tunc contra orientem extendit manus in cœlum in gemitu, & dixit, Domine Iesu Christe, qui corripis in misericordiâ & miserationibus, ostende hominibus his quia tu es verus Deus, & non est præter te alius Deus. Et his dictis factus est terræmotus magnus & terribilis, in quo mortui sunt viri octingenti. *Terræmotus.* Videntes autem cæteri quod factum est miraculum, prociderunt ad pedes Ioannis dicentes, Domine precamur te, tantum facias homines hîc mortuos ad vitam redire, & credimus in Deum tuum, quem nobis prædicas quibus Ioannes, viri Ephesij duro & graui corde ad credendum Deum vnum & verum, scio quamuis hi surrexerint à morte, adhuc cor vestrum obdurandum, sicut cor Pharaonis cùm videret signa & portenta fuit obduratum. Nihilominus illi perseuerabant obsecrantes, & proni iacentes in terrâ pro his qui interierunt. Ioannes verò tandem illis acquiescens, suspiciens in cœlum diu in silentio & gemitu & lacrymis mox dixit; Domine Iesu Christe, qui semper es cum patre verus Deus, qui ad terras descendisti, vt saluum faceres genus humanum, exaudi preces famuli tui ad te clamantis, & dimitte peccata populi tui, & fac eos, qui hoc loco mortui sunt, à morte resurgere, vt sciant te esse Deum verum, & credant in te, qui me misisti, & mihi tribue seruo tuo verbum tuum fiducialiter illis prædicare. Hæc cùm dixisset Dei seruus Ioannes, terræmotus magnus cessauit, & octingenti viri qui mortui iacebant, surrexerunt, & procidentes adorauerunt Ioannem: sed Ioannes cœpit eos docere, de vnâ solâ diuinitate Patris & Filij & Spiritus Sancti, quam deberent adorare, & quòd tres * hypostases sint, vna substantia: & multa alia, quæ in hoc libro omittimus scribere.

CAPVT VI.

D. Ioannes claudum restituit.

HIs dictis, Dioscorides nos suscipiens duxit in domum suam, & cùm aliquantulum apud eum in domo suâ mansissemus, exiuimus in locum, qui dicitur murus ciuitatis, vbi inuenimus hominem claudum à duodecim annis contractum, & ab infirmitate factum immobilem, qui, cùm vidisset Ioannem, incepit clamare magnâ voce, miserere mei Ioannes Apostole Dei viui: Ioannes verò apprehendens, & agnoscens, quia fidem haberet, dixit ei, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, surge, & continuò surrexit factus sanus & incolumis.

CAPVT VII.

Dæmon Ephesini templi sub specie militis mentitus per accusationem Sanctorum Dei expellitur, euerso templo.

VIdens autem dæmon, qui habitabat in templo Dianæ, q surrexisset Ioannes, quodque comminutum esset eius idolum, & quòd tandem de vrbe expelleretur, transformauit se in similitudinem militis chartas secum portantis, seditque in loco alto & eminenti, & clamabat voce magnâ, & flebat: transibant autem duo milites, & videntes eum eiulantem & flentem in habitu militari, propius accesserunt dicentes, amice quidnam habes, & quæ causa doloris? Ille verò nihil respondebat eis, sed solum flens & eiulans phantasticas chartas tenebat. Qui iterum dixerunt ei, dic nobis, vnde turbaris, & nos si valebimus, auxilium feremus. At ille gementi similis & plorantis amarè dixit eis, ego præ multâ pressus angustiâ meipsum in mortem dedere volo. Verumtamen, si mihi suppetias ferre velletis, omnia vobis narrarem: sin verò minus, cur secretum mortis aperiam? cui dixerunt milites, forma tua & habitus tuus te liberalem & officiosum ostendunt. Etiam, dixit dæmon. Cui milites, scire potes ô amice, an tibi auxilio esse possimus, an non; quibus dæmon: potestis, inquit, si vultis. Responderunt milites, in quonam poterimus te adiuuare? Dixit dæmon, per magnam mihi iurate Dianam, vos mihi vestrum auxilium non denegare, & ego vobis omnia pandam, & ostendite erga me, qui extraneus sum, vestrum fauorem & amorem & bonam à me mercedem recipietis, & vitam meam liberabitis. Milites ergo iurarunt, quòd illi in necessitate suâ essent affuturi, & in omnibus fidi adiutores. Tunc dæmon ostentans bracteas auri, dixit eis, ô fideles amici, ecce adsunt, quæ post hanc fatigationem vestram parata sunt vobis. Deinceps verò milites diligentius scrutabantur causam doloris eius, & dicebant, Enarra nobis amice, tribulationis tuæ seriem. Tunc dæmon flens & eiulans, de Cæsariâ, inquit, ego miser adueni, & infelix; duo viri in Hierosolymâ mihi in custodiam à principe traditi sunt, qui & ipsi erant magi, vnius nomen Ioannes, & alterius erat Prochorus. Ego autem eos suscipiens triduum in carcere reclusi, quartâ verò die coram iudice præsentati fuerunt, & in ipsis plurima flagitia inuenta sunt per facinora, quæ perpetrarunt. Videns autem iudex tantam eorum esse malitiam, noluit per seipsum quid de tam flagitiosis faciendum esset, deliberare, & eos iubet in carcerem retrudi. Diligenter ergo eos suscepi, deduxique in carcerem, verùm per multam eorum malitiam

aufugerunt:

aufugerint: quod iudex vt audiuit, misertus hac lege mei est, vt eos prosequar: nam vbi eos restituero, parcit, si verò non restituero, aut moriendum mihi est, aut nunquam redeundum. Cognosco autem iudicis indignationem, quam aduersus eos gerit, neque sine ipsis ad iudicem redire vnquam auderem. Et iterum dæmon bracteas auri illis ostendit dicens: hoc mecum pro meâ salute cùm de terrâ meâ exirem tuli; ostendit & phantasticas chartas, quas eorum confessionem continere dicebat: addebat insuper audiuisse se à multis eos in hac ciuitate esse: ideò, inquit, in hanc ciuitatem veni dimissis vxore, liberis, & domo quasi peregrinus, & errans, & exul. Quare obsecro vos tanquam bonos amicos, ferte opem misero, & non mihi vestram misericordiam negate. Cui milites nihil tibi mali, loquiunt, facias neque te maceres dolore. Nam magi illi hîc sunt, vt eos reducas, tibi erimus auxilio. Quibus dæmon, non audeo, inquit, hoc facere: nam timeo, ne per magica sua maleficia, iterum à me fugiant: sed vos potius ô amici, cogite eos in aliquem secretum locum, & nemine conscio eos enecate. Sed illi dixerunt, præstat magis, vt eos prius in manus tuas restituamus; nam si eos occideremus, quomodo in terram tibi esset reditus? Dixit dæmon, enecate ô amici, nullus superest mihi amplius redeundi appetitus; tantumque peregit, vt pollicerentur ei milites se debere hos interficere, dummodo pretium, auri bracteas, quas secum portabat, reciperent. Hoc autem totum per Spiritum sanctum Ioannes agnouit, & quidquid aduersus nos immundus dæmon fuerat machinatus, & dixit mihi, Fili mi, Prochore, certum habe dæmonem, qui habitat in templo Dianæ, aduersum nos, duos milites suscitasse, quibus de nobis multa mentiens confinxit. Deus autem nota fecit mihi quæcunque contra nos locutus est dæmon. Nunc igitur virilis esto, & præpara animam tuam ad tentationem, quia dæmon aduersum nos multis machinamentis se eriget, multisque fatigabit tribulationibus. Et vt hæc locutus est, aduenerunt milites, & comprehenderunt nos, tunc autem aberat Dioscorides. Quibus Ioannes dixit, quam accusationem habetis & proponitis aduersum nos, & quare nos tenere vultis; Illi autem dixerunt propter magna maleficia vestra: quibus Ioannes, quis ergo noster est accusator; Dixerunt ducemini in carceres, postmodum videbitis, quis vester sit accusator. Tunc Ioannes, non potestis, inquit, neque debetis vim nobis vllam facere, illi verò cœperunt nos cædere, & pertrahentes nos in domum cuiusdam ciuis, induxerunt, vt secundùm pollicitationem quam dæmoni fecerant, nos interficerent. Romeca autem agnoscens quòd nos vi tenerent, cucurrit ad Dioscoridem, nuntians ei, quæ fiebant. Et illicò venit Dioscorides, & nos de eorum manibus liberauit dicens illis, non licet vobis mittere homines in carcerem, vbi nullus adest accusator, hi homines in domo meâ mecum sunt, si qui eos accusat, veniat & tollat, vt secundùm leges iudicentur. Tunc milites adinuicem dixerunt, eamus ergo & adducamus eorum accusatorem, qui iustam causam ante iudicem proferat. Nam nos minus essemus audiendi, cùm se contra nos Dioscorides opposuerit, & difficile contra eum obtineremus. Reuertuntur igitur milites in eum locum, vbi dæmonem conuenerant sedentem, quem cùm non inuenissent, cœperunt valdè turbari, & tristes & anxij esse, dicentes, quid modò faciemus, cùm illum non inueniamus? Nam si compererit nos Dioscorides in hoc facto non esse veraces, & quæ locuti sumus non posse nos probare, cùm homo multæ sit authoritatis & reuerentiæ, forsitan nos malè afficiet, cogetque perire. Hæc inter se loquentibus, dæmon supersuperuenit in habitu (vt prius) militari, increpans eos & dicens, desides in meâ causâ fuistis. At illi omnia retulerunt ei, quæ fecissent, & quomodo Dioscorides liberasset eos de manibus eorum. Verùm, inquiunt, si modò veneris nobiscum, statim reperiemus eos, quibus dæmon; eamus, inquit, & ibat post eos eiulans & flens amarè: circumstetit autem eos plurima turba, & dæmon narrabat vniuersa, quæ & militibus ante narrauerant, & milites illi testimonium reddebant, & omnes repleti sunt irâ, & complures eorum Iudæi erant. Properantes igitur ad Dioscoridis domum fores vehementer pulsabant vniuersi clamantes, aut trade nobis magos, aut domum tuam igni succendemus, & te & tuum Filium vnà perdemus. Et vrbs commota vniuersa clamabat, da nobis maleficos illos tu: cùm vrbis præses fueris, non debes sustinere homines hos. Videns autem Ioannes multitudinis seditionem, dixit ad Dioscoridem: Nos possessionem huius mundi despicimus nec corpora nostra amamus: nobis enim vita est Christus, & mori lucrum, nos à magistro nostro docti sumus quotidie tollere crucem nostram, & sequi eum: dimitte ergo nos ad populum. Audiens autem hæc Dioscorides: dixit Ioanni, Ecce potius domus mea incendatur igni, & ego & Filius meus pergemus vobiscum cum familiâ, vt solum Christum lucremur. Cui Ioannes: Neque tu: inquit, neque Filius tuus vllum in hac horâ patiemini detrimentum, neque capillus capitis vestri deperibit vnus; trade nos hominibus istis. Cui Dioscorides, si vos tradidero, etiam tradam Filium meum: Cui Ioannes: caterua hæc populi ad bonum congregata est; & hæc congregatio ad bonum perducet plurimos: sine nos securè foras abire, tu autem & Filius tuus vos domi contineatis cum silentio, & videbitis gloriam DEI. Et statim permisit nos abire, & continuò nos apprehenderunt, & duxerunt in templum Dianæ. Cùm autem inter eos in templo essemus, Ioannes ad eos, qui illum tenebant, dixit: Viri Ephesij, cuius est templum hoc; dicunt ei, sacrum est magnæ Dianæ templum. Tunc dixit ad eos, subsistamus ergo hic paululum: gaudeo enim plurimum me in hunc locum deductum, & quidam circumsistentium dicebant, verè bonum est & nos hîc esse, sicut & ipse Ioannes dixit. Substiterunt ergo, & interim Ioannes orauit dicens, Domine IESV CHRISTE, decidat templum hoc, & funditus corruat: neque vnus in eo moriatur aut pereat, neque de cætero omnes decipiantur in eo. Et statim ad Apostoli verbum corruit templum illud prophanum, neque quenquam in loco læsit. Tunc Ioannes ad dæmonem, qui in loco illo habitabat, se conuertit, & dixit, per quanta spatia temporis, immunde spiritus, latitasti in templo hoc, Dæmon dixit, ducentorum quadraginta annorum spatio meum est domicilium. Cui Ioannes iterum tu ne es, qui milites aduersum nos concitasti, & populum commouisti? Dixit dæmon, Etiam. Tunc Ioannes, præcipio tibi, inquit, in nomine IESV CHRISTI, Nazareni, vt in loco hoc non habites de cætero: Et continuò dæmon exiuit de Ephesiorum ciuitate. Pro hac re igitur mirabantur vniuersi, & ad se inuicem loquentes dicebant, quid est, quod fecit homo iste, & quâ arte, nescimus: pertrahamus tamen eum ad iudicem ciuitatis, & secundùm legem puniatur. Tunc ex eis vnus nomine Marnon, genere Iudæus, dixit, ego hunc & qui cum eo est, magos esse scio, & malorum operum actores: quia decet eos vt maleficos perire. Et ad circumstantes Marnon dicebat, non per iudicium isti examinentur, sed hic pœnam dantes occidantur; volebat enim Marnon, antequam in manus iudicis traderemur, populum inducere, vt in nos insurgeret ac interficeret. Verùm turba illi non consensit: & statim tradiderunt nos iudici, qui dixit illis; quâ occasione aut culpâ traditi sunt vobis homines isti? Responderunt, pro magicis ac maleficiis: quibus iudex; quænam magicâ arte maleficia perpetrarunt? Tunc Marnon dixit, quomodo Dianæ templum magicâ arte destruxissent, & quomodo milites quidam ab Hierosolymis venerant eos accusant, & maleficos cognoscens, & eorum maleficia ex eorum confessionibus approbans. Tunc Iudex ad Marnonem, veniat ergo, loquit, miles ille; & nobis faciat apparere veritatem. Tunc grauiter vinculis constrictos coniecit in carcerem. Illi verò circumeuntes ciuitatem, quæsierunt illum militem: quem cùm non inuenissent, post triduum reuersi sunt ad iudicem, dicentes, non possumus hominem illum reperire, qui verè maleficia eorum agnoscit. Quibus iudex dixit, homines peregrinos, aduersus quos neque accusatores ne-

D. Ioannes nouit absentia. Ecclesia.

Sine accusatore nemo incarcerandus.

Matth. 16.

Dianæ templum corruit, nec læsit quenquam.

Iudæus accusat D. Ioannem.

Quatenus suscipienda accusatio.

ue chartæ apparent, nobis punire non licet, neque in carcere retinere. Tunc iussit nos de carcere educi, comminans & præcipiens, ne diceremus, sed de vrbe discederemus. Exeuntes autem persecuti sunt nos, & expulerunt de finibus eorum, & peruenimus vsque ad sinus natis, vbi Ioannes ex mari proiectus fuerat, & mansimus illic triduum, sed nobis permissum Ephesum tegredi.

CAPVT VIII.

D. Ioannes ex scripto Domitiani carceri mancipatur.

SEcundam verò postea persecutionem Domitianus excitarat, cuius temporibus Ioannes Epesi morabatur. Imperator autem Domitianus Epistolam misit Ephesum ad proconsulem ciuitatis ita continentem: Accepimus apud vos quendam Ioannem filium Zebedæi esse, qui à multis asseritur Christianus, & discipulus illius Nazareni esse, qui pro suis sceleribus à Iudæis fertur crucifixus: cesset iam ab errore suo, & viuat, aut examinetur & pereat. Tunc proconsul missis exactoribus comprehendit Ioannem, & eum secundùm edictum Cæsaris admonuit, & vt Christum negaret, & à prædicatione Euangelij cessaret. Ioannes verò respondens illi dixit: Absit vt vnquam dulcissimum Domini mei nomen negem, nomen, cui flectitur omne genu, & omnis lingua confitetur: obedire enim magis Deo oportet quàm hominibus propter magnam gloriam maiestatis suæ, & gloriam quam promisit diligentibus se. Non ergo negabo Christum Deum meum, qui dilexit me, & magistrum: neque à prædicatione Euangelij nominis eius cessabo, donec ministerij eius, quod suscepi cursum, consummauero. Vt verò præsul hæc ab Apostolo verba audiuit, ità motus vultum immutauit, & dixit ad Ioannem, cur ad tantam insaniam deuenisti, vt contra te iram Imperatoris concites; continuò iussit tradi in carcere, dicens, rebelles principibus & legum contemptores non decet suæ voluntatis habere potestatem.

CAPVT IX.

Proconsul Ephesiorum de capturâ S. Ioannis scribit ad Domitianum.

PRoconsul verò rescripsit Romam de Ioanne ad Domitianum ita continentem. *Pijssimo Cæsari semper Augusto, Domitiano, Proconsul Ephesiorum.* S. Sacræ maiestati tuæ notum sit de Ioanne Zebedæi filio, de quo olim tuis dignatus es litteras, in Asiam venisse, & prædicasse Christum crucifixum, quem affirmat Deum verum & DEI filium esse, & culturam inuictissimorum Deorum nostrorum euacuat, & templa veneranda, quæ a maioribus nostris mirificè extructa fuerunt, euertit. Qui magus cùm contrarius existeret imperiali edicto, & cùm suis maleficis artibus & prædicationibus repentè omnem Ephesinum populum ad culturam hominis crucifixi & mortui seduxisset, nos erga Deorum immortalium culturam zelum habentes, iussimus eum pro tribunalibus præsentari, & iuxta benignissimum clementiæ tuæ rescriptum blanditiis, & terroribus studimus ammonere, vt Christum suum negaret, & à prædicatione desisteret, atque diis omnipotentibus grata libamina offerret, Quæ cùm illi nullâ ratione suadere potuimus, hos apices imperiali tuæ maiestati direximus, vt quicquid supremæ celsitudini tuæ de prædicto rebelli visum fuerit cognitum diligenter exequamur.

CAPVT X.

D. Ioannes vinctus Romam mittitur, tondetur, & in dolium feruentis olei conijcitur.

IN illo verò tempore Romæ Domitianus cum Lino & Marcello de Christi aduentu altercantur, & cùm videret se non posse eos vincere, indignabatur plurimum, & eo tempore sibi præsentantur acta Proconsulis de Ioanne Apostolo: Ille verò incœpit ea legere, qui vbi ea legit, magis magisque succensus mandauit proconsuli, vt Ioannem ex Ephleso tolleret, & vinctum catenis ad vrbem Romam mitteret. Tunc proconsul suscipiens Imperatoris edictum, Ioannem Apostolum catenis ligari præcepit, & assumptis militibus secum Romam vsque perduxit. Audiens autem Domitianus de aduentu eius noluit impius Cæsar videre faciem Apostoli: & iussit vt proconsul duceret ante portam Latinam, & in feruentis olei dolium illum viuum dimitti, priùs tamen illum flagris cæderet, & crinem capitis detonderet, vt ignominiosus & inhonorabilis populo videretur. Cùmque eum duxisset præses, iussit expoliari & flagris crudeliter cædi, criuemque capitis ad ignominiæ notam deponere. Lictores autem eum suscipientes fecerunt sicut illis mandauerat præses.

D. Ioan. conycitur in doliū, & tondetur ad ignominiam.

CAPVT XI.

D. Ioannes de dolio feruentis olei exiit illæsus, vnctus, non vstus.

POst hæc sedit Senatus Romanus vnà cum proconsule & populo Romano ante portam Latinam, & iusserunt dolium apponi feruenti oleo plenum, in quod nudum, flagellatum, & ignominiosè pertractum pridiè nonas Maij beatum Apostolum Ioannem miserunt; qui diuinâ Domini nostri Iesu Christi protegente gratiâ, à bullientis & feruentis olei dolio velut athleta fortissimus non combustus, sed tanquam vnctus, illæsus, ac intactus exiuit, & Domini qui eum dilexit saluante gratiâ & refrigerante, tam illæsus & liber à pœnâ apparuit, quàm à corruptione carnis mansit integer ac immunis. Fideles autem qui aderant exultantes & flentes præ gaudio: voces ad cœlum extollebant, commendantes Ioannis Apostoli & Euangelistæ dignam memoriam, & Apostolicam constantiam. Et Christi fideles qui illic aderant ante portam Latinam, Ecclesiam posuerant in eius nomine dedicantes. Deus enim per crudelem tyrannum consilium suum disponebat, vt sicut virtutibus & signis Ioannes & Petrus socij fuerunt, ita in vrbe Româ memoriam haberent sui triumphi. Sicut enim Porta vaticana triumphalis & insignis habita est cruce Petri, sic & porta Latina Ioannis dolio insignis & memorabilis habetur. Videns igitur proconsul Ioannem athletam Christi fortissimum, de dolio exeuntem velut vnctum non vstum, stupefactus, voluisset ei libertatem dare, si non timuisset regis iussionem. Tunc Domitianus iussit ne amplius proconsul Ioannem torqueret, sed reduceret eum vt dein amplius disponeret quid de eo esset agendum.

Tertull. in præscript.

Ecclesia in honorē ad Ioan.

Petri & Ioannis martyria Romæ.

CAPVT XIII.

D. Ioannes redit Ephesum.

POstquam autem hæc gesta sunt, apparuit Dominus Ioanni, dixit ei, te iterum oportet ingredi ciuitatem Ephesum, & post tres menses mitteris exul in Pathmon: vrbs enim illa adhuc tui multum eget: Et tandem postquam multum semen seminaueris, eam ad me conuertes. Nos itaque iterum intrauimus Ephesum, & comminuta sunt reliqua numina, & non erat templum in Epheso, à quo non fuerat eliminata spurcitia. Hæc autem signa fecit in Epheso Ioannes Christi Apostolus, antequam mitteretur in exilium, multa passus à Iudæis, Græcis & Romanis, diabolo eos aduersum nos suscitante. Pontifices verò & magistratus Ephesiorum iterum epistolam aduersum nos scripserunt ad Domitianum talia continentem.

CAPVT XII.

Ephesiorum ad Domitianum Epistola, super Ioanne.

TOti orbi dominanti Domitiano habitantes Ephesi. Oramus te nobis esse auxilio. Nam quidam qui

A

de Iudæâ prodierunt, quorum nomina Ioannes & Prochorus ciuitatem nostram occupauerunt, nouam doctrinam seminantes, & arte maleficâ omnia templa magnorum deorum destruxerunt. Hæc omnia tibi nota facimus, vt secundùm tuum imperium de ipsis voluntatem tuam impleamus. Visis ergo epistolis præcepit imperator, vt penitus exularent, & rescripsit hæc.

CAPVT. XIV

Rescripto Domitiani, Ioannes relegatur in Pathmon.

DOmitianus Cæsar, magistratibus & Ephesiorum ciuitati. Volumus scelestos illos, impios & maleficos viros Ioannem & Prochorum exulare: quos multum diuque pro clementiâ nostrâ sustinuimus: nunc

B

autem in dies contra deos immortales peccantes non est æquum amplius in medio eorum versari, qui continuò deos sapienter honorant. Quare iubemus impios in Pathmon insulam relegari, primò quia deorum cultui aduersantur, secundò quia legum nostrarum sunt contemptores, & nos nostraque iussa spernunt & inhonorant: vt per multas tribulationes discant magnificentiam deorum reuereri, nostraque iussa non contemnere. Hoc ergo Cæsaris mandatum perlatum est in Ephesum, & miserunt qui nos Prochorum inquam & Ioãnem magistrum meum in vincula coniecerunt, & plagis affecerunt & iniuriis, dicentes? hic est seductor, qui arte maleficâ tot facinora peregit. Et fuerunt ad nos tenendum missi numero centum. Postquam ergo Ioannes Apostolus & Euangelista, & Dei amicus comprehensus est, tenuerunt ipsum non tamen ligauerunt, sed plagas intulerunt, & conuitia: demùm nos ad nauem perduxerunt.

Exulat D. Ioannes.

CAPVT. XV.

Diuus Ioannes dum in insulam deportatur lapsum in mari puerum suscitauit.

C

CVm ergo ingressi essemus nauem, iusserunt milites nos in medio nauis consistere, & sex vncias panis, bicolum aquæ, & pauxillum aceti pro victu nobis ordinarunt. Ioannes verò in die duas panis sumebat vncias, & octauam portionem aquæ, & reliquas mihi relinquebat. Vbi verò tertia diei aduenit hora, milites sederunt vt panderent, lautas habentes epulas, & lauta pocula. Finito autem prandio cœperunt ludere. Saltantibus igitur & tripudiantibus, accurrens vnus eorum iuuenis super extrema tabulata nauis, subitò delapsus est in mare. Pater iuuenis erat in naui luctum mirabilem faciens, & qui libenter (nisi alij vetuissent) præcipitem se dedisset in mare. Venientes autem quidam militum, & procuratorum, vbi Ioannes erat ligatus, vbi viderunt eum non flentem, dixerunt, nos omnes pro malo quod accidit nobis, flemus: & tu sine fletu & dolore manes? quibus Apostolus dixit, quid vultis faciam vobis? Dicunt: si potes adiuua nos: audierant enim multa signa quæ fecerat in Epheso. Ioannes dixit ad vnum eorum:

D

Quem Deum colis? ille dixit: Apollinem, Iouem, Herculem cum Libero patre: & ad alterum, & tu quem? qui dixit: Esculapium & magnam Ephesiorum Dianam. Et similiter cæteros interrogauit, & quisque eorum suum errorem manifestauit quibus Ioannes tot Dij non potuerunt adiuuare & assistere vestro iuueni, nec sine impedimento vestro & tristitiâ illum vobis custodire? Dicunt ei, quoniam immundi sumus ante eos, & ideò permiserunt nos incidere in hanc tribulationem. Permisit Ioannes eos in luctu vsque ad horam sequentis diei tertiam: transactâ verò tertiâ, Ioannes tristis & dolens pro eo qui perierat, & communi omnium dolore qui aderant, flexus, inquit mihi, surge fili Prochore, & porrige mihi manum tuam: erat enim multo pondere ferri grauatus. Surrexi igitur, & porrexi illi manum: ille verò leuatus perrexit in eminentem locum nauis, & vincula sua sustinens fleuit abundè, & dixit ad mare. Hæc dicit Filius Dei qui supra planitiem tuam siccis pedibus ambulau[it] pro cuius nomine hæc vincula porto vt eius seruus, r[e]de nobis iuuenem viuum & sanum, quem absorpsisti: finitis his verbis continuò procella facta est, & aqu[æ] magnus sonus, ita vt periculum emineret, & timere[nt] vniuersi qui in naue illâ versarentur: nam fluctus m[a]gnus ab imo ad summum eleuatus est, qui iuuene[m] viuum & sanum ad pedes Ioannis reiecit. Videntes a[u]tem vniuersi vnà cum eo qui suscitatus est, procideru[nt] in facies suas ante Ioannem, adorantes & dicentes, v[e]rè Deus tuus, ipse est Deus cœli & terræ, & creat[or] omnium creaturarum, tunc accesserunt & dissolueru[nt] vincula quæ erant super beatissimum Apostolum, & f[ui]mus cum eis in magnâ fiduciâ.

CAPVT. XVI.

Seruat B. Ioannes secum nauigantes à tempestate.

POstea transiuimus ad quoddam castellum, vbi n[o]stra nauis appulit, & illic stetimus vsque ad solis o[c]casum. Vbi verò qui descenderant in nauem, redieru[nt] soluimus illinc, & circa quintam noctis horam, in m[a]ri suborta est tempestas valida, ita vt penè nauis pericl[i]taretur, & dissolueretur: ita vt vniuersis mors ante oc[u]los versaretur: & accesserunt ad Ioannem decem, d[i]centes; Apostole Dei viui, qui militem socium nostru[m] de periculo maris viuum nobis reddidisti & suo mise[ren]do patri, ora Deum tuum, vt tempestatem hanc sed[e]t ne & nos pereamus. quibus dixit Apostolus, tacete, vnusquisque vestrum locum suum teneat quietus. Tacu[e]runt igitur omnes, sed fluctus amplius intumescere c[œ]perunt, & iterum clamauerunt, miserere nostri Apost[o]le Iesu Christi, quibus respondit, tacete. Nam nequ[e] amissio erit in hac naui nam vnus capillus non peri[b]it capitis vestri. Tunc surrexit & dixit, mare, hæc tibi di[ci]t Apostolus Iesu Christi, in nomine Iesu Christi quie[s]ce & compescere: & statim facta est magna maris tra[n]quillitas, & mirati sunt vniuersi.

CAPVT. XVII.

Periclitantur à Marnone Iudæo, & Epidauritis Sanct[i] Dei, B. Ioannes & Prochorus.

NAuigantibus nobis tribus diebus totidemque noctibus, peruenimus Epidaurum, vbi habitaba[t] Marnon Iudæus, qui plurimas Ephesi aduersum nos su[s]citauerat seditiones. Videns autem nos in naui sedentes, dixit illis qui nobiscum erant, qui sunt hi quos vobiscum in naue habetis? Responderunt, Christiani sunt homines fideles: magna enim salus nobis per eos in mari facta est. Quæ eorum, inquit, nomina? Responderunt, nomen maioris, Ioannes, & discipuli, Prochorus. Audiens autem hoc Marnon, ascendit in nauem, & magna voce cœpit clamare, quid hic facitis ô magi, Deo mundoque odibiles? Vnus autem de nuntiis regiis, qui nobiscum vnà cum militibus custodibus nostris aderat, arguit Marnonem dicens, cur in viros sanctos talia verba profers? nos eos custodimus, & iuxta regis edictum ducimus in insulam Pathmon. Quæ cùm dixisset, Marnon descendit de puppi, & vestimenta sua discindens clamabat, viri fratres, qui mecum Epidauri moramini, omnes adiuuate me: erat enim Marnon diues, & multas tenens possessiones homo, confluxerunt itaque ad eum multi, quærentes quid ita clamaret. Quia, inquit, viri qui magi sunt & polluti, huc appulerunt, qui plurimas pœnas & tribulationes habitatoribus Ephesi inflixerunt. Ad nos ergo, vt similia infligant mala, ab illis huc venerunt. Venite ergo mecum omnes qui Epidauri habitatis, & immittamus ignes in nauem, & pereant magi illi. Crediderunt ergo verbis Marnonis & voluerunt propter nos succendere nauem. Verùm missi à Cæsare, videntes eorum malam voluntatem, dixerunt, viri Epidauritæ, videte ne quid mali his hominibus inferatis, quia

rincipis Domitiani edicto eos in insulam Pathmon duimus, vbi eos exilio damnari iussit. Audientes autem iri Epidauritæ doluerunt, ab incœpto desistentes, & stenderunt illis commissi litteras edicti regio sigillo moitas. Quibus Epidauritæ, Si ergo, inquiunt, principis dictum est, cur eos non constringitis ferro, ne forsan suâ nalitiâ vos eludant, effugiantque è manibus vestris, & n vos principis iracundiam prouocetis? Nam maleficis rtibus edocti, pestiferi sunt homines, & suis molestiis, uaque simulatione multas perdiderunt animas, multosjue peremerunt, quorum alter nomine Ioannes, homo nendax est, & omni supplicio dignus. Audientes autem ıæc qui legati fuerant, mirabantur super verbis illis: ıam verbis dolosis eos deceperat Marnon. Et rogauit os Marnon, vt comederent cum eo. Epulis sumptis, & Marnone osculato, redierunt in nauem effrænes, & beneficiorum, quæ à Ioanne magistro meo acceperunt oblii, denuò eum in districtis ferreis vinculis posuerunt, & ictum quem priùs, nobis instituerunt.

CAPVT XVIII.

B. Ioannes dysenteriâ, profluuióque sanguinis moribundum sanitati restituit.

DEinde illinc nauigantes, peruenimus Myrrh. * vbi septem dies ob infirmitatem vnius militis perstitimus: dysenteriâ enim profluuioque sanguinis vehementer laborabat, octauâ autem die inter eos orta est contentio. Dicebant enim non est bonum nos hîc diutiùs immorari, quia præceptum habemus, vt proficiscamur, & iter absoluamus incœptum. Nam iussiones regis & mandata nobis diligentiùs sunt prosequenda? alioquin qui negligentiùs illa curabit, timendum illi est ne pœnam pro salute recipiat. Alij contra dicebant, nequaquam honestum est vt collega noster in tantâ necessitate destituatur. Nam protinus mors derelictum occupabit: neque est qui maris ferre possit molestias: satius igitur videtur, vt adhuc paucos dies illum præstolemur, donec quid de eo faciendum fuerit tunc honestè videamus, sicque magna inter eos contentio suborta est. Videns autem Ioannes, quia contentio hæc inter eos sine vtilitate esset, dixit mihi, fili mi Prochore, vade, dic infirmo illi, vt in nomine Domini mei Iesu Christi veniat ad me. Accessi igitur ad eum, & verba quæ mihi præceperat Ioannes magister meus, dixi, & continuò surrexit, & mecum venit ad Ioannem. Cui Ioannes, dic, inquit, sociis tuis, vt soluamus hinc, & de loco isto nauigemus. Nec mora: ille qui septem iam dies laborans, ferè nihil ob infirmitatem susceperat alimenti, hortatus est socios, vt inde soluentes nauigarent festinanter, eò quòd à dolore morbi euaserat liber & incolumis.

CAPVT XIX.

Milites pro magnitudine miraculorum soluere B. Ioannem volunt, quod ipse recusat.

ILlinc igitur soluentes, venimus in quendam locum, qui Liphon vocabatur, & sæua procella sex dies illic immorari coacti sumus. Locus autem ille dulci aquâ carebat, & penè omnes siti periclitabantur. Dixit autem ad me Ioannes, fili Prochore, mitte vas in mare in nomine Domini nostri Iesu Christi, & imple illud: Feci itaque vt mihi iniunxerat. Et iterum dixit mihi, funde per singula vasa, & imple illa aquâ maris. Feci autem sic. & omnia vasa impleui, & statim aqua quæ in ea missa est, inuenta est dulcissima; & communiter mirantis cunctis qui in naui erant, dixit, in nomine Iesu Christi crucifixi accipite & bibite: & accipientes cuncti biberunt, & mirati sunt vniuersi, & dixerunt adinuicem, quid faciemus, homini isti, quia signa multa & prodigia per ipsum facta videmus, Vadamus igitur, & soluamus eum a vinculis ferreis, & petamus ab eo indulgentiam & remissionem de malis quæ illi intulimus, ne fortè descendat ignis de cœlo, & nos omnes deuoret ac consumat. Accesserunt igitur ad Apostolum Dei, dicentes, homo Dei ne irascaris seruis tuis, quia præceptum regis facimus, & non valemus aliud facere. Veruntamen absoluemus te à vinculis, & quicquid præceperis nobis, faciemus. Et statim soluerunt Ioannem magistrum meum à vinculis. Quibus dixit Ioannes, ego nihil æstimo laborem & anxietatem huius mundi, sed anima mea multo exultat gaudio adimplere voluntatem & præcepta Dei mei Iesu Christi, qui crucifixus fuit propter nostram salutem. Hæc audientes milites prociderunt omnes in faciem suam, & dixerunt Apostolo Ioanni, Domine ecce omnia in tuâ sunt potestate: vade in pace vbicunque vis, liber: nos autem in regiones nostras nauigabimus. Quibus Ioannes habetis talem in principe vestro fiduciam, quòd si nos abire sinitis, iram eius non incurratis? Dicunt ei: Non, Domine. Dixit Ioannes, complete ergo ministerium vestrum secundùm regis edictum, & reponite nos in locum ab eo institutum, & tunc in regiones vestras reuertemini cum pace. Suscipiens autem postea Ioannes, de diuinâ Scripturâ docebat eos aliqua quæ erant de Filio Dei, & accepto verbo rogauerunt vt baptizarentur ab eo: & baptizauit in illâ die decem, qui aliis præerant, aliorum administratores. Et soluentes nauem, Lipho derelictâ, venimus in insulam Pathmon, & intrantes vrbem tradiderunt nos milites secundùm principis edictum illis qui nos recipere debebant. Rogauerunt ergo Ioannem administratores qui baptizari fuerant, vt sineret eos nobiscum in illâ insulâ remanere. Sed non permisit, dicens, filioli mei gratiam quam accepistis solummodò conseruetis, & locus nihil vobis nocebit. Fuerunt ergo nobiscum dies decem, & acceptâ benedictione gauisi, reuersi sunt omnes, vnusquisque in sua loca.

D. Ioan. soluitur à vinculis.

Benedictio.

CAPVT XX.

B. Ioannes Myronis familiam conuertit eiecto Pythonico spiritu Apollonidis.

ERat autem in illo loco vir quidam prædiues, nomine Myron, & illi vxor nomine Flora: quibus tres erant filij docti in arte rhetoricâ: & is qui inter eos maximus ætate erat, habebat spiritum Pythonem. Cùm ergo Myron suscepisset, nos in domum sua[m], cognoscens Filius eius, qui spiritum malignum habebat, potestatem Ioannis, fugit in aliam regionem, ne eiiceret ab eo Ioannes spiritum malignum. Agnoscens autem Myron quia filius eius fugisset, dixit vxori suæ, si homines hi boni fuissent, nunquam id accidisset nobis vt Filius noster fugisset, sed potius, sicut narrant multi, magi sunt & malefici, & domum hanc maleficio suo incantauerunt, & filium nostrum abiecerunt. Me miserum, Charissime fili, quomodo factus sum insipiens, vt magos duos intromitterem vt te perderem; Dixit autem illi vxor eius, si ita res se habet vt dicis, cur non eos de domo eiicis, ne fortè similibus maleficiis reliquos filios nostros dementent, & cogant à nobis discedere & petire? Cui Myron, non eiiciam eos, sed multâ tribulatione eos afficiam, donec faciant filium nostrum redire & nobis eum in hanc domum saluum restituant: postea verò punientur acerbè: erat enim Myron socer præsidis insulam Pathmon procurantis. Cognouit autem Ioannes per Spiritum sanctum quæcunque locutus est Myron ad vxorem suam. Et dixit mihi, Fili mi Prochore, id agnoscas Myronem hospitem nostrum mala multa aduersum nos moliri, quæ & intendit explere. Nam filius eius senior spiritum Pythonicum habet, & dum introissemus in domum hanc, timuit spiritus immundus ne eum eiiceremus, & fugit, & transtulit illum in aliam regionem, & propter hanc causam Myron contra nos animo est infenso: sed ne concidat animus tuus super malis venientibus, quæ inducet Myron super nos. Dum autem fermè hæc ad me loqueretur Ioannes, superuenit Epistola à filio Myronis directa in hunc modum, * Patri & matri, Apollonides salutem. Magus quidam nomine Ioannes, quem in domum vestram induxistis,

B. Ioannis aduentu fugatur Pythonicus.

dum

dum rem nefariam præstigiis suis patraret, & inuideret bono quod in me erat, spiritus quidam ab eo missus est, & me persecutus est vsque in hanc ciuitatem, & vbi multa pertuli pericula, inueni Cynopem candidum & benignissimum conductorem, qui mihi multa narrauit quæ in me facta sunt, & quomodo acciderant. Et dixit mihi, fili mi Appollonides, nisi interfectus fuerit magus ille Ioannes, non poteris amplius in regione tuâ habitare, non poteris amplius domum tuam videre. Quare pater, nunc filius tuus te precatur, compatere filio tuo, & interfice magum illum Ioannem, vt citò tuis, patris mei & maternis & duorum fratrum meorum desideratis fruar amplexibus, valete. Auditâ igitur hac Epistolâ, quæ missa est à Filio suo Apollonide, statim nos conclusit Myron, & cum festinatione profectus ad præsidem ostendit illi litteras, quas ad se miserat filius suus Apollonides. Accipiens ergo præses litteras, legit & aduersum nos exacerbatus eò magis est, quò in parte Epistola nomine Cynopis fuerat conscripta. Nam omnes qui Pathmon habitabant, ipsum Cynopem tanquam Deum quendam habebant propter magna eius ludificamenta. Suasus igitur præses verbis Myronis & Apollonidis filij eius, iussit Ioannem exhiberi feris; & continuò capti sumus ex domo Myronis, & ducti in carcerem publicum, post triduum verò deduxerunt nos in prætorium. Dixit autem præses ad Ioannem, Pius Imperator noster Domitianus te * condemnationes iudicauit, remisit tamen & non interfecit: volens autem te emendatum reddere & sobrium, in hanc insulam te misit, & ecce maiora hîc incipis perpetrare flagitia quàm Ephesi. Nam eiecisti filium soceri mei, meumque affinem: Responde ergo mihi properè, priusquam pœnas luas: & fac vt redeat affinis meus: & dic quem ritum sequeris, quem professus es, & ex quâ regione ad nos veneris! Respondens autem Ioannes dixit, Ego Hebræus sum, seruus Iesu Christi filij Dei viui, qui crucifixus est & sepultus est propter hominum peccata, qui & resurrexit tertiâ die à mortuis, ipse verò me misit euangelizare omnibus gentibus, vt credant in eum, & habeant vitam æternam. Cui præses, piissimus Imperator iussit te hac occasione exulare, & iterum contra te alia verba profers. Disce ô stultissime Deos honorare, & colere immortales, & legibus imperatoriis obsequere, & neque Deum prædica hominem, qui ob multas seditiones morti adiudicatus est. Beatus verò Ioannes dixit, ego eundem semper veneror immortalem, & illum annuntio his qui cupiunt sobriam agere vitam. Præses dixit, non opus habemus his multis quæ profers fabulamentis. Nam præceptum tibi est, vt ab hac prædicatione desistas: interim Apollonidem sanum in hanc ciuitatem restitue, & redde domui suæ. Dixit Ioannes, à prædicatione quam facio non possum desistere, per quam expecto mercedem salutis æternæ, quæ mihi reposita est in fine laboris mei, quam reddet mihi ille quem dilexi, in quem credidi magister meus Christus, qui est benedictus in sæcula. De amico autem tuo Apollonide, si quicquam aduersum me petis, nihil mihi conscius sum in eum aliquid commisisse. Verùm si finis, ego pro eo discipulum meum mittam, & ipse illum adducet ad te, & si quid habet aduersum nos, ille nos accusabit coram te. Iussit ergo præses ita fieri, & interim Ioannem arctissimè catenis duabus teneri vinctum. Dixit Ioannes ad præsidem, permitte me priùs Epistolam ad Apollonidem scribere, & post, me mitte in catenas. Permisit autem præses, & Ioannes scripsit Epistolam hæc continentem. Ioannes Apostolus Iesu Christi filij Dei viui spiritui pythoni qui habitat in Apollonide, Præcipio tibi in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, vt exeas à creaturâ Dei, neque vlterius introeas in eum, neque habites in insulâ istâ: sed secede in locum inaquosum, quem nulli habitant hominum: Et hæc ego Ioannes tibi præcipio in nomine sanctæ Trinitatis. Hanc epistolam ego Prochorus suscepi, & abij in vrbem, vbi diuersabatur Apollonides: erat autem spatium miliarium sexaginta. Et ingressus ciuitatem, ipsum requisiui, post biduum ipsum reperiens, statim vt accessi, spiritus immundus discessit ab eo. Et exeunte spiritu immundo, Apollonides continuò factus est sui compos, & humanâ consuetudine intelligens, & sciens, dixit mihi: Quare huc venisti bone discipule benignissimi magistri? Ego autem respondi: vt prudentiam tuam accerserem, & te ad præsidem sororium tuum ducerem, & in domum tuam, & ad tuum dilectissimum patrem. Statim ergo iussit parari equos, & iussit me ascendere, & ex ciuitate exeuntes, nos ad iter accinximus & dum peruenissemus in vrbem, interrogauit me Apollonides, vbinam esset mansio magistri mei; Ego verò inquio illi, præsidem illum catenis duabus vinctum in carcerem coniecisse. Audiens autem Apollonides neque domum est ingressus, neque ad præsidem est profectus, neque quenquam de notis suis est allocutus: sed duxit me ad carcerem, & pulsanti illi custos carceris aperuit, illi ad pedes, cùm eum cognouisset esse Apollonidem, se inclinans. Ingressus ergo Apollonides, vbi vidit Ioannem, pronus adorauit in terram. Ioannes verò illum erexit, & dixit, fili, Deus te benedicat: & statim Apollonides soluit Ioannem à vinculis, & dixit custodi carceris, Si Præses quicquam tibi dixerit, & quare soluisti eum; Dic illi, quoniam Apollonides venit, & soluit eum. Et duxit nos in domum suam. Erant autem Pater, Mater, & Fratres eius luctum facientes pro absentiâ Apollonidis, Cæterùm vt eum viderunt, surrexerunt omnes præ gaudio, & ipsum cum lachrimis amplexati osculati sunt eum. Et dixit Pater, quid tibi factum est fili, quia de domo meâ effugeris, & mihi, & Matri tuæ & fratribus tantum luctum reliqueris; Respondit Apollonides: Domus nostra plena peccatis & sceleribus fuit, in quam dum introisset dilectus Deo Apostolus Christi Ioannes, ignorauimus quis esset, & qui eum miserat, & etiam ille qui missus est an à Deo esset an ab aduersario & maligno. Veruntamen, Pater, factum est vt dimisso eo cognouerim ab aliis quis esset, & quis eum misisset, priusquam reuerterer? Hæc audiens Myron credidit filio suo, & dixit: Fili mi, si res ita se habet, vadamus ad præsidem, & annuntiemus ei hæc, quoniam me conscio misit Ioannem in carcerem. Dixit autem Appllonides, noli de hac re, optime pater, esse sollicitus, Ioannem iam solui, præses gener tuus est, & vult quæcunque voluerimus. Et Apollonides introduxit Ioannem. Ad quem conuersus dixit, annuntia nobis optime magister, aliquod verbum nobis vtile, per quod accipiamus à te lumen æternum. Ioannes verò dixit, volo priùs nobis narres, cur hanc domum deseruisti, & in aliam te vrbem contulisti. Tunc suscepit Apollonides causam fugæ suæ hinc narrare: Non (inquit) patrem, neque matrem fugi, quod exactis iam pluribus annis dum in lectulo dormiens requiescerem, venit quidam, & tetigit me, & ego protinus excitatus vigilaui, & vidi illum qui me excitauerat, erantque oculi eius grandes vt faces ardentes, & facies eius sicut fulgur, & dixit mihi, aperi os tuum, statim vt aperui os, introiuit per os meum in ventrem meum, & impleuit ventrem meum: & ex illâ die cognoui omnia mala, & bona quæ domui nostræ accidebant: & non solùm ista, sed quæ mihi necessaria erant, dicebat. Et veniebant ad me omnes, & negotiorum suorum quæstiones proponebant, sed cùm in hanc domum ingressus es, dixit mihi. Apollonides, hic homo magus est, & ille verò nusquam me permisit, dicens mihi, si Ioannes non interficiatur, nequaquam poteris vnquam in domum tuam regredi. Interrogaui etiam Cynopem, & hæc eadem mihi asseruit. Verùm vt discipulus locum ingressus est vbi morabar, illicò vidi illum qui per os in me ingressus fuerat, in eadem formâ quâ intrauerat, egredi. & continuò sensi me à multo labore liberatum, & magnâ consolatione ac lætitiâ repletus sum, & gratificatus sum discipulo. Dixit autem Ioannes Apollonidi: Fili, hæc est vna de virtutibus & beneficentiis Iesu Christi Filij Dei, qui crucifixus pro nobis, & qui resurrexit. Ille verò qui corpus tuum subintrauit, spiritus erat Pythonicus, qui cùm ingrederemur in domum tuam, eiecit te de eâ, ne eum à te expelleremus, & cogeremus eum per vir-

Cynops magus insignis.

** Drost quidpiã.*

Epistola B. Ioannis Pythonem eycit.

tutem Iesu Christi. Nunc autem, fili mi, non solùm per increpationem & viri Dei virtutem restitimus maligno immundoque spiritui, sed etiam per epistolam nostram illum eiecimus. Et accepit à me Ioannes epistolam, quam aduersus spiritum Pythonem miserat, & illam Apollonidi exhibuit. Quam cùm legisset, assumpto Ioanne & me, & fratribus, profectus est ad præsidem ciuitatis, & illi omnia enarrauit, & quæcunque à spiritu nequam fuerat perpessus, & quo pacto, beneficio Ioannis Apostoli Iesu Christi, & Prochori discipuli eius, fuerat liberatus. Hæc cùm audisset præses, capite inclinato nobis gratias egit, & ex illo tempore multùm dilexit Ioannem magistrum meum, & eo tandem dimisso, in domum Myronis reuersi sumus.

CAPVT XXI.

Baptizat D. Ioannes familiam Myronis & Chrysippam vxorem Proconsulis Insulæ Pathmos.

IOannes autem repletus Spiritu Sancto cœpit eis narrare magnalia Dei, & instruxit eos diuinis scripturis, & rogauerunt eum vniuersi vt baptizarentur in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti; & baptizauit Ioannes in die illâ omnes qui erant in domo Myronis. Et vxor præsidis, Myronis filia: cui nomen erat Chrysippa, videns patrem, matrem, & fratres suos in Filium Dei credentes, dixit viro suo: En tota domus patris mei credit in Deum crucifixum, quem Ioannes prædicat, cupio ergo vt credamus, & glorificetur domus nostra, sicut domus patris mei: & dum in potestate constitutus es, & amplius habes, adiuua nos aduersus illos qui Ioannem institutorem nostrum persequuntur. Cui respondit vir eius, mihi id non licet quod suades, dum prouinciæ magistratum gero. Nam secta Christianorum omnibus hominibus non solùm regibus contemptui & execrationi habetur, & cæteri homines vbi viderint Ioannem & alios Christianos; domum meam & domum patris tui frequentantes, tanquam suspicantes nos esse Christianos, nos habebunt despectiui, & orientur dissensiones, & domos nostras succendent, me magistratûs administratione priuantes. At verò si senserint me ritum eorum seruare etiam propter me cæteris vobis exhibebunt honorem. Nam dum magistratum gererem in Græciâ, in aperto ritus eorum sum secutus, in occulto tamen illis qui credebant in Christum, benefaciebam. Dum ergo expleuero præfecturæ tempus, accommodatius erit vt efficiar Christianus. Tu verò tecum assume filium nostrum, & ingredere domum patris tui, & ausculta diligenter doctrinam Ioannis, & tu, & filius tuus baptizamini, conseruantes præcepta Christi. Vide ne despicias vnum de verbis illis quæ loquitur Ioannes, neque mihi renunties quæ annuntiabit tibi priusquam efficiar Christianus.: Nam si leges Græcorum damnant eos qui deorum suorum mysteria pandunt, quantò magis Christiana, quam prædicat Ioannes Christi Apostolus? Apostolus illos damnat, qui reuelant arcana Dei sui. Custodi ergo charissima, teipsam & filium nostrum vnicum. Et hæc cum dixisset Chrisippa continuo discessit à viro suo & assumpto filio suo venit in domum Myronis patris sui & ingressa prona salutauit Ioannem, & Patrem & matrem & fratres suos. Quo facto dixit ad eam Ioannes quâ ex causâ ad nos venisti filia? Quæ respondit huius rei causâ optime magister, vt per te glorificetur domus mea sicut & domus patris mei. Et ait illi Ioannes rectum faciat Deus cor tuum in seipso, & cor viri tui & filij tui, & conseruet vniuersa quæ in domo tuâ sunt. Et procidens Chrysippa ad pedes Apostoli adorabat & dicebat, optime magister, da mihi signaculum Christi, & filio meo, & efficiamur participes domus patris mei. Respondit Ioannes, priùs eamus, & alloquamur virum tuum, vt cum eius consensu purificeris. Tunc Chrysippa cœpit illi narrare vniuersa quæ audierat à viro suo. Et gauisus est valde Ioannes cùm audiuit cõsensum præsidis, & catechizauit eam, & filium eius, & dicens præcepit omnia præcepta fidei Christianæ seruare, & baptizauit eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Videns autem Myron, quòd filia cum filio credidisset in Christum, gauisus est, & attulit multam pecuniam coram filiâ dicens: Adsunt bona, filia, quæ poterunt nobis sufficere, ne (precor te) domum meam & mensam amplius deseras, neque tu amplius cum filio tuo cures in domum tuam redire, ne inter te & virum de Christo oriatur contentio. Cui Chrysippa dixit: Si vis Pater, vt tecum maneamus, sit hæc pecunia semper tua: ego verò cum filio in domum transiens vbi auri argentique multum congestum habemus, & hinc quantum nobis necessarium fuerit sumens, ad te in domum tuam reuertemur, & vnus & idem erimus. Hæc autem audiens Ioannes dixit Myroni, nequaquam licet quæ tu & Filia tua condicitis: Nam Christus neque iussit neque misit me separare vxorem à viro suo, neque virum ab vxore; reuertatur ergo filia tua cum pace in domum suam, præsertim cùm ipsa in Christum crediderit consciente marito. Confido in Domino qui me misit magnalia sua euangelizare, quòd vir suus Christo annumerabitur: pecuniam autem, de quâ inter vos sermonem fecistis, pro Christo erogetis pauperibus, sicut dicit scriptura, qui pauperi tribuit, Deo tribuit, & secundùm datum eius retribuetur ei. Dixit enim Dominus Iesus, miseremini & miserebitur vestri: eâdem enim mensurâ quâ mensi eritis, remetietur & vobis. Et his dictis remisit Ioannes Chrysippam & filium eius ad præsidem virum suum, & nos remansimus in domo Myronis. In crastino autem protulit Myron thesaurum suum ad pedes Apostoli Ioannis, & dixit, suscipe Domine mi, pecuniam hanc, & diuide pauperibus. Dixit autem illi Ioannes, grato animo excipio propositum tuum, quod ex Dei amore prouenire cognosco. Et nunc quæ tua sunt, in tuâ prouidentiâ relinquo, distribue ea manibus tuis, illis qui opus habebunt. Myron autem secundùm Apostoli præceptum pauperibus & egenis sua distribuebat, & multiplicabat ei Deus omnia quæ in domo suâ erant, & cum gratiarum actione gaudebant in Domino vniuersi, quia distribuebatur vnicuique vt opus erat.

Baptizatur familia Myronis.

Chrysippa à D. Ioan. baptizatur.

Fides non dirimit matrimonium.

Prou. 28. Matth. 19. Matth. 4.

Myron sua multiplicat, dum pauperibus erogat.

CAPVT. XXII.

Basilius Tribunus cum vxore credit, quæ fœcunda fit ex sterili.

ERat autem in ciuitate illâ quidam diues homo, cui nomen erat Basilius, & nomen vxoris eius Charis, quæ erat sterilis. Is autem venit ad Rhodonem nepotem Myronis, cui dixit: Quidnam factum est vt Myron auunculus tuus ita peregrino isti consentiat, vt neque nobiscum sedeat, neque recipiat, neque sermones communicet; Dixit illi Rhodon: Doctrinam eius sanam agnoscimus, & nos cum multis eum libenter audimus. Dixit Basilius, cùm tanta de eo audiam, dicat vt vxor mea filium pariat: Cui Rhodon, dico tibi Basili, quia potens est hoc in nomine Dei sui facere. Hæc audiens Basilius properauit festinanter ire in domum Myronis, vt Ioannem videret: Interrogauit igitur si Apostolus Christi illic hospitaretur: Intelligens autem ita esse, dixit puero se velle alloqui Ioannem, qui nuntiauit Myroni, & Myron Ioanni dicens: Basilius tribunus quidam pro foribus stans te cupit alloqui. Hæc audiens Ioannes continuò surrexit, & processit illi obuiam. Basilius verò se illi pronus humiliauit. Cui Ioannes dixit: Impleat Deus omnes petitiones cordis tui in bonum: & beatus homo qui non tentauit Deum in corde suo. Israelitæ enim tentauerunt Dominum ad aquas contradictionis, & eduxit Dominus de petra aquam vt fluuium, ita vt de eâ biberent increduli: panem etiam Angelorum dedit eis ad vescendum, & ipsi tanquam ingrati & talem cibum fastidientes petierunt carnes ad edendum, & audiuit Dominus voces eorum, & dedit illis ingratis & duro corde carnes in abundantiâ, ita vt verterentur eis in abominationem, tu verò Basili, noli tentare Dominum, sed firmiter crede in eum, & ipse vxorem sterilem visitabit, & omnes

Basilius tribunus credit in Christũ.

Num. 20. Deut. 32. Num. 23.

petitiones

petitiones tuas implebit. Videns autem Basilius quia cuncta quæ erant in corde suo aperuit, obstupuit & admiratus est vehementer. Cui iterum dixit Ioannes: Fili Basili, crede in Iesum Christum Filium Dei, & omnem voluntatem tuam propter fiduciam tuam dabit tibi. Respondit Basilius, Credo vt dixisti, sed & nunc te obsecro, roga Deum tuum, vt vxor mea habeat filium. Cui Ioannes, dixi tibi crede, & agnosces gloriam Dei. Et dum benè instruxisset eum, exiuit Basilius è domo Myronis, & abiit gaudens in domum suam, nuntiauitque cuncta quæ audierat à Ioanne vxori suæ: quæ non multò pòst cum viro suo accessit ad Ioannem, proni venerantes eum. Et dixit Ioannes ad vxorem Basilij: Charis, gratia Dei illuminet cor tuum, & cor viri tui, & tribuat tibi fontem vteri tui bonum. Et cùm multâ diuinarum scripturarum prædicatione confirmasset corda eorum, requieuit gratia Dei super illos: & rogauerunt vt baptizarentur? & baptizauit eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et rogauit Basilius Ioannem, vt intraremus domum suam, & maneremus apud eum: sed non permisit Myron vt abiremus, nisi vt tantùm Ioannes domum Basilij benedixisset, orans nos quàmprimùm in domum suam reuerti fecimus ita, & orationibus Ioannis vxor Basilij peperit ei filium, & vocauerunt nomine magistri mei Ioannem, & facta est lætitia magna in totâ eius familiâ. Et priusquam natus esset puer, ipse & Charis vxor eius obtulerunt Ioanni magnam pecuniam, vt distribueret in digentibus. Ioannes autem dixit Basilio, vade fili mi in domum tuam, & vende ea quæ tua sunt, & habebis thesaurum in cœlo.

Benedicitur domus.

Nomen Apostoli imponitur infantulo.

CAPVT. XXIII.

Rhodon deposito proconsulatu baptizatur.

CVmque vir Chrysippæ filiæ Myronis duos annos in præfectura complesset, depositus est, & alteri commissa est administratio. Veniens igitur in domum soceri sui dixit ad Ioannem: Perturbatio rerum huius mundi afflixit animam meam, & priuauit me auro multo, & argento, & bonis quàm plurimis: veruntamen rogo sanctam animam, vt baptizes me, & purifices à delictis meis. Ioannes autem consolatoriis verbis confortauit eum, & confirmauit verbis diuinis, & sanctâ doctrinâ instruxit, monuitque vt toto corde crederet in Iesum Christum crucifixum, saluatorem omnium, & baptizauit eum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & baptizatus reuersus est in domum suam.

CAPVT. XXIV.

Cresi Iudicis filius liberatur à dæmonio & baptizatur.

ERat in eâdem ciuitate homo quidam nomine Cresus, & vxoris nomen Selene, quibus erat vnus filius, qui vexabatur à spiritu immundo, & Cresus iudex erat in ciuitate illâ. Vt ergo audiuit Ioannem magnas virtutes in nomine Iesu operari, assumens filium suum venit in domum Myronis. Quem vt vidit Ioannes, dixit: Crese, peccata tua filium tuum perdunt: Si in Deum verum credideris, magna ab eo percipies beneficia, laudemque mereberis. Noli in iudicio contra animam tuam faciem personarum acceptare, & sic adimplebis Dei mandatum: & his dictis Cresus dixit, Domine quid me oportet facere, vt filius meus saluus fiat, & liberetur à spiritu immundo? Dixit Ioannes, Crede in Iesum Christum crucifixum, & curabitur filius tuus: & dicit Cresus, Credo Domine, tantummodò sanetur filius meus. Tunc apprehendens Ioannes per dexteram filium eius, ter cum signo Crucis signauit: & eiecit ab eo dæmonium. Videns autem Cresus quod fecit Ioannes signum, procidens ad pedes eius adorauit eum. Et incipiens Ioannes de dictis sanctarum scripturarum, catechizauit eum; & ille glorificans Deum, & confitens Iesum Christum verum Deum esse, & se credere in eum, abiit in domum suam, & rediens assumpta vxore suâ, & filio, & pecuniâ multâ reuersus est ad domum Myronis ad Ioannem Apostolum, dicens: accipe Domine, pecuniam istam, & da mihi, & vxori, & filio signum Christi. Dixit ei Ioannes, signaculum Christi pecuniâ non eget, sed fide legitimâ. Vide ne talia cogites, sed redi in domum tuam, & da pauperibus. Cùmque ita factum fuisset baptizauit eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & dimisit eos abire in domum suam in pace.

Cresi filium dæmoniacũ sanat D. Ioannes.

CAPVT. XXV.

B. Ioannes verbo disiicit Apollinis templum; proinde caditur à sacrificulis & comprehenditur.

POstquam apud Myronem tribus annis mansimus, in quem locum conueniebant qui crediderant, vbi & eos docebat & baptizabat, exiuimus à domo Myronis, & venimus in publicum locum, vbi constructum erat templum Apollinis, vbi erant congregatæ turbæ multæ, & alloquitur eos Ioannes. Quidam credebant iis quæ audiebant, & quidam dissentiebant. Erant autem in eodem loco Sacerdotes Apollinis, qui dixerunt iis qui audiebant Ioannem: Viri fratres & amici, cur attenditis verbis & ludificamentis hominis istius, & obsequimini fallaciis eius? nónne propter maleficia sua exulat in hac insulâ? Quomodo excæcata sunt corda vestra nescientes veritatem? næ auscultando virum, grauem magnis diis facitis iniuriam, qui immortales Deos afficit contumeliâ, & præcepta imperatorum contemnit. Ioannes hæc audiens dixit Sacerdotibus Apollinis: vt intelligant omnes quoniam dij vestri non sunt dij, ecce ex nunc relinquetur vobis domus hæc deserta: & statim hoc dicto verbo secuta est templi ruina, neque lapis in eo remansit, nullus tamen circunstantium periit, neque eorum quisquam læsus fuit. Videntes autem id Sacerdotes, irruerunt in Ioannem, & multis illatis plagis sauciauerunt, & recluserunt eum in tenebrosum & obscurum locum, & addentes excubias ad eum custodiendum, & abeuntes annuntiauerunt præsidi dicentes: Ioannes seductor ille & magus maleficiis suis templum magni Dei Apollinis subuertit: ne sinas tantam in deos immortales contumeliam inultam. Hæc audiens præses, contristatus est valde, & iussit vt mitteremur in carcerem. Cùm autem hoc peruenisset ad Myronis & Apollonidis cognitionem, abierunt ad Acdam, qui tunc erat præses, & in locum viri Chrysippæ suffectus, & erat de Synope quæ est in Ponto colens Appollinem. Vbi verò ingressi sunt, dixerunt præsidi, oramus benignitatem tuam, vt reddas nobis Ioannem peregrinum, & si quid aduersus eum habes, in nobis sit si dignus mortis inueniatur: si autem nihil dignum mortis comperiatur, quid in eum tam seuerè animaduertis? Dixit præses: audio virum magum esse, & cunctis hominibus perniciosum atque maleficum: quid ergo si susceperitis eum & magiâ suâ effugerit à vobis? Respondit Apollonides si effugerit à nobis, vita nostra pro vitâ suâ sit, & bona nostra sint tua. Et illico præses annuit eis eorum voluntatem fieri, quia Myron & Apullonides viri prudentes & percelebres erant inter vniuersos qui in vrbe illa morabantur. Ingredientes igitur carcerem soluerunt vincula Ioanni & induxerunt nos in domum eorum, & Myron gaudens dixit Ioanni, sedeas nunc nobiscum in domo serui tui, & ne secedas in vrbem, quia homines maligni sunt & violenti, ne fortè te cum Prochoro discipulo tuo interficere attentent. Respondit autem Ioannes, non misit ô Myron Dominus Iesus Christus, vt quiescam in domibus, sed misit me ad iniquos & violentos dicens: Ecce ego mitto vos in medio luporum: Nolite ergo eos timere qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: & iterum dixit nobis, quia oportet nos per multas tribulationes intrare regnum Dei, & nos etiam habuimus possessiones & domos, sed dixit nobis Dominus: Relinquite omnia & sequimini me, & nos omnibus relictis secuti sumus eum. Et paratus sum non solùm alligari, flagellari, & haberi

Templi Apollinis ruina.

Matth. 11. Act. 14.

derisui propter nomen suum, sed millies occidi, & in omnibus patientiam habere, nec ab hac doctrinâ discedam, donec cursum vitæ huius impleuero; sæpè enim dixi vobis, moriamur pro eo, vt per eum liberemur à morte perpetuâ, quæ comprehensura est eos qui non credunt in eum. Et cùm hæc dixisset Ioannes, non diu stetimus apud Myronem, sed exiuimus ab eo.

CAPVT. XXVI.

Apostolus Rhodonem proconsularem virum baptizat, dæmoniacum sanat, & paralyticum.

VEnimus autem ad quendam locum in quo decumbebat paralyticus, qui transeuntibus de bonis suis distribuere solebat. Dixit autem ad Ioannem, bone Christianorum magister, ne pertranseas seruum tuum. Dixit illi Ioannes: quid vis vt faciam? Paralyticus, Panem habeo, & condimenti paululùm, ne confundaris mecum sedere & sumere cibum, sed annue, precibus serui tui. Nam peregrinus ego sum, in quo collecta sunt omnia parentum delicta, me, vt hic maneam, constringentia: vt pro me & ipsis dicam hic agam pœnitentiam, & cùm video peregrinum, illi compatior, & in eo requiescit anima mea, & hæc audiens Ioannes miserans sortes eius, condoluit & dixit paralytico, & nos modò tecum exultabimus & lætabimur, & tu pariter nobiscum, & cum eo bibimus & comedimus, & abeuntes ab eo, occurrit nobis mulier vidua, quæ dixit Ioanni, Domine vbi est Templum Apollinis; qui dixit: quid tibi cum Templo Apollinis? quæ dixit: vnicum mihi filium spiritus malus corripit, & sæuissimè vexat: idcircò huc veni, vt rogarem Apollinem vt mihi succurrat, & inueniam aliquam consolationem: Ioannes dixit, de quâ ciuitate es? quæ dixit, de nullâ, sed pagana mulier ego sum, nunquam ciuitatem nisi nunc ingressa. Dixit Ioannes, quot dies iam spiritus malignus eum vexat? Respondit mulier, iam tres & triginta, & multùm sæuus est & violentus. Cui Ioannes, reuertere mulier in domum tuam: Nam in nomine Domini mei Iesu Christi sanabitur puer tuus, & reuersa mulier in domum suam, inuenit filium à spiritu immundo liberatum. Postea reuersi sumus in eundem locum vbi iacebat paralyticus, & dixit Ioannes: Ecce nunc tecum venimus ad prandium, quis ergo ministrabit nobis? Et dixit paralyticus, dum ad vos fatigandos primum inuitaui, & vt mihi ministraretis & vos nunc ministrabitis, quia neque mihi neque vobis valeo ministrare. Dixit autem Ioannes, nequaquam ita erit, sed tu ministrabis nobis, & tenens manum eius erexit eum dicens, in nomine Domini nostri Iesu Christi surge, & continuò surrexit, sanus factus & incolumis, & magnificans Deum ministrauit nobis. Quo facto reuertimur in domum Myronis, in quâ inuenimus Rhodonem nepotem eius: & rogauit Ioannem vt daret ei signaculum Christi, & ille instruens eum baptizauit, in nomine sanctæ Trinitatis. Postea autem venit peregrinus ille qui fuerat paralyticus, & ingressus procidit ad pedes Ioannis. Videntes verò qui aderant, factum sanum, valdè admirati sunt, & interrogarunt eum, quonammodo factus esset sanus: qui statim omnem modum suæ sanitatis aperuit, ideò veni, inquit, rogare Ioannem, vt mihi det illuminationem Christi, in cuius nomine saluum me fecit. At Ioannes docens eum, & de fide Catholicâ confirmans, baptizauit illum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Dæmoniacus mundatur.

Paralyticus sanatur.

CAPVT. XXVII.

Charus Iudæus blasphemans redditur mutus, dein resipiscens tingitur.

SEquenti die exiuimus è domo Myronis, & venimus in locum quendam maritimum, vbi erat officina fullonum. Vnus autem eorum Iudæus, nomine Charus, ex scripturis Mosi alloquebatur Ioannem. Ioannes verò illi scripturam secundùm spiritum aperiebat, & narrabat ei quæ de filio Dei scripta erant, de incarnatione, de passione, sepulturâ, & resurrectione ex mortuis, de ascensione ad cœlos, & de sessione ad dexteram patris: & de glorioso aduentu eius ad iudicium: Charus autem hæc omnia conuertebat in blasphemias. Tunc Ioannes dixit illi: desiste blasphemare, & obmutesce: & continuò Charus factus est mutus, nec potuit vllo modo loqui: Viri autem qui aderant, mirati sunt quomodo solo verbo tam citè secuta est sententia. Effluxis fermè tribus diebus, venit turba amicorum Chari ad Ioannem, indignata & succenseos Ioanni, dicentes: Quid effecisti Charo qui amicus noster est, vt efficeretur mutus, & loqui nullo modo potens? Quibus respondit Ioannes: viri fratres quid mihi succenseris, & imputatis quòd ipse per verba eius maligna Dei omnipotentis incurrerit indignationem, & induxerit super se vindictam quam modò sustinet; Qui enim non consentit de Deo loquenti, non protinus debet more canis insurgere, sed cum patientiâ audire, & postmodùm quæ rationabilia videbuntur ad id propositum adducere. Tunc quidam inter eos qui sapiens videbatur, dixit: Magister, aliquando contingit vt vinum non habeat suauitatem, nec lac dulcedinem: sic & de hominibus euenit, vt malus homo bona verba emittat, & bonus aliquando mala. Et cùm hoc dixisset, innuit Charo, vt veniam peteret à Ioanne: qui statim concidens ad pedes eius; alter qui inter eos sapiens videbatur, dixit: Magister, vt benignus es, nunc dissolue, quæ ligasti. Dixit autem Ioannes ad Charum, quia in Deum peccasti, sicut in nomine Iesu Christi os tuum clausum est, ita & in nomine eius aperiatur: & continuò locutus est Charus Iudæus, & prostratus ad pedes eius dicebat: veridice Magister, scimus per scripturas, Patres nostros olim Deum ad iracundiam prouocasse: Ille verò pro suâ clementiâ & benignitate remisit eis delictum etiam si peccaui in Deum qui te misit in hanc insulam, ora pro me vt remittat mihi hoc peccatum, da mihi seruo tuo baptismum gratiæ. Tunc Apostolus eum catechizauit, & instructum baptizauit in nomine Patris, & Filij, Spiritus sancti.

Iudæus blasphemans obmutescit.

CAPVT. XXVIII.

Cynops Magus ostentis & præstigiis multa in B. Ioannem committit.

DVm hæc ab Apostolo Christi in Pathmo agerentur, morabatur in eâdem insulâ magus quidam nomine Cynops, & locus eius ab vrbe distabat stadiis quadraginta in loco deserto, habitabatque in speluncâ quæ erat immundorum spirituum habitaculum, & quadraginta in loco habitare fama erat. Prædictum tamen magum propter præstigias & ludificamenta dæmonum quæ ostentabat, omnes in insulâ commorantes vt Deum habebant. Ad hunc igitur magum confugerunt Apollinis Sacerdotes postquam viderunt Ioannem liberè docere & prædicare, & dimissum à præside, neque coërcitum post templi Apollinis euersionem, quod dirutum fuerat à Ioanne. Et dixerunt illi, per multos annos te in hac insulâ consuluimus ô charissime Cynops, nunc autem magis tuo adiutorio quàm vnquam anteà egemus, ob hoc te precamur, esto tutor & defensor in hac tribulatione quæ accidit nobis. Nam Ioannes peregrinus quidam, & à patriâ suâ exul, & ob maleficia sua in hanc insulam exilio damnatus, omnes principes & præfectos nostros ita maleficio cœpit, vt omnes ad ipsum declinent: quâ fiduciâ fretus multas in ciuitate excitat seditiones, & templum Apollinis subuertit; quæ cùm præsidi nuntiassemus, iussit eum in carcerem claudi: sed Myronis & Appollonidis precibus, liber consentiente præside factus euasit. Nunc ergo succurre nobis, & occurre illi quia passim omnes quasi errantes oues ad illum excurrunt, & illi obediunt: ergo nobiscum venias precamur, tolle maleficia. Audiens autem à Sacerdotibus hæc Cynops, dixit eis; Scitis quia

Cynops magus.

locum hunc nunquam egredior, cur ergo tentatis me hinc abducere; Quia sic expedire videtur, & vt nos adiuues te omnes obsecramus. Quibus Cynops, nónne vultis vt gloriam meam contaminem; & nomen meum inhonorabile reddam & maculem tantam ciuitatem propter homuncionem vnum intrando, & personam contemptibilem, quam hactenus nunquam intraui? Nequaquam ita erit, sed cras mittam Angelum malum in domum quam inhabitat, qui ab eo animam tollat & auferat, & ego eam mittam in iudiciũ sempiternum. Quo audito Sacerdotes prociderũt ad pedes eius, gratias illi agentes, quod pollicitus esset auxilium suum: & redierunt in ciuitatem. Et manè facto conuocauit Cynops multitudinem dæmonum, & dixit principi eorum, vade in ciuitatem in domum Myronis, & subitò tolle animam Ioannis, & continuò perduc illam ad me, vt eam secundùm quod mihi placitum visum fuerit, iudicem. Exiuit ergo dæmon, & ingressus ciuitatem introiuit in domum Myronis. Quem vt cognouit Ioannes in quodam secessu locoque semoto residens, dixit illi, præcipio tibi maligne dæmon in nomine Domini nostri Iesu Christi, ne hinc egrediaris, donec causam, ob quam huc venisti, manifestes. Et illicò fecit malignus dæmon tanquam legatus. Et dixit, omnem tibi, Apostole Dei, veritatem aperiam, tantùm precor ne succenseas mihi. Nam venerunt Sacerdotes Apollinis ad Cynopem, rogantes eum vt ingrederetur ciuitatem, & te interficeret: ille autem noluit dicens, nolle ingredi ciuitatem, neque velle gloriam suam diminuere, & nomen suum inhonorare: non igitur id faciam, sed cras mittam Angelum meum qui tollat animam à Ioanne, & adducet ad me, & ego iudicabo eam, & mittam in supplicium sempiternum, & idcircò huc missus sum. Tunc dixit Ioannes spiritui maligno, fuisti aliàs ab eo missus ad tollendam alicuius animam, & tulisti ad eum? Cui dæmon, iam aliâ vice ab eo missus, sed animas illi non obtuli. Et iterum Ioannes, cuius rei gratiâ ei obeditis? Dæmon dixit, quia omnis virtus sathanæ in eo habitat, & fœdus ac pactum habet cum vniuersis principibus nostris, & nos cum eo pariter pactum habemus; nam & nobis obsequitur Cynops, & nos illi.

B. Ioãnes eycit dæmon. i Pathmo.

Dixit autem Ioannes spiritui maligno, præcipit tibi Apostolus Iesu Christi, vt nunquam à modò egrediaris in perniciem & detrimentum hominum, sed nec reuertatis vlteriùs ad locum vnde huc venisti: sed abi festinanter extra insulam hanc, & continuò spiritus malignus insulam egressus abiit. Videns autem Cynops quia spiritus malignus moras faceret redire, vocauit alium, & præcepit illi vt & priori: qui vt venit ad Ioannem, præcepit illi Ioannes, In nomine Domini Iesu Christi insulam protinus egredi: & statim egressus est. Videns Cynops quòd neque secundus reuerteretur, vocauit duos alios spiritus malignos, quibus dixit, ite ad Ioannem, sed vnus ingrediatur, & alter stet pro foribus, agnoscens quæ dicet & faciet, & quidnam aliis factum est quo minus reuertantur. Accesserunt ergo illi duo spiritus nequam, & alter intrat ad Ioannem, alter autem, vt iusserat Cynops, pro foribus astat. Percipiens autem Ioannes dæmonem astare, ad quid venisti, inquit, in hanc domum spiritus nequam? Cui dæmon Cynops priùs ad te interficiendum duos principes dæmoniorum misit, & neuter reuersus est: nunc autem misit duos alios me scilicet & alterum qui non est ingressus ad nuntium peragendum. Cui Ioannes, præcipio tibi in nomine eius qui crucifixus est pro salute hominum, ne vltrà reuertaris ad Cynopem, sed protinus hanc insulam desere, & illicò discessit, parens verbo Apostoli Dei. Cognoscens autem ille qui foris astabat, quod factum est, & complicem suum in exilium coactum, fugit, & abiit ad Cynopem, & eâ denarrauit omnia. Cynops autem non proposuit vltrà mittere dæmones ad Ioannem, sed aduocatâ dæmonum legione dixit eis, complices vestri à Ioanne eiecti sunt, & futurum est vos vniuersos hinc expelli, & malè per eum perpeti, nisi illi restiterimus, & parua nobis trepidatio ne fortè veniat, & ingrediatur locum hunc, & vos hoc in loco silentes & mihi ministrantes hinc expellat: sed præsidiis vestris fultus ingressus ciuitatem artes eius euertam, & illum cogam malè interire. Hoc dicto Cynops sumptâ dæmonum cateruâ ciuitatem ingressus est, & tribus solùm sumptis, reliquos extra vrbem voluit remanere. Cumque introisset Cynops ciuitatem, commota est vniuersa ciuitas, & occurrerunt ei quamplurimi, quia nunquam ingressus erat eam ante, qui ad eum congregari mirabantur, & de variis eum rebus percontabantur: qui vnicuique iuxta eorum interrogationem respondit. Et dixit ad me Ioannes, fili Prochore, magnanimus esto & non pusillanimus: nam Cynops nos in multas anxietates & tribulationes est missurus. Tunc aggregati sunt vniuersi fratres qui baptisma susceperant à Ioanne, vt erudirentur & confirmarentur ab eo. Et præcepto Ioannis decem diebus mansimus in domo Myronis, nusquam egressi ob seditionem quæ in ciuitate à Cynope commota erat, & ne per insidias ab inimicis circumueniremur, consolabatur insuper nos dicens, confortamini & estote viriles; nam videbitis virtutem & gloriam Dei. Et paruo tempore vniuersa ciuitas collecta est, vt audiret Cynopem: & admirabantur vniuersi de sermone & verbis eius. Post decem verò dies dixit mihi Ioannes, Surge fili Prochore, eamus in locum vrbis, cui nomen * & dum illic sederemus, conuenerunt multi vt audirent Ioannem. Audiens autem Cynops quòd Ioannes doceret populum, & videns populum libenter audientem Ioannem, dixit turbæ circumstanti, O viri cœci & à viâ veritatis aberrantes, si iustus est Ioannes, & bona & vera sunt opera, & sermones eius, ego credam: sin autem reperiatur iniustus, & eius opera mala, siue ego iustus & mea opera bona & verâ, nolite illi sed mihi credere. Et apprehenso Cynops quodam adolescente interrogat eum si suus pater viueret: qui respondit, non: sed nobis nauigantibus inter duas naues illisus periit. Tunc Cynops dixit ad Ioannem, ostende nunc si vera sunt quæ doces, & reuoca de mari patrem huius adolescentis, & redde patrem filio. Hoc toto vidente populo dixit Ioannes, non misit me Dominus ad resuscitandos populos, sed docere & eripere homines qui à diabolo sunt decepti. Et dixit Cynops ad circunstantem populum, non omnes satis creditis ô viri qui hanc vrbem incolitis, magum esse Ioannem, & per magicam seductum? Idcircò volo vt eum teneatis, donec adducam patrem huius adolescentis, & illi viuum restituam cernentibus vobis. Tunc Cynops duxit populum ad litus maris, & statim expansis vtrisque manibus fecit plausum magnum, & ab oculis omnium disparere visus est: & ingens pauor omnes inuasit. Quæ cùm vidissent turbæ factum, clamauerunt dicentes, magnus est Cynops, non est Deus alius maior eo. Et statim Cynops ascendit de mari, habens secum dæmonem formam similem patris adolescentis habentem, dixitque Cynops ad iuuenem, iste est pater tuus? Qui respondit, est, Domine: & expauerunt & adorauerunt omnes proni Cynopem, volueruntque interficere Ioannem: sed nolite, inquit Cynops: nam maiora his videbitis; & tunc punietis eum seuerè. Aduocauit ante Cynops alium hominem, quem interrogauit dicens, habesne filium? Qui respondit, habui domine, sed per inuidiam alius sustulit eum. Tunc Cynops voce magnâ exclamans vocauit eos nominibus propriis, & cominus astiterunt dæmones duo, vnus in formâ eius qui occisus est. Tunc dixit Cynops viro, cuius filius occisus fuerat: hic est filius tuus? Qui dixit, etiam Domine. Et dixit Cynops Ioanni; non miraris super signis his quæ vidisti? Dixit Ioannes non. Et dixit Cynops, si te hæc signa non mouent; maiora his videbis, & nisi te signis & portentis vicero; non finiam te interim. Et respondit illi Ioannes, hæc signa & portenta tua statim tecum tollentur. Audientes autem turbæ dixerunt Ioanni, ô profuge, exul & ignote, cur in optimum Cynopem blasphemas? Et irruentes in eum more sæuientium ferarum deiecerunt eum in terram discerpentes & lacerantes. Et Cynops credens ipsum

Cynops immittit in D.Ioannem dæmones.

mortuum esse, dixit ad turbam, finite insepultum, vt volucres cœli & bestiæ terræ comedant illum, & videbitis Christus quem prædicat suscitabit eum. Putantes ergo Ioannem esse mortuum, abierunt gaudentes vnusquisque in domum suam. Mansit ergo Ioannes in illo loco absconsus vsque ad secundam noctis horam, & ego veni in eum locum dolens vt viderem magistrum meum, & appropinquans ad eum dixi, quidnam modò tibi est domine? Qui dixit mihi, festina in domum Myronis, quia illic sunt omnes fratres congregati luctum magnum ducentes, annuntia eis quia ego per gratiam Iesu Christi viuus sum, & continuò ad me reuertaris. Et perrexi ergo citissimè ad domum Myronis, & inueni fratres congregatos planctum magnum super Ioannem, vt mihi dixerat, facientes, & pulsante me fores, non audebant aperire timentes insidias eorum qui erant ex parte Cynopis magi. Sed me clamante & perseuerante, vnus ministrorum Myronis agnoscens annuntiauit eis quia Prochorus pulsaret ad ianuam: & illi statim aperientes vt viderant me, obstupuerunt; nam putabant me vnà cum Ioanne esse mortuum. Et dixi ad eos, nolite turbari fratres; nam magister meus viuit, & salutans vos misit me ad vos. Audientes autem quòd Ioannes viuus esset, præ gaudio noluerunt à me aliud sciscitari? sed properantes cucurrerunt ad locum vbi erat Ioannes, & inuenimus eum genuflexum, & deprecantem Dominum Iesum Christum, & oratione completâ osculati & amplexati sunt eum. Ioannes verò cœpit eos docere, & monere ne in verbis aut factis Cynopis magi seducerentur. Nam quæ facit, omnia præstigiæ sunt, & ludificamenta dæmonis: sed sustinete, inquit, statim per gratiam Iesu Christi videbitis eum suâ arte pereuntem. Ite ergo in domum Myronis, & illic sedentes orate constanter longanimes, donec Deus suam manifestauerit voluntatem: & his dictis eum osculantes abierunt. Cùm ergo matutina lux exoriretur, quidam nuntiauerunt Cynopi, quòd Ioannes viueret. Audiens hoc Cynops vocauit quendam dæmonem, per quem sæpè fecerat vt inferi exultarent: & dixit ei, esto nunc mecum paratus. Et continuò assumpto dæmone multâ concomitante turbâ, venit ad locum in quo eramus. Et appropinquans, inquit Ioanni, volui super te hanc vexationem & hanc maximam confusionem inducere, quare volui te viuere, sed nunc volo vt ad id littus reuertamur, vt omnes videant meam gloriam, & ex tuâ confusione & interitu gaudeant, quo dicto iussit vt eum tenerent, quousque viderent magnas virtutes eius, & eum in iudicium æternum traderet, & tenuerunt eum.

CAPVT XXIX.

Cynopis præstigia producuntur, isque submergitur.

PErueneruunt autem cum turbâ ad locum vbi primas ludificationes ostenderat Cynops. In quo loco inuenimus viros multos pariter & mulieres incensum ponentes: & vbi viderunt Cynopem, prociderunt in terram eum adorantes, duos verò dæmones quos Cynops mouebatur, homines à se suscitatos personæ sequebantur eum. Tunc Cynops plausum vt priùs manibus fecit, & se magno fragore facto misit in mare: & exclamauerunt turbæ dicentes, magnus Cynops! Et illi duo dæmones dixerunt ad turbam, expectate, quia Cynops mortuus est, & ipse resurget à mortuis. Et Ioannes dixit dæmonibus illis, præcipio vobis spiritus immundi, state hîc immobiles donec orauerim, & statim Apostolus extensis in cœlum manibus & cancellatis in formam crucis tens, & magnâ voce clamans, orauit dicens: Domine, qui ad preces Mosi dedisti Israëli subuertere Amalech, vt de cætero solem non videat, Domine Iesu Fili Dei viui eiice Cynopem in inferiora abyssi, vt de cætero solem non videat, neque viuens amplius populos seducat. Finitâ autem prece Ioannis, magnus maris sonus auditus, & facta est magna maris ebullitio in eo loco vbi se Cynops in mare miserat præceps, & illâ horâ submersus est, nunquam ab aliquo postea visus. Quo factò præcepit duobus dæmonibus, qui in formâ duorum suscitatorum apparebant, in nomine Iesu Christi qui pro peccatis hominum voluit crucifigi, eos suâ morte saluare volens, vt statim egrederentur de regione illâ: nec mora, immundi illi spiritus ab oculis omnium euanescentes disparuerunt. Videns autem turba quòd in verbo Ioannis comparuissent illi quos suscitatos credebant esse homines, indignati sunt vehementer aduersus eum, maximè adolescens qui patrem suum vnum eorum esse credebat, & alter qui alterum putabat suum esse filium: & tenentes Ioannem comminantes illi vnus dicebat, restitue mihi patrem, & alter filium, quos existimabant Cynopem suscitasse, & qui circunstabant pariter dicebant, si beneficus homo fuisses, non debueras restituta perdere, sed perdita reuocare: sed quia magus, quæ Cynops beneficia contulit, in perditionem illa conuertisti: aut ergo illos duos tu nobis redde, aut nobis propositum est te interficere. Quidam eorum dicebant: Sinamus, nullum illi malum inferamus, donec iustissimus Cynops redierit, & tunc tradet eum in iudicium sempiternum. Et consenserunt, quia ita Cynops præceperat, & vt de loco illo non discederent; tribus ergo diebus & noctibus ieiuni magnis acclamationibus vociferantes, Maxime Cynops adiuua nos, In illo loco permanserunt, & multi eorum in magnas infirmitates propter cibi inediam & continuum clamorem inciderunt, ita vt aliqui deficerent, & in loco morerentur.

Cynops submergitur.

CAPVT XXX.

D. Ioannes vt suscitauit qui inediâ defecerant oblatos diuinos honores abominatur.

VIdens autem Ioannes eos sine ratione perire, misertus ingemuit, & cœpit orare dicens, Domine Iesu Christe, qui me in hanc insulam prò salute eorum qui in eâ habitant misisti, immitte eis discretionis sensum, & cordis intelligentiam, vt ne vnus de populo hoc pereat. Factâ oratione consolabatur eos dicens, Viri fratres audite me patienter, iam quartus aduenit dies quòd non comedistis, & adhuc in ieiunio permanetis, expectantes eum qui amplius non veniet. Nam scite Cynopem iustâ Dei ordinatióne abiisse in æternam perditionem: quapropter oro vos, abite hinc vnusquisque in domum suam, & pro salute vestrâ cibum sumite. Et cùm hæc dixisset, venit ad eos, qui ex ieiunio defecerant, super eos ita orans; Domine Iesu Christe, qui in nouissimo die & in nouissimâ tubâ genus hominum, qui à sæculo dormierunt, excitabis à morte, extende gratiam tuam super homines hos qui mortui iacent, vt reuiuiscant & excitentur à mortuis: & continuò surrexerunt à morte. Quod signum cùm vidissent turbæ factum à Ioanne, ceciderunt in terram, & proni adorauerunt eum dicentes: Magister, nunc cognoscimus quia à Deo venisti. Et cùm hæc dixissent, dixit eis qui ieiunio defecti erant, ite filij in domos vestras, & sumite cibum, & reficite animas vestras: Nam & ego etiam vadam in domum Myronis, qui conseruus est Iesu Christi, & postea egrediar ad vos, & ea quæ necessaria sunt administrabo: & abierunt vnusquisque in domum suam. Et nos abiuimus in domum Myronis, & ex aduentu nostro magnum gaudium factum est in domo Myronis. Et apposuit Myron mensam, & sumpsimus cibum cum eo. Diluculo autem, conuenit ferè tota ciuitas in illum locum dicentes, Myron, dignus es plurimorum bonorum propter virum Dei, & præceptorem bonum qui per te nobis manifestatus est. Perduc ergo eum foràs ad nos, vt nos ab eo percipiamus verbum fidei. Putauit ergo Myron hæc illos dolosè petere, vt tenerent Ioannem, vt foràs fortè eductum interficerent. Quod cùm vidisset Ioannes, dixit Myroni, ne paueas frater, neque quicquam formides: Nam confido in Domino meo, qui crucifixus est pro nobis, quia nulla mala cogitatio est in hominibus iis; & exiuit ad eos foràs, quem vt viderunt turbæ, cœperunt dicere, tu es præcursor noster,

Suscitantur à morte plurimi.

&

Diuinos honores Apostolus recusat.

& opifex animarum nostrarum, tu es magnus Dominus & Deus, qui illuminas hominem mirabiliter ad illuminationem immortalem. Hæc audiens Ioannes scidit vestimenta sua, & puluere caput respersit, & expauerunt omnes, & Ioannes silentium manu indixit, & tacuerunt. Et ascendit in eminentem iuxta domum Myronis locum, & cœpit eis dicere. Nolite errare fratres & blasphemare, non ego Deus sum: & aperiens scripturas incipiens à Mose per prophetas interpretabatur eis de Filio Dei, & quomodo Deus Pater Filium suum vnigenitum misit in terras; natum de muliere, factum sub lege, vt eos qui sine lege erant, saluaret: cuius (inquit) Filij Dei viui ego seruus indignus sum, qui me in hanc insulam misit vt à vobis amoueam errorem, in cuius nomine & virtute, omnia hæc signa & mira quæ videtis, facio. Et cùm eis multa de scripturis enarrasset, descendit de loco illo, & iterum ingressus est domum Myronis, ad quem tunc conuenerunt quidam de turbis, rogantes eum, vt baptizarentur, & eos adhuc instruens baptizauit: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

CAPVT. XXXI.

D. Ioan. disputat de lege cum Iudæo, & curat infirmum.

Die verò sequente egressi sumus cum Ioanne ego & Myron, & triginta qui proximè baptisma susceperant, & venimus in hypodromum, hoc est, in locum in quo solent esse cursus equorum. Morabatur autem illic Iudæus nomine Philon, sciens legem ad litteram. Quem cùm videret Ioannes, cœpit interrogare de libris Mosi & Prophetarum: ille verò respondebat illi ad litteram: & Ioannes interpretabatur secundùm spiritum, & cùm illi non conuenirent dixit Philon, non est opus de scripturâ pluribus contendere verbis, sed corde mundo & immaculato, & fides recta & bona placet Deo. Et cùm hoc dixisset, desiit Ioannes alloqui eum, & ecce haud longè iacebat quidam, qui vehementibus vrgebatur febribus, iuxta quem assidebat iuuenis, qui cùm vidisset Ioannem prætereuntem, & turbam sequentem, clamauit voce magnâ, dicens, Apostole Christi miserere huius infirmi, qui malè febre vexatur. Et statim Ioannes appropinquans, facto Crucis signo, dixit infirmo, In nomine Domini nostri Iesu Christi, cuius ego licet indignus seruus sum & Apostolus, surge, & vade in domum tuam sanus, & continuò æger surrexit sanus, & genua flectens ad pedes Apostoli, illi gratias agebat.

Signo crucis curatur infirmus.

CAPVT XXXII.

Iudæus vt vidit vxorem à leprâ baptismo mundatam, credit & tingitur.

Videns autem Philon signum quod fecit Ioannes, apprehendens eius manum dixit, Magister quid est charitas? Respondit Ioannes, Deus charitas est, & qui habet charitatem, Deum habet, dixit Philon, si ergo quis charitatem habens Deum habet, vt ais, ostende te nunc habere charitatem, & ingredere domum meam, vt simul panem edamus & bibamus aquam, & Deus erit nobiscum. Et statim Ioannes illi acquiescens secutus est eum. Ingresso autem & cibo sumpto, vt prædicationem eius audiuit, vxor Philonis rogauit eum vt baptizaretur. Erat autem mulier illa tacta leprâ, & cutis alba vt nix: quæ cum suscepisset baptismum, omninò curata est à leprâ suâ, & tota munda. Videns autem Philon vxorem suam à leprâ sanatam esse, qui priùs erat inflexibilis & contentiosus, factus est humilis & modestus; & procidens ad pedes Apostoli, dixit, Magister bone, per Deum illum quem prædicas, propitius esto mihi, & noli seruo tuo irasci quòd multa locutus sum in contemptum tuæ prædicationis: quæ me nunc pœnitet dixisse, sed precor potiùs vt des mihi signaculum vitæ huius. Catechizato autem eo, & in fide Christi confirmato, baptizauit eum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Philonis vxorem sanatam lepra curat baptismus.

CAPVT XXXIII.

Blasphemiæ pœnas luit sacrificulus Apollinis.

Sequenti verò die valdè manè egressi sumus de domo Philonis, & conuenerunt ad nos multæ turbæ vt docerentur à Ioanne. Venerunt autem & Sacerdotes Apollinis, qui priùs congregati erant vt perderent Ioannem, quòd Templum Apollinis diruisset. Et steterunt coram eo vt viderent aliqua eius facta quæ reprehendere possent: & vnus eorum tentauit Ioannem dicens: Magister filium habeo vtruque crure claudum, redde eum sanum, & credam in eum qui crucifixus est, vt prædicas. Respondit illi Ioannes, si credideris, sanabitur filius tuus. Qui respondit, sana eum priùs, & postea ego credam: cui Ioannes: noli impudenter loqui, scio quia tentator es, & blasphemias inferre tentas, & ideo in nomine eius qui crucifixus est, eris vtroque crure claudus, & continuò ex vtrâque parte effectus est claudus, vt ambulare non posset; & dixit Ioannes vni, vt me vocaret, & ego statim veni coram Ioanne, & dixit mihi, fili Prochore, vade ad filium Sacerdotis Apollinis, & dic ei, dixit Ioannes Magister meus in nomine Filij Dei, qui crucifixus est, sub Pontio Pilato præside, veni ad me, & accedens ad eum locutus sum ei verba quæ Ioannes præcepit mihi, & illicò surrexit sanus & incolumis, & secutus est me. Et cum venissem ad Ioannem, ille qui sanus effectus est prouolutus ad pedes eius, gratias illi agebat. Videns autem pater quòd filius sanus esset, exclamauit voce magnâ, Miserere mei Apostole benedicti Dei. Et Ioannes continuò misertus illius signauit eum signo crucis, præcipiens vt surgeret, & confestim surrexit, qui prouoluens se ad pedes Apostoli rogauit eum vt baptizaretur, & baptizatus est ab eo, & ille nos duxit in domum suam, & mansimus apud illum die illo.

Blasphemiæ pœna.

Signum crucis blasphemum sanat.

CAPVT XXXIV.

Scriptâ epistolâ curatur hydropicus & baptizatur.

Alterâ verò die contulimus nos in porticum, quæ Domitiani vocabatur, & illic conuenerunt multæ turbæ ad Ioannem. Erat autem illic homo quidam hydropicus, qui decem & septem annos infirmitatem habens desidebat, vt neque se mouere, neque verba proferre posset, is indicio atramentum & chartam petens scripsit ad Ioannem, Apostole Christi Ioannes, ego infœlicissimus obsecro te vt mei miserearis in hac meâ infirmitatis necessitate. Accipiens autem Ioannes epistolam, & legens gauisus est in viri fide, & scripsit ad eum: *Homini hydropico Ioannes Christi seruus & Apostolus salutem.*

Postulas à me tuæ infirmitatis opem, & in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ab infirmitate tuâ dimittaris, & esto sanus: & cùm accepisset qui aquam patiebatur, epistolam, & legisset, surrexit sanus, nullam in se sentiens infirmitatis læsionem. Et turbæ id signum videntes quod Ioannes hydropico fecerat, mirabantur, & tantò magis ardebant eius audire prædicationem. Et qui sanus effectus fuerat, procidit ad pedes Ioannis rogans vt daret ei signaculum Christi, & baptizauit eum Ioannes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Epistolâ curatur hydropicus.

CAPVT XXXV.

Præsidis domus benedicitur, vxor partu liberatur & tingitur.

Cvm autem ab illo loco discederemus, ecce quidam missus à præside nobis obuius factus est, & dixit ad Ioannem, Apostule Christi Filij Dei, festina venire in domum præsidis: vxor enim præsidis prægnans dum venisset ad tempus patiendi, laborabat in partu, & parere

on poterat. Profectus est ergo Ioannes, & dum ingre- cietur domum præsidis, vxor eius partu leuata est. Et ixit Ioannes præsidi, quâ ex causâ me accersiri iussisti? ixit præses, vt benediceretur à te domus mea. Cui Ioannes, si credis in Iesum Christum filium Dei, eris tu & omus tua benedicta. Gaudens autem præses salute ictâ ex aduentu Ioannis, dixit illi, credidi, & credo in Deum qui te misit pro salute nostrâ: & postquam Ioannes docuit eum quomodo credere debeat in Patrem, & ilium, & Spiritum sanctum, baptizauit eum, & pariter ogauit eum vxor eius vt baptizaretur: sed noluit Ioannes, donec compleuisset quadraginta dies purgationis; & ontulit præses Ioanni multam pecuniam, orans vt eam eciperet, & domus sua esset benedicta, cui Ioannes dixit, non poterit pro hac pecuniâ domus tua benedici, d vadens offer eam pauperibus pro nomine Christi, & rit domus tua benedicta. Et mansimus continuò triduo i domo præsidis, & inde egressi venimus in domum lyronis, vbi conuenerunt turbæ multæ petentes vt audirent Ioannem.

CAPVT XXXVI.

D. Ioan. dæmonem, qui se Deum lupum nominabat, expellit, mactandosque illi homines liberat.

DEinde mansimus in foro ciuitatis annis tribus, & postea egressi sumus in aliam ciuitatem distantem stadiis quinquaginta. Et hæc ciuitas populosa erat, dolorum multitudine repleta, & in phano ludificamenta erant: quæ apud eos mendacia deorum dicebantur. Et ciuitatem in circuitu alluebat flumen. Dum ergo ingressi sumus ciuitatem, nemo nos agnouit. Introeuntibus autem nobis, virum quendam publicum inuenimus, maiores ciuitatis pueros duodecim vinctos habentem. Et Ioannes quosdam qui astabant, interrogauit, quâ de causâ illi vincti essent, qui responderunt, quia in nouâ lunâ singulorum mensium duodecim detinentur, qui offeruntur iugulari in sacrificium Deo lupo. Dixit Ioannes, vellem scire quis ille Deus lupus sit. At ille respondit, circa horam diei quartam venient Sacerdotes multâ comitante turbâ sacrificia offerentes: si ergo eos sequi volueris, videbis lupum, & quod illi offerent sacrificium. Dixit Ioannes, video te virum beneuolum, ego verò aduentitius sum, ideo te rogo vt ostendas mihi ipsum, id enim desidero: si autem ostenderis mihi ipsum, habeo pretiosam margaritam, quæ non potest vllo comparari pretio, quam tibi dabo. Hæc audiens homo, duxit nos illicò in eum locum in quo habitabat lupus, & dixit, ecce venimus in locum, da mihi margaritam, & ego ostendam tibi lupum, dixit illi; tantummodò crede mihi, cùm ostenderis mihi illum, recipies margaritam à me tibi promissam; nec multò pòst ascendit de flumine lupus, dixitque illi Ioannes, adiuro te spiritus immunde, dic quot annos in hoc habitasti loco? dæmon respondit, septuaginta: ait Ioannes, præcipio tibi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt exeas ab hac insulâ; & statim spiritus immundus inuisibilis disparuit; & cùm hoc vidisset homo ille, continuò cecidit pronus ad pedes Apostoli, & dixit, miserere mei homo sancte, dic mihi quæso quis es, & vnde, qui talia admiranda facis, qui diis voluntatem tuam præcipis, & cum tremore obediunt tibi. Respondit Ioannes, ego sum Apostolus & seruus Iesu Christi Filij Dei; hunc autem lupum, quem tu Deum esse credebas, dico tibi pro vero, spiritum esse malignum, qui multas hominum perdidit animas, & ideò me misit Dominus meus Iesus Christus in hanc insulam, vt ab eâ omnes immundos spiritus expellam, & persequar, & euangelizem hominibus huius ciuitatis veritatem. Hæc audiens vir iterum procidit in faciem suam dicens, Apostole Christi fac mecum misericordiam, vt & ego merear esse Filij Dei seruus. Et incipiens Ioannes diuinam scripturam aperire, docuit eum quomodo deberet credere in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, & sequenti die baptizauit eum, & dixit ei: ecce accepisti preciosissimam margaritam. Et cùm hæc dixisset, venerunt in locum Sacerdotes cum pueris duodecim ferro reuinctis, gladios in manibus tenentes, vt eos interficerent, Deo suo lupo sacrificandos, & cum gaudio aduentum dæmonis expectabant, quem Deum esse credebant. Postquam diu expectauerunt, appropinquans Ioannes dixit, ô viri ignari, viam veritatis nescientes; quem vos hîc expectatis lupum, & quem pro Deo colitis, dæmon est, & malignus spiritus: ego eum in nomine Domini Iesu Christi Filij Dei ab hac regione expuli, in vanum enim hîc eum expectatis, neque amplius veniet, soluite ergo pueros hos, & credite in Dominum Iesum Christum verum Deum, & verum hominem, qui crucifixus est pro totius mundi salute, & relinquite spiritum nequam, qui seducebat vos contra animarum vestrarum & puerorum vestrorum salutem. Hæc autem audientes, & videntes eum cum fiduciâ loqui, turbati sunt valdè, & nullus eorum audebat ei respondere, neque loqui adinuicem illâ horâ: sed timebant ne fortè lupus veniret, & inuolueret fluctus fluminis super eos si crederent peregrino. Et Ioannes iterum ad eos dixit, soluite, pueros, sicut dixi vobis, & finite abire liberos, & nolite dæmonem timere, neque expectare vlteriùs, nam præcepto Domini Iesu Christi per me hinc deiectus est. Et cùm nullus Sacerdotum responderet, accessit Ioannes, & soluit pueros, dixitque eis, ite in ciuitatem ad patres vestros, & matres, & fratres, & amicos: nam nullus propinquorum eorum secutus fuerat eos. Et accessit ad Sacerdotes, & accepit gladios de manibus eorum, & illi omnes expauerunt, neque vllus ausus fuit ei loqui malum verbum: protexerat enim eum Dominus, & induebat ne tangerent eum, aut iniuriam aliquam ei inferrent. Introierunt ergo tandem omnes in ciuitatem, & Ioannes venit in locum vbi erat parua porticus, & conuenerunt turbæ multæ ad eum vt audirent verbum eius. Ille autem cœpit eos docere è sacris litteris quæ prænunciata erant de Filio Dei: & quidam eorum verbum eius crediderunt, quidam verò non: plurimi tamen eum libenter audiebant, & gratias ei agebant, quia pueros à morte liberasset: & soli Sacerdotes eum odio habebant, nec voluerunt ab eo baptizari, nec obedire verbo eius.

Margarita preciosa.

Lupo mactandos lib(eros) solvit D. Ioannes.

CAPVT XXXVII.

Filium Sacerdotis oppressum in balneis à dæmone suscitat & tingit Apostolus.

ERat autem in illâ ciuitate balneum, in quo vnus ex filiis Sacerdotum à dæmone fuerat suffocatus: erat enim dæmon ille qui ex Epheso à Ioanne deiectus fuerat, & qui filium Dioscoridis suffocauerat audiens autem Sacerdos eius filium suffocatum esse, cucurrit ad balneum, & vt vidit suum filium mortuum humi iacentem, dolens & tristis recessit, & accessit ad Ioannem, & dixit ei: Nunc tempus credendi est in eum qui te misit, & quem tu ipse prædicas, nam filius mihi in balneo suffocatus interiit, scio, si volueris, potes mihi eum restituere viuum. Cui Ioannes, etiam tibi restituetur; & apprehendit Ioannes manum Sacerdotis, & duxit eum Sacerdos vsque ad locum, & nos sumus eos secuti. Cùm ergo ingressi fuissemus, allatus est puer mortuus, & positus ad pedes Ioannes, & dixit Sacerdos Ioanni, per Deum quem veneraris & prædicas, suscita illum; statímque Ioannes apprehensâ manu adolescentis dixit, in nomine Domini Iesu Christi Filij Dei surge, & illicò viuus surrexit. Et dixit Ioannes ad puerum, quid tibi contigit fili? Respondit puer, dum me in balneo lauarem, emersit ab aquâ vir quidam Æthiops, & me protinus suffocauit. Cognouit autem Ioannes quòd dæmon esset, & intrauit balneum. Dæmon autem clamare cœpit horrenti voce: Ioannes Apostole Christi & ab eo dilecte, oro te per Dominum & magistrum tuum, ne me hinc velis expellere. Ioannes autem dixit, quot annos

In nomine Iesu suscitatur mortuus.

hic habitasti ? Respondit dæmon, sex dumtaxat : nam ego ille sum qui in Epheso habitabam in Dioscoridis balneo, & à te illinc eiectus hic habito. Dixit Ioannes, præcipio tibi immunde spiritus in nomine Iesu Christi, vt de loco isto & insulâ exeas, neque de cætero vlli hominum noceas, sed abi in deserta loca : & statim abscessit spiritus immundus. Videns autem Sacerdos cuncta quæ fecerat Ioannes, flexis genibus orat eum, dicens, Domine ecce ego & filius meus & vniuersa domus mea in tuâ voluntate sumus, & omnia tuo subduntur arbitrio, quicquid præceperis, faciemus, & tibi parebimus in omnibus. Dixit Ioannes, crede in eum qui crucifixus est, Iesum Christum Filium Dei, & eris saluus tu & domus tua. Respondit Sacerdos, credo per te qui es Apostolus & discipulus Iesu Christi Filij Dei, & duxit nos in domum suam, & flexis genibus orabat dicens, da mihi & filio meo baptismum, & vniuersæ domui meæ. Docuit autem eos Ioannes, & in verâ fide instruxit, quomodo credere deberent in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & baptizauit eos cum omnibus qui erant in domo. Et mansimus cum eo tribus diebus gaudentes & exultantes in omnibus quæ fecit Dominus per Apostolum suum Ioannem.

Adiuratio dæmonis.

CAPVT XXXVIII.

In Phlago liberatur dæmoniacus, qui cum matre & domesticis baptizatur.

QVartâ autem die è domo Sacerdotis exeuntes venimus in quendam locum qui Phlago dicebatur, vbi ferè tota conuenit ciuitas ad audiendum ab ore Ioannis verbum Dei, & ecce quædam mulier aduoluta pedibus Ioannis dixit, adiuro te per Deum quem annuntias, miserere mei. Dixit autem illi Ioannes, quid vis vt faciam tibi mulier ? Dixit, filium mihi reliquit vir meus cùm infans adhuc esset, trium annorum, ego eum multo labore educaui donec esset adultus, spiritus autem malignus inuasit eum, & ego omnes diuitias meas cum hominibus magis consumpsi, & non potuerunt liberare eum : quare precor te Apostole Christi, vt curetur filius meus. Ioannes respondit, adduc eum ad me, & Christus eum curabit : & confestim mulier abiit, & sex cum eâ vt adducerent eum : & cùm illi apprehendissent puerum, dixerunt ei, veni ad Ioannem Apostolum Christi vt expellat à te spiritum immundum ; & statim ab eo diffugit spiritus immundus priusquàm duceretur ad Ioannem. Accipiens itaque mulier filium suum sanum duxit eum ad Ioannem, & procumbens ante pedes eius rogabat dicens, da mihi Domine & filio meo baptismum Christi : & confirmauit eam & vniuersam eius familiam, & baptizauit, & mansimus apud eam tribus diebus.

Audito Ioannis nomine fugit diabolus.

CAPVT XXXIX.

Templum Liberi patris duodecim Sacerdotes ruinâ oppressit.

DEinde exiuimus de domo eius, & sequebatur nos plurima turba, quam docebat Apostolus. Et venimus in locum quendam vbi erat templum quod à gentibus vocabatur templum Liberi patris, quem Deum esse asserebant : & in hoc pollutum templum introiuit multitudo populorum offerens vinum multum, & abundantiam cibariorum. Et mos erat in solenni quâdam die constitutâ, viros & mulieres sine pueris introire, & bibere & manducare, & post crapulam impetum ad alterutrum facere more insanientium equorum, & per insanum desiderium viros cum mulieribus succumbere. Accidit autem vt illâ die Apostolus Ioannes prædicaret, quâ quidem infandam exercebant solennitatem : & congregati vniuersi ad complendam eorum malitiam, dicebant Ioanni, sufficiat tibi hactenus corruptela malorum seminum, quæ inter insipientes seminasti : abi nunc de loco hoc, quia dies est solennis magni Liberi patris, quem nos obseruamus, discede ergo ocyùs, ne te malè puniat. Ioannes nec propter eorum solennitatem, nec propter intentas minas discedebat, semper docens eos qui libenter verbum veritatis audiunt. Et erant in illo polluto templo duodecim sceleratissimi sacerdotes, qui vbi viderunt Ioannem à prædicatione non cessare, neque à loco discedere, violentas manus in eum iniecerunt, & multis eum plagis impiè ac crudeliter affecerunt : extruserunt eum de loco, & ligatum iacentem in terram dimiserunt, abieruntque in templum. Sciens autem Ioannes illos & populum ad eorum nefandam consuetudinem implendam introisse, fleuit amarè, & exclamauit ad Dominum dicens, Domine Iesu Christe Fili Dei viui, ruat phanum Liberi patris, & statim phanum ruit : & interfecti sunt duodecim Sacerdotes illi. Cúmque populus vidisset ruisse templum, & Sacerdotes interiisse, timuerunt valdè, & dixerunt adinuicem, vadamus ad Ioannem, rogantes eum vt oret pro nobis, & ne irascatur contra nos, descendátque ignis de cœlo precibus suis, & consumat nos. Et statim venerunt ad Ioannem, & liberauerunt à vinculis, & rogabant eum : & continuò Ioannes surrexit, & cœpit prædicare populo.

Bacchantium intemperantia.

Ad orationem B. Ioan. ruit templum Liberi patris.

CAPVT XL.

Nucianus Magus in excitandis à morte duodecim Sacerdotibus se Apostolo præferens, excæcatur.

ERat autem in illâ ciuitate homo quidam nomine Nucianus, & nomen vxoris eius Fluta. Et duos habebat filios : quorum maioris natu nomen erat Polycarpus ; Nucianus verò instructus erat multis malis artibus, & maleficiis multis imbutus : & multi necromantici libri erant apud eum in domo suâ repositi. Venit ergo ad Ioannem, vbi vidit templum collapsum, & illisos duodecim Sacerdotes : & dixit ad Ioannem, magister, tunc omnes te diligent, si facias duodecim Sacerdotes qui mortui sunt, resurgere. Respondit Ioannes, si digni essent vt à Deo sanctificarentur, nunquam in templo mortui essent. Nucianus dixit, & ego gloriam tuam imminuam. Nam & ego eos suscitabo, & erit tibi supplicium, quia homines vitâ eorum spoliasti : alioquin si suscitaueris eos, credam in crucifixum quem tu prædicas. Et his dictis discessit Nucianus : & ruinas templi circuiens, arte dæmoniacâ fecit astare ante se duodecim dæmones in similitudinem duodecim Sacerdotum : & dixit ad eos, venite post me, & faciam vos Ioannem interficere. Responderunt dæmones, non possumus in loco vllo habitare vbi stetetit pes eius : sed ecce stabimus hic, tu verò adduc populum in hunc locum vt ipsi nos videant suscitatos, & ita credant, & vadant, & lapident Ioannem. Consentiens his verbis Nucianus, venit ad Ioannem : & circumstante turbà exclamare cœpit voce magnâ, ô viri, vt quid seducti estis per homines hos, & eorum ludificamenta : vobis loquuntur inepta verba, & nihil facere possunt ? Nam & ego conueniens Ioannem, Dixi illi, suscita mortuos, & ego credam in eum quem tu prædicas crucifixum : alioquin si illos suscitauero, tu malè peribis, quia indignos perire fecisti. Respondit autem mihi, quia non sunt resurrectione digni & vitâ : & ecce ego suscitaui eos, & vobis videntibus incolume insuper restituam templum. Nunc autem vos omnes me sequimini, vt viuos videatis, & postea Ioannes magus malè pereat : & nolo vt ipse, neque discipulus eius illuc veniant, sed maneant in loco isto. Cùm turba à Nuciano hæc verba audisset, quòd Sacerdotes suscitati essent, relicto Ioanne secuta est Nucianum. Et cogitabant turbæ quomodo nos malè perderent : sed Ioannes & ego sine turbà venimus ad ruinam templi : sed vbi dæmones Ioannem viderunt, priusquam appropinquaremus, subitò euanuerunt & disparuerunt ab oculis nostris. Nos autem abscondimus nos in quâdam scrobe iuxta ruinam templi. Et cùm venisset Nucianus vniuersâ comitante turbâ, iuxta demolitum templum,

Nucianus Magus.

cœpit magicis execrationibus vocare dæmones illos quos dicebat esse Sacerdotes, & non respondebant ei, neque se manifestabant, vt fecerant prius: & cùm tota dies illa à manè ad decimam horam consumeretur, & nihil suis inuocationibus proficeret Nucianus, iratus populus voluit Nucianum occidere dicens, maligne cur fecisti nos nostrum magistrum & bonum instructorem relinquere, vt crederemus tuis verbis fallentibus? Et quidam voluerunt impetum in eum facere: sed alij inhibuerunt dicentes, non interficiamus eum, sed ducamus eum ad Ioannem, & quicquid præceperit faciendum, illud sine morâ sit exequendum. Tunc Ioannes dixit mihi, fili Prochore, reuertamur in locum vnde turba dimota est. Surreximus ergo & venimus in illum locum. Et venit turba, & adduxerunt Nucianum coram Ioanne dicentes, Magister hunc probauimus mendacem, & viam veritatis volentem subuertere: & voluimus eum interficere, sicut & te interficere moliebatur: & nunc eum ad te adducimus, vt secundùm sententiam tuam illum perdamus. Respondit autem Ioannes, sinite tenebras abire in tenebras: vos autem permanete in veritatis luce, ne vos tenebræ apprehendant, & verè salui eritis: & non permisit eos interficere Nucianum. Tunc plurimi de turbâ rogabant Apostolum, vt baptizaret eos: quibus dixit, sequimini me vsque ad flumen, & illic vos baptizabo. Docuit autem eos quomodo credere deberent in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & eos perduxit ad flumen. Fecerat autem Nucianus maleficâ arte, vt tota aqua sanguinolenta videretur, & expauerunt omnes: & beatus Apostolus orauit ad Dominum dicens, Domine Iesu Christe Fili Dei viui, qui splendidas naturas & omne genus animantium posuisti in vsum homini, restitue aquam fluminis huius in naturam & conditionem, quæ à te ab initio data est ei, & cæcitate percute Nucianum, vt qui alios fallere satagit, ne in domum quidem suam norit regredi. Et illicò in verbo Ioannis purgata est aqua, & in priorem naturam reuersa: & Nucianus in eodem loco cæcus remansit: & postea Ioannes Apostolus baptizauit omnes qui baptizari requirebant; & baptizati sunt in die illâ ducenti viri. Nucianus autem solario visus priuatus clamauit magnâ voce dicens, Apostole benedicti Filij Dei miserere mei: & da mihi signaculum Christi, & sana me, & restitue mihi visum oculorum & corporis mei. Ioannes verò pietate motus apprehendit dextram eius, & duxit eum ad flumen, docens eum vt confideret in Domino Iesu Christo: & baptizauit eum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: & continuò aperti sunt oculi eius, & vidit sicut priùs, & duxit nos gaudens in domum suam.

CAPVT XLI.

Nucianus & Fausti Iudæi familia baptizantur.

ERant autem in domo Nuciani idola: & dum Ioannes ingrederetur domum, corruerunt, & omnino perfracta comminutáque sunt tanquam puluis, quod videns Nucianus, multò magis credidit in Dominum nostrum Iesum Christum: & confirmata est validius fides eius. Similiter autem & vxor eius, & filij eius, & vniuersa eius familia hæc videntes, crediderunt in Deum, & baptizati sunt ab Apostolo collaudantes magnalia Dei. Et mansimus apud Nucianum diebus decem: & ipsis consummatis egressi sumus de ciuitate, & venimus in aliam, quæ tredecim distat milliaribus: & obuiauit nobis Faustus vir Iudæus, sobrius admodum & benignus, & duxit nos in domum suam & prædicante Ioanne credidit in Dominum Iesum Christum ipse & omnes, qui erant in domò eius, & baptizati sunt vniuersi.

CAPVT XLII.

Apostolus prædicit Sosipatro quid sibi contingat ex amore matris nimium impudico.

ERat autem in ciuitate illâ mulier quædam diues, nomine Prodiana, formosa valde, & vidua, quæ filium habebat vnicum, Sosipatrum, annum ætatis suæ vicesimum quartum agentem, speciosum valdè inter homines, sed castitatis amatorem, & imitatorem continentiæ Ioseph. Nam mater eius Prodiana, instigante diabolo fœdâ in eius desiderium ardebat concupiscentiâ: & dicebat ad filium, fili mi Sosipater, magnam & penè innumeram possidemus substantiam, manducemus & bibamus, & hilariter viuamus: non enim habeo alium virum quàm teipsum, nec volo, vt aliam habeas quàm me vxorem, ego adhuc iuuencula sum & decora, ero tibi pro vxore, & tu mihi pro viro: neque sinas alium virum introire, nec ego ad te aliam sinam introire mulierem. Intellexit autem Sosipatrus fallaciam suæ matris, & venit ad locum, in quo Ioannes concionabatur ad populum, vt audiret verbum Dei: & cùm vidisset quosdam de turbâ detrahentes Ioanni, & quòd vis fallax esset, secessit ab eis & appropinquauit loco, in quo prædicabat Ioannes. Et finitâ prædicatione, venit ad eum Ioannes: cognouit enim per spiritum malitiam diaboli, quam aduersus iuuenem machinabatur, & quomodo vrgebat matrem eius ad subuersionem castitatis eius: & dolebat vehementer. Intuens eum dixit ei per similitudinem, Sosipater, Sosipater. Quid, Inquit, bone magister? & ait illi Ioannes, quædam mulier erat in quâdam ciuitate, & erat ei filius vnicus, formosus adolescens: erat autem mulieris nomen, seductrix, & filij nomen, seducendus: & erant ambo diuites multum, & immisit malignus in cor matris vt seduceret filium: seductrix igitur nitebatur seducere seducendum: Seducendus autem resistebat, & non seducebatur: aliquo igitur exacto tempore mater seductrix ægrè ferebat filium inseductum, adeò vt morti vellet eum tradere, & accusauit eum apud iudicem tanquam seductum, cùm ipsa sola esset seducta. Iussit ergo iudex eum auferri, & interficere ad vlciscendum seductionis crimen sibi à matre impositum: sed Deus, qui est iudex summus, videns eum mundum esse, & innocentem, & ab iniquo iudice & à seductrice matre liberauit, & noxios condignâ pœnâ mulctauit. Quem igitur ô Sosipater dignum est laudare, matremne, an filium? Tunc Sosipater, non aliter quàm terra sitiens pluuiam suscipit, reddens vberem fructum, verbum Ioannis intimè suscipiens dixit, Magister bone dignum est laudari filium, & matrem culpari. Cui Ioannes; Rectè, inquit, respondisti: vade igitur fili mi saluus in domum tuam, & intende in matrem tuam sicut in matrem, & non sicut seductricem, & vltio superni iudicis liberabit te. Sosipater autem conscius cui Ioannes hunc sermonem dixerit, prouolutus ad pedes eius adorauit eum, & dixit, Domine si dignus sum, sequere seruum tuum in domum suam: ego seruus tuus apponam tibi panem & aquam, & manducabis & bibes: & erit domus serui tui per aduentum tuum benedicta. Ioannes autem secutus est Sosipatrum, & ingressus est domum eius, quod cùm vidisset Prodiana, repleta est irâ multâ: & dixit ad Sosipatrum, nunquid dixi tibi, fili mi, ne dimittas alium virum introire ad me, neque ego ad te sinam aliam introire mulierem? quare induxisti duos viros ad ludificandum domui nostræ? Dixit autem Sosipater ad eam: noli mater de hominibus his talia suspicari: non enim ad hoc introierunt domum hanc, sed vt apponam eis panem & aquam: & cùm parùm comederint & biberint, statim abibunt. Nequaquam inquit Prodiana, edent & bibent: sed cum iniuriâ eos de domo meâ expellam: ne fortè cor tuum & mentem immutent, & faciant, vt me odio habeas matrem tuam, & sic propter amorem tuum mori me cogant. Dixit Sosipater, Nequaquam ita futurum est mater: Nam in mundo non est, qui possit me in odium tui conuertere, Audiens hæc Prodiana, consensu Sosipatro,

Mater in filium intemperans.

E F G H

vt

vt faceret peregrinis, quod liberet, sperans per hoc amplius in desiderium suum eum allicere. Apposuit ergo Sosipatrus mensam, & solus nobis ministrabat, & comedit nobiscum. Prodiana verò sedebat non procul inde, attentè auscultans, vt audiret verba Ioannis ad filium suom loquentis, vt posset eum in aliquo reprehendere, si quicquam dixisset, quod eius displicuisset voluntati. Ioannes autem cognoscens nequitiam mulieris tacuit, nec vnum verbum ad Sosipatrum locutus est. Postquam autem manducauimus, dixit Ioannes Sosipatro, egredere fili è domo tuâ, & veni nobiscum. Et continuò Sosipatrus surgens sequebatur nos. Dum autem venissemus ad extremam ianuam, voluit Sosipatrus sequi Apostolum ad audiendum verbom Dei: præsertim cùm nihil, dum manducaremus, audisset ab eo. Percipiens autem id Prodiana, veni & apprehendit filium suum Sosipatrum dicens illi, venit fili mi in domum tuam. Dixit illi Sosipatrus, sine me mater modicum sequi homines hos, & continuò ad te reuertar. Dixit illi mater, numquid reuerteris, & adimplebis desiderium meum? & permisit abire. Reuersus est ergo Sosipater, & mater eius voluit deducere in secretum domus suæ locum, vt expleret eius desideriom: & frequenter eum contribauit, & Deus liberauit eum à mortifero veneno malæ voluntatis matris suæ. Videns autem Sosipatrus matris suæ insaniam, & paratam illi malam voluntatem: studuit verbis dulcibus matris animum auertere: & dixit illi, mater ingredere domum tuam, vt ego citò te sequar. Illa autem apprehensum noluit dimittere eum. Sosipater autem ipse ab eâ discessit, & noluit in domum suam redire propter eam. Quartâ aotem die furibunda Prodiana è domo ad requirendum filium suum egressa, venit in locum, vbi Ioannes prædicabat: & circunspiciens in turbâ non vidit eum, nam illic non erat. Quem cùm non vidisset, discessit, & eâ abeunte non longè à loco, ecce Sosipatrus factus est illi obuius. Ipsa autem appropinquans apprehendit vestimentum eius, & tenoit eum vehementer: at ille dixit ei, sine me modo mater, & quæcunque tibi sunt in animo, faciam: illa verò non sinebat eum abire.

Insania ex amore filij impudica.

CAPVT XLIII.

Mater quæ innocentem filium incestùs accusauerat, Iudex quoque qui eum damnauerat, Apostolo iudice puniuntur.

EO tempore, Insulæ illius factus est Proconsul quidam, Græcus nomine, crudelis & immisericors: qui Christum & Christianos odio persequebatur. Et ingressus est locum, vt eiiceret nos de ciuitate: & cùm transiret per ciuitatem, accidit eum transire per locum, vbi Prodiana per vestimenta detinebat filium suum. Videns autem Prodiana proconsulem, exclamauit voce magnâ, ô Proconsul adiuua me: & illa capitis sui velameo detrahens, capillos præ amaritudine, quam aduersus filium suum gerebat, vellebat, & multas profundebat lacrymas, dixit autem illi præses, quid tibi est? quid vis? & quæ tanti causa doloris? Tunc Prodiana dixit: mulier sum vidua, & iste filius meus est, quem post mortem mariti à quatuor annis ad hanc vsque ætatem nutriui, & hodie decima dies est, quo non cessat mihi molestus esse, & vult mecum vi concumbere: Proconsul hoc audiens iussit apprehendi Sosipatrum, & iussit * bouis sui, & mortiferas bestias, serpentes, viperas, & aspides, pellibus includi: & proiici intus Sosipatrum, vt eum miserabiliter occiderent. Paratis igitur pellibus, & bestiis ad perditionem Sosipatri, accurrit athleta fortissimus Ioannes, clamans voce magnâ, Proconsul, iniustè iudicas aduersus pudicum & insontem iuuenem: quibus testibus innocentem condemnasti? Tunc Prodiana apprehendit Ioannem clamans magnâ voce, Proconsul adiuua me: per istum enim hominem hunc, iniuriam mihi infert filius meus. Nam me contradicente adduxit eum in domum meam ad bibendum & comedendum, & comestione sumptâ teduxit filium meum aduersum me, & docuit eum, vt hanc mihi inferret molestiam. Hæc autem audiens Proconsul, iussit Ioannem teneri, & præparari plura & ampliora coria: & iussit plures mortiferas bestias immitti, & Ioannem pariter cum Sosipatro iussit interimi, vt eâdem morte eos afficeret. Apostolus autem suspiciens in cœlum suspirans dixit, Domine Iesu Christe, cuius natura est Immobilis, & cuius virtus inuicta, precor tuam immensam misericordiam vt locus totus sit instabilis & inquietus, propter inconstans & iniustum proconsulis iudicium, donec tua summa potentia id reuocare dignetur. Et statim prece Ioannis finitâ, factus est grandis terræ motus, & omnes præ timore ceciderunt in terram. Et quia proconsul iniustè manum extenderat in Ioannem, remansit manus eius arida, & Prodianæ vtrumque brachium, quo apprehendit Apostolum & filium, retortum, vnum sursum & alterum deorsum, & oculi eius in capite versi: & omnes à serpentibus & mortiferis bestiis læsi sunt, excepto Ioanne & Sosipatro, & me, qui remansimus penitus illæsi. Proconsul verò intelligens hanc vindictam à Deo esse inflictam, compunctus corde dixit ad Ioannem, Apostole Christi, serue Dei benedicti, redde mihi brachium & manum in sua loca sana, & ego firmiter credam in eum, quem prædicasti. Ioannes verò, vt erat mitissimus misericordiâ motus, suspiciens in cœlum cum gemito orauit ad Dominum dicens, Domine Iesu Christe fili Dei viui, qui in loco isto ostendisti virtutem tuam ad eruditionem astantium, deleat horum hominum delicta miserationum tuarum multitudo: ita vt omnes salui fiant & incolumes, sicut prius sine concussione resideat terra. Et finito verbo Apostoli, quieuit terræ motus; & proconsuli sanitas reddita est, & Prodiana facta sana: & omnes quicunque morsi à serpentibus fuerunt, aut præ timore terræ motus exanimati, incolumes facti.

** Deest quispiã. Præcepi iudiciũ.*

Temerarij iudicij diuina vltio.

CAPVT XLIV.

Proconsul, & Prodiana sanitati redditi baptizantur.

PRoconsul verò duxit nos in domum suam, & appositis mensis manducauimus apud eum: & in crastinum rogauit Ioannem, vt daret ei signaculum Christi, Et Ioannes instruxit eum, quomodo credere deberet, & baptizauit eum. Videns autem præsidis vxor virum suum baptizatum, accipiens filium suum procidit ad pedes Apostoli dicens, Apostole Christi fac me & filium meum huius gloriæ participes: & lætatus est Proconsul cum omni domo suâ, quos baptizauit Ioannes. Et cùm egressi fuissemus de domo proconsulis, dixit Ioannes ad Sosipatrum, fili eamus ad Prodianam in domum tuam. Dixit Sosipater, præceptor sequar te quocunque ieris, sed in domum meam non reuertar: nam omnia dimisi, vt verbis & doctrinâ tuâ mellifluâ fruar. Et Ioannes dixit: fili Sosipater, noli memor esse priorum malorum, quæ suggestione malâ aduersum te curauit mater tua, neque illius memineris verborum: Nam mater tua benignâ Dei gratiâ præueniente omnes suggestiones diaboli reliquit, & quæ sunt Christi de cætero cogitabit, & quomodo possit Deo placere: neque amplius similia prioribus ab eâ audies: sed aget pœnitentiam ab omnibus, quæ dixit & malè egit. Mox vt mandauit Ioannes, introiuimus omnes cum Sosipatro in domum eius. Cùm verò Prodiana nos audiuisset, approperauit & prostrauit se ad pedes Ioannis flens: & illacrymans veniam de malis operibus, quæ gessisset & dixisset postulauit; dicens, benigne Apostole Christi peccaui coram te & coram Deo quem tu colis. Et primò obsecro te, ne irascaris ancillæ tuæ propter mala, quæ in te commisit, & omnia mala, quæ in te & filium meum commisi, confiteor tibi tanquam bono medico, qui potes sanare animas, & vulnera mortalium insanabilia. Nam per multos dies per suggestionem diaboli male incalui ad subuersionem Sosipatri filij mei, & sæpe eum allicere tentaui ad meum malignum desiderium: sed noluit acquiescere meæ malæ voluntati: ideò malus error concitauit me aduersus eum, vt eum apud Proconsulem falsi criminis

Prodianæ pœnitentia.

accusatem: vt eum malè perderet, & per te Dominus omnipotens de nece liberauit innocentem, & in me futorem illum malè sanum extinxit, & liberauit me à magnâ iniquitate & irrequieto malo. Nunc ergo oro te vt Deum ores pro me, ne vindicet mala iniquæ voluntatis meæ, quæ aduersum vos cogitaui: & reddat mihi iusta supplicia secundùm quod merui. Tunc Ioannes mitibus verbis studuit eam placare, & instruxit eam ea Scripturis credere in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & pœnitentiam de commissis malis agere, & modò castè coram Deo viuere, & baptizauit eam, & filium eius Sosipatrum, & vniuersam eius familiam. Et attulit Prodiana multam pecuniam Ioanni, vt distribueret Indigentibus & iis quibus esset opus. Et interrogauit Ioannes, anne alia esset ei pecunia. Respondit, etiam Domine. Nam plurimis abundo diuitiis. Dixit Ioannes, hanc ergo in vsus illorum, qui opus habebunt, accipe, & manibus tuis distribue eam pauperibus, & thesaurizabis tibi thesaurum in cœlis. Prodiana verò deuotè impleuit præceptum Apostoli, & quotidie pauperibus distribuebat, prout vnicuique erat opus: & mansimus in domo eius & Sosipatri multis diebus. Vidimus in ipsis bonum fructum pœnitentiæ in ieiuniis, & orationibus, & eleemosynis mala præterita emendantibus atque redimentibus.

Prodiana eleemosyna.

CAPVT XLV.

Ioannes Apostolus reuocatus ab exilio pergit in Ephesum.

DOmino nostro Iesu Christo, gratiam largiente Apostolo suo Ioanni, fermè omnes in Pathmo Insulâ habitantes, crediderunt in Deum per prædicationem Ioannis. Mortuo autem Domitiano, qui nos transmiserat in exilium, successor eius non prohibebat Christianos. Et cùm audisset de bonitate & sanctimoniâ Ioannis, quodque fuisset iniustè à prædecessore suo exilio relegatus, per literas reuocauit nos ab exilio. Et cùm vidisset Ioannes, quòd tota Insula Pathmos recepisset verbum Dei, & crederet in Dominum Iesum Christum, disposuit, vt rediret Ephesum. Quod cùm cognouissent vniuersi fratres, doluerunt vehementer, & congregati venerunt ad Ioannem, rogantes eum, ne discederet, sed vsque ad finem vitæ remaneret apud eos. Ioannes verò dilectus Domini consolabatur eos dicens, quid facitis filioli mei plorantes & ægrè ferentes discessum meum? quomodo infligitis mihi dolorem? nunquid possum resistere voluntati Dei? Et iam sciatis, quia Dominus noster Iesus Christus, qui me in hanc Insulam misit, apparuit mihi in reuelatione, & præcepit, quod redirem in Ephesum, propter errores qui inciderunt inter fratres, qui illic sunt. Et videntes vniuersi quòd Ioannes non morem gereret eorum voluntatibus prociderunt in terram ad pedes eius, cum lacrymis dicentes, ergo bone magister, cùm nos relinquere statuis desolatos, scientiâ imperfectos, & imbecilles in fide: non tamen penitus desere, sed relinque nobis de scriptis signa quæ vidisti apud filium Dei, & verba quæ ex eius ore audisti: vt in verbo Domini firmi & stabiles maneamus, & non recidamus in odibiles laqueos diaboli, quos per te euasimus. Ioannes autem respondit eis dicens, audiuistis filij charissimi omnes ab ore meo omnia signa quæ fecit filius Dei, me etiam illum vidente & verba quæ locutus est mihi, docui vos. Seruite ergo Deo: & vobis ea sufficiant, quæ annuntiaui vobis de seipso, & iugiter illis intendite, & habebitis vitam æternam. Reuelationem quam mihi Dominus Iesus, qui est principium & finis, reuelare dignatus est, vobis reuelaui: & signa vidistis, quæ Dominus, qui me verba vitæ huius docuit, per me operatus est. Illi autem perstabant in precibus dicentes, Magister & præceptor verissime, & magne consolator, nunc preces nostras audi, & nostrum imple desiderium. Expone nobis scripto de Christo Iesu filio Dei & quæ vidisti, & quæ ab ore eius audisti. Tunc Ioannes misertus eorum dixit, filioli mei nunc abite quisque in domum suam, & orate Dominum vt implere dignetur desiderium vestrum; nam si voluntas fuerit Domini, ipse præcipiet; & per me aut per alium postulationem vestram implebit, & vestrum desiderium vobis dabit. Abierunt ergo vnusquisque in domum suam.

Cocceius Nerua. Nicephor lib 3. cap. 11.

CAPVT XLVI.

Dictat B. Ioannes Euangelium Notario amanuensi Prochoro.

POstquam autem hæc facta sunt, duxit me Ioannes in quendam locum solitarium & desertum, qui ab vrbe distabat miliari vno, in quo mons erat præruptus. Fuimus ergo illic tribus diebus, vbi toto illo tempore Ioannes in oratione mansit ieiunus, & orans Deum vt tribueret fratribus petitionem quam poposcerant. Tertiâ verò die vocauit me, & dixit, fili mi Prochore, abi in ciuitatem, & affer mihi huc atramentum & chartas: sed nihil quem locum sim ingressus, fratribus indices. Ingressus ego sum ciuitatem, & impleui mandatum eius, deferens chartas & atramentum, qui dixit mihi, relinque hîc chartas & atramentum, & recipias te in ciuitatem: & tertiâ die ad me reuertere, feci ita: & tertiâ die ad eum sum reuersus: & inueni eum orantem: & finitâ oratione dixit mihi, tene chartas & atramentum, & sede à dextrâ meâ. Feci ita. Et statim factum est fulgur ingens & tonitruum magnum, & totus mons commouebatur, & nimio timore perterritus corrui pronus in faciem, & factus exanimis multo tempore mansi quasi mortuus. At Ioannes erexit me manibus propriis, & dixit, fili Prochore, quæ audies de ore meo, scribe diligenter in chartis. Tunc Ioannes stans oculis in cœlum intentis, aperuit os suum, & incipiens sanctum euangelium pronuntiauit: *In principio erat verbum*, continuò sic stans, & in cœlum intendens hucusque, *& tenebræ eum non comprehenderunt.* Deinde paruâ interueniente morâ prosequutus, stans, cætera verba continuauit. Ego autem scribebam sedens, & fecimus illic duorum dierum & sex horarum moram, ipse dicens & ego scribens. Et cùm compleuisset diuinos sermones, recessimus à loco, & venimus in domum Sosipatri & Prodianæ matris eius: & mansimus nocte illâ apud eos. Et dixit Ioannes Sosipatro, fili Sosipater, quære nobis optimas membranas ad reponendum sanctum, quod nobis Deus ostendere dignatus est, Euangelium, quod fecit Sosipater: & iussit Ioannes vt in domo illâ sederem, & diligenter sanctum scriberem Euangelium, quod gratiâ Domini nostri Iesu Christi adueniente diligenter perfeci.

D. Ioannes dictauit Euangeliū excipiente Prochoro, quod refert in vitâ Ioā. Metaphrastes.

CAPVT XLVII.

D. Ioannes suum Euangelium ab Ecclesiâ probari voluit.

EO autem tempore, quo euangelium scriberem: Ioannes euangelizabat populo per vniuersam insulam, Episcopos, presbyteros, & cæteros Ecclesiæ ministros Ecclesiis quas instruxerat præficiens. Et cùm complessem Scripturam, præcepit Ioannes, vt vniuersi fratres in Ecclesiam Dei conuenirent, & congregatis vniuersis, præcepit mihi Ioannes vt sanctum Dei Euangelium legerem, & recitarem audiente totâ congregatione eorum. Legi itaque audientibus cunctis: & lætati sunt valde, glorificantes Deum & laudantes magnalia eius, & dixit Ioannes vniuersis fratribus, vt sanctum acciperent Euangelium: & rescriberent, & ponerent in vniuersis Ecclesiis, quod fecerunt. Et dixit iterum illis, quod exscriptum est in pellibus, caprarum in Insulâ, hæc, custodite; quod verò exscriptum est in chartis, oportet illud nobiscum in Ephesiorum ciuitatem deferri. Et postquam hæc facta fuerunt, Ioannes per septem menses circuiens, vicos & castella euangelizando verbum, insulam reliquit, in quâ prius & Apocalypsim scripserat suâ manu, sicut Deus illi reuelauerat.

Legitur D. Ioannis in Ecclesiâ Euangelium.

Apocalypsim propriâ manu scripsit B. Ioan.

CAPVT XLVIII.

B. Ioannes sacerdotis Iouis filium cæcum curauit, & eruditum in fide baptizauit.

EPiscopi Asiani, & populus vnà cum Caio & Aristarcô Apostoli Ioannis discipulis, dederant Epistolas ad Romanum senatum, desiderantes Ioannis absolutionem ab exilio, qui vbi sciuerunt concilium statuisse, vt quicquid Domitianus statuisset, cassaretur: & Ioannem ab exilio liberum facerent: venerunt obuiam Ioanni, & eum cum honore duxerunt Ephesum. Ipso autem vnam ciuitatum Insulæ intrante & prædicante affuit filius Eucharis Sacerdotis Iouis, qui erat cæcus, & libenter audiebat Apostolum prædicantem, & exclamauit voce magnâ dicens, magister: at Ioannes respondit, quid vis fili? Et adolescens, qui cæcus erat, dixit, per illum Deum quem prædicas, ego te libenter audio: sed vnum mihi deest, quòd te videre nequeo, neque tuam desiderabilem faciem contueri valeo: ora Deum tuum, vt mihi visum donet, quo te videre sicut & te delectabiter audire possim: & in me gaudium completum erit & perfectum. Audiens Ioannes quia naturæ mitis erat, præ miseriâ & calamitate adolescentis contristatus gemuit, & vehementer compatiens, & accedens ad eum dixit, in nomine Domini nostri Iesu Christi, fili, respice. Et continuò aperti sunt oculi eius, & vidit, & laudabat & magnificabat Deum. Quod factum cùm vidisset Eucharis pater eius procidit ad pedes Ioannis, rogans vt daret illi & filio eius signaculum Christi. Et Ioannes introiuit in domum eius, & baptizauit eos. Deinde vt Ioannes processit in publicum, conuenerunt ad eum vniuersi fratres Iudæi & Græci & mulieres multæ: & loquebatur ad eos de sanctis Scripturis verbum Dei, & in fine adiecit, filioli mei estote memores verborum meorum, & seruate traditiones, quas accepistis ex ore meo, & præcepta Christi, quæ per sanctum eius Euangelium vobis tradita sunt, vt sitis obedientes filij, & regnabit Christus in vobis, statim enim, inquit, redite me Ephesum ad eos, qui illic sunt fratres visitandos oportet: vos autem in sanctâ custodiâ ac protectione Domini nostri Iesu Christi, qui vos conseruet in æternum, commendo, & dedit illis benedictionem suam, & recessimus ab eis. Illi verò planctum magnum ducebant: cupientes eum precibus & lacrymis in Insulâ retinere, sed noluit consentire: & venimus ad littus maris, & inuentâ naui quæ soluebat in Asiam, ascendimus in eam, decimo die peruenimus Ephesum, vbi cum magno gaudio occurrerunt nobis Asiani clamantes, & dicentes, benedictus qui venit in nomine Domini.

Cæcus illuminatur.

Traditiones seruandæ.

B. LINI ROMANORVM Pontificis de Passione D. Petri & Pauli ad Ecclesias Orientales,

LIBER I.

LINVS de septuaginta duobus Christi discipulis, vnus, cuius nomine Paulus Timotheum in posteriore ad ipsum Epistolâ salutat, primus post Petrum Romanæ Ecclesiæ Pontifex, natione Hetruscus, scripsit Græco sermone de Petri & Pauli agone libros duos, itemque Epistolas aliquot. Moritur Romæ sub Galbâ Imperatore, anno Christi septuagesimo post expletos Pontificatus sui annos vndecim, menses tres, dies duodecim. Hæc Sixtus lib. 2. Bibl. nonnihil dissentiens ab his quæ scripsit Nicephorus Xanthopolus lib. 3. cap. 2.

EX BELLARMINO DE SCRIPTORIBVS Ecclesiasticis

SImilis narrationi Prochori est narratio, quæ sub nomine sancti Lini extat in Bibliothecâ sanctorum Patrum. Narrat enim auctor ille multa de actis sancti Petri, quæ vel falsa, vel dubia sunt; neque testimonium habet hoc opusculum sancti Lini a veteribus.

Inter alia scribit auctor, Agrippam fuisse Præfectum vrbis tempore passionis sancti Petri; atque ab isto Agrippâ fuisse sanctum Petrum occisum, sine consensu Imperatoris Neronis, a quo etiam id factum postea fuisse improbatum.

Sed neque constat Præfectum vrbis tunc fuisse Agrippam: & necem S. Petri Neroni displicuisse, repugnat omnibus veteribus Patribus.

In eâdem narratione scribit auctor, vxorem Albini secundum doctrinam S. Petri, repudiasse thorum viri sui ob amorem castitatis, inuito & reclamante marito.

Hæc verò doctrina S. Petri esse non potest, cum repugnet doctrinæ coapostoli eius Pauli, 1. Cor. 7. Fateor quidem à sancto Lino conscripta fuisse Acta S. Petri, vel potius Acta sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quod aliqui dicunt, & de Actis sancti Petri in Romano Breuiario legitur: sed ea non extare, & loco eorum supposita fuisse, quæ nunc extant, arbitramur.

POst multimoda & multifaria viæ, vitæque salutaris documenta, & eximia atque celeberrima miracula ostensa, & diuersa cum Simone Mago aliisque quamplurimis Antichristi præconibus pro nomine veri Christi certamina, post passionem quoque multiplicem, & flagellorum acerbitatem, & carcerum squalorem horrificum, cùm esset exultans in Domino beatus Petrus, & gratias agens nocte ac die cum fratribus, in turbâ venientium ad fidem Dei & Domini nostri Iesu Christi, intentus orationibus ac doctrinæ, cæterisque pietatis officiis, præcipue charitatis & castitatis, gratiam audientium pectoribus inserebat, adhortans credentes in Christum, vt pudicè & continenter se gererent. Nimis enim abundanter & supereminenter vrbs orbi prælata mente se in fastum elationis extulerat, & idcircò (vt solet in opulentiâ & inerti securitate) indecenti luxu dominabatur. Persæpè namque vbi est elatio mentis, sequitur contumelia carnis: vnde factum est vt beati Petri sermonibus, magnus pudicitiæ apud multas diuersæ ætatis & potestatis seu nobilitatis fœminas, amor exarserit, ita vt pleræque etiam Romanorum matronæ à commixtione virilis thori seruare munda corda, simul & corpora, quantum ex ipsis erat, deligerent. Sed cùm iam tempus appropinquaret, quo fides beati Apostoli & labores remunerari deberent, præueniens, perditionis caput scilicet, & Antichristus Nero, consummata iniquitas, arctari eum & in custodiâ squalidissimâ compedibus vinciri iussit, vbi cœperunt frequentare illum quatuor concubinæ præfecti Agrippæ, quarum erant nomina: Agrippina, Eucharia, Euphemia, & Dione. Quæ audientes ab eo castitatis sermonem, & omnia Domini nostri Iesu Christi mandata, tabescebant & molestabantur sub thoro Agrippæ. Vnde castitati se deuouentes, pactum consilij adinuicem inierunt: & confortatæ à Domino nostro Iesu Christo, nullo modo ei obsequio concubitus acquiescere vlterius decreuerunt. Subtrahentibus autem se iisdem non solùm à complexu, verùm etiam ab omnimodâ coniunctione Agrippæ, cœpit idem super hoc valde tædere, & mœstus esse. Mittensque sollicitos ac solertes exploratores didicit eas studiosissimè ad beatum Petrum se proripere. Quibus ad se reductis, dixit vehementissimâ amoris captus insaniâ, scio vnde venitis. Ille Christianus vos docuit mecum non conuenire, & à debito thoro subtrahere. Sed certus sum, quia suis magicis artibus amorem erga me vestrum non poterit infirmare. Quæ multis blanditiis delinitæ, nec verbo amatorio compellarunt, nec intento oculo, libidinis fomitem respexerunt, quia Apostolico sermone fundatæ erant. Videns autem Agrippa præfectus, quòd Petri do-

Elationem mentis sequitur contumelia carnis.

Ita Neronem resurrecturum futurumq; Antichristum quidam opinati sũt Theophilus imprimis.

D. Martinus & Calius lib. 11. cap. 12. Bonfinius lib. 5. dec. 2.

ctrinam sequentes, libidinem eius vnanimiter spernerent, & eius blanditiis minimè acquiescerent, cœpit eis minas intentare horrificas, iurans quòd & viuas incendio cremaret, & Petrum grauissimè afflictum suppliciis, ab hominum de sub cœlo memoriâ perderet. Sed nunquam potuit eas ad inquinamentum flectere, dicentes amabilius sibi esse omnibus tormentis pro castitate succumbere, quàm Christum (cui deuouerant castimoniam) recusare. Indignabatur itaque Agrippa præfectus, maximè in Apostolum, & fremebat super eum dentibus, quærens occasionem vt eum quasi rationabiliter potuisset occidere. Interea vxor Albini, Cæsaris amicissimi, nomine Xandippe, cum aliis pluribus nobilissimis matronis, venit ad Petrum. A quo percipiens verbum castæ vitæ, repudiauit non modò virile connubium, quinetiam & omne huius delectamentum. Quâ de re Albinus nimio mœrore confectus, comminabatur multa se Petro illaturum tormenta. Xandippen verò vxorem suam, verbis iniuriâ plenis, indéque delinimentis, ac toto conamine refragari tentabat. Mittensque ad Aggrippam præfectum, sibi amicitiâ copulatum, mandauit ei, omnia quæ agente Petro, de suâ vxore patiebatur, deprecans vt si ei secundùm suam fiduciam amicus esset, vlcisceretur eum de Petro, alioquin ipse se vindicaturus esset. Agrippa quoque reddidit ei responsum, se eadem, adhuc etiam & duriora his per eum pati. Vnde factum est, vt cùm Albinus cubitum iret, & Xandippen adduci sibi fecisset, suæque delectationis commixtionem apud eam, nec blanditiis nec terroribus obtinere potuisset, consiliaretur quatenus vnà cum Agrippæ manu, velut autem laqueo Petrum caperet, & vt maleficum pessundaret. Xandippe autem Albini vxor hæc audiens, misit nuncium fidelissimum ad Petrum, vt Romà exiret, & insidiis penè ineuitabiles declinaret. Marcello nihilominus Marci præfecti filio, qui postquam Simonis Magi pestiferam doctrinam aufugerat, Apostolo fideliter & viriliter in cunctis adhæsit, atque etiam fratribus conspirationem viri sui & præfecti Agrippæ ipsa innotescere fecit. In crastino quoque surrexerunt quidam ex senatoribus in consessu, & dixerunt, Suggerimus amplitudini vestræ nobiles viri, quòd ad perturbationem vrbis æternæ, Petrus connubia diuortiis emancipat, vxores nostras à nobis disiungit, & nescimus quam nobis nouam & inauditam legem inducit. Et hæc dicentes, concitabant etiam alios ad tumultum & appellationem. Tunc Agrippa gratulatus est, quia quod de Petro optauit, sub occasione in senatum venit. Sed & hoc, Petrum & fratres non latuit. Innotescere siquidem hoc eis celeri nuntio fecerunt ij, qui fuerant ex senatoribus per Petrum illuminati à Domino. Quapropter Marcellus & fratres deprecabantur Petrum, vt recederet. Petrus verò ait: Non oportet fratres & filij fugere propter Christum Dominum passiones, cùm ipse vltro se pro nostrâ salute morti obtulerit. Marcellus autem & fratres, nimio cum fletu aiunt: Miserere pater misericors iuuenum, & eorum qui sunt in fide rudes, nec nos, nec illos inter infidelium turbines destitutos relinquas. Tunc Petrus rogantibus se, ait: Fugiendum suadetis, & iuuenum atque infirmorum cordibus exemplo nostro metum passionis incurere, cùm verbum Dei constanter debeamus asserere, & sanctæ castimoniæ fundamenta, quæ iecimus, conseruare. Fugiendum putatis, vt mortem declinemus, quam multis suspiriis & gemitibus diuturnis, vt ingressum vitæ expetimus, quia etiam secundum illius reuelationem, Dominum clarificare debeamus. Fratres verò hæc audientes leuauerunt vocem dicentes: O pater veracissimè, vbi sunt verba, quibus dicebas, quoniam pro vitâ nostrâ morti paratus esses succumbere, & nunc impetrare non possumus, vt pro salute nostrâ, donec corroboremur, patiaris te aliquantulum viuere. Adolescentes quoque, quos ipse sollicitè custodiens, in fide & castitate sedulò educabat manus protendentes in cœlum, & porrecti in faciem illius, velut subitò mortui procidentes in terram vociferabantur nimio eiulatu clamantes: O bone Petre, pater, & pastor, post tuum Dominum clementiâ singularis, cur quos affectu materno recenter per sacrum fontem Domino peperisti, tam immaturo solatio & animo crudeli, qui te antea nunquam attigerat, nos immanissimorum morsibus luporum exponis? Clamabant autem & matronæ, puluere conspersis capitibus. Hæccine est misericordia quam de Saluatore tuo prædicare solebas: qui tuis lachrymis quem ad tempus negaueras, in æternum pietate motus indulserat, & nunc tantis lachrymarum fluminibus, te vel paruo tempore, nobis non concedis, præsertim & cùm Domino possis ministrare in carne, & tibi reseruatam coronam adipisci perpetuam. Sed & custodes carceris Processus & Martinianus, cum reliquis Magistratibus & ex officio inuictis, postulabant eum dicentes: Domine, quò vis abscede, quia imperatorem oblitum tui iam credimus, sed iste iniquissimus Agrippa pellicum amore & intemperantiâ suæ libidinis inflammatus, perdere te festinat. Si enim te regis iussione impeteret, Plautini viri clarissimi, cui te commendatum nos custodiendum suscepimus, de tuâ nece sententiam haberemus: nam postquam nos credenter in hac vicinâ custodiâ, fonte, precibus admirabili signo crucis de rupe, producto, in sanctæ Trinitatis nomine baptizasti, liberè quò libuerat, perrexisti, & nemo fuit tibi molestus: nec modò esset, nisi incendium dæmoniale quod vrbem stimulat, Agrippam acrius persuasisset. Quapropter oramus te saluris nostræ minister, hanc nobis digneris recompensare vicissitudinem, vt qui nos à peccatorum & dæmonum vinculis absoluisti, à carcerali ac compedum nexibus, quorum nobis est commissa immanitas, nostrâ non tam permissione, quàm etiam deprecatione liber in saluationem tantæ plebis abscedas. Viduæ quoque & orphani, ac senio valde confecti, capillos sibi trahentes, genásque vellentes & pectora denudantes, dicebant: Alios quorum ministerio fouebamur, à diuersis languoribus sanasti, & de ipsâ etiam morte resuscitasti, & te nobis pater piissime subtrahis? Vel ante te omnes nos præmitte, ne tuæ institutionis doctrinâ destitutæ animæ pereant, & corpora, ministrationis tuæ solatio desolata intereant: & sic quo desideras, accelerare festina, ne vitam nostram post dominum, mori videntes, & remanentes in vitâ miseri moriamur. Tunc Petrus hæc vndique audiens, qui vltra modum misericors lachrymas afflictorum sine lachrymis nunquam præterire poterat, deuictus tantis fletibus ait: Nemo vestrum veniat mecum, ego solus mutato schemate pergam. Proximâ namque nocte celebratâ oratione valedicens fratribus, & cum benedictione illos Deo commendans, profectus solus est. Et dum pergeret, ceciderunt ei fasciamenta ex crure demolita à compede. Vt autem portam ciuitatis voluit egredi, vidit sibi Christum occurrere, & adorans eum ait. Domine quò vadis? Respondit ei Christus: Romam venio iterum crucifigi. Et ait ad eum Petrus: Domine, iterum crucifigeris? Et dixit ad eum Dominus. Etiam, iterum crucifigar. Petrus autem dixit: Domine reuertar, & sequar te. Et his dictis Dominus ascendit in cœlum. Petrus autem prosecutus est eum multo intuitu, atque dulcissimis lachrymis. Et post hæc rediens in seipsum, intellexit de suâ dictum passione, quòd in eum Dominus esset passurus, qui patitur in electis misericordiæ compassione & glorificationis celebritate. Conuersúsque in vrbem rediit cum gaudio, glorificans Deum, & narrans fratribus quòd ei obuius fuisset Dominus, & declarasset ei, quod iterum in ipso esset crucifigendus. Quibus cùm manifestasset passionem suam, fletum omnes & vlulatum emiserunt, dolebant vniuersi, & lachrymas profundebant, dicentes: Considera oues tuas pastor bone, considera eos quorum fides infirmior, tuo expedit roborari sermone. Considera corda titubantia, quæ per te stabilienda noscuntur. Quibus Petrus ait: Facilè est, Domino, vt seruorum suorum corda etiam sine meæ humilitatis sermone corroboret. Quos enim plantauit, ad hoc faciet adolescere, vt & alios possint plantare. Ego autem tanquam seruus necesse est, vt Domini exequar voluntatem. Quapropter si me adhuc morari in carne disponit propter vos, non contradico. Et si me pati pro nomine suo decreuerit, & per passionem dignatur, suscipere, exulto & lætor in gratiâ ipsius. Cùm his igitur &

Horum meminit Gregorius & Hildebertus in Epistol.

Occurrit Christus Petro fugienti. Euseb. 3. cap. 5.

aliis

B. Petri erga gregem dilectio.

aliis multis verbis fratrum animos consolaretur, & illi lachrymas tenere non possent, superuenit Heros cum quatuor apparitoribus, & aliis decem viris, qui eum comprehendentes rapuerunt de fratrum medio, & statuerunt vinctum Agrippæ præfecti vrbis obtutibus. Cui ait Agrippa: Multa est tibi audacia, ô scelerate in plebibus quas circumuenis, atque in fœminis quæ tuâ persuasione à maritali thoro discedunt. Ausus es etiam in Iudæorum iniuriam, nescio quem Christum inducere, & contra sanctum ritum Romanum & contra vrbis æternæ deuotionem, nescio quæ inepta & vana docere. Tunc facta est facies Apostoli sicut Sol splendida, & aperiens Petrus os suum dixit ad eum: Video quò tendis, dux libidinum, amator pollutionis, atrocitatis inuentor, innocentium persecutor, decipientium fautor, fallaciæ conditor, habitaculum sathanæ. Ignoras namque gloriam, in quâ glorior, & ideò dicis, quòd in viris & mulieribus sit mihi fiducia. Et ait ad eum Agrippa: Quia scis me ignorare, in quo gloriaris, facito me nosse. Et ait ad eum Petrus, Nulla sit mihi gloria, nisi crux Domini mei Iesu Christi, cuius ego sum seruus. Et ait ad eum Agrippa. Vis ergo, vt crucifigaris sicut Dominus Deus tuus est crucifixus? Petrus quoque respondit. Non sum dignus rectâ cruce mundum testem facere passionis meæ, sed per quælibet supplicia opto & desidero sequi vestigia passionis eius. Tunc præfectus, morbo incontinentiæ suæ prætendens superstitionis accusationem, crucifigi fecit Apostolum. Et ecce concursus ingens subitò factus est diuersæ ætatis & sexus, diuitum, pauperum, viduarum, pupillorum, imbecillium atque potentum, qui summâ voce clamabant: Vt quid occiditur Petrus? Quid admisit criminis? In quo læsit vrbem? Nec innocentem damnare fas est. Nonne timendum est, ne tanti ac talis viri necem Deus vindicet, & nos omnes perire præcipiat? Et cœperunt in Agrippam sæuire populi, molientes illæsum rapere & conseruare Petrum, & tumultuantibus vocibus plebis ad inuicem confundebatur Roma. Tunc Petrus restitit modicum, & ascendens editiorem locum, nutúque ad silentium prouocans populum, ait: O viri & fideles Dei, qui Christo militatis! O omnes, qui in Christo speratis, si charitas vestra in me vera est, & viscera integra in me pietatis ostenditis, nolite reuocare euntem ad Dominum, nolite impedire properantem ad Christum. State ergo quieti, gaudentes & læti, vt hostiam meam cum hilaritate Domino offeram. Hilarem enim datorem diligit Deus. Et his dictis vix est sedata seditio, & præfecti discerptio. Poterant enim & inhianter optabant multi populi præfectum euertere, sed timebant Apostolum contristari, qui magistri sui sequebatur exemplum, dicentis: Possum rogare patrem, & exhibebit mihi modò (si volo) plusquam duodecim legiones Angelorum. Peruenit denique vnà cum Apostolo & apparitoribus, populus infinitus ad locum, qui appellatur Naumachia, iuxta Obeliscum Neronis in monte. Illic enim crux posita erat, & respiciens flentem populum, & iterum seditionem excitare volentem, aît clarâ voce: Nolite obsecro vos fratres, oblationem meam impedire. Nolite versus Agrippam sæuire, & amaro animo in eum esse. Ille enim minister est alienæ operationis. Nam damnationis meæ secundùm corporis qualitatem; diabolus autor est, dominicâ abutens permissione. Quia doler vasa contumeliæ per me sibi sublata esse, & facta esse diuersoria continentiæ; templa Christi, domicilia honoris & gratiæ. Itaque fratres mei & filij, obedientes estote, quia per reuelationem à Domino Iesu Christo proditum est mihi, quòd ita esset euenturum. Non ergo est discipulus super magistrum, nec seruus super Dominum suum. Festinate itaque vt carne exutus assignet Domino. Nunc enim tempus est, in quo meam offeram hostiam. Mementote signorum & prodigiorum atque sanitatum, quæ Christo operante, & me ministrante, vidistis & sensistis. Ideò enim plurimorum infirmitates curatæ sunt, vt omnium animæ saluarentur. Ideò mortua corpora suscitata sunt, vt animæ mortuæ reuiuiscerent. Sed quid iam moras patior, & non appropinquo cruci? Valete fratres, & patientes estote, & seruate quæ audistis, commendo vos Domino Iesu Christo. Accedens autem & astans cruci, dixit: O nomen crucis occultum mysterium! O gratia ineffabilis, in nomine enim crucis, pax! O crux, quæ Deo hominem coniunxisti, & à dominio diaboli captiuantis magnificè segregasti! O crux, quæ humano generi passionem Saluatoris mundi, & redemptionem captiuitatis humanæ verâ comitante fide semper repræsentas incolumem! O crux quæ quotidiè carnes immaculati agni fidelibus diuidis populis, & dira serpentis venena à populo salutariter depellis atque Romphæam paradisi ignitam, credentibus sine intermissione restinguis! O crux, quæ pacem quotidie terrenis cum cœlestibus operaris, & mediatoris mortem, qui à mortuis resurrexit, & iam non moritur, æterno patri (Ecclesiâ pro filiis agente) sedulò reparas, & legatione fœlicissimâ renouas, & reformas: vim patior tui causâ; & iam nunc in finitimâ absolutione existens, non quiescam manifestare de cruce occultum Dei mysterium, quod olim clamauit anima mea. O qui in Christum creditis; non istud sit vobis crux, quod apparet. Aliud est enim quiddam mysticum in hoc, quod apparet vobis. Et nunc maximè qui potestis audire in horâ nouissimâ vitæ huius existente me, omnes sensus segregate & animos vestras ab omni quod apparet, ad illud quod inuisibile est, auocate; & scietis, quòd in Christo, per crucem, factum est salutis mysterium. Debitum est tibi Petre, reddere terræ corpus acceptum, per eos quibus est corpus occidere proprium. Ait autem ad magistros carnificum, quid est, quod tempus arteritis? Quid apparitores innecti mihi moras patimini? Implete, quod vobis est iussum, exuite me mortali tunicâ, vt spirituali adhæream Domino. Petiit sanè, & ita alloquens ministros carnificum, exorauit. Precor vos bonæ salutis meæ ministros, vt crucifigentes me caput deorsum ponatis, pedes verò sursum. Non enim decet me seruum vltimum ita crucifigi, vt Dominus vniuersitatis pro salute totius mundi est crucifixus, quem passione meâ constat glorificari. Et etiam vt mysterium crucis intento vultu semper possim conspicere, quò facilius quid inde dixero circunstantibus, possit audiri. Quod cùm factum fuisset, adorsus est Petrus flentem populum, de cruce consolari, & alloqui mysterialiter, dicens: Grande & profundum mysterium crucis, & ineffabile atque inseparabile vinculum charitatis. Per crucem enim ad se omnia traxit Deus. Hoc est lignum vitæ, quo destructum est mortis imperium. Hoc mihi tu aperuisti Domine, aperi & omnium istorum oculos, vt videant consolationem vitæ æternæ. Et his dictis aperuit Deus oculos eorum, qui lugebant, & lachrymas fundebant in passione Petri, & viderunt Angelos stantes cum coronis de floribus rosarum & liliorum, & in vertice crucis erectæ stantem Petrum, & librum à Christo accipientem, & ea verba quæ loquebatur, inde legentem. Quod videntes ita cœperunt lætari & gaudere in Domino, vt illi increduli & carnifices videntes eos exultare & lætari quos prius tristes viderant, & plangentes, subitò contabescerent animo & veluti fumus vanescerent. Videns autem Petrus, quòd demonstrata esset multis antea flentibus gloria eius, gratias egit Domino Iesu Christo, dicens: Dignè tu solus Domine in altum porrecto vertice crucifixus es, qui totum mundum à peccato redemisti: te imitari, etiam in passione optaui, sed rectus crucifigi, non vsurpaui: Quia ex Adam, puri homines, & peccatores nati sumus, tu verò ex Deo Deus; & lux vera ex vero lumine ante omnia sæcula, in fine sæculorum pro omnibus sine contagione hominis, homo fieri dignatus, redemptor hominis gloriosus existens. Tu semper rectus, tu semper excelsus; tu semper altus. Nos secundùm carnem, primi hominis filij sumus, qui principale demersit in terram. Cuius lapsus, significat speciem generationis humanæ. Sic enim nascimur, vt proni in terram videamur effundi; & quod ad dexteram est, hoc ad sinistram fit, & quod ad sinistram, hoc ad dexteram fiat, eò quòd in Authoribus huius vitæ mutata conditio est. Hoc enim putat mundus iste dextrum, quod est sinistrum: in quo tu Domine, quos sicut Nauigantes inuenisti perituros, tuâ sanctâ prædicatione liberasti.

Crucis laudes, de quibus plura apud Abdiam.

Ob damnationem B. Petri tumultuatur populus.

Niceph. l. 2. c. 36.

Christus suorum passione glorificatur.

Crucis efficacia: B. Petri gloria.

Quid significet de orsù versù D. Petri crucifixio.

liberasti. Vos verò fratres, quibus est audire promptum, aures cordis apponite, & nunc quæ annuntianda vobis sunt, agnoscite, scilicet omnis naturæ mysterium, & omnis factæ constitutionis initium: nam primus homo, cuius genus in specie ego habeo, misso deorsum capite, ostendit olim perditam generationem, mortua enim erat generatio eius, & nec vitalem habebat motum. Sed tractum misericordiâ suâ principium, venit in mundum per corporalem substantiam, ad eum quem iustâ sententiâ in terram proiecerat, & suspensum in cruce per speciem huius honorandæ vocationis, videlicet crucis, restituit, & constituit nobis ea, quæ antea hominum iniquo errore immutata fuerunt, præsentia videlicet vt æterna, & æterna ducebantur vt præsentia, & dextera sinistra. Siquidem ille dexteram glorificans, omnia signa mutauit ad propriam naturam, sicut bona intelligens quæ non putabantur bona, & reuera benigna, quæ maligna æstimabantur. Vnde Dominus in mysterio dixerat: Si non feceritis dexteram sicut sinistram, & sinistram sicut dexteram, & quæ sursum sicut quæ deorsum, & quæ ante sicut quæ retrò, non cognoscetis regnum Dei. Istam ergo scientiam, in me produxi fratres, & hæc est figura, quâ me pendentem oculi carnales conspiciunt. Schema est enim primi hominis. Vos verò dilecti mei hæc audientes, & quæ audiris ad perfectionem conuertendo & conuersando ducentes sicut de vestro primo errore ad certissimam fidei stationem rediistis, ita perseuerate currentes, & ad quietem supernæ vocationis tendite, benè conuersantes; via enim quâ illuc iter agere debetis, Christus est. Oportet igitur cum Iesu Christo Deo vero superascendere crucem, qui est constitutus nobis sermo solidus & viuus. Vnde & Spiritus dicit, Christus est verbum & vox Dei. Cæterum verbum significat istud rectum lignum, in quo crucifigor. Et quia vox propriè corporis est, quod lineamenta recipit, quæ diuinitati non imputantur, naturalia crucis, humanam prætendere noscuntur naturam, quæ immutationis errorem, in primo homine passa est, sed per Deum & hominem, veram intelligentiam recuperauit. Ipsa namque disciplinæ clauis in medio astricta est, conuersione videlicet, & conuersatione, atque cum fide pœnitentia hominis. Et hæc dicens alacri vultu & facie serenâ, sic exclamauit, in orationem erumpens: Ista mihi tu Domine Iesu Christe verba vitæ nota fecisti, & reuelanti tibi, quæ dixeram de ligno à me prædicato, gratias ago: Non corde, cui sæpè indecens quidquam subrepit, non labiis istis carni affixis, nec linguâ per quam verum vel falsum procedit, neque verbo articulatâ & materiali naturâ producto: sed illâ voce gratias tibi ago, rex bone, quæ per silentium intelligitur, quæ non in manifesto auditur, quæ non per organa corruptibilis oris percipitur, quæ neque est è terrâ, nec in terrâ dimittitur, quæ in libris materialibus non scribitur, nec quenquam materialiter mouet, neque materialis existit. Illo inquam spiritu Domine Iesu Christe, Domine & magister meus gratias ago tibi, quo te credo, quo te intelligo, quo te diligo, quo te teneo, & voce quâ te alloquor, quâ te interpello, quâ tu tono & modestia tantum spiritui intelligibilis es. Tu mihi Domine, Pater, & amicabilis auctor, & perfector salutis. Tu desiderium, tu refrigerium, tu satietas. Tu mihi omnia es, & omnia mihi in te sunt: mihi totum es, & totum quod est, tu mihi es. Tu es mihi omnia. In te viuimus, mouemur & sumus. Et ideo, te vt omnia habere debemus, vt tu des nobis illa, quæ promisisti, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparasti his, qui diligunt te. Hæc custodi seruis tuis, hæc tribue atque largire, quia tu es pastor æternus & summè bonus, verus filius Dei. Tibi commendo oues, quas tradidisti mihi. Tu eas in ouile tuum aggrega, & conserua, quia tu ostium, ouile, & ostiarius. Tu pascua & æterna refectio. Tibi gloria cum Patre & Spiritu sancto, nunc, & in omnia sæcula sæculorum. Et mox vt omnis plebs magnâ voce, Amen, reddidit, Petrus Spiritum tradidit. Statimque Marcellus nullius expectauit sententiam, sed videns quia beatus expirauit Apostolus, propriis manibus deposuit corpus de

B. Petri patientis oratio.

B. Petri patientis oratio.

cruce, & lauit illud lacte & vino optimo. Terénsque mastiches, & aloës minas mille quingentas, & myrrhæ ac folij atque stactes, cum cæteris variis aromatibus alias minas mille quingentas, condiuit eum diligentissimè. Melle quoque Attico nouum repleuit sarcophagum, & in eo corpus aromatibus perlitum collocauit. In ipsâ autem nocte, cùm Marcellus ad sepulchrum ipsius vigilaret, & ardenti eius desiderio fleret (statuerat enim in vitâ suâ non separari à doctoris sui amantissimi sepulchro) venit ad eum beatus Petrus. Quem videns Marcellus & contremiscens, illi velociter assurrexit, stetitque ante eum. Cui ait beatus Apostolus: Frater Marcelle, non audiuisti vocem Domini dicentis, relinque mortuos sepelire mortuos suos. Et Marcellus ait: Chare Magister, audiui. Tunc Petrus ad eum: Noli ergo quasi mortuus mortuum videaris sepelisse; flere: sed tanquam viuus viuenti & gaudenti melius conlætare. Relinque mortuos sepelire mortuos suos. Tu autem, vt per me didicisti, vade, annuntia regnum Dei. Quod cum gratiâ multâ, cunctis fratribus Marcellus indicauit, & suffragiis sancti Petri ex omni parte fides credentium à Deo Patre confirmata est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in sanctificatione sancti Spiritus. Nero autem comperiens beatum Petrum obiisse, quem arctare, non interficere iusserat, misit, vt comprehenderetur Agrippa Præfectus quoniam non cum suâ sententiâ Petrum interfecerat, quem disponebat per varia punire supplicia. Querebatur enim se ipsius præstigiis desolatum à Simone suæ salutis Præsule, & dolebat pro tanti casu amici, qui sibi & reipublicæ (vt fatebatur) commoda præstabat innumera. Agrippa verò interuenientibus amicis, obtinuit, vt Præfecturâ carens, priuatus & contemptus in domo propriâ degeret: sicque furorem Cæsaris declinauit. Sed vltionem diuini iudicij non euasit: quam mox terribiliter expertus, interiit. Denique contexerit crudelissimus Nero animum ad persecutionem eorum, quos didicit beato Petro familiarius adhæsisse, vt vel eorum pœnis de Petro satiaretur. Beatus verò Apostolus fratribus hoc per reuelationem innotuit, & qualiter feram bestiam declinarent, insinuauit. Nero siquidem per visum, vidit sibi sanctum astare Petrum, & dirissimè à quodam, iussu ipsius flagellatus, audiuit: Contine manus impiissimè à seruis Domini nostri Iesu Christi, quos nunc tenere non poteris. Vnde parum pauefactus quieuit. Erant quoque fratres simul lætantes, & exultantes in Domino, confortati sæpè visione beati Petri Apostoli, glorificantes Deum Patrem omnipotentem, & Dominum Iesum Christum cum sancto Spiritu. Cui est gloria, virtus, & adoratio in sæcula sæculorum, Amen.

Corpus D. Petri mortuũ, lacte & vino lauatur.

Demortui Petri suffragia credentiũ fidem cõfirmant.

Agrippa misere moritur.

B. LINI DE PASSIONE D. Pauli, ad Ecclesias Orientales.

LIBER II.

CVM venisset Romam Lucas à Galatiâ, & Titus à Dalmatiâ, expectauerunt Paulum in vrbe. Quos cùm adueniens Paulus vidisset, lætatus est valdè, & conduxit sibi extra vrbem horreum publicum. vbi cum his & aliis fratribus de verbo vitæ tractaret, Cœpit interea colligere multitudinem maximam, adiiciebantúrque per eum fidei multæ animæ operante Dei gratiâ, ita vt per totam vrbem sonus prædicationis & sanctitatis ipsius fieret, & exiret fama per vniuersam regionem de illo. Iam enim admodum innotuerat orbi Romano signis & prodigiis, & doctrinâ multâ, atque mirabili sanctitate. Concursus quoque multus de domo Cæsaris fiebat ad eum, credentium in Dominum Iesum Christum, & augmentabatur quotidie * fidelibus gaudium magnum & exultatio. Sed & institutor * Imperatoris adeò est illi amicitiâ copulatus, videns in eo diuinam

** Quotidie non habetur in impressione Venetiâ.*

scientiam,

A

** Seneca. Falsò itaque Seneca ad Paulum inscriptas Epistolas calumniatur Erasmus, cùm eundi inter Ecclesiasticos numeret Hieron. & occultè Christianū fuisse fuerat Tertull. in Apol.*

scientiam, vt se à colloquio illius temperare vix posset, quò minus si ore ad os illum alloqui non valeret, frequentibus datis & acceptis Epistolis, ipsius dulcedine & amicabili colloqoio atque consilio frueretur, & sic eius doctrinâ augente Spiritu sancto multiplicabatur, & diligebatur, vt licitè iam doceret, & à multis libentissimè audiretur. Disputabat siquidem cum Ethnicorum Philosophis, & reuincebat eos: vnde & plurimi eius magisterio manus dabant. Nam & scripta illius quidam magister Cæsaris coram illo relegit, & in cunctis admirabilem reddidit: Senatus etiam de illo alta non mediocriter sentiebat. Quâdam denique die, cùm Paulus doctrinæ inseruiens circa vesperam in cœnaculo editiori turbas alloqueretur, quidam Patroclus delitiosus & Pincerna regis, ipsius se subducens aspectibus, abiit ad horreum vbi Paulus hospitabatur, vt audiret documenta vitæ perpetuæ. Inuitatus enim ad hoc & animo inductus iam fuerat à consodalibus suis, & Cæsaris amicissimis, qui ex eius familiari obsequio Pauli monita sectabantur. Sed

B

cùm præ multitudine populi ad eum introire non posset, ascendit ad fenestram excelsiorem, & secus eam sedit, vt verbum Dei commodius posset audire. Desiderabat enim feruenti animo Pauli sermonibus refici. Sed cùm Paulus in longum protraxisset sermonem, & iuuenis somno grauaretur, diaboli inuidia dolentis super dilectione Dei & ipsius Apostoli, quam studiosus adolescens habebat, fecit iuuenem paulisper dormitare, cadénsque de fenestrâ valde excelsâ cœnaculi, spiritum exhalauit: Quod cum mox Neroni reuertenti à balneo, fuisset nuntiatum, cum multâ frequentiâ dilectum sibi iuuenem requirebat, contristatusque est vsque ad animam super morte Patrocli, statuitque alium pro eo ad vini officium, vt ei porrigeret poculum. Paulus verò non multò post cognoscens per spiritum quod gestum erat, dixit ad plebem: Viri fratres, inuenit malignus locum, vt nos tentaret, sed Dominus Iesus Christus more solito eius nequitiam conuertet ad

C

suam gloriam. Ite igitur foras, & inuenietis iuuenem Cæsaris delicatum, ex alto cecidisse, & iam iacere exanimem: quem leuantes ad me huc deferre satagite. Illi ergo cito gradu pergentes, confestim iuuenem mortuum detulerunt. Mirabantur autem turbæ, quomodo Paulus rem gestam ex ordine cognouisset, sibi nemine nuntiante. Dixit itaque Paulus ad turbas: Nunc fides vera apparebit erga Dominum nostrum Iesum Christum. Tempus est enim, vt semen vitæ æternæ in bonam terram deueniens, centuplici satione fructificet. Accedite ergo plenâ fide ad Dominum Deum nostrum, & deprecemur illum, vt restituatur anima eius in istud iuuenile cadauer, viuatque melius quàm vixisset. Et cùm ingemuissent vniuersi, procumbentes orationi, ait Paulus: Adolescens Patrocle, surge, & narra, quanta fecerit tibi Deus. Ad quam vocem mox Patroclus tanquam de somno surrexit, & cœpit glorificare Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Dimisitque illum Paulus cum cæteris, qui erant

Paulus suscitat Patroclū, suscitauit & Eutychē simili lapsu mortuū. Act. 20.

D

ex domo Cæsaris, & ibant lætantes & gaudentes omnes in Domino, qui facit voluntatem timentium se, & deprecationes eorum exaudit. Cúmque lamentaretur Nero Patroclum, & immensitate absorberetur tristitiæ, dixerunt circumstantes ad Cæsarem: Non Domine magnanimitas tua grauetur molestiâ super morte adolescentis: nam viuit & adest pro foribus. Cæsar verò cùm audisset Patroclum viuere, quem paulò antè didicerat mortuum, expauit corde, & recusabat eum introire & astare eius suo conspectui. Sed cùm persuasum ei fuisset ab amicis quam plurimis, iussit eum introire. Et videns eum sanum, nullaque signa mortis habentem, obstupuit, & ait ad eum: Patrocle viuis? At ille respondit: Cæsar, viuo. Nero dixit: Quis te fecit viuere? Cui Patroclus exhilaratus corde & accensus calore fidei, dixit: Dominus meus Iesus Christus, rex omnium sæculorum. Et Nero conturbatus de nomine virtutis Dei, dixit ad iuuenem: Ille ergo debet regnare in sæcula, & resoluere omnia regna mundi? Et Patroclus ait: Etiam Cæsar, destruet omnia regna, quæ sub cœlo sunt, & vniuersa, quæ sub cœlo sunt, seruient ei: quia ipse est solus Rex regum, & Dominus dominantium. Nero autem dedit ei alapam, dicens: Ergo militas illi regi? Et Patroclus exultans, ait: Etiam. Nam excitauit me à mortuis. Tunc Barnabas, & Iustus, & quidam Paulus, & Arion Cappadox, & Festus Galata, qui erant ministri Cæsaris, & ei iugiter assistebant, dixerunt Neroni: Cur Cæsar rectà sapientem, & prudentissimè respondentem percutis iuuenem? Nam & nos illi militamus regi inuicto Iesu Christo Domino nostro. Nero

E

Edictum Neronis de Christianis. Euseb. l. 2. c. 24. Niceph. l. 2. c. 37. Hegesip. l. 3. c. 2.

autem cùm audisset vno sensu, eodémque sermone dicere illos inuictum regem Iesum, reclusit eos in carcere, vt nimium illos torqueret, quos antea nimium amauerat. Et iussit inquiri regis illius famulos, posuitque edictum, vt sicubi fuissent inuenti, sine interrogatione omnes Christi milites, per tormenta varia punirentur. Vnde multâ scrutatione à ministris reipublicæ, & Apothecæ malignitatis fautoribus serui Dei quæsiti & inuenti quàm plurimi, perducti sunt ad præsentiam Cæsaris: Inter quos & Paulus, consuetudinarias sibi pro Christi nomine gestans cathenas, ductus est vinctus. In quem omnes simul vincti à Deo intendebant, vt sine alicuius indicio facilè potuerit Nero cognoscere ipsum Paulū magni regis militibus præsidere. Intelligénsque ipsum ducem & seruorum Christi magistrum, ait ad eum: O homo nescio cuius regis seruus, mihi autem vinctus, quid visum est introire latenter regnum Romanorum, & mihi subtrahere, illi autem colligere de meæ militiæ principato? Paulus verò repletus

F

spiritu Sancto constanter in aures omnium, qui poterant adesse, dixit ad Cæsarem: Nero, non solùm de tuo angulo colligimus milites, sed etiam de toto orbe terrarum. Hoc enim præceptum mihi est, vt neminem ex omni gente militare volentem æterno regi meo, repellam: potens est enim Dominus cunctis largâ manu secundum cuiusque meritum, dona ditissima dispensare. Si enim & tibi visum fuerit in illum credere, & ei fideliter obtemperare, non te pœnitebit. Cæterum noli putare, quod diuitiæ huius sæculi, splendor aut gloria, saluare te debeant, sed si subiectus illi fueris, in perpetuum saluus eris. Cùm autem

G

venerit iudicare viuos mortuos, dissoluet mundi huius figuram per ignem, & ante mundi constitutionem parata, & à sæculis abscondita, militibus suis dona, quæ nunquam deficient, & quæ omnem excludent indigentiam largietur. Hæc audiens Nero & irâ succensus, quia mundi figuram per ignem Apostolus dixerat resoluendam, iussit omnes Christi milites igne concremari: Paulum autem Senatusconsulto tanquam majestatis reum, capite secundum Romanas leges truncari. Tradiditque eum Longino, & Megisto Præfectis, atque Acesto Centurioni, vt illum extra vrbem ducentes, & populo spectaculum de eius occisione præbentes, decollari præciperent. Quibus Paulus sine intermissione verbum prædicabat salutis. Ministros etiam & apparitores per omnem ciuitatem & circa regionem cum velocitate Nero diaboli exagitatus operatione, direxerat: qui summâ diligentiâ perscrutarentur latitantes, & manifestatos simul interficerent Christianos.

Nero cremat Christianos quod mundum dicerent igne dissoluendū.

H

Vnde tam multiplex occisa est turba Christianorum, vt populus Romanus palatium vi irrumperet, & seditionem contra Cæsarem excitare moliens, proclamaret: Pone modum Cæsar iniustissimæ iussioni, tempera irrationabilem furorem, sufficiat sæuitiæ, quod crudelitatis metas transcendis. Nostrates homines sunt, quos perdis, Romanum mentur Imperium. Aufers Cæsar Romanam virtutem, quæ militum tantorum frequentiâ, terribilis cunctis gentibus existebat. Tunc Nero clamore populi expauescens, aliud edictum proposuit, vt nemo auderet contingere Christianos, nec quicquam eis molestiæ inferre, donec relatio plenissimæ cognitionis ex delatione cuiusque referretur ad Cæsarem. Quapropter Paulus iterum eius aspectibus oblatus est. Nero autem, vt eum vidit, vehementissimè exclamauit, dicens: Tollite maleficum, decollate impostorem, nolite sinere viuere criminatorem, perdite sensuum alienatorem, auferte de superficie terræ mentium immutatorem. Ad quem Paulus ait: Nero, tempore modico patiar, sed viuam in perpetuum cum Deo meo, & rege æterno Iesu Christo, qui venturus est iudicare orbem terræ in flagratione ignis. Nero itaque dixit Megisto, Lon-

gino,

iberasti. Vos verò fratres, quibus est audire promptum, aures cordis apponite, & nunc quæ annuntianda vobis sunt, agnoscite, scilicet omnis naturæ mysterium, & omnis factæ constitutionis initium: nam primus homo, cuius genus in specie ego habeo, missu deorsum capite, ostendit olim perditam generationem, mortua enim erat generatio eius, & nec vitalem habebat motum. Sed tractum misericordiâ suâ principium, venit in mundum per corporalem substantiam, ad eum quem iustâ sententiâ in terram proiecerat, & suspensum in cruce per speciem huius honorandæ vocationis, videlicet crucis, restituit, & constituit nobis ea, quæ antea hominum iniquo errore immutata fuerunt, præsentia videlicet vt æterna, & æterna ducebantur vt præsentia, & dextera sinistra. Siquidem ille dexteram glorificans, omnia signa mutauit ad propriam naturam, sicut bona intelligens quæ non putabantur bona, & reuera benigna, quæ maligna æstimabantur. Vnde Dominus in mysterio dixerat. Si non feceritis dexteram sicut sinistram, & sinistram sicut dexteram, & quæ sursum sicut quæ deorsum, & quæ ante sicut quæ retrò, non cognoscetis regnum Dei. Istam ergo scientiam, in me produxi fratres, & hæc est figura, quâ me pendentem oculi carnales conspiciunt. Schema est enim primi hominis. Vos verò dilecti mei hæc audientes, & quæ auditis ad perfectionem conuertendo & conuersando ducentes sicut de vestro primo errore ad certissimam fidei stationem rediistis, ita perseuerate currentes, & ad quietem supernæ vocationis tendite, benè conuersantes; via enim quâ illuc iter agere debetis, Christus est. Oportet igitur cum Iesu Christo Deo vero superascendere crucem, qui est constitutus nobis sermo solidus & viuus. Vnde & Spiritus dicit, Christus est verbum & vox Dei. Cæterum verbum significat istud rectum lignum, in quo crucifigor. Et quia vox propriè corporis est, quod lineamenta recipit, quæ diuinitati non imputantur, naturalia crucis, humanam prætendere noscuntur naturam, quæ immutationis errorem, in primo homine passa est, sed per Deum & hominem, veram intelligentiam recuperauit. Ipsa namque disciplinæ clauis in medio astricta est, conuersione videlicet, & conuersatione, atque cum fide pœnitentia hominis. Et hæc dicens alacri vultu & facie serenâ, sic exclamauit, in orationem erumpens: Ista mihi tu Domine Iesu Christe verba vitæ nota fecisti, & reuelanti tibi, quæ dixeram de ligno à me prædicato, gratias ago: Non corde, cui sæpè indecens quidquam subrepit, non labiis istis carni affixis, nec linguâ per quam verum vel falsum procedit, neque verbo articulatâ & materiali naturâ producto: sed illâ voce gratias tibi ago, rex bone, quæ per silentium intelligitur, quæ non in manifesto auditur, quæ non per organa corruptibilis oris percipitur, quæ neque est è terrâ, nec in terrâ dimittitur, quæ in libris materialibus non scribitur, nec quenquam materialiter mouet, neque materialis existit. Illo inquam spiritu Domine Iesu Christe, Domine & magister meus gratias ago tibi, quo te credo, quo te intelligo, quo te diligo, quo te teneo, & voce quâ te alloquor, quâ te interpello, quâ tu tono & modesto tantum spiritu intelligibilis es. Tu mihi Domine, Pater, & amicabilis auctor, & perfector salutis. Tu desiderium, tu refrigerium, tu satietas. Tu mihi omnia es, & omnia mihi in te sunt: mihi totum es, & totum quod est, tu mihi es. Tu es mihi omnia. In te viuimus, mouemur & sumus. Et ideo, te vt omnia habere debemus, vt tu des nobis illa, quæ promisisti, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparasti his, qui diligunt te. Hæc custodi seruis tuis, hæc tribue atque largire, quia tu es pastor æternus & summè bonus, verus filius Dei. Tibi commendo oues, quas tradidisti mihi. Tu eas in ouile tuum aggrega, & conserua, quia tu ostium, ouile, & ostiarius. Tu pascua & æterna refectio. Tibi gloria cum Patre & Spiritu sancto, nunc, & in omnia secula seculorum. Et mox vt omnis plebs magnâ voce, Amen, reddidit, Petrus Spiritum tradidit. Statimque Marcellus nullus expectauit sententiam, sed videns quia beatus expirauit Apostolus, propriis manibus deposuit sanctum corpus de cruce, & lauit illud lacte & vino optimo. Terénsque masticheѕ, & aloës minas mille quingentas, & myrrhæ ac folij atque stactes, cum cæteris variis aromatibus alias minas mille quingentas, condiuit eum diligentissimè. Melle quoque Attico nouum repleuit sarcophagum, & in eo corpus aromatibus perlitum collocauit. In ipsâ autem nocte, cùm Marcellus ad sepulchrum ipsius vigilaret, & ardenti illus desiderio fleret (statuerat enim in vitâ suâ non separari à doctoris sui amantissimi sepulchro) venit ad eum beatus Petrus. Quem videns Marcellus & contremiscens, illi velociter assurrexit, stetitque ante eum. Cui ait beatus Apostolus: Frater Marcelle, non audinisti vocem Domini dicentis, relinque mortuos sepelire mortuos suos. Et Marcellus ait: Chare Magister, audiui. Tunc Petrus ad eum: Noli ergo quasi mortuus mortuum videaris sepelisse; flere: sed tanquam viuus viuenti & gaudenti melius conlætare. Relinque mortuos sepelire mortuos suos. Tu autem, vt per me didicisti, vade, annuntia regnum Dei. Quod cum gratiâ multâ, cunctis fratribus Marcellus indicauit, & suffragiis sancti Petri ex omni parte fides credentium à Deo Patre confirmata est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in sanctificatione sancti Spiritus. Nero autem comperiens beatum Petrum obiisse, quem arctare, non interficere iusserat, misit, vt comprehenderetur Agrippa Præfectus quoniam non cum suâ sententiâ Petrum interfecerat, quem disponebat per varia punire supplicia. Querebatur enim se ipsius præstigiis desolatum à Simone suæ salutis Præsule, & dolebat pro tanti casu amici, qui sibi & reipublicæ (vt fatebatur) commoda præstabat innumera. Agrippa verò interuenientibus amicis, obtinuit, vt Præfecturâ carens, priuatus & contemptus in domo propriâ degeret: sicque furorem Cæsaris declinauit. Sed vltionem diuini iudicij non euasit: quam mox terribiliter expertus, interiit. Denique conuertit crudelissimus Nero animum ad persecutionem eorum, quos didicit beato Petro familiarius adhæsisse, vt vel eorum pœnis de Petro satiaretur. Beatus verò Apostolus fratribus hoc per reuelationem innotuit, & qualiter feram bestiam declinarent, insinuauit. Nero siquidem per visum, vidit sibi sanctum astare Petrum, & dirissimè à quodam, iussu ipsius flagellatus, audiuit: Contine manus impiissime à seruis Domini nostri Iesu Christi, quos nunc tenere non poteris. Vnde parum pauefactus quieuit. Erant quoque fratres simul lætantes, & exultantes in Domino, confortati sæpè visione beati Petri Apostoli, glorificantes Deum Patrem omnipotentem, & Dominum Iesum Christum cum sancto Spiritu. Cui est gloria, virtus, & adoratio in sæcula sæculorum, Amen.

E *Corpus D. Petri mortui, lacte & vino lauatur.*

Demortuus Petrus suffragia credentium fidem confirmant. F

Agrippa misere moritur. G

H

B. LINI DE PASSIONE D. Pauli, ad Ecclesias Orientales.

LIBER II.

CVM venisset Romam Lucas à Galatiâ, & Titus à Dalmatiâ, expectauerunt Paulum in vrbe. Quos cùm adueniens Paulus vidisset, lætatus est valdè, & conduxit sibi extra vrbem horreum publicum. vbi cum his & aliis fratribus de verbo vitæ tractaret, Cœpit interea colligere multitudinem maximam, adiiciebantúrque per eum fidei multæ animæ operante Dei gratiâ, ita vt per totam vrbem sonus prædicationis & sanctitatis ipsius fieret, & exiret fama per vniuersam regionem de illo. Iam enim admodum innotuerat orbi Romano signis & prodigiis, & doctrinâ multâ, atque mirabili sanctitate. Concursus quoque multus de domo Cæsaris fiebat ad eum, credentium in Dominum Iesum Christum, & augmentabatur quotidie * fidelibus gaudium magnum & exultatio. Sed & institutor * Imperatoris adeò est illi amicitiâ copulatus, videns in eo diuinam

** Quotidie non habetur in impressione Venetiis.*

scientiam,

A

** Seneca. Falso itaque Seneca ad Paulum inscriptas Epistolas calũniatur Erasmus, cùm eundẽ inter Ecclesiasticos numeret Hieron. & occultè Christianũ significat Tertull. in Apol.*

scientiam, vt se à colloquio illius temperare vix posset, quò minus si ore ad os illum alloqui non valeret, frequentibus datis & acceptis Epistolis, ipsius dulcedine & amicabili colloquio atque consilio frueretur, & sic eius doctrinâ augente Spiritu sancto multiplicabatur, & diligebatur, vt licitè iam doceret, & à multis libentissimè audiretur. Disputabat siquidem cum Ethnicorum Philosophis, & reuincebat eos: vnde & plurimi eius magisterio manus dabant. Nam & scripta illius quidam magister Cæsaris coram illo relegit, & in cunctis admirabilem reddidit: Senatus etiam de illo alta non mediocriter sentiebat. Quâdam denique die, cùm Paulus doctrinæ inseruiens circa vesperam in cœnaculo editiori turbas alloqueretur, quidam Patroclus delitiosus & Pincerna regis, ipsius se subducens aspectibus, abiit ad horreum vbi Paulus hospitabatur, vt audiret documenta vitæ perpetuæ. Inuitatus enim ad hoc & animo inductus iam fuerat à consodalibus suis, & Cæsaris amicissimis, qui ex eius familiari obsequio Pauli monita sectabantur. Sed

B

cùm præ multitudine populi ad eum introire non posset, ascendit ad fenestram excelsiorem, & secus eam sedit, vt verbum Dei commodius posset audire. Desiderabat enim feruenti animo Pauli sermonibus refici. Sed cùm Paulus in longum protraxisset sermonem, & iuuenis somno grauaretur, diaboli inuidia dolentis super dilectione Dei & ipsius Apostoli, quam studiosus adolescens habebat, fecit iuuenem paulisper dormitare, cadénsque de fenestrâ valde excelsa cœnaculi, spiritum exhalauit: Quod cum mox Neroni reuertenti à balneo, fuisset nuntiatum, cum multâ frequentiâ dilectum sibi iuuenem requirebat, contristatusque est vsque ad animam super morte Patrocli, statuitque alium pro eo ad vini officium, vt ei porrigeret poculum. Paulus verò non multò post cognoscens per spiritum quod gestum erat, dixit ad plebem: Viri fratres, inuenit malignus locum, vt nos tentaret, sed Dominus Iesus Christus more solito eius nequitiam conuertet ad

C

suam gloriam. Ite igitur foras, & inuenietis iuuenem Cæsaris delicatum, ex alto cecidisse, & iam iacere exanimem: quem leuantes ad me huc deferre satagite. Illi ergo citò gradu pergentes, confestim iuuenem mortuum detulerunt. Mirabantur autem turbæ, quomodo Paulus rem gestam ex ordine cognouisset, sibi nemine nuntiante. Dixit itaque Paulus ad turbas: Nunc fides vera apparebit erga Dominum nostrum Iesum Christum. Tempus est enim, vt semen vitæ æternæ in bonam terram deueniens, centuplici satione fructificet. Accedite ergo plenâ fide ad Dominum Deum nostrum, & deprecemur illum, vt restituatur anima eius in istud iuuenile cadauer, viuatque melius quàm vixisset. Et cùm ingemuissent vniuersi, procumbentes orationi, ait Paulus: Adolescens Patrocle, surge, & narra, quanta fecerit tibi Deus. Ad quam vocem mox Patroclus tanquam de somno surrexit, & cœpit glorificare Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Dimisitque illum Paulus cum cæteris, qui erant

Paulus suscitat

D

Patroclũ, suscitauit & Eutychẽ simili lapsu mortuũ. Act. 20.

ex domo Cæsaris, & ibant lætantes & gaudentes omnes in Domino, qui facit voluntatem timentium se, & deprecationes eorum exaudit. Cúmque lamentaretur Nero Patroclum, & immensitate absorberetur tristitiæ, dixerunt circumstantes ad Cæsarem: Non Domine magnanimitas tua grauetur molestiâ super morte adolescentis: nam viuit & adest pro foribus. Cæsar verò cùm audisset Patroclum viuere, quem paulò antè didicerat mortuum, expauit corde, & recusabat eum introire & astare eius suo conspectui. Sed cùm persuasum ei fuisset ab amicis quam plurimis, iussit eum introire. Et videns eum sanum, nullaque signa mortis habentem, obstupuit, & ait ad eum: Patrocle viuis? At ille respondit: Cæsar, viuo. Nero dixit: Quis te fecit viuere? Cui Patroclus exhilaratus corde & accensus calore fidei, dixit: Dominus meus Iesus Christus, rex omnium sæculorum. Et Nero conturbatus de nomine virtutis Dei, dixit ad iuuenem: Ille ergo debet regnare in sæcula, & resoluere omnia regna mundi? Et Patroclus ait: Etiam Cæsar, destruet omnia regna, quæ sub cœlo sunt, & vniuersa, quæ sub cœlo sunt, seruient ei: quia ipse est solus Rex regum, & Dominus dominantium. Nero autem dedit ei alapam, dicens: Ergo militas illi regi? Et Patroclus exultans, ait: Etiam.

E

Edictum Neronis de Christianis. Euseb. l. 2. c. 24. Niceph. l. 2. c. 27. Hegesip. l. 3. c. 2.

Nam excitauit me à mortuis. Tunc Barnabas, & Iustus, & quidam Paulus, & Arion Cappadox, & Festus Galata, qui erant ministri Cæsaris, & ei iugiter assistebant, dixerunt Neroni: Cur Cæsar rectâ sapientem, & prudentissimè respondentem percutis iuuenem? Nam & nos illi militamus regi inuicto Iesu Christo Domino nostro. Nero autem cùm audisset vno sensu, eodémque sermone dicere illos inuictum regem Iesum, reclusit eos in carcere, vt nimium illos torqueret, quos antea nimium amauerat. Et iussit inquiri regis illius famulos, posuitque edictum, vt sicubi fuissent inuenti, sine interrogatione omnes Christi milites, per tormenta varia punirentur. Vnde multâ scrutatione à ministris reipublicæ, & Apothecæ malignitatis fautoribus serui Dei quæsiti & inuenti quàm plurimi, perducti sunt ad præsentiam Cæsaris. Inter quos & Paulus, consuetudinarias sibi pro Christi nomine gestans cathenas, ductus est vinctus. In quem omnes simul vincti à

F

Deo intendebant, vt sine alicuius indicio facilè potuerit Nero cognoscere ipsum Paulũ magni regis militibus præsidere. Intelligénsque ipsum ducem & seruorum Christi magistrum, ait ad eum: O homo nescio cuius regis seruus, mihi autem vinctus, quid visum est introire latenter regnum Romanorum, & mihi subtrahere, illi autem colligere de meæ militiæ principatu? Paulus verò repletus spiritu Sancto constanter in aures omnium, qui poterant adesse, dixit ad Cæsarem: Nero, non solùm de tuo angulo colligimus milites, sed etiam de toto orbe terrarum. Hoc enim præceptum mihi est, vt neminem ex omni gente militare volentem æterno regi meo, repellam: potens est enim Dominus cunctis largâ manu secundum cuiusque meritum, dona ditissima dispensare. Si enim & tibi visum fuerit in illum credere, & ei fideliter obtemperare, non te pœnitebit. Cæterum noli putare, quod diuitiæ huius sæculi, splendor aut gloria, saluare te debeant, sed si

G

subiectus illi fueris, in perpetuum saluus eris. Cùm autem venerit iudicare viuos mortuos, dissoluet mundi huius figuram per ignem, & ante mundi constitutionem parata, & à sæculis abscondita, militibus suis dona, quæ nunquam deficient, & quæ omnem excludent indigentiam largietur. Hæc audiens Nero & irâ succensus, quia mundi figuram per ignem Apostolus dixerat resoluendam, iussit omnes Christi milites igne concremari: Paulum autem Senatusconsulto tanquam maiestatis reum, capite secundum Romanas leges truncari. Tradidítque eum Longino, & Megisto Præfectis, atque Acesto Centurioni, vt illum extra vrbem ducentes, & populo spectaculum de eius occisione præbentes, decollari præciperent. Quibus Paulus sine intermissione verbum prædicabat salutis. Ministros etiam & apparitores per omnem ciuitatem & circa re-

Nero cremat Christianos quod mundum dicerent igne dissoluendũ.

gionem cum velocitate Nero diaboli exagitatus operatione, direxerat: qui summâ diligentiâ perscrutarentur latitantes, & manifestatos simul interficerent Christianos. Vnde tam multiplex occisa est turba Christianorum, vt

H

populus Romanus palatium vi irrumperet, & seditionem contra Cæsarem excitare moliens, proclamaret: Pone modum Cæsar iniustissimæ iussioni, tempera irrationabilem furorem, sufficiat sæuitiæ, quod crudelitatis metas transcendis. Nostrates homines sunt, quos perdis, Romanum tuentur imperium. Aufers Cæsar Romanam virtutem, quæ militum tantorum frequentiâ, terribilis cunctis gentibus existebat. Tunc Nero clamore populi expauescens, aliud edictum proposuit, vt nemo auderet contingere Christianos, nec quicquam eis molestiæ inferre, donec relatio plenissimæ cognitionis ex delatione cuiusque referretur ad Cæsarem. Quapropter Paulus iterum eius aspectibus oblatus est. Nero autem, vt eum vidit, vehementissimè exclamauit, dicens: Tollite maleficum, decollate impostorem, nolite sinere viuere criminatorem, perdite sensuum alienatorem, auferte de superficie terræ mentium immutatorem. Ad quem Paulus ait: Nero, tempore modico patiar, sed viuam in perpetuum cum Deo meo, & rege æterno Iesu Christo, qui venturus est iudicare orbem terræ in flagratione ignis. Nero itaque dixit Megisto, Longino,

no, Acesto: Auferte ab illo celeriùs caput, & sic sibi vitâ æternâ blandiatur, sentiatque me regem inuictum, qui eum vinxi, & occidendo deuici. Paulus verò ait: Vides, Nero, me post decollationem meo regi inuicto æternaliter viuere, te autem victum, qui putas te vincere, cùm mihi abscissum fuerit caput, viuus tibi apparebo, & cognoscere poteris, quia mors & vita famulantur Domino meo Iesu Christo, cuius est omne regnum, & cui voluerit, dabit illud, & omnis victoria est illius, & quem vult vincere, facit magnificè triumphare, & ipse solus inuictus est Rex in æternum. Et his dictis, ductus est Paulus ad supplicium. Cùm autem duceretur, Longinus & Megistus atque Acestus dixerunt ad eum: Dic nobis Paule, vbi est rex ille, & vbi apparuit vobis & qualiter cognouistis, & quid vobis contulit, aut quid vobis conferet boni, quòd sic ardentissimè eum diligitis vos Christiani? vt nullo pacto regiuni nostræ velitis commodare assensum, ac viuatis, ac bonis huius vitæ fruamini, sed potius omni delectamento iucundius, pro illo mori variis tormentis ducatis? Magnus enim iste videtur error, iucundam odisse hanc vitam, & toto desiderio pœnas amplecti & mortem. Paulus verò ait: O viri cordati atque sensu bono vigentes, relinquite tenebras ignorantiæ & erroris, quarum caligine obnubilatur intelligentiæ vestræ nobilitas, ne verum, quod in vobis latet videre possitis, conuertite mentis oculos ad æternam & veram lucem, vt valeatis prius vosipsos cognoscere, & sic ad cognitionem regis illius cum lætitia peruenire, atque ab igne, vniuerso orbi superuenturum, salui & illæsi permanere. Non enim (sicut vos putatis) alicui terreno regi militamus, sed Deo viuo, regi cœlorum, & omnium sæculorum; qui propter iniquitates, quæ fiunt in hoc mundo, veniet iudex, & iudicabit illum per ignem. Fœlix autem erit homo, qui crediderit in eum. Habebit enim vitam æternam, & viuet in omnia sæcula sæculorum: & infœlicissimus ille, quo non infœlicior vllus, qui contemnens diuitias bonitatis & longanimitatis eius non conuertetur ad eum, nam peribit in æternum. Propter hoc namque de cœlo in terram descendit, qui cœlum & terram fecit: & ad hoc factus ipse est homo, qui fecit hominem, vt homo conuersus ab iniquitate suâ, relinquens vana, & simulachra muta quæ nefandissimè pro Deo colit, seruiat ei, qui fecit illum, & adoret eum, quem tremunt Angeli & omnes cœlorum potestates adorant. Quòd cum factum fuerit, faciat illum verum adoratorem atque cultorem suum, consortem & socium suorum Angelorum spirituum videlicet sanctorum ac beatorum. Nec immeritò, quia spiritus est Deus, & eum qui illum in spiritu & veritate colit & adorat, sancti Spiritus socium faciet: illum verò qui in eum credere recusauerit, socium & complicem reddet iniquorum dæmoniorum, in tormenta æterni incendij, ad concremationem, atque ignem perpetuum transmittet illum refugam: hic est ignis venturus, per quem DEVS est iudicaturus orbem. Quapropter viri sapientes, apud se prudentia vestra diiudicet, quis fecit mundum, quoniam sine factore non prodiit, perpendite, qui fecit hominem, quia vt diuina testantur oracula, non ipse se fecit: attendite, quia simulachra vana non sunt Dij, sed hominum factura, & dæmonia in eisdem facturis latentia, quæ licet in hoc concordari videantur, quia vnanimiter perditionem humani generis cupiunt, sibi tamen inuicem variis modis indubitatissimè dissident: non est enim impiis pax dicit Dominus. In causa namque est, cur homines festinant perdere, & sibi socios in pœnis habere: quia sciunt in cœlestem habitationem homines ascensuros per DEI gratiam, vnde ipsi spiritus ceciderunt per superbiam suam. Viri vrbani sensu, cognoscite, quia diuinitatis nomen per plures nequaquam diuiditur, quoniam vnus Deus, a quo sunt omnia, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem sunt omnia, & vnus Spiritus sanctus, in quo consistunt vniuersa, cui fideliter obtemperant omnia, & non est scisma in diuinitate, quia caret pluralitate. Attendite ciues Romani, vnde discordia nata fuerit, & quâ ratione accrescens, sic longè latéque miserabiliter adoleuerit, & cur tam multiplicia non numina, sed miserabilia emerserunt Deorum portenta. Videlicet quia multi cœperunt velle fieri principes ac Tyranni, & dominatores non vitiorum, sed hominum suæ naturæ consortium. Vnde in ignorantiæ tempestate demersi, & in barathrum elationis suæ deiecti; vnusquisque potestatis suæ Deum aut mutuauit aut statuit, nam ad tantam miseri homines peruenerunt dementiam, vt sic miserrimos homines sibi Deos constituerent, quibus similes fieri vellent, vt mortem pessimam deuitarent. Sed & quidam eorum, quoniam non probauerunt habere Deum in notitiâ, traditi sunt in voluptates suas, vt exercerent illa opera, quæ leges Romanæ puniunt cum execratione, & impletum est in illis, quod dictum est verbis sanctissimis: *Similes illis*, inquit, *fiant, qui faciunt ea:* fecerunt enim ibi Deos miseros, & facti sunt ipsi miseri, atque ad tantam hinc insaniam deuoluti, vt trunco ligneo dicant, DEVS noster tu es, & lapidi, adiuua nos, stipitemque fabrefactum adorant, qui eius sunt hastulis calefacti. Adhæc, multæ audientium turbæ eleuantes vocem cum planctu dixerunt: Errauimus, peccauimus, iniquè egimus, doctor salutis & æternæ vitæ ac veritatis ostensor, propitiare nobis, vt eruamur à laqueis peccatorum, & possimus euadere ignem, quo cauretur mundus, & quisque cruciabitur infelix ac pessimus. Tunc Paulus ait: O viri fratres, quorum Dominus cor suo spiritu tetigit: state fideliter in fide: nam ministri æternæ salutis aderunt, à quibus baptizabimini, & benè perseuerantes in charitate Domini nostri Iesu Christi, salui eritis in æternum. Longinus quoque, & Megistus, & Acestus, secretius alloquentes Apostolum dixerunt. Rogamus te Domine; fac nos ascribi in militiâ regis æterni, vt possimus venturum ignem euadere, & regni perpetui participes fieri, & dimittemus te: vt possis quocunque decreueris pergere, & erimus tui itineris comites, & vsque ad mortem tibi parentes. Quibus Paulus ait: Fratres mei, non sum profugus, sed miles legitimus regis mei: si enim scirem, quòd morerer, & non potius ad vitam & gloriam per hanc mortem peruenirem, non solùm facerem, quæ rogatis, sed ego hoc à vobis deposcerem: nunc autem non in vacuum per multas tribulationes cucurri, nec sine causâ pati cupio. Nam restat mihi corona victoriæ, quam reddet mihi, cui credidi, & de quâ certus existo, quoniam ad ipsum vado, & cum ipso veniam, cùm veniet in claritate suâ, & Patris & sanctorum Angelorum iudicare orbem terrarum. Propterea mortem istam contemno, & vestram petitionem (vt abscedam) non audiam, neque faciam. Illi verò flentes, dixerunt ei: Quid ergo acturi sumus? Quomodo te punito viuemus? & ad illum, in quem nos credere persuades, peruenire iam vltra valebimus? Et cùm hæc inter se loquerentur, & populus multas voces in altum tolleret, misit Nero Parthenium quendam, & Pheretam milites, vt viderent, si iam Paulus esset occisus. Qui aduenientes repererunt eum adhuc viuentem & diutissimè populum alloquentem. Quos Paulus ad se aduocans, ait illis: Viri fratres, credite in Deum viuum, qui me & omnes, qui in eum credunt, à mortuis suscitabit. At illi respondentes dixerunt: Ad Cæsarem prius ibimus, omnia renuntiantes: & cùm peractum fuerit pro quo missi sumus, & cùm mortuus fueris, & resurrexeris vt dicis, tunc credemus tuo regi. Tu autem explica moras, quibus iussionem differs, & vade ad destinatum locum, vbi sententiam meritò dictatam suscipias. Paulus quoque dixit eis: Commoratione meâ in carne plus vos indigetis, si credere vultis, quàm ego, qui ad vitam per mortem vado: sed & iam pergamus exultantes in nomine Domini Iesu Christi. Cúmque ad locum pergerent passionis, comitantibus populorum turbis innumeris, venit ad portam vrbis Romæ, vbi habuit obuiam nobilissimam matronam nomine [1] Plautillam, Apostolorum feruentissimam dilectricem, & religionis diuinæ cultricem: quæ flens, eius se cœpit orationibus commendare. Ad quam Paulus ait: Vade Plautilla æternæ salutis filia, commoda mihi pannum, quo caput regis, & recede paululum in partem propter plebis impedimenta: me hic expectans donec reuertar ad te, & tibi restituam beneficium, ligabo enim mihi oculos vice sudarij, & tuæ dilectioni, amoris mei

E

De cultu idolorum & eius origine vide, quæ annotauimus ad calcé lib. de Idololatr. Tertull.

Conuersio in vitiis Pauli ad supplicium.

F

G

Spes Sanctorum.

H

1. Commodat Plautilla D. Paulo sudarium.

pro-

pro Christi nomine pignus, ad illum pergens relinquam. Quæ festinato pannum porrexit, & ei, vt ipse Apostolus iusserat, obediuit. Insultabant autem Parthenius & Pheretas dicentes: Quid credis impostori & mago; cur perdis pannum optimum non tantùm per eum in sæculo lucratura; Paulus verò dixit ad eam, etiam filia præstolare aduentum meum, & signa mortis in panniculo tibi afferam cum Christo victurus. Interea Longinus, Megistus, & Acestus, dum instarent obnixius pro salute suâ: inquirentes modum qualiter ad veram vitam possent pertingere, audierunt à beato Apostolo: Fratres & filij mei, mox vt ego fuero decollatus, vos & cæteri ministri interfectionis meæ à loco, in quo me Dominus vocare dignabitur, recesseritis, viri fideles capient & sepellent corpus meum: a vos autem notate locum sepulchri mei, & cras valde diluculo illuc venietis, ibique inuenietis duos viros orantes, Titum & Lucam. Quibus diceris, quâ de causâ vos misi, & illi vobis dabunt signa salutis in Domino. Nolite igitur dubitare exequi, quod vobis est imperatum: quoniam statim vt credentes sacro fonte fueritis intincti, & diuinorum mysteriorum viuificatione sacrati, ab omnibus peccatorum contagiis, & ab hoc etiam quod reformidatis, in me scelere perpetrato incunctanter purgati eritis, ac super niuem dealbati, ac in serie Christi militum adscripti, & cœlestis regni efficiemini cohæredes. Et his dictis peruenit ad passionis locum, vbi ad orientem versus, tensis in cœlum manibus, diutissimè cum lacrymis Hebraicè orauit, & gratias egit Deo. Cumque patrio sermone consummasset orationem, valedicens fratribus benedixit eos. Et ligans sibi de Plautillæ maphorte oculos in terrâ vtrumque genu fixit, & collum tetendit. Spiculator verò in altum brachia eleuans, cum totâ vi percussit, & caput eius abscidit. Quod postquam à corpore præcisum fuit, nomen Domini nostri Iesu Christi Hebraicè clarâ voce personuit, statimque de corpore eius vnda lactis in vestimenta militis exiluit, & postea sanguis defluxit, vitta verò, quâ sibi ligauerat oculos, cùm eam quidam rapere vellent, non comparuit, tanta etiam odoris suauitas fragrauit, & lucis immensitas in momento illius decollationis cælitus ibi emicuit, vt mortalium oculi splendorem illum sufferre, & humana lingua narrare nequiuerit odorem. Videntes autem omnes, qui aderant, gratiam Dei in beato Apostolo, admirati sunt valde, laudantes & confitentes per multam moram Dominum Iesum Christum æternum & inuictum regem, quem prædicauerat magnificus doctor & magister gentium Paulus. Reuertentes verò qui iussi fuerant accelerare interfectionem eius, peruenerunt ad portam ciuitatis, vbi inuenerunt Plautillam, laudantem & glorificantem Dominum in omnibus quæ audiuit & vidit per sanctum eius Apostolum. Et interrogauerunt eam cum irrisione cur caput suum non operiret de maphorte quam præstiterat Paulo. Quæ accensa calore fidei, cum magnanimitate respondit: O vani & miseri, qui credere nescitis, quæ oculis videtis, & manibus attrectatis. Verè enim habeo eundem, quem illi porrexeram pannum, de infusione sanguinis sui pretiosum. Nam de cœlo veniens innumerabilium candidatorum catervâ comitatus, illum mihi veracissimus retulit. Et rependens gratiam pro benignitate in eum habitâ dixit: Tu mihi Plautilla in terris obsequium præstitisti, ego tibi quam primum ad regna pergenti, officiosissimè obsequar. In proximo namque pro te reuertar, & tibi regis inuicti gloriam demonstrabo Et extrahens Plautilla pannum à sinu, roseo perfusum sanguine, illis ostendit. Qui nimio pauore correpti gressu concito perrexerunt ad Cæsarem; quæ viderant & audierant nuntiantes. At ille cùm audisset, miratus est valde, & ingenti stupore attonitus, cœpit de his, quæ nuntiata sunt ei, cum philosophis & amicis, atque ministris reipublicæ, seu & cum his quos habere poterat ex senatu conquirere, atque confabulationis sermonem cum timore & tremore atque confusione sensûs habere. Dum hæc inuicem mirarentur, & secum quærerent, venit Paulus circa horam nonam ianuis clausis, stetitque ante Cæsarem, & ait: O Cæsar Nero, ecce ego Paulus regis æterni & inuicti miles, vel nunc crede miser, quia non sum mortuus, sed viuo Deo meo. Tibi autem, non post multum temporis mala inenarrabilia imminent & supplicium maximum, teque æternus manet interitus, eò quòd inter cætera flagitia tua pessima, multum sanguinis iustorum effudisti iniustè. Et hæc dicens, repentè disparuit. Nero autem his auditis, vltra quam dici possit timore perculsus; & veluti amens effectus, ignorabat, quid agendum illi esset. Suadentibus ergo amicis, iussit Patroclum & Barnabam, & eos qui vincti erant cum illis, solui, atque quò vellent liberos abire. Longinus denique Megistus, atque Acestus, sicut eis constituerat Apostolus, primo mane venientes ad sepulchrum eius, viderunt duos viros orantes, & in medio eorum stantem Paulum. Qui pertimescentes in visu admirabili, horruerunt, & reformidauerunt accedere propiùs. Titus autem & Lucas ab extasi orationis in se reuersi videntes præfectos atque Centurionem, qui ministri necis Pauli fuerant ad se properantes, humano terrore correpti in fugam conuersi sunt, & Paulus euanuit ex oculis eorum. Illi verò post eos clamauerunt dicentes: Non vt suspicamini beati Dei homines ideo venimus, vt vos persequamur ad mortem, sed vt credentes, nos per aquam baptismatis ad vitam transferatis æternam, sicut nobis verus doctor promisit Paulus, quem paulò antè, in medio vestri stantem & orantem conspeximus. Hæc autem audientes ab eis Titus & Lucas, steterunt cum multâ lætitiâ & spirituali gaudio imponentes eis mox manus, & dantes signaculum sanctificationis perpetuæ: sicque ieiunio vsque ad vesperam præcurrente baptizati sunt in nomine Domini Iesu Christi. Cui cum Patre in vnitate Spiritus sancti, est honor, & gloria, virtus, & imperium in omnia sæcula sæculorum, Amen.

A a. *Scribit Gregorius in registro quod & notauit Petrus de voragine in legēdâ Sanctorū, corpora D. Petri & Pauli fuisse in puteum proiecta: vndecunque essa fidelium deuotione requisita*

B *retur nec discerni posset quænam esset alterutrius, vox audita est e cælis: maiora sunt piscatoris, minora prædicatoris.*

Obijt autem vterque secūdum Niceph. lib. 2. cap. 36. anno

C *post salutiferam Christi passionē 37. & 13. Neronis secūdum Sophr.*

Paulus orat Hebraicè.

Maphors hic pro sudario & strophiolo sumitur non, aut pro amictu humilitatis

D *contegente colla atque humeros, vt exponit Cassian. lib. de habitu Monachi. cap. 7.*

Idem de B. Ignatio tradunt Ecclesiasticæ Hist. Scriptores.

Idipsum testatur Gregor.

E *Turonensis c. 29. lib. 1. de miracul.*

S. Paulus post mortem pro fidelibus se oraturum pollicetur.

Paulus tertio à morte suâ die Neroni apparuit Niceph. l. 2. c. 36 & Tertull. in

F Apolog. *sed sainé* obscurè.

Apparitiones B. Pauli.

Titus Lucas.

G

EPISTOLÆ DIVI IGNATII.

Ex D. Hieronymi Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogo.

IGNATIVS *Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrū Apostolum Episcopus, commouente persecutionem Traiano, damnatus ad bestias, Romam vinctus mittitur. Cumque nauigans Smyrnam venisset, vbi Polycarpus auditor Ioannis Episcopus erat, scripsit vnam Epistolam ad Ephesios: alteram ad Magnesianos: tertiam ad Trallenses: quartam ad Romanos: & inde egrediens scripsit ad Philadelphios: & ad Smyrneos, & propriè ad Polycarpum, commendans illi Antiochensem Ecclesiam, in qua & de Euangelio quod nuper à me translatum est, super personâ Christi ponit testimonium: dicens.* Ego verò & post resurrectionem in carne eum vidi, & credo, quia sit: Et quando venit ad Petrū & ad eos, qui cum Petro erant, dixit eis: Ecce, palpate me, & videte, quia non sum dæmonium corporale: Et statim tetigerunt eum, & crediderunt. *Dignum autem videtur, quia tanti viri fecimus mentionem: & de Epistolâ eius quam ad Romanos scribit, pauca ponere.* † De Syriâ vsque ad Romam pugno ad bestias, in mari & in terrâ, nocte dieque ligatus cum decem Leopardis, hoc est, militib. qui me custodiunt, &c. *Cumque iam damnatus esset ad bestias, ardore patiendi, cum rugientes audiret leones, ait:* * Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar. *Passus est anno 11. Traiani. Reliquiæ corporis eius, Antiochiæ iacent extra portam Daphniticam in cœmeterio.*

** Hæc paulo aliter leguntur Epist. 10. ad Smyrnenses non multò post Epistolæ initium.*

H ** Hæc eadem citat Eusebius Eccles. Historia lib. 3. cap. 36. Hæc eadē verba ante obitū suum scripserat ad Rom. Epist. 10[illegible]*

DE SANCTO IGNATIO ET EIVS Epistolis, contra centuriastarum sycophantias, per Marg. de la Bigne.

D*Iuinus à Ignatius, siue vt Carthusianus b interpretatur, inclytissimus & feruentissimus martyr, siue*

a Dion Areop.

vt Nicephorus, c θεοφόρος ꝗ θεοφορος: Christum vidit adeo infans, vt hunc tanquam simplicem & integrum, ad vtriusque virtutis commendationem & exemplar, manibus suis sublatum Christus aliquando exhibuerit discipulis, & cum neophytis Antiochenis præfectus ad S. Ioannem scriberet, d iam ex auditu tantum scire aut meminisse videretur, S. Iacobum, qui Iustus cognominatus est ita Christum facie referre, vt qui hunc, etiam Christum vidisses, ac de Christo cum audisset dicta innumera, stupefactum esse ex auditu: licet ætate prouectior, & ad fidem conuersus a S. Ioanne Apostolo, vixit plurimo tempore cum Apostolis omnibus, e ac tandem post Euodium, Antiochenæ Ecclesiæ & f Pontificatus gratiam per manum Petri dexteram accepit. Aliquando cum esset in Ecstasi, vidit Angelos carminibus alternis sanctam Trinitatem celebrantes, vnde Antiphonarum g formam Antiochenis primum ab eo traditam, ab hoc quasi fonte in alias Dei Ecclesias defluxit. Demum cum annos 9. Episcopatum administrasset decenter, non desisteret reprehendere superstitionem Traiani Imp. qui tum erat Antiochiæ, vinctus Romam missus est, vt ibi leonibus esca obijceretur. Sic Asiam peragrans, Ecclesias h oppidatim adiit, familiaribusque cohortationibus, quia tum primum hæreses paulatim liberius se proferre auderent, confirmauit, cohortationesque suas (vt illis persuaderet certius) in litteras, referendas esse duxit. i Itaque Smyrnæ cum esset, cum Ephesiis, Magnesiis, Trallensibus & Romanis, cum Troiade, cum Philadelphiensibus, Smyrnæis, & Polycarpo seorsim colloquutus est per litteras, quas proinde ab antiquis penè omnibus Ecclesiæ Patribus laudatas. Qui esse Ignatij ac non plurimum illis tribuendum esse dubitant, ne omnium hæreticorum profligatissimos ac perditissimos esse meritò omnino scripsit noster Feu-ardentius, quibus plurimum adiuuari posse Dei Ecclesiam scripsit Polycarpus ad Philippenses: Complectuntur enim fidem (inquit) patientiam, & ædificationem omnem, quæ ad Christum pertinet. S. verò Dionysius, earum testimonio probat k diuinum esse Amoris quam Charitatis nomen. l Romæ cum prius varia tormenta pertulisset, nec remisisset quidquam de constante decentique suâ sententiâ, postremò, duo Leones prouocantem suffocauerunt tantum, m sic non sicut ei visum fuerat a ferarum aluis sepultus est: Anno Christi, 102. Post sit tamen, firmiora eius ossa o Theodosius multo deinceps tempore magnifico apparatu & præstantissimâ suggestione ad gregem illius retulit. Cordi eius, litteris aureis inscriptum pretiosissimum nomen Iesu inuentum est. p Scripsit Epistolas 15.

Antiochia ad S. Ioannem Apostolum, Epist. 2.
Ad beatam Virginem Mariam Deiparam, Epist. 1.
Illarum autem meminit D. Bernardus serm. 8. in Psalm. 90. & Michaël presbyter Cortonensis, in lib. de viris illustribus.

Ad Mariam Cassobolitem, Epist. 1.
Smyrnâ, ad Ephesios, de Vnitate, Epist. 1.
Ad Magnesianos, Epist. 1.
Ad Trallianos. Epist. 1.
Ad Romanos, Epist. 1.
Troiade, ad Philadelphienses, Epist. 1.
Ad Smyrnæos, per Burgum, Epist. 1.
Ad Polycarpum, Episcopum Smyrnæ, seorsim de illuminatis, Epist. 1.
Philippis, ad Tarsenses, Epist. 1.
Ad Antiochenos, Epist. 1.
Ad Heronem Diaconum, Epist. 1.
Ad Philippenses, de Baptismo, per Euphranium Lectorem, nauim iam ascensurum. Epist. 1.

Quibus in Epistolis, cum multa alia, tum hæc de multis pauca videre licet S. Martyris iudicio rata fidei Catholicæ capita I. in Mariam Christi matrem (cælesto prodigium & sacratissimum spectaculum, Epist. 1.) quam optimè affectum esse vnumquemque, qui nostra Religionis & fidei sit amicus, Epist. 2. I I. Pont. Maximum, non nunc primum, Papam appellari, Epist. 4. I I I. Episcopos, Presbyteros, & Diaconos vt Christum Iesum eiusque vicarios sunt, debere nos venerari: atque eos quidem non cibi aut potus sed Christi mysteriorum ministros esse, & qui illis non obedierit, atheum prorsus esse & impium & infideli deteriorem, Epist. 5. & 6. I V. Eucharistiam esse carnem Christi, Epist. 15. quæ pro peccatis nostris est passa, & quam Pater suscitauit, vt citat Theodoritus Dialogo 3. ex Epist. ad Smyrnaos: Epist. eâdem V. Christum vnicuique reddentem secundum opera sua, Epist. 6. V I. Collegium Virginum, Epist. 9. & quæ in perpetua virginitate degunt, Epist. 10. ad quod præstantius est, amplectentes, Epist. 9. quod tamen si sine Episcopo statuatur, corruptum sit, Epist. 11. seruandas vt pretiosa Christi monilia, Epist. 14. & in pretio habendas tanquam Christi Sacerdotes, Epist. 7. Agnoscant, cui se consecrarint, Epist. 12. V I I. Horrescere dæmonem vbi viderit signum Crucis, Epist. 8. V I I I. Festa non dehonestanda, & Quadragesimam non contemnendam, continere enim exemplum Christi, Epist. 8. I X. Qui præter Traditionem doces, pro lupo habendum esse, Epist. 13. X. Esse Episcoporum, sacrificare, eligere, Manus imponere, Epist. eâdem X I. Hæreticorum planè illum Spiritum esse quem videmus Calumniatum, nugacem, meticulosum, a cuius vt liberet nos Iesus Christus, nos verò demus operam, vt crebrius ad Eucharistiam congregemur, quo nostra concordia & fidei consensus fiat illorum Satanæ satellitum supplicium & exitium, Epist. 14. X I I. Postremò velle illum vt illa rata sint, quæ ab omni alieno colore immunis Romana Ecclesia docens præcipiat, Epist. 15. Hæc Margar. de la Bigne.

EX BELLARMINO DE SCRIptoribus Ecclesiasticis.

SAnctus Ignatius Episcopus Antiochenus, post sanctum Petrum Apostolum, & sanctum Euodium sedere cœpit Anno Domini 71. & sedit annis 40. & Romæ passus est anno vndecimo Traiani, teste sancto Hieronymo in libro de Scripi. Eccles. scripsit Epistolas vtilissimas, vt testatur sanctus Polycarpus eius æqualis, qui in Epistolâ ad Philippenses dicit, se collegisse Epistolas Ignatij quotquot inuenire potuit.

Eusebius lib. 3. hist. cap. 30. septem enumerat Epistolas sancti Ignatij, vt etiam sanctus Hieronymus loco citato, vnam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallianos, quartam ad Romanos, quintam ad Philadelphios, sextam ad Smyrnæos, septimam ad Polycarpum. Præter has inueniuntur aliæ quinque ad Mariam Cassobolitam vna, ad Antiochenos altera, ad Tarsenses tertia, ad Philippenses quarta, ad Heronem quinta. Atque hæ quinque Epistolæ, quamuis ad manus Eusebij, & Hieronymi non peruenerint, tamen ob styli similitudinem, & spiritum verè Apostolicum à viris doctis omnino recipiuntur.

Tres aliæ circumferuntur, ad B. Virginem Deiparam vna, & ad sanctum Ioannem Euangelistam duæ, quibus additur Epistola B. Virginis ad Ignatium. Harum, primæ (quod sciam) meminit sanctus Bernardus serm. 7. in Psalmum, Qui habitat: sed neque in codicibus Græcis habentur, neque granditatem eloquij S. Ignatij omnino redolent.

Vnum hoc loco admonendum videtur, non esse magnam fidem habendam codicibus Græcis, qui nunc extant, quando discrepant à Latinis: sæpè enim emendatiores inueniuntur codices Latini, quàm Græci: quod verum esse intelliget, qui conferet testimonia, quæ ex Ignatio citant S. Athanasius in Epistolâ ad Epictetum, & Theodoretus in Dialogis, cum verbis eiusdem Ignatij, quæ nunc habentur in codicibus Latinis & Græcis.

SACROSANCTI MARTYRIS Ignatij, Antiochiæ Archiepiscopi,

EPISTOLA PRIMA.

Notæ Ioannis Brassichellani in quatuor sequentes Epistolas.

QVod attinet ad duas priores Epistolas S. Ignatij ad Ioannem, & ad duas alias sequentes, alteram Ignatij ad Mariam Deiparam, alteram Mariæ ad Ignatium

tametsi

A — libro de diuinis Nom. cap. 4. b Artic. 5. commêt. in locū illum S. Dion. c Niceph. hist. lib. 2. cap. 35. d Ignat. Epist. 2. e Niceph. hist. lib. 13. cap. 8. f Theod. 2. lib. hæretic. Fabul.

B — g Socr. lib. 6. c. 9. h Nicephor. l. 3. c. 2. & 19. i Annot. 16. ad S. Irenæi c. 28. l. 5. contra hæreses.

C — k Cap. 4. lib. de diuinis Nominibus l Beda, in martyr. m Vincent. in speculo hist. 10. lib. c. 56. n Nicephor. histor. l. 14. cap. 44. o Niceph. hist. lib. 3. cap. 19. p Vincent. in speculo, lib. 10. cap. 57.

D

E F G H

tametsi eas, vt germanas vendicari sciamus à pluribus recentioribus, vt D. Bernardo serm.7. in Psal.9. Michaele Cortenensi presbytero lib. de viris illustribus, Dionysio Carthusiano in comment. ad lib. Areopagita de diuinis nominibus, Sixto Senensi lib.2. Biblioth. in Mariâ, Petro Canisio lib.5. de Mariâ cap.1.& aliis: at cum illarum neque Eusebius, nec S. Hieronymus, nec Nicephorus, nec vllus veterum, ad D. vsque Bernardum meminerit, qui alioqui accuratè scripta Ignatij memorauerint, tutius fuerit easdem, vel in Apocryphorum ordinem redigere, aut saltem, vt non omnino certas, ac genuinas habere. Consule Tomo 2. Annal. Ecclesiast. Anno Christi 109.§.34.

Ioanni sancto seniori, Ignatius & qui cum eo sunt.

FRater de tuâ m-râ dolemus grauiter, allocutionibus & consolationibus tuis roborandi. Si tua absentia protendatur, multos de nostris destituet: properes igitur venire, quia credimus expedire. Sunt & hîc multæ de mulieribus nostris, Mariam Iesu videre cupientes, & quotidie à nobis ad vos discurrere volentes, vt eam contingant, & vbera eius tractent, quæ Dominum Iesum aluerunt, & quædam eius secreta percunctentur ipsam Mariam Iesu, ipsam enim, & Salome quam diligis, filia Annæ, Hierosolymis quinque mensibus apud eam commorata, & quidam notificauêre, eandem matrem Dei, omnium gratiarum esse abundantem, & omnium virtutum more virginis, virtutis & gratiæ fœcûdam, quæ (vt dicunt) in persecutionibus & afflictionibus est hilaris, in penuriis & indigentiis non querula, iniuriantibus grata, & modesta in re lætâ. Miseris & afflictis condolet coafflicta, & subuenire non pigrescit. Contra vitiorum autem pestiferos conflictus, in pugnâ fidei disceptans, enitescit. Nostræ nouæ religionis & pœnitentiæ est magistra, & apud fideles omnium operum pietatis ministra. Humilibus quidem est deuota, & deuotis deuotius humiliatur, & mirum ab omnibus magnificatur, cùm à Scribis & Pharisæis ei detrahatur. Præterea multi multa referunt de eâdem, tamen omnibus per omnia non audemus fidem concedere, nec tibi referre. Sed sicut nobis à fide dignis narratur, in Mariâ matre Iesu, humanæ naturæ natura sanctitatis angelicæ sociatur. Et hæc talia excitauerunt viscera nostra, & cogunt valde desiderare aspectum huius (si fas sit fari) cœlestis prodigij & sacratissimi spectaculi. Tu autem diligenti modo disponas super desiderio nostro, & valeas, Amen.

Matris Dei laudes.

S. IGNATII AD EVNDEM.

EPISTOLA II.

Ioanni sancto seniori, Ignatius.

MIhi si licitum est à te, ad Hierosolymæ partes volo ascendere, & videre Fideles sanctos, qui ibi sunt, præcipuè Mariam Iesu, quam dicunt vniuersis admirandam, & cunctis desiderabilem. *a* Quem enim non delectet videre eam & alloqui, quæ verum Deum de se peperit: si nostræ sit fidei & religionis amicus? Similiter & illum venerabilem Iacobum, qui cognominatur Iustus, quem referunt Christo IESV simillimum facie & vitâ & modo conuersationis, ac si eiusdem vteri frater esset gemellus? Quem dicunt, si videro, video ipsum secundùm omnia corporis eius lineamenta Christum Iesum. Præterea cæteros sanctos & sanctas. Huc quid moror? Cur detineor? Bone præceptor, properare me iubeas, & valeas.

Virgo Maria cunctis desiderabilis. Iacobus frater Domini, non eiusdem tamen vteri.

a *Hæc citat tanquam ex variis Epistolis Dionys. Carthus. Art.16.in D.Dionys. cap. 3. de diuinis nominibus.*

S. IGNATII EPISCOPI ET MARTYRIS, ad beatam Mariam Virginem Matrem Domini nostri IESV Christi.

EPISTOLA III.

ME Neophytum, Ioannisque tui discipulum confortare & consolari debueras. De IESV enim tuo percepi innumera dictu, & stupefactus sum ex auditu: A te autem, quæ semper ei fuisti familiaris, coniuncta, & secretorum eius conscia; desidero ex animo, fieri certior de auditis. Scripsi tibi aliàs, & rogaui de eisdem Valeas: & Neophiti, qui mecum sunt, ex te, & per te, & in te confortentur, Amen.

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, AD Ignatium Episcopum & Martyrem.

EPISTOLA.

Ignatio dilecto discipulo, humilis ancilla Christi Iesu.

DE IESV, quæ à Ioanne audisti & didicisti, vera sunt: Illa credas, & illis inhæreas, & Christianitatis votum firmiter teneas, & mores & vitam voto conformet. *b* Veniam autem vnà cum Ioanne, te & qui tecum sunt, visura. Sta in fide, viriliter age, nec te commoueat persecutionis austeritas, sed valeat, & exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo, Amen.

b *Dionys. Carthus. Art 16. in D. Dionys. cap. 3. de diuinis nominibus. S. Ignatius (inquit) in vnâ suarum Epistolarum ad sacratissimam virginem, eâdem rogat feruidè vt pro consolatione & confortatione sui & plurium Neophytorum dignaretur venire ad se.*

SANCTI IGNATII MARTYRIS, & Antiochiæ Archiepiscopi, ad Mariam Cassobolitem.

EPISTOLA IV.

IGnatius, qui & Theophorus, fidelissimæ, Deo dignæ, & Christo plenæ filiæ Mariæ, ab altissimo Deo patre, & pro nobis mortuo Iesu Christo, misericordiam consecutæ, plurimam in Deo salutem.

Literis hactenus præstantior est visus, quòd cùm è sensuum choro pars sit, non modò iis, quæ communicat amico, accipientem honorat, sed & iis, quæ vicissim suscipit, ditat desiderium, quod ad præstantiora aspicat. Verùm secundus hic (quod dici solet) portus est, epistolarum scribendarum ratio, quam, velut commodam stationem à fide tuâ eminus accepimus, vt qui per literas cognouerimus eam, quæ in te est honestatem. Bonorum namque animæ, ô fœminarum sapientissima, similes sunt purissimis fontibus: Hi enim, vel non sitientes, ad se suâpte pertrahunt pulchritudine ipsos transeuntes ad potum hauriendum; & tua prudentia me compellit hortaturque vt diuinarum aquarum in animâ tuâ scaturientium particeps fiam. Ego verò ô beata, non tam meus quàm aliorum nunc factus, multorum aduersariorum arbitrio exagitor, partim exiliis, partim custodiis, partim vinculis. At nihil eorum curo, verùm eorum iniuriis erudior: vt Iesum assequar vtinam fruar suppliciis mihi paratis, quandoquidem *non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur.* Quæ verò per Epistolam hortaris, libens perfeci, nihil ambigens de iis quos ipsa probaueris. Noui enim nullâ humanâ beneuolentiâ, sed diuino iudicio te perhibere testimonium de viris illis. Admodum verò me delectauerunt crebro à te citata Scripturarum loca, quæ vbi legissem, ne cogitatio quidem vlla ambiguitatis mihi in mentem venit. Nec enim ea mihi oculis perspicienda putaui, quorum certissimam à te habeam demonstrationem. Faxit Deus, vt tui similis sim, quia Iesum filium Dei amas. Quare & ipse tibi dicit: *Ego diligentes me diligo, & qui me quærunt, pacem inuenient.* Mihi autem in mentem venit, vt dicam verum fuisse sermonem, quem de te audieram, cùm Romæ apud beatum Anacletum Papam esses, cui nunc successit beatissimus Clemens Petri & Pauli auditor. Et nunc adiecisti his centuplum, & insuper plura adiicito ô Maria. Vehementer cupiui venire ad vos, & vnà vobiscum requiescere & refici verùm, *Non est in hominis potestate via eius*: impedit enim meam voluntatem militaris custodia, quæ non permittit vltrà progredi. At pro statu rerum in quo versor, nec facere, nec admittere

Epistola, secundus portus. Animæ bonæ similes fontibus.

Rom 8.

Prou. 8.

Hier. 10.

quicquam possum. Quare, secundum solatium, quod ntec amicos literis constat, amplexus, saluto faciam tuam animam, & hortor, vt labori huic tuo incrementa adiicias. Præsens namque labor, modicus, multa autem, quæ hinc expectatur, merces. Fuge eos, qui Christi passionem & natiuitatem eius, quia secundùm carnem genitus est, negant. Multi sunt hoc morbo laborantes. Cætera verò te admonere stultum esset, quæ omnis operis & sermonis boni perfectionem consecuta es, quæ & alios in Christo exhortari potes. Saluta omnes tui similes, amplectentes suam in Christo salutem. Salutant te Presbyteri & Diaconi, & ante omnes sacer Hero. Salutat te Cassianus hospes meus, & soror mea & vxor eius. & charissimi eorum liberi. Dominus te incolumem carne & spiritu sanctificet, & te in Christo coronam assecutam videam.

IN SANCTI IGNATII MARTYRIS, Epistolam IV. Scholia. Hieronymi Vairlenij Syluij.

Ad Mariam Cassobolitem. *Hanc Mariam eandem esse opinor, quam & Apostolus Paulus inter cæteros officiose salutat in Epistolâ ad Rom. cap. 16. Salutate, inquiens, Mariam, quæ multum laborauit in nobis. Quibus verbis indicat Apostolus, hanc Mariam eximia fuisse pietatis fœminam, quæ religionem Christianam apud fideles Romæ habitantes plurimùm promouerit: vnde & D. Ignatius hac primâ Epistolâ sua miris laudibus eum euexit, tribuens eidem non vulgarem diuinarum scripturarum scientiam. Vnde eam σοφωτάτην, id est, sapientissimam appellat in hac Epistolâ: & in Epistolâ ad Heronem Diaconum, quæ ordine decima est, eandem Mariam salutans, πολυμαθεστάτην, id est, omnibus disciplinis instructissimam appellat, quam & domi suæ fouisse Ecclesiam scribit. Nec temporum ratio huic nostræ opinioni aduersatur, cum ex hac primâ Epistolâ sua constet Ignatium vixisse, cum Romæ apud Anacletum Papam Maria hæc diuersaretur, qui cum Lino, viuente adhuc Petro, in partem curæ pontificiæ est adsciтus ab Apostolo Petro: & quamquam Petrus Clementem sibi successorem elegisset, ille tamen singulari vsus modestia, Linum & Cletum sibi prætulit. Secundus itaque post Petrum Romanæ vrbis Pontificatum suscepit Linus: tertius Cletus, qui & Anacletus: quartus Clemens. Vnde & ex hoc loco D. Ignatij argui potest, eum, quem Cletum appellamus, eundem esse quem Anacletum appellat in hac Epistolâ Ignatius, cùm disertè hic scribat, huic Anacleto se adhuc viuo successisse Clementem; cum Historia Ecclesiastica Clementem scribant successisse Cleto, & Anacletum successisse Clementi, & Damasus Papa, vt auctor est Platina in vitâ Anacleti, ostendat Cletum ab Anacleto, patriâ, & genere mortis differre. At pro nobis facit Euseb. libro tertio Histor. Eccles. cap. 2. Titus, inquit, filius in imperio successit, cuius secundo regni anno, Linum duodecim annis in sacerdotio transactis, vrbis Romæ Episcopatum tradidisse Anacleto ferunt. Et cap. 14. in vrbe Româ, duodecim Anacletus annis in Episcopatu exactis, sacerdotij sedem Clementi tradidit, hic vides Cleti nullam factam mentionem, sed tantum Anacleti.*

EIVSDEM AD TRALLIANOS, vitæ Christianæ institutio, & contra varias Hæreses.

EPISTOLA V.

Epistolam hanc scripsit D. Ignatius ex Smyrnâ, vt tradit Eusebius Ecclesiast. Historia, lib. 3. cap. 35. cùm esset iam in vinculis. Trallium verò primus conditor fuerat Attalus, Troianus quidam nobilis qui vetere Troiâ captâ hanc in patriæ memoriam extruxerat: Vnde si euoluatur nomen, τράλλεις, non est aliud quam τροία ἄλλη, id est, Troia altera: Niceph. Gregorius Hist. Romana, lib. 5. cap. 8. Quod & sensisse videtur interpres, qui Troienses pro Tralliensibus dixit.

E

IGnatius, qui & Teophorus, dilectæ à Deo Patre & Iesu Christo Ecclesiæ sanctæ quæ est Trallibus electæ & Deo dignæ, pacem habenti in carne & spiritu IESV Christi spei nostræ per crucis & mortis supplicium, & resurrectionem, quam Apostolico charactere saluto in plenitudine, & eandem opto plurimùm saluere.

Pax in carne & spiritu.

Inculpatam sine omni simulatione mentem in patientiâ cognouit habere vos, non perfunctoriè eâ vtentes, sed sulicè possidentes, quemadmodum significauit nobis Episcopus vester Polybius, qui Smyrnæ adfuit, per voluntatem Dei Patris, & Domini Iesu Christi filij eius, & cooperante spiritu, vt vniuersam multitudinem vestram in eo contemplatus sim. Cùm enim demonstrasset vestram erga Deum beneuolentiam, visus sum mihi per eum deprehendisse, omnes vos imitatores esse Iesu Christi Saluatoris. Episcopo subiecti estis *a* velut Domino: Ipse enim vigilat pro animabus vestris, vt qui rationem DEO redditurus sit. Quare videmini mihi non secundùm hominem, sed secundùm Iesum Christum viuere, qui propter nos mortuus est, vt credentes in mortem eius per baptismum consortes sitis resurrectionis eius. Necesse itaque est, quicquid facitis, vt sine Episcopo nihil tentetis. Sed & presbyteris subiecti estis, vt Christi Apostolis, qui spes vestra est: hoc autem pacto viuentes, in ipso inueniemur. Oportet & Diaconos *b* mysteriorum Christi ministros, per omnia placere: nec enim ciborum, & potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei administratores. Cauendum itaque, non secus atque ignem ardentem fugitis, ne quis eos accuset. ipsi itaque tales sunt: At vos reueremini illos vt Christum Iesum, cuius vicarij sunt, & Episcopus typum DEI Patris omnium gerit; Presbyteri verò, sunt consessus quidam & coniunctus Apostolorum cœtus. Sine his Ecclesia electa non est, nulla sine his sanctorum congregatio, nulla sanctorum collectio: Persuasum autem habeo, & vos eo animo affectos esse. Specimen enim charitatis vestræ accepi, & mecum habeo in Episcopo vestro, cuius animi modestia, magna cæterorum disciplina est; mansuetudo eius, robur est, quam impios reuereri existimem. Quod carius scribam, id fit, quòd amem vos, ne aliis, videar, difficilis, alijs, indignus. Vinctus sum propter Christum, sed necdum Christo dignus sum: si verò consummer, fortassis dignus fuero. Non vt Apostolus præcipio, sed ego me ipsum metior, ne gloriando peream: Porrò in Domino gloriari, bonum est: * quanquam enim in iis quæ Dei sunt, robustus sum, atttamen plus mihi timendum est, *c* nec animus illis intendendus, qui frustrà me inflant, qui enim laudant, flagellant me. At nescio an dignus sum. Hostis namque inuidiâ me oppugnat, tametsi id multis non videatur. * Opus itaque mihi mansuetudine, quâ vincitur princeps sæculi huius, diabolus. An nolebam vobis abstrusiora scribere? at ne paruulis vobis obsim, metuo (id mihi ignoscite) ne vim mysteriorum minimè capientes strangulemini. Etenim & ego, non quatenus vinctus sum, etiam cœlestia intelligere possim, angelicos ordines, Archangelorum militiarumque cœlestium discrimina, virtutum dominationumque differētias, thronorum potestatumque diuersitates, principatuum magnificentias, Cherubim, Seraphimque excellentias, Spiritûs sublimitatem, & Domini regnum, & incomparabilem Dei Patris omnipotentis diuinitatem. Hæc cùm nouerim, non continuò perfectus prorsus sum, aut discipulus, qualis Paulus aut Petrus: multa enim desunt ne à Deo derelinquar. Obsecro igitur vos, non ego sed charitas Iesu Christi, vt idem dicatis omnes, nec sint in vobis schismata; sitis autem perfecti eâdem sententiâ & eâdem mente. Sunt enim nonnulli vaniloqui & seductores, non Christiani, sed Christempori, id est, Christi luciones, quique ex Christi nomine quæstum faciant, fraude circumferentes illius nomen, & adulterantes verbum Euangelij, & erroris venenum alluentes dulcibus alloquiis, velut mulso aconitum miscentes, vt suauissimo sapore deceptus gustandi sensus, incautè mortem hauriat. Monet quidam veterum: Nemo bonum dixerit, qui bonum malo admiscet. Loquuntur namque Christum

F

G

H

Episcopis obediendum & presbyteris.

Diaconi, ministri sunt mysteriorum Christi, non autē cibi aut potûs.

Diaconi sunt vicarij Christi.

* Hæc citat Damasc. Parallel. lib. 2. cap. 15. & Maxim. confess. serm. 23. de laude.

Linea Importuna.

* Hæc quoque citat Damasc. Paral. lib. 3. cap 30.

Angelicorum ordinū discrimina.

stum, non vt Christum annuntient, sed vt Christum damnent, & reiiciant: Nec legem stabiliunt, sed ex lege vitam prædicant. Nam Christum à Deo Patre alienum esse docent, & legem nihil cum Christo habere commune prædicant. Partum Virginis calumniantur, & cùm pudeat illos Crucis, passionem negant; nec resurrectionem credunt, sed ignotum Deum introducunt? Christum ingenitum esse censent; Spiritum verò factum, nec esse confitentur. Quidam verò eorum, Filium purum hominem esse dicunt, & eundem esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum; & omnia creata à Deo, non per Christum, sed per alienam potestatem quandam. Aduersus huiusmodi itaque munite vos, ne laqueus iniiciatur animis vestris, & sine offendiculo cum omnibus viuite, ne intuentibus, laqueus & rete sitis expansum. Qui enim sua ipsius vitia non sanat, & actiones non corrigit, frater est eius qui seipsum perdit. Si itaque & vos abiecetitis animi tumorem, arrogantiam, & fastum, & superbiam, poteritis indiuulsè Deo conglutinari. *Prope enim est Dominus timentibus eum.* Et: *Ad quem respiciam* (inquit) *quam ad humilem, quietum, & trementem sermones meos?* Reueremini autem Episcopum sicut Christum, quemadmodum nobis præceperunt Apostoli, Qui intra altare est, mundus est; quare & obtemperat Episcopo, & sacerdotibus. Qui vero foris est, hic est qui sine Episcopo, Sacerdote, & Diacono quippiam agit, & eiusmodi, inquinatam habet conscientiam, & infideli deterior est. Quid enim aliud est Episcopus, quàm is qui omni principatu & potestate superior est, & quoad homini licet, pro viribus imitator Christi Dei factus! Quid vero Sacerdotium aliud est, quam sacer cœtus, consiliarij & assessores Episcopo? Quid verò Diaconi, quàm imitatores angelicarum virtutum, quæ purum & inculpatum ministerium illis exhibent, vt sanctus Stephanus, beato Iacobo; Timotheus & Linus, Paulo; Anacletus & Clemens Petro? Qui igitur iis non obedit, atheos prorsus, & impius est, & Christum contemnit, & constitutionem eius imminuit. Porrò hæc scribo, non quòd nouerim tales aliquos viros inter vos; sed & Deus auertat ne quid tale vnquam ad aures meas perueniat qui proprio filio suo non pepercit propter sanctam Ecclesiam: sed quòd prospiciam insidias Maligni, & ideo præmuniam vos his præceptis, vt filios meos charissimos & fideles in Christo, antidotum vobis porrigens aduersus pestilentem inobedientium morbum, quem fugite beneplacito Christi Domini nostri. Vos itaque mansuetudinem sumentes, estote imitatores passionum Christi, & charitatis quâ dilexit nos, qui dedit semetipsum pro nobis redemptionis pretium, vt sanguine suo nos repurgaret à veteri impietate, & vitam daret vobis qui mox malitiâ vestrâ perituri eratis. Nemo itaque aduersus proximum aliquid habeat. *Remittite enim*, inquit Dominus noster, *& remittetur vobis.* Ne ansam detis gentibus, vt propter paucos insipientes sermo & doctrina culpetur. *Væ enim*, inquit Propheta ex Dei personâ, *per quem nomen meum blasphematur in gentibus.** Obturate igitur aures vestras, cùm vobis quispiam loquitur excludens Iesum Christum Filium Dei, qui natus est ex Dauid, qui ex Mariâ, qui verè genitus est ex Deo, & ex Virgine; verùm non simili modo. Nec enim idem est Deus & homo. Verè assumpsit corpus: *Verbum* enim *caro factum est*, & vixit inter homines sine peccato. *Quis enim ex vobis arguet me de peccato?* Verè edit & bibit, crucifixus & mortuus est sub Pontio Pilato. Verè, inquam, non hominum opinione, crucifixus & mortuus est; videntibus cœlestibus, terrenis, & iis qui sub terrâ detinebantur: cœlestibus quidem inspicientibus, nimirùm incorporeis naturis; terrenis verò, vt Iudæis & Romanis, & cæteris qui tunc temporis crucifixo Domino aderant; subterraneis autem, iis videlicet qui plurimi cum Domino resurrexerunt. *Multa* enim *corpora sanctorum, qui dormierant, cum Domino resurrexerunt*, monumentis apertis. Descendit ad infernum solus, regressus autem est cum multitudine, & septum illud æternum rupit, & medium parietem illius destruxit, & intra triduum resurrexit excitante illum Patre; & quadraginta dies conuersatus est cum Apostolis, assumptus est ad Patrem, & resedit à dextris ipsius, expectans donec inimici eius subiiciantur pedibus eius. In parasceue itaque, horâ tertiâ, sententiam accepit à Pilato permittente id Patre. Sextâ horâ crucifixus est; nonâ expirauit, ante solis occasum sepultus est. Sabbato, sub terrâ, in monumento remansit, in quo posuit eum Ioseph Arimatheus. Illucescente Dominico die resurrexit ex mortuis, iuxta id quod dixerat: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti, tres dies & tres noctes, ita erit filius hominis in corde terræ tres dies & tres noctes.* Complectitur itaque Parasceue, passionem; sabbatum, sepulturam: Dominicus dies, resurrectionem. Hi verò, vt quidam athei, hoc est, increduli, aiunt, ipsum, solâ opinione, hominem natum esse, non autem reuerà corpus assumpsisse, & opinione mortuum, non autem verè passum. Quæ si ita se habent, cuius rei gratiâ ego vinctus sum, & opto vt feris obiiciar? frustrà morior itaque? Igitur mendacia fingo de cruce Domini, & superuacuà vaticinatus est propheta: *Videbunt in quem pupugerunt, & plangent super eo sicut super dilecto.* Hi itaque non minus increduli sunt, iis qui crucifixerunt eum. Ego verò non opinione tantummodò spem in eo habeo, qui pro me mortuus est, sed reuerà; omne enim mendacium alienum à veritate est. Verè genuit igitur Maria corpus habens in se Deum habitantem, & reuerà natus est Deus Verbum ex Virgine, vestitus corpore obnoxio iisdem passionibus nobiscum: verè natus ex vuluâ, qui omnes homines in vuluâ fingit, & corpus sibi fabricauit ex sanguinibus Virginis, hoc solo excepto, quòd nulla viri consuetudo intercesserit. In vtero gestatus est, sicut & nos certis mensium circulis, & verè natus est, sicut & nos, & verè lacte pastus est, & cibo potuque communi nobiscum vsus est, sicut & nos, & expletis tribus annorum decadibus verè baptizatus est à Ioanne, non autem opinione hominum, aut phantasiâ, & vbi triennium prædicauit Euangelium, signa & prodigia patrauit, à falsis Iudæis & præside Pilato iudex iudicatus est, flagellatus est &, alapis cæsus, & consputus est, spineam coronam & purpureum vestimentum portauit, verè condemnatus & cruxifixus est, non opinione, non phantasiâ, non imposturâ, verè mortuus, & sepultus, & resurrexit ex mortuis, sicut quodam loco orat, dicens: *Tu autem Domine resuscita me, & retribuam illis.* Et qui semper exaudit eum Pater respondens inquit: *Exurge Deus, iudica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.* Pater itaque qui illum suscitauit, & nos per ipsum suscitabit, sine quo nemo consequetur vitam veram. Ait enim: *Ego sum vita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit & credit in me, & si mortuus fuerit, viuet in æternum.* Fugite itaque impias hæreses, sunt enim diaboli inuenta, & excogitatæ artes serpentis illius, qui omnis mali primus auctor est, qui per mulierem decepit primũ generis nostri parentem Adam. Fugite autem & illius propaginem, Simonem, primogenitum illius filium, & Menandrum, & Basilidem, & totam illam ipsius malitiæ colluuiem, hominum cultores, quos & Ieremias propheta maledictos appellat. Fugite quoque impuros Nicolaitas, falsum sibi nomen sumentes voluptatum amatores & sycophantas. Fugite præterea maligni illius nepotes, Theodorum & Cleobulum, qui gignunt mortiferum fructum, quem qui gustarit, continuo moritur, non temporaneam hanc sed æternam mortem. Hi non sunt plantatio Patris, sed meledicta germina. *Omnis autem plantatio*, inquit Dominus, *quam non plantauit Pater meus radicitus euelletur.* Si enim surculi fuissent Patris, non fuissent hostes Crucis Christi; sed eorum qui occiderunt Dominum gloriæ. Nunc verò cùm crucem negent, & illos passionis pudeat; tegunt Iudæorum scelus, qui Deum oppugnatuor & Dominum occiderunt; nam parum est prophetatum interfectores appellare eos. Vos autem Christus inuitat ad incorruptionem, per passionem & resurrectionem suam, cùm sitis membra ipsius. Saluto vos è Smyrnâ, vna cum Ecclesiis Dei quæ mecum sunt, quarum præfecti prorsus refocillarunt

Psal. 84. Isai. 66.
Episcopus quid sit.
Diaconi quid sint. Diaconi Apostolorum.
Luc. 6.
Rom. 2.
** Hæc est sat Theodoreti Cyrensis in Eranist. dialog. 1.*
Ioan. 1. Ioan. 8.
Matth. 27.
Psal. 109.
Matth. 12.
Triduum sepulturæ Christi.
Matth. 15. Zach. 12.
Contra Ebionitas.
Psal. 40. Psal. 81.
Ioan. 11.
Hæreses sunt diaboli inuenta.
Hæretici sunt filij & propago diaboli.
Nicolaitæ falsũ nomẽ sumpserant
Matth. 15.

me,& carne, & spiritu. Obsecrant vos vincula hæc mea, quæ propter Iesum Christum circumfero,orans vt Deum assequar:permanete in mutuâ concordiâ,& oratione. Decet enim singulos vestrûm,& præcipuè Presbyteros,refocillare Episcopum in honorem Dei patris,in honorem Iesu Christi & Apostolorũ. Opto vt in charitate me audiatis;ne hæc scribens,in testimonium vobis sim. Orate pro me,qui in Dei misericordiâ, charitate vestrâ indigeo, vt dignus fiam sorte ad quam assequendam iam destinor ne reprobus inueniar. Salutat vos charitas Smyrneorum, & Ephesiorum. Memores estote & nostræ Ecclesia quæ est in Syriâ, de quâ non sum dignus qui dicar vltimus eorum qui ibi sunt. Valete in Domino Iesu, subiecti Episcopo, & similiter Presbyteris & diaconis,& singillatim omnes,alter alterum diligite corde indiuulso.Salutat vos meus spiritus, non modò nunc, sed & vbi Deum nactus fuero;nam etiamnum in periculo versor: sed fidelis Pater Iesu Christi,ad implendam petitionem meam & vestram, in quo opto vt inueniamur sine maculâ. Fruar vobis in Domino.

IN SANCTI IGNATII MARTYRIS Epistolam V. Scholia.

a Episcopo subiecti estis.*Vetus interpres,& hunc sequutus Morelius, verterunt: Subiecti estote Episcopis, imperandi modo:nobis magis placet Indicatiuus modus, nam ὑποτάσσεσθε verbum ambiguum est. Cùm enim Ignatius has laudes,vt per omnia imitatores Christi, & ante hæc verba, profiteatur eos nihil facere sine nutu Episcopi,ridiculũ esset statim subijcere quasi sui oblitus esset,Subiecti estote Episcopo.*

b Oportet & Diaconos. *Interpres vetus hoc loco Datiuo casu vertit Diaconis, cùm Græcè sit Accusatiuus: δεῖ τοὺς διακόνους ἀρέσκειν,id est, oportet Diaconos placere, nimirùm Deo, & toti Ecclesiæ, cuius ministri sunt.*

c Alius interpres, sic; *& non attendere ad eos qui magnificant me, Hi verò qui me laudant, potiùs flagellant.*

EIVSDEM AD MAGNESIANOS, DE exhibendâ iuniori Episcopo reuerentiâ, sectandâ concordiâ, & fugiendis hæresibus.

Epistola VI.

IGnatius, qui & Theophorus, benedictæ per gratiam Dei Patris, in Christo Iesu Saluatore nostro, Ecclesiæ quæ Magnesiæ est apud Meandrum, eandemque in eo saluto, optoque vobis in Deo Patre & Christo Iesu Domino nostro plurimam salutem.

Vbi cognouissem charitatem vestram erga Deum benè ordinatam, exultans animo volebam in fide Iesu Christi alloqui vos. Dignus enim habitus diuino & exoptato nomine a laudo in his quæ circumfero vinculis, Ecclesias quibus opto Iesu Christi vnionem secundùm carnem & spiritum, qui est saluator omnium hominum, maximè autem fidelium, cuius sanguine redempti, per quem nouistis Deum, in quo sustinentes effugietis omnes insultus violentos huius sæculi. *Fidelis enim Deus qui non patietur vos tentari supra vires vestras.* Quoniam itaque dignus fui videre vos per Damam Episcopum vestrum Deo dignum, & Deo dignos presbyteros Bassum & Apollonium, & contubernalem meum Sotionem diaconum, quo ego fruar quia obedit Epicopo & presbyteris per gratiam Dei & legem Iesu Christi: Et vos decet non contemnere ætatem Episcopi, sed iuxta Dei Patris arbitrium omnem impertiri illi reuerentiam, quemadmodum noui facere sanctos presbyteros, non respicientes ad eam, quæ videtur, adolescentiam, sed ad prudentiam quam habet in Deo. Nec enim annosi, sapientes continuò sunt, nec senes intellgentiam possident, sed spiritus qui in hominibus est. Daniel enim ille sapiens cùm duodecim esset annorum, spiritu Dei afflatus erat: & senes, frustra canos ferentes, calumniatores & alienæ formæ appetentes esse coarguit. Samuel autem puer paruulus, Heli nonagenarium reprehendit quòd suos filios plus quàm Deum honoraret. Similiter Ieremias audit à Deo: *Ne dicas, iunior sum.* Porrò Salomon & Iosias, ille quidem duodecimo ætatis anno, hic verò octo natus annos, regni gubernaculis admotus est, aras & templa diruit, & lucos combussit; dæmonibus enim erant, non Deo, consecrata; & falsos illos sacerdotes iugalauit, corruptores & impostores hominum non Dei cultores. Adolescentia igitur non est contemnenda, quoties Deo dedita consecrataque fuerit; verùm is contemnendus est qui prauo est animo, tametsi malorum dierum tempore plenus sit. Iuuenis erat Timotheus ille Christo plenus, verùm quid illi Magister scribat, audite. *Adolescentiam tuam nemo contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo & conuersatione.* Decet itaque & vos obedire Episcopo,& in nullo illi refragari:terribile namque est tali cõtradicere:,nec enim hunc fallit qui videtur, sed inuisibilẽ fallere nititur,qui non potest à quoquã falli. Nam si id fit,non ad hominem,sed ad Deum redit contumelia. Samueli namque dicit Deus;*Non te spreuerunt,sed me.* Et Moses inquit: *Non contra nos est murmur vestrũ sed contra Deum.* Nec enim legi contradixerunt Dathan & Abyron,sed Moysi,& viui in infernũ præcepitati sunt. Core autem & qui cum illo conspirarunt,ducenti quinquaginta numero exusti igne sunt. Absalon parricida factus cùm ex arbore penderet, per cor prauũ illa consilia machinatum,lanceis traiectus est. Abeddadã similiter capite truncatus est ob similem caussam:Ozias leprâ percutitur,ausus quid tentare contra sacerdotes & sacerdotiũ. Saul honore priuatus regio, nõ expectãs summũ sacerdotem Samuelem. Oportet itaque & nos reuereri præstantiores, deceteque non modò vocari Christianos,sed esse. Nec enim dici,sed esse,beatos facit.Si qui Episcopum appellant,& sine eo omnia faciunt;huiusmodi dicet ipse qui verus & primus Episcopus est; *Quid me vocatis Domine, Domine,& non facitis quæ dico?* Tales enim,non bonâ cõscientiâ mihi prædici esse videntur,sed esse simulatores & personati.Quandoquidem igitur actiones ipsæ sua habent præmia,& obedientiæ proponitur vita, mors autem inobedientiæ: & singuli,qui aut hoc aut illud,elegerunt, in eius quod elegerunt locum abituri sunt, fugiamus mortem & eligamus vitam. In hominibus enim geminas notas inueniri dico, & hanc esse veri numismatis,illam verò adulterini. Pius homo, numisma est à Deo cusum: impius,adulterinum & subaratum, non à Deo,sed à diabolo effectum. Non quòd velim dicere duas esse hominis naturas,sed vnum esse hominem qui iam Dei,iam diaboli sit. Si quis pietati studet, Dei homo est: si impiè agat, diaboli est:non id factus per naturã, sed animi arbitrium. Infideles imaginem referunt principis malitiæ, fideles imaginem ferunt principis Dei Patris, & Iesu Christi;per quem, nisi propensa sit nobis voluntas pro veritate mori ad exemplum passionis eius, nec vita ipsius in nobis erit. Quandoquidem itaque iis personis quas commemoraui, omnem multitudinem fidelium contemplatus sum, & dilexi, hortor vt hoc omnibus studium, in Dei concordiâ omnia agere, Episcopo præsidente Dei loco,presbyteris loco Senatus Apostolici; Diaconis mihi suauissimis vt iis quibus commissum est Iesu Christi ministerium, qui ante sæcula genitus fuit apud Patrem Deus Verbum, vnigenitus Filius, & in consummatione sæculorum idem permanet,*regni enim illius nullus erit finis*, inquit Daniel Propheta. Omnes itaque concordibus animis nos mutuò diligamus, & nemo secundùm carnem spectet proximum, sed in Christo Iesu. Nihil sit in vobis quod possit vos dirimere, sed vniamini Episcopo,subiecti Deo per ipsum in Christo. Quemadmodum itaque Dominus sine Patre nihil facit, *Nec enim possum*,inquit,*facere à me ipso quicquam.* Sic & vos sine Episcopo,nec presbyter,nec diaconus,nec laicus. Nec quicquam videatur vobis consentaneum; quod sit præter illius iudicium; quod enim tale est,iniquum est & Deo inimicum. Omnes ad orandum in idem loci conuenite, sit vna communis precatio, vna mens,vna spes in charitate & fide inculpatâ in Christum Iesum,quo nihil præstantius est. Omnes velut vnus quispiam in templum Dei concurrite, velut ad vnum altare, ad vnum Iesum Christum summum sacerdotem Dei vnigeniti. Ne patiamini vos seduci aliis opinionibus,nec fabulis, nec genealogiis nunquam finiendis, nec fastui

[Margin notes:] E · *Adolescẽtia non contemnenda.* · 1.Tim.4. · *Episcopo contradicere terribile est.* · 1 Reg.8. · Exod.6. · F · Num.16. · 2. Reg. 18. · 2.Par.26. · 1. Reg. 13. · *Actionũ præmia. Electio boni & mali.* · G · *Impius homo. diaboli fit per animi Arbitrium. Imago Christi & diaboli, in homine. Diaconis cõmissum Christi ministerium.* · H · Dan.3. 6. & 7. · Ioan.5. · *Contra schismaticos.* · *Christus Sacerdos Dei ingeniti.*

Iudaïco

A

Propheta iuxta Christum vixerũt.

Christus Patris Verbum, non pronuntiatum, sed substantiale.

Ioan. 5.

Iudaico attendaris. Vetera transierunt, ecce noua facta sunt omnia. Si namque adhuc iuxta legem Iudaicam & circumcisionem carnis vixerimus, negamus nos gratiam accepisse. Diuinissimi namque prophetæ iuxta Christum Iesum vixerunt, & ob hoc persecutionem passi sunt, gratiâ inspirati, vt plenè erudirentur increduli, quòd vnus Deus est omnipotens qui seipsum manifestauit per Iesum Christum Filium suum, qui est ipsius Verbum, non pronuntiatum, sed substantiale. Nec enim est articulati sermonis vox, sed diuinæ efficaciæ genita essentia, qui omnia grata & placita reddidit ei qui se miserat. Si igitur venustis literis scripturisque inhærentes, in vanam spem deuenerunt, expectantes Christum, vt docet Christus, *Si crederetis*, inquiens, *Mosi, crederetis mihi: de me enim scripsit ille*. Et, *Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est. Priusquam enim Abraham fieret, ego sum*. Quomodo nos poterimus viuere sine ipso, cuius serui & prophetæ, spiritu præuiderunt ipsum: & vt præceptorem, vt Dominum & saluatorem exspectabant, dicentes, *Ipse veniet & saluabit nos*; Non igitur sabbatizemus Iudaico more, velut otio gaudentes: *Qui enim non laborat, non edat. In sudore enim vultus tui, vesceris pane tuo*; habent oracula. Sed vnusquisque nostrum sabbatizet spiritualiter, meditatione legis gaudens, non corporis refocillatione & remissione, opificium Dei admirans, non pridiana *b* comedens, & tepida bibens, & ad præscripta spatia obambulans, & saltationibus plausibusque stupidis gaudens. At post sabbatum, omnis Christi amator Dominicum celebret diem resurrectioni consecratum Dominicæ, reginam & principem omnium dierum, quam expectans Propheta dicebat; *in finem pro octaua*; In quâ, & vita nostra exorta est, & per Christum mors deuicta. Quem negant quoque filij perditionis, hostes Saluatoris, *quorum Deus venter est*, qui terrena sapiunt, voluptatum, non Dei amatores, *speciem quidem pietatis habentes, virtutem verò ipsius abnegantes*, sub Christi nomine & prætextu, mercatum exercentes, verbũ Dei adulterantes, & Iesum vendentes, corruptores, alienique appetentes, & pecuniarum violentissimi sectatores, à quibus, Dei misericordiâ liberemini per Dominum nostrum Iesum Christum. Tangat itaque nos illius bonitas; Si enim arguat nos iuxta actiones nostras, iam periimus. *Si enim iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit*; Simus itaque digni cognomento quod accepimus, Qui enim alio nomine appellatur præter hoc, hic non est Dei, nec accepit prophetiam loquentem de nobis: Appellabitur nomine alio, quo Dominus nominabit eũ, & erit populus sanctus, quod primùm in Syriâ impletum est. Antiochiæ enim primùm, discipuli, appellati sunt Christiani, cùm Petrus & Paulus fundarent Ecclesiam. Abiicite igitur malum illud vetus & putridum fermentum, & transmutemini in nouum fermentum gratiæ. Habitate in Christo, ne alienus dominetur vobis. Absurdum est Iesum Christum sonare linguâ, & mente non habere Iudaismum abolitum, vbi enim est Christianismus, non est Iudaismus. Vnus enim est Christus Iesus, in quem gens omnis credens, & omnis lingua confitens, in Deo coadunatæ sunt; & ij qui lapideo erant corde, filij Dei facti sunt, & amici Abrahæ, & in semine eius benedicentur omnes, destinati ad vitam æternam. Hæc scribo, charissimi, non quòd cognouerim aliquos vestrûm hoc animo affectos esse; sed vt minor inter vos, cupio vobis cautum, ne incidatis in hamos inanis gloriæ, sed plenam de Christo cognitionem habeatis, qui ante omnia secula natus ex Deo Patre, pòst verò natus est ex Mariâ virgine sine viri commercio, quique sanctè vixit, omnemque morbum & imbecillitatẽ curauit in populo, signa & prodigia patrauit ad benefaciendũ hominibus, & iis qui in superstitionem plurium deorum impegerant, vnum verum Deum Patrem suum annuntiauit; qui passus est, & à Christicidis Iudæis sub Pontio Pilato præside & rege Herode crucem sustinuit; mortuus est, & resurrexit, ascendit in cœlos ad eum à quo missus erat, sedetque ad dexteram ipsius; qui venturus est in fine seculorum cum paternâ gloria vt iudicet viuos & mortuos, reddatque

[Margin: B — Isai. 25. 6 — Thess. 3. — Gen. 3. — Saltationes. — Dies Dominicus. — In Titu. Io. Psal. 6. & 11. — Philip. 3. — 2. Tim. 3. — C — Psal. 129. — Christiani primũ Antiochia nominati. Petrus & P. Ecclesiam fundauerũt. — D — Iudæi Christicidæ. — Christus venturus]

vniquique secundùm opera sua. Hec qui plenè cognorit & crediderit, beatus est; quemadmodum & vos estis Dei amatores & Christi; in plenitudine spei vestræ; à quâ exorbitare quemquam, vestrûm, absit. Fruar vobis per omnia, si dignus sim. Tametsi enim vinctus sum, comparandus tamen vni vestrum solutorum non sum. Noui quòd in vobis nihil fastûs sit, Iesum enim habetis in vobis ipsis; at contrà rubore suffundimini, sicut scriptum est: *Iustus accusator est sui ipsius*: Et: *Dicito tu primus peccata tua, vt iustificeris*. Et: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite; serui inutiles sumus*. Nam quod apud homines est eximium, abominabile est apud Deum. *Deus enim*, inquit ille, *propitius esto mihi peccatori*. Ob hoc magni illi Patriarchæ, Abraham & Iacob terram & cinerem seipsos forsan coram Deo nominauerunt. Et Dauid: *Quis sum ego in conspectu tuo Domine, quia eduxisti me hucusque?* Et Moses ille mitissimus super omnes homines, dicit ad Deũ: *Exili voce & tardiori lingua sum*. Submissè itaque sentite & ipsi, vt exaltemini: *Qui enim se humiliat, exaltabitur; & qui se exaltat, humiliabitur*. Studete itaque vt confirmemini in dogmatibus Domini & Apostolorum, vt omnia quæ facitis prosperè succedant; & carne & spiritu; fide & charitate cum dignissimo Episcopo vestro, & coronando *c* spirituali Stephano presbytero vestro, & Dei ministris Diaconis. Subiecti este Episcopo, & vobis mutuò, vt Christus Patri, vt inter vos diuina quædam sit vnio. Cùm sciam vos plenos omnis boni, breuibus cohortatus sum vos in charitate Iesu Christi. Memores estote mei in orationibus vestris, vt Deum assequar; & Ecclesiæ quæ in Syria est, cuius non sum dignus appellari Episcopus. Opus enim mihi est amabili in Deo precatione vestrâ & charitate, vt Ecclesia quæ in Syriâ est, mereatur nostrâ moderatione & disciplinâ pasci in Christo. Salutant vos & Ephesij de Smyrnâ, vnde hæc scribo vobis, qui præsentes adsunt in Dei gloriam, vti & vos qui me vnà cum Polycarpo recreastis: & cæteræ Ecclesiæ, in honore Iesu Christi, salutant vos. Valete concordes, spiritum possidentes indiuulsum, in Christi Iesu per voluntatem Dei.

[Margin: E — ad iudicium vt reddat cuique iuxta opera sua. — Prou. 8. — Isai. 18. — Luc. 16. — Luc. 18. — Gen. 24. — F — 1. Par. 27. — Exod. 4. — Matt. 23. — Permanentibus in doctrinâ Dei & Apostolorum, omnia prosperè succedũt. — Ecclesia Syria. — G — H]

IN SANTI IGNATII MARTYRIS
Epistolam VII. Scholia.

a Dignus habitus exoptato numine. *Vel Christianum nomen intelligit, quod primum in Antiochiâ Ecclesiâ fidelibus inditum est, vt in Actis testatur Lucas. Vel martyrij nomen intelligit, cum ob fidem Christi vinctus, damnatus esset, vt bestiis obijceretur.*

b Non pridiana comedens & tepida bibens, & ad præscripta spatia obambulans. *Hunc locum nemo interpretum satis intellexit. Vetus interpres ita reddidit: Non omnia comedens, tepida bibens, & mensuratè ambulans. Morelius sic vertit: Non in crastinum crapulã colligens, tepida bibens, & modulate incedens. Porrò Græca sic habent: ου εωλα εσθιων, ϗ χλιαρα πινων ϗ μεμετρημενα βαδιζων. Damnat enim Ignatius ritus illos Iudaicos, iam per Euangelicã veritatem abolitos quibus Iudæi superstitiosè se astringebãt ad obseruandum Sabbatum, adeo vt nec focum excitarent in ædibus, sed pridiana & iam marcida ederent, & tepida biberent, & tantum via carperent, quantum licebat in Sabbato: quod spatium ob id, iter Sabbati in Euangelicis literis appellatur, ne videlicet violarent Sabbatum, vel vltra præscriptum spatium excurrendo, vel coquendis cibis se occupãdo, quos ob id pridie parabant, vnde & feria sexta parasceues, appellationẽ sortita est a parãdis in Sabbatũ cibariis.*

c Et coronando spirituali Stephano. *Alludit ad nomen Stephanus: nam στεφανος Græcè, corona est Latinè, hinc & Prudentius hymnographus eruditissimum poëma edidit, cui titulum fecit περι στεφανων, id est, de Coronis, quòd in eo celebret laudes Martyrum.*

EIVSDEM AD TARSENSES DE SVO Martyrio; deinde contra Ebionitas & Epicureos, Christum esse verum Deum, & futuram corporum resurrectionẽ: Postremò autem, & de vitæ Christianæ officiis.

EPISTOLA VII.

IGnatius, qui & Theophorus, saluatæ per Christum, laudandæ, memorandæ, & adamandæ Ecclesiæ quæ

me,& carne, & spiritu. Obsecrant vos vincula hæc mea, quæ propter Iesum Christum circumfero,orans vt Deum assequar:permanete in mutuâ concordiâ,& oratione. Decet enim singulos vestrûm,& præcipuè Presbyteros,refocillare Episcopum in honorem Dei patris,in honorem Iesu Christi & Apostolorũ. Opto vt in charitate me audiatis;ne hæc scribens,in testimonium vobis sim. Orate pro me,qui in Dei misericordiâ, charitate vestrâ indigeo, vt dignus fiam sorte ad quam assequendam iam destinor ne reprobus inueniar. Salutat vos charitas Smyrneorum, & Ephesiorum. Memores estote & nostræ Ecclesiæ quæ est in Syriâ, de quâ non sum dignus qui dicar vltimus eorum qui ibi sunt. Valete in Domino Iesu, subiecti Episcopo, & similiter Presbyteris & diaconis,& singillatim omnes,alter alterum diligite corde indiuulso. Salutat vos meus spiritus, non modò nunc, sed & vbi Deum nactus fuero;nam etiamnum in periculo versor : sed fidelis Pater Iesu Christi,ad Implendam petitionem meam & vestram, in quo opto vt inueniamur sine maculâ. Fruar vobis in Domino.

IN SANCTI IGNATII MARTYRIS Epistolam V. Scholia.

a Episcopo subiecti estis. *Vetus interpres,& hunc secutus Morelius, verterunt : Subiecti estote Episcopo, imperandi modo:nobis magis placet Indicatiuus modus, nam* ὑποτάσσεσθε *verbum ambiguum est. Cum enim Ignatius hos laudet,vt per omnia imitatores Christi, & ante hæc verba, profiteatur eos nihil facere sine nutu Episcopi,ridiculũ esset statim subijcere quasi sui oblitus esset,Subiecti estote Episcopo.*

b Oportet & Diaconos. *Interpres vetus hoc loco Datiuo casu vertit Diaconis, cùm Græcè sit Accusatiuus:* δεῖ τοὺς διακόνους ἀρέσκειν, *id est, oportet Diaconos placere, nomirum Deo, & toti Ecclesiæ, cuius ministri sunt.*

c Alius interpres, sic; *& non attendere ad eos qui magnificant me, Hi verò qui me laudant, potiùs flagellant.*

EIVSDEM AD MAGNESIANOS, DE exhibendâ iuniori Episcopo reuerentiâ, sectandâ concordiâ, & fugiendis hæresibus.

EPISTOLA VI.

IGnatius, qui & Theophorus, benedictæ per gratiam Dei Patris, in Christo Iesu Saluatore nostro, Ecclesiæ quæ Magnesiæ est apud Meandrum, eandemque in eo saluto, optoque vobis in Deo Patre & Christo Iesu Domino nostro plurimam salutem.

Vbi cognouissem charitatem vestram erga Deum benè ordinatam, exultans animo volebam in fide Iesu Christi alloqui vos. Dignus enim habitus diuino & exoptato nomine a laudo in his quæ circumfero vinculis, Ecclesias quibus opto Iesu Christi vnionem secundùm carnem & spiritum, qui est saluator omnium hominum, maximè autem fidelium, cuius sanguine redempti, per quem nouistis Deum, in quo sustinentes effugietis omnes insultus violentos huius sæculi. *Fidelis enim Deus qui non patietur vos tentari supra vires vestras.* Quoniam itaque dignus fui videre vos per Damam Episcopum vestrum Deo dignum, & Deo dignos presbyteros Bassum & Apollonium, & contubernalem meum Sotionem diaconum, quo ego fruar quia obedit Episcopo & presbyteris per gratiam Dei & legem Iesu Christi : Et vos decet non contemnere ætatem Episcopi, sed iuxta Dei Patris arbitrium omnem impertiri illi reuerentiam, quemadmodum noui facere sanctos presbyteros, non respicientes ad eam, quæ videtur,adolescentiam, sed ad prudentiam quam habet in Deo. Nec enim annosi, sapientes continuò sunt, nec senes intellgentiam possident, sed spiritus qui in hominibus est. Daniel enim ille sapiens cùm duodecim esset annorum, spiritu Dei afflatus erat: & senes, frustra canos ferentes, calumniatores & alienæ formæ appetentes esse coarguit. Samuel autem puer paruulus, Heli nonagenarium reprehendit quòd suos filios plus quàm Deum honoraret. Similiter Ieremias audit à Deo: *Ne dicas, iunior sum.* Porrò Salomon & Iosias, ille quidem duodecimo ætatis anno, hic verò octo natus annos, regni gubernaculis admotus est, aras & templa diruit, & lucus combussit; dæmonibus enim erant, non Deo, consecrata; & falsos illos sacerdotes iugulauit, corruptores & impostores hominum non Dei cultores. Adolescentia igitur non est contemnenda, quoties Deo dedita consecrataque fuerit; verùm is contemnendus est qui prauo est animo, tametsi malorum dierum tempore plenus sit. Iuuenis erat Timotheus ille Christo plenus, verùm quid illi Magister scribat, audite. *Adolescentiam tuam nemo contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo & conuersatione.* Decet itaque & vos obedire Episcopo,& in nullo illi refragari;terribile.namque est tali cõtradicere:,nec enim hunc fallit qui videtur, sed inuisibilẽ fallere nititur,qui non potest à quoquã falli. Nam si id fit,non ad hominem,sed ad Deum redit contumelia. Samueli namque dicit Deus; *Non te spreuerunt,sed me.* Et Moses inquit : *Non contra nos est murmur vestrũ sed contra Deum.* Nec enim legi contradixerunt Dathan & Abyron,sed Moysi,& viui in infernũ præcipitati sunt. Core autem & qui cum illo conspirarunt,ducenti quinquaginta numero exusti igne sunt. Absalon parricida factus cùm ex arbore penderet, per cor praua illa consilia machinatum,lanceis traiectus est. Abeddadã similiter capite truncatus est ob similem caussam:Ozias leprâ percutitur,ausus quid tentare contra sacerdores & sacerdotiũ. Saul honore priuatur regio, nõ expectãs summũ sacerdotem Samuelem. Oportet itaque & nos reuereri præstantiores, decetque non modò vocari Christianos,sed esse. Nec enim dici,sed esse,beatos facit. Si qui Episcopum appellant,& sine eo omnia faciunt;huiusmodi dicat ipse qui verus & primus Episcopus est; *Quid me vocatis Domine, Domine,& non facitis quæ dico?* Tales enim,non bonâ cõscientiâ mihi præditi esse videntur,sed esse simulatores & personati. Quandoquidem igitur actiones ipsæ sua habent præmia,& obedientiæ proponitur vita, mors autem inobedientiæ : & singuli,qui aut hoc aut illud,elegerunt, in eius quod elegerunt locum abituri sunt, fugiamus mortem & eligamus vitam. In hominibus enim geminas notas inueniri dico, & hanc esse veri numismatis,illam verò adulterini. Pius homo, numisma est à Deo cusum: impius,adulterinum & subaratum, non à Deo,sed à diabolo effectum. Non quòd velim dicere duas esse hominis naturas,sed vnum esse hominem qui iam Dei,iam diaboli sit. Si quis pietati studet, Dei homo est : si impiè agat, diaboli est:non id factus per naturã, sed animi arbitrium. Infideles imaginem referunt principis malitiæ, fideles imaginem ferunt principis Dei Patris, & Iesu Christi;per quem, nisi propensa sit nobis voluntas pro veritate mori ad exemplum passionis eius, nec vita ipsius in nobis erit. Quandoquidem itaque iis personis quas commemoraui, omnem multitudinem fidelium contemplatus sum, & dilexi, hortor vt hoc omnibus studium, in Dei concordiâ omnia agere, Episcopo præsidente Dei loco,presbyteris loco Senatus Apostolici, Diaconis mihi suauissimis vt iis quibus commissum est Iesu Christi ministerium, qui ante sæcula genitus fuit apud Patrem Deus Verbum, vnigenitus Filius, & in consummatione sæculorum idem permanet,*regni enim illius nullus erit finis*, inquit Daniel Propheta. Omnes itaque concordibus animis nos mutuò diligamus, & nemo secundùm carnem spectet proximum, sed in Christo Iesu. Nihil sit in vobis quod possit vos dirimere, sed vniamini Episcopo,subiecti Deo per ipsum in Christo. Quemadmodum itaque Dominus sine Patre nihil facit, *Nec enim possum*, inquit, *facere à me ipso quicquam.* Sic & vos sine Episcopo,nec presbyter,nec diaconus,nec laicus. Nec quicquam videatur vobis consentaneum; quod sit præter illius iudicium; quod enim tale est,iniquum est & Deo inimicum. Omnes ad orandum in idem loci conuenite, sit vna communis precatio, vna mens,vna spes in charitate & fide inculpatâ in Christum Iesum,quo nihil præstantius est. Omnes velut vnus quispiam in templum Dei concurrite, velut ad vnum altare, ad vnum Iesum Christum summum sacerdotem Dei vnigeniti. Ne patiamini vos seduci aliis opinionibus,nec fabulis, nec genealogiis nunquam finiendis, nec fastui

E

Adolescentia non contemnenda.

1.Tim.4.

Episcopo contradicere terribile est.

1 Reg.8.

Exod.6.

F

Num.16.

2. Reg. 18.

2.Par.26.

1. Reg. 13.

Actionum præmia.

Electio boni & mali.

G

Impius homo, diaboli fit per animi Arbitrium.

Imago Christi & diaboli, in homine.

Diaconis cõmissum Christi ministerium.

H

Dan.3. 6. & 7.

Ioan.5.

Contra schismaticos.

Christus Sacerdos Dei ingeniti.

Iudaico

A

Propheta iuxta Christum vixerũt.

Iudaico attendatis. Vetera transierunt, ecce noua facta sunt omnia. Si namque adhuc iuxta legem Iudaicam & circumcisionem carnis vixerimus, negamus nos gratiam accepisse. Diuinissimi namque prophetæ iuxta Christum Iesum vixerunt, & ob hoc persecutionem passi sunt, gratiâ inspirati, vt pleoè erudirentur increduli, quòd vnus Deus est omnipotens qui seipsum manifestauit per Iesum Christum Filium suum, qui est ipsius Verbum, non pronuntiatum, sed substantiale. Nec enim est articulati sermonis vox, sed diuinæ efficaciæ genita essentia, qui omnia grata & placita reddidit ei qui se miserat. Si igitur vetustis literis scripturisque inhærentes, in vanam spem deuenerunt, expectantes Christum, vt docet Christus, *Si crederetis*, inquiens, *Mosi, crederetis mihi: de me enim scripsit ille.* Et, *Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est. Priusquam enim Abraham fieret, ego sum.* Quomodo nos poterimus viuere sine ipso, cuius serui & prophetæ, spiritu præuiderunt ipsum: & vt præceptorem, vt Dominum & saluatorem exspectabant, dicentes, *Ipse veniet & saluabit nos*; Non igitur sabbatizemus Iudaico more, velut otio gaudentes: *Qui enim non laborat, non edat. In sudore enim vultus tui, vesceris pane tuo*; habent oracula. Sed vnusquisque nostrum sabbatizet spiritualiter, meditatione legis gaudens, non corporis refocillatione & remissione, opificium Dei admirans, non pridiana *b* comedens, & tepida bibens, & ad præscripta spatia obambulans, & saltationibus plausibusque stupidis gaudens. At post sabbatum, omnis Christi amator Dominicum celebret diem resurrectioni consecratum Dominicæ, reginam & principem omnium dierum, quam expectans Propheta dicebat; *in finem pro octaua*; In quâ, & vita nostra exorta est, & per Christum mors deuicta. Quem negant quoque filij perditionis, hostes Saluatoris, *quorum Deus venter est*, qui terrena sapiunt, voluptatum, non Dei amatores, *speciem quidem pietatis habentes, virtutem verò ipsius abnegantes*, sub Christi nomine & prætextu, mercatum exercentes, verbũ Dei adulterantes, & Iesum vendentes, corruptores, alienique appetentes, & pecuniarum violentissimi sectatores, à quibus, Dei misericordiâ liberemini per Dominum nostrum Iesum Christum. Tangat itaque nos illius bonitas; Si enim arguat nos iuxta actiones nostras, iam periimus. *Si enim iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit*; Simus itaque digni cognomento quod accepimus, Qui enim alio nomine appellatur præter hoc, hic non est Dei, nec accepit prophetiam loquentem de nobis: Appellabitur nomine alio, quo Dominus nominabit eũ, & erit populus sanctus, quod primùm in Syriâ impletum est. Antiochiæ enim primùm, discipuli, appellati sunt Christiani, cùm Petrus & Paulus fundarent Ecclesiam. Abiicite igitur malum illud vetus & putridum fermentum, & transmutemini in nouum fermentum gratiæ. Habitate in Christo, ne alienus dominetur vobis. Absurdum est Iesum Christum sonare linguâ, & mente non habere Iudaismum abolitum, vbi enim est Christianismus, non est Iudaismus. Vnus enim est Christus Iesus, in quem gens omnis credens, & omnis lingua confitens, in Deo coadunatæ sunt; & ij qui lapideo erant corde, filij Dei facti sunt, & amici Abrahæ, & in semine eius benedicentur omnes, destinati ad vitam æternam. Hæc scribo, charissimi, non quòd cognouerim aliquos vestrûm hoc animo affectos esse; sed vt minor inter vos, cupio vobis cautum, ne incidatis in hamos inanis gloriæ, sed plenam de Christo cognitionem habeatis, qui ante omnia sæcula natus ex Deo Patre, pòst verò natus est ex Mariâ virgine sine viri commercio, quique sanctè vixit, omnemque morbum & imbecillitatẽ curauit in populo, signa & prodigia patrauit ad benefaciendũ hominibus, & iis qui in superstitionem plurium deorum impegerant, vnum verum Deum Patrem suum annuntiauit; qui passus est, & à Christicidis Iudæis sub Pontio Pilato præside & rege Herode crucem sustinuit; mortuus est, & resurrexit, ascendit in cœlos ad eum à quo missus erat, sedetque ad dexteram ipsius; qui venturus est in fine sæculorum cum paternâ gloria vt iudicet viuos & mortuos, reddatque vniquique secundùm opera sua. Hæc qui plenè cognorit & crediderit, beatus est; quemadmodum & vos estis Dei amatores & Christi; in plenitudine spei vestræ; à quâ exorbitare quemquam, vestrûm, absit. Fruar vobis per omnia, si dignus sim. Tametsi enim vinctus sum, comparandus tamen vni vestrum solutorum non sum. Noui quòd in vobis nihil fastûs sit, Iesum enim habetis in vobis ipsis; at contrà rubore suffundimini, sicut scriptum est: *Iustus accusator est sui ipsius.* Et: *Dicito tu primus peccata tua, vt iustificeris.* Et: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite; serui inutiles sumus.* Nam quod apud homines est eximium, abominabile est apud Deum. *Deus enim*, inquit ille, *propitius esto mihi peccatori.* Ob hoc magni illi Patriarchæ, Abraham & Iacob terram & cinerem seipsos forsan coram Deo nominauerunt. Et David: *Quis sum ego in conspectu tuo Domine, quia eduxisti me huc vsque?* Et Moses ille mitissimus super omnes homines, dicit ad Deũ: *Exilis voce & tardiori linguâ sum.* Submissè itaque sentite & ipsi, vt exaltemini. *Qui enim se humiliat, exaltabitur; & qui se exaltat, humiliabitur.* Studete itaque vt confirmemini in dogmatibus Domini & Apostolorum, vt omnia quæ facitis prosperè succedant; & carne & spiritu; fide & charitate cum dignissimo Episcopo vestro, & coronando *c* spirituali Stephano presbytero vestro, & Dei ministris Diaconis. Subiecti este Episcopo, & vobis mutuò, vt Christus Patri, vt inter vos diuina quædam sit vnio. Cùm sciam vos plenos omnis boni, breuibus cohortatus sum vos in charitate Iesu Christi. Memores estote mei in orationibus vestris, vt Deum assequar; & Ecclesiæ quæ in Syriâ est, cuius non sum dignus appellari Episcopus. Opus enim mihi est amabili in Deo precatione vestrâ & charitate, vt Ecclesia quæ in Syriâ est, mereatur nostrâ moderatione & disciplinâ pasci in Christo. Salutant vos & Ephesij de Smyrnâ, vnde hæc scribo vobis, qui præsentes adsunt in Dei gloriam, vti & vos qui me vnà cum Polycarpo recreastis: & cæteræ Ecclesiæ, in honore Iesu Christi, salutant vos. Valete concordes, spiritum possidentes indiuulsum, in Christi Iesu per voluntatem Dei.

Christus Patris Verbum, non pronuntiatum, sed substantiale. Ioan. 5.

B

Isai. 35. c

Thess. 3. Gen. 3. *Saltationes.*

Dies Dominicus.

In Titulo. Psal. c. & 11. Philip. 3. 2. Tim. 3.

C

Psal 129.

Christiani primũ Antiochia nominati. Petrus & P. Ecclesiam fundauerut.

D

Iudæi Christicidæ.

Christus venturus

E

ad iudicium vt reddat cuique iuxta opera sua.

Prou. 8. Isai. 18.

Luc. 18.

Luc. 18. Gen. 24.

F

1. Par. 17. Exod. 4. Matt. 23.

Permanentibus in doctrinâ Dei & Apostolorum, omnia prosperè succedũt.

Ecclesia Syria.

G

IN SANTI IGNATII MARTYRIS Epistolam VII. Scholia.

a Dignus habitus exoptato nomine. *Vel Christianum nomen intelligit, quod primum in Antiochiâ Ecclesiâ fidelibus inditum est, vt in Actis testatur Lucas. Vel martyrij nomen intelligit, cum ob fidem Christi vinctus, damnatus esset, vt bestiis obijceretur.*

b Non pridiana comedens & tepida bibens, & ad præscripta spatia obambulans. *Hunc locum neuter interpretum satis intellexit. Vetus interpres ita reddidit: Non omnia comedens, tepida bibens, & mensuratè ambulans. Morelius sic vertit: Non in crastinum crapulã colligens, tepida bibens, & modulate incedens. Porrò Græca sic habent: μὴ ἑωλα ἐσθίων, καὶ χλιαρὰ πίνων καὶ μεμετρημένα βαδίζων. Damnat enim Ignatius ritus illos Iudaicos, iam per Euangelicã veritatem abolitos quibus Iudæi superstitiosè se astringebãt ad obseruandum Sabbatum, adeo vt nec focum excitarent in ædibus, sed pridiana & iam marcida ederent, & tepida biberent, & tantum via carperent, quantum licebat in Sabbato: quod spatium ob id, iter Sabbati in Euangelicis literis appellatur, ne videlicet violarent Sabbatum, vel vltra præscriptum spatium excurrendo, vel coquendis cibis se occupãdo, quos ob id pridie parabant, vnde & feria sexta parasceues, appellationẽ sortita est a parãdis in Sabbatũ cibariis.*

c Et coronando spirituali Stephano. *Alludit ad nomen Stephanus: nam στέφανος Græcè, corona est Latinè, hinc & Prudentius hymnographus eruditissimum poëma edidit, cui titulum fecit περὶ στεφάνων, id est, de Coronis, quod in eo celebret laudes Martyrum.*

EIVSDEM AD TARSENSES DE SVO Martyrio; deinde contra Ebionitas & Epicureos, Christum esse verum Deum, & futuram corporum resurrectionẽ: Postremò autem, & de vitæ Christianæ officiis.

EPISTOLA VII.

IGnatius, qui & Theophorus, saluatæ per Christum, laudandæ, memorandæ, & adamandæ Ecclesiæ quæ

H

Tarsi est, misericordia & pax à Deo Patre, & Domino Iesu Christo, multiplicetur semper.

A Syriâ, Romam vsque cum bestiis depugno, non quòd à brutis feris deuorer (hæ namque, vt nostis, Deo volente pepercerunt Danieli) sed à feris humanam gerentibus formam, in quibus immitis illa fera cubat, quæ me quotidie pungit & vulnerat. Verùm nihili pendo supplicia hæc, neque tanti facio vitam meam, vt eam plus amem quàm Dominum. Quare paratum me offero igni, feris, gladiis, cruci, dummodò Christum videam, Saluatorem & Deum meum, qui propter me mortuus est. Obsecro vos ego vinctus Christi, qui terrâ marique exagitor, state in fide: este constanti & firmo animo, quia *iustus ex fide viuit*, estote immobiles, quia Dominus habitare facit in domo iisdem moribus præditos. Noui quosdam ministrorum satanæ voluisse vos turbare, quorum alij asseuerant Iesum, opinione tantùm & phantasiâ natum, & opinione crucifixum: alij verò dicunt eum non esse filium Creatoris omnium: nonnulli verò, quòd ipse est super omnia Deus: aliqui, quòd merus homo: alij verò quòd eadem caro non resurgit, & quòd voluptuaria vita amplectenda sit: hunc enim esse finem bonorum, iis qui paulò pòst corrumpendi sint. Tantorum malorum agmen impudenter se ingessit: At vos ne ad horam quidem cessistis, illis aures accommodantes: Pauli enim estis ciues & discipuli, qui ab Hierosolymis vsque ad Illyricum Euangelicam expleuit prædicationem, & qui stigmata Christi in carne suâ circumtulit: cuius cùm memineritis, prorsus cognosceris quòd Iesus Christus verè natus est ex Mariâ, factus de muliere, & reuera crucifixus est. *Mihi verò absit* (inquit) *gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi*, & verè passus & mortuus est, & resurrexit. *Si passibilis*, inquit, *est Christus, si primus ex mortuorum resurrectione*. Et: *Quod mortuus est, peccato mortuus est: quod autem viuit, viuit Deo*. Quæ enim vinculorum vtilitas, Christo non mortuo, quæ vtilitas tolerantiæ, quæ flagrorum? Cur tandem Petrus se crucifigi, Paulus & Iacobus gladio se truncari passi sunt, Ioannes autem in Pathmon ire exulatum, Stephanus autem lapidibus se interimi à Iudæis, qui Dominum trucidarunt? Verùm nihil horum temerè factum. Reuerà enim ab impiis crucifixus est Dominus, & hic ipse qui ex muliere natus est, Filius est Dei: & qui crucifixus est, primogenitus est, omnis creaturæ. Dicit enim Apostolus: *Vnus Deus pater ex quo omnia, vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia*: Et: *Vnus enim Deus, & vnus mediator Dei & hominum homo Iesus Christus*: Et: *Per ipsum creata sunt omnia, & in ipso omnia constant*. Quòd autem ipse sit super omnia Deus, & Pater, & Filius ipsius, dicit: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum*. Et: *Cum subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subiicietur ei qui sibi subiecit omnia*: existens omnia, in omnibus, & alius profectò qui est subiecit illi omnia, & alius cui hæc subiecta sunt, qui etiam cum omnibus subiicitur. Sed neque homo merus est, per quem & in quo facta sunt omnia. Omnia enim per ipsum facta sunt. Quando faciebat cælos, vnà ipsi aderam: & ibi aderam illi, coaptans singula: & congratulabatur mihi quotidiè, congaudebatque. Quomodo merus homo audiuit: *Sede a dextris meis*; Quomodo verò dicebat: *Antequam Abraham fieret, ego sum*; Et *Glorificabis me gloriâ quam habui antequam esset mundus*. Qualis verò homo dicet: *Descendi de cælo non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me*; De quo porrò homine dicebat: *Erat lux vera qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus illum non cognouit, In propria venit, & sui eum non receperunt*; Quomodo igitur hic merus homo & qui, vt esset ex Mariâ cœpisset exordium, & non potiùs Deus Verbum, & vnigenitus Filius? *In principio enim erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Et alibi: *Dominus creauit me initium viarum suarum, in opera sua, ante sæcula fundauit me, & ante omnes colles generat me*. Quòd autem resurgunt corpora nostra, dicit: *Amen dico vobis, quia venit hora in quâ omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filij Dei, & qui audierint, viuent*. At Apostolus: *Oportet*, inquit, *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*. Et quòd oportet pudicè & iustè viuere, constat ex iis quæ Paulus rursum dicit: *Ne erretis, neque adulteri: neque molles, neque pædicones, neque conuitiatores, neque ebriosi, neque fures, regnum Dei hereditabunt*. Et: *Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit; vana est igitur prædicatio nostra, vana fides nostra: Igitur & qui in Christo dormierunt, perierunt: Si in hac vita tantum in Christo sperantes, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Si mortui non resurgunt, edamus & bibamus, cras enim moriemur*. Hoc verò modo affectis nobis, quid discriminis erit inter nos, & canes & asinos, qui futurorum nullam rationem habentes, solùm edendi, & eius quod tunc subsequi solet, nimirùm coëundi appetitum habent; Destituti enim sunt ratione mentem intus gubernante. Fruar vobis in Domino. Sobrij estote, singuli abiicite omnem malitiam, ferinam excandescentiam, detractionem, calumniam, turpiloquium, scurrilitatem, susurros, fastum, ebrietatem, libidinem, auaritiam, inanem gloriam, inuidiam, & his similia. *Induite verò Dominum Iesum Christum & carnis curam ne feceritis ad explendas concupiscentias*. Presbyteri subiecti estote Episcopo, Diaconi presbyteris, populus presbyteris & diaconis. Qui hoc ordinis decorum seruarint, pro eorum animabus ego libens meam commutauero, & Dominus sit cum ipsis perpetuò. Viri diligite vxores vestras; & mulieres, vestros coniuges. Liberi, parentes honorate: parentes, educate liberos vestros in disciplinâ & exhortatione Domini. Eas quæ in virginitate degunt in pretio habete velut Christi sacerdotes: Viduas in pudicitia permanentes, vt altare Dei. Serui, cum timore dominis ministrate; domini, cum moderatione & ciuilitate in seruos imperium exercete. Nemo inter vos otiosus sit; mater enim egestatis inertia. Porrò hæc non impero vobis quasi sim aliquid, tametsi vinctus sum, verùm vt frater, commonefacio. Sit Dominus vobiscum. Consequar orationum vestrarum fructum; orate vt Iesum adipiscar. Commendo vobis Antiochenam Ecclesiam. Salutant vos Ecclesiæ Philippensium, vnde & scribo hæc. Salutat vos Philo diaconus vester, cui & ego gratias ago studiosè mihi in omnibus ministranti. Salutat vos Agathopus diaconus Syrus, qui me sequitur in Christo. Salutate inuicem osculo sancto. Saluto vniuersos & vniuersas in Christo. Valete corpore, animâ, & spiritu vno, & mei ne sitis immemores. Dominus vobiscum.

Marginalia: A; Deut. 6.; 1. Cor. 16.; Abac. 2.; Rom. 1.; Gal. 3.; Psal. 67.; *Hæreses variæ de Christi diuinitate & humanitate.*; B; Gal. 6.; Act. 26.; Rom. 6.; C; 1. Cor. 8.; 1. Tim. 2.; Colos. 1.; Ioan. 20.; 1. Cor. 15.; D; Ioan. 1.; Prou. 8.; Psal. 109.; Ioan. 8.; Ioan. 6.; Ibid.; Ioan. 1.; Prou. 8.; Ioan. 5.; E; 1. Cor. 15.; 1. Cor. 6.; 1. Cor. 15.; *Contra Epicureos.*; *Exhortatio Christiana.*; F; Rom. 13.; *Hierarchia Ecclesiastica decorum.*; *Coniugij Charitas.*; *Liberorũ educatio.*; *Virgines & viduæ honorandæ.*; *Seruorũ & dominorũ decorum.*; G; *Otiũ fugiendum.*; *Osculum sanctum.*

EIVSDEM AD PHILIPPENSES de verâ Christi humanitate & diuinitate, dæmonis ignorantiâ vtriusque, & pietatis præceptis;

EPISTOLA VIII.

IGnatius, qui & Theophorus, Ecclesiæ Dei misericordiam consecutæ in fide & tolerantia & charitate non fictâ, quæ est Philippis; misericordia & pax à Deo Patre, & Domino Iesu Christo, qui est Saluator omnium hominum, maximè autem fidelium.

Memor charitatis vestræ, & propensi in Christo erga nos animi, quæ declarastis, decere existimabam vt scriberem ad charitatem vestram, erga fratres tam beneuolam & nos adamantem iuxta præceptum Dei; & commonefacerem vos de cursu nostro in Christo, vt idem dicatis omnes, vnanimes, in eâdem fidei regulâ gradientes, vt Paulus vos admonebat. Si enim vnus est vniuersorum *Deus Pater* Christi, *ex quo omnia*; *vnus* autem *Dominus noster Iesus Christus, per quem omnia*; *vnus* autem *Spiritus qui operatus est*, & vim suam exercuit in Mose, in Prophetis & Apostolis; *& vnum baptisma* quod in mortem Domini datur, & vna electa Ecclesia: debet esse & vna secundùm Christum fides: *vnus enim Dominus, vna fides, & vnum baptisma: vnus Deus & Pater*

Marginalia: H; 1. Cor. 8.; Ephes. 4.; Deut. 6.

omnium,

A
Malach. 2.
Ioan. 1.
1. Cor. 8.
Prou. 30.
Ephes. 4.

omnium, & per omnia, & in omnibus. Vnus igitur Deus & Pater, non duo neque tres: vnus qui est, nec est alius præter ipsum, solus & verus. *Dominus enim*, inquit, *Deus tuus Deus vnus est*: vnus & Filius, verbum, Deus; *Vnigenitus* enim, inquit, *qui est in sinu Dei Patris*, & rursus: *Vnus Dominus Iesus Christus*: & alibi: *Quod nomen illi, & quod nomen Filio eius, vt* * *cognoscamus*; Vnus autem & Paracletus: *Vnus* enim, inquit *& Spiritus*: * *quoniam vocati sumus in vna spe vocationis nostræ.* Et iterum: *De vno spiritu bibimus*, &c. Et; *Omnia hæc manifestum est operari vnum & eundem spiritum.* Non itaque tres patres, neque tres filij, neque tres paracleti, sed vnus Pater, vnus Filius, & vnus Spiritus sanctus. Quare & Dominus mittens Apostolos ad docendum omnes gentes, præcepit illis vt baptizarent, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, non in vnum trinominem, neque in tres incarnatos, sed in tres eiusdem honoris. Vnus enim est homo factus, neque Pater, neque Paracletus, sed solus Filius, non opinione, non phantasiâ, sed reuerà. *Verbum enim caro factum est, & habitauit in nobis*: *Sapientia enim ædificauit sibi domum.* Et natus est vt homo, Deus Verbum, cum corpore, idque ex virgine sine viri commercio. *Virgo enim*, inquit, *in vtero concipiet, & pariet filium.* Verè itaque genitus est, verè excreuit, verè comedit & bibit, verè crucifixus & mortuus est, & resurrexit. Qui hæc credit, vt res habet, quod natus est, is beatus est: Qui verò non credit hæc, scelestus est, non minus iis qui Dominum crucifixerunt. Princeps enim Mundi huius gaudet, cùm quis crucem negarit, cognoscit enim crucis confessionem, suum esse ipsius exitium. Id enim trophæum est contra ipsius potentiam; quod vbi viderit, horret, & audiens timet, & antequàm fabricaretur crux, studebat vt fabricaretur, & operabatur in filiis inobedientiæ, operabatur in Iudâ, in Pharisæis, in Sadducæis, in senibus, in iuuenibus, in sacerdotibus: cùm autem paranda esset crux, tumultuabatur, & pœnitentiam immisit proditori, & laqueum illi commonstrauit, & suspendium quo strangularetur, edocuit: terrebat & mulierculam turbans eandem in somniis, & vt à crucifigendo cessarent, moliebatur, qui prius omnem lapidem mouerat vt eadem crux pararetur; non quod pœnitudine duceretur ob tantum malum: hac enim parte, minus fuisset sceleratus, sed sentiebat suam ipsius perniciem. Crux enim Christi prima fuit ipsi condemnationis, mortis & perditionis causa. Ideo & in quibusdam id efficit vt crucem negent vt passionis illos pudeat, & mortem opinione tantùm illum gustasse asseuerent, partum virginis circumcidant & mutilent, naturam calumnientur vt detestandam, Iudæis auxiliantur in cruce abnegandâ, gentibus magiæ calumniam, Christo impingendo, hæreticis, prætexendo veritati phantasiam: varius enim & multiformis est dux ille omnis mali &, falsis rationibus mentes fallens humanas, sibi ipse contrarius, inconstans, alia prætexens, alia faciens. Sapiens est ad malefaciendum, bonum verò quid sit ignorat. Ignorantiâ oppletus est propter voluntariam dementiam. Quo enim modo non est eiusmodi, qui nec ante pedes & in propatulo positam rationem videt? Si enim nudus homo est Dominus constans ex animâ & carne, quid circumcidis & mutilas natiuitatem communis naturæ humanæ; Quid verò tanquam insolens aliquid in homine factum, passionem appellas phantasiam, & mortem hominis mortalis censes opinionem esse solam; Si verò Deus & homo, cur iniquum vocas Dominum gloriæ, qui naturâ inuariabilis est; cur iniquum appellas legislatorem, qui animam habet humanam; Verbum caro factum est, & perfectus homo, a quod in homine habitauit. Quomodo & magus hic, qui olim omnem naturam tam sensibilem quàm intelligibilem condidit voluntate Patris: in humanitate autem, omnem morbum & infirmitatem curauit; Quomodo non Deus hic est, qui mortuos suscitauit, claudis perfectum reddidit gressum, leprosos mundauit, cæcis restituit visum, ea quæ sunt vel augens, vt quinque illos panes & duos pisces, vel immutans, vt aquam in vinum, tuum verò exercitum solo fugans verbo; Quid

B
Ioan. 1.
Prou. 9.
Isai. 7.
Matth. 1.

Math. 28.

Ebionitæ Iudæis nō meliores.

Crux trophæū horribile dæmoni.

Dæmon Christo crucem molitus.

C
Pœnitentia Iudæ à dæmone.

* *Vetus interpres singulariter legit, cui suffragatur Æthiologia vt de satanâ intelligatur damō ignorans.*

D

Ioan 1.
Christus verus Deus.

* *Vulgata Editio legit sicut nostis.*
* *sicut.*
1. Cor. 10.
1. Cor. 12.

verò virgineam improbas naturam, & membra appellas obscœna? qui olim hæc ipsa membra in pompis ostentabas *b* mares nudari iubens in conspectu fœminarum, itemque feminas in cupiditatem libidinosam marium, nunc, contra, hæc ipsa à te iudicantur obscœna, & honestatem simulas qui spiritus es fornicationis, ignorans tunc demum aliquid esse obscœnum, cùm per scelus illud ponimus; cùm verò animo abest peccatum, nihil turpe censendum est, nihil malum, eorum quæ facta sunt, sed omnia bona valdè: at tu cùm non videas, improbas ea. Rursus, quomodo nec dum ex Virgine natus tibi videtur Christus, sed Deus Pater, qui est super omnia, qui est, quique omnipotens est? Quis igitur hunc misit? quis huius dominus est? cuius voluntati hic obediuit? cuius legem impleuit? qui nec alicuius voluntati nec alicuius potestati paruit? Et cùm Christum eximis à nascendi lege, ingenitum doces genitum esse, & qui omni principio caret, hunc dicis cruci affixum, quo permittente, non possum dicere. Verùm tua minimè me latet versutia, nec ignoro te obliquo & gemino gressu incedere. Ignoras tu quis sit genitus, qui omnium rerum scientiam tibi vendicas? At multa te latuerunt; Mariæ virginitas & admirandus ille partus, quis sit ille qui in corpore est, stella quæ duxit eos Magos qui in Oriente erant, dona offerentes; Archangeli salutatio Virgini facta, Ipsius Virginis, viro desponsatæ, insolens conceptus, Præcursoris pueri præconium ob illius præsentiam qui ex Virgine nasciturus erat, illiusque intra maternum vterum, ob ea quæ præuidebat, subsultatio; Angelorum hymni ob natum puerum, pastoribus facta bona nuntia; Herodis timor metuentis regnum sibi eripiendum, mandatum de necandis infantibus; in Ægyptum commigratio, & inde in ista loca reuersio: fasciæ pueriles, census, & humana descriptio, lactantis educatio, patris nomen attributum ipsi Ioseph, qui tamen nullum semen ad generationem attulit: præsepia, quod nullus alius locus ei esset, nec vllus humanus apparatus, incrementi accessio, humana verba, fames, sitis, profectio, labor sacrificiorum oblatio (quandoquidem & circumcisionem admisit) baptismus, vox Dei super baptizato audita: Quis esset, & vnde profectus, testificationes Spiritûs & Patris desuper factæ, vox Iohannis prophetæ significantis passionem futuram appellatione Agni, diuersorum signorum efficaciæ, curationes variæ, increpatio dominica imperans mari & ventis, maligni spiritus fugati; tu ipse tortus, * & potestate eius qui apparebat flagellatus nesciens quò te verteres: Hæc videns, vertigine æstuas: virginem esse quæ parit, ignoras. At obstupefaciebant te, Angelorum laudes, Magorum adoratio, stellæ exortus: verum, rerum ipsarum vilitas, in ignorantiam denuò te impingit; exigua enim quædam tibi videntur, fasciæ, passiones humanæ, circumcisio, lactantis educatio; vniuersa hæc Deo indigna tibi visa sunt. Rursus videbas hominem quadraginta dies & noctes perdurare ieiunum sine humano alimento, Angelos ministrantes, quos & horrebas cùm primùm vidisses: vt communem hominem baptizatum, eundemque ignorabas; post ieiunium verò, esurientem, sumptâ denuò audaciâ tentabas vt communem hominem, nesciens quis esset, dicebas enim, *si filius Dei es, dic vt lapides hi panes fiant.* Illud enim; *si filius Dei es*, ignorantiæ argumentum est. Si enim id reuerà agnouisses, sciuisses quòd ex æquo potest rerum conditor vniuersorum; & facere quod non est, & mutare quod est. Et ventris ingluuie tentas eum qui omnes nutrit famelicos; & tentas Dominum gloriæ, oblitus ex animi maleuolentiâ, Quòd *non solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei.* Si enim cognouisses quòd Dei Filius erat, sciuisses quòd is qui quadraginta diebus & totidem noctibus ieiunum corpus, sine omni inediæ noxâ, conseruarat; etiam perpetuò ipsidem conseruare poterat. Cur igitur esurit; vt doceret quòd reuerà corpus assumpserat iisdem obnoxium passionibus quibus reliqui homines: per illud itaq; ostendit se Deum, per hoc verò, hominem. Tu itaque qui lapsus es ex altissimâ illâ gloriâ, ceu fulgur; audes Domino dicere; *Mitte te deorsum*? cui ea quæ sunt,

E
Ioan. 6.

Quæ sint obscœna.

Deū Patrem non esse incarnatū.

F

Dæmoni, multa Christo nascente incognita.
Luc. 1.

Matth. 2.
Luc. 2.

G

* *Loci huius non verba quidē sed sententiam citat Origen. Hom. 6. in Luc. & Hier. 1. lib. Comment. in 1. c. Mat.*
Matth. 3.

H

Christus tentatus: Math. 4.
Dei potentia.

Matth. 4.

Christus cur esurierit.

reputantur

repunantur quasi non sint; Et ad vanam gloriam prouocare alienum ab omni ostentatione, & falsò obtendis scripturam de illo dicere; *Quoniam Angelis suis mandauit de te; Et in manibus tollent te, vt non offendas ad lapidem pedem tuum.* Cætera simulas te ignorare, furtim ea subtrahens, quæ de te tuisque ministris prophetauit *Super aspidem & basiliscum ambulabis & conculcabis leonem & draconem*; Si itaque tu Dominicis conculcaris pedibus, quomodo tentas Dominum qui tentari non potest, oblitus legislatoris præcipientis: *Non tentabis Dominum Deum tuum*; Sed etiam audes scelestissime Dei opera tibi vendicare, tibique traditum horum dominium, & vt prolapsus, tuo more cadat postulas; quæque ipsius sunt, hæc ipsi te daturum promittis, si procidens in terram adoret te. Et quomodo non horruisti eiusmodi vocem aduersus Dominum emittere, omnium malorum spirituum sceleratissime spiritus ob malignitatem; Per ingluuiem victus es, per vanam gloriam dedecore affectus es, per auaritiam & ambitionem pertraheris ad impietatem. Tu Belial, draco, desertor transfuga, serpens tortuose? qui à Deo defecisti, qui à Christo separatus es, qui à Spiritu sancto alienatus es, qui è choro Angelorum pulsus es; legum diuinarum violator, legitimorum hostis, qui contra Protoplastas insurrexisti? & Dei præcepto non parere fecisti eos qui nihil te læserunt; qui aduersus Abel, excitasti homicidam Cain; qui aduersus Iob, arma sumpsisti, Domino dicis; *Si prolapsus adoraueris me.* O audaciam, ô vesaniam! serue fugitiue & mastigia recalcitras bono Domino, & tanto Domino, Deo omnium sensibilium & intelligibilium, dicis; *Si prolapsus adoraueris me.* Dominus verò longanimis est, nec in nihilum redigit te qui talia per inscitiam audes; sed placidè respondet; *Vade satana.* Porrò non ait; *Vade post me*: Nec enim fieri potest vt conuertaris. Sed, *Vade satana*, ad ea quæ elegisti; *c* vade ad ea quæ per maleuolentiam amplexus es & sectaris: Ego enim qui sim cognosco, & à quo missus sum cognosco, & quem adorare oportet scio. *Dominum enim tuum adorabis, & illi soli seruies.* Noui vnum, scio solum, *d* cuius tu desertor factus es? non sum Deo aduersus, confiteor excellentiam, cognoui generationis meæ auctorem patrem. Affectus quem erga vos habeo, fratres, hæc me scribere compulit, ad Dei gloriam vos cohortantem, non quasi aliquid sim, sed vt frater. Subiecti este Episcopo, presbyteris, & diaconis: diligite vos mutuò in Domino, vt Dei similitudines. Videte viri vt vxores vestras velut propria membra ametis. Itidem, vxores ament suos viros, vtpote quæ vnum sint coniunctione. Si quis castè, si quis continenter viuit, non extollatur, ne perdat mercedem. Festiuitates ne dehonestetis: Quadragesimale ieiunium ne spernatis; continet enim exemplum conuersationis Dominicæ. Post passionis Dominicæ hebdomadam ieiunate quartis & sextis feriis ne negligatis, ciborum reliquias pauperibus elargientes. Si quis Dominicam diem aut Sabbathum, vno excepto, ieiunauit, hic Christi interfector est. Orationes vestræ extendantur vsque ad Antiochenam Ecclesiam, vnde & vinctus Romam abducor. Saluto sanctum Episcopum Polycarpum: Saluto sanctum Episcopum Vitalium, & sacrum presbyterorum collegium, & conseruos meos diaconos; pro quorum animabus, vtinam commutare meam liceat. Ad hæc contestor Episcopo & presbyteris in Domino; Si quis cum Iudæis celebrat Pascha, aut symbola festiuitatis eorum recipit, particeps est eorum qui Dominum occiderunt & Apostolos eius. Salutant vos Philo & Agathopus Diaconi. Saluto collegium virginum & cœtum viduarum, quibus & fruar. Saluto populum Domini à paruo vsque ad magnum. Transmisi vobis literas meas per Euphranium lectorem, virum à Deo honoratum & fidelissimum forte nactus eum circa regionem, cùm iam nauem ascensurus esset. Memores estote vinculorum meorum, vt consummer in Christo. Valete corpore, animâ & spiritu; perfecta sentientes, auersantes operarios iniquitatis & corruptores sermonis veritatis, confortati in gratiâ Domini nostri Iesu Christi.

IN SANCTI MARTYRIS IGNATII Epistolam VIII. Scholia.

E

centiorib. Baron. tom. 1. annal. anno 57. n. 102.

a Et perfectus homo, quod in homine habitauit. *Hic locus videtur mihi non carere mendo. Nam Græcus codex sic habet:* ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ τέλειος ἄνθρωπος ἐν ἀνθρώπῳ κατοικήσας, *id est, verbum caro factum est, & perfectus homo, quod non in homine habitauit. Certè verbum, id est, Dei filius in homine habitauit, iuxta illud Ioannis: Et habitauit in nobis, & illud Pauli. Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi. Et alibi: In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Quare illud,* ἐν *expungendum videtur, aut loco* κατοικήσας *legendum est interrogatiuè* κατῴκησεν, *id est, habitauit, hoc sensu, verbum caro factum est, & perfectus homo nonne habitauit in nobis?*

b Qui olim in pompis hæc ipsa ostendebas. *Hæc olim fieri solita in mysteriis illis impurissimis Dionysij siue Bacchi sacris ex variis auctoribus constat. Moris enim erat inter cætera pompa illius impudica fercula, à viris muliebri cultu indutis gestare insolita magnitudinis virilia membra, quos Græco nomine phallos & ityphallos appellabant, & hæc ipsa membra in templorum propyleis & in ipsis templis nudata omnium oculis proponi: vt auctor est Lucianus Samosatenus in libro quem scripsit de Siria dea, quam alij Rheam siue Cybelen, alij Iunonem esse volunt.*

F

c Vade satana ad ea quæ elegisti, vade ad ea quæ per maleuolentiam amplexus es. *Codex Græcus secundo loco habet:* ὕπαγε εἰς ἃ προῄδου, *id est, vade ad ea quæ prouocatus es: sic enim vertit Morelius, & similiter vetus Interpres. Ego legendum puto pro* προῄδου, ᾑρέθης, *id est, elegisti, sectatus es, siue amplexus es.*

d Noui vnum, scio solum. *Hæc nisi sanè & sobriè intelligantur, possunt videri durius & contumeliosius dicta in filium Dei, quia patrem se maiorem & excellentiorem fateatur, cum credamus in sanctiss. Trinitate omnia paria, & iuxta Athanasij axioma, in ea nihil esse maius aut minus, nihil prius aut posterius, sed tres personas coæternas sibi esse, & coæquales. Verùm scire oportet, Græcos Theologos, inter quos facilè primum locum obtinent Gregorius Nazianzen. & Basilius Magnus, non vno loco fateri illud Ioannis: Pater maior me est, quod nos ferè accipimus iuxta Christi humanitatem dictum, etiam iuxta diuinitatem intelligere Patrem maiorem esse Filio, non quidem naturâ, aut tempore, sed solâ ratione principij, & hactenus modò excellentiorem esse Filio, quod fons sit & origo omnis diuinitatis: vt videre licet apud Basilium in libro contra Eunomium, & lib. 9. de Trinit. apud ad D. Hilarium.*

G

EIVSDEM AD PHILADELPHIENSES:

EPISTOLA IX.

H

IGnatius, qui & Theophorus, Ecclesiæ Dei Patris & Domini Iesu Christi, quæ est Philadelphiæ, in charitate misericordiam consecutæ, & firmatæ in Dei concordiâ, exultanti in passione Christi sine omni hæsitatione; quæ per resurrectionem eius plenè instructa est in omni misericordiâ, quam saluto in sanguine Iesu Christi, quod est gaudium sempiternum & stabile; maximè iis qui vnum sunt cum Episcopo, presbyteris, & diaconis designatis per voluntatem Dei Patris, per Iesum Christum qui secundùm propriam voluntatem suam firmauit Ecclesiam super petram ædificatione spirituali citra humanarum manuum operam, in quam collisa flumina & venti non potuerunt eam subuertere; nec id valeant vnquam spirituales nequitiæ, sed infirmentur virtute Domini nostri Iesu Christi.

Diaconi designati.

Conspecto vestro Episcopo, cognoui quòd non à seipso neque per homines ad dignitatem euectus est vt susciperet ministerium hoc communis Ecclesiæ, nec per inanem gloriam, sed in charitate Iesu Christi, & Dei Patris qui suscitauit eum ex mortuis, cuius obstupui modestiam, qui tacitus plus poterit quàm alij qui plurima loquuntur. Sese namque composuit ad Christi mandata

&

A

Luc. 1.

Veri Episcopi typ.

& iustificationes, non secus atque neruì intenduntur in cytharà, ad musicam harmoniam, estque inculpatus non minus quàm Zacharias sacerdos. Qua propter beatam censeo illius animam, quòd cognoscam illam virtutibus ornatam & perfectam, nullis affectibus obnoxiam, omnisque iracundiæ victricem, vt qui viuat in omni mansuetudine Dei. Fugite itaque, vt filij lucis & veritatis, sectionem vnitatis, & prauæ doctrinæ hæreticorum, à quibus pollutio egressa est in omnem terram. Vbi verò pastor est, eodem & vos, vt oues, sequamini. Multi enim lupi velleribus tecti, in Dei stadio currentes perniciosis voluptatibus illectos, captiuos comprehendunt verùm in vestris concordibus animis, nullus dabitur illis locus. Abstinete itaque vos ab herbis noxiis, quas Iesus non excolit, sed fera humano gaudens sanguine: non enim sunt plantationes Dei Patris, sed semen illius maligni.

Schisma fugiendũ.

B

Non hæc scribo quòd apud vos inuenerim schisma, sed præmunio vos, vt filios Dei. Quotquot enim Christi sunt, hi sunt partium Episcopi, qui verò ab illo declinant, & cum maledictis communionem amplectuntur, hi cum illis excidentur. Nec enim Christi agricultura sunt, sed diaboli sementis, à quo eruamini semper precibus fidissimi & mansuetissimi Pastoris qui vobis præsidet.

Pœnitentes in Ecclesiã recipiendi.

Obsecro itaque vos, quotquot pœnitentià ducti redierint ad vnitatem Ecclesiæ, suscipite illos cum omni mansuetudine, vt per bonitatem & patientiam vestram resipiscentes ex diaboli laqueis, digni iam Christo facti salutem consequantur æternam in regno Christi. Fratres ne erretis.

Hæretici fugiendi.

Si quis eum sectatur qui se absciderit à veritate, regnum Dei non hæreditabit. Et qui non abscedit à mendaci concionatore, in gehennam condemnabitur: nec enim à piis discedendum, nec cum impiis commercia habenda. Si quis graditur iuxta aliena præscripta, hic non est Christi, nec particeps passionis Christi, sed est vulpes & corruptor vineæ Christi: cum eiusmodi non commisceamini ne cum illo pereatis, quamuis filius, quamuis frater, quamuis domesticus.

C

Deut. 13

Non parces inquit, *oculus vester super eum*. Osores Dei & vos odisse oportet, & super inimicos illius tabescere: non autem percutere aut persequi illos, vt faciunt gentes quæ ignorant Deum & Dominum, sed pro hostibus habere tales, & ab iis segregari Commonefacere autem eos & ad pœnitentiam cohortari, si fortè manus dent, monitisque cedant.

1. Tim. 2.

Clemens enim est Deus noster, & *omnes homines vult saluari & ad veritatis agnitionem venire*.

Matth. 5.

Quapropter *Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos*: cuius benignitatis cùm vellet Dominus nos esse imitatores, inquit:

Ibid.

Estote perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est. Ego persuasum habeo de vobis in Domino quòd nihil aliud sentietis.

Vnã Eucharistiã vitãdam.

Quare & confisus charitati vestræ Deo dignæ, obsecro vos vt vnà fide, vnà prædicatione, vnà Eucharistiã vtamini; vna enim est caro Domini nostri Iesu Christi, & vnus illius sanguis qui pro nobis effusus est: & vnus calix, qui pro omnibus nobis distributus est; vnus panis, qui omnibus fractus est, vnum altare omni Ecclesiæ, & vnus Episcopus cum presbyterorum collegio, & diaconis conseruis meis.

D

Ingenitus Deus pater,

Quandoquidem & vnus est ingenitus Deus & Pater, & vnus vnigenitus Filius Deus, Verbum & homo, vnus paracletus Spiritus veritatis, & vna prædicatio, & fides vna, & vnum baptisma, & vna Ecclesia, quam suis sudoribus & laboribus fundarunt sancti Apostoli, à finibus terræ vsque ad fines, in sanguine Christi.

Apostoli Ecclesiã fundauerunt in sanguine Christi.

Et vos itaque oportet vt populum peculiarem & gentem sanctam, omnia perficere concordibus animis in Christo.

Virgines non abominãtur nuptias.

Vxores maritis subditæ sint in timore Dei: virgines Christo, in puritate, non abominantes nuptias, sed id quod præstantius est amplectentes, non in calumniam matrimonij, sed vt liberioribus animis diuinæ legis meditationi vacent. Filij obedite parentibus vestris, & amate eos vt Dei cooperatores ad generationem vestram. Serui parete dominis in Deo, vt liberti suis Christi.

Vxorum dilectio.

Viri diligite vxores vestras vt conseruas Dei, vt proprium corpus, vt socias vitæ, vt cooperatrices procreationis liberorum. Virgines solum Christum in precibus vestris ante

E

Sanctã virginitã

oculos habete, & Patrem illius, illuminatæ à spiritu. Fruar vestra sanctimoniã, vt Iesu filij Naue, vt Melchisedech, vt Helizei, vt Ieremiæ vt Baptistæ Ioannis, vt dilecti illius discipuli, *a* vt Timothei, vt Titi, vt Euodij, vt Clementis, qui in puritate* exegerunt hanc vitam, non quòd vituperem reliquos diuos* quòd rei vxoriæ se dederint, horum tantummodò memini (opto enim vt dignus sim in regno cælorum ad horum pedes locum mihi dari, *a* vt Abrahæ, Isaac, Iacob, vt Ioseph, Isaiæ & aliorum Prophetarum; § vt Petri & Pauli, *b* & aliorum Apostolorum qui nuptiis operam dederunt) Sed studio virginitatis de quà loquor, illi in mentem mihi venerunt.

a Castitate.

** Beatos*

Patres educate filios vestros in disciplinã & admonitione Domini, & docete eos sacras literas, & artes, vt non dedant se otio & inertiæ. Honestè (inquit) educat iustus pater liberos: *In filio sapienti lætabitur cor eius*.

Luc. 19.

Iob 31.

Gal. 3.

Col. 3.

F

Domini beneuolo animo sint erga seruos, vt S. Iob docet: vna enim est omnium natura humana, & vnum genus. In Christo *neque seruus, neque liber est*. Principes obediant Cæsari, milites, principibus: diaconi presbyteris sacrorum præfectis, Presbyteri, Diaconi & reliquus clerus vnà cum populo vniuerso, militibus, principibus & * Cæsari ipsi Episcopo pareant; Episcopus Christo, vt Christus Patri obediuit: & hac ratione per omnia conseruabitur vnitas.

** Sed & Cæsares.*

Iudith 8.

Vidua.

Luc. 2.

Sint autem viduæ non vagæ, non gulosæ non circumcursantes? sed vt Iudith illa honestissima, vt Anna illa honestissima. Porrò hæc non vt Apostolus præcipio; Quis enim ego sum, & quæ domus patris mei, vt parem me illis dicam; sed vt commilito vester, vt monitor *c* quispiam. Fratres mei, nimis effusus sum amore vestri, & supra modum exultans, tutos, cautosque vos reddo; non ego, sed per me Dominus Iesus, in quo vinctus plus timeo. Necdum enim perfectus sum, sed precatio vestra ad Deum me perficiet, vt id consequar ad quod vocatus sum, confugiens ad Euangelium, tanquam ad carnem Christi; & ad Apostolos, velut ad

G

§. *Verba illa (& Pauli & aliorum Apostolorum) videntur ex texta abradenda. Nam cum Tertull. S. Hieron. in plerique veterum Patrum. Apostolos omnes, vno excepta Petro, cælibes fuisse contendant, haud leui suspicio est Græculos, quo sua recentiori more de presbyteris coniugatis suppetias accerserent, hunc locum S. Ignatii deprauasse. Et verò de Pauli nomine certum est à melioribus Græcis S. Ignatii exemplaribus abesse. Consule annal. Eccl. tom. 1. anno 57. num. 64.*

Ecclesiæ presbyterorum collegium, & ad Prophetas, vt qui Christum annunciarint, & eiusdem Spiritû participes fuerint, cuius & Apostoli. Quemadmodum enim pseudoprophetæ & pseudoapostoli, vnum & eundem spiritum malum, fallacem, & populi seductorem acceperunt: sic & Prophetæ & Apostoli vnum & eundem Spiritum sanctum, bonum, eximium, verum, & doctorem & rectum acceperunt à Deo, per Iesum Christum; vnus enim Deus veteris & noui Testamenti, *vnus mediator Dei & hominum* ad opificium intelligibilis & sensibilis creaturæ, & ad prouidentiam vtilem rebusque accomodam, & vnus Paracletus, qui operatus est in Moyse & Prophetis & Apostolis.

H

Omnes itaque in Christo saluati sunt sperantes in eum, & illum expectantes, & per ipsum salutem consecuti sunt, digni qui amarentur & admirationi nobis essent; à Iesu Christo testimonium adepti in Euangelio spei communis. Si quis Deum vnum prædicat Legis & Prophetarum. Christum verò negat esse Deum, mendax est, quemadmodum & pater ipsius diabolus, & est hic terrenæ circumcisionis pseudoIudæus. Si quis confiteatur Christum Iesum Dominum, neget autem Deum Legis & Prophetarum, dicens Patrem Christi non esse opificem cœli & terræ, hic in veritate non stetit, sicut nec pater eius diabolus; & talis est sectator Simonis Magi, non autem Spiritûs sancti discipulus.

Simonis Magus

Si quis dicat vnum quidem esse Deum, & confiteatur Christum Iesum, sed eundem nudum esse hominem putet, non autem Deum vnigenitum, sapientiam & Verbum Dei, sed sola anima & corpore illum constare censet, huiusmodi, serpens est,

fraudem

fraudem & errorem prædicans in exitium hominum, & est eiusmodi inops sensu cognomento Ebion. Si quis vniuersa hæc confiteatur, sed legitimam commixtionem & liberorum procreationem, corruptelam & pollutionem appellet, aut cibos aliquos detestandos putet, talis apostatam illum draconem in se habitantem fouet. Si quis Patrem & Filium & Spiritum sanctum confiteatur, & creaturam laudet, sed opinionem solamque phantasiam esse dicat incarnationem, passionemque pudendam dicat, talis fidem negauit, non minus quàm Iudæi, qui Christum necarunt. Porrò si quis hæc confiteatur, & quòd Deus in humano corpore habitabat Verbum existens in ipso, sicut anima in corpore; &, propter inhabitans Verbum, Christum esse Deum, sed non fuisse in Christo animam humanam, *d* & dicat illegitimos concubitus bonum quoddam esse, & finem beatitudinis constituat voluptatem, vt is qui falsò nomine Nicolaita dicitur, hic nec Dei, nec Christi amator esse potest, sed propriæ carnis corruptor est, & ob hoc Spiritu sancto vacuus, & à Christo alienus. Omnes eiuscemodi, columnæ sepulchrales & mortuorum sunt monumenta, quibus mortuorum hominum nomina duntaxat inscripta sunt. Fugite igitur maleficia & insidias spiritus qui nunc operatur in filiis huius sæculi, nequando afflicti charitatis affectum in vobis languescere permittatis, sed omnes in vnum sitis corde indiuulso & animo voluntario, vnanimes semper eadem de iisdem sentientes; in quiete, in periculis, in mœrore & gaudio. Gratias ago Deo per Iesum Christum, quòd pacatam habeam de vobis conscientiam, nec habet quispiam quod glorietur, vel secretò vel palàm, me quemquam grauasse vel in paruo vel in magno. Et omnes oro inter quos locutus sum, ne illud in testimonium consentiant. Quanquam enim secundùm carnem voluerunt quidam me seducere, at spiritus meus non seducitur, à Deo namque illum accepi. Scio enim vnde venit, & quò vadit, & secreta coarguit. Exclamaui magnâ voce inter eos quibus locutus sum. Non meus est sermo, sed Dei. Episcopo attendite, & presbyteris, & diaconis. Si autem suspicamini me hæc dicere, quòd intellexerim quosdam dissidere, testis mihi is est propter quē vinctus sum, quòd non cognouerim istud ex vno cuiusquam hominis, sed spiritus annuntiauit mihi. *Sine Episcopo nihil facite, carnem vestram, vt Dei templum, custodite, vnitatem amate, dissidia fugite, imitatores este Pauli & aliorum Apostolorum, sicut ipsi fuere Christi.* Ego itaque quod meum erat, feci, vt homo in vnitatē redactus compositusque, adiiciens & hoc: Vbi animorum discordia est, & ira, & odium, ibi Deus minimè habitat. Omnibus igitur pœnitentibus remittit Deus, si concurrant ad vnitatem Christi, & Episcopi concilium. Credo gratiæ Iesu Christi, quòd soluet aufereteque à vobis omne vinculum iniquitatis. Obsecro itaque vos, nihil per contentionem faciatis, sed omnia iuxta Christi disciplinam. Audiui enim quosdam dicentes: Nisi Euangelium inuenero in archiuis, non credo. Talibus ego dico, quòd Iesus mihi pro archiuis est, *e* quem nolle audire manifesta pernicies est. Illibatum mihi est archiuum crux eius, & mors & resurrectio eius, & fides horum, per quæ cupio iustificari precationibus vestris. Qui non credit Euangelio, nihil cæterorum credit. Nec enim spiritui debent archiua præferri. *Durum est contra stimulum calcitrare*, durum est Christo nolle credere, durum est prædicationem Apostolorum reiicere: boni sunt Sacerdotes, sermonisque ministri, sed præstantior est Pontifex, cui credita sunt sancta sanctorum. Bonæ sunt administratoriæ illæ virtutes Dei, sanctus est Paracletus, & sanctum illud Verbum Filius Patris, per quem Pater fecit omnia, omnibusque prouidet: hæc est quæ ad Patrem ducit via, hæc petra, hoc septum, hæc clauis, hic pastor, hæc hostia, hoc cognitionis ostium, per quod ingressus est Abraham, Isaac, Iacob, Moses, & vniuersus Prophetarum chorus, & orbis columinæ Apostoli, & sponsa Christi, pro qua doris loco effudit proprium sanguinem, vt eam redimeret: Porrò omnia hæc ad vnitatem vnius & veri Dei spectant. Eximium autem quiddam habet Euangelium, nimirùm aduentum Saluatoris nostri Iesu Christi, passionem, ipsamque resurrectionem. Quæ namque Prophetæ annuntiauerunt: *Donec veniat cui repositum est: f & ipse erit expectatio gentium*: hæc in Euangelio impleta sunt, dicente Domino: *Ite, docete, omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Omnia igitur in vniuersum bona, Lex, Prophetæ, Apostoli, totusque cœtus credentium: hoc vnum reliquum est, vt nos mutuò diligamus. Quoniam per orationem vestram, & viscera quæ habetis in Domino Iesu, nunciatum est mihi pacem habere Ecclesiam Antiochenam quæ in Syriâ est. Decet itaque vos, vt Dei Ecclesiam, eligere Episcopum vt obeat legationem Dei, vt concedatur illis in idem loci congregatis, etiam glorificare nomen Dei. Beatus ille in Christo Iesu, qui dignus habitus fuerit eiusmodi ministerio, & vos studium vestrum adhibentes, in Christo, glorificabimini. Volentibus enim vobis non erit prorsus impossibile pro nomine Dei, vt semper fecerunt proximæ Ecclesiæ, mittere Episcopos; nonnullæ verò presbyteros & diaconos. De Philone diacono viro à Ciliciâ testimonium habente, * qui & mihi in sermone ministrat vnà cum Gauiâ & Agathopode viro electo qui à Syria me comitatur * vitæ renuntiantes, qui & testificantur vobis; Deo meo ago gratias vestro nomine, quòd officiosè illos accepistis, suscipiat & vos Dominus. Qui verò illos ignominiâ affecerunt, liberentur gratiâ Christi, cuius voluntas non est mors, sed pœnitentia peccatoris. Salutat vos charitas fratrum qui sunt in Troade, vnde & scribo vobis per Burgum qui missus est vna ab Ephesiis & Smyrnensibus honoris causâ, quibus beneficium reponat Dominus Iesus Christus, in quem sperant, carne, animâ & spiritu, fide & charitate, & concordiâ. Valete in Domino Iesu, communi spe nostrâ, in Spiritu sancto.

Gen. 49.

Matth. 28.

Dilectio sine veritate [illegible]

al. collpod.

al. testificatur vobis quia renuntiauerunt sæculo, & martyrium elegerunt.

IN SANCTI MARTYRIS IGNATII Epistolam IX Scholia.

a Vt dilecti illius discipuli. *Vetus interpres, sic: sicut* dilectissimi discipuli; *& meo iudicio, clarius & perspicuè enim indicat Ioannem Euangelistam, dilectissimum Iesu Christi discipulum.*

b Et Pauli. *Pauli nomen in antiquissimis codicibus Anglicanis & aliis non extat: vnde doctiss. plerique oscitantiam scriptorum, aut scribarum censent assumentum.*

c Sed vt commilito vester, & monitor quispiam. *Quòd hic vertimus monitorem, Græcè est* [illegible] *Quam vocem Morellius vertit, Succentor. Ego verò, si coniecturâ in eiusmodi vti liceret, legerem* [illegible]: *quæ vox Græcè significat non propriè vatem aut prophetam, sed eum qui acceptum ab alio oraculum promit & interpretatur cæteris. Vnde & à Dionysio in lib. de cœlesti Hierarchiâ, Angelorum ordines appellantur* [illegible], *quòd ea quæ a superioribus ordinibus acceperunt, inferioribus ordinibus quasi per manus tradunt, & illi rursus viris sanctis enuntiant & communicant.*

d. Non fuisse in Christo animam humanam. *Christum non habuisse animam rationalem vt cæteri homines, sed ipsam diuinitatem suppleuisse locum animæ rationalis ausus est dicere Apollinaris quidem Laodicenus, vt auctor est Socrates in Ecclesiastica historia sua: cuius tamen dogmatis non tam inuentor quam renouator fuit, si Ignatij ætate, vt videtur, hæc hæresis sparsa erat in Ecclesia Catholicâ. Nisi hac fortè ratione noua hæresis auctor videri possit Apollinaris, quòd postea errorem suum, vt ipse putabat, corrigens; dicebat in Christo animam fuisse, sed eam caruisse mente, & diuinitatem verbi pro mente fuisse.*

e Iesus mihi pro archiuis est. *Archiuum penultima longa & cū aspirato locus est publicus, in quo scripta & acta vrbis & ciuium recondi solent: Latinè, Tabularium vocatur, quod in ceratis tabulis omnia olim describerentur. Græcè dicitur* ἀρχεῖον *quasi* ἀρχαῖον *quòd in eo scripta & acta prisca & antiqua reperiantur.*

f Donec veniat cui repositum est. *Locus est Genesis 49. de Christi aduentu continens celebre vaticinium Ia-*

cob Patriarchæ, quod tamen apud 70. Interpretes in Græcis codicibus hodie sic legitur, ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, id est, donec veniant ea quæ reposita sunt ei. Ad Hebraïcam veritatem vertit pro eo D. Hieronymus: Donec veniat qui mittendus est.

g Mittere Episcopos. *Codex Græcus habet ἔπεμψαν, id est, miserunt, forte legendum πέμψαι, id est, mittere, sicut nos vertimus: aut id verbi subaudiendum erit in priore orationis parte, vt sit sensus: Vobis volentibus non erit prorsus impossibile, supple, mittere Episcopo, vt proximæ Ecclesiæ semper miserunt.*

EIVSDEM AD SMYRNENSES, EPISTOLA X.

Ex hac Epistolâ desumpta sunt, quæ perperàm (nescio vnde nato errore) citat ex eiusdem S. Ignatij ad Romanos, Theodoritus Cyrensis in Eranistè, dial. 1. de veritate humanitatis Christi: melius verò D. Hieronymus in scriptorum Ecclesiasticorum libro, ex hac eâdem Epistolâ.

IGgnatius, qui & Theophorus, Ecclesiæ Dei Patris altissimi & dilecti Filij ipsius Iesu Christi misericordiam consecutæ *a* in omni dono, plenè instructæ in fide & charitate, diuinissimæ & sacrosanctæ, quæ est Smyrnæ in Asiâ, in spiritu immaculato & verbo Dei, salutem plurimam.

Glorifico Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, qui per eum ita vos erudiuit. Cognoui enim vos absolutè perfectos in fide stabili, vtpote vnà affixos cruci Domini nostri Iesu Christi carne & spiritu, firmatos in charitate, in sanguine Christi, verè ad plenum instructos in Domino nostro Iesu Christo Filio Dei, primogenito omnis creaturæ, qui Dei Verbum est, & vnicus Filius * secundum carnem de genere Dauid ex Mariâ Virgine, baptizatus à Ioanne, vt impleretur ab eo omnis iustitia, qui versatus est inter homines, sine peccato, & sub Pontio Pilato & Herode tetrarchâ affixus est Cruci pro nobis, in verâ carne: * ex quo & nos sumus, per diuinam beatamque passionem eius, vt assumeret nos concorporales in sæcula per resurrectionem eius, & coaptandos sanctis & fidelibus, siue Iudæis siue gentibus, in vnum corpus Ecclesiæ suæ. Omnia enim hæc passus est propter nos, & verè passus est, non opinione; sicut & verè resurrexit; sed non, vt quidam increduli, quos pudet incarnationis & crucis, dicentes quòd mortem non in rei veritate obierit, sed opinione tantùm hominum, & quòd non verè ex Virgine corpus assumpsit, & quòd solâ opinione passus sit, obliti illius Euangelici dicti: *Verbum caro factum est.* Et: *Soluite templum hoc, & triduo resuscitabo illud.* Et: *Si exaltatus fuero a terrâ, omnia traham ad meipsum.* An non itaque Verbum in carne habitauit? *Sapientia* enim *ædificauit sibi domum*; Verbum, suum ipsius templum quod solutum erat à Iudæis Christum oppugnantibus, excitauit tertiâ die, & Verbum omnia ad se traxit ad obtinendam salutem æternam, postquam caro ipsius exaltata est, ad similitudinem ænei illius serpentis in eremo. * Ego verò non modò in carne venisse ipsum cognosco ex natiuitate & crucifixione eius, sed & post resurrectionem, scio eum in carne fuisse, & credo etiam nunc esse. Etenim quando ad Petrum venit, inquit ipsis: *Accipite & palpate me, & videte quod non sim dæmonium incorporale: Spiritus enim carnem & ossa non habet, quemadmodum me videtis habere.* Et Thomæ dicit: *Infer digitum tuum in fixuram clauorum, & adfer manum tuam, & mitte in latus meum*: & continuò credidit quòd ipse esset Christus. Quare & Thomas dicit ipsi: *Dominus meus & Deus meus*: & ob id mortem contempserunt; parum enim fuerit, si dicam, iniurias & verbera. Quinetiam & post resurrectionem * ostendit seipsum illis, quòd verè & non per phantasiam resurrexerat; & cum illis comedit & bibit quadraginta perpetuos dies; & ita cum carne, videntibus illis, assumptus est ad illum qui miserat eum, cum ipsâ carne venturus iterum, cum gloriâ & potestate. Aiunt enim oracula: *Hic* IESVS *qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis illum euntem in cælum.* Si verò sine corpore dicunt eum venturum in consummatione sæculi, quomodo ipsum videbunt, qui illum pupugerunt; & agnoscentes, plangent in semetipsis? corporalium enim rerum, neque species neque figura, *c* nec simulacrum esse potest, *d* seu animantis habentis formam aliquam, propter naturæ simplicitatem. De his autem admoneo vos charissimi, sciens vos non aliter, atque me, de his sentire. Sed præmunio vos contra feras humanam formam præ se ferentes, quas non modò auersari oportet, sed etiam fugere, *e* solumque pro iis orare, si quando pœnitentiâ ducantur. Si enim opinione solùm in corpore fuit Dominus, & phantasiâ crucifixus est, & ego opinione solùm, vinctus sum: cur verò meipsum morti prorsus tradidi, ad ignes, ad gladios, ad feras? At non opinione, sed reuerà hæc sustineo propter Christum, vt cùm illo patiar, ipso me confortante (nec enim mihi tantæ vires) quem quidam ignorantes negarunt, & patrocinantur mendacio magis quàm veritati; quos nec prophetiæ persuasêre, nec Mosaica Lex, sed nec ipsum Euangelium in hunc vsque diem, sed neque nostri, quos singuli præferimus, cruciatus: nam & de nobis idipsum sentiunt. Quid enim mihi prodest, si quis me laudet, & Dominum meum blasphemet, non confitens ipsum Deum esse carne vestitum? * Qui verò id non dicit, prorsus ipsum negauit * cadauer circumferens; nec enim libuit eorum infida nomina his literis inserere: absit verò à me vt eorum mentionem faciam, donec pœnitentia ducantur. Nemo erret, nisi crediderit Iesum Christum in carne conuersatum, & crucem illius confessus fuerit, & passionem, & sanguinem quem effudit pro mundi salute, non assequetur vitam æternam, siue rex fuerit, siue sacerdos, siue princeps, siue priuatus homo, siue dominus, siue seruus, siue vir, siue fœmina. Qui capit, capiat, qui audit, audiat. Locus, dignitas, diuitiæ neminem efferant; ignobilitas & paupertas neminem deiiciant. Totum namque & præcipuum, est fides in Deum, & spes in Christum, & fruitio eorum quæ exspectamus bonorum, charitas in Deum & proximum. *Diliges enim Dominum, Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum.* Et Dominus inquit: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Et: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis vos mutuò; in his duobus mandatis pendet tota lex & Prophetæ.* Considerate itaque eos qui aliena sectantur dogmata, & discite quomodo ignotum asseruunt esse Christi Patrem; quomodo infidam simultatem inter se exerceant, charitatis nullam habeant rationem, futura negligunt, præsentia ceu stabilia bona curant, præcepta contemnunt, viduam & orphanum despiciunt, oppressum despuunt, vinctum rident, crucis illos pudet, passionem subsannant, resurrectionem pro fabulâ traducunt, posteri sunt & nepotes spiritus illius, omnis mali primi inuentoris, qui Adam fecit Dei mandatum auersari per fœminam; Abel per Caïn occidit, qui Iob oppugnauit, Iesum filium Iosedec accusauit, qui postulauit cribrare fidem Apostolorum, qui plebem Iudaïcam concitauit aduersus Dominum, qui & nunc vim efficaciamque exerit in filiis inobedientiæ, a quibus eripiet vos Dominus Iesus Christus, qui rogauit ne deficeret fides Apostolorum, non quòd per se non posset custodire illam, sed velut gaudentes Patris excellentiâ. Decet itaque abstinere ab eiusmodi, nec in priuato, nec in communi colloquio de illis verba facere; attendere autem Legi & Prophetis, & iis qui annuntiauerunt vobis salutarem sermonem. Nefandas autem hæreses, & eos qui schismata faciunt, fugite vt fontem malorum. Omnes Episcopum sequimini, vt Christus Patrem, & presbyterorum collegium, vt Apostolos. Diaconos reueremini, vt ex Dei præcepto *f* ministrantes. Sine Episcopo nemo quicquam faciat eorum quæ ad

Margin notes, left column: A; B; Smyrnensium fides. * Hæc & C alia quædam ex hac eâdē epistolâ citat Theodoritus in Eranistè, dialogo 1. Matt. 13. * A quo & nos redēpti sumus per diuinam, &c. Cōtra Ebionitas. Ioan. 1. Ioan. 2. Ioan. 12. D; Prou. 9. Num. 21. * Hæc citat Theodor. Cyrensis in Eranistè, dial. 2. Luc. 24. Ioan. 20. * Hæc quoque citat Theodor.

Margin notes, right column: E; In eodem dialog. 2. Act. 1. Ioan. 19. Hæretici sunt feræ, humanam formam ferentes. Orandum pro hæreticis pœnitētibus. F; * Inebriatum. * Sicut mortuum baiulans. Hæretici nō nominandi. G; Personarū nulla acceptio apud Deum. Hæreticorum ingenium. H; Dæmonis malitia. Gen. 4. Iob. 1. Zach. 3. Eph. 2. Luc. 22. Hæretici nunquam nominandi. Episcopi honorandi. Ratio Eucharistiæ.

Ecclesiam spectant. Rata Eucharistia habeatur illa quæ sub Episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit. Vbi comparuerit Episcopus, ibi & multitudo sit: quemadmodum vbi Christus, ibi omnis astat exercitus cœlestis velut imperatori, potestatis Dominicæ omnisque intellectualis naturæ gubernatori dispensatorique. Non licet sine Episcopo baptizare, neque offerre, neque sacrificium immolare, neque Dochen *g* celebrare: sed quodcunque illi visum fuerit secundùm beneplacitum Dei, vt tutum & ratum sit quodcunque feceritis. Consentaneum est (vt quod reliquum est adiiciamus) ad Deum conuersos pœnitere; *In inferno* enim *nullus est qui confitetur*. Ecce enim homo, & opera eius ante faciem illius. *Honora*, inquit, *fili, Deum & regem*. Ego verò dico; Honora Deum vt omnium auctorem & Dominum; Episcopum verò vt principem sacerdotum, imaginem Dei referentem; Dei quidem, propter principatum, Christum verò, propter sacerdotium. Honorare oportet & regem, nec enim rege quisquam præstantior, aut quisquam similis ei in rebus omnibus creatis, nec Episcopo, qui Deo consecratus est pro totius mundi salute, quicquam maius in Ecclesiâ. Nec inter principes quisquam similis regi, qui in pace & optimis legibus subditos moderatur. Qui honorat Episcopum, à Deo honorabitur; sicut qui ignominiâ afficit illum, à Deo punietur. Si enim iure censebitur pœnâ dignus, qui aduersus regem insurgit, vt qui violet bonas legum constitutiones, quantò putatis grauiori subiacebit supplicio, qui sine Episcopo quid volet agere, concordiam rumpens, & decentem rerum ordinem confundens? Sacerdotium enim est omnium bonorum, quæ in hominibus sunt, apex; qui aduersus illud fuerit, non hominem ignominiâ afficit, sed Deum, & Christum Iesum primogenitum, qui naturâ solus est summus sacerdos Patris. Omnia igitur vestra, decenti ordine perficiantur in Christo. Laici, diaconis subiiciantur; diaconi, presbyteris; presbyteri, Episcopo. Episcopus, Christo, vt ipse Patri. Quemadmodum me recreastis, fratres, ita & vos recreet Iesus Christus, absentem me & præsentem dilexistis, retribuat vobis Deus propter quem hæc in vinctum illius contulistis. Etsi enim non sum par beneficiis, at magna tua est animi vestri propensio. *Qui enim honorat Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet*; nimirum qui honorat vinctum Iesu Christi, martyrum accipiet mercedem. Quod Philonem, Gaium, & Agathopodem; qui comites mei sunt & verbi Dei ministri, vt Christi ministros exceperitis, benè fecistis, qui & plurimas Deo pro vobis gratias agunt, quòd omnibus modis eos refeceritis. Nihil vobis apud Deum peribit eorū quæ in illos contulistis: det vobis Dominus vt inueniatis misericordiam à Domino in illâ die: vtinam meus spiritus cum vestro commutari possit, & vincula hæc mea quæ non fastidistis, nec ob ea erubuistis. Quare nec de vobis erubescet consummata spes Iesus Christus. Precationes vestræ appropinquarunt ad Antiochenam Ecclesiam, & pacem habet: vnde, vinctus, omnes saluto, qui non sum dignus, cùm extremus sim eorum qui ibi sunt, iuxta Dei voluntatem ad functionem Episcopalem electus non iuxta conscientiam meam, sed ex gratiâ, quam opto perfectam mihi dari, vt per orationes vestras Deum assequar. Vt itaque opus vestrum absolutum sit super terram & in cœlo, decet ad Dei honorem vt Ecclesia vestra eligat sacrum Legatum *h*, vt cùm in Syriâ fuerit, congratuletur illis quòd pacem consecuti sint, & suam receperint magnitudinem, & restitutum sit illis suum corpusculum. Quod operæpretium mihi visum fuit, id est, vt aliquem vestrum mittatis cum epistolâ, vt vnà cum illis glorificet Deum de tranquillitate quam in Deo consecuti sunt, & commodissimum obtinuerim Christum per orationes vestras. Cùm perfecti sitis, perfecta sentite. * Cupientibus enim vobis feliciter viuere, etiam Deus idem largiri paratus est. Salutat vos charitas fratrum vestrorum quæ est Troade, vnde & scribo vobis per Burgum quem misistis mecum vnà cum Ephesiis confratribus vestris, qui per omnia me refocillauit, & vtinam omnes illum imitentur, qui est specimen diuini ministerij, retribuet illi per omnia gratia Domini. Saluto Deo dignum Episcopum vestrum Polycarpum, & diuinis exornatum dotibus presbyterium, & Christo plenos Diaconos conseruos meos, & sigillatim, & in vniuersum omnes in nomine Christi Iesu, & carnis ipsius, & in sanguine, passione, & resurrectione corporali, & spirituali vnitate Dei & vestrâ. Gratia vobis, misericordia, pax, patientia per omnia, in Christo. Saluto familias Fratrum meorum cum vxoribus & liberis & eas quæ in perpetuâ degunt Virginitate & viduas. Incolumes spiritu estote mihi. Salutat vos Philo syndiaconus, qui mecum est. Saluto familiam Gauiæ, quam opto solidari fide & charitate corporali & spirituali. Saluto Alcen desiderabile mihi nomen, & Daphnon incomparabilem, & Eutecnon, & omnes nominatim. Valete in gratiâ Dei & Domini nostri Iesu Christi, repleti Spiritu sancto & diuinâ sanctâque sapientiâ.

Perpetua virgines.

IN SANCTI MARTYRIS IGNATII

EPISTOLAM X.

Scholia.

a Misericordiam consecutæ. *Et omni gratiâ repleta, in fide & dilectione fundata, & totius gratiæ Deo decentissima sanctissimaque sanctificata, quæ est in Smyrnâ, &c.*

b Vt assumeret vos concorporales. *Ita nos vertimus hunc locum, pro quo Morelius vertit, vt tolleret signum in sæcula, quo quid significare velit, prorsus non intelligo. Græce est, ἵνα ἄρῃ σύσσωμα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ego legendum puto loco σύσσωμα, σύσσωμους, id est, concorporales, quâ voce & Apostolus vtitur cap. 3. epistolæ ad Ephesios, εἶναι τὰ ἔθνη συγκληρόνομα καὶ σύσσωμα, id est, gentes esse coheredes & concorporales, id est, coaptandas in mysticum Christi corpus, quod est Ecclesia, & ita legisse videtur vetus Interpres. Sic enim vertit, Vt tollat secum sibi coniunctos in sæcula.*

c Alius Interpres, sic: *Sed neque effigies quidem aliqua animalis forma haberi poterit, in quâ fixura clauorum vel lanceæ foramen appareat, propter simplicitatem naturæ.*

d Nec simulachrum esse potest. *Codex Græcus hoc loco habet τμῆμα, quod segmentum aut sectionem significat. Morelius vertit particulam. Ego ἀπείκασμα hoc loco legendum puto, id est, simulachrum, quomodo & veterem Interpretem legisse opinor, qui vertit effigiem.*

e Fugere. *Vt nec fas est eorum sermones impios reuoluere Hesychius Hierosolymitanus in Ecclesiasticâ historiâ, & legitur collatione 5. quintæ Synodi Constantinopolitanæ.*

f Dei præcepto. *Melius, meo iudicio, quàm apud Damascenum, Parallelorum, lib. 2. cap. 25. non secus ac Dei mandatum, &c.*

g Neque nochen celebrare. *Reliquimus hic Græcam vocem, quæ conuiuium significat Latinè: sic dictum ab accipiendo, quod omnes promiscuè acciperentur, videtur autem id conuiuium idem fuisse cum eo quod Tertullianus in Apologetico suo Agapen suo sæculo appellatum scribit. Quamuis & beatus Iudas in Epistolâ suâ eadem voce Agape vsus sit, pro conuiuio eiusmodi. οὗτοι, inquit, εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες συνευωχούμενοι ἀφόβως. Quod noster Interpres vertit, Hi sunt in charitatibus vestris maculæ, &c.*

h Eligat sacrum legatum. *Interpretes reliquerunt Græcam vocem Θεοπρεσβευτὴν, nos vertimus, sacrum legatum, quales sunt legati pontificij, cùm mittuntur ob negotia Ecclesiæ componenda.*

EIVSDEM AD POLYCARPVM, SMYRNÆ.

EPISTOLA XI.

IGnatius Episcopus Antiochiæ, & Martyr Iesu Christi: Polycarpo Episcopo, Ecclesiæ Smyrnensis Inspectori, *a* immò qui inspectus est potius à Deo Patre & Iesu Christo, S. P.

Commen

Commendans animum tuum in Deo firmatum velut super immobilem petram, summis eucho laudibus dignus habitus inculpatâ tuâ personâ, quâ fruar in Deo. Obsecro te per gratiam qua ornatus es, vt ad cursum hunc tuum incrementa adiicias, omnésque adhorteris vt saluentur. Vindica & tuere locum tuum cum omni diligentiâ tam corporali quàm spirituali: vnitatis curam habe, quâ nihil melius: omnes porta quemadmodum te Dominus: omnes tolera per charitatem, sicut & facis: precibus vaca sinè intermissione; postula Intellectum ampliorem quàm habes: vigila, insomnem spiritum habens: singulis iuxta diuinam concordiam loquere: omnium infirmitates perfer vt athleta perfectus, sicut & omnium Dominus: *Ipse enim* (inquit) *infirmitates nostras portauit*: vbi laboris plus est, ibi & plus emolumenti. Bonos si amas discipulos, nulla tibi est gratia; pestilentiores autem, mansuetudine subige. Non omne vulnus emplastro curatur, vehementiores morbi accessiones, instillationibus seda. Prudens in omnibus esto vt serpens; & simplex perpetuò vt columba. Propter hoc, ex animâ & corpore constitutus es; ideo corporalis & spiritualis es, vt ea quæ palàm oculis subiiciuntur, corrigas; quæ autem non videntur, postula vt ea tibi manifestentur, ne quicquam tibi desit, & omni gratiâ abundes. Tempus flagitat vt preceris. Vt enim gubernatori secundus ventus adiumento est, & vt naui tempestate quassatæ, commodi portus saluti sunt; ita & tibi, Deum assequi. Sobrius esto vt athleta Dei, cuius voluntas est incorruptio & vita æterna, de quâ & tu persuasus es per omnia. Vtinam pro tuâ hanc meam animam commutem, & hæc mea vincula quæ amasti. Qui aliena docent, & fide digni videntur, non te obstupefaciant: sta firmus velut incus quæ verberatur. Magni athletæ est feriri & vincere. Dei autem nomine maximè sustinere oportet omnia, vt ipse nos expectet in suum transferendos regnum. Plus adiice huic studio quod in te est, ardentiùs curre, tempus nôris. Sicuti hîc es, vince. Hîc enim stadium, ibi verò coronæ. Expecta Christum Filium Dei in tempore, qui omni tempore caret, palpabilem omnémque contactum refugientem, vtpote incorporeum, propter nos verò in corpore tangibilem & palpabilem, omnibus passionibus carentem, propter nos verò passionibus obnoxium factum vt hominem, quas omnibus modis propter nos tolerauit. Viduæ non negligantur, post Dominum tu earum curator esto: nil sine tuo arbitrio agatur, nec item tu quicquam præter Dei facies voluntatem, sicut nec facis! Constans & strenuus esto. Crebriùs celebrentur conuentus, synodique: nominatim omnes inquire, seruos & ancillas ne fastidias, sed nec ipsi inflentur fastu, sed ad gloriam Dei officiosiùs seruiant, vt potiorem libertatem à Deo consequantur, neque eligant à republicâ manumitti, ne serui inueniantur concupiscentiæ. Maleficia fuge, imò verò de his verba ne facito. Sororibus meis dicito, vt Dominum ament, vt maritis suis contentæ sint, & carne & spiritu, itidem & fratribus meis præcipe, vt coniuges suas ament sicut Dominus Ecclesiam. Si quis potest in castitate permanere, ad honorem carnis Dominicæ, vitet iactantiam: si gloriatus fuerit, periit, & si idipsum statuatur sine Episcopo, corruptum est. Decet verò vt & ducentes vxores, & nubentes, cum Episcopi arbitrio coniungantur, vt nuptiæ iuxta Domini præceptum, non autem ob concupiscentiam coiisse videantur. Omnia ad honorem Dei fiant. Episcopo attendite, vt & Deus vobis. Meam animam libens commutauero cum animabus eorum qui Episcopo parent, presbyteris, & diaconis: faxit Deus vt cum illis mihi portio contingat à Deo. Collaborate vobis mutuò, vnà certate, concurrite, compatimini, vnà ad quietem vos componite, vnà exurgite, vt Dei dispensatores, assessores, & ministri; placete illi cui militatis, à quo & stipendia refertis. Nemo vestrûm desertor inueniatur, Baptismus vester maneat velut arma, fides vt galea, charitas vt hasta, patientia vt panoplia. Deposita vestra, sint opera vestra, vt quæ accepistis, eadem digna Deo reportetis. Longanimes itaque estote inter vos cum mansuetudine, & Deus ita vobiscum aget. Fruar vobis per omnia. Quandoquidem Antiochena Ecclesia, quæ in Syriâ est, pacem est nacta (vt significatum est) per orationes vestras & ego tranquilliori animo factus sum in securitate Dei, si per passionem Deum assecutus fuero vt discipulus inueniar per orationes vestras. Decet beatissime Polycarpe, Concilium cogere sacrosanctum, & eligere si quem vehementer dilectum habetis & impigrum, vt possit diuinus appellari Cursor, & huiusmodi creare, vt in Syriam profectus, laudibus celebret impigram charitatem vestram ad gloriam Dei. Christianus homo sui potestatem non habet, sed Deo vacat: hoc est opus Dei & vestrum, quando idipsum perfeceritis. Credo enim gratiæ, quòd parati estis ad benefacta Deo congruentia. Cúmque nouerim firmitatem roburque veritatis vestræ, breuibus literis vos cohortatus sum. Quoniam verò omnibus Ecclesiis scribere nequiui, quòd repentè iussus sim à Troade nauigare Neapolim, scribes Ecclesiis anteriori loco positis, vt qui Dei voluntatem teneas, quò & ipsi idem faciant, vt qui pedibus iter conficiant, alij verò epistolas transmittant per eos qui à te mittentur, vt opere hoc æterno glorificemini. Quasi dignus sim saluto omnes nominatim, & Epitropi *b* vxorem cum totâ familiâ suâ & liberis. Saluto dilectum mihi Attalum. Saluto eum qui designandus est vt in Syriam mittatur: erit cum illo semper gratia & cum eo qui mittit illum Polycarpo. Opto vos semper valere in Deo nostro Iesu Christo, in quo manete per vnitatem Dei & Episcopi. Saluto Alcen, desiderabile mihi nomen. Gratia. Valete in Domino.

Episcopi officium, & quid debeat à Deo postulare. — *Isa. 53.* — *Mansuetudo Episcopalis.* — *Matt. 10.* — *Viduarū cura.* — *Synodi frequētes fiant.* — *Sorores. Fratres. Castitas sit humilis.* — *Sacra & solemnis castitas, præsertim sacrarū virginū non statuatur sine Episcopi authoritate. Episcopo obediētes.* — *Opera Christianorum.* — *Cursoris electio.*

IN SANCTI MARTYRIS IGNATII Epist. XII. Scholia.

a Inspectori, Immò qui inspectus est à Deo. *Illud, inspectori, de nostro adiecimus, vt redderemus quantum licet, iucundam illam paronomasiam quæ est in Græcanicis illis vocibus:* ἐπισκόπῳ, μᾶλλον δὲ ἐπισκοπημένῳ.

b Epitropi vxorem. *Quia hanc vocem in Græco codice capitali litera masasculâ scriptam inuenimus, quòd in propriis nominibus fere fit, relinquimus vt proprium nomen, quæ alioqui Curator aut commissarium significat.*

EIVSDEM AD ANTHIOCHENOS, De Trinitate, & de vitâ Christianâ.

EPISTOLA XII.

IGnatius, qui & Teophorus, Ecclesiæ à Deo misericordiam consecutæ, electæ à Christo, habitanti in Syriâ, & primùm Christi appellationem sortitæ, quæ est Anthiochiæ, in Deo Patre, & Domino Iesu Christo, Salutem.

Leuia minúsque grauis vincula mea Dominus fecit, vbi didicissem vos pacem habere, & in omni concordiâ & corporali & spirituali degere. Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt ambuletis dignè vocatione quâ vocati estis, cauentes Maligni illius hæreses, quæ impudenter se ingesserunt ad fraudem & exitium illorum qui credunt iis. Sed attendentes Apostolicæ doctrinæ, & Legi, & Prophetis credentes, abiicite omnem gentilem & Iudaicum errorem, vt nec multitudinem introducatis deorum, nec prætextu vnius Dei negetis Christum. Moses enim Dei famulus fidelis dicens: *Dominus Deus tuus, Dominus vnus est*; & vnum & solum prædicans Deum, continuò confessus est & Dominum nostrum, dicens: *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham a Domino ignem & sulphur.* Et rursus: *Dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Et: *Fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum.* Et deinde: *Ad imaginem Dei fecit hominem.* Et quòd fieret homo, Inquit: *Prophetam vobis suscitabit Dominus è fratribus vestris sicuti me.* Prophetæ autem dicentes ex personâ Dei: *Ego Deus primus, & ego post hæc.* Et: *Præter me non est Deus*: de Patre vniuersorum dicunt. Et de Domino nostro Iesu Christo: *Filius*, inquiunt, *datus est nobis, cuius imperium super humeros eius desuper, & vocabitur nomen eius magni*

Scripturæ testimonia de Trinitatis & Christi mysterio. — *Deut. 6.* — *Mat. 16.* — *Gen. 19.* — *Gen. 1.* — *Deut. 18.* — *Act. 3.* — *Isa. 43.* — *Isa. 9.*

consilij Angelus, admirabilis consiliarius, Deus fortis potestate praeditus. Et de illius incarnatione: *Ecce virgo in vtero concipiet & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuël.* Et de passione: *Tanquam ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente ipsum, obmutuit.* Et: *Ego quasi agnus innocens qui ad victimam ducitur.* Et Euangelistae dicentes vnum Patrem solum verum Deum non reliquerunt eà quae propria sunt Domino nostro, sed scripserunt: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Et de incarnatione ipsius: *Verbum*, inquit, *caro factum est, & habitauit in nobis.* Et: *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham.* Apostoli verò dicentes quòd Deus vnus est, iidem dixerunt, *quòd vnus est mediator Dei & hominum*; nec de incarnatione, nec de passione eius erubuerunt. Quid enim inquiunt? *Homo Iesus Christus, qui dedit semetipsum pro mundi vitâ & salute.* Omnis itaque qui annuntiat vnum & solum Deum, vt tollat Christi diuinitatem, is est diabolus, & hostis omnis iustitiae. Et qui confitetur Christum non esse Filium eius qui mundum fecit, sed alterius cuiusdam ignoti, praeter eum quem lex annuntiauit & prophetae; instrumentum est ipsius diaboli: & qui incarnationem reiicit, & quem crucis pudet, propter quam vinctus sum, hic est Antichristus: & qui Christum dicit nudum hominem, maledictus est iuxta Prophetam, cùm non in Deo confidat, sed in homine; quare & infructuosus est vt agrestes myricae. Haec scribo vobis, ô Christi nouella oliua, non quòd conscius sim vos eiusmodi sentire, sed vt praemuniam vos, vobisque cautum velim vt pater filiis. Cauete itaque improbos operarios, *inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum gloria est in confusione eorum.* Cauete canes mutos, serpentes in arctum se contrahentes, dracunculos pellium amictu gaudentes, *b* aspides basiliscos, scorpios: hi namque sunt thoës astuti, *c* simiae hominum imitatrices. Pauli & Petri fuistis discipuli, ne perdatis depositum. Mementote Euodij beatissimi pastoris vestri, qui primus post Apostolos gubernacula vestrae Ecclesiae sortitus est: non simus pudori, patri; simus genuini filij, non autem adulterini. Nostis quomodo vobiscum conuersatus sim; *d* quae praesens dicebam vobis, haec & absens scribo. Si quis non amat Dominum Iesum, anathema sit. Imitatores mei estote, animam meam pro vestrâ libens commutem, cum Christum adeptus fuero. Memores estote vinculorum meorum. Presbyteri pascite gregem qui inter vos est, donec Deus designauerit eum qui principatum in vobis habiturus est; Ego enim iam immolor, vt Christum lucrifaciam. Diaconi agnoscant cuius sint dignitatis, & enitantur vt inculpati sint, vt sint Christi imitatores. Populus pareat presbyteris, & diaconis; virgines agnoscant cui seipsas consecrarunt: viri ament coniuges suas, memores quòd vna vni viro, non plures vni datae sunt in creaturae exordio. Mulieres honorent viros suos vt propriam carnem, nec ex nomine eos appellare audeant; *e* sint autem castae, solos coniuges suos, viros esse, existimantes, quibus iuxta Dei arbitrium iunctae sunt. Parentes, erudite liberos vestros sacris disciplinis: filij, honorate parentes, vt benè vobis sit. Domini, nolite superbè seruis vti, imitantes patientissimum Iob dicentem: *Si verò etiam vilipendi iudicium famuli mei aut ancillae meae disceptantium aduersum me; quid enim faciam si actus meos explorauerit Deus* & ea quae sequuntur scitis. Serui, nolite ad iram prouocare dominos in vllâ re, ne ipsi vobis sitis auctores immedicabilium malorum. Nemo iners & otiosus edat, ne vagus fiat & scortator. Ebrietas, ira, inuidia, conuitium, clamor, blasphemia, ne nominentur quidem in vobis. Viduae non dedant se delicijs, ne intemperanter se gerant aduersus verbum Dei. Caesari subiecti estote in iis in quibus subdi, nullum animae periculum est. Principes nolite irritare, vt exacerbentur, ne ansam detis eis qui illam contra nos quaerunt. De incantatione, homicidio, obscoeno puerorum amore superuacuum est scribere, quandò & gentibus vetitum est haec patrare. Portò haec non vt Apostolus praecipio, sed vt conseruus vester commonefacio vos. Saluto sanctum presbyterorum collegium, saluto sacros diacònos; optabile illud nomen eius quem video in spiritu, locum meum tenere, vbi Christum nactus fuero *f*, pro cuius animâ, meam libens commutauero. Saluto Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Ianitores, Laborantes, Exorcistas, Confessores. Saluto custodes sacrorum vestibulorum in Christo Diaconissas *g*. Saluto Christo afflatas Virgines, quibus fruar in Domino Iesu. Saluto populum Domini à paruo vsque ad magnum, & omnes sorores meas in Domino. Saluto Cassianum & coniugem illius, & charissimos liberos illius. Salutat vos Polycarpus dignissimus Episcopus; cui & vos curae estis, cuique vos commendaui in Domino, & vniuersa Ecclesia Smyrnaeorum memor est vestri, in precibus, in Domino. Salutat vos Onesimus Ephesiorum pastor: Salutat vos Demas Magnesiae Episcopus. Salutant vos Pholo & Agathopus diaconi, qui vnà me comitati sunt. Salutate inuicem in osculo sancto. Haec è Philippis scribo vobis. Is qui solus ingenitus est, per eum qui ante saecula natus est, custodiat vos incolumes spiritu & carne, & videam vos in regno Christi. Saluto eum qui in vobis pro me principatum obtinebit. Valete Deo & Christo, illuminati Spiritu sancto.

E *Hypodiaconi.*

Diaconissae sacrorum vestibulorum custodes.

F *Osculum sanctum. Deus Pater solus ingenitus.*

IN SANCTI MARTYRIS IGNATII Epist. XII. Scholia.

a Dominus Deus tuus Dominus vnus est. *Citat D. Ignatius illud Deut. 6. iuxta editionem 70. Interpretum, cùm iuxta Hebraicam veritatem interprete Hieronymo legamus: Dominus Deus tuus Deus vnus est, quomodo & Christus ipse allegat Marc. 12. cap. rogatus quid esset primum mandatum in Lege: Audi, inquit, Israel Dominus Deus tuus Deus vnus est, Diliges Dominum, &c.*

b Dracunculos pellium amictu gaudentes. *Graecè est: τὰ φιλόδορα δρακόντια. Nam δορὰ Graecè, pellem Latinè significat, Vetus Interpres, & hunc secutus Morelius verterunt, squamosos dracunculos: minus rectè meo iudicio. Quamuis enim naturâ dracones squamosi sunt, Ignatius tamen non ad naturam draconum, sed ad haereticorum ingenia mihi respexisse videtur, quos & Christus sub ouium vestimentis luporum veritatem occultare docet.*

Vetus Int. & Morel.

G *rectius legerunt τὰ φιλόδορα δρακόντια in indiceio Fronto Ducei.*

c Thoës astuti. *Thoës genus est luporum, vt auctor est Plinius, maximè mordax & sanguinarium, quod & ceruis insidiatur: vnde & Theodorus Gaza apud Aristotelem lupum ceruarium vertit.*

d Nostis quomodo vobiscum conuersatus sum. *Codex Graecus hoc loco habet συνανεστράφην, sed mendosè, vt opinor: cùm legendum sit συνανεστράφην, id est, conuersatus sum, & ita legit & vertit Interpres vetus.*

e Nec ex nomine eos appellare audeant. *Compellare enim quenquam proprio nomine, contemptum quendam prae se ferre videtur. Vult itaque Ignatius vt vxores eos appellent vel dominos, vel certè maritos. Quod & Apostolus Petrus praecipere velle videtur foeminis in Epistolâ suâ prouocans eas exemplo Sarae ad honorem maritis deferendum, quae Abraham virum suum appellabat dominum.*

H

f Nactus fuero *Heronem, Diaconum, intelligit; ad quem & de quo Epistolâ sequente: Credo, &c. quod ostendet mihi Deus Heronem super thronum meum.*

g Diaconissas. *Quanquam hodie nullus in Ecclesiis Diaconissarum vsus sit, olim tamen ordinem quendam Diaconissarum fuisse constat ex constitutionibus Apostolicis per D. Clementem conscriptis, captum iam ab ipsis Apostolorum temporibus. Harum officium erat foeminarum corpora ad Baptisma venientium, honestè nudare, & eadem vestire, ne quid inuerecundius sacerdotum oculis ingereretur: praeterea eorum officium erat (vt ex hoc loco etiam patet) vestibula ianuasque intra quas foeminae orabant reclusae, tempore sacrificij obseruare. Eiusmodi & Phoeben illam fuisse opinor, per quam missa est e Corintho Epistola ad Romanos scripta ab Apostolo, quae Diacona siue Diaconissa fuit Ecclesiae Cenchreensis.*

EIVS

EIVSDEM AD HERONEM Diaconum Antiochiæ, de officio Diaconi.

EPISTOLA XIII.

IGnatius, qui & Theophorus, à Deo honorato, exoptatissimo, ornatissimo, Christo Spiritúque pleno germano filio in fide & charitate Heroni Diacono Christi, famulo Dei: Gratia, misericordia, & pax ab omnipotenti Deo, & Christo Iesu Domino nostro vnigenito eius filio, qui tradidit semetipsum pro peccatis nostris, vt eriperet nos ex sæculo hoc maligno, & saluaret in regnum suum cœleste.

Obsecro te in Deo, vt adiicias ad cursum tuum, & dignitatem tuam vindices & tuearis. Concordiæ erga cunctos curam habe: imbecilliores gesta, vt impleas legem Christi. Ieiuniis & precibus vaca, at caue, ne immodicè id agas, ne ipse te deiicias: vino & carnibus ne prorsus abstineas, nec enim abominanda sunt. [*Ieiunij modus.*] *Bona terra*, inquit, *comedetis*: Et, *Edite carnes & olera*: Et, *Vinum lætificat cor hominis*: Et, *oleum exhilarat*: Et, *panis confirmat*. Sed omnia hæc moderatè vsurpa, velut Deo suppeditante. Quis enim edet, quis bibet sine eo? Quodcunque fuerit bonum, ipsius est, quodcunque fuerit commodum, ipsius est. Lectioni attende, vt non modò ipse leges noueris, sed & aliis easdem interpreteris, vt Dei athleta: [2. Tim. 2. 2.] *Nemo militans implicat se negotiis secularibus*, vt ei placeat, qui illum in militiam ascripsit. *Si quis autem certauerit, non coronabitur, nisi legitimè certauerit.* Pro animâ tuâ, libens meam commutauerim ego vinctus. Quicunque dixerit quippiam præter ea, quæ constituta sunt: tametsi fide dignus sit, quamuis ieiunet, quamuis in virginitate degat, quamuis signa edat, quamuis prophetet: pro lupo illum habeas, quique sub ouinâ pelle exitium pestémque adfert ouibus. [*Habēdus est pro lupo, quisquis præter traditionē docet.*] Si quis crucem neget, quémque crucis pudeat, sit tibi vt ipse aduersarius, tametsi omnia distribuat pauperibus, tametsi tradat corpus suum incendio, sit tibi detestandus. Si quis aspernatur Legem aut Prophetas, quos Christus præsens impleuit, sit tibi vt Antichristus. Si quis Christum dicat solum hominem, Iudæus est Christi interfector. *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.* Pupillis patrocinare: Deus enim pater est orphanorum, & iudex viduarum. Nihil sine Episcopis facito. Sacerdotes enim sunt, tu verò sacerdotum minister: [*Diaconi minist-i sacerdotum.*] baptizant, sacrificant, eligunt, manus imponunt: tu verò illis ministras, vt sanctus ille Stephanus Iacobo & presbyteris, qui erant Hierosolymis. Synaxes ne negligas, omnes nominatim inquire. [*Synaxes.* 1. Tim. 4.] *Adolescentiam tuam nemo contemnat*, sed forma esto fidelium in verbo & conuersatione: famulorum te non pudeat, communis est enim & illis & nobis natura. Fœminas non abominaberis, ipsæ enim te genuerunt & educarunt: amare itaque eas oportet, vt auctores natiuitatis nostræ verùm duntaxat in Domino: [*Mulieres amandæ in Domino, & honorandæ.*] sine fœminâ enim nunquam liberos procreabit vir. Honorare itaque oportet cooperatrices generationis nostræ. Nec vir sine muliere, nec mulier sine viro, nisi in Protoplastis. Adæ namque corpus ex quatuor elementis confectum est, Euæ corpus ex ipsius Adæ latere, & insolens admirandusque partus ille Domini, ex solâ Virgine, non quòd detestanda sit legitima commixtio, sed quod eiusmodi partus decebat Deum. [*Christus cur natus sit ex virgine.*] Decebat namque Creatorem, non consueto, sed peregrino & admirando vti partu: vtpote omnium opificem. Superbiam fuge, superbis enim Deus resistit. Mendacium detestare: [Psal. 5.] *Perdes* enim, inquit, *omnes, qui loquuntur mendacium.* Inuidiam fuge, auctor enim illius diabolus est, & successor Cain, qui inuidiâ stimulatus est. Sorores meas hortare vt Deum ament, & solis viris suis contentæ sint: itidem hortare & fratres meos, vt vxoribus suis contenti sint. Virgines serua, vt pretiosa Christi monilia. [*Virgines seruandæ.*] Longanimis esto, vt prudentia in te cumuletur. Pauperes noli negligere, sicubi copia tibi adsit. Eleemosynâ enim & fide expiantur peccata. Teipsum castum custodi, vt Christi habitaculum; templum Christi es, Spiritûs es instrumentum. Nosti quomodo te enutriuerim, etsi minimus sum, æmulator mei esto, imitare conuersationem meam: non glorior in mundo, sed in Domino: Heronem filium meum adhortor. [1. Cor. 10.] *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Fruar te, filiole exoptate, quem custodiat solus ingenitus Deus, & Dominus Iesus Christus. Ne omnibus credas, ne omnibus confidas, neque si quis blandiatur tibi. Multi enim sunt ministri Satanæ: Et, [Eccl. 19] *qui citò credit, leuis est corde.* Memento Dei, & non peccabis: *ne sis duplex animo in precatione tuâ*: Beatus enim qui non ambigit. Credo enim in Patrem Domini Iesu Christi, & in vnigenitum eius filium, quòd ostendet mihi Deus Heronem super thronum meum. Præcipio tibi coram Deo vniuersorum, & coram Christo præsente, & sancto Spiritu, & ministratoriis Angelorum ordinibus, custodi depositum meum, quod ego & Christus tibi commendauimus. Nec indignum te iudica iis quæ de te ostensa sunt à Deo. Commendo tibi Ecclesiam Antiochenam, Polycarpo vos commendaui in Domino Iesu Christo. [*Sancti Diaconi.*] Salutant te Episcopi, Onesimus, Bitus, Demas, Polybius, & omnes qui sunt Philippis in Christo, vnde & hæc vobis scripsi. Saluto diuinis dotibus ornatum presbyterium. Saluto sanctos Condiaconos tuos, quibus ego fruar & corpore & spiritu. Saluta populum Domini nominatim, à paruo vsque ad magnum, quos commendo tibi, vt Moses Iosuë post se duci exercitûs. [Deut. 31] Nec graue tibi videatur aut insolens quod à nobis dictum est: etsi enim non sumus tales, quales illi: verùm optamus tales fieri, quandoquidem & Abrahæ filij sumus. Esto itaque robustus ô Hero, virili & heroïco animo esto. Tu enim introduces & educes posthac populum Domini, qui est Antiochiæ, & non erit grex Domini velut oues quibus non est pastor. Saluta Cassianum hospitem meum, & pudicissimam eius coniugem, & charissimos eorum liberos, quibus det Deus inuenire misericordiam à Domino in die illâ, propter officium & ministerium erga nos, quos & commendo tibi in Christo. Saluta omnes fideles, nominatim, qui sunt Laodiceæ, eosque qui Tarsi sunt ne negligas, sed studio magis continuò eos respice & visita, confirmans eos in Euangelio. Marin Episcopum Neapoleos, quæ est propè Anazarbon, salutabis in Domino. Saluta quoque pudicissimam Mariam filiam meam eruditissimam, *a* & quæ in domo illius est Ecclesiam, pro cuius animâ meam libens commutem, quæ specimen est piarum fœminarum. Incolumem te & in omnibus probatum, pater Christi per suum vnigenitum custodiat longissimo vitæ spatio ad Ecclesiæ suæ vtilitatem. Vale in Domino, & ora, vt consummer, Christoque consecrer.

a Mariam filiam meam eruditissimam. *Mariam Cassobolitem intelligit, quam ob crebrò citata Scripturarum loca, laudat Epistola 4.*

EIVSDEM AD EPHESIOS, VT ONESIMVM Episcopum reuereantur, & de variis vitæ Christianæ officiis.

EPISTOLA XIV.

IGnatius, qui & Theophorus, benedictæ in magnitudine Dei Patris per plenitudinem, prædestinatæ ante sæcula, vt esset semper ad stabilem gloriam & incommutabilem *a* vnitam & electam in verâ passione, per voluntatem Dei Patris, & Domini nostri Iesu Christi Saluatoris nostri, Ecclesiæ beatissimæ quæ est Ephesi in Asia, plurimam in Christo Iesu, & gaudio inculpato, Salutem. [*Gaudium inculpatum.*]

Commendaui vestrum in Deo *b* exprobatissimum nomen quòd possidetis naturâ iustâ, secundum fidem & charitatem in Christo Iesu Saluatore nostro, cùm imitatores sitis clementiæ Dei, excitantes in vobis ignem charitatis per sanguinem Christi, cognatum opus omnibus suis numeris absoluistis, postquam audistis me vinctum à Syriâ abduci (idque pro Christo communi spe nostrâ) confisum, vestris precibus me consecuturum, vt Romæ aduersus bestias pugnem, quo per martyrium discipulus esse possim illius qui seipsum pro nobis obtulit Deo Patri oblationem

& hostiam posteaquam itaque numerosam vestram multitudinem in Onesimo, viro nunquam satis ob charitatem prædicando, vestro autem Episcopo, exceperim, quem opto, iuxta Christum Iesum vos amare, omnésque vos illius similes esse. Benedictus Deus, qui donauit vobis, qui tales estis, talem habere in Christo Episcopum. De Birrho autem conseruo nostro, & secundùm Deum Diacono vestro, & in omnibus benedicto, oro vt inculpatus permaneat ad Ecclesiæ honorem, & beatissimi Episcopi vestri. Crocus autem, & Deo & vobis dignus, quem velut exemplar vestræ charitatis accepimus, per omnia me recreauit, & illum catenæ meæ non puduit, quomodo & ipsum refrigeret Pater Iesu Christi, vnà cum Onesimo, Birrho, Euploe & Frontone, per quos, omnes vos, quoad charitatem vidi. Fruar vobis perpetuò, si dignus fuero. Decet itaque vos omnibus modis glorificare Dominum Iesum Christum, qui glorificauit vos, vt obedientiâ vnâ sitis perfecti, eâdem mente, eâdémque sententiâ, idemque dicatis de eodem omnes, vt subiecti Episcopo & presbyteris, per omnia sitis sanctificati. Non præcipio vobis quasi sim aliquid, quamuis enim vinctus sum propter nomen eius, nec dum tamen perfectus sum in Christo Iesu. Nunc incipio discipulus esse, & alloquor vos vt conseruus. Oportebat enim, vt vos me commonefaceretis fide, admonitione, patientiâ, longanimitate: at quando charitas non sinit me tacere de vobis: propterea anteuerti vos admonere, vt coaptetis vos Dei voluntati: etenim Iesus Christus omnia facit iuxta voluntatem Patris, vt ipse quodam loco dicit: *Ego quæ illi placita sunt, facio semper.* Igitur & nos oportet viuere iuxta voluntatem Dei in Christo, & eum sectari, vt Paulus: *Imitatores* enim *mei*, inquit, *estote, sicut & ego Christi.* Hinc & vos decet accedere sententiæ Episcopi, qui secundùm Deum vos pascit, quemadmodum & facitis edocti à Spiritu. Nam memorabile sacerdotum vestrorum collegium dignum Deo, coaptatum consentitque Episcopo, vt chordæ ipsi citharæ, ita colligari consensu & concordi charitate: cuius & dux & custos Iesus Christus, & vos singuli vnus chorus este, vt per concordiam in nullo discrepantes, Deóque coniuncti per vnitatem vnum sitis concordiâ animorum Deo Patri & dilecto filio eius Iesu Christo Domino nostro. *Da* enim *ipsis*, inquit, *Pater sancte, vt sicut ego & tu vnum sumus, & ipsi in nobis vnum sint.* Vtile itaque vobis est per inculpatam vnitatem coniunctos Deo, imitatores esse Christi, cuius & membra estis. Si enim ego breui temporis spatio talem consuetudinem contraxi cum Episcopo vestro, quæ non humana, sed spiritualis est: quantò vos beatiores iudico, qui dependetis ab illo, vt Ecclesia à Domino Iesu, & Dominus à Deo Patre suo, vt omnia per vnitatem consentiant? Nemo erret: Nisi quis intra Altaris septa sit, priuatur pane Dei. Si enim vnius atque alterius precatio tantarum virium est, vt Christum inter illos statuat: quantò plus Episcopi & totius Ecclesiæ oratio consona, ascendens ad Deum exorabit, vt omnia, quæ petierint in Christo, dentur ipsis? Quisquis igitur ab huiusmodi separat se, nec consentit voluntati sacrificiorum aut Ecclesiæ primogenitorum conscriptorum in cœlis: lupus est, sub ouinâ pelle faciem indutus mansuetam. Enitimini, charissimi, subiecti esse Episcopo, & Presbyteris, & Diaconis. Qui enim his obedit, obedit Christo, qui hos constituit. Qui verò his reluctatur, reluctatur Christo Iesu, qui autem non obedit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Præfractus enim, contentiosus, & superbus est, qui non obtemperat præstantioribus. *Superbis* autem, inquit, *resistit Deus: humilibus autem dat gratiam.* Et: *Superbi iniquè agebant vsquequaque.* Dicit quoque Dominus ad sacerdotes: *Qui vos audit, me audit, & qui me audit, audit Patrem, qui misit me: Qui autem spernit vos, me spernit, qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.* Quantò itaque taciturniorem videritis Episcopum, tantò magis eum reueremini. Quemcunque enim paterfamilias mittit ad gubernandam familiam, hunc ita accipere debetis, vt illum ipsum qui mittit. Episcopum igitur profectò aspicere oportet vt ipsum Dominum, cùm Domino assistat. Regibus autem assistere oportet perspicacem & acrem operibus virum: non autem oportet segnibus hominibus, eiusmodi assistere. Onesimus supra modum laudat vestrum decentem compositúmque ordinem, quódque omnes secundùm veritatem viuitis, & quòd inter vos nullus sit hæresi locus, sed nec auditur nomen vllius, quàm solius Iesu Christi veri pastoris & magistri: & estis, vt Paulus vobis scripsit: *vnum corpus, & vnus spiritus*, propterea quòd *vocati estis in vnâ spe vocationis vestræ. Quandoquidem & vnus Dominus, vna fides, & vnum baptisma, vnus Deus Pater omnium, & in omnibus.* Vos itaque estis eiusmodi, à talibus instructoribus eruditi, à Paulo Christi pleno, & fidissimo Timotheo. *c* Nonnulli autem improbissimi solent, malo dolo, nomen quidem circumferre: sed patrant quædam indigna Deo, & sentiunt ea, quæ pugnant cum Dei doctrinâ, in exitium proprium & eorum qui illis credunt, quos oportet vos, vt feras euitare. Iustus enim declinans saluabitur: at velox iámque parata, & quæ gaudium ferat aliis, impiorum perditio. *Sunt* enim *canes muti, non valentes latrare*, rabidi, clam mordentes, quos vitare oportet: laborant enim incurabili morbo. Medicus autem est solus Deus ingenitus, & inaccessus, vniuersorúmque Dominus, vnigeniti autem Pater & Genitor. *d* Habemus etiam medicum Iesum Christum, ante sæcula vnigenitum & verbum: postea verò & hominem factum ex Mariâ Virgine. *Verbum* enim *caro factum est*, incorporeus in corpore, impassibilis in corpore passibili, immortalis in corpore mortali, vita in corruptione, vt à mortis corruptione liberaret & curaret animas nostras, impietate & malis concupiscentiis ægras. Ne quis igitur vos seducat, sicut nec seducimini, toti namque estis Dei. Cùm enim nulla in vobis sit concupiscentia, quæ vos inquinet & supplicium adferat, profectò secundùm Deum viuitis. Et erit Christi purgamentum vestrum, & purissimæ Ephesiorum Ecclesiæ, celeberrimæque & ab omnibus plurimùm laudandæ sæculis. Carnales spiritualia exercere nequeunt. Igitur nec fides, quæ incredulitatis sunt: nec incredulitas, quæ fidei sunt. Vos autem pleni sancto Spiritu, nil carnale, sed spiritualia omnia exercetis. In Christo Iesu perficimini, qui Saluator est omnium hominum: maximè autem fidelium. Noui nonnullos per vos transeuntes habere peruersam doctrinam peregrini & maligni Spiritus, quibus negastis transitum ad spargendum zizania, obturatis auribus, ne reciperetis errorem, quem docent: persuasum habentes, spiritum illum populi seductorem, non Christi sed sua ipsius loqui: Mendax enim est. Sanctus autem Spiritus non sua, sed Christi loquitur, nec à seipso sed à Domino: quemadmodum & Dominus, ea quæ à Patre accepit, annuntiauit nobis: *Sermo* enim, inquit, *quem audistis, non est meus, sed qui misit me Patris.* Et de Spiritu sancto: *Non loquitur*, inquit, *à seipso, sed quæcunque audierit à me.* Et de seipso loquitur ad Patrem: *Glorificaui te super terram, opus quod dedisti mihi, consummaui, manifestaui nomen tuum hominibus.* Et de Spiritu sancto: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Verùm erraticus ille & falsus spiritus, seipsum prædicat: sua loquitur: sibi namque placet; seipsum glorificat: plenus enim fastu est, mendax, fraudulentus, assentatione & adulatione gaudens, subdolus, *e* versuum consarcinator, nugax, inconstans, verbosus, lubricus, meticulosus, à cuius vi liberet vos Iesus Christus, qui supra petram vos fundauit ceu lapides electos, coaptatos in diuinum Patris ædificium, sublatos in alta per Christum pro nobis crucifixum, sancto Spiritu vtentes pro perpendiculo, fide subuectos, charitate eleuatos à terrâ ad cœlum, vnà cum immaculatis ambulantes. *Beati* namque, inquit, *immaculati in viâ, qui ambulant in lege Domini.* Porrò via omnis erroris expers est Iesus Christus: *Ego* enim, inquit, *via, veritas & vita.* Ducit via ad Patrem: *Nemo* enim *venit ad Patrem nisi per me.* Beati itaque estis vos, qui Deo Spirituque pleni, qui templum, qui sancta fertis, per omnia ornati præceptis Iesu Christi, regale sacerdotium, gens sancta, populus quem Deus sibi peculiariter vendicauit: propter quos exulto, dignus habitus verba communicare cum sanctis qui sunt Ephesi, fidelibus in

E

Segnes procul à regibus esse oportet.

Pauli Epistola ad Ephesios. Ephes. 4.

Esa. 56.

F

Ioan. 2.

G

Ephesi transitum negauerunt hæreticis.

Ioan. 14.

Ioan. 16.

Ioan. 17.

Hæreticorū spiritus erraticus.

H

Ioan. 16.

Dæmon, versuum consarcinator.

Psal. 118.

Ioan. 14.

A

Christo Iesu. * per quos scribo. Gaudeo itaque de vobis, quòd non attendatis vanitati, neque carnaliter vos mutuo amatis, sed iuxta Dei præceptum & pro aliis hominibus indesinenter oratis: est enim ipsis spes pœnitentiæ, quod Deum nancifcentur: *Num enim qui cadit, non resurget?* & qui auertit, non conuertitur? Conuertite itaque ipsos, vt vestræ disciplinæ se tradant. Estote ministri Dei, & os Christi. *Si separaueritis pretiosum à vili, quasi os meum eritis.* Sitis vos aduersus iras eorum, humiles: eorum maledictis opponite vos intensas continuasque preces. Ipsis errantibus, vos firmi permanete in fide: efferos mores illorum mansuetudine vincite: iracundiam, lenitate. *Beati* enim *mites. Et Moses mitis erat super omnes homines*, & Dauid admodum mansuetus. Quare admonet Paulus inquiens: Seruum Domini non oportet depugnare, sed mansuetum esse erga omnes, aptum ad docendum, patientem, docentem cum mansuetudine eos, qui refragantur: non emitores vt vlciscamur nos de iis, qui nos lædunt: *Si retribui*, inquit, *retribuentibus mihi mala.* Efficiamus eos nobis fratres ciuilitate & humanitate. Dicite autem audientibus vos: *Fratres nostri estis*, vt nomen Domini glorificetur, & imitemur Dominum, qui conuiriis læsus non regessit conuitia, cùm crucifigeretur, non obnitebatur: *Cum pateretur, non comminabatur*, sed pro inimicis orabat: *Pater dimitte illis, nesciunt quid faciunt.* Si quis plus læsus plura tolerer, hic beatus est. Si quis defraudatur, si quis spernitur propter nomen Domini, hic verè est Christi. Cauete, ne germen diaboli in vobis inueniatur, amarum est enim & salsum quid. Sobrij estote & temperantes in Christo Iesu. Nouissima iam sunt tempora, reuereamur & timeamus Dei longanimitatem, *ne diuitias bonitatis & patientia eius contemnamus.* Aut enim futuram timeamus iram, aut præsens gaudium in hac vitâ amemus: nimirum vt in Christo Iesu ad veram obtinendam vitam & sine hoc ne respirare quidem aliquando velitis. Hic enim mea spes, hic mea gloriatio, hic meæ indeficientes diuitiæ, in quo, à Syriâ Romam vsque hæc vincula circumfero spirituales margaritas, in quibus contingat mihi consummari precibus vestris, & participem fieri passionum Christi, & morti ipsius & ex mortuis resurrectionis, & vitæ æternæ consortem, quam faxit Deus vt assequar, vt inueniar in sorte Ephesiorum Christianorum, qui & cum Apostolis in virtute Iesu Christi semper conuersati sunt, Paulo, Ioanne, & fidelissimo Timotheo. Scio qui sum, & quibus scribo. Ego minimus Ignatius, similis iis qui periculo & indicio obnoxij sunt: vos autem misericordiam assecuti, firmati in Christo Iesu. Traditus quidem sum vnus è numero eorum qui propter Christum interempti sunt à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Ignatij minimi. Pauli symmystæ estis, qui sanctificatus & testimonium consecutus est, quod vas electionis sit. Contingat mihi, vt ad eius & reliquorum sanctorum vestigia locum inueniam, vbi Iesum Christum nactus fuero, qui semper in precibus suis est memor vestri. Date itaque operam, vt crebrius congregemini ad Eucharistiam & gloriam Dei. Quando enim sæpius in idem loci conuenitis, labefactantur vires Satanæ, & ignita illius ad peccatum iacula irrita resiliunt: vestra enim concordia & consensus fidei, exitium illius & satellitum eius supplicium est. * Nil præstantius pace Christi, qua frangitur abolcturque omne bellum tam aëriorum quàm terrenorum spirituum. *Nec enim luctandum nobis est aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principatus & potestates, aduersus Imperatores tenebrarum, aduersus spiritualia nequitia in cælestibus.* Non itaque vos lædet aliqua diabolicâ cogitatio, si vt Paulus perfectam habueritis in Christum & fidem & charitatem, quæ initium vitæ & finis est. Principium vitæ, fides, finis eiusdem, charitas: hæc autem duo quoties in vnum coeunt, Dei hominem perficiunt: Omnia verò alia, ad probitatem consectanea sunt. Nemo qui fidem prædicat, peccare debet, nec qui charitatem possidet, odisse fratrem. Qui enim dixit: *Diliges Dominum Deum tuum*, etiam dixit: *Et proximum tuum sicut teipsum.* Qui profitentur se Christi esse: non modò ex iis quæ dicunt, sed & ex iis quæ faciunt, cognoscuntur: *Ex fructu* enim *arbor dignoscitur.* Præstat enim esse & tacere, quàm loqui & non esse. *Non in sermone regnum Dei*, sed in virtute, *Corde creditur, ore fit confessio*: illo quidem *ad iustitiam, hoc verò ad salutem.* Bonum est docere, si qui dicit, idem faciat: Qui namque *fecerit & docuerit, hic magnus in regno cælorum.* Dominus noster & Deus Iesus Christus filius Dei viuentis *primum fecit*, & tunc docuit, vt testatur Lucas, cuius laus est in Euangelio. Nihil latet Dominum, sed & arcana nostra in illius conspectu. Omnia itaque faciamus, vt Deo in nobis habitante: vt illius simus templum, & ipse in nobis Deus. Christus in vobis loquitur, vt in Paulo Spiritus sanctus doceat & vos, ad illius similitudinem et loqui quæ Christi sunt. Nec erretis fratres mei: Familiarum corruptores regnum Dei non hæreditabunt. Si autem ij, qui humanas domos corrumpunt, morte plectuntur: quantò grauiores pœnas dabunt, qui molliuntur Christi doctrinam adulterare, pro quâ crucem & mortem sustinuit Dominus Iesus Dei vnicus filius: cuius doctrinam si quis impinguatus & dilatatus spreuerit, in gehennam ibit? Similiter & omnis homo, qui discernendi vim à Deo accepit, supplicio subiicietur, si imperitum sequatur pastorem, falsam opinionem amplectatur pro verâ. *Quæ communio lucis cum tenebris? Christo cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? aut templo Dei cum Idolis?* Ego verò etiam dico: Quæ communio veritatis cum mendacio? aut iustitiæ cum iniustitiâ? aut veræ opinioni cum falsâ? Ob id & Dominus *in capite* accepit *vnguentum*, * vt Ecclesia spiret incorruptionem. *Vnguentum enim effusum est nomen tuum, propterea adolescentulæ dilexerunt te, post te in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Non vngatur retro aliquo odore nimirum doctrinâ huius sæculi, sancta Dei Ecclesia, non captiuetur illius astutiâ, vt prima illa mulierum. Cur enim, cùm ratione vtamur, non sumus prudentes? Cur acceptâ à Christo insitâ nobis diiudicandi facultate, in ignorantiam prolabimur: & per socordiam, non agnoscentes donum quod accepimus, imprudenter perimus? Crux Christi incredulis scandalum est: credentibus verò, salus, & vita æterna. *Vbi sapiens?* vbi disputator? vbi gloriatio eorum, qui dicuntur potentes? Filius enim Dei ante sæcula genitus, vbi iuxta Patris voluntatem & arbitrium omnia condidisset: is in vtero gestatus est, ex Mariâ iuxta dispensationem natus est ex semine Dauid, conceptus de Spiritu sancto: *Ecce* enim, inquit, *Virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabitur Emanuel.* Hic natus est, hic à Ioanne baptizatus est, vt ratum faceret oraculum à Deo traditum Prophetæ: & principem huius mundi latuit Mariæ virginitas, & partus ipsius, similiter & mors Domini. Tria mysteria clamoris, quæ silentio patrata sunt, at nobis manifestata sunt: Stella fulsit, splendore exuperans omnes quotquot ante fuerant. Lux enim illius inenarrabilis erat, & stuporem incussit omnibus aspicientibus eam, tel nouitas. Omnia autem reliqua astra vnà cum Sole & Lunâ, chorus fuêre stellæ illius: ipsa verò claritate exuperabat omnes, turbabantúrque, vnde prodiret hæc, quæ apparebat nouitas: hinc euanuit mundi sapientia: præstigiæ, factæ sunt nugæ, magia, risus, omnes ritus malitiæ aboliti, ignorantiæ caligo fugata, & tyrannicus principatus destructus; cùm Deus vt homo apparuit, & homo vt Deus operabatur. Verùm nec illud opinio erat; nec hoc erat mera humanitas: sed illud, veritas hoc, dispensatio. Principatum verò accepit id, quod à Deo omnibus suis partibus absolutum erat, & vnde omnia commouebantur, quòd meditaretur mortis abolitionem. Firmi state, fratres, in fide Iesu Christi, & in eius charitate, in passione eius, & in resurrectione. Omnes nominatim congregamini, vna & communi fide Dei Patris, & Iesu Christi vnigeniti illius filij, qui & primogenitus est omnis creaturæ: iuxta carnem verò ex genere Dauid, ducem sequentes Paracletum: obedientes Episcopo & Presbyterio mente indiuulsâ: frangentes panem vnum, quod pharmacum immortalitatis est, mortis Antidotum, vitámque in Deo

Marginalia: * *Forte melius, ad quos.* Psal. 40. — *Vita Christiana efficia.* — Matt. 5. Num. 12. — 2. Tim. 2. — B — Psal. 7. — 1. Petr. 2. — Luc. 23. — *Nouissima tempora.* Rom. 2. — C — *S. Ignatij humilitas.* — D — *Eucharistia. Conuentionum Ecclesiasticarum fructus.* — * *Damascenus. Parallelorum. 2. lib. cap. 18.* — *Pax Christi.* — *Fides & charitas hominem perficiunt.*

concilians per Iesum Christum medicamentum purgans vitia,& omnia pellens mala. Vtinam meam pro vestrâ liceat commutare animam, & pro iis quos ad honorem Dei misistis Smyrnam, vnde & scribo vobis, gratias agens Domino, diligens Polycarpum sicut & vos. Memineritis mei, sicut & vestri Iesus Christus benedictus in sæcula. Orate pro Ecclesiâ Antiochenâ, quæ est in Syriâ, vnde vinctus Romam abducor, nouissimus fidelium eorum, qui ibi sunt, qui ad honorem Dei has gestare catenas dignus habitus sum, valete in Deo Patre & Domino Iesu Christo, communi spe nostrâ, in Spiritu sancto. Valete, Amen. Gratia.

IN SANCTI IGNATII MARTYRIS Epistolam 14. Scholia.

a Ad stabilem gloriam, & incommutabilem, vnitam, & electam. *Clarior sensus esset, si Accusatiui illi* vnitam electam, *in Datiuo casu, ad Ecclesiam referantur, & legamus, Vnita & electa.*

b Vestrum in Deo exoptatissimum nomen. *Alludit ad Ephesiorum nomen: nam* ἔφεσις *Græcè, desiderium est Latinè.*

c Fidissimo Timotheo. *Rogauit Timotheum Apostolus, vt remaneret Ephesi, vt denuntiaret quibusdam, ne aliter docerent, &c. 1. Tim. 1. a*

d Vnigeniti autem Pater & Genitor. *Hæc citat (quanquam paulò aliter) Theodoritus Cyrensis, in Eraniste, Dialogi 1. & eo non multò posterior Gelasius 1. pp. in libro de 2. naturis in Christo, contra Eutychem.*

e Subdolus. *Nam versibus ferè respondebant consulti dæmones, & subinde Homericis.*

f Tria mysteria clamoris. *Clamorem illum mihi significare videtur Ignatius, quem edidit Christus iam emittens spiritum in cruce. Huius itaque clamoris mysterium explicat hoc loco Ignatius, nimirum Christum in hoc clamore significasse per fidem Euangelicam omnibus reuelanda, quæ certâ dispensatione antè clausa & occulta erant etiam dæmonibus.*

g Omnibus suis partibus absolutum, &c. *Per id quod omnibus suis partibus absolutum est, significare mihi videtur Christi humanitatem, quo nihil vnquam absolutius aut perfectius fuit in naturâ humanâ. Christus autem iuxta humanitatem assumptam morte principatum accepit à Deo Patre. Vnde apud Matthæum cap. vltimo: Data mihi est, inquit, omnis potestas in cælo & in terrâ. Quare minus rectè hoc loco, Morelius Græcam vocem, quæ polysema & ambigua est, vertit, per initium. Vetus interpres, quamuis in plurimis hallucinatus est, hoc loco vertit Principatum.*

EIVSDEM AD ROMANOS, ne Martyrium eius impediant.

EPISTOLA XV.

Totam hanc, S. Ignatij ad Romanos, Epistolam ad verbum transcripsit Simeon Metaphrastes in historiâ Martyrij eiusdem S. Ignatij: Eiusdem verò Epistolæ Argumentum mihi videtur his paucis perstrinxisse. *Cum videret autem Smyrnenses,* inquit, *valde perturbatos, & quodam modo pendentes ab illius animâ, & non ferendum damnum existimantes, separationem eius & mortem: de Romanis timens ne ipsi quoque similiter affecti non sustinerent videre eum tradi bestiis, sed manus afferrent iis quibus mandatum erat, vt eum traderent, & ei clauderent apertam Martyrij ianuam, statuit mittere ad eos, vt ij quoque orarent pro eo, ne exercitationis sua cursus ei impediretur, sed per feras citò resolueretur ad dilectum Dominum.*

[margin: ecclesia romana ...]

IGnatius, qui & Theophorus, misericordiam consecutæ in magnificentiâ altissimi Dei Patris, & Iesu Christi vnigeniti filij, Ecclesiæ sanctificatæ & illuminatæ per voluntatem Dei operati omnia, quæ pertinent ad fidem & claritatem Iesu Christi Dei & Saluatoris nostri, quæ præsidet in loco Romanæ regionis, Deo digna, decentissima, beatificanda, laudanda, digna qua quis potiatur, castissima, & eximiæ charitatis, Christi & Patris nomine fruens, Spirituque plena, quam & saluto in nomine Patris omnipotentis, & Iesu Christi filij ipsius, qui & spiritu & corpore coniuncti sunt omnibus mandatis ipsius, repleti omni gratiâ Dei absque hæsitatione, & repurgati ab omni alieno colore, plurimùm, in Deo Patre & Domino nostro Iesu Christo, immaculatè gaudere iubeo.

Deprecatus Deum, obtinui, vt viderem diuinas vestras facies, quas plurimùm expetebam: Vinctus enim in Christo Iesu, spero me salutaturum vos, si voluntas Dei sit, vt dignus iudicer ad metam peruenire: exordium enim faustum est, & benè se habet, si modò gratiam consequar, vt sortem meam sine impedimento ad finem vsque percipiam. Metuo enim charitatem vestram, ne ipsa me lædat: vobis enim facile est, quod vultis, facere, mihi verò, difficile est Deum assequi, si vos mihi peperceritis prætextu carnalis amicitiæ. Nolo autem vos hominibus, sed Deo placere, sicut & placetis, nec enim ego habiturus sum eiusmodi occasionem Deum assequendi, nec vos, si taceatis, præstantiori operi subscribere poteritis. Si enim de me tacueritis, ego Dei fiam: Si verò carnem meam dilexeritis, denuò currendum erit mihi. At vos potius operam date, vt immoler Deo, quandoquidem adhuc altare paratum est, vt in charitate chorum constituentes canatis Patri & Christo Iesu, quòd Episcopum Syriæ voluit inueniri, ab Oriente in Occidentem accersitum, testem suarum passionum vocans, vt è mundo ad Deum profectus in ipso exoriar. Nunquam inuidistis cuiquam, alios docuistis. Ego autem volo, vt & illa rata sint, quæ docentes præcipitis: id solùm petite mihi, vt vires & intus & foris suppetant, vt non modò dicam, sed & velim, vt non solùm dicar Christianus, sed & inueniar. Si enim inuentus fuero, etiam dici potero, & tunc fidelis esse cùm mundo non apparuero. Nihil perpetuum quod videtur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna. Non persuasionis hoc opus, sed magnitudinis est. Christianus cùm odio habetur à mundo, diligitur à Deo: *Si enim de mundo,* inquit, *fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: nunc verò non estis de mundo, sed ego vos elegi de mundo, manete apud me.* Ego omnibus Ecclesiis scribo, quòd voluntarius morior, si modò vos non prohibueritis. Obsecro vos ne intempestiuâ beneuolentiâ me complectamini. Sinite me ferarũ escam fieri, per quas licebit Deum adipisci: frumentum sum Dei, dentibus ferarum molar, vt mundus panis Dei inueniar. Imò blanditiis demulcete potius feras, vt mihi sepulchrum fiant, vt nihil de corpore meo relinquant, ne mortuus, molestus cuiquã inueniar. Tunc ero verus Iesu Christi discipulus, cùm mundus nec corpus meum viderit. Deprecemini Dominum pro me, vt per hæc instrumenta, Deo efficiar hostia. Non vt Petrus & Paulus hæc præcipio vobis: Illi Apostoli, Iesu Christi: ego verò minimus. Illi liberi vere serui Dei: ego verò etiamnum seruus: at si passus fuero, libertus fiam Iesu Christi, & resurgam in illo liber. Nunc in ipso vinctus, disco nil mundanum concupiscere aut vanum. * A Syriâ Romam vsque terrâ marique cum bestiis depugno, noctu diúque alligatus decem Leopardis, quæ est militaris custodia, qui & beneficio affecti peiores fiunt, at ego eorum iniuriis magis eruditor, verùm non in hoc iustificatus sum. Fruar bestiis mihi paratis, quas opto truculentiores mihi inueniri, quas & blanditiis demulcebo, vt crudelius me deuorent, non vt quosdam, metuentes non attigerunt: & illæ si spontè nolint, ego illas vi adigam. Ignoscite mihi, » quid mihi vtile sit, ego noui. Nunc incipio discipulus » esse, cùm nihil expetam aut visibilium aut inuisibilium, » vt Iesum Christum assequar. Ignes, crux, ferarum con» cursus, sectiones, laniena, ossium dis̃cerptiones, mem» brorum concisiones, totius corporis solutio, diaboli tormenta in me veniant, tantummodo vt Iesum nanciscar. Nil me iuuabunt fines mundi, nec regna huius sæculi. Melius mihi emori propter Iesum Christum, quam

[margin: Ignatius Episcopus Syriæ.]

[margin: Ioan. 18]

[margin: * Locum hunc citat D. Hier. in Catalogo scriptorũ Ecclesiast. in vita S. Ignatij.]

imperare finibus terræ. *Quid enim prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Dominum desidero filium veri Dei & Patris Iesum Christum, illum quæro, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit. Ignoscite mihi, fratres, ne mihi impedimento sitis, ne ad vitam perueniam. Iesus enim est vita fidelium: Ne me velitis mori. Mors namque est, vita sine Christo: cùmque velitis me Dei esse, ne gratificemini mundo: Sinite me purum lumen haurire, cùm illic fuero, homo Dei ero. Permittite mihi vt æmulator sim passionis Christi Dei mei. Si quis ipsum hic possidet, intelligat quid volo, & compatiatur mihi, cùm sciat, quæ me constringunt. Princeps huius sæculi rapere me vult, & animam meam voluntatémque quam erga Deum habeo, corrumpere. Nullus itaque præsentium opituletur illi, potius, mei sitis, id est, Dei. Ne loquamini Iesum Christum, & mundum præferatis. Inuidia in vobis non habitet: neque si ego præsens vos obsecrem, obtemperetis, verùm his potius credite, quæ vobis scribo. Viuens enim scribo vobis, amore captus moriendi propter Christum. *Meus amor a crucifixus est*: Non est in me, ignis quippiam amans, sed aqua viua saliens in me, intus mihi dicit: Veni ad Patrem. Non gaudeo corruptibili nutrimento, nec voluptatibus huius vitæ: panem Dei volo, panem cœlestem, qui est caro Christi filij Dei, qui factus est posterioribus temporibus ex semine Dauid & Abrahæ: & potum volo sanguinem illius, *b* qui est charitas incorruptibilis & vita æterna. Nolo amplius secundùm hominem viuere: Id autem fiet, si vos velitis. Cum Christo crucifixus sum: *Viuo autem non amplius ego*, quandoquidem *in me viuit Christus*. Breuibus literis oro vos, ne mihi negetis. Credite mihi, quòd Iesum amo pro me traditum. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Ipse autem Deus & Pater, & Dominus Iesus Christus manifestabit vobis hæc, quòd verè dicam. Et vos vnà mecum orate, vt scopum assequar in Spiritu sancto. Non secundùm carnem vobis scripsi, sed secundùm Dei arbitrium. Si patiar, adamastis me; sin reiiciar, odistis me. Memores estote in precibus vestris Ecclesiæ, quæ est in Syriâ, quæ pro me, iam Christo pastore vtitur, qui dixit: *Ego sum pastor bonus*: & solus ipsam curabit visitabitque: & vestra in ipsum charitas. Me verò pudet, vnum de illorum numero dici, nec enim dignus sum, cùm nouissimus eorum sim & abortiuum quiddam: sed per misericordiam Dei obtinui, vt aliquis sim, si Deum assequar. Salutat vos meus spiritus, & charitas Ecclesiarum, quæ me acceperunt in nomine Iesu Christi, non quasi obiter prætereuntem: & quæ me nihil contingebant, deduxerunt, quà ad vrbem itur. Scribo autem vobis hæc à Smyrnâ per Ephesios meritò beatissimos. Est vnà mecum cum aliis multis, exoptatum mihi nomen, Crocus. De his qui è Syriâ Romam adeunt ad gloriam Dei, credo vos cognouisse, quibus & significate, me propè esse. Omnes enim sunt Deo digni, & vobis, quos decet vos, per omnia refocillare. Scripsi vobis hæc ante 9. Cal. Sept. Valete in perpetuum, in patientiâ Iesu Christi.

Panis cœlestis, caro Christi. & Christi sanguis, vita æterna.

Galat. 2

Psal. 115.

Ioan. 11.

IN SANCTI IGNATII MARTYRIS Epistolam vltimam, Scholia.

a Meus amor. *Scribit autem & D. Ignatius: Meus amor crucifixus est. D. Dionys. de diuinis nominibus, cap. 4.*

b Et potum volo sanguinem. *Codex Græcus hoc loco nisi mendosus sit, habet,* κ̀ πόμα θέλω τὸ αἷμα αὐτοῦ, *id est, & potum volo, potum ipsius. Sed cum vetus Interpres, & eum secutus Morelius, legant, Et potum volo sanguinem ipsius, constat exemplar vitiosum esse hoc loco, & secundo loco legendum, non* πόμα, *sed* αἷμα, *id est, sanguinem.*

EIVSDEM S. IGNATII MARTYRIS Epistolæ Genuinæ & non interpolatæ.

Quæ nunc primùm lucem vident ex Bibliothecâ Florentinâ.

BENEVOLO LECTORI S. P.

ITa est, Lector humanissime, quòd & Tu, & ego; sæpius animaduertimus: Omnia illa, quæ vel natura effinxerit, vel arte sint fabricata, illam habere conditionem; vt quæ in genere suo sint perfectiora, quanto diutius, & attentius, contemplemur, tanto pulcra magis, & artificiosa, intuentium oculis sese offerant. Simile quid mihi euenit in Ignatio; cuius nunquam epistolas relegi, quin semper aliquid noui, quo magis sese mihi probarent, in iis deprehenderim: quoties inquam illas in manus resumpsi, toties aliquid adparuit, vnde genuinum potuerim agnoscere scriptorem: nunc elegans illa simplicitas, & sæculo, quo vixit, conuenientissima; nunc rerum & verborum passim & vbique congruentia, ac veritas; nunc zelus & martyris feruor, qui cum alibi, tum maxime in epistolâ ad Romanos elucet; omnia denique autorem suum testabantur. Quo magis miror fuisse, qui non tantùm negarent, epistolas has esse Ignatij; sed nec dubitarint adfirmare, illum nullas omnino scripsisse. Non alio id argumento persuadere conabantur, quam eo, quod dicerent, neminem veterum ante Eusebium earum meminisse. Nam sententias, quæ apud Irenæum, & Origenem, extarent, eas ore pronuntiasse; non autem ex epistolis eius esse petitas. Non attenderunt viri doctissimi ad eum Origenis locum, qui extat homil. VI in Lucam: *Vnde elegarter in cuiusdam Martyris epistolâ scriptum reperi, Ignatium dico Episcopum Antiochiæ, post Petrum secundum, qui in persecutione Romæ pugnauit ad bestias; Principem sæculi huius latuit virginitas Mariæ* &c. Sed ad antiquiora veniamus, quo magis adpareat antiquitas, & veritas, Ignatij nostri, & error eorum, qui contrarium statuunt. Primus itaque, qui earum meminerit, is est Polycarpus Martyr in epistolâ ad Philippenses; cuius verba hæc sunt: *Epistolas sanè Ignatij, quæ transmissæ sunt vobis ab eo, & alias quantascunque apud nos habuimus, transmisimus vobis (secundum quod mandastis) quæ sunt subiectæ huic Epistolæ; ex quibus magnus erit vobis profectus. Continent enim fidē, patientiam & omnem ædificationem ad Dominum nostrum pertinentem.* Nemo iam possit dubitare, quin Polycarpus iste Ignatij habuerit epistolas, cui etiam vnam ex illis septem inscripsit, quod ipse testatur, cum ait, ἐγράψατέ μοι κ̀ ὑμεῖς, κ̀ Ἰγνάτιος. Superuixit autem Ignatio Polycarpus annis plusminus sexaginta. Hic iam rogo, quænam veri est similitudo, vt, Polycarpo viuente, veræ istæ Ignatij epistolæ fuerint suppressæ, & aliæ suppositæ? Nunquid eas perdidit Polycarpus, vt opus fuerit alias excogitare? Non puto, quemquam ita fore ridiculum, vt talia probet. Iam pergo: Si Polycarpus eas habuerit, vtique easdem habuit Irenæus, eius discipulus; qui illas citauit. Irenæum excipit Origenes, cuius iam verba vidimus. Nemo autem, puto, sit, qui existimet, diuersas fuisse Ignatij epistolas, quibus vsus est Origenes, ab illis, quas citat Eusebius. Eusebium sequuntur Athanasius, Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus, Antiochus, Damascenus, Photius, & innumeri alij; qui omnes vsi sunt testimonio Ignatij; & ita quidem, vt nunquam à quoquam inter Apocryphos sit relatus; quod tamen ne Noui quidem fœderis libri effugere omnes potuerunt. Cum itaque hic non interruptam habeamus seriem eorum, qui has epistolas approbauerunt: non video, quo argumento opinionem suam confirmare possint, qui aliud sentiunt. Lectæ sunt hactenus Ignatij epistolæ, prout ab interpolatore fuerant corruptæ: & tamen non defuere, qui iudicij acrimoniâ etiam verum in illis deprehendere potuerint. Veras iam exhibeo & genuinas, & testimoniis antiquorum vbique congruentes,

sed

sed eò iam confugiunt aduersarij, vt negent, Martyrem illum epistolas scripsisse. Sed fruantur illi opinione suâ: certus sum, paucos omnino fore, qui cum ipsis sentiant; qui vero id cum ratione faciat, neminem.

Quod autem pura, germanaque, iam legere possis scripta hæc Ignatiana, Beneuole Lector, Bibliothecæ Mediceæ debes; debes Serenissimo Principi FERDINANDO II. Magno Etruriæ Duci; cuius incredibili erga studia amore, inclytæ eius Bibliothecæ mihi contigit vsura, & per hanc Ignatianus ille, quem damus, thesaurus. Vtinam vero sic alij quoque principes animati forent; nec plerique auarè adeò sis pretium statuerunt, quasi aliquid suis de opibus deterereretur, si libri publicè potius vtiles forent, quam blattis & tineis absumendi relinquerentur: his enim, non suæ quidquam gloriæ adimerent, si Serenissimi Principis exemplum æmularentur.

SANCTI IGNATII EPISTOLA ad Smyrnæos.

IGnatius, qui & Theophorus, Ecclesiæ Dei Patris & dilecti Iesu Christi, habenti propitiationem in omni charismate, impletæ in fide & charitate, indeficiente existenti omni charismate, Deo decentissimæ & sanctiferæ, existenti in Smyrnâ Asiæ; in incoinquinato spiritu & verbo Dei, plurimum gaudere.

Glorifico Iesum Christum Deum, qui vos sapientes fecit. Intellexi enim vos perfectos in immobili fide (quemadmodum clauifixos in cruce Domini nostri Iesu Christi, & carne & spiritu) & firmatos in charitate, in sanguine Christi: certificatos in Dominum nostrum Iesum Christum, verè existentem de genere Dauid secundum carnem, filium Dei secundum voluntatem & potentiam Dei genitum verè ex Virgine, baptizatum à Iohanne (*vt impleatur omnis iustitia ab ipso*) verè sub Pontio Pilato & Herode Tetrarchâ clauifixum pro nobis in carne, à cuius fructu nos, à diuinè beatissimâ ipsius passione; vt leuet signum in sæcula, per resurrectionem, in sanctos & fideles ipsius, & in Iudæis & in Gentibus, in vno corpore Ecclesiæ ipsius.

Hæc enim omnia passus est pro nobis, vt saluemur. Et verè passus est, vt & verè resuscitauit seipsum. Non, quemadmodum infideles quidam dicunt, secundum videri ipsum passum esse, ipsi secundum videri existentes: & quemadmodum sapiunt, & accidet ipsis existentibus incorporeis & dæmoniacis.

Ego enim & post resurrectionem in carne ipsum vidi, & credo existentem. Et quando ad eos, qui circa Petrum venit, ait ipsis: *Apprehendite, palpate me, & videte, quoniam non sum dæmonium incorporeum.* Et confestim ipsum tetigerunt, & crediderunt conuicti carne ipsius & spiritu. Propter hoc & mortem contempserunt; inuenti autem sunt super mortem. Post resurrectionem autem comedit cum eis & bibit, vt carnalis; quamuis spiritualiter vnitus Patri.

Hæc autem m[illegible]nefacio vobis, dilecti, sciens quoniam & vos sic habetis. Præmunio autem vos à bestiis anthropomorphis: quos non solum oportet vos non recipere, sed si possibile neque eis obuiare; solum autem orate pro ipsis, si quomodo pœniteant, quod difficile. Huius autem habet potestatem Iesus Christus, verum nostrum viuere. Si autem secundum videri hæc operata sunt à Domino nostro: ergo & ego secundum videri ligor. Quid autem & meipsum traditum dedi morti, ad ignem, ad gladium, ad bestias? Sed prope gladium, prope Deum: inter medium bestiarum, inter medium Dei. Solum in nomine Iesu Christi, ad compati ipsi, omnia sustinebo: ipso me fortificante, qui perfectus homo factus est.

Quem quidam ignorantes, abnegant; magis autem abnegati sunt ab ipso; existentes concionatores mortis magis, quam veritatis. Quos non persuaserunt Prophetiæ, neque lex Moysi; sed neque vsque nunc Euangelium, neque nostræ eorum qui secundum virum passiones. Etenim de nobis idem sapiunt. [illegible]d enim iuuat me quis, si me laudat; Dominum autem [illegible]eum blasphemat; non confitens ipsum carniferum? Qui autem hoc non dicit, ipsum perfectè abnegauit, existens mortifer. Nomina autem ipsorum, exi[illegible]ntia infidelia, non visum est mihi inscribere: sed neque [illegible]ihi ipsorum recordari, vsque quo pœniteant in passionem, quæ est nostra resurrectio.

E

Nullus erret. Et super cœlestia, & gloria Angelorum, & Principes visibiles & inuisibiles, si non credant in sanguinem Christi; & illis iudicium est. Qui capit, capiat; *qualiter nullus infletur. Totum enim est fides & charitas: quibus nihil præpositum est. Considerate autem aliter opinantes in gratiam Iesu Christi, eam quæ in nos venit; qualiter contrarij sunt sententiæ Dei. De charitate non est cura ipsis, non de viduâ, non de orphano, non de tribulato, non de ligato vel soluto, non de esuriente vel sitiente.

*l. qualitare.

Ab Eucharistiâ & oratione recedunt; propter non confiteri Eucharistiam carnem esse Saluatoris nostri Iesu Christi pro peccatis nostris passam, quam benignitate Pater resuscitauit. Contra dicentes ergo huic dono Dei, perscrutantes moriuntur. Conferens autem esset ipsis diligere, vt resurgant. [illegible]ens est recedere à talibus, & neque seorsum cum ipsis [illegible]ui, neque communiter: attendere autem Prophetis, [illegible]ecipue vero Euangelio, in quo passio nobis ostensa est, & resurrectio perfecta est. Partitiones autem fugite, vt principium malorum.

Omnes Episcopum sequimini, vt Iesus Christus Patrem; & Presbyterium, vt Apostolos: Diaconos autem reuereamini, vt Dei mandatum. Nullus sine Episcopo aliquid operetur eorum quæ conueniunt in Ecclesiam. Illa firma gratiarum actio reputetur, quæ sub ipso est, vel quam vtique ipse concesserit. Vbi vtique apparet Episcopus, illic multitudo sit: quemadmodum vtique vbi est Christus Iesus, illic Catholica Ecclesia. Non licitum est sine Episcopo neque baptizare, neque agapen facere: sed quod vtique ille probauerit, hoc est Deo beneplacitum; vt stabile sit & firmum omne quod agitur.

G

Rationabile est de cætero euigilare, & cum adhuc tempus habemus, in Deum pœnitere. Honorans Episcopum, à Deo honoratus est; qui occultans ab Episcopo aliquid operatur, Diabolo præstat obsequium. Omnia igitur vobis in gratiâ superabundent: digni enim estis. Secundum enim omnia me quiescere fecistis: & vos Iesus Christus. Absentem me & præsentem dilexistis: retribuat vobis Deus; propter quem omnia sustinentes, ipsum adipiscemini.

Philonem & Rheum & Agathopum, qui secuti sunt me in verbum Dei, bene fecistis suscipientes vt ministros Dei Christi: qui & gratias agunt Domino pro vobis; quoniam ipsos quiescere fecistis secundum omnem modum. Nihil vobis vtique deperibit. Conformis animæ vestræ spiritus meus, & vincula mea, quæ non despexistis, neque erubuistis: neque vos erubescet perfecta fides Iesus Christus.

H

[illegible]tio vestra peruenit ad Ecclesiam quæ est in Antio[illegible] Syriæ; vnde ligatus Deo decentissimis vinculis omnes saluto non existens dignus inde esse extremus ipsorum existens: secundum voluntatem autem Dei dignus factus sum, non ex conscientiâ, sed ex gratiâ Dei, quam oro perfectam mihi dari, vt in oratione vestrâ Deo potiar. Vt igitur perfectum vestri fiat opus in terrâ & in cœlo, decet, ad honorem Dei, ordinare Ecclesiam vestram Deo venerabilem, in factum vsque Syriam congaudere ipsis, quoniam pacem habent, & acceperunt propriam magnitudinem, & restitutum est ipsis proprium corpusculum. Visum [illegible] mihi igitur Deo digna res, mittere aliquem vestro[illegible] cum epistolâ: vt conglorificent eam, quæ secundum Deum, ipsis factam tranquillitatem; & quoniam portu iam potita est, oratione vestrâ. Perfecti existentes, perfecta & sapite. Volentibus enim vobis benefacere, Deus paratus est ad tribuere.

Salutat vos charitas fratrum, qui in Troade. Vnde & scribo vobis, per Burrum, quem misistis mecum simul Ephesiis fratribus vestris: qui secundum omnia me

quiescere fecit. Et vtinam omnes ipsum imitentur, existentem exemplarium Dei ministerij. Remuneret ipsum gratia secundum omnia. Saluto Deo dignum Episcopum, & Deo decens Presbyterium, & conseruos meos Diaconos; & singillatim, & communiter omnes, in nomine Iesu Christi, & carne ipsius, & sanguine, & passione, & resurrectione, carnali & spirituali, in vnitate Dei & vestri. Gratia vobis, & misericordia, & pax, & sustinentia semper.

Saluto domos fratrum meorum, cum vxoribus & filiis; & virgines vocatas viduas. Valete mihi in virtute Patris. Salutat vos Philon, mecum existens. Saluto domum Thauiæ; quam oro firmari fide & charitate carnali & spirituali. Saluto Alken desideratum mihi nomen, & Daphnum incomparabilem, & Eurecnum, & omnes secundum nomen. Valete in gratiâ Dei.

EIVSDEM SANCTI IGNATII Epistolâ ad Polycarpum.

IGnatius, qui & Theophorus, Polycarpo Episcopo Ecclesiæ Smyrnæorum, magis autem visitato à Deo Patre & Iesu Christo, plurimum gaudere.

Acceptans tuam in Deo sententiam, firmatam vt supra petram immobilem; superglorifico, dignificatus tuâ facie immaculatâ: qua fruar in Deo. Deprecor te in Dei gratiâ, quâ indutus es, apponere cursui tuo, & omnes deprecari vt saluentur. Iustifica locum tuum, in omni curâ carnali & spiritu[illegible]ionem cura, quâ nihil melius. Omnes supporta; vt & te Dominus. Omnes sustine in charitate; quemadmodum & facis. Orationibus vaca indesinentibus: pete intellectum ampliorem eo quem habes. Vigila, non dormientem spiritum possidens: singulis secundum consuetudinem Dei loquere. Omnium ægritudines porta, vt perfectus athleta: vbi maior labor multum lucrum.

Bonos discipulos si diligas, gratia tibi non est: magis d[illegible]tiores in mansuetudine subiice: Non omne vulnus e[illegible]m emplastro curatur. Exacerbationes in pluuiis qu[illegible]ta. *Prudens fias, vt serpens*, in omnibus; *& simplex, vt columba*. Propter hoc carnalis es & spiritualis; vt manifesta in tuam faciem blandiaris: inuisibilia autem petas vt tibi manifestentur; vt nullo deficias, & omni charismate abundes. Tempus expetit te, & vt qui in procella est portum à Deo potiendum. Vigila, vt Dei athleta: thema incorruptio, vita æterna; de quâ & tu confisus es secundum omnia. Tui refrigerium ego, & vincula mea quæ dilexisti.

Matt. 10.

Qui videntur fide digni esse & altera docent, non te stupefaciant: sta firmus, vt incus percussa. Magni est athletæ, discerpi & vincere. Maximè autem propter Deum omnia sustinere nos oportet: vt & ipse nos sustineat. Plus studiosus fias, quam es. Tempora considerat eum qui supra tempus expecta, intemporalem, inuisibilem, propter nos visibilem; impalpabilem, impassibilem, propter nos passibilem, secundum omnem modum propter nos sustinentem.

Viduæ non negligantur: post Dominum tu ipsarum curator esto. Nihil sine sententiâ tuâ fiat; neque tu sine Deo quid operare: quod autem operaris, sit bene stabile. Sæpe congregationes fiant: ex nomine omnes quære [illegible]ruos & ancillas ne despicias: sed neque ipsi inflent[illegible]; sed in gloriam Dei plus seruiant, vt meliori libertate à Deo potiantur. Non desiderent à communi liberi fieri; ne serui inueniantur concupiscentiæ.

Malas artes fuge: magis autem de his homeliam fac. Sorores meas alloquere [illegible] Dominum, & viris sufficere carne & spiritu [illegible] & fratribus meis annuntia, in nomine Iesu C[illegible]sti, diligere vxores, vt Dominus Ecclesiam. Si quis potest in castitate manere, in honorem carnis Domini, in gloriatione Domini maneat. Si glorietur, perditur: & si videri velit plus Episcopo, corruptus est. Decet autem ducentes & ductas, cum sententia Episcop[illegible]ionem facere; vt sit secundum Dominum, & non secundum concupiscentiam. Omnia in honorem Dei fiant.

Episcopo attendite, vt & Deus vobis. Vnanimis ego cum subiectis Episcopo, Presbyteris, Diaconis: & cum ipsis mihi pars fiat capere in Deo. Collaborate adinuicem, concertate, concurrite, compatimini, condormite, consurgite, vt Dei dispensatores & assessores & ministri. Placete cui militatis; à quo & stipendia fertis. N[illegible]s vestrum otiosus inueniatur. Baptisma vestrum m[illegible]at vt scutum, fides vt galea, charitas vt lancea; sustinentia vt omnis armatura. Deposita vestra, opera; vt accepta vestra digna feratis. Longanimiter ferte igitur vos ad inuicem in mansuetudine, vt Deus vos. Fruar vobis semper.

Qui[illegible]cclesia quæ in Antiochiâ Syriæ pacem habet; vt ost[illegible]m est mihi, per orationem vestram: & ego lætior [illegible]ctus sum in sollicitudine Dei; siquidem, per pati, Deo potiar, in inueniri me in oratione vestri discipulum. Dece[illegible], Polycarpe Deo beatissime, concilium congregare [illegible] decentissimum, & ordinare aliquem quem dilect[illegible] valde habetis & impigrum, qui poterit Dei cursor vocari: & hunc dignificari, vt vadens in Syriam, glorificet vestram impigram charitatem in gloriam Dei. Christianus sui ipsius potestatem non habet, sed Deo vacat. Hoc opus Dei est & vestri, quoniam ipsi perfecti estis. Credo enim gratiæ, quoniam parati estis ad beneficentiam Deo decentem. Sciens vestrum compendium veritatis, per paucas vos literas consolatus sum.

Quia igitur omnibus Ecclesiis non potui scribere, propter repente nauigare me à Troade in Neapolim, vt voluntas præcipit: scribes aliis Ecclesiis, vt Dei sententiam possidens, idem & ipsos facere; hi quidem potentes pedites mittere, hi autem Epistolas per à te missos, vt glorificeris æterno opere, vt dignus existens. Saluto omnes ex nomine; & eam quæ Epitropi, cum domo totâ ipsius & filiorum. Saluto Attalum dilectum meum. Saluto futurum dignificari ad eundum in Syriam: erit gratia cum ipso semper, & mittente ipsum Polycarpo. Valete vos semper in Deo nostro Iesu Christo oro; in quo permaneatis in vnitate Dei & visitatione. Saluto Alken, desideratum mihi nomen. Valete in Domino.

EIVSDEM SANCTI IGNATII Epistola ad Ephesios.

IGnatius, qui & Theophorus, benedictæ in magnitudine Dei Patris & plenitudine, prædestinatæ ante sæcula esse semper in gloriam permanentem, inuertibilem, vnitam, & electam in passione verâ, in voluntate Patris & Iesu Christi Dei nostri; Ecclesiæ dignè beatæ existenti in Epheso Asiæ, plurimum in Iesu Christo, & in immaculatâ gratiâ, gaudere.

Acceptans in Deo multum dilectum tuum nomen; quod possedistis naturâ iustâ, secundum fidem & charitatem in Christo Iesu saluatore nostro glorificato Iesum Christum Deum: quia imitatores existentes Dei; & reaccedentes in sanguine Christi Dei, cognatum opus integrè perfecistis. Audientes enim ligatum à Syriâ pro communi nomine & spe; sperantem oratione vestrâ potiri, in Romà cum bestiis pugnare; videre festinastis. Pluriman[illegible] enim multitudinem vestram in nomine Dei suscepi in [illegible]esimo; qui in charitate inenarrabilis est; vester aut[illegible] in carne Episcopus: quem oro secundum Iesum Christum vos diligere, & omnes vos ipsi in similitudine esse. Benedictus enim qui tribuit vobis dignis existentibus talem Episcopum possidere.

[illegible]onseruo autem meo Burro, secundum Deum diacon[illegible]stro in omnibus benedicto: oro permanere ipsum [illegible] honorem vestri & Episcopi. Sed & Crocus Deo dignus & vobis, quem exemplarium eius quæ à vobis charitatis suscepi, secundum omnia me quiescere fecit; vt & ipsum pater Iesu Christi refrigeret: cum Onesimo, & Burro, & Euplo, & Frontone; per quos vos omnes secundum charitatem vidi. Fruar vobis semper, siquidem

digmus

dignus existam. Decens igitur est secundum omnem modum glorificare Iesum Christum, qui glorificauit vos: vt in vnâ subiectione perfecti, sub Episcopo & Presbyterio, secundum omnia sitis sancti.

Non dispono vobis, vt existens aliquis. Si enim & ligor in nomine Christi; nequaquam perfectus sum in Iesu Christo. Nunc autem principium habeo addiscendi; & alloquor vos, vt doctores mei. Me enim oportuit à vobis suscipi, fide, admonitione, sustinentiâ, longanimitate. Sed quia charitas non sinit me silere pro vobis; propter hoc præoccupaui rogare vos, vt concurratis sententiæ Dei. Etenim Iesus Christus, incompatabile nostrum viuere Patris sententia, vt & * ipsi secundum terræ fines determinati Iesu Christi sententiæ sunt.

Vnde decet vos concurrere Episcopi sententiæ: quod & facitis. Dignè nominabile enim vestrum Presbyterium, Deo dignum, sic concordatum est Episcopo, vt chordæ citharæ. Propter hoc in consensu vestro & consonâ charitate Iesus Christus canitur. Sed & singuli chorus facti estis: vt consoni existentes in consensu, melos Dei accipientes in vnitate, canetis in voce vnâ per Iesum Christum Patri; vt & vos audiat, & cognoscat per quem bonum operemini, membra existentes filij ipsius. Vtile igitur est vos in immaculatâ vnitate esse; vt & Deo semper participetis.

Si enim ego in paruo tempore talem consuetudinem tenui ad Episcopum vestrum, non humanam existentem sed spiritualem: quanto magis vos beatifico, coniunctos sicut Ecclesia Iesu Christo, & vt Iesus Christus Patri; vt omnia in vnitate consona sint! Nullus erret. Si quis non sit intra altare, priuatur pane Dei. Si enim vnius & alterius oratio tantam vim habet: quanto magis illa quæ Episcopi & omnis Ecclesiæ! Qui igitur non venit in idem, hic iam superbit & seipsum condemnauit. Scriptum est enim: *Superbis Deus resistit.* Festinemus igitur non resistere Episcopo; vt simus Deo subiecti.

Et quantum videt quis tacentem Episcopum, plus ipsum timeat. Omnem enim quem mittit Dominus domûs in propriam dispensationem, sic oportet nos ipsum recipere, vt ipsum mittentem. Episcopum igitur manifestum quoniam vt ipsum Dominum oportet respicere. Ipse igitur quidem Onesimus superlaudat vestram diuinam ordinationem: quoniam omnes secundum veritatem viuitis, & quoniam in vobis neque vna hæresis habitat; sed neque auditis aliquem amplius quam Iesum Christum loquentem in veritate.

Consueuerunt enim quidam dolo malo nomen circumferre, sed quædam operantes indigna Deo; quos oportet vos vt bestias declinare. Sunt enim canes rabidi, latenter mordentes: quos oportet vos obseruare, existentes difficile curabiles. Vnus medicus est, carnalis & spiritualis, genitus & ingenitus, in carne factus Deus, in immortali vitâ verâ, & ... iâ & ex Deo, primo passibilis & tunc impassibilis, Dominus Christus noster.

Non igitur quis vos seducat; quemadmodum neque seducemini, toti existentes Dei. Quum enim neque vna lis complexa est in vobis, potens vos torquere; tunc secundum Deum viuitis. Peripsima vestri & castificetur à vestrâ Ephesiorum Ecclesiâ famosâ in sæculis. Carnales spiritualia operari non possunt, neque spirituales carnalia: quemadmodum neque fides quæ infidelitatis, neque infidelitas quæ fidelitatis & fidei. Quæ autem & secundum carnem operata sunt, hæc spiritualia sunt: in Iesu enim Christo omnia operata sunt.

Cognoui autem transeuntes quosdam inde, habentes malam doctrinam. Quos non dimisistis seminare in vos, obstruentes aures, ad non recipere seminata ab ipsis; vt existentes lapides templi Patris, parati in ædificatione Dei Patris, relati in excelsa per machinam Iesu Christi, quæ est crux, fune vtentes Spiritu sancto. Fides autem vestra dux vester, charitas vero via referens in Deum. Estis igitur conuiatores, deiferi & templiferi & Christiferi, sanctiferi secundum omnia ornati in mandatis Iesu Christi: quibus & exultans dignificatus sum, per quæ scribo, alloqui vobis, & congaudere, quoniam secundum aliam vitam nihil diligitis nisi solum Deum.

Sed & pro aliis hominibus indesinenter Deum oratis. Est enim in ipsis spes pœnitentiæ, vt Deo potiantur. Monete igitur ipsos saltem ex operibus à vobis erudiri. Ad iras ipsorum vos mansueti, ad magniloquia eorum vos humilia sapientes; ad blasphemias ipsorum vos orationes, ad errorem ipsorum vos firmi fide, ad agreste ipsorum vos mansueti. Non festinantes imitari ipsos; fratres ipsorum inueniamur in mansuetudine: imitatores autem Dei studeamus esse, quis plus iniustum patiatur, quis fraudetur, quis contemnatur, vt non Diaboli herba quis inueniatur in vobis: sed in omni castitate & temperantiâ maneatis, in Iesu Christo, carnaliter & spiritualiter.

Extrema tempora de cætero. Verecu... r & timeamus longanimitatem Dei; vt non nobis ... iudicium fiat. Vel enim futuram iram timeamus, vel præsentem gratiam diligamus. Vnum duorum solum in Christo Iesu inueniatur, in verum viuere. Sine ipso nihil vos deceat: in quo vincula circumfero, spirituales margaritas; in quibus fiat mihi resurgere, oratione vestrâ, quâ fiat mihi semper participem esse: vt in sorte Ephesiorum inueniar Christianorum; qui & Apostolis semper consenserunt, in virtute Iesu Christi.

Noui quis sum, & quibus scribo. Ego condemnatus, vos propitiationem habentes; ego sub periculo, vos firmati. Transitus estis eorum qui in Deum interficiuntur: Pauli condiscipuli (sanctificati, martyrizati, dignebeati) cuius fiat mihi sub vestigiis inueniri, quando Deo fruar; qui in omni Epistolâ memoriam facit vestri in Iesu Christo.

Festinate igitur crebrius conuenire in gratiarum actionem Dei, & in gloriam. Quum enim crebro in idipsum conuenitis, destruuntur potentiæ Satanæ; & soluitur perditio ipsius in concordiâ vestræ fidei. Nihil est melius pace, in quâ omne bellum euacuatur cœlestium & terrestrium.

Quorum nullum latet vos: si perfecte in Iesum Christum habeatis fidem & charitatem; quæ sunt principium vitæ & finis. Principium quidem fides; finis autem charitas. Hæc autem duo, in vnitate facta, Deus est: alia autem omnia in bonitate sequenda sunt. Nullus fidem repromittens peccat, neque charitatem possidens odit. *Manifesta est arbor à fructu ipsius:* [Matt. 12.] sic repromittentes Christiani esse per quæ operantur manifesti erunt. Non enim nunc repromissionis opus, sed in virtute fidei, si quis inueniatur in finem.

Melius est silere & esse; quam loquentem non esse. Bonum docere, si dicens facit. Vnus igitur Doctor, qui dixit, & factum est: sed & quæ silens fecit, digna Patre sunt. Qui verbum Iesu possidet, verè potest & silentium ipsius audire, vt perfectus sit: vt per quæ loquitur operetur, & per quæ silet cognoscatur. Nihil latet Dominum: sed & abscondita nostra propè ipsum sunt. Omnia igitur faciamus, sic ipso in nobis habitante: vt simus ipsius templa, & ipse in nobis Deus noster: quomodo & est, & apparebit ante faciem nostram; ex quibus iustè diligimus ipsum.

Non erretis, fratres mei. Domûs corruptores regnum Dei non hæreditabunt. Si igitur qui secundum carnem hæc operantur mortui sunt: quanto magis si quis fidem Dei in malâ doctrinâ corrumpat, pro quâ Iesus Christus crucifixus est? Talis, inquinatus factus, in ignem inextinguibilem ibit: similiter & qui audit ipsum.

Propter hoc, vnguentum in capite suo recepit Dominus; vt spiret Ecclesiæ incorruptionem. Non vngamini fœtore doctrinæ [illegible]cipis sæculi huius: non captiuet vos ex præsenti viuere. Propter quod autem non omnes prudentes sumus; accipientes Dei cognitionem, qui est Iesus Christus. Quid fatuè perdimur, ignorantes charisma, quod verè misit Dominus?

Peripsema meus spiritus Crucis; quæ est scandalum non credentibus, nobis autem salus & vita æterna. *Vbi*

sapiens,

sapiens, vbi conquisitor, vbi gloriatio doctorum sapientum? Deus enim noster Iesus Christus conceptus est ex Mariâ secundum dispensationem Dei, ex semine quidem Dauid, Spiritu autem sancto. Qui natus est, & baptizatus est, vt passione aquam purificaret.

Et latuit principem sæculi huius virginitas Mariæ, & partus ipsius; similiter & mors Domini. Tria mysteria clamoris; quæ in silentio Dei operata sunt. Qualiter igitur manifestatus est sæculis? Astrum in cœlo resplenduit super omnia astra, & lumen ipsius ineffabile erat: & stuporem tribuit nouitas ipsius. Reliqua vero omnia astra, simul cum Sole & Luna, chorus facta sunt illi astro: ipsum autem erat superferens lumen ipsius super omnia. Turbatio autem erat, vnde nouitas, quæ dissimilis ipsis, ex quâ soluebatur omnis magia, & omne vinculum disparuit malitiæ, ignorantia omnis ablata est, verus regnum corruptum est; Deo humanitus apparente, in nouitatem vitæ æternæ. Principium autem assumpsit, quod apud Deum perfectum. Inde omnia commota erant, propter meditari mortis dissolutionem.

Si me dignificet Iesus Christus in oratione vestrâ, & voluntas sit; in secundo libello, quem scripturus sum vobis, manifestabo vobis quam inceperam dispensationem in nouum hominem Iesum Christû, in ipsius fide & in ipsius dilectione, in passione ipsius & resurrectione: maxime, si Dominus reuelet mihi. Quoniam qui secundum virum communiter omnes in gratiâ ex nomine conuenitis in vnâ fide, & in Iesu Christo (secundum carnem ex genere Dauid, filio hominis & filio Dei) in obedite vos Episcopo & Presbyterio indisceptâ mente: vnum panem frangentes; quod est pharmacum immortalitatis, antidotum eius quod est non mori, sed viuere in Iesu Christo semper.

Vnanimis vobiscum ego, & * quos misistis in Dei honorem in Smyrnam: vnde & scribo vobis, gratias agens Domino, diligens Polycarpum vt & vos. Mementote mei, vt vestri Iesus Christus. Orate pro Ecclesiâ quæ in Syriâ: vnde ligatus in Romam abducor, extremus existens eorum qui ibi fidelium; quemadmodum dignificatus sum in honorem Dei inueniri. Valete in Deo Patre, & in Iesu Christo communi spe nostrâ. Amen.

* alij quem

EIVSDEM SANCTI IGNATII Epistola ad Magnesios.

IGnatius, & qui Theophorus, benedictæ in gratiâ Dei Patris in Christo Iesu saluatore nostro; in quo saluto Ecclesiam existentem in Magnesiâ eâ quæ iuxta Mæandrum, & oro in Deo Patre & Iesu Christo plurimum gaudere.

Cognoscens vestram multibonam ordinationem eius quæ secundum Deum charitatis; exultans præelegi in fide Iesu Christi alloqui vos. Dignificatus enim nomine deo-decentissimo in quibus circumfero vinculis, canto Ecclesias, in quibus vnionem oro carnis & spiritus Iesu Christi; ad nos semper viuere fidei (quod & charitatis, cui nihil præfertur) principalius autem Iesu & Patris, in quo sustinentes omne nocumentum principis sæculi huius & perfugientes Deo potimur.

Quia igitur dignificatus sum videre vos per Dama dignum Deo vestrum Episcopum, & Presbyteros dignos Bassum & Apollonium, & conseruum meum Diaconum Sotionem, quo ego fruar; quoniam subiectus est Episcopo vt gratiæ Dei, & Presbyterio vt legi Iesu Christi, glorificato Deum patrem Domini Iesu Christi.

Sed & vos decet non coiti ætate Episcopi, sed secundum virtutem Dei Patris omnem reuerentiam ei tribuere (sicut agnoui & sanctos Presbyteros) non assumentes apparentem iuniorem ordinem, sed vt prudentes in Deo concedentes ipsi; non ipsi autem, sed Patri Iesu Christi omnium Episcopo. In honorem igitur illius volentis nos decens est obedire, secundum nullam hypocrisim: quia nequaquam Episcopum hunc conspectum seducit quis, sed inuisibilem paralogizat. Tale autem non ad carnem sermo, sed ad Deum abscondita scientem.

Decens igitur est, non solum vocari Christianos, sed & esse: quemadmodum quidam Episcopum quidem vocant, sine ipso autem omnia operantur. [illegible]les autem non bonæ conscientiæ mihi esse videntur, pr[illegible] et non firmiter secundum præceptum congregari.

Quia igitur finem res habent, & proponuntur duo simul, mors & vita; & vnusquisque in proprium locum iturus est. Quemadmodum enim sunt numismata duo, hoc quidem Dei, hoc autem Mundi: & vnumquodque ipsorum proprium characterem superpositum habet, infideles mundi huius, fideles autem in charitate characterem Dei patris per Iesum Christum; per quem nisi voluntarie habeamus mori in ipsius passionem, viuere ipsius non est in nobis.

Quia igitur in præscriptis personis omnem multitudinem speculatus sum, in fide & dilectione, moneo, in concordiâ Dei studete omnia operari: præsidente Episcopo in loco Dei, & Presbyteris in loco consessionis Apostolorum, & Diaconis mihi dulcissimis habentibus creditam ministrationem Iesu Christi; qui ante sæcula apud Patrem erat, & in fine apparuit. Omnes igitur eandem consuetudinem Dei accipientes, veneremur adinvicem, & nullus secundum carnem adspiciat proximum, sed in Iesu Christo adinuicem semper diligite. Nihil sit in vobis, quod possit vos partiri; sed vniamini Episcopo & præsidentibus, in typum & doctrinam incorruptionis.

Quemadmodum igitur Dominus sine Patre nihil fecit, vnitus existens, neque per seipsum neque per Apostolos; sic neque vos sine Episcopo & Presbyteris aliquid operemini. Neque tentetis rationabile aliquid apparere propriè vobis: sed in idipsum vna oratio, vna deprecatio, vnus intellectus, vna spes, in charitate, in gaudio incoinquinato; quod est Christus Iesus, quo melius nihil est. Omnes vt in vnum templum concurrite Dei, vt in vnum altare; in vnum Iesum Christum, ab vno Patre exeuntem, & in vnum existentem & reuertentem.

Non erretis extraneis opinionibus, neque fabulis veteribus, inutilibus existentibus. Si enim vsque nunc secundum Iudaismum viuimus: confitemur gratiam non recepisse. Diuinissimi enim Prophetæ secundum Christum Iesum vixerunt. Propter hoc & persecutionem passi sunt, inspirati à gratiâ ipsius, ad certificare impersuasos, quoniam vnus Deus est, qui manifestauit seipsum per Iesum Ch[illegible]um filium ipsius: qui est ipsius Verbum æternum, non a silentio progrediens; qui secundum omnia beneplacuit mittenti ipsum.

Si igitur in veteribus rebus conuersati, in nouitatem spei venerunt: non amplius sabbatizantes, sed secundum Dominicam viuentes, in quâ & vita nostra orta est per ipsum & mortem ipsius, * quod quidam negant; per quod mysterium accepimus credere, & propter hoc sustinemus, vt inueniamur discipuli Iesu Christi, solius Doctoris nostri, quomodo nos poterimus viuere sine ipso? cuius & Prophetæ discipuli existentes, spiritu ipsum vt Doctorem expectabant; & propter hoc quod iuste expectabant, præsens suscitauit ipsos ex mortuis.

Nos igitur non sentiamus benignitatem ipsius: Si enim nos persequatur secundum quod operamur; non amplius sumus. Propter hoc; discipuli eius effecti, discamus secundum Christianismum viuere. Qui enim alio nomine vocatur amplius ab hoc, non est Dei. Deponite igitur malum fermentum inueteratum & exacuens; & transponite in nouum fermentum, qui est Iesus Christus. Saluificemini in ipso, vt non corrumpatur aliquis in vobis, qui ab odore redarguemini. Inconueniens est Iesum Christum perfari, & Iudaizare: Christianismus enim non in Iudaismum credidit, sed Iudaismus in Christianismum: vt omnis lingua credens in Deum congregaretur.

Hæc autem, dilecti mei, non quia cognoui aliques ex vobis sic habentes: sed, vt minor vobis, volo præseruari vos, vt non incidiatis in hamos vanæ gloriæ: se[illegible] certificemini in natiuitate & passione & resurrecti[illegible], factâ in tempore ducatus Pontij Pilati; quæ facta sunt verè

& firmiter à Iesu Christo spe nostrâ, à quâ auerti nulli vestrûm fiat.

Fruar vobis secundum omnia; siquidem dignus sim. Etsi enim ligatus sum; ad vnum solutorum de vobis non sum. Noui quoniam non inflamini: Iesum enim Christum habetis in vobismetipsis. Et magis quando vtique laudo vos, noui quoniam verecundamini: sicut scriptum est; quoniam *iustus sui ipsius accusator*.

Studete igitur firmari in dogmatibus Domini & Apostolorum: vt omnia quæcunque facitis prosperentur, carne & spiritu, fide, & charitat in Filio & Patre & Spiritu sancto, in principio & in fin, cum dignè decentissimo Episcopo vestro, & dignè complexâ spirituali coronâ Presbyterij vestri, & eorum qui secundum Deum Diaconorum. Subiicimini Episcopo & adinuicem, vt Christus Patri secundum carnem, & Apostoli Christo & Patri & Spiritui: vt vnio sit carnalis & spiritualis. Sciens quoniam Deo pleni estis, compendiosè deprecatus sum vos. Mementote mei in orationibus vestris, vt Deo fruar; & eius quæ in Syriâ Ecclesiæ, vnde non dignus sum vocari. Superindigeo enim vnitâ vestrâ in Deo oratione & charitate; in dignificari eam quæ io Syriâ Ecclesiam per Ecclesiam vestram irrorari.

Salutant vos Ephesij à Smyrnâ (vnde & scribo vobis) præsentes in gloriam Dei, quemadmodum vos: qui secundum omnia me quiescere fecerunt, simul cu. Polycarpo Episcopo Smyrnæorum. Sed & reliquæ Ecclesiæ in honore Iesu Christi salutant vos. Valete in concordiâ Dei; possidentes inseparabilem spiritum, qui est Iesus Christus.

EIVSDEM SANCTI IGNATII Epistola ad Philadelphios.

IGnatius, qui & Theophorus, Ecclesiæ Dei Patris & Iesu Christi, quæ est in Philadelphiâ Asiæ, habenti propitiationem, & firmatæ in concordiâ Dei, & exultanti in passione Domini Iesu Christi inseparabiliter, & in resurrectione ipsius certificatæ, in omni misericordiâ: quam saluto in sanguine Iesu Christi, qui est gaudium æternum, & incoinquinatum, maximè si in vno sumus cum episcopo, & eis qui cum ipso Presbyt. : Diaconis, manifestatis in sententiâ Iesu Christi, quos secundum propriam voluntatem firmauit in firmitudine * sancti Spiritus ipsius.

* alij sancto ipsius spiritu.

Quem Episcopum cognoui non à seipso, neque per hon s possedisse administrationem in commune conueni em, neque secundum inanem gloriam, sed in charitate Dei Patris & Domini Iesu Christi. Cuius obstupui mansuetudinem; qui silens plura potest his qui vana loquuntur. Concordes enim estis mandatis, vt chordis cithara. Propter quod beatificat mea anima eam quæ in Dominum ipsius sen entiam; cognoscens virtuosam & perfectam existente . immobile ipsius & inirascibile in omni mansuetudin : viuentis. Filij igitur lucis, veritatis, fugite partitionem, & malas doctrinas: vbi autem Pastor est, illic vt oues sequimini. Multi enim lupi fide digni delectatione malâ captiuant in Deum cursores: sed in vnitate vestrâ non habent locum.

Recedite à malis herbis, quas non colit Iesus Christus: propter non esse ipsas plantationem Patris. Nno quoniam apud vos partitionem inueni; sed abstractionem. Quotquot enim Dei sunt & Iesu Christi, isti cum Episcopo sun æ quotquot vtique pœnitentes veniunt in vnitatem . lesiæ, & isti Dei erunt; vt sint secundum Iesum Christum viuentes. Non erretis, fratres mei. Si quis schisma facientem sequitur, regnum Dei non hæreditat: si quis in alienâ sententiâ circumambulat, iste passioni non concordat.

Studete igitur vnâ gratiarum actione vti. Vna enim car Domini nostri Iesu Christi, & vnus calix in vnionem sanguinis ipsius, vnum altare, & vnus Episcopus, cum Presbyterio & Diaconis conseruis meis: vt quod facitis, secundum Deum faciatis.

Fratres mei, valde effusus sum diligens vos, & superexultans corroboro vos: oon ego autem, sed Iesus Christus, in quo vinctus timeo magis, vt adhuc imperfectus. Sed oratio vestra me perficiet, vt in quâ hæreditate propitiationem habuero, potiar; confugiens Euangelio vt carni Iesu, & Apostolis vt Presbyterio Ecclesiæ. Sed & Prophetas diligamus; propter & ipsos in Euangelium annuntiasse, & in Christum sperare, & ipsum expectare: in quo credentes saluati sunt, in vnitate Iesu Christi existentes dignè dilecti, & dignè admirabiles sancti, à Iesu Christo testificati & connumerati in Euangelio communis spei.

Si autem Iudaismum interpretetur vobis; non audiatis ip . Melius est enim à viro circumcisionem habente Christianismum audire, quam ab habente præputium Iudaismum. Si aotem vtrique de Iesu Christo non loquantur, isti mihi columnæ suot & sepulchra mortuorum; in quibus scripta sunt solùm oomina hominum. Fugite igitur malas artes, & insidias Principis sæculi huius: ne fortè tribulati sententiâ ipsius, infirmemini io Charitate. Sed & omnes idipsum fiatis, in impartibili corde. Gratias autem ago Deo meo, quoniam bonam habens conscientiam ego sum in vobis; & non habet aliquis gloriari, neque occultè neque manifestè, quoniam grauaui aliquem in paruo vel io magno. Sed omnibus in quibus locutus sum oro, vt non in testimonium ipsum possideat.

Si enim & secundùm carnem me quidam voluerant seducere: sed spiritus oon seducitur, à Deo existens. Noui enim vnde venit, & quò vadit, & occulta redarguit. Clamaui in intermedio existens; locutus sum magnâ voce Dei voce: *Episcopo attendite, & Presbyterio, & Diaconis.* idam autem suspicati sunt me, vt præscientem diuisionem quorundam, dicere hæc: testis autem mihi in quo vinctus sum, quia à carne humanâ non cognoui. Sp ius autem prædicauit, dicens hæc: *Sine Episcopo nihil f tis. Carnem vestram, vt templum Dei, seruate. Vnitatem diligite: diuisiones fugite. Imitatores estote Iesu Christi; vt & ipse Patris ipsius.*

Ego quidem igitur proprium faciebam, vt homo in vnitatem perfectus. Vbi autem diuisio est & ira, Deus non habitat. Omnibus igitur pœnitentibus dimittit Deus; si pœnitea n vnitatem Dei & concilium Episcopi. Credo gratiæ Iesu Christi, qui soluet à vobis omne vinculum. Deprecor autem vos, nihil secundum contentionem facere, sed secundum Christi disciplinam. Quia audiui quosdam dicentes; quoniam si non in veteribus inuenio, in Euangelio non credo: & dicente me ipsis, quoniam scriptum est; responderunt mihi, quoniam præiacet. Mihi autem principium est Iesus Christus; inapproximabilia principia crux ipsius & mors, & resurrectio ipsius, & fides quæ per ipsum: in quibus volo in oratione vestrâ iustificari.

Boni & Sacerdotes, melius autem Princeps Sacerdotum; cui credita sunt sancta sanctorum, cui soli credita sunt occulta Dei: qui ipse est ianua Patris, per quam ingrediuntur Abraham & Isaac & Iacob, & Prophetæ, & Apostoli, & Ecclesia. Omnia hæc in vnitatem fidei. Præcipuum autem aliquid habet Euangelium, præsentiam Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, passionem ipsius, & resurrectionem. Dilecti enim Prophetæ annuntiauerunt in ipsum: Euangelium autem perfectio est incorruptionis. Omnia simul bona sunt, si in charitate creditis.

Quia secundum orationem vestram, & secundum viscera misericordiæ quæ habetis in Christo Iesu, annuntiatum est mihi, pa m habere Ecclesiam, quæ est in Antiochiâ Syriæ: dec s est vos, vt Ecclesiam Dei, ordinate Diaconum ad intercedendum illic Dei intercessionem; in congaude ipsis in idipsum factis, & glorificare nomen. Beatus in Iesu Christo, qui dignificabitur tali ministratione: & vos glorificabimini. Volentibus autem vobis non est impossibile, pro nomine Dei; vt & quædam propinquæ Ecclesiæ miserunt Episcopos, quædam autem Presbyteros & Diaconos.

De Philone autē Diacono, à Ciliciâ viro, testimonium habente, qui & nunc in verbo Dei ministrat mihi cum

A Rheo, Agathopode viro electo, qui à Syriâ me sequitur, abrenuntians sæculo; qui & testificantur vobis: & ego Deo gratias ago pro vobis, quoniam recepistis ipsos; vt & vos Dominus. Qui autem & inhonorauerunt ipsos, liberentur in gratiâ Iesu Christi. Salutat vos charitas multorum qui in Troade: vnde & scribo vobis per Burrum, missum mecum ab Ephesiis & Smyrnæis in verbum honoris. Honoret & ipsos Dominus Iesus Christus; in quem sperent carne, animâ, spiritu, fide, charitate, concordiâ. Valete in Christo Iesu, communi spe nostrâ.

EIVSDEM SANCTI IGNATII Epistola ad Trallesios.

IGnatius, qui & Theophorus, dilectæ Deo Patri Iesu Christi Ecclesiæ sanctæ, existenti in Trallesiis Asiæ, electæ & Deo dignæ, pacem habenti in ca · & sanguine & passione Iesu Christi, spei nostræ, in eâ quæ in ipsum resurrectione: quam & saluto in plenitudine, in Apostolico charactere, & oro plurimum gaudere.

B Incoinquinatam mentem & inseparabilem in sustinentiâ cognoui vos habentes, non secundum vsum, sed secundum naturam: quemadmodum ostendit mihi Polybius Episcopus vester, qui aduenit, voluntate Dei & Iesu Christi, in Smyrnâ; & sic mihi congauisus est vincto in Christo Iesu, vt ego omnem multitudinem vestram in ipso speculater. Recipiens igitur eam, quæ secundum Deum, æquanimitatem per ipsum, gloriatus sum inueniens vos, vt cognoui, imitatores Dei.

Quum enim Episcopo subiecti estis vt Iesu Christo, videmini mihi non secundum homines viuentes, sed secundum Iesum Christum; propter vos mortuum, vt credentes in mortem ipsius, mori effugiatis. Necessarium igitur est, quemadmodum facitis, sine Episcopo nihil operari vos: sed subiici & Presbyterio vt Apostolis Iesu Christi spei nostræ; in quo conuersantes inueniamur. O[illegible]tet

C autem & Diaconos, ministros existentes mysteriorum Iesu Christi, secundum omnem modum omnibus placere. Non enim ciborum & potuum sunt ministri; sed Eccle[illegible] Dei ministri. Opportunum igitur vos obseruar[illegible] sationes, vt ignem.

Similiter & omnes reuereantur Diaconos, vt mandatum Iesu Christi; & Episcopum, vt Iesum Christum, existentem filium Patris; Presbyteros autem, vt concilium Dei & coniunctionem Apostolorum. Sine his Ecclesia non vocatur. De quibus suadeo vos sic habere. Exemplarium enim charitatis vestræ accepi, & habeo cum meipso in Episcopo vestro; cuius ipsa compositio magna est disciplinatio, mansuetudo autem ipsius potentia: quem existimo & impios reuereri. Diligentes quod non parco ipsum aliqualem, potens scribere pro illo; in hoc existimer, vt existens condemnatus, velut Apostolis vobis præcipiam.

D Multa sapio in Deo; sed meipsum mensuro, vt non in gloriatione perdar. Nunc enim me oportet plus timere, & non attendere inflantibus me. [illegible] icentes enim mihi, flagellant me. Diligo quidem enim [illegible] sed non noui si dignus sum. Zelus enim multis quidem non apparet, me autem plus oppugnat. Indigeo igitur mansuetudine; in quâ dissoluitur princeps sæculi huius.

Nonne possum vobis supercœlestia scribere? Sed timeo ne paruulis existentibus vobis damnum apponam. Et condonate mihi: ne fortè, non potentes capere, strangulemini. Etenim ego, non secundum quodcunque ligatus sum, sed p[illegible] ns scire cœlestia, & loci positiones Angelicas, & co[illegible] titutiones, principationes, visibiliáque & inuisibilia. Præter hoc, iam & discipulus sum. Multa enim vobis deficiunt, vt Deo non deficiamus.

Deprecor igitur vos (non ego, sed charitas Iesu Christi) solo Christiano alimento vtamini; ab alienâ autem herbâ recedite, quæ est hæresis, quæ & inquinatis implicat Iesum Christum, quemadmodum mortiferum pharmacum dantes cum [illegible] o mellito; quod qui ignorat, delectabiliter accipit, & in dilectatione malâ mori.

Obseruemini igitur à talibus. Hoc autem erit à vobis non inflatis, & existentibus inseparabilibus à Deo Iesu Christo, & Episcopo, & ord[illegible] s Apostolorum. Qui intra altare est, mundus est: qui vero extra altare est non mundus est, hoc est; Qui sine Episcopo & Presbytero & Diacono operatur aliquid, iste non mundus est in conscientiâ.

Non quia cognoui tale quid in vobis: sed præseruo vos existentes meos dilectos; præuidens insidias Diaboli. Vos igitur mansuetam patientiam resumentes, recreate [illegible] metipsos in fide, quod est caro Domini, & in charitate [illegible] quod est sanguis Iesu Christi. Nullus vestrum aduersus proximum aliquid habeat. Non occasiones detis gentibus: vt non propter paucos insipientes ea quæ in Deo multitudo blasphemetur. *Væ enim, per quem in vanitate nomen meum in aliquibus blasphematur.*

Obsurdescite igitur, [illegible] tando vobis sine Iesu Christo loquitur quis: qui ex g[illegible] re Dauid, qui ex Mariâ; qui verè natus est, comedit & bibit; verè persecutionem passus est, sub Pontio Pilato, verè crucifixus & mortuus est adspicientibus cœlestibus & terrestibus & infernalibus qui & verè resurrexit à mortuis, resuscitante ipsum Patre ipsius: qui & secundum similitudinem nos credentes ipsi sic resuscitabit Pater ipsius, in Christo Iesu; sine quo verum viuere non habemus.

Si autem, quemadmodum quidam sine Deo existentes (hoc est, infideles) dicunt, secundum videri passum esse ipsum; ipsi existentes secundum videri: ego quid vinctus sum? quid autem & oro cum bestiis pugnare? Gratis igitur morior: ergo * non reprehendor mendacij à Domino.

Fugite ergo malas propagines, generantes fructum mortiferum; quem si gustet quis, statim moritur. Isti enim non sunt plantatio Patris. Si enim essent, apparerent vtique rami Crucis, & esset vtique fructus illorum incorruptibilis: per quem, in passione ipsius, aduocat vos existentes membra ipsius. Non potest igitur caput nasci sine membris; Deo vnionem repromittente, quod est ipse.

Saluto vos à Smyrnâ, cum compræsentibus mihi Ecclesiis Dei; qui secundum omnia me quiescere fecerunt carne & spiritu. Deprecantur vos vincula mea, quæ pro Iesu Christo fero, petens Deo frui. Permanete in concordiâ vestrâ, & eâ quæ cum adinoicem oratione. Decet enim vos singulos, præcipuè & Presbyteros, refrigerare Episcopum; [illegible] em Patris, Iesu Christi, & Apostolorum. Oro vos [illegible] charitate audite me; vt non in testimonium sim in vobis scribens. Sed & pro me orate eâ, quæ à vobis, charitate indigente in misericordia Dei, ad dignificari me hæreditate, quâ conor potiri, vt non reprobus inueniar.

Salutat vos charitas Smyrnæorum & Ephesiorum. Memorote in orationibus vestris eius quæ in Syriâ Ecclesiæ; vnde non dignus sum dici, existens extremus illorum. Valete h[illegible] Christo; subiecti Episcopo, vt Dei mandato, simil[illegible] Presbyterio. Et singuli adinuicem diligite in impartibili corde. Castificare vestrum meum spiritum, non solum nunc, sed & quando vtique Deo fruar. Adhuc enim sub periculo sum: sed fidelis Pater in Iesu Christo, implete petitionem meam & vestram; in quo inueniamini incoinquinati.

NOTA.

Hæc ad Romanos Epistola, vt & quæ sequuntur, dantur ex antiquâ versione Latinâ in Angliâ repertâ; quia codex Græcus Florentinus, ex quo interpretatio sex præcedentium facta est, vt pote sub finem mutilus, neque hanc ad Romanos habebat, & paucas tantùm ex sequentibus capiebat.

EIVSDEM SANCTI IGNATII Epistola ad Romanos.

IGnatius, qui & Theophorus, habenti propitiationem in magnitudine Patris altissimi, & Iesu Christi solius fili[illegible]

filij ipsius, Ecclesiæ dilectæ & illuminatæ in voluntate volentis omnia, quæ sunt secundū dilectionem Iesu Christi Dei nostri (quæ & præsidet in loco chori Romanorū, digna Deo, digna decentiâ, digna beatitudine, digna laude, dignè ordinata, dignè casta, & præsidens in charitate, Christi habens legem, Patris nomen; quam & saluto in nomine Iesu Christi filij Patris) secundum carnem & spiritum vnitis in omni mandato ipsius, impletis gratiâ Dei indiuisim, & abstractis ab omni alieno colore; plurimum in Domino Iesu Christo Deo nostro immaculatè gaudere.

Deprecans Deum, attigi videre vestras dignas visione facies; vt & amplius petebam accipere. Ligatus enim in Christo Iesu, spero vos salutare, siquidem voluntas sit, vt dignificet in finem esse. Principium quidem enim benè dispensatum est: siquidem gratiâ meâ potiar, ad hæreditatem meam sine impedimento lucrari. Timeo enim charitatem vestram, ne ipsa me lædat. Vobis enim facile est, quod vultis facere: mihi autem difficile est Deo potiri; siquidem vos non parciris mihi.

Non enim volo vos hominibus placere, sed Deo placere: quemadmodum & placetis. Neque enim ego habeo aliquando tempus tale Deo potiendi: neque vos, si taceatis, meliori operi habetis inscribi. Si enim taceatis à me, ego ero Dei: si autem desideretis carnem meam, rursus factus sum velox. Plus autem mihi non tribuetis, quam sacrificari Deo, dum adhuc sacrificatorium paratum est: vt, in charitate chorus effecti, canteris Patri in Iesu Christo (quoniam Episcopom Syriæ dignificauit Deus inueniri, in Occidentem ab Oriente transmittens bonum occidere à mundo in Deum) vt in ipso oriar.

Nunquam inuidistis in aliquo: alios edocuistis. Ego autem volo, vt & illa firma sint, quæ docentes præcepistis. Solum mihi potentiam petatis ab intra & ab extra, vt non solom dicam, sed & velim; non vt solum dicar Christianus, sed & inueniar. Si enim inueniar, & dici possum; & tunc fidelis esse, quando vtique mundo non appareo. Nihil apparentia bonum est. Deus enim noster Iesus Christus in Patre existens magis apparet. Non suasionis opus sed magnitudinis est Christianus; quando vtique oditur à mundo.

Scribo Ecclesiis, & præcipio omnibus, quoniam volens pro Deo morior; siquidem vos non prohibeatis. Deprecor vos, non concordia intempestiua fiatis mihi. Dimittite me bestiarum esse cibum: per quas est Deo potiri. Frumentum sum Dei: & per dentes bestiarum molar, vt mundus panis inueniar Christi. Magis blandite bestiis, vt mihi sepulchrum fiant, & nihil derelinquant eorum quæ corporis mei; vt non dormiens grauis alicui inueniar. Tunc ero discipulus verus Iesu Christi, quando neque corpus meum mundus videbit. Orate Christum pro me, vt per organa ista, Dei sacrificium inueniar. Non vt Petrus & Paulus præcipio vobis. Illi Apostoli, ego condemnatus; illi liberi, ego vsque nunc seruus. Sed si patiar, manumissus fiam Iesu Christi; vt resurgam liber. Et nunc disco, vinctus, nihil concupiscere.

A Syriâ vsque Romam cum bestiis pugno, per terram & per mare, nocte & die; vinctus decem leopardis, quod est militaris ordo: qui & beneficiati deteriores fiunt. In iniustificationibus autem ipsorum magis erudior: sed non propter hoc iustificatus sum. Sortiar bestiis mihi esse paratis; & oro promptas mihi inueniri: quibus & blandiar cito me deuorare; non quemadmodum quosdam, timentes non tetigerunt. Sed &, si ipsæ volentem non velint, ego vim faciam. Veniam mihi habete: quid mihi conferi, ego cognosco. Nunc incipio discipulus esse; nihil me zelare visibilium & inuisibilium, vt Iesu Christo fruar. Ignis & crux, bestiarúmque congregationes, dispersiones ossium, concisio membrorum, molitiones totius corporis, malæ punitiones Diaboli in me veniant; solum vt Iesu Christo fruar.

Nihil mihi proderunt termini mundi, neque regna sæculi huius. Bonum mihi mori propter Iesum Christum, quàm regnare super terminos terræ. Illum quæro qui pro nobis mortuus est; illum volo qui propter nos resurrexit. Ille lucrum mihi adiacet. Ignoscite mihi, fratres: non impediatis me viuere, non velitis me mori. Dei volentem esse, per mundum non separetis me, neque per materiam seducatis. Dimittite me purum lumen accipere: illuc adueniens, homo ero. Sinite me imitatorem esse passionis Dei mei. Si quis ipsum in seipso habet, intelligat quod volo; & compatiatur mihi sciens quæ continent me.

Princeps sæculi huius rapere me vult, & eam quæ in Deum meum sententiam corrumpere. Nullus igitur præsentium de vobis adiuuet: ipsi autem magis mei fiatis, hoc est, Dei mei. Non loquimini Iesum Christum, & mundum concupiscatis. Inuidia in vobis non inhabitet: neque vtique ego vos præsens deprecor, credere mihi. His autem magis credite quæ scribo vobis. Viuens enim scribo vobis; desiderans mori. Meum desiderium crucifixum est; & non est in me ignis amans aliquam aquam: sed viuens & loquens est in me, intus me dicit; *Veni ad Patrem.* Non delector cibo corruptionis, neque delectationibus vitæ huius. Panem Dei volo; quod est caro Iesu Christi, eius qui ex genere Dauid: & potum volo sanguinem ipsius; quod est charitas incorruptibilis.

Non amplius volo secundum homines viuere: hoc autem erit, si vos velitis, velite autem, vt & vos acceptemini. Per paucas literas deprecor vos: credite mihi. Iesus autem Christus vobis manifestabit hæc, quoniam verè dico; non mendax os, in quo Pater verè locutus est. Petite pro me, vt attingam. Non secundum carnem vobis scripsi; sed secundum sententiam Dei. Si patiar, voluistis; si reprobus efficiar, odiuistis.

Mementote in oratione vestrâ eius qui in Syriâ Ecclesiæ, quæ pro me pastore Deo vtitur. Solus ipse Iesus Christus vice Episcopi sit, & vestra charitas. Ego autem erubesco ex ipsis dici. Non enim sum dignus, existens extremus ipsorum, & abortiuum: sed misericordiam consecutus sum aliquis esse, si Deo fruar. Salutat vos meus spiritus, & charitas Ecclesiarum quæ receperunt me in nomine Iesu Christi, vt non transeuntem. Etenim non aduenientes mihi in viâ quæ secundum carnem secundum ciuitatem me præcesserunt.

Scribo autem vobis hæc à Smyrnâ, per Ephesios dignè beatos. Est autē & simul mecum com aliis multis & Crocus, desideratum mihi nomen: de aduenientibus mecum à Syriâ in Romam, ad gloriam Dei. Credo vos cognouisse (quibus & manifestatis) prope me existentē. Omnes enim sunt digni Deo & vobis: quos decens est vos secundum omnia quietare. Scripsi autem vobis hæc, in eâ quæ ante IX Kal. Sept. Valete in finem, in sustinentiâ Iesu Christi.

SANCTO IGNATIO MARIÆ ex Cassobelis Epistola.

MAria, proselyta Iesu Christi, Ignatio Theophoro, beatissimo Episcopo Ecclesiæ Apostolicæ eius quæ secundum Antiochiam, in Deo Patre & Iesu dilecto, gaudere & valere. Semper tibi oramus, secundum illud quod in ipso, gaudium & sanitatem.

Quia miraculis & apud nos Christus cognitus est filius esse Dei viuentis, & in posterioribus temporibus inhumanatum esse per Virginem Mariam ex semine Dauid & Abraham; secundum eas quæ de ipso ab ipso prædictæ sunt voces à Prophetarum choro: huius gratiâ deprecamur, dignificantes mitti nobis à tuo intellectu Marim amicum nostrum, episcopum Emelapes Neapoleos eius quæ ad Zarbum, & Eulogium, & Sobelum presbyterum; vt non simus desolati præpositis diuini verbi, quemadmodum & Moyses dicit: *Prouideat Dominus Deus hominem, qui ducat populum hunc; & non erit Synagoga Domini, vt oues quibus non est pastor.*

Pro eo autem, quod iuuenes sunt præscripti, formides nihil, ô Beate. Cognoscere enim te volo, quod sapiunt super carnem, & ipsius passiones non sentiunt ipsi in seipsis; recenti iuuentute sacerdotij refulgentes canitie. Perscrutare autem * cogitationem tuam per datum tibi à Deo per Christum spiritum ipsius: & cognosces

* al. cognitionem.

quod

[1. Sam. 3. 20. cum 9. 9. 19.] quod Samuel paruus puerulus *Videns* vocatus eſt: & choro Prophetarum connumeratus, presbyterum Eli tranſgreſſionis redarguit; quoniam inſanientes filios Deo omnium cauſæ præhonorauit, & ludentes in ſacerdotium, & in populum luxuriantes dimiſit impunitos.

[Dan. 13.] Daniel autem, ſapiens iuuenis exiſtens, iudicauit crudeles ſenes quoſdam: oſtendens adulteros ipſos, & non ſeniores eſſe, & genere Iudæos exiſtentes, modo Chananæos exiſtere. [Ier. 1. 7.] Et Ieremias, propter iuuentutem renuens tributam ipſi à Deo prophetiam, audit: *Non dicas, quoniã iunior ſum: quia ad omnes quoſcunque mittam te ibis, & ſecundum omnia, quæcunque mando tibi, loqueris; quia tecum ego ſum.* [3. Reg. 3. & 10.] Salomon autem ſapiens, duodecim exiſtens annorum, intellexit magnam ignorantiæ mulierum de ſuis filiis quæſtionem; vt omnis populus obſtupeſceret de tantâ pueri ſapientiâ; & timeret non vt puerum, ſed vt perfectum virum. Ænigmata autem Æthiopum reginæ, lationem habentia quemadmodum Nili fluenta, ſic ſoluit; vt extra ſeipſam fieret ipſa ſic ſapiens.

[2 Paral. 34.] Ioſias autem Dei amator, inarticulatè ferè adhuc loquens, redarguit malo ſpiritu detentos, quod falſiloqui & populi ſeductores exiſterent: dæmonumque reuelat deceptionem, & eos non exiſtentes Deos demonſtrat, & ſacratos ipſis (puer exiſtens) interficit, delubraque ipſorum euertit, & altaria mortuis reliquiis inquinat, templaque delet & ſaltus ſuccidit & columnas contrit, & impiorum ſepulchra ſuffodit; vt neque ſignum amplius malorum exiſtat. Sic quidem zelotes erat religionis & impiorum punitor, adhuc balbutiens linguâ. [1. Sam. 10.] Dauid autem Propheta ſimul & Rex, ſaluatoris ſecundum carnem radix, puer vngitur à Samuele in regem. Ait enim alicubi ipſe: [Pſ. 151. 1.] *Quum paruus eram inter fratres meos, & iunior in domo patris mei.*

Et deficiet mihi tempus, ſi omnes inueſtigare voluero, qui in iuuentute bene placuerunt Deo, prophetiâ & ſacerdotio & regno à Deo donati. Rememorationis autem gratiâ ſufficiunt & hæc dicta. Sed te deprecor, ne tibi quædam ſuperba eſſe videar & oſtentatrix. Non enim docens te, ſed ſubmemorans meum in Deo patrem, hos appoſui ſermones. Cognoſco enim mei ipſius menſuras, & non coextendo meipſam tantis vobis. Saluto tuum ſanctum Clerum, ſub tuâ curâ paſtum. Omnes apud nos fideles ſalutant te. Sanam me eſſe ſecundum Deum ora, beate Paſtor.

EIVSDEM SANCTI IGNATII Epiſtola ad Mariam Neapolin quæ ad Zarbum Ignatius.

IGnatius, qui & Theophorus, habenti propitiationem in gratiâ Dei Patris altiſſimi, & Domini Ieſu Chriſti qui pro nobis mortuus; fideliſſimæ, dignæ Deo, Chriſtum ferenti filiæ Mariæ, plurimum in Deo gaudere.

Melius quidem literâ viſus, quanto quidem pars melior exiſtens chori ſenſuum: non ſolum quibus tradit amicabilia, honorat accipientem; ſed & quibus recipit in melioribus deſiderium dicit. Veruntamen ſecundus, aiunt, portus, & literarum modus: quem velut bonam applicationem recepimus à tuâ fide à longè; velut per ipſas videntes quod in te bonum. Bonorum enim, ô omnia ſapiens mulier, animæ purioribus aſſimilantur fontibus. Illi enim tranſeuntes, etſi non ſitiant, ipſa ſpecie attrahunt ipſos haurire potum. Tuus autem intellectus mouet nos, capere iubens de his, quæ in animâ tuâ ſcaturiunt diuinis aquis.

Ego autem, ô beata, non mei ipſius nunc tantum, quantum aliorum effectus, multorum contrariorum voluntatibus: ſecundum hæc quidem fugis, ſecundum hæc autem carceribus, ſecundum hæc vero vinculis. Sed à nullo horum auertor. In iniuſtificationibus autem ipſorum magis diſco, vt Ieſu Chriſto potiar. Vtinam fruar ductis mihi præparatis: quia [Rom 8. 18.] *non digna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam reuelari in nos.*

Quæ autem à te per Epiſtolam iuſſa ſunt, gratanter impleui: in nullo dubitans eorum, quæ ipſa benè habere probaſti. Cognoui enim te iudicio Dei teſtimonium viris feciſſe, ſed non gratiâ carnali. Multum enim mihi erant & continuæ tuæ ſcriptibilium locorum memoriæ: quas legens, neque vſque ad intellectum dubitaui circa rem. Non enim habebam aliquibus oculis excurrere, quos habebam incontradicibilem à te factam demonſtrationem. Conformis animæ tecum fiam ego: Propter quod & ipſe dicet tibi: [Prou. 8. 17.] *Ego diligentes me diligo; me autem quærentes inuenient pacem.*

Superuenit autem mihi dicere, quoniam verus ſermo quem audiui de te, adhuc exiſtente te in Româ apud beatum Papam Cletum; cui ſucceſſit ad præſens dignè beatus Clemens, Petri & Pauli auditor: & nunc appoſuiſti ad ipſum centupliciter; & apponas adhuc, ô dilecta. Deſideraui vehementer venire ad vos, vt conquieſcerem vobiſcum: ſed [Ierem. 10. 23.] *non in homine via ipſius.* Detinuit enim meum propoſitum, non concedens ad terminum ire, militaris cuſtodia. Sed neque in quibus ſum, operari aliquid vel pati potens ego. Propter quod, ſecundum eius quæ in amicis conſolationis literam reputans: ſaluto ſacram tuam animam; deprecans opponi robori. Præſens enim labor paucus; expectata vero merces multa.

Fugite abnegantes paſſionem Chriſti, & ſecundum carnem natiuitatem. Multi autem ſunt nunc, ſecundum hanc ægrotantes ægritudinem. Alia autem tibi admonere facile, perfectæ quidem omni opere & ſermone bono, potenti autem & aliis ſuadere in Chriſto. Saluta omnes ſimiles tibi, retinentes ſui ipſorum ſalutem in Chriſto. Salutant te Presbyteri & Diaconi: & ante omnes ſacer Heron. Salutat te Caſſianus peregrinus meus, & ſoror mea & ſponſa ipſius, & dilectiſſima ipſorum ſoboles. Valentem, carnalem & ſpiritualem ſanitatem, Dominus ſanctificet ſemper: & videam te in Chriſto potientem coronâ.

EIVSDEM SANCTI IGNATII Epiſtola ad Tarſenſes.

IGnatius, qui & Theophorus, ſaluatæ in Chriſto Eccleſiæ, dignæ laude, & dignæ memoriâ, & dignæ dilectione, exiſtenti in Tarſo; miſericordia, pax, à Deo Patre & Domino Ieſu Chriſto multiplicetur ſemper.

A Syriâ vſque Romam cum beſtiis pugno: non ab irrationabilibus beſtiis comeſtus (hæ enim, vt ſcitis, Deo volente pepercerunt Danieli) [Dan. 6.] ab his autem quæ humanæ formæ; inter quas immanſueta beſtia latitans, pungit me quotidie & vulnerat. [Act. 20. 24.] *Sed de nullo ſermonem facio* dutotum, *neque habeo animam pretioſam mihi ipſi*; vt diligens ipſam magis, quam Dominum. Propter quod paratus ſum ad ignem, ad beſtias, ad gladium, ad crucem: ſolum Ieſum Chriſtum ſciens Saluatorem meum, & Deum, pro me mortuum. Deprecor igitur vos ego vinctus Chriſti, per terram & mare iactatus; [1. Cor. 10. 13] *ſtate in fide firmi: quoniam Dominus inhabitare facit vnius moris in domo.* [Abacuc. 2. 4.]

[Gal. 3. 1. Pſal. 67.] Noui quoniam quidam miniſtrorum Sathanæ voluerunt vos turbare. Hi quidem, quoniam Ieſus opinione natus eſt, opinione crucifixus eſt, & opinione mortuus eſt. Hi autem, quoniam non eſt filius conditoris. Hi verò, quoniam ipſe eſt qui ſuper omnia Deus. Alij autem, quoniam nudus homo eſt. Alteri vero, quoniam caro hæc non reſurgit; & oportet voluptuoſam viuere & tranſire: hunc enim eſſe terminum bonorum poſt non multum corrumpendis. Tantorum malorum multitudo eos inebriauit. Sed vos [Gal. 2. 5.] *neque ad horam* veniatis ſub ſubiectionem ipſorum. Pauli enim eſtis ciues & diſcipuli, qui à Ieroſolymis [Rom. 15. 19.] *& circum vſque Illyricum* impleuit Euangelium; [Gal. 6. 17.] *ſtigmata Chriſti* in carne circumtulit.

Cuius memores, omnino cognoſcitis, quoniam Ieſus Dominus verè natus eſt ex Mariâ, factus ex muliere, & [Gal. 6. 14] veritate crucifixus eſt (*Mihi* enim, ait, *non fiat gloriari, niſi in cruce Domini*) & veritate mortuus eſt, & reſurrexit. [Act. 26. 23.] *Si paſſibilis* enim, ait, *Chriſtus, ſi primus ex reſurrectione mortuorũ.* Et, [Rom. 6. 10.] *Quod mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel; quod*

autem viuit, Deo viuit. Quia quid opus vinculis, Christo non mortuo? quid opus sustinentiâ, quid opus flagellis? Quid vnquam, Petrus crucifixus est, Paulus & Iacobus gladio cæsi sunt, Iohannes vero relegatus est in Pathmo, Stephanus autem lapidibus occisus est à Domini occisoribus Iudæis? Sed nihil horum vanè. Veritate enim crucifixus est Dominus ab impiis.

Et sic natus ex muliere filius est Dei, & crucifixus primogenitus omnis creaturæ & Deus verbum: & ipse fecit omnia. Dicit enim Apostolus: *Vnus Deus Pater, ex quo omnia; & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia*, & rursus: *Vnus enim Deus, & vnus mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus, & in ipso creata sunt omnia quæ in cælo & in terrâ, visibilia & inuisibilia: & ipse est ante omnia, & omnia in ipso consistunt.*

Et quoniam non ipse est qui super omnia Deus Pater, sed filius illius, dicit: *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, & Deum meum & Deum vestrum.* Et, *quando subiecta ipsi erunt omnia, tunc & ipse subiicietur ei qui subiecit ei omnia; vt sit Deus omnia in omnibus.* Igitur est alter qui subiecit, & qui est omnia in omnibus; & alter cui subiecta sunt, qui & cum omnibus subiicietur.

Et neque nudus homo, per quem & in quo facta sunt omnia. *Omnia* enim *per ipsum facta sunt. Quum fecit cælum, coaderam ipsi:* & illic *eram apud ipsum componens; & applaudebat mihi quotidie.* Qualiter autem vtique nudus homo audiret; *Sede à dextris meis?* Qualiter autem & diceret; *Priusquam Abraham fieret, ego sum;* &, *Clarifica me claritate quam habui, antequam mundus esset, à te?* Qualis autem homo nudus diceret; *Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me?* De quali homine vero diceret? *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt.* Qualiter ergo talis nudus homo, & ex Mariâ habens principium essendi; sed non Deus verbum, & filius vnigenitus? *In principio* enim *erat verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et in aliis: *Dominus creauit me principium viarum suarum, in opera sua; ante sæculum fundauit me, & ante omnes colles generat me.*

Quoniam autem & resurgunt corpora nostra, dicit: *Amen dico vobis, quoniam venit hora, in quâ omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent:* Et Apostolus: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Et quoniam oportet temperatè viuere & iustè Deo, rursus: *Non erretis: neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fornicatores, neque maledici, neque ebriosi, neque fures, regnum Dei hereditare poterunt.* Et, *Si mortui non resurgunt: neque Christus resurrexit. Inanis ergo prædicatio nostra; inanis autem & fides vestra: adhuc estis in peccatis vestris. Ergo qui & dormierunt in Christo, perierunt. Si in vitâ hac sperantes sumus in Christo solum; miserabiliores omnibus hominibus sumus. Si mortui non resurgunt: comedamus & bibamus; cras enim moriemur.* Sic autem dispositi, quid distabimus ab asinis & canibus, qui nihil de futuro curant; in appetitum euntes & eorum quæ post comedere? Inscij enim sunt mouentis intus intellectûs.

Fruar vobis in Domino. Vigilate omnem vnusquisque malitiam deponere, & feralem furorem, detractionem, calumniam, turpiloquium, scurrilitatem, susurrationem, inflationem, ebrietatem, luxuriam, auaritiam, inanem gloriam, inuidiam, & omne his concurrens: *Induite Dominum nostrum Iesum Christum, & carnis prouidentiam non fieri in concupiscentiis.* Presbyteri subiecti estote Episcopo, Diaconi Episcopo & Presbyteris, populus Diaconis. Consimilis ego his qui custodiunt hanc bonam ordinationem: & Dominus sit cum ipsis continuè.

Viri, diligite sponsas vestras; vxores, coniuges vestros. Pueri, parentes præhonorate: *Parentes, filios nutrite in disciplinâ & admonitione Domini.* Eas quæ in virginitate honorate, vt sacras Christi: eas quæ in honestate viduas, vt altare Dei. Domini, cum moderamine seruis præcipite: serui, cum timore Dominis ministrate. Nullus in vobis otiosus maneat: mater enim indigentiæ otiositas. Hoc enim non præcipio, vt existens aliquis, etsi ligor: sed, vt frater, ad memoriam reuoco. Sit Dominus vobiscum.

B

Fruar vestris orationibus: orate vt Iesu fruar. Commendo vobis eam quæ in Antiochiâ Ecclesiam. Salutant vos Ecclesiæ Philippensium: vnde & scribo vobis. Salutat vos Philon diaconus vester: cui & gratias ago, studiosè ministranti mihi in omnibus. Salutat vos Diaconus, qui ex Syriâ sequitur me in Christo. Salutate ad inuicem in sancto osculo. Saluto vniuersos & vniuersas in Christo. Valete animâ & spiritu: & mei non obliuiscamini. Dominus vobiscum.

1.Cor. 13.12.

EIVSDEM SANCTI IGNATII
Epistola ad Antiochenos.

F

IGnatius, qui & Theophorus, Ecclesiæ habenti propitiationem à Deo, dilectæ à Christo, aduenæ in Syriâ, & primæ Christi cognominationem accipienti in Antiochiâ; in Deo Patre, & Domino Iesu Christo gaudere.

Leuia mihi & non onerosa vincula Dominus fecit, discenti pacem habere vos, & in omni concordiâ carnali & spiritnali conuersari. Deprecor igitur vos ego vinctus in Domino, *dignè ambulare vocatione quâ vocati estis:* obseruantes vos ab inductis hæresibus maligni, in deceptione & perditione persuasorum ab ipso. Attendite autem Apostolorum doctrinæ & Legi & Prophetis credere; omnem Gentilem & Iudaicum abiicere errorem: & neque multitudinem Deorum inducere, neque Christum negare occasione vnius Dei.

Coloss. 4. 1.

Moyses enim fidelis seruus Dei dicens, *Dominus Deus tuus Dominus vnus est*, & verum & solum prædicans Deum, confessus est confestim & Dominum nostrum dicens: *Pluit Dominus super Sodomam & Gomorram ignem à Domino & sulphur*, & rursus: *Et dixit Deus, faciamus hominem secundum imaginem nostram & secundum similitudinem*, &, *fecit Deus hominem; secundum imaginem Dei fecit ipsum.* Et deinceps: *quoniam in imagine Dei fecit hominem.* Et quia fiet homo, ait: *Prophetam vobis suscitabit Dominus ex fratribus vestris sicut me.*

Deut.6. 4. cum Marc. 12. 29.

G

Genes. 19.24. Genes.2. 26. 27. Gen.5.1. & 9. 6. Deut.18. 15. cum Actor.3. 22.& 7. 37.

Prophetæ autem dicentes, vt ex personâ Dei; *Ego Deus primus, & ego post hæc, & præter me non est Deus:* de Patre omnium dicunt. Et de Domino nostro Iesu Christo: *Filius*, ait, *datus est nobis, cuius principium desuper; & vocatur nomen ipsius Magni consilij Angelus, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, potestatiuus.* Et de inhumanatione ipsius: *Ecce Virgo in vtero concipiet, & pariet filium; & vocabunt nomen eius Emmanuel.* Et de passione: *Vt ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente ipsum sine voce.* Et, *Ego sicut agnus innocens ductus ad sacrificandum.*

Esai.44. 6. Es.9.6. Esai.7. 14. cum Matt.1. 23. Esai.53. 7.

Et Euangelistæ dicentes, vnum Patrem *solum verum Deum*; & quæ secundum Dominum nostrum non dereliquerunt, sed scripserunt: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et de inhumanatione: *Verbum*, ait, *caro factum est, & inhabitauit in nobis*, &, *Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham.* Apostoli autem docentes, quoniam *Deus* est, dicebant illi ipsi, quoniam *vnus & mediator Dei & hominum.* Et incorporationem & passionem non erubuerunt. Quid enim * ait? *Homo Iesus Christus; qui dedit semetipsum redemptionem* pro mundi vitâ.

H

Act.8. 32. Ier.11. 19. Ioan.17. 3. Ioan.1. 1.3. Ioan.1. 14. Matt.1.1. 1.Cor.8. 4 6. Gal.3. 20. Ephes.4. 5.6. * aiunt.

Omnis igitur qui vnum annuntiat Deum, in interemptione diuinitatis Christi filius est Diaboli, & inimicus omnis iustitiæ. Et qui confitetur Christum, non eius qui fecit mundum filium, sed alterius cuiusdam incogniti, præter quem prædicauit Lex & Prophetæ, iste organum est ipsius Diaboli. Et qui inhumanationem renuit, & crucem erubescit, propter quam ligatus sum; iste est Antichristus. Et qui nudum hominem dicit Christum, maledictus est, secundum Prophetam, *non in Deo confidens*

... 17. 5.6.

sed

A

sed in homine. Propter quod & sine fructu est, proximus agresti myricæ.

Hæc scribo vobis, ô Christi iuuentus; non conscius vobis habere talem sensum: sed præseruans vos, vt Pater proprios filios. Videte igitur in malum currentes operatores, *inimicos crucis Christi; quorum finis perditio, quorum Deus venter, quorum gloria in confusione ipsorum.* Videte canes sine voce, serpentes surrepentes, insoueatos dracones, aspides, basiliscos, scorpiones. Isti enim sunt Thoës vulpes, hominis imitatores simiæ.

Phil. 3. 18. 19.

Pauli & Petri fiatis discipuli: non perdatis depositum. Recordamini Euodij dignè beati Pastoris vestri; qui primus ordinatus ab Apostolis in vestram prælationem. Non erubescamus patrem: fiamus proprij pueri, sed non nothi. Scitis qualiter conuersatus sum vobiscum. Quæ præsens dicebam vobis, hæc & absens scribo: *Qui non amat Dominum Iesum, sit anathema.* Imitatores mei estote. Consimilis animæ vobiscum fiam; quando vtique Deo potiar. *Mementote meorum vinculorum.*

1. Cor. 16. 22.

Coloss. 4. 18.

B

Presbyteri, *pascite eum qui in vobis gregem:* vsquequo ostendat Deus futurum principari vobis. *Ego enim iam sacrificor, & tempus resolutionis meæ instat, vt Christum lucrifaciam.* Diaconi cognoscant cuius sint dignitatis: & studeant immaculati esse, vt sint imitatores Christi. Populus subiiciatur Presbyteris & Diaconis. Virgines cognoscant cui consecrauerunt seipsas.

1. Pet. 5. 2. 2. Tim. 4. 6. Phil. 3. 8.

Viri diligant coniuges: recordantes quoniam vna vni, non multæ vni datæ sunt in creatione. Mulieres honorent viros, vt propriam carnem: neque ex nomine ipsos audeant vocare. Castificent autem; solos viros coniuges esse existimantes: quibus & vnitæ sunt secundum sententiam Dei. Parentes, filios erudite disciplinam sacram. Filij, honorate parentes: *vt benè vobis sit.*

Malac. 2. 15. Matt. 19. 4. 5. Eph. 6. 3.

Domini, non superbè seruis præferamini: imitantes Iob, dicentem. *Si autem & deprauaui iudicium serui mei, vel ancillæ meæ, iudicantis ipsis ad me. Quid enim faciam, si scrutinium mei Dominus faciat?* & quæ deinceps, scitis. Serui, non irritetis Dominos in irâ: vt non malorum insanabilium vobismet causæ fiatis.

Iob. 31. 13. 14.

C

Otiosus nullus comedat; vt non negligens fiat & fornicarius. Ebrietas, ira, inuidia, contumelia, clamor, blasphemia, *neque nominentur in vobis.* Viduæ non delicientur; vt non aberrent à sermone. Cæsari subiicimini, in quibus non periculosa subiectio. Principes non irritetis in amaricationem: vt non detis occasionem quærentibus aduersum vos occasionem. De incantatione, vel puerili desiderio, vel homicidio, superfluum scribere: quum hæc & Gentibus prohibita sint fieri. Hæc non vt Apostolus iubeo; sed vt conseruus vester, monefacio vos.

Eph. 5. 3.

Saluto sanctum Presbyterium. Saluto sacros Diaconos, & desideratum mihi nomen: quem videam pro me in Spiritu sancto, cum vtique Christo fruar; cuius consimilis animi fiam. Saluto subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, laborantes, exorcistas, confessores. Saluto custodes sanctarum portarum, existentes in Christo ministros. Saluto à Christo sumptas virgines: quibus fruar in Domino Iesu. Saluto venerabilissimas viduas. Saluto populum Domini, à paruo vsque ad magnum, & omnes sorores meas in Domino.

D

Saluto Cassianum, & coniugem ipsius, & filios. Salutat vos Polycarpus dignè decens Episcopus, cui & cura est de vobis: cui & commendaui vos in Domino. Sed & omnis Ecclesia Smyrnæorum memoriam habet vestri in orationibus in Domino. Salutat vos Onesimus, Ephesiorum Pastor. Salutat vos Magnesias Episcopus. Salutat vos Polybius, Trallæorum. Salutant vos Philon & Agathopus diaconi, consecutores mei. *Salutate adinuicem in osculo sancto.*

2. Cor. 13. 12.

Hæc à Philippis scribo vobis. Sanet vos qui est solus ingenitus, per ante sæcula genitum, custodiat spiritu & carne: & videam vos in Christi aduentu. Saluto eum qui pro me futurus est principari vobis: quo fruar in Christo. Valete in Deo & Christo, illuminati Spiritu sancto.

E

EIVSDEM SANCTI IGNATII Epistola ad Heronem Diaconum Ecclesiæ Antiochenorum.

IGnatius, qui & Theophorus, à Deo honorato & desideratissimo, Christifero, spirituali filio in fide & charitate, Heroni diacono Iesu Christi & famulo Dei, gratia, misericordia & pax ab omnipotenti Deo & Iesu Christo Domino nostro, vnigenito filio ipsius; qui dedit semetipsum pro nobis & peccatis nostris, vt eriperet nos ex præsenti sæculo nequam, & saluaret in regnum ipsius supercœleste.

Deprecor te in Deo apponere cursui tuo, & iustificare tuam dignitatem. Concordiamque ad Sanctos cura. Infirmiores porta, vt *impleas legem Christi.* Ieiuniis & orationibus vaca: sed non immoderatè, vt teipsum prosternas. A vino & carnibus non omnino abstine: non enim sunt abominabilia. (*Bona enim terra comedite,* ait. Et, *Manducate carnem vt olera.* Et, *Vinum lætificat cor hominis, & oleum exhilarat, & panis confirmat.*) sed moderatè & ordinatè, vt Deo tribuente. *Quis enim comedit, vel quis bibit, sine ipso?* quoniam *si quid bonum ipsius; & si quid bonum, ab ipso.* Lectioni attende: vt non solum ipse scias leges, sed & aliis ipsas enarres, vt Dei athleta. *Nullus militans implicatur vitæ negotiis: vt ei cui militat placeat. Si autem & certet quis; non coronatur, nisi legitimè certauerit.* Consimilis animæ tibi ego vinctus.

Gal. 6. 2. Esa. 1. 19. Gen. 9. 3. Psal. 103. F (al. 104.) 15. Eccl. 2. 25. Zach. 9. 17. (iuxta LXX.) 2. Tim. 2. 4. 5.

Omnis qui dicit præter præcepta; etsi dignus fide sit, etsi ieiunet, etsi virginitatem seruet, etsi signa faciat & prophetet, lupus tibi appareat, in ouis pelle, ouium corruptionem operans. Si quis negat crucem, & passionem erubescit; sit tibi sicut Antichristus & Aduersarius: *etsi distribuat in cibos quæ habet pauperibus, etsi montes transferat, etsi tradat corpus in combustionem;* sit tibi abominabilis. Si quis deprauat Legem vel Prophetas, quos Christus præsens adimpleuit; sit tibi vt Antichristus. Si quis hominem nudum dicit Dominum, Iudæus est Christi occisor.

Matth. 7. 15. 1. Cor. 13. 2. 3.

G

Viduas honora, eas quæ vere viduæ. Orphanos protege. Deus enim *pater est orphanorum, & iudex viduarum.* Nihil sine Episcopis operare. Sacerdotes enim sunt: tu autem Diaconus sacerdotum. Illi baptizant, sacrificant, manus imponunt: tu autem ipsis ministras, vt Stephanus sanctus, in Hierosolymis, Iacobo & Presbyteris. Congregationes non negligas: ex nomine omnes require. *Nullus tuam iuuentutem contemnat: sed exemplum esto fidelium in sermone & conuersatione.*

1. Tim. 5. 3. Psal. 67. (al. 68.) 5. 1. Tim. 4. 12.

Seruos non erubesce: communis enim nobis & ipsis natura. Mulieres non abominare: ipsæ enim te genuerunt & enutriuerunt. Diligere igitur oportet causas generationis; solum in Domino. Sine muliere autem vir non pueros faciet. Honorare igitur oportet coniuges generationis. *Neque vir sine muliere, neque mulier sine viro:* nisi in protoplastis. Adæ enim corpus ex quatuor elementis: Euæ autem ex costâ Adæ. Sed & gloriosus partus Domini ex solâ Virgine, non abominabili legali mixtione, sed Deo decente generatione. Decuit enim ipsum, conditorem existentem, non consuetâ vti generatione, sed inopinabili & peregrinâ vt conditorem.

1. Cor. 11.

H

Superbiam fuge. *Superbis enim Deus resistit.* Falsiloquium abominare: *Perdes enim omnes loquentes mendacium.* Ab inuidiâ te custodi. Princeps enim ipsius Diabolus; & successor Cain, fratri inuidens, & ex inuidiâ homicidium operans. Sorores meas mone sufficere coniugibus. Virgines custodi, vt Christi vasa. Longanimis sis; vt sis in prudentiâ multus. Inopes non negligas, in quibus vtique abundas. *Eleemosynis enim & fide purgantur peccata.*

Gen. 2. Iacob. 4. 6. & 1. Pet. 5. 5. Psal. 5. 6. Gen. 4. Tob. 12. 9. cum 14. 11.

Teipsum castum serua, vt Dei habitaculum: templum Christi existis, organumque Spiritus. Nosti qualiter te enutriui. Etsi minimus sum, zelotes mei fias: imitare meam conuersationem. Non glorior mundo, sed in Domino. Heroni filio meo moneo: *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur.* Fruar te, puer meus desiderate: cuius

1. Cor. 1. 31. & 2. Cor. 10. 17.

autem viuit, Deo viuit. Quia quid opus vinculis, Christo non mortuo? quid opus sustinentiâ, quid opus flagellis? Quid vnquam, Petrus crucifixus est, Paulus & Iacobus gladio cæsi sunt, Iohannes vero relegatus est in Pathmo, Stephanus autem lapidibus occisus est à Domini occisoribus Iudæis? Sed nihil horum vanè. Veritate enim crucifixus est Dominus ab impiis.

Et sic natus ex muliere filius est Dei, & crucifixus primogenitus omnis creaturæ & Deus verbum; & ipse fecit omnia. Dicit enim Apostolus: *Vnus Deus Pater, ex quo omnia; & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia*, & rursus: *Vnus enim Deus, & vnus mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus, & in ipso creata sunt omnia quæ in cælo & in terrâ, visibilia & inuisibilia: & ipse est ante omnia, & omnia in ipso consistunt.*

Et quoniam non ipse est qui super omnia Deus Pater, sed filius illius, dicit: *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, & Deum meum & Deum vestrum.* Et, *quando subiecta ipsi erunt omnia, tunc & ipse subiicietur ei qui subiecit ei omnia; vt sit Deus omnia in omnibus.* Igitur est alter qui subiecit, & qui est omnia in omnibus; & alter cui subiecta sunt, qui & cum omnibus subiicietur.

Et neque nudus homo, per quem & in quo facta sunt omnia. *Omnia* enim *per ipsum facta sunt. Quum fecit cælum, coaderam ipsi*: & illic *eram apud ipsum componens, & applaudebat mihi quotidie.* Qualiter autem vtique nudus homo audiret; *Sede à dextris meis*? Qualiter autem & diceret; *Priusquam Abraham fieret, ego sum*; &, *Clarifica me claritate quam habui, antequam mundus esset, à te*? Qualis autem homo nudus diceret; *Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me*? De quali homine vero diceret? *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt.* Qualiter ergo talis nudus homo, & ex Mariâ habens principium essendi; sed non Deus verbum, & filius vnigenitus? *In principio* enim *erat verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et in aliis: *Dominus creauit me principium viarum suarum, in opera sua; ante sæculum fundauit me, & ante omnes colles generat me.*

Quoniam autem & resurgunt corpora nostra, dicit: *Amen dico vobis, quoniam venit hora, in quâ omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent*: Et Apostolus: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Et quoniam oportet temperatè viuere & iustè Deo; rursus: *Non erretis: neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fornicatores, neque maledici, neque ebriosi, neque fures, regnum Dei hæreditare poterunt.* Et, *Si mortui non resurgunt: neque Christus resurrexit. Inanis ergo prædicatio nostra; inanis autem & fides vestra: adhuc estis in peccatis vestris. Ergo qui & dormierunt in Christo, perierunt. Si in vitâ hâc sperantes sumus in Christo solum; miserabiliores omnibus hominibus sumus. Si mortui non resurgunt: comedamus & bibamus; cras enim moriemur.* Sic autem dispositi, quid distabimus ab asinis & canibus, qui nihil de futuro curant; in appetitum euntes & eorum quæ post comedere? Inscij enim sunt mouentis intus intellectûs.

Fruar vobis in Domino. Vigilate omnem vnusquisque malitiam deponere, & feralem furorem, detractionem, calumniam, turpiloquium, scurrilitatem, susurrationem, inflationem, ebrietatem, luxuriam, auaritiam, inanem gloriam, inuidiam, & omne his concurrens: *Induite Dominum nostrum Iesum Christum, & carnis prouidentiam non fieri in concupiscentiis.* Presbyteri subiecti estote Episcopo, Diaconi Episcopo & Presbyteris, populus Diaconis. Consimilis ego his qui custodiunt hanc bonam ordinationem: & Dominus sit cum ipsis continuè.

Viri, diligite sponsas vestras; vxores, coniuges vestros. Pueri, parentes præhonorate: *Parentes, filios nutrite in disciplinâ & admonitione Domini.* Eas quæ in virginitate honorate, vt sacras Christi: eas quæ in honestate viduas, vt altare Dei. Domini, cum moderamine seruis præcipite: serui, cum timore Dominis ministrate. Nullus in vobis otiosus maneat: mater enim indigentiæ otiositas. Hoc enim non præcipio, vt existens aliquis, etsi ligor: sed, vt frater, ad memoriam reuoco. Sit Dominus vobiscum.

B

Fruar vestris orationibus: orate vt Iesu fruar. Commendo vobis eam quæ in Antiochiâ Ecclesiam. Salutant vos Ecclesiæ Philippensium: vnde & scribo vobis. Salutat vos Philon diaconus vester: cui & gratias ago, studiosè ministranti mihi in omnibus. Salutat vos Diaconus, qui ex Syriâ sequitur me in Christo. Salutate ad inuicem in sancto osculo. Saluto vniuersos & vniuersas in Christo. Valete animâ & spiritu: & mei non obliuiscamini. Dominus vobiscum.

2.Cor. 13.12.

EIVSDEM SANCTI IGNATII Epistola ad Antiochenos.

F

IGnatius, qui & Theophorus, Ecclesiæ habenti propitiationem à Deo, dilectæ à Christo, aduenæ in Syriâ, & primæ Christi cognominationem accipienti in Antiochiâ; in Deo Patre, & Domino Iesu Christo gaudere.

Leuia mihi & non onerosa vincula Dominus fecit, discenti pacem habere vos, & in omni concordiâ carnali & spirituali conuersari. Deprecor igitur vos ego vinctus in Domino, *dignè ambulare vocatione quâ vocati estis*: obseruantes vos ab inductis hæresibus maligni, in deceptione & perditione persuasorum ab ipso. Attendite autem Apostolorum doctrinæ & Legi & Prophetis credere; omnem Gentilem & Iudaicum abiicere errorem: & neque multitudinem Deorum inducere, neque Christum negare occasione vnius Dei.

Colos. 4.1.

Moyses enim fidelis seruus Dei dicens, *Dominus Deus tuus Dominus vnus est*, & verum & solum prædicans Deum, confessus est confestim & Dominum nostrum dicens: *Pluit Dominus super Sodomam & Gomorram ignem à Domino & sulphur*, & rursus: *Et dixit Deus, faciamus hominem secundum imaginem nostram & secundum similitudinem*, &, *fecit Deus hominem; secundum imaginem Dei fecit ipsum.* Et deinceps: *quoniam in imagine Dei fecit hominem.* Et quia fiet homo, ait: *Prophetam vobis suscitabit Dominus ex fratribus vestris sicut me.*

Deut.6. 4. cum Marc. 12. 29.

G

Genes. 19 24.

Genes.1. 26-27.

Gen.5.1. & 9. 6.

Deut.18. 15. cum Actor.3. 22.& 7. 37.

Prophetæ autem dicentes, vt ex personâ Dei; *Ego Deus primus, & ego post hæc, & præter me non est Deus*: de Patre omnium dicunt. Et de Domino nostro Iesu Christo: *Filius, ait, datus est nobis, cuius principium desuper; & vocatur nomen ipsius Magni consilij Angelus, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, potestatiuus.* Et de inhumanatione ipsius: *Ecce Virgo in vtero concipiet, & pariet filium; & vocabunt nomen eius Emmanuel.* Et de passione: *Vt ouis ad occisionē ductus est, & quasi agnus coram tondente ipsum sine voce.* Et, *Ego sicut agnus innocens ductus ad sacrificandū.*

Esai.44. 6.

Es.9.6.

Esai. 7. 14. cum Matt.1. 23.

Esai.53. 7.

Et Euangelistæ dicentes, vnum Patrem *solum verum Deum*; & quæ secundum Dominum nostrum non dereliquerunt, sed scripserunt: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et de inhumanatione: *Verbum*, ait, *caro factum est, & inhabitauit in nobis*, &, *Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham.* Apostoli autem docentes, quoniam *Deus* est, dicebant illi ipsi, quoniam *vnus & mediator Dei & hominum.* Et incorporationem & passionem non erubuerunt. Quid enim * ait? *Homo Iesus Christus; qui dedit semetipsum redemptionem* pro mundi vitâ.

H

Act. 8. 32.

Ier.11. 19.

Ioan. 17. 3.

Ioan.1. 1-3.

Ioan.1. 14.

Matt.1.1.

1.Cor.8. 4-6.

Gal.3. 20.

Ephes.4. 5-6.

* aiunt.

Omnis igitur qui vnum annuntiat Deum, in interemptione diuinitatis Christi filius est Diaboli, & inimicus omnis iustitiæ. Et qui confitetur Christum, non eius qui fecit mundum filium, sed alterius cuiusdam incogniti, præter quem prædicauit Lex & Prophetæ, iste organum est ipsius Diaboli. Et qui inhumanationem renuit, & crucem erubescit, propter quam ligatus sum; iste est Antichristus. Et qui nudum hominem dicit Christum, maledictus est, secundum Prophetam, *non in Deo confidens*

Ier. 17. 5-6.

sed

A

sed in homine. Propter quod & fine fructu est, proximus agresti myricæ.

Hæc scribo vobis, ô Christi iuuentus; non conscius vobis habere talem sensum: sed præseruans vos, vt Pater proprios filios. Videte igitur in malum currentes operatores, *inimicos crucis Christi; quorum finis perditio, quorum Deus venter, quorum gloria in confusione ipsorum.* Videte canes sine voce, serpentes surrepentes, insoueatos dracones, aspides, basiliscos, scorpiones. Isti enim sunt Thoës vulpes, hominis imitatores simiæ.

Phil.3. 18.19.

Pauli & Petri fiatis discipuli: non perdatis depositum. Recordamini Euodij dignè beati Pastoris vestri; qui primus ordinatus ab Apostolis in vestram prælationem. Non erubescamus patrem: fiamus proprij pueri, sed non nothi. Scitis qualiter conuersatus sum vobiscum. Quæ præsens dicebam vobis, hæc & absens scribo: *Qui non amat Dominum Iesum, sit anathema.* Imitatores mei estote. Consimilis animæ vobiscum fiam; quando vtique Deo potiar. *Mementote meorum vinculorum.*

1.Cor. 16.22.

Coloss. 4. 18.

B

Presbyteri, *pascite eum qui in vobis gregem*: vsquequo ostendat Deus futurum principari vobis. *Ego enim iam sacrificor, & tempus resolutionis meæ instat, vt Christum lucrifaciam.* Diaconi cognoscant cuius sint dignitatis: & studeant immaculati esse, vt sint imitatores Christi. Populus subiiciatur Presbyteris & Diaconis. Virgines cognoscant cui consecrauerunt seipsas.

1.Pet.5.2 2 Tim. 4 6. Phil.3 8.

Viri diligant coniuges: recordantes quoniam vna vni, non multæ vni datæ sunt in creatione. Mulieres honorent viros, vt propriam carnem: neque ex nomine ipsos audeant vocare. Castificent autem; solos viros coniuges esse existimantes: quibus & vnitæ sunt secundum sententiam Dei. Parentes, filios erudite disciplinam sacram. Filij, honorate parentes: *vt benè vobis sit.*

Malac.2, 15. Matt.19. 4.5.

Eph.6.3.

Domini, non superbè seruis præferamini: imitantes Iob, dicentem. *Si autem & deprauaui iudicium serui mei, vel ancillæ meæ, iudicantis ipsis ad me. Quid enim faciam, si scrutinium mei Dominus faciat?* & quæ deinceps, scitis. Serui, non irritetis Dominos in irâ: vt non malorum insanabilium vobismet causæ fiatis.

Iob.31. 13.14.

C

Otiosus nullus comedat; vt non negligens fiat & fornicarius. Ebrietas, ira, inuidia, contumelia, clamor, blasphemia, *neque nominentur in vobis.* Viduæ non delicientur; vt non aberrent à sermone. Cæsari subiicimini, in quibus non periculosa subiectio. Principes non irritetis in amaricationem: vt non detis occasionem quærentibus aduersum vos occasionem. De incantatione, vel puerili desiderio, vel homicidio, superfluum scribere: quum hæc & Gentibus prohibita sint fieri. Hæc non vt Apostolus iubeo; sed vt conseruus vester, monefacio vos.

Eph.5.3.

Saluto sanctum Presbyterium. Saluto sacros Diaconos, & desideratum mihi nomen: quem videam pro me in Spiritu sancto, cum vtique Christo fruar; cuius consimilis animi fiam. Saluto subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, laborantes, exorcistas, confessores. Saluto custodes sanctarum portarum, existentes in Christo ministros. Saluto à Christo sumptas virgines: quibus fruar in Domino Iesu. Saluto venerabilissimas viduas. Saluto populum Domini, à paruo vsque ad magnum, & omnes sorores meas in Domino.

D

Saluto Cassianum, & coniugem ipsius, & filios. Salutat vos Polycarpus dignè decens Episcopus, cui & cura est de vobis: cui & commendaui vos in Domino. Sed & omnis Ecclesia Smyrnæorum memoriam habet vestri in orationibus in Domino. Salutat vos Onesimus, Ephesiorum Pastor. Salutat vos Magnesias Episcopus. Salutat vos Polybius, Trallæorum. Salutant vos Philon & Agathopus diaconi, consecretores mei. *Salutate adinuicem in osculo sancto.*

2.Cor.13. 12.

Hæc à Philippis scribo vobis. Sanet vos qui est solus ingenitus, per ante sæcula genitum, custodiat spiritu & carne: & videam vos in Christi aduentu. Saluto eum qui pro me futurus est principari vobis: quo fruar in Christo. Valete in Deo & Christo, illuminati Spiritu sancto.

E

EIVSDEM SANCTI IGNATII Epistola ad Heronem Diaconum Ecclesiæ Antiochenorum.

IGnatius, qui & Theophorus, à Deo honorato & desideratissimo, Christifero, spirituali filio in fide & charitate, Heroni diacono Iesu Christi & famulo Dei, gratia, misericordia & pax ab omnipotenti Deo & Iesu Christo Domino nostro, vnigenito filio ipsius; qui dedit semetipsum pro nobis & peccatis nostris, vt eriperet nos ex præsenti sæculo nequam, & saluaret in regnum ipsius supercœleste.

Deprecor te in Deo apponere cursui tuo, & iustificare tuam dignitatem. Concordiamque ad Sanctos cura. Infirmiores porta, vt *impleas legem Christi.* Ieiuniis & orationibus vaca: sed non immoderatè, vt teipsum prosternas. A vino & carnibus non omnino abstine: non enim sunt abominabilia. (*Bona enim terræ comedite,* ait. Et, *Manducate carnem vt olera.* Et, *Vinum lætificat cor hominis, & oleum exhilarat, & panis confirmat.*) sed moderatè & ordinatè, vt Deo tribuente. *Quis enim comedit, vel quis bibit, sine ipso?* quoniam *si quid bonum ipsius; & si quid bonum, ab ipso.* Lectioni attende: vt non solum ipse scias leges, sed & aliis ipsas enarres, vt Dei athleta. *Nullus militans implicatur vitæ negotiis: vt ei cui militat placeat. Si autem & certet quis; non coronatur, nisi legitimè certauerit.* Consimilis animæ tibi ego vinctus.

Gal.6.2

Esa.1.19 Gen.9.3 Psal.10

F

Psal.104 15. Eccl.. 15. Zach.9. 17.(iuxta LXX.) 2 Tim.2 4.5.

Omnis qui dicit præter præcepta; etsi dignus fide sit, etsi ieiunet, etsi virginitatem seruet, etsi signa faciat & prophetet, lupus tibi appareat, in ouis pelle, ouium corruptionem operans. Si quis negat crucem, & passionem erubescit; sit tibi sicut Antichristus & Aduersarius: *etsi distribuat in cibos quæ habet pauperibus, etsi montes transferat, etsi tradat corpus in combustionem;* sit tibi abominabilis. Si quis deprauat Legem vel Prophetas, quos Christus præsens adimpleuit; sit tibi vt Antichristus. Si quis hominem nudum dicit Dominum, Iudæus est Christi occisor.

Matth; 15.

1.Cor.13 2.3.

G

Viduas honora, eas quæ verè viduæ. Orphanos protege. Deus enim *pater est orphanorum, & iudex viduarum.* Nihil sine Episcopis operare. Sacerdotes enim sunt: tu autem Diaconus sacerdotum. Illi baptizant, sacrificant, manus imponunt: tu autem ipsis ministras, vt Stephanus sanctus, in Hierosolymis, Iacobo & Presbyteris. Congregationes non negligas: ex nomine omnes require. *Nullus tuam iuuentutem contemnat: sed exemplum esto fidelium in sermone & conuersatione.*

1 Tim.5 3. Psal.67. (al.68.) 5.

1. Tim. 4. 12.

Seruos non erubesce: communis enim nobis & ipsis natura. Mulieres non abominare: ipsæ enim te genuerunt & enutriuerunt. Diligere igitur oportet causas generationis; solum in Domino. Sine muliere autem vir non pueros faciet. Honorare igitur oportet coniuges generationis. *Neque vir sine muliere, neque mulier sine viro:* nisi in protoplastis. Adæ enim corpus ex quatuor elementis: Euæ autem ex costâ Adæ. Sed & gloriosus partus Domini ex solâ Virgine, non abominabili legali mixtione, sed Deo decente generatione. Decuit enim ipsum, conditorem existentem, non consuetâ vti generatione, sed inopinabili & peregrinâ vt conditorem.

1.Cor.11

H

Superbiam fuge. *Superbis enim Deus resistit:* Falsiloquium abominare: *Perdes enim omnes loquentes mendacium.* Ab inuidiâ te custodi. Princeps enim ipsius Diabolus; & successor Caïn, fratri inuidens, & ex inuidiâ homicidium operans. Sorores meas mone sufficere coniugibus. Virgines custodi, vt Christi vasa. Longanimis sis; vt sis in prudentiâ multus. Inopes non negligas, in quibus vtique abundas: *Eleemosynis enim & fide purgantur peccata.*

Gen.1. Iacob.4. 6 & 1.Pet 5.5 Psal.5.6. Gen 4.

Tob 12. 9. cum 14.11.

Teipsum castum serua, vt Dei habitaculum: templum Christi existis, organumque Spiritûs. Nosti qualiter te enutriui. Etsi minimus sum, zelotes mei fias: imitare meam conuersationem. Non glorior mundo, sed in Domino. Heroni filio meo moneo: *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur.* Fruar te, puer meus desiderate: cuius

1 Cor.1. 31. 2.Cor. 10.17.

custos fiat folus ingenitus Deus, Dominus Iefus Chriftus. Non omnibus crede, non de omnibus confide; neque vtique aliquis feducat te. Multi enim funt miniftri Sathanæ: & *qui velociter credit, leuis eft corde.*

Memento Dei, & non peccabis aliquando. Non fis *duplicis animæ* in oratione tuâ. Beatus enim qui non dubitat. Credo enim in Patrem Domini noftri Iefu Chrifti, & in vnigenitum ipfius Filium; quoniam oftendit mihi Deus Heronem in throno meo. Appone igitur ad curfum. Annuntio tibi in Deo omnium, & in Chrifto præfente, & Spiritu fancto, & adminiftratoriis ordinibus; cuftodi meum depofitum, quod ego & Chriftus depofuimus tibi; & non teipfum indignum iudices expectatis de te à Deo. Commendo tibi Ecclefiam Antiochenorum. Polycarpo commendaui vos in Domino Iefu Chrifto.

Salutant te Epifcopi, Onefimus, Bitus, Damas, Polybius, & omnes qui à Philippis in Chrifto, vnde mifi tibi. Saluta fanctos condiaconos tuos: quibus ego fruar in Domino, carne & fpiritu. Saluta populum Domini, à paruo vfque ad magnum, fecundum nomen: quos commendo tibi, vt Moyfes Iefu post ipfum Duci. Et non tibi videatur graue quod dictum eft. Et fi non fumus tales, quales illi; fed tamen oramus fieri: quia & Abrahami fumus pueri. Fortificare igitur, ô Heron, heroice & viriliter. Tu enim educes populum Domini, eum qui in Antiochiâ: *& non erit Synagoga Domini ficut oues quibus non eft paftor.*

Saluta Caffianum peregrinum meum, & coniugem ipfius venerabiliffimam, & dilectiffimos ipforum pueros; quibus *dabit Deus inuenire mifericordiam à Domino in illâ die*, eius quæ in nos adminiftrationis gratia; quos & commendo tibi in Chrifto Iefu. Saluta eos qui in Laodiceâ fideles omnes, fecundum nomen in Chrifto. Eos qui & in Tharfo non negligas; fed magis continuè ipfos vifita, confirmans ipfos fecundum Euangelium. Mariam, cum qui in Neapoli, eam quæ ad Zasbo Epifcopum, faluto in Domino. Saluta autem & Venerabiliffimam Mariam filiam meam, multimodè eruditiffimam, & eam quæ fecundum domum ipfius Ecclefiam: cui confimilis animæ fiam, exemplarium piarum mulierum, fanum te & in omnibus approbatum, Pater Chrifti per vnigenitum cuftodiat in longum viuere, ad vtilitatem Ecclefiæ Chrifti. Vale in Domino, & ora vt perficiar.

NOTA.

Textus Græcus Epiftolæ ad Philippenfes defideratur in codice Florentino, & etiam verfio Latina abeft à veteri codice anglicano; Quare fufficiat Lectori verfio Vaffenij fupra pofita.

Finis genuinarum fancti Ignatij Martyris Epiftolarum.

D. POLYCARPI MARTYRIS, Smyrnæorum Epifcopi, & Difcipuli S. Ioannis Euangeliftæ, ad Philippenfes Epiftola.

INDICEM *auctorum fide præftantium, qui de S. Polycarpo perfcripferunt, fuppeditant nota ad Romanum Martyrologium 26. Ianuarij, & Tom. 11. Annal. Ecclef. Huius autem Epiftolæ ad Philippenfes meminit S. Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclefiafticis hifce verbis: Scripfit ad Philippenfes valde vtilem Epiftolam, quæ vfque hodie in Afiæ conuentibus legitur, de eâ Epiftolâ hæc obferuauit Baronius in notis. Extat infignis Epiftola Polycarpi ad Philippenfes cuius meminit S. Hieronymus, quam piæ memoriæ vir doctiffimus pariter ac religiofiffimus Francifcus Turrianus Societatis* IESV *longè prolixiorem illâ, quæ habetur typis excufa, apud fe effe Græcè fcriptam cùm viueret, teftatus eft. Speramus eam vnà cum cæteris egregiis vetuftatis monumentis, quæ fummo labore collegit, propediem effe edendam. Tantum Baronius: in Indice Græcorum codicum Bibliothecæ Turrianæ, quem texuit nuper Poffeuinus, nullum verbum de Græcâ Epiftolâ Polycarpi.*

Irenæus lib. 3. aduerfus hærefes cap. 3.

Eft etiam Epiftola Polycarpi ad Philippenfes fcripta accuratiffimè: ex quâ expreffam fidei illius notam, & veritatis prædicationem, hi quibus libitum fit, quique fuæ falutis rationem ducant, poffunt manifeftè perfpicere.

Eufebius lib. 4. hift. Ecclef. cap. 13.

Polycarpus quidem in Epiftolâ ad Philippenfes fcriptâ quæ adhuc extat, quibufdam à priore Petri Epiftolâ teftimoniis vfus eft.

Photius in Bibliothecâ numero 126.

Lecta eft Polycarpi Epiftola ad Philippenfes, multis referta admonitionibus, cum perfpicuitate & fimplicitate, iuxta Ecclefiafticam interpretationis formam. Dicit vero & Epiftolas Ignatij Theophori ad eos fe mififfe, petitque ab illis fi quid de eo inaudierint, edoceri.

Ioannes Scotus, Operum S. Dionyfij Areopagitæ primus Latinus Interpres, in Epiftolâ fua illius interpretationis Dedicatoriâ, Dionyfij meminit, *inquit*, Lucas in Actibus Apoftolorum, & Dionyfius Epifcopus Corinthi: Beatus quoque Polycarpus in Epiftolâ ad Ecclefiam Athenarum, &c. *Hæc ex poftremâ editione Parifienfi, An. 1610.*

EX BELLARMINO DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

SAnctus Polycarpus Epifcopus & Martyr, vnam fcripfit Epiftolam egregiam ad Philippenfes, quæ cum Epiftolis S. Ignatij circumferetur: eius Epiftolæ meminit fanctus Hieronymus in lib. Script. Ecclef. & Eufebius libro tertio Hiftoriarum capite trigefimo, alias trigefimo fexto. Vixit tempore fancti Ignatij, fed fuperuixit vfque ad Imperium M. Antonini, vt idem fanctus Hieronymus in eodem loco teftatur.

SANCTI POLYCARPI SMYRNÆI Epifcopi & Martyris ad Philippenfes Epiftola.

Ex nouâ Interpretatione PHalloix S.I.

POlycarpus, & qui cum eo funt Presbyteri, Ecclefiæ Dei, quæ eft Philippis. Mifericordia vobis & Pax à Deo omnipotenti, & à Domino Iefu Chrifto Saluatore noftro multiplicetur.

Vobis mirificè congauifus fum in Domino noftro Iefu Chrifto, qui veræ charitatis imitamenta (Martyres) excepiftis, & deduxiftis (vt vobis Dominus infpirauit) compeditos vinculis quæ decent fanctos, & quæ verè funt diademata electorum à Deo & Domino noftro.

Et quod firma fidei veftræ radix à primis annuntiata temporibus, hodieque permanet, & fructificat in Domino noftro Iefu Chrifto, qui fuftinuit pro peccatis etiam mortî fe offerre. *Quem Deus fufcitauit, folutis doloribus inferni. In quem non videntes creditis, credentes, autem exultatis lætitiâ inenarrabili & glorificatâ.* In quam multi defiderant introire: cognofcentes, quod *Gratiâ eftis faluati, non ex operibus*, fed voluntate Dei per Iefum Chriftum.

Propter quod fuccincti lumbos feruite Deo in timore &

[Margin: Act. 2. 1.Pet.1. Ephef. 1.Pet.1.]

veritate

veritate : dimisso inani vaniloquio & vulgi errore : credentes in eum, *qui suscitauit Dominum nostrum Iesum Christum à mortuis, & dedit ei gloriam*, & thronum ad dexteram suam : cui omnia subiecta sunt cœlestia & terrestria : cui omnis spiritus seruit ; qui venit Iudex viuorum & mortuorum : cuius sanguinem requiret Deus ab iis, qui oon credunt in eum. Qui autem suscitauit eum à mortuis, & nos suscitabit : si faciamus eius voluntatem, & in mandatis eius ambulemus : & diligamus ea quæ dilexit abstinentes ab omni iniustitiâ, fraudatione, auaritiâ, detractione, falso testimonio, [1. Pet. 3.] *non reddentes malum pro malo & maledictum pro maledicto*, pugnum pro pugno execrationem pro execratione. Memores autem estote eorum, quæ dixit Dominus docens : [Matth. 7.] *Nolite iudicare & non iudicabimini : dimittite & dimittetur vobis*, misereminì, vt misericordiam consequamini. *In quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis*, & *beati pauperes, & qui persecutionem patiuntur propter iustitiam : quoniam ipsorum est regnum Dei.*

Hæc Fratres, non ex meo arbitrio vobis scribo de iustitiâ : sed quoniam vos me prouocastis, neque enim ego, neque alius mei similis, beati & gloriosi Pauli sapientiam consequi potest ; qui cum esset apud vos aliorum hominum more, qui tunc erant, verbum veritatis certò ac firmiter docuit : qui & absens vobis epistolas scripsit: ad quas si respiciatis, poteritis ædificari in fide quæ data est vobis, quæ est mater omnium nostrûm, spe subsequente, præcedente charitate in Deum, & in Christum, & in proximum.

Si quis enim hæc in se habuerit, præcepto iustitiæ satisfecerit. Qui coim habet charitatem, longè est ab omni peccato. Initium autem omnium malorum est auaritia. [1. Tim. 6.] Scientes igitur, *quod nihil intulerimus in hunc mundum, sed quod nec auferre quid possumus.* Armemur armis iustitiæ, & doceamus nos ipsos primum ambulare in mandatis Domini deinde & vxores vestras io fide quæ data est eis, & in charitate, & castitate, amantes viros suos in omni veritate, & diligentes cunctos æqualiter in omni continentiâ, & erudientes filios suos in disciplinâ timoris Dei. Viduæ sint prudentes circa fidem Domini, orantes sine intermissione pro omnibus, longe absistentes ab omni calumniâ, detractione, falso testimonio, auaritiâ, & omni malo ; scientes se altaria Dei & quod Deus omnia nostra consideret : vel eum quidquam lateat, neque cogitationum, neque intentionum, oeque etiam occultorum cordis.

[ad Gal. 6.] Scientes igitur *quod Deus non irridetur*, debemus dignè mandato eius & gloriâ ambulare. Diaconi similiter in conspectu iustitiæ eius sint irreprehensibiles, tanquam ministri Dei in Christo, & non hominum : non calumniatores, non bilingues ; non auari : sint autem continentes in omnibus, misericordes, diligentes, ambulantes in veritate Domini, qui omnium factus est minister : cui si placuerimus in hac vitâ, recipiemus & futuram : sicut vobis promisit, se vos excitaturum à mortuis : & si dignè ipso conuersari fuerimus, cum eo itidem vos regnaturos, si quidem credimus. Iuuenes item inculpati sint in omnibus : ante omnia curam castitatis habentes, & se ab omni malo refrænantes, bonum enim est à concupiscentiis in hoc mundo absistere, quia omnis concupiscentia militat [1. Cor. 6.] aduersus spiritum. *Neque fornicarij, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt* : neque qui absurda faciunt.

Quapropter ab his omnibus debetis absistere, subiecti presbyteris & diaconis, vt Deo & Christo. Virgines etiam oportet in immaculatâ & castâ conscientiâ ambulare. Presbyteri autem sint erga omnes piè affecti, misericordes, redocentes eos, qui aberrauerint, visitantes omnes infirmos, non negligentes viduam, aut orphanum, aut pauperem ; sed bonum semper prouidentes coram Deo & hominibus : absistentes ab omni irâ, iracundiâ, acceptione personarum, iudicio iniusto : remoti ab omni auaritiâ : non cito credentes aduersus quempiam : non rigidi in iudicio : scientes nos omnes peccato obnoxios esse. Si igitur Dominum deprecamur vt nobis dimittat, debemus & nos dimittere. Coram oculis enim Domini & Dei sumus : & omnes oportet *stare ante tribunal Christi*, & vnumquemque pro se ratiooem reddere. Sic igitur seruiamus illi cum timore & omni reuerentiâ, quemadmodum ipse præcepit, & qui nobis Euangelizauerunt Apostoli, & Prophetæ, qui aduentum Domini nostri prænuntiauerunt : bonorum æmulatores, à scandalis cauentes, & à falsis fratribus, & ab iis qui oomen Domini ferunt in hypocrisi, qui vanos homines seducunt.

Omnis enim qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse Antichristus est. Et qui non confitetur martyrium crucis ex diabolo est. Et qui deflexerit eloquia Domini ad sua desideria, & dixerit neque resurrectionem esse, neque iudicium, hic primogenitus satanæ.

Quare derelicta hominum imperitorum vanitate & falsâ doctrinâ, ad traditam nobis ab initio disciplinam conuertamur ; [1. Pet. 4.] *vigilantes in orationibus*, instantes ieiuniis, obsecrationibus : rogantes omnium inspectorem Deum, ne nos inducat in tentationem : sicut dixit Dominus: [Matt. 26.] *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

Indesinenter igitur adhæreamus spei nostræ, & pignori iustitiæ nostræ, qui est Christus Iesus : [1. Pet. 2.] *qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum : qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius* : sed propter nos, vt in ipso viuamus, omnia sustinuit.

Imitatores igitur simus patientiæ eius & si patiamur propter nomen eius, glorificamus illum hoc enim exemplum nobis posuit in se ipso, & non illud credidimus.

Rogo igitur vos omnes vt obediatis verbo iustitiæ, & omnem patientiam exerceatis, quam oculis ipsis vidistis, non solum in beatis illis Igoatio & Zozimo & Ruso, sed in aliis quoque ex vobis, & io ipso Paulo, & reliquis Apostolis, pro certo persuasi, quod hi omnes non in vanum concurrerunt, sed in iustitiâ, & quod ad debitum sibi locum apud Dominum decesserunt, cui & compassi sunt.

Neque enim hoc sæculum amarunt : sed eum qui pro nobis mortuus est.

In his ergo state & Domini exemplar sequimini, firmi in fide & immutabiles, fraternitatis amatores, diligentes inuicem, in veritate sociati, mansuetudinem Domini alterutri præstantes, nullum despicientes, cum potestis benefacere, nolite differre. [Tob. 1.] *Eleemosyna de morte liberat* : omnes vobis inuicem subiecti estote : [1. Pet. 2.] *conuersationem vestram inter gentes habentes bonam* : vt ex bonis operibus vestris & vos laudem accipiatis, & Dominus in vobis non blasphemetur. Væ autem illi, per quem nomen Domini blasphematur. Sobrietatem ergo docete omnes : In quâ & vos conuersamini.

Nimis contristatus sum pro valente, qui presbyter factus est aliquando apud vos : quod sic ignoret locum, qui datus est ei. Moneo itaque vos, vt abstineatis ab auaritiâ, & sitis casti, & veraces. Abstinete ab omni malo. Qui autem in his non potest se gubernare ; quomodo alij pronuntiat hoc ? si quis non abstinuerit ab auaritiâ, ab idolatriâ coinquinabitur; & tanquam inter gentes iudicabitur. Quis ignorat iudicium Domini ? [1 Cor. 6.] *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt ?* Sicut Paulus docet. Ego autem nihil tale sensi in vobis, vel audiui, in quibus laborauit beatus Paulus, qui estis io principio Epistolæ eius; de vobis etenim gloriatur in omnibus Ecclesiis, quæ Deum solæ tunc cognouerant, nos autem nondum noueramus. Valde ergo fratres contristor pro illo & coniuge eius : quibus Dominus det pœnitentiam vestram. Sobrij estote & vos in hoc, & non sicut inimicos tales existimetis, sed sicut passibilia membra, & errantia eos reuocate, vt omnium vestrum corpus saluetis. Hoc enim agentes, vos ipsos ædificatis. Confido enim vos benè exercitatos esse in sacris litteris : & nihil vos latet : mihi autem non est concessum modo, vt his scripturis dictum est, [Psal. 4. ad Eph. 4.] *Irascimini & nolite peccare, & sol non occidat super iracundiam vestram*, beatus qui meminerit : quod ego credo esse in vobis, Deus autem & Pater Domini nostri Iesu Christi, ipse sempiternus Pontifex, Dei filius, Christus Iesus ædificet vos in fide & veritate, & omni mansuetudine, & sine iracundia, in patientiâ & longanimitate, & tolerantiâ &

altitate, & det vobis sortem & partem inter sanctos suos, & nobis vobiscum, & in omnibus qui sunt sub cœlo, qui credituri sunt in Dominum nostrum Iesum Christum & in ipsius Patrem, qui resuscitauit eum à mortuis. Pro omnibus sanctis orate. Orate etiam pro Regibus, & potestatibus & principibus, atque pro persequentibus & odientibus vos, & pro inimicis crucis, vt fructus vester manifestus sit in omnibus, vt sitis in illo perfecti.

Scripsistis mihi & vos & Ignatius vt si quis eat in Syriam, vestras etiam perferat litteras. Quod equidem faciam, si tempus opportunum nactus fuero, siue egometipse, siue is quem mittam legatione functurum etiam pro vobis. Ignatij Epistolas nobis habeo missas, & alias quotquot penes nos habuimus, vobis, sicut mandastis, misimus: quæ quidem huic Epistolæ subiunctæ sunt: quibus multum iuuari poteritis. Continent fidem, patientiam, & omnem ædificationem ad Dominum nostrum pertinentem.

Hæc vobis scripsi per Crescentem, quem in præsentem diem commendaui vobis, & nunc commendo. Conuersatus est nobiscum inculpabiliter: credo, quia vobiscum similiter, sororem autem eius habebitis commendatam, cum venerit ad vos. Incolumes estote in Domino Iesu Christo, gratia cum omnibus vobis. Amen.

Ex notis P. Francisci Feu-ardentij in opera S. Irenæi.

Hæc quinque non aspernanda fragmenta à me viderunt in quâdam vetustissimis characteribus manu descriptâ super quatuor Euangelistas cathenâ, inuenta, vt a Victore Capuano Episcopo ante mille & centum annos ibidem laudantur, hoc loco inserere opera pretium visum fuit. Hæc itaque ibidem leguntur.

Victor Episcopus Capuæ ex responsione Capitulorum S. Polycarpi Smyrnensis Episcopi, discipuli Ioannis Euangelistæ.

DIVI POLYCARPI SMYRNENSIS Episcopi, & Martyris, B. Ioannis Euangelistæ quondam discipuli, responsionum fragmenta.

MAtthæus Dominum dixisse testatur, quod Moyses scribit Adam loquutum fuisse hoc modo. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne meâ: propter hoc relinquet homo patrem & matrem, &c.* Sed concordant Domini verba cum Moysi sermonibus, qui Adam præbens officium inspiratione diuinâ prophetauit, ipse à Moyse hoc dixisse refertur. Deus verò qui per inspirationem diuinam in corde Adam ista verba formauit, ipse Pater à Domino rectè loquutus fuisse refertur. Nam & Adam hanc prophetiam protulit: & Pater qui eum inspirauit, rectè dicitur protulisse.

Idem ad hæc verba Christi, Calicem meum bibetis, &c. *Matth.20.*

Per huiusmodi potum, significat passionem. Et Iacobum quidem nouissimum martyrio consummandum, fratrem verò eius Ioannem transiturum absque martyrio; quamuis & afflictiones plurimas, & exilia tolerarit: sed præparatam martyrio mentem Christus martyrem iudicauit. Nam Apostolus Paulus, *quotidie* (inquit) *morior*; dum impossibile sit quotidie mori hominem eâ morte, quâ semel vita hæc finitur. Sed quoniam pro Euangelio ad mortem iugiter erat præparatus, se mori quotidie sub eâ significatione testatus est. Legitur & in dolio feruentis olei pro nomine Christi beatus Ioannes fuisse demersus.

Idem de initio Euangelij secundum Marcum.

Rationabiliter Euangelistæ principiis diuersis vtuntur, quamuis vna eademque euangelizandi eorum probetur intentio. Matthæus vt Hebræis scribens, genealogiæ Christi ordinem texuit, vt ostenderet ab eâ Christum descendisse progenie, de quâ eum nasciturum vniuersi Prophetæ cecinerant. Ioannes autem ad Ephesum constitutus, qui legem tanquam ex Gentibus ignorabant, à causâ nostræ redemptionis Euangelij sumpsit exordium: quæ causa ex eo apparet, quod Filium suum Deus pro nostrâ salute voluit incarnari. Lucas verò à Zachariæ sacerdotio incipit, vt eius Filij miraculo natiuitatis, & tanti prædicatoris officio, Diuinitatem Christi Gentibus declararet. Vnde & Marcus antiqua prophetici mysterij competentia aduentum Christi declarat: vt non noua, sed antiquitus prolata eius prædicatio probaretur. Aut per hoc Euangelistis curæ fuit, eo vti proœmio, quod vnusquisque iudicabat auditoribus expetere. Nihil ergo contrarium reperitur, vbi licet diuersis scriptis, ad eandem tamen patriam peruenitur.

Idem in illud: Noli vocare amicos tuos, sed pauperes & debiles, &c. *Luc.14.12.*

Præcepit non amicos, sed infirmos quosque vocandos ad prandium. Quod si claudus, aut quilibet eorum sit amicus, sine dubio talis pro amicitiâ minimè est rogandus: vnde ipsa quasi videntur se impugnare mandata. Nam si non amici, sed claudi & cæci sunt inuitandi, ipsosque quoque amicos esse contingat, nequaquam rogare debemus. Sed amicos, arbitror, intelligere hoc loco debemus illos, quos pro mundi huius terrenâ consideratione diligimus, non pro diuinæ contemplationis intuitu. Hi sunt igitur amici relinquendi. Denique, ideo debilium exempla proposuit, quos pro nullius possumus appetere necessitate negotij, nisi tantùm pro fructu retributionis æternæ.

Idem in illud: Opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam. *Ioan.17.4.*

Quomodo opus salutis humanæ adimplesse commemorat, cùm necdum crucis vexillum conscenderat: sed definitione voluntatis, de quâ cuncta venerandæ passionis insignia adire decreuerat, iure se opus perfecisse significat, &c.

Hæc Victor Capuanus vir Græcè & Latinè doctus circa annum Domin.480. ex Græco Responsionum capitulorum B. Polycarpi, quem nactus erat, codice, à se Latinè factâ recensuit: & in suprà nominatâ Cathenâ manuscriptâ, quam penes me habeo, & cum per Typographos licebit, studiosis communicabo, citantur: quæ in hunc locum inserere atque publicare visum est, quod hactenus nondum vulgata fuisse nouerim.

S. MARTIALIS APOSTOLI, Confessoris, & Episcopi Lemouiensis Epistolæ.

DE S. MARTIALI EX EIVS VITA Per S. Aurelianum eius discipulum & successorem Lemouiensem Episcopum, descriptâ, item ex Gregorio Turonensi & aliis.

SANCTVS Martialis de tribu Beniamin, Patre Marcello, matre Elisabethâ, Stephani Protomartyris Consanguineus, à S. Petro qui speciali amore consanguinitatis ei deuinctus fuit, Christo iubente baptizatus est ætatis anno 15. cum Zachæo & Iosepho qui

Dominum sepelinit. Quâ ex spirituali per baptismum inter eos contracta cognatione, & qua deinceps inter illos nunquam defecit charitate Christianâ, non omnino absurdum fuerit suspicari illum sumpsisse cepha cognomentum, quod ipse sibi tribuit initio Epistola ad Tholosanos. Christo postremùm cum discipulis cœnanti inseruiuit cum Cleophâ. Vidit suis ipse oculis, tremens, Iuda proditori condiscipulo suo datum à Christo osculum, vt ait cap.13. Epis. ad Tholosanos; eique & cum suscitaret Lazarum, & cum ascenderet in cœlum, adfuit. Apostolum anno 5. à Christi passione, antiochiam comitatus est, deinde & Romam anno, post, septimo: vbi annos duos commoratus, ab eo ad Lemouicenses, natus annos 31. destinatus est Episcopus; apud quos & totâ Aquitaniâ clarus miraculis vixit in summâ sanctitate. Post acquisitos verò Ecclesia populos, & Christi fidem per omnia dilatatam felici confessione reliquit terras, & in cœlestibus cum sancto Dionysio Parisiorum, Saturnino Tholosatum connumeratus est, Pontificatus sui anno 28. De eo Gregorius Turonensis, hist. Francorum lib.1. cap.30. & de gloriâ Confessorum cap.27. & 28.

EX BELLARMINO DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

Sanctus Martialis primus Episcopus Lemouicensis, dicitur scripsisse duas Epistolas, vnam ad Burdegalenses, alteram ad Tholosanos, quæ extant in Bibliothecâ SS. Patrum, sed multa sunt quæ eas Epistolas suppositítias esse indicare videantur.

Primùm enim author earum Epistolarum dicit, se cum Christo vixisse, antequam crucifigeretur: Martialis autem Episcopus primus Lemouicensium missus fuit ad eam vrbem, Decio Augusto & Grato Coss. anno Domin. 254. vt Gregorius Turonensis testatur libro 1. hist. cap.10. quare necesse est, vel Martialem vixisse fermè 300. annis, vel titulum Epistolarum esse falsum, qui authorem præfert Martialem Episcopum Lemouicensem, vel Epistolas esse confictas.

Deinde in secundâ Epistolâ cap.8. scribit author à se baptisatum Stephanum Regem, & quemdam alium Tyrannum cum satrapis suis. Atqui tempore Apostolorum, & etiam tempore Decij Imperatoris, non habuit Gallia vllos reges, sed Imperio Romano subiecta erat. Primum enim regem Romanis expulsis fuisse in Galliâ Clodionem Comatum Pharamundi filium post annum Domini 400. testantur omnes historici, Gregorius Turonicus libro 2. cap.9. qui eum vocat Clogionem, Ado Viennensis, Abbas Vespergensis, Aimonius, Paulus, Æmilius, Robertus Gaguinus, Papirius Massonus & alij.

Tertiò dicit idem author eodem loco, templa idolorum euersa fuisse & Ecclesias ædificatas authoritate regiâ ipso suo tempore; quæ videntur manifestè falsa; certe pugnant cum historiis Gregorij Turonici, Adonis & aliorum.

Quartò in Epistolâ eâdem cap.13. scribit author se interfuisse cum aliis discipulis quando Iudas osculo Dominum prodidit. Atqui hoc videtur repugnare Euangelio. Siquidem Marcus cap.14. & Lucas cap.22. dicunt, Christum cum duodecim vltimam cœnam celebrasse, & cum eisdem in hortum ingressum, ac deinde Iuda obuiam iuisse.

Quintò in Epistolâ eâdem cap.9. citantur verba scripturæ Geneseos secundum S. Hieronymi Versionem, quod etiam in vtrâque Epistolâ passim cernitur, id verò signum est apertissimum nouitatis.

Sextò in Epistolâ eâdem cap.8. dicit, Valeriam quandam in ipsâ Galliâ martyrio coronatam, id verò repugnat Sulpicio libro 2. sacra historia, & Gregorio Turonico libro 1. c.28. historia Francorum, qui scribunt temporibus M. Antonini primum intra Gallias martyria visa.

Multa sunt alia, quæ his Epistolis fidem detrahere videntur. Alioquin autem pia sunt, & ex iis non pauca dogmata Ecclesiastica confirmari possent aduersus nostri temporis hæreticos, si de tempore, quo scripta sunt planè constaret.

EX TOMO II. DISSERTATIONVM P. Philippi Labbe S. I. In Bellarminum de harum Epistolarum inuentione.

Notandum verùmque illam primùm fuisse inuentam anno circiter 1060. cum Henrico Rege Francorum defuncto, regnaret filius eius Philippus primus, in sacrario B. Petri in tumulo cuiusdam, vbi sepultura antistitum antiquitus fuerat, vt narrat qui centum post annis viuebat Gaufridus prior Vosiensis in Chronico quod editum est tom. 2. nouæ Bibliotheca MSS. Librorum pag. 288. Vnde mirum videtur, quo Doctore vsus Possenimus dixerit, Epistolas illas; qualescunque sint; suâ ætate dum esset in Galliâ repertas fuisse in sacrario Basilicæ S. Petri in vrbe Lemouicensi vbi catenus latuerant in arcâ saxeâ sub terrâ defossâ, quæ ob nimiam antiquitatem vix poterant legi.

Quo verò sæculo in Gallias venerit Martialis dictus Aquitanorum Apostolus, primone, an tantum tertio; quoue anno obierit, controuertitur inter recentiores Chronographos. Ioannes Cordesius Libellum in eam rem edidit, quem Latinitate donatum in alterâ parte Ecclesiastica Galliarum historia vulgauit Illustrissimus Franciscus Bosquetus Monspeliensis Episcopus; alij quoque deinceps eandem quæstionem agitarunt, & adhuc sub iudice lis est.

S. MARTIALIS APOSTOLI, *Confessoris & Episcopi Lemouicensis ad Burdegalenses Epistola prima.*

CAPVT PRIMVM.

Martialis seruus Dei & Apostolus Iesu Christi cum sancto Spiritu qui repleuit corda nostra, qui subdidit sibi omnem mundum qui alligauit diabolum & peccatum, Burdegalensibus iam in Christo renatis per aquam & spiritum Sanctum, filiis & filiabus, cum forte & hæreditate Dei, quæ data est per orationem, pax vobis & misericordia quia cognouistis veritatem: manifestaui enim vobis nomen creatoris, qui solus est creator; cœlum enim & terram mare & omnia quæ in eis sunt ipse creauit & perfecit & benedixit, vos autem ignorabatis ipsum genus vestrum, vel vos de vno patre & vnâ matre creatos esse noueratis. Sed & vindictam quæ facta est per diluuium, nesciebatis, in quo, omni mundo punito quia contra creatorem se erexerat in omnem superbiam, ille qui solus iustus inuentus est, cum filiis, in spirituali Ecclesiâ quæ nunc in vobis apparet reseruatus est nam & in illo sæculo, ex quo primus homo c[illegible] à Deo formatus de limo, congregatio filiorum Dei, quæ iam congregatur, proclamabatur, donec pater generis nostri & Hebræorum, qui vocatus est Abraham, iustum filium suum dilectissimum Isaac quem vnicum susceperat, Deo super altare immolandum, hostiam obtulit vnde & fortis Deus non permisit eum occidi; quia non delectatur, sed valde magis offenditur effusione sanguinis hominum. Victima autem arietis, quæ debita erat in lege Hebræorum, pro homine cæsa est, sed Deus non sanguine, sed voluntate patris & filij iustâ delectatus est.

CAPVT II.

Ipsa figura, fratres, videntibus oculis nostris, in filio Dei, nostro tempore perfecta est. Deus enim qui pater est omnium gentium, vnicum suum quem solum genuit, & vnicè dilexit, ad mortem venire iussit. Mori enim potuit quia homo fuit, & quia de Virgine Mariâ natus est homo. Filius Dei ante principium fuit: & quia Deus erat, diu teneri in morte non potuit. Resurrexit enim ante lucem in die tertiâ de loco in quo eum sepeliri vidimus, & apparuit nobis, & lætificauit nos. Testes enim sumus, quia eum ascendere in cœlum vidimus, nec tamen à cœlis vnquam recessit scitote autem quia de cœlis contemplatur bonos

S. Martialis testis resurrectionis & ascensionis Christi.

&

castitate, & det vobis sortem & partem inter sanctos suos, & nobis vobiscum, & in omnibus qui sunt sub cœlo, qui credituri sunt in Dominum nostrum Iesum Christum & in ipsius Patrem, qui resuscitauit eum à mortuis. Pro omnibus sanctis orate. Orate etiam pro Regibus, & potestatibus & principibus, atque pro persequentibus & odientibus vos, & pro inimicis crucis, vt fructus vester manifestus sit in omnibus, vt sitis in illo perfecti.

Scripsistis mihi & vos & Ignatius vt si quis eat in Syriam, vestras etiam perferat litteras. Quod equidem faciam, si tempus opportunum nactus fuero, siue egometipse, siue is quem mittam legatione functurum etiam pro vobis. Ignatij Epistolas nobis habeo missas, & alias quotquot penes nos habuimus, vobis, sicut mandastis, misimus: quæ quidem huic Epistolæ subiunctæ sunt: quibus multum iuuari poteritis. Continent fidem, patientiam, & omnem ædificationem ad Dominum nostrum pertinentem.

Hæc vobis scripsi per Crescentem, quem in præsentem diem commendaui vobis, & nunc commendo. Conuersatus est nobiscum inculpabiliter: credo, quia vobiscum similiter, sororem autem eius habebitis commendatam, cum venerit ad vos. Incolumes estote in Domino Iesu Christo, gratia cum omnibus vobis. Amen.

Ex notis P. Francisci Feu-ardentij in opera S. Irenæi.

Hæc quinque non aspernanda fragmenta à me nuper in quâdam vetustissimis characteribus manu descriptâ super quatuor Euangelistas cathenâ, inuenta, vt a Victore Capuano Episcopo ante mille & centum annos ibidem laudantur, hoc loco inserere operæ pretium visum fuit. Hæc itaque ibidem leguntur.

Victor Episcopus Capuæ ex responsione Capitulorum S. Polycarpi Smyrnensis Episcopi, discipuli Ioannis Euangelistæ.

DIVI POLYCARPI SMYRNENSIS Episcopi, & Martyris, B. Ioannis Euangelistæ quondam discipuli, responsionum fragmenta.

MAtthæus Dominum dixisse testatur, quod Moyses scribit Adam loquutum fuisse hoc modo. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne meâ: propter hoc relinquet homo patrem & matrem, &c.* Sed concordant Domini verba cum Moysi sermonibus, qui Adam præbens officium inspiratione diuinâ prophetauit, ipse à Moyse hoc dixisse refertur. Deus verò qui per inspirationem diuinam in corde Adam ista verba formauit, ipse Pater à Domino rectè loquutus fuisse refertur. Nam & Adam hanc prophetiam protulit: & Pater qui eum inspirauit, rectè dicitur protulisse.

Idem ad hæc verba Christi, Calicem meum bibetis, &c. *Matth.* 20.

Per huiusmodi potum, significat passionem. Et Iacobum quidem nouissimum martyrio consummandum, fratrem verò eius Ioannem transiturum absque martyrio; quamuis & afflictiones plurimas, & exilia tolerarit: sed præparatam martyrio mentem Christus martyrem iudicauit. Nam Apostolus Paulus, *quotidie* (inquit) *morior*; dum impossibile sit quotidie mori hominem eâ morte, quâ semel vita hæc finitur. Sed quoniam pro Euangelio ad mortem iugiter erat præparatus, se mori quotidie sub eâ significatione testatus est. Legimus & in dolio feruentis olei pro nomine Christi beatus Ioannes fuisse demersus.

Idem de initio Euangelij secundum Marcum.

Rationabiliter Euangelistæ principiis diuersis vtuntur, quamuis vna eademque euangelizandi eorum probetur intentio. Matthæus vt Hebræis scribens, genealogiæ Christi ordinem texuit, vt ostenderet ab eâ Christum descendisse progenie, de quâ eum nasciturum vniuersi Prophetæ cecinerant. Ioannes autem ad Ephesum constitutus, qui legem tanquam ex Gentibus ignorabant, à causâ nostræ redemptionis Euangelij sumpsit exordium: quæ causa ex eo apparet, quod Filium suum Deus pro nostrâ salute voluit incarnari. Lucas verò à Zachariæ sacerdotio incipit, vt eius Filij miraculo natiuitatis, & tanti prædicatoris officio, Diuinitatem Christi Gentibus declararet. Vnde & Marcus antiqua prophetici mysterij competentia aduentui Christi declarat: vt non noua, sed antiquitus prolata eius prædicatio probaretur. Aut per hoc Euangelistis curæ fuit, eo vti proœmio, quod vnusquisque iudicabat auditoribus expetere. Nihil ergo contrarium reperitur, vbi licet diuersis scriptis, ad eandem tamen patriam peruenitur.

In gestis.

Idem in illud: Noli vocare amicos tuos, sed pauperes & debiles, &c. *Luc.* 14.12.

Præcepit non amicos, sed infirmos quosque vocandos ad prandium. Quod si claudus, aut quilibet eorum sit amicus, sine dubio talis pro amicitiâ minimè est rogandus: vnde ipsa quasi videntur se impugnare mandata. Nam si non amici, sed claudi & cæci sunt inuitandi, ipsosque quoque amicos esse contingat, nequaquam rogare debemus. Sed amicos, arbitror, intelligere hoc loco debemus illos, quos pro mundi huius terrenâ consideratione diligimus, non pro diuinæ contemplationis intuitu. Hi sunt igitur amici relinquendi. Denique, ideo debilium exempla proposuit, quos pro nullis possumus appetere necessitate negotij, nisi tantùm pro fructu retributionis æternæ.

Idem in illud: Opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam. *Ioan.* 17.4.

Quomodo opus salutis humanæ adimplesse commemorat, cùm necdum crucis vexillum conscenderat: sed definitione voluntatis, de quâ cuncta venerandæ passionis insignia adire decreuerat, iure se opus perfecisse significat, &c.

Hæc Victor Capuanus vir Græcè & Latinè doctus circa annum Domin. 480. ex Græco Responsionum capitulorum B. Polycarpi, quem nactus erat, codice, à se Latinè factâ recensuit: & in suprà nominatâ Cathenâ manuscriptâ, quam penes me habeo, & eum per Typographos licebit, studiosis communicabo, citantur: quæ in hunc locum inserere atque publicare visum est, quod hactenus nondum euulgata fuisse nouerim.

S. MARTIALIS APOSTOLI, *Confessoris, & Episcopi Lemouiensis Epistolæ.*

DE S. MARTIALI EX EIVS VITA Per S. Aurelianum eius discipulum & successorem Lemouiensem Episcopum, descriptâ, item ex Gregorio Turonensi & aliis.

SANCTVS Martialis de tribu Beniamin, Patre Marcello, matre Elisabethâ, Stephani Protomartyris Consanguineus, a S. Petro qui speciali amore consanguinitatis ei deuinctus fuit, Christo iubente baptizatus est ætatis anno 15. cum Zachæo & Iosepho qui

Dominum

Dominum sepelivit. Quâ ex spirituali per baptismum inter eos contracta cognatione, & quæ deinceps inter illos nunquam defecit charitate Christianâ, non omnino absurdum fuerit suspicari illum sumpsisse cepha cognomentum, quod ipse sibi tribuit initio Epistola ad Tholosanos. Christo postremum cum discipulis cœnanti inservivit cum Cleophâ. Vidit suis ipse oculis, tremens, Iudæ proditori condiscipulo suo datum à Christo osculum, vt ait cap. 13. Epist. ad Tholosanos; eique & cum suscitaret Lazarum, & cum ascenderet in cœlum, adfuit. Apostolum anno 5. à Christi passione, Antiochiam comitatus est, deinde & Romam anno, post, septimo: vbi annos duos commoratus, ab eo ad Lemovicenses, natus annos 32. destinatus est Episcopus; apud quos & totâ Aquitaniâ clarus miraculis vixit in summâ sanctitate. Post acquisitos verò Ecclesiæ populos, & Christi fidem per omnia dilatatam felici confessione reliquit terras, & in cœlestibus cum sancto Dionysio Parisiorum, Saturnino Tholosatium conjunctus est, Pontificatûs sui anno 28. De eo Gregorius Turonensis, hist. Francorum lib. 1. cap. 30. & de gloriâ Confessorum cap. 27. & 28.

EX BELLARMINO DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

Sanctus Martialis primus Episcopus Lemovicensis, dicitur scripsisse duas Epistolas, vnam ad Burdegalenses, alteram ad Tholosanos, quæ extant in Bibliothecâ SS. Patrum, sed multa sunt quæ eas Epistolas supposititias esse indicare videantur.

Primùm enim author earum Epistolarum dicit, se cum Christo vixisse, antequam crucifigeretur: Martialis autem Episcopus primus Lemovicensium missus fuit ad eam vrbem, Decio Augusto & Grato Coss. anno Domin. 254. vt Gregorius Turonensis testatur libro 1. hist. cap. 30. quare necesse est, vel Martialem vixisse fermè 300. annis, vel titulum Epistolarum esse falsum, qui authorem prefert Martialem Episcopum Lemovicensem, vel Epistolas esse confictas.

Deinde in secundâ Epistolâ cap. 8. scribit author à se baptisatum Stephanum Regem, & quemdam alium Tyrannum cum satrapis suis. Atqui tempore Apostolorum, & etiam tempore Decij Imperatoris, non habuit Gallia vllos reges, sed Imperio Romano subiecta erat. Primum enim regem Romanis expulsis fuisse in Galliâ Clodionem Comatum Pharamundi filium post annum Domini 400. testantur omnes historici, Gregorius Turonicus libro 2. cap. 9. qui eum vocat Clogionem, Ado Viennensis, Abbas Vespergensis, Ammonius, Paulus, Æmilius, Robertus Gaguinus, Papirius Massonus & alij.

Tertio dicit idem author eodem loco, templa idolorum euersa fuisse & Ecclesias ædificatas authoritate regiâ ipso suo tempore; quæ videntur manifestè falsa; certe pugnant cum historiis Gregorij Turonici, Adonis & aliorum.

Quartò in Epistolâ eâdem cap. 13. scribit author se interfuisse cum aliis discipulis quando Iudas osculo Dominum prodidit. Atqui hoc videtur repugnare Euangelio. Siquidem Marcus cap. 14. & Lucas cap. 22. dicunt, Christum cum duodecim vltimam cœnam celebrasse, & cum eisdem in hortum ingressum, ac deinde Iudam obuiam iuisse.

Quintò in Epistolâ eâdem cap. 9. extantur verba scripturæ Geneseos secundum S. Hieronymi Versionem, quod etiam in vtrâque Epistolâ passim cernitur, id verò signum est apertissimum nouitatis.

Sextò in Epistolâ eâdem cap. 8. dicit, Valeriam quandam in ipsâ Galliâ martyrio coronatam, id verò repugnat Sulpicio libro 2. sacræ historiæ, & Gregorio Turonico libro 1. c. 28. historiæ Francorum, qui scribunt temporibus M. Antonini primum intra Gallias martyria visa.

Multa sunt alia, quæ his Epistolis fidem detrahere videntur. Alioquin autem piæ sunt, & ex iis non pauca dogmata Ecclesiastica confirmari possent aduersus nostri temporis hæreticos, si de tempore, quo scriptæ sunt planè constaret.

EX TOMO II. DISSERTATIONVM P. Philippi Labbe S.I. In Bellarminum de harum Epistolarum inventione.

Notandum vtramque illam primùm fuisse inuentam anno circiter 1060. cum Henrico Rege Francorum defuncto, regnaret filius eius Philippus primus, in sacrario B. Petri in tumulo cuiusdam, vbi sepultura antistitum antiquitus fuerat, vt narrat qui centum post annis viuebat Gaufridus prior Vosiensis in Chronico quod editum est tom. 2. nouæ Bibliothecæ MSS. Librorum pag. 288. Vnde mirum videtur, quo Doctore vsus Possevinus dixerit; Epistolas illas, qualescunque sint; suâ ætate dum esset in Galliâ repertas fuisse in sacrario Basilicæ S. Petri in vrbe Lemovicensi vbi catenus latuerant in arcâ saxeâ sub terrâ defossâ, quæ ob nimiam antiquitatem vix poterant legi.

Quo verò sæculo in Gallias venerit Martialis dictus Aquitanorum Apostolus, primone, an tantum tertio, quoue anno obierit, controuertitur inter recentiores Chronographos. Ioannes Cordesius Libellum in eam rem edidit, quem Latinitate donatum in alterâ parte Ecclesiasticæ Galliarum historiæ vulgauit Illustrissimus Franciscus Bosquetus Monspeliensis Episcopus; alij quoque deinceps eandem quæstionem agitarunt, & adhuc sub iudice lis est.

S. MARTIALIS APOSTOLI, *Confessoris & Episcopi Lemovicensis ad Burdegalenses Epistola prima.*

CAPVT PRIMVM.

Martialis seruus Dei & Apostolus Iesu Christi cum sancto Spiritu qui repleuit corda nostra, qui subdidit sibi omnem mundum qui alligauit diabolum & peccatum, Burdegalensibus iam in Christo renatis per aquam & spiritum Sanctum, filiis & filiabus, cum sorte & hæreditate Dei, quæ data est per orationem, pax vobis & misericordia quia cognouistis veritatem: manifestaui enim vobis nomen creatoris, qui solus est creator; cœlum enim & terram mare & omnia quæ in eis sunt ipse creauit & perfecit & benedixit, vos autem ignorabatis ipsum genus vestrum, vel vos de vno patre & vnâ matre creatos esse noueratis. Sed & vindictam quæ facta est per diluuium, nesciebatis, in quo, omni mundo punito quia contra creatorem se erexerat in omnem superbiam, ille qui solus iustus inuentus est, cum filiis, in spirituali Ecclesiâ quæ nunc in vobis apparet reseruatus est nam & in illo sæculo, ex quo primus homo c[illegible]t à Deo formatus de limo, congregatio filiorum Dei, quæ iam congregatur, proclamabatur, donec pater generis nostri & Hebræorum, qui vocatus est Abraham, iustum filium suum dilectissimum Isaac quem vnicum susceperat, Deo super altare immolandum, hostiam obtulit vnde & fortis Deus non permisit eum occidi; quia non delectatur, sed valde magis offenditur effusione sanguinis hominum. Victima autem arietis, quæ debita erat in lege Hebræorum, pro homine cæsa est, sed Deus non sanguine, sed voluntate patris & filij iustâ delectatus est.

CAPVT II.

Ipsa figura, fratres, videntibus oculis nostris, in filio Dei, nostro tempore perfecta est. Deus enim qui pater est omnium gentium, vnicum suum quem solum genuit, & vnicè dilexit, ad mortem venire iussit. Mori enim potuit quia homo fuit, & quia de Virgine Mariâ natus est homo. Filius Dei ante principium fuit: & quia Deus erat, diu teneri in morte non potuit. Resurrexit enim ante lucem in die tertiâ de loco in quo eum sepeliri vidimus, & apparuit nobis, & lætificauit nos. Testes enim sumus, quia eum ascendere in cœlum vidimus, nec tamen à cœlis vnquam recessit scitote autem quia de cœlis contemplatur bonos

S. Martialis testis resurrectionis & ascensionis Christi.

[e]t malos: & bonos quidem remunerabit ineffabiliter, ma[l]os autem puniet miserabiliter. Itaque nolite retro respi[ce]re ad idola quæ coluistis & fabricastis sed, ipsum solum [q]uem vobis prædicaui Deum vnum colite & adorate per [o]mnem locum. Ipse enim est cuius oculos nemo poterit [e]ffugere, cuius potestatem nemo euadere potest. Sicut au[t]em simulacra vestra antiqua diruistis, ita subuersa sit infi[d]elitas à cordibus vestris.

CAPVT III.

Honorabatis sacerdotes qui decipiebant vos sacrificiis suis, qui mutis & surdis statuis offerebant quæ nec se nec vos iuuare poterant: nunc autem multo magis sacerdotes Dei omnipotentis, qui vitam vobis tribuunt in Calice & viuo Pane, honorare debetis. Quem enim vobis constitui Dei iussu, iustum est à vobis conseruari. a Ipse enim Sigibertus, qui ante consulebat dæmonia, seruus creaturæ; nunc in fide Domini nostri Iesu Christi perfectus, soli Creatori seruiens, pro stercore reputat ipsa dæmonia quibus ante seruiebat. Ignotum vero Deum, quem non nouerat, modo cognitum, non sanguine bestiarum, sed fide sincerâ & iubilatione confessionis, sibi & vobis propitiabilem facit. Nam dum Altaria Dæmonum in puluerem redigerentur, Aram ignoti Dei ad consecrationem reseruari iussimus: quâ dedicatâ in nomine Domini Dei Israël & testis ipsius Stephani qui pro eo à Iudæis passus est; non hominis cultam, sed Dei in eâ, frequentatis. Stephanus enim non Deus, sed amicus Dei fuit; qui pro testimonio eius, animam suam posuit; cuius sanguine ipsa Mēsa est decorata, quia suo * sanguine Iesus Christus comprobatus est esse Deus: & qui crediderit, ornamenta fidei maiora perceperit. Sacrificium enim Deo Creatori offertur in Arâ, non homini, neque Angelo. Nec solum in Arâ sanctificatâ, sed vbique offertur Deo Oblatio munda; sicut testatus est, cuius Corpus & sanguinem in vitam æternam offerimus, dicentes: *Spiritus est Deus; & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Ipse enim corpus habens & immaculatum & sine peccato, quia conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Mariâ Virgine; in Arâ Crucis ipsum permisit immolari. Quod autem Iudæi per inuidiam immolauerunt, putantes se nomen eius à terrâ abolere; nos causâ salutis nostræ in Arâ sanctificatâ proponimus, scientes hoc solo remedio nobis vitam præstandam & mortem effugandam; hoc enim ipse Dominus noster iussit nos agere in sui commemorationem. Nam de sacrificiis idolorum, notum vobis à me factum est, quia eâ maximè de causâ dominabatur vobis Diabolus. Et sicut communio viui Dei, est vobis vita, sic participatio Mensæ Simulacrorum, erat vobis æterna mors, infirmitates, & corruptiones, & nimiæ trib[ula]tiones huius sæculi.

a Ipse enim Sigibertus, &c. *Narrat S. Aurelianus in S. Martialis vita, Sigibertum hunc summum Gentilium Templorum Sacerdotem apud Burdegalenses, cum in Templum Iouis aliquando ad sacrificium venisset; multa familiariter, cum Dæmone collocutum, de S. Martialis in illam vrbem aduentu & sanctitate; quodque vnum Deum Cœli & Terræ conditorem adoraret, Templa Dæmonum euerti iussurum, & eos illhinc profligatum iri esset, quod paulo post accidit, cum à S. Martiale redisset Benedicta Sigiberti Burdegalensium Principis coniunx: Statim enim iussu ipsemet Sigibertus Pontifex Idola omnia confregit minutim & Templa euertit, excepto Templo Dei ignoti: de quo paulo post eodem capite S. Martialis,* dum, *inquit,* Altaria Dæmonum in puluerem redigerentur, Aram ignoti Dei ad consecrationem reseruari iussimus, &c.

CAPVT IV.

Sed etiam postquam baptizati estis, oportet vos castos esse à malitiâ, vt mensâ diuinâ digni sitis. Nolite autem vnum & idem putare escam humanam & diuinam quæ nobis visibilis est, sed tamen in fide perfectâ, tota cœlestis. Per vnam enim, corpus; per alteram, anima viuit. Cauete autem ab homicidiis, ne forte & vos occidamini: Est enim indignus Mensâ Domini, qui hominem occiderit. Nam si præsumit Eucharistiam, reus est mortis animæ & corporis suis. Reuiuiscit enim anima per baptismum, & moritur per homicidium. Corpus vero quod tanto peccato est subditum, in impiorum pœnis æternaliter excruciabitur cum animâ suâ, post illum diem quando verus Deus & verus homo iudicabit omnes gentes. Nolite ergo concupiscere terrena, quia iam acquisistis cœlestia, & quia per cupiditatem Mundi huius exardescuns mentes in homicidia in inuicem. Vnde & animæ pereunt, & quas Christus lauerat Aquâ sanctificationis, hostis vitæ acquirit in perditionem suæ mortis, eo quod cum à Deo recedunt, peccatis mortis se inuoluunt.

E Fugiendis Eucharistia. Pœna æterna post iudiciū.

Aqua sanctificationis.

CAPVT V.

Scribere autem vobis necessarium duco, vt velut paruuli malitiâ, sanctificatos vos Domino præbeatis attendentes quia gratissimum Deo hospitium est mens munda à cupiditatibus & simulatione. Nam sicut perturbationes maris videtis, sic in vobismetipsis fluctus vitiorū sentietis. Deo autem claritatem suæ misericordiæ super vos extendente, non conturbabimini, sed exultabitis in tranquillitate positi. Beati vero eritis, si cum exultatione Deo seruientes, libidini restiteritis, vnde maxima corona remunerationis impertietur vobis. Nec bestiales mores oportet vlterius esse in eis qui vasa Domini munda sunt in adoptionem filiorum æternæ hæreditatis, sed honestate rationabili ad omnes homines vti. Hæc enim agentes, securi terram possidebitis, & omnia irrationabilia subiecta erunt vobis: Ipsa quoque elementa quibus ante seruiebatis, seruient vobis tanquam cultoribus & magnis amicis Dei. Prædicationem autem meam nolite in vanum ducere quasi nouam, neque obliuiscamini mirabilium Dei quæ per me vidistis; quia & vos multâ gratiâ digni eritis cum Euangelium Christi in laude & reuerentiâ habebitis. Itaque sicut frequenter adorabatis opera manuum vestrarum, sic potius & multo frequentius vnum Deum qui vos creauit, vobis vitam tribuit, adorate; quia ab ipso adiutorium habebitis, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et assiduè Deo gratias agite qui de tenebris mortis vos abduxit, & iam cœli ciues fecit. Sed & spiritum Dei sanctificate in cordibus vestris; per ipsum enim vobis peccatorum remissio tribuitur. Itaque spinas cordis auellite, vt in suauitate Dei requiescatis. Hæ sunt enim spinæ quæ per multas amaritudines & inuidias & dolositates non sinunt gaudium & oleum Spiritus sancti in vobis dominari.

F

Corona remunerationis.

G

CAPVT VI.

Sed neque metuatis eos qui necdum receperint viam salutis. Obcæcauit enim illos diabolus tenebris suis ne se facile euitant à morte. Mors namque eorum, est delectatio sæculi. In desideriis enim animæ suæ morientur, & in adinuentionibus suis peribunt, & iniquitas eorum in caput eorum descendet. Habentes enim naturalem sensum, Deum qui illos creauit, qui eis vitam & intellectum dedit, abnegant; & dum ipsi malè agunt, bene agentes impugnant; *Linguas suas, sicut serpentes exacuunt, & venenum aspidum sub labiis eorum. Contritio & infœlicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt, non est timor Dei ante oculos eorum.* Propterea *illic trepidauerunt timore vbi non erat timor*, sicut Spiritus sanctus, hæc loquutus per os vaticinantis Regis, protestatus est. Nec sentiunt se iam in abyssum demersos cum iam sint iudicati; *Qui enim non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine Vnigeniti filij Dei qui nos saluauit*, & illuminauit claritate diuinitatis suæ, apparens homo per carnem sine peccato, in similitudine carnis peccati. Nolite ergo carnales timere, sed magis vos spirituales estote & crescite in gratiâ Dei, & sustinete patienter eos qui in vobis Christum persequuntur, in quem credidistis & cuius spiritu sanctificati estis in æternam salutem.

De non metuendis infidelibus.

H

Psal. 139.

CAPVT. VII.

Inuidia fugienda & cur.

NVlla sit in vobis inuidia;per hanc enim Spiritus sanctus mentem derelinquit. Recedente autem Spiritu sancto à tabernaculo mentis, euacuatur homo dulcedine & impletur omni amaritudine, nullusque locus ei est in cœlo quia alienum se fecit à bonitate. Efficitur cubile draconum,& habitatio immundorum spiritum. Inde ab auaritiâ absorbetur, & ab omni dulcedine infructuosus & sterilis contabescit, miser & derelictus. Vos autem oculos vestros assiduè ad misericordiam diuinitatis erigite,& malitiam diaboli calcate; quia & iam per trophæum Christi deuictus est, & per crucem Domini ligatus est.

CAPVT VIII.

Crux tenenda in signo. Signi crucis quanta sit virtus. Baptisma Christi cruce sanctificatum.

CRucem Domini, in quem credidistis Deum verum & Dei filium,semper in mente, in ore, in signo tenete. Crux enim Domini, armatura vestra inuicta contra satanam, galea custodiens caput, lorica protegens pectus,clypeus tela maligni repellens,gladius iniquitatem & angelicas insidias peruersæ potestatis sibi propinquare nullo modo sinens. Hoc solo signo, cœlestis victoria data est nobis: & per crucem baptisma Dei sanctificatum est. Neque in veneficijs, neque in furtis imitemini pessimos, etcoim ipsi tales, à regno Dei excluduntur. In fide autem perfecti estote, pro certo scieores quia Iesus Christus ipse est filius Dei viui, qui sedet à dextris eius, & vos protegit vt regnum diaboli disperdat. Sed tamen in suâ dispensatione occultâ ab humano intellectu, permittit diabolum dominari in suos, & persequi bonos in diuersis tentationibus, quibus electi probantur & examinantur; examinati vero, postea coronabuntur. Qui vero eos tentant, vltionem non effugient; quia *omnes oportet astare ante tribunal Christi*, qui iudicabit in iustitiâ orbem. Beati autem eritis, fratres mei, in illo die, si conscientiam vestram puram coram Deo nunc exhibueritis. Et sicut vnam fidem, vnum baptisma tenetis à Deo in vobis, sic Angelis cohæredes eritis; naturam quidem humanam, charitatem vero Angelicam habituri. Non quidem euacuabitur veritas corporis, sed non erit pondus & fragilitas corruptionis.

Bonorum tentationes.

Resurrectio corporum.

Nunc morimur per Adam, & tunc resurgemus per Christum. Nunc fragilitate circumdamur, tunc virtute induemur. Et si enim morimur corpore, sed tamen nunquam moriemur spiritu. Spiritus enim sine morte creatus est à Deo.

CAPVT. IX.

De Christi beneficiis in homines.

ET maxime viuimus per passionem Agni incontaminati, qui à Iudæis in cruce pro salute mundi passus est. Ipsius sanguis, vulnera lauit nostrarum animarum; quibus, à morte fatigati; & per lignum vetitum vsque ad passionem Domini, & mortificati & consopiti, ineffabili dolore prosternebamur. Nunc autem, ex quo resurrexit à mortuis iam viui, iam fortes, iam immortales, iam in sanitate plenâ & perpetuâ exultabimus. Superna enim Dei gratia clarificauit corda nostra, ad gloriam & illuminationem gentium. Gloria, salus nostra, & illuminatio nostra.

Sacerdotum illuminatione, plebs illuminatur.

De illuminatione nostra, illuminatio vestra manat; quia dum potentiâ suâ Rex regum nos instruere curauit, per nos æternam vobis claritatem misit. Quæ ergo est nebula peccatorum, quæ splendorem vestrum obscurare possit? Nam si ad horam obscuret, cito tamen pertransiet. Claritas autem Domini in æternum permanebit, quæ nunc in vobis paulatim accenditur, virtute autem Dei & sapientiâ, quæ manet in æternum vsque ad perfectum clarescens, illuminabitur tanquam lumen perpetuum Angelorum. Ex hac enim claritate quæ illuxit in cordibus vestris per fidem quâ mortem Domini credidistis, consummabitur in vobis æterna beatitudo, quæ neque in Deo Patre, & Domino Iesu Christo, & Spiritu Dei initium, nec in vobis finem operabitur.

CAPVT X.

De incomprehensibili sancta Trinitatis mysterio.

SAne de mysterio Trinitatis, quam bonus & beatus & suauis Deus Rex regum per nostram annuntiationem reuelare dignatus est vobis, scitote intelligentes quia vltra omnem sensum Angelicarum potestatum & virtutum, vera diuinitas excellit, quam impossibile est etiam à Spiritibus Angelicis comprehendi. Sola enim Trinitas, in diuinitate vnitatis, seipsam nouit. Hæc enim ante sæcula in claritate suæ æternitatis permanebat, nihil in se diminutum vel quod augeri posset, intra se continens: sed vnius æternitatis, vnius voluntatis, vnius essentiæ, vnius sanctitatis, vnius puritatis; vltra omnem puritatem, vltra omnem gloriam, in charitate, in veritate, in bonitate habitauit. Nunc vero in fine temporum, propter nos ad quos bonitatis suæ magnitudinem extendit, gloriam tantæ maiestatis reuelauit sanctis suis, quibus & efficaciam suæ virtutis multotiens dignanter præbuit. Vnde quidam ex nostris in amore & intelligentiâ magnus protestabatur populo suo, dicens: *Audi Israël, Dominus Deus tuus vnus est.*

Deut. 6.

Hoc enim, vnus & solus Deus, dum mitteret quem elegerat ad deducendum populum suum de seruitute, dignatus est pandere, dicens; *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob: hoc nomen memoriale meum in æternum.* Rursum Trinitatem in vnitate designauit, dicens; *Ego sum qui sum; Hæc dices filiis Israël Qui est, misit me ad vos.*

Matt. 22. Mar 12. Exod. 3.

Hæc autem, fratres mei, scitote; quia Verbum in quod credistis, Filius est. Vnigenitus ante omnem substantiam, ante omne initium. Ipse est enim Principium, quia de Principio ineffabiliter genitus est.

Principiũ de Principio.

In nostro vero tempore mirabiliter ab Angelo annuntiatus, & in veritate incomprehensibili de virgine Mariâ natus est, nihil diminutus à diuinitate maiestatis suæ; cuius nos testes sumus. Spiritus verò Dei, qui vos sanctificauit credentes in ipsum, qui filium naturalem & sibi secundum æternitatem coæqualem per omnia, resuscitauit tertiâ die à mortuis; non est genitus sicut Verbum, quia & ipse Spiritus in diuinâ æqualitate gloriosus processit ineffabiliter ab eo qui genuit, & ab eo quoque qui genitus est. Itaque Spiritus Domini non genitus, non factus, non creatus, sed procedens est à Patre & Verbo.

Spiritus sancti processio à Patre & Filio.

Verbo autem Domini, cœli firmati; & spiritu oris eius, omnis virtus eorum. Itaque nihil discretum in diuinitate Trinitatis, essentialis: quia vobis vnus & idem Deus qui cuncta creauit Pater; & vnus & idem Dominus per quem omnia facta sunt, filius eius Iesus Christus; & vnus idemque Deus Spiritus sanctus, in quo omnia subsistunt. Et hæc, in personis, tria diuisa, in diuinitate, vnus Deus indiuisus est.

CAPVT XI.

De vltimis temporibus.

HOc etenim, fratres, vobis scribere necessarium duxi, sicut & præsens vos docui per Euanglium Christi; volens vos confirmare in veritate fidei nostræ, per quam sanati estis ab infidelitate; vt firmam fidem vestram custodiatis, obseruantes immaculatam tunicam vestram in conspectu æternæ claritatis Dei; quia in nouissimis temporibus (dum in cœlo, cum Christo quem Deum & hominem in terrâ adorauimus, quem ad cœlos ascendentem vidimus; erimus soluti à corpore; venturi vero post nos, in hac terrenâ pugnâ conuersabuntur) oportet multos discedere retro, dum Deum qui illos creauit & & vocauit; abnegare non timebunt. Et inimicus qui nunc à cordibus vestris proiectus est, venturus est vt superseminet populo Dei, grana errorum; sed firma Ecclesia Dei & Christi, nec cadere nec dirumpi poterit vnquam.

Ecclesia non potest cadere. Heresis ex superbia.

Venient autem præsomptores absque gratiâ Dei loquentes, quorum gloria labiorum procedit ex superbia; similes illi qui superbiâ cœlum præsumens habitare, mox de cœlo cum Angelis suis sequacibus ruit in æternam voraginem. Hi docebunt aliam doctrinam quæ aliena est à Deo, amica autem diabolo; per quem ipse spiritus erroris animas post se trahere festinabit.

CAPVT XII.

VOs itaque, filij mei, quos in Christo per Euangelium genui; solum Patrem cognoscite Deum, & solum Dominum cognoscite Iesum Christum, & solum dominantem viuificatorem cognoscite Spiritum sanctum, & vnam fidem, vnum baptisma: vnum Deum creatorem omnium diligite, ipsumque solum timere, & in mandatis eius quæ à me audiuis, vsque ad mortem patienter perseuerate, expectantes aduentum eius. Seculares fabulas declinate, quæ corda vestra possint sensim à diuino amore deflectere.

CAPVT XIII.

ET vt verbum Christi habitet in vobis cum gratiâ, orate assiduè. Inuicem vos ipsos in verbo exhortationis & consolationis ædificate alterutrum diligentes, in synceritate ambulantes, in gratiâ Dei abundantes. Euigilate in operibus fructuosis, & maxime laborate propter spem remunerationis quæ magna promissa est vobis in cœlis. Solum autem Deum timētes eum qui in fidelibus dominatur, satanam nolite timere: nihil enim gregi Christi poterit nocere, quem fortem videt in fide eius qui eum emūdauit vt non haberet immunditiam, sed plenam & perpetuam gratiam. Gratia & pax vobis, fratres, cum benedictione Dei æternâ. Amen.

S. MARTIALIS, APOSTOLI, Confessoris, & Episcopi Lemouicensis, ad Tholosanos, Epistola II.

CAPVT. I.

SEruus Dei, Apostolus Iesu Christi, Martialis Cephas; omnibus fratribus qui sunt Tholosæ, cum sacerdotibus & ministris spiritualibus Ecclesiarum Dei: gratia vobis & veritas & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. Gratias agite Deo incessanter, filij, qui eripuit vos à profundâ caligine damnationis æternæ; & circumspicite diligentissime caput vestrum, quod est Christus, qui est benedictus in sæcula, Amen.

Vos enim estis membra eius, & corpus immaculatum, nec aliquâ re coinquinatum, neque sordibus obuolutum. Iam enim sanctificati & mundati estis aquâ regenerationis. Videbo autem vos in proximo, & visitabo in Spiritu sancto, in gratia & fide castitatis per Dominum nostrum Iesum Christum, qui mortuus est pro nobis, & resurrexit in veritate resurrectionis; quem gens Hebræorum iudicans purum hominem, per inuidiam damnauit morte. Sanauerat enim videntibus oculis nostris ægrotos & languidos eorum, curauerat paralyticos, mundauerat leprosos, dæmoniacos liberauerat, & quod maius est, mortuos eorum tanquam de somno resuscitauerat. Nam & quemdam iam fœtentem quatriduanum, rogantibus sororibus eius, ita de monumento facilè resuscitauit, vt ad solum eius verbum continuo de monumento resurgeret, ligatus sudario mortuorum. Cæcis etiam visum reddebat, vnde & nato cæco oculos præbuit. Et innumera alia magnalia operatus est in populo Iudæorum, sicut prædico & annuntio vobis, testificans vera esse quæ de eo à me per Euangelium veritatis audistis.

CAPVT II.

HVnc enim Dominum & magistrum nostrum, qui verè Christus filius Dei est, post tanta & innumera beneficia quæ in eis operatus erat, turbæ Iudæorum, suadentibus Principibus sacerdotum & Scribis, sine aliquo reatu mortis, dum causa non inueniretur in eo, postulauerunt interimi in ligno. Propter quod magnis vocibus acclamabant Iudæi, dicentes; *Crucifige; crucifige.* Mors autem, crucis eius lignum eis extitit; Vnde triumphus crucis, vita nostra est in æternum: Per crucem enim vita nobis restaurata est, & mors mortua est.

CAPVT. III.

E

Christi vita post resurrectionem.

ECce vt vobis iam notum feci, & iterum vobis notum facio quod Christus postquam resurrexit de sepulchro, conuersatus est nobiscum per dies quadraginta; & conuesci nobiscum non est dedignatus, vt se in veritate carnis viuum nobis demonstraret. Et præcepit nobis prædicare & testificari gentibus potentiam & remissionem peccatorum, & regnum cælorum. Ascendit autem in cælum, & sedet à dextris Dei æternus in maiestate, in gloriâ Patris. Vnde iudex viuorum & mortuorum apparebit in die nouissimo; ad cuius vocem omnis caro resurget, & sancti renouabuntur in incorruptione immortalitatis æternæ.

CAPVT IV.

ET nunc, fratres, quem impij occidere putantes morti tradidēre; immortalem vos adorate Deum & Saluatorem vestrum Dominum Iesum Christum. In cuius nomine, nisi quis baptizatus fuerit per aquam regenerationis, saluari non potest. Ipse enim ad hoc venit in mundum vt omnes homines vocaret in saluationem quæ amissa erat per serpentem in primo Adam. Qui ergo iam Deo per dilectionem mandatorum ac per mysteria sacramentorum eius coniuncti estis, oculos mentis vestræ attollite in gloriam maiestatis & magnitudinis eius.

F

Mysteria sacramentorum.

CAPVT V.

Exhortatio ad pietatem & charitatem.

ANte omnia autem & super omnia, cœlestis sit conuersatio vestra; nihilque terrenum, nihil diabolicum, nihilque carnale sapiatis: Gratiâ enim saluati estis. Nec vllo modo dubitetis, promissiones Dei æternas quas à me audistis & quas per memetipsum olim tradidi vobis. Iis autem qui sunt increduli, nec acquiescunt veritati tribulatio & indignatio, & ignis æternus, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Amplitudo denique & altitudo charitatis per vos diffundatur, per quam alterutrum inuicem diligatis; quia Deus, & charitas & veritas est, nihilque in eo triste vel mendacium: Incommutabilis enim est: & virtus Dei, vltra omnem modum & omnem sensum, inæstimabilis.

G

CAPVT. VI.

Contra Idola.

BEne igitur facietis si abominamini idola quæ dudum deos esse credebatis. Hæc autem sunt opera hominum, non videntia neque audientia; quia nec flatum habent; quæ nec se, nec vos quicquam iuuare possunt; quin potius cultores suos in malitiam æternæ tribulationis submiserunt, quia in ipsis manufactis dæmones damnati, spiritus erroris, subintroierunt; qui hactenus per longa sæcula creaturam, ad imaginem Dei factam, in morte deceperunt, donec nouissimo tempore insequente virtus crucis Dei viui eos disperdidit, & ibi illusiones quibus ante vos lædebant, coërcuit.

Dæmones in Idolis.

CAPVT. VII.

H

Dæmones coacti exire ex Statuis.

VIdistis enim, per me, in nomine Domini, quem Iudæi crucifixerunt, & qui tertiâ die resurrexit à mortuis, dæmones exire coactos de Statuis manufactis, in quibus responsa fallacia & plena deceptionum cultoribus suis dabant, & eas iussu meo in nomine Dei per virtutem Christi in puluerem redegisse. Ecce enim tempus quo dæmonibus ablata est potestas decipiendi & nocendi, vt non dominentur hominum fidelium; & vt nihil eos, qui in Deum vnum crediderint, vltra lædere præualeant. Liberati itaque à potestate satanæ, gaudete in Domino, qui liberauit vos, & nolite extollere cornu vestrum aduersus veritatem Maiestatis, quam semel per me cognouistis, & in potentiâ signorum & curationum efficacem copiosè probastis. Non est enim alius Deus in cœlo & in terrâ, in quo oporteat vos saluos fieri, nisi

Dominus

Dominus Iesus Christus, quem vobis ostendi crucifixum à Iudæis, & tertiâ die resurrexisse à mortuis, cuius nomen gloriosum erit in secula: Ecce autem ipse rex noster.

CAPVT VIII.

Stephanus tyrannus à S. Martiali batizatus.

Tyrannus quidam suscitatus.

Valeria virgo, & Martyr.

STephanus *a* qui jam cognouit veritatem Dei Creatoris sui, & baptizatus est à me cum tyrannis & satellitibus suis; in gratiâ Dei quotidie crescit noua seges geminis viui, quam Dominus noster Iesus Christus vsque in finem seculi per eos quos nouit & prædestinauit, sibi multiplicabit secundum diuitias gratiæ suæ, in cuius nomine, sicut multi vestrûm viderunt, tyrannum eius resuscitauit à mortuis, qui & ipse cum satrapis baptizatus à morte duplici subtractus est. Virgo autem Valeria sponsa Regis terrestris, sed melius sponsa Regis cœlestis; quæ per meam prædicationem, virginitatem mentis & corporis Deo deuouerat; & gladio decollata, dum vitam temporalem contempsit, æternam inuenit; & temporalem mortem pro Christo suscipere non recusans, æternam mortem deuicit. Hæc enim per orationem meam Spiritu sancto repleta, magna effecta est in gratiâ Dei: & ideo prudens virgo ad cœlestia regna peruenit, & diabolum triumphauit. Hæc porro Spiritus Dei in illâ est operatus, qui omne bonum operatur in nobis in Christo Iesu; pro cuius amore & testimonio, inuincibiles semper non cunctamur ferre cum omni patientiâ gladios carnificum, pro cuius testimonio grata fuerunt nobis vincula, tribulationes, carceres, angustiæ, fames, diuersæque passionum acerbitates. Ipse enim locutus est nobis, dicens; *Confidite, ego vici Mundum.* Cuius enim gratiæ debetur omnis plena victoria, nisi eius qui de morte triumphator morte suâ mortem vicit; & satanam ligans, infernum spolians captiuum esse fecit? Sponsus autem virginis adeo est effectus testis passionum Christi, vt in corpore suo cœlestem conuersationem iam præbeat subditis, desideria carnis suæ crucifigens, regnum diaboli minuens; nec solum Christo, cui credidit, Ecclesias per suum regnum, secundum quod Spiritui sancto & nobis visum est, disponere & fabricare gaudeat; sed antiqua templa dæmoniorum & spurcissima fana idolorum destruere, perfectus in fide, videatur. Ipsius enim iussu, idola Cadurci oppidi ac Tholosanæ vrbis & confinis eius, iam nuper diruta sunt: cui etiam obedire debetis in omnibus, quia princeps à Deo vobis est constitutus, à quo omnis potestas & paternitas in cœlis & in terrâ originem ac fortitudinem sumpsit. Quem principem bonum, ad hoc tantum munus perduxit gramen nouellæ fidei, per quam nouus homo factus nouo homini coniunctus est, vt pro suauitate quoque præmij futuri illectus, copulam carnalium nuptiarum deuitauerit per meam prædicationem, quatenus liberior Deo famulari possit, & multas cateruas populorum sobdere fonti regenerationis.

Ioan. 16.

Rex Christianus factus, ædificat Ecclesias, & caste viuit. Idola Cadurci & Tholosanorũ diruta.

a Stephanus qui iam cognouit, &c. *Habebat iste dux Stephanus principatum à fluuio Iordanis vsque ad mare Oceanum, possidens omnem, circa Ligerim, regionem (sic enim habet sanctus Aurelianus siue quis alius sit auctor vitæ Sancti Martialis; quo loco citra controuersiam pro* Iordanis *legendum est,* Rhodani) *omnemque Aquitaniam seu Vasconum & Gothorum gentes vsque ad montes Pyrenæos. Rex tamen non vocabatur licet Rex esset potentissimus Galliarum; quia nemo alius proprie in Occidente hoc nomen sibi tunc imponebat, nisi solum Romæ Nero, qui Romani Imperij principatum tenebat. Lemouicam vero Ciuitatem aliquando ingressus Stephanus, Valeriam virginem sponsam suam (de quâ hoc eodem Capite loquitur S. martialis) ad se vocari iussit: cumque cælestis Regis Sponsam factam, terrestri non nupturam intellexisset, decollari iussit. Plura de eiusdem Stephani Regis resipiscentia & conuersione ad Christum, & S. Valeriæ Martyrio, vide in eadem Historia.*

CAPVT IX.

De Nuptiis.

NEc ideo tamen prohibemus nubere legitimo connubio, cum & hoc coniugium honestum concessum sit & constitutum à Deo ab initio mundi, in multiplicationem generis humani. In tantum enim Dominus meus & magister Iesus Christus legitimum & immaculatum thorum connubij approbauit, iis qui in sanctificatione & honore castitatis nubere volunt, vt ad quasdam nuptias inuitatus, eas præsentiâ suæ maiestatis sanctificauerit, & miraculo magnificè stupendo lætificauerit. Ibi sex hydrias plenas aquâ factas, aquâ in vinum mutatâ, viniferas ostendit & cunctos qui aderant, beneficio tanto valde lætificauit. Hebræis quoque eum interrogantibus, *si liceat homini dimittere vxorem?* respondit dicens: *Non legistis; quia qui creauit ab initio hominem, masculum & fœminam creauit eos, & benedixit eis dicens; Crescite & multiplicamini, & replete terram, & terror vester sit super cuncta animantia terræ; Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Nam & pater noster Adam primus factus ex limo, vxorem cepit ex costâ propriâ plasmatam, de quâ protestatus est dicens? *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne meâ; Hæc vocabitur virago, quia de viro assumpta est; Quapropter relinquet homo patrem suum & matrem suam & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vnâ.* Vnde Dominus & magister meus, Hæbræis sciscitantibus, hæc quoque subintulit; dicens; *Ego autem dico vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, mœchatur, & qui dimissam ab alio duxerit, mœchatur.* Vltra hunc autem gradum homini licite concessum, *b* Viduitatem præmio maiori constituit. Sed & tertium excellentem gradum honestatis in virginitate demonstrauit nobis perfectum, & per omnia similem Angelicæ dignitati, ad quem inuitabat nos dicens; *Non omnes capiunt verbum hoc; sed qui potest capere, capiat.*

Ioan. 2.

Matth. 19.

Gen.

Viduitatis præmiũ maius quam coniugij.

Matth. 19.

CAPVT X.

Viduitatis recõpensatio.

IDeo prædico vobis, quicunque in vobis viduitatem propter recompensationem elegerint, non fraudabuntur munere claritatis Dei: qui vero in sublimitate excelsiori permanserint, virgines esse eligentes; centuplicatam in perpetuâ benedictione gloriam consequentur. Nam qui in virginitate singulari, virginitatem matris suæ elegit, qui mortuus, & resurrexit primogenitus ex mortuis; magnificentiùs secum qui tales esse elegerint, in benedictione & regno Patris exaltabit. Omnis autem per Ecclesiam Deo regeneratus, incorruptionem fidei possideat, ne corrumpatur perfidiâ serpentis, quia Ecclesia sancta & virgo effecta est; quam Christus resurgens à mortuis, sanguine suo sanctificauit, & per omnia immaculatam constituit.

CAPVT. XI.

Suffocata ne edant.

DE aliis vero admonere vos volo, vt custodiatis vos ab immolatione & suffocatis, vt sit omnis fornicatio longe à vobis. Immunditiam fugite; quia iam sanctificati estis, & in sanctitate Deo seruite. Cauete autem à furtis & rapinis, & ab omni auaritiâ, & nolite inuicem insidiari. Certi estote, neminem effugere posse præsentiam Dei viui, qui de cœlo respicit super filios hominum. Cui si attentiùs seruiatis; omnem malitiam & venenum diaboli conculcabitis.

Dei prouidẽtia.

CAPVT. XII.

Regnum Dei.

MEmentote vero sermonis mei quem sæpe dicebam vobis, quanta & qualia in cœlo præparata sunt sanctis & timentibus Deum. Omnis enim potentia & gloria in regno Dei indesinenter permanent, quæ nec augeri nec minui possunt. Ibi enim sunt thesauri sapientiæ & scientiæ perennes, in eo qui nos vocauit in regnum & gloriam suam. Ibi ordines multitudinis laudantium Deum, Angelorum & Virtutum, quæ per ipsum Verbum, per quod omnia facta sunt, creatæ, in laudibus Creatoris sui quiescunt. Ipse laus & requies eorum, & spectatio noua, *in quam semper desiderant prospicere.* Vbi locum habet virginitas, continentia; castitas, lon-

Ordines Angelorum.

CAPVT XII.

VOs itaque,filij mei,quos in Christo per Euangelium genui ; solum Patrem cognoscite Deum , & solum Dominum cognoscite Iesum Christum , & solum dominantem viuificatorem cognoscite Spiritum sanctum , & vnam fidem , vnum baptisma : vnum Deum creatorem omnium diligite , ipsumque solum rimete , & in mandatis eius quæ a me audiitis , vsque ad mortem patienter perseuerate , expectantes aduentum eius. Seculares fabulas declinate , quæ corda vestra possint sensim à diuino more deflectere.

CAPVT XIII.

ET vt verbum Christi habitet in vobis cum gratiâ,orate assiduè. Inuicem vos ipsos in verbo exhortationis & consolationis ædificare alterutrum diligentes,in synceritate ambulantes,in gratiâ Dei abundantes. Euigilate in operibus fructuosis , & maxime laborate propter spem remunerationis quæ magna promissa est vobis in cœlis. Solum autem Deum timêtes eum qui in fidelibus dominatur,satanam nolite timere:nihil enim gregi Christi poterit nocere,quem fortem videt in fide eius qui eum emundauit vt non haberet immunditiam,sed plenam & perpetuam gratiam. Gratia & pax vobis,fratres.cum benedictione Dei æternâ. Amen.

. MARTIALIS , APOSTOLI, Confessoris , & Episcopi Lemouicensis , ad Tholosanos, Epistola II.

CAPVT. I.

SEruus Dei , Apostolus Iesu Christi, Martialis Cephas; omnibus fratribus qui sunt Tholosæ , cum sacerdotibus & ministris spiritualibus Ecclesiarum Dei : gratia vobis & veritas & pax à Deo patre nostro , & Domino Iesu Christo. Gratias agite Deo incessanter , filij , qui eripuit vos à profundâ caligine damnationis æternæ ; & circumspicite diligentissime caput vestrum , quod est Christus , qui est benedictus in sæcula , Amen.

Vos enim estis membra eius,& corpus immaculatum, nec aliquâ re coinquinatum,neque sordibus obuolutum. Iam enim sanctificati & mundati estis aquâ regenerationis. Videbo autem vos in proximo, & visitabo in Spiritu sancto, in gratiâ & fide castitatis per Dominum nostrum Iesum Christum,qui mortuus est pro nobis, & resurrexit in veritate resurrectionis ; quem gens Hebræorum iudicans purum hominem , per inuidiam damnauit morte. Sanauerat enim videntibus oculis nostris ægrotos & languidos eorum,curauerat paralyticos,mundauerat leprosos , dæmoniacos liberauerat , & quod maius est , mortuos eorum tanquam de somno resuscitauerat. Nam & quendam iam fœtentem quatriduanum , rogantibus sororibus eius , ita de monumento facilè resuscitauit,vt ad solum eius verbum continuo de monumento resurgeret, ligatus sudario mortuorum. Cæcis etiam visum reddebat, vnde & nato cæco oculos præbuit.Et innumera alia magnalia operatus est in populo Iudæorum, sicut prædico & annuntio vobis,testificans vera esse quæ de eo à me per Euangelium veritatis audistis.

CAPVT II.

HVnc enim Dominum & magistrum nostrum , qui verè Christus filius Dei est , post tanta & innumera beneficia quæ in eis operatus erat,turbæ Iudæorum, suadentibus Principibus sacerdotum & Scribis , sine aliquo reatu mortis , dum causa non inueniretur in eo , postulauerunt interimi in ligno. Propter quod magnis vocibus acclamabant Iudæi , dicentes ; *Crucifige ; crucige.* Mors autem , crucis eius lignum eis extitit ; Vnde triumphus crucis , vita nostra est in æternum : Per crucem enim vita nobis restaurata est , & mors mortua est.

CAPVT. III.

E

Christi vita post resurrectionem.

ECce vt vobis iam notum feci , & iterum vobis notum facio quod Christus postquam resurrexit de sepulchro , conuersatus est nobiscum per dies quadraginta ; & conuesci nobiscum non est dedignatus , vt se in veritate carnis viuum nobis demonstraret. Et præcepit nobis prædicare & testificari gentibus potentiam & remissionem peccatorum , & regnum cælorum. Ascendit autem in cælum , & sedet à dextris Dei æternus in maiestate , in gloriâ Patris. Vnde iudex viuorum & mortuorum apparebit in die nouissimo ; ad cuius vocem omnis caro resurget , & sancti renouabuntur in incorruptione immortalitatis æternæ.

CAPVT IV.

ET nunc , fratres, quem impij occidere putantes morti tradidêre ; immortalem vos adorate Deum & Saluatorem vestrum Dominum Iesum Christum. In cuius nomine , nisi quis baptizatus fuerit per aquam regenerationis,saluari non potest. Ipse enim ad hoc venit in mundum vt omnes homines vocaret in saluationem quæ amissa erat per serpentem in primo Adam. Qui ergo iam Deo per dilectionem mandatorum ac per mysteria sacramentorum eius coniuncti estis , oculos mentis vestræ attollite in gloriam maiestatis & magnitudinis eius.

F

Mysteria sacramentorum.

CAPVT V.

Exhortatio ad pietatem & charitatem.

ANte omnia autem & super omnia , cœlestis sit conuersatio vestra ; nihilque terrenum , nihil diabolicum , nihilque carnale sapiatis : Gratiâ enim saluati estis. Nec vllo modo dubitetis , promissiones Dei æternas quas à me audistis & quas per memetipsum olim tradidi vobis. Iis autem qui sunt increduli , nec acquiescunt veritati tribulatio & indignatio , & ignis æternus, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Amplitudo denique & altitudo charitatis per vos diffundatur , per quam alterutrum inuicem diligatis; quia Deus , & charitas & veritas est , nihilque in eo triste vel mendacium : Incommutabilis enim est : & virtus Dei , vltra omnem modum & omnem sensum , inæstimabilis.

G

CAPVT. VI.

Contra Idola.

BEne igitur facietis si abominamini idola quæ dudum deos esse credebatis. Hæc autem sunt opera hominum , non videntia neque audientia ; quia nec flatum habent ; quæ nec se, nec vos quicquam iuuare possunt ; quin potius cultores suos in malitiam æternæ tribulationis submerserunt, quia in ipsis manufactis dæmones damnati, spiritus erroris , subintroierunt ; qui hactenus per longa sæcula creaturam , ad imaginem Dei factam,in morte deceperunt , donec nouissimo tempore insequente virtus crucis Dei viui eos disperdidit , & ibi illusiones quibus ante vos lædebant , coërcuit.

Dæmones in Idolis.

CAPVT. VII.

H

Dæmones coacti exire ex Statuis.

VIdistis enim , per me , in nomine Domini , quem Iudæi crucifixerunt , & qui tertiâ die resurrexit à mortuis , dæmones exire coactos de Statuis manufactis, in quibus responsa fallacia & plena deceptionum cultoribus suis dabant , & eas iussu meo in nomine Dei per virtutem Christi in puluerem redegisse. Ecce enim tempus quo dæmonibus ablata est potestas decipiendi & nocendi , vt non dominentur hominum fidelium ; & vt nihil eos , qui in Deum vnum crediderint , vltra lædere præualeant. Liberati itaque à potestate satanæ , gaudete in Domino , qui liberauit vos , & nolite extollere cornu vestrum aduersus veritatem Maiestatis , quam semel per me cognouistis , & in potentiâ signorum & curationum efficacem copiosè probastis. Non est enim alius Deus in cœlo & in terrâ , in quo oporteat vos saluos fieri , nisi

Dominus Iesus Christus, quem vobis ostendi crucifixum à Iudæis, & tertiâ die resurrexisse à mortuis, cuius nomen gloriosum erit in secula: Ecce autem ipse rex noster.

CAPVT VIII.

Stephanus tyrānus à S. Martiali batizatus.

Tyrānus quidam suscitatus.

Valeria virgo, & Martyr.

Stephanus a qui iam cognouit veritatem Dei Creatoris sui, & baptizatus est à me cum tyrannis & satellitibus suis; in gratiâ Dei quotidie crescit noua seges germinis viui, quam Dominus noster Iesus Christus vsque in finem sæculi per eos quos nouit & prædestinauit, sibi multiplicabit secundum diuitias gratiæ suæ, in cuius nomine, sicut multi vestrûm viderunt, tyrannum eius resuscitauit à mortuis, qui & ipse cum satrapis baptizatus à morte duplici subtractus est. Virgo autem Valeria sponsa Regis terrestris, sed melius sponsa Regis cœlestis; quæ per meam prædicationem, virginitatem mentis & corporis Deo deuouerat; & gladio decollata, dum vitam temporalem contempsit, æternam inuenit; & temporalem mortem pro Christo suscipere non recusans, æternam mortem deuicit. Hæc enim per orationem meam Spiritu sancto repleta, magna effecta est in gratiâ Dei: & ideo prudens virgo ad cœlestia regna peruenit, & diabolum triumphauit. Hæc porro Spiritus Dei in illâ est operatus, qui omne bonum operatur in nobis in Christo Iesu; pro cuius amore & testimonio, inuincibiles semper non cunctamur ferre cum omni patientiâ gladios carnificum, pro cuius testimonio grata fuerunt nobis vincula, tribulationes, carceres, angustiæ, fames, diuersæque passionum acerbitates. Ipse enim locutus est nobis, dicens; *Confidite, ego vici Mundum.* Cuius enim gratiæ debetur omnis plena victoria, nisi eius qui de morte triumphator morte suâ mortem vicit; & satanam ligans, infernum spolians captiuum esse fecit? Sponsus autem virginis adeo est effectus testis passionum Christi, vt in corpore suo cœlestem conuersationem iam præbeat subditis, desideria carnis suæ crucifigens, regnum diaboli minuens; nec solum Christo, cui credidit, Ecclesias per suum regnum, secundum quod Spiritui sancto & nobis visum est, disponere & fabricare gaudeat; sed antiqua templa dæmoniorum & spurcissima fana idolorum destruere, perfectus in fide, videatur. ipsius enim iussu, idola Cadurci oppidi ac Tholosanæ vrbis & confinis eius, iam nuper diruta sunt: cui etiam obedire debetis in omnibus, quia princeps à Deo vobis est constitutus, à quo omnis potestas & paternitas in cœlis & in terrâ originem ac fortitudinem sumpsit. Quem principem bonum, ad hoc tantum munus perduxit gramen nouellæ fidei, per quam nouus homo factus nouo homini coniunctus est, vt pro suauitate quoque præmij futuri illectus, copulam carnalium nuptiarum deuitauerit per meam prædicationem, quatenus liberior Deo famulari possit, & multas cateruas populorum subdere fonti regenerationis.

Ioan. 16.

Rex Christianus factus, adificat Ecclesias, & caste viuit.

Idola Cadurci & Tholosanorū dirata.

a Stephanus qui iam cognouit, &c. *Habebat iste dux Stephanus principatum à fluuio Iordanis vsque ad mare Oceanum, possidens omnem, circa Ligerim, regionem (sic enim habet sanctus Aurelianus siue quis alius sit auctor vitæ Sancti Martialis; quo loco citra controuersiam pro* Iordanis *legendum est,* Rhodani) *omnemquè Aquitaniam seu Vasconum & Gothorum gentes vsque ad montes Pyrenæos. Rex tamen non vocabatur licet Rex esset potentissimus Galliarum; quia nemo alius proprie in Occidente hoc nomen sibi tunc imponebat, nisi solum Romæ Nero, qui Romani Imperij principatum tenebat. Lemouicam vero Ciuitatem aliquando ingressus Stephanus, Valeriam virginem sponsam suam (de qua hoc eodem Capite loquitur S. Martialis) ad se vocari iussit: cumque cœlestis Regis Sponsam factam, terrestri non nupturam intellexisset, decollari iussit. Plura de eiusdem Stephani Regis resipiscentia & conuersione ad Christum, & S. Valeria Martyrio, vide in eadem Historia.*

CAPVT IX.

De Nuptiis.

Nec ideo tamen prohibemus nubere legitimo connubio, cum & hoc coniugium honestum concessum sit & constitutum à Deo ab initio mundi, in multiplicationem generis humani. In tantum enim Dominus meus & magister Iesus Christus legitimum & immaculatum thorum connubij approbauit, iis qui in sanctificatione & honore castitatis nubere volunt, vt ad quasdam nuptias inuitatus, eas præsentiâ suæ maiestatis sanctificauerit, & miraculo magnificè stupendo lætificauerit. Ibi sex hydrias plenas aquâ factas, aquâ in vinum mutatâ, viniferas ostendit & cunctos qui aderant, beneficio tanto valde lætificauit. Hebræis quoque eum interrogantibus, *si liceat homini dimittere vxorem?* respondit dicens: *Non legistis; quia qui creauit ab initio hominem, masculum & fœminam creauit eos, & benedixit eis dicens; Crescite & multiplicamini, & replete terram, & terror vester sit super cuncta animantia terræ; Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Nam & pater noster Adam primus factus ex limo, vxorem cepit ex costâ propriâ plasmatam, de quâ protestatus est dicens: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne meâ; Hæc vocabitur virago, quia de viro assumpta est; Quapropter relinquet homo patrem suum & matrem suam & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vnâ.* Vnde Dominus & magister meus, Hæbræis sciscitantibus, hæc quoque subintulit; dicens; *Ego autem dico vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, mœchatur, & qui dimissam ab alio duxerit, mœchatur.* Vltra hunc autem gradum homini licite concessum, b Viduitatem præmio maiori constituit. Sed & tertium excellentem gradum honestatis in virginitate demonstrauit nobis perfectum, & per omnia similem Angelicæ dignitati, ad quem inuitabat nos dicens; *Non omnes capiunt verbum hoc; sed qui potest capere, capiat.*

Ioan. 2.

Matth. 19.

Gen. 2.

Viduitatis præmiū maius quam coniugy.

Matth. 19.

CAPVT X.

Viduitatis recōpensatio.

Ideo prædico vobis, quicunque in vobis viduitatem propter recompensationem elegerint, non fraudabuntur munere claritatis Dei: qui vero in sublimitate excelsiori permanserint, virgines esse eligentes; centuplicatam in perpetuâ benedictione gloriam consequentur. Nam qui in virginitate singulari, virginitatem matris suæ elegit, qui mortuus, & resurrexit primogenitus ex mortuis; magnificentiùs secum qui tales esse elegerint, in benedictione & regno Patris exaltabit. Omnis autem per Ecclesiam Deo regeneratos, incorruptionem fidei possideat, ne corrumpatur perfidiâ serpentis, quia Ecclesia sancta & virgo effecta est; quam Christus resurgens à mortuis, sanguine suo sanctificauit, & per omnia immaculatam constituit.

CAPVT. XI.

Suffocata ne edant.

De aliis vero admonere vos volo, vt custodiatis vos ab immolatione & suffocatis, vt sit omnis fornicatio longe à vobis. Immunditiam fugite; quia iam sanctificati estis, & in sanctitate Deo seruite. Cauere autem à furtis & rapinis, & ab omni auaritiâ, & nolite inuicem insidiari. Certi estote, neminem effugere posse præsentiam Dei viui, qui de cœlo respicit super filios hominum. Cui si attentiùs seruiatis, omnem malitiam & venenum diaboli conculcabitis.

Dei prouidētia.

CAPVT. XII.

Regnum Dei.

Mementote vero sermonis mei quem sæpe dicebam vobis, quanta & qualia in cœlo præparata sunt sanctis & timentibus Deum. Omnis enim potentia & gloria in regno Dei indesinenter permanent, quæ nec augeri nec minui possunt. Ibi enim sunt thesauri sapientiæ & scientiæ perennes, in eo qui nos vocauit in regnum & gloriam suam. Ibi ordines multitudinis laudantium Deum, Angelorum & Virtutum, quæ per ipsum Verbum, per quod omnia facta sunt, creatæ, in laudibus Creatoris sui quiescunt. Ipse laus & requies eorum, & spectatio noua, *in quam* semper *desiderant prospicere.* Vbi locum habet virginitas, continentia, castitas, longanimitas,

Ordines Angelorum.

, ganimitas, expectatio, charitas. Quo fides & spes, timor & munditia tendunt. Ibi veritas & iustitia, & pax, & obedientia mandatorum Dei, locum paratum habent ab origine mundi. Multa millia illic Potestatum & Archangelorum in intimâ luce gloriæ Dei creatoris sui contemplari desiderant. Hæc autem vobis communia erunt, si proximi Deo fueritis, si amatores eius, si imitatores. Ille enim pastor pastorum, & rex regum vobis reliquit exemplum quod decenter ornat conscientiam vestram.

CAPVT XIII.

AVdistis namque à me exemplum patientiæ ipsius quia cum malediceretur non maledixit, qui sicut agnus innocens, ante tribunal corruptibilis iudicis se iudicari permisit. Nam & discipulo suo à quo tradendum se nouerat, dulcedine suæ bonitatis, nobis trementibus & intuentibus sæuitiam eorum qui eum comprehendere venerunt, osculum dedit. Qui autem eum tradidit, condiscipulus nobis erat; sed merito auaritiæ suæ, plenus iniquitate, quâ pretium Mundi vendidit, obligatus in nequitiâ desperationis suæ, vt etiam veniâ semetipsum indignum faceret, non sustinuit pœnitentiam, donec laqueo mortis semetipsum consumpsit. Tantam ergo iniquitatem auaritiæ execramini, filij mei amantissimi, gloria mea & corona: & nolite iterum vos tradere in mortem æternam, quâ iam per Dei electionem euadere meruistis. Et nolite reuerti ad pristina noxia, in quibus seducebamini secundum carnem, sapientes tantum ea quæ carnis sunt. Nondum enim tunc noueratis sapere secundum spiritum.

CAPVT. XIV.

DE cætero itaque gaudete quia euasistis laqueos auaritiæ, facti sinceri & irreprehensibiles coram Deo & hominibus, & sine offensâ. Veritatem ex corde purissimam ostendite, vt nunquam in ipsum mentiti inueniamini. Habemus enim testem veritatis & conscientiæ nostræ Deum magnum omnipotentem, & Filium eius Saluatorem nostrum, & Paracletum Spiritum, qui charitatem Dei infudit cordibus nostris. Cui per omnia semper placentes, inueniamur veritatis amici; ne timeamus vllo modo filios mendacij, qui inuidiâ & multis peccatis obcæcati, indigni sunt cognoscere veritatem Dei; & si cognoscunt, non eam diligunt, quin potius persequuntur quantum in ipsis est; quorum vindicta in proximo instat, quia, quod nolunt, recusant; quod volunt, approbant, quorum taciturnitas (si non eam per se persequerentur) sufficeret illis ad damnationem gehennæ; nunc autem quia cognitam persequuntur, centuplicatam sibi gehennam adquirunt. Ne ergo timueritis, neque formidetis, sed neque admiremini eos. Vapor enim est nebulæ malitia eorum, quæ cito pertransibit, sicut fumus noxius oculis. Deus autem veritas in sempiternum permanet. Et veritate delectatur Dominus Deus noster, mendacio autem irritatur. Non enim est mendacium ex Deo, sed ex diabolo.

CAPVT XV.

ROgate tamen pro talibus, obsecrationem ad Dominum facientes, vt si non cognoscunt claritatem veritatis quomodocunque, saltem ab ignorantiæ nocte resurgant, & aperiantur oculi eorum ad intelligenda diuina, & pietatis plena mysteria. Qui vero puritatem veritatis cognoscunt quidem, sed non diligunt; orate pro ris, vt purgentur à malitiâ & nequitiâ cordis sui. Pro vobis *sine intermissione orate*, vt nunquam veritas in intelligentiâ vestrâ obnubilationem aliquo modo capiat (quod absit) sed semper quotidie augmentetur ad salutem vestram in gloriâ Dei Patris: Oratio si quidem vobis necessaria est. Instantes itaque orationi, instate quotidie, quia aduersarius vester in circuitu quærens, vt fera pessima, quem ex ouibus Dei dilaceret; qui maximè per fidem stabilem & orationem puram atque assiduam fugit ab ouili Dei. Orate autem in gloriam Domini; & quicquid exhibetis fratribus, per gloriam Dei exhibete; non per inanem gloriam; & vosmetipsos in gloriam Dei continete. Petitiones in salutem æternam quærite; regnum Dei, & iustitiam eius petere maximè desiderate, & cuncta necessaria vobis à Deo tribuentur. Patrem omnium, Deum in cœlis regnantem, semper inuocate: vt veniat eius regnum deprecantes, fiatque eius voluntas in vobis sicut in angelis cœlorum.

E

Vis orationis.

Oratione quid petendum.

CAPVT. XVI.

VObisipsis inuicem donate, vt sine impedimento fiant orationes vestræ; & odium fratribus nolite tenere, neque alicui detrahere inueniamini, & insuper aures à detractoribus auertite. In hoc enim cognoscent nos omnes, vere oues Christi esse, si dilectionem simplicem & sanctam habuerimus ad inuicem. Tunc autem amici Dei eritis, nec iam vos vocabit seruos, sed amicos suos, quia in dilectionem consummabitis.

De odio & detractione.

F

CAPVT XVII.

QVum vero impietatem amantes, qui sunt longè à dilectione Dei & mandatorum eius conuenticula contra vestram, imo contra gloriam Dei, vt verum eius lucidissimum in æternum obscurare in aliquo possint, inter se egerint; nolite dubitare in fide Dei, sed vosmetipsos in Spiritu sancto cohortantes in laudes gratissimas Deo datori omnium bonorum credite, qui vos gloriâ suâ dignos efficiet, & sub omni celeritate tanquam oriens sol in serenitate lucidissimâ atque placidissimâ post tetram noctem ad vos dignabitur per gratiam venire & caligines omnium inimicorum vestrorum in momento ad nihilum rediget. Vobis autem dabit lætitiam Angelorum, & claritatem cœlestem superabundanter quam petitis aut intelligitis. Deo enim cura est de vobis, & nouit nequitiam insidiantium vobis, vt puniat eam tempore congruenti. Vos autem ereptos à malitiâ diripientium, superiores illis faciet, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Vobis enim est testis scrutator renum & cordium. In eius obedientiâ nihil arroganter, nihil superbè, nihil temerè præsumere; sed tanquam pusillus grex Dei, voluntatem eius adimplere studere in verbis sanctis & operibus bonis. Etenim frequens & assidua Dei custodia super vos, qui moderatur vos in bonitate clementiæ suæ, annuet vobis secundum dignitatem & omnipotentiam magnitudinis & maiestatis suæ.

De non metuendis conciliis malignantium.

G

CAPVT XVIII.

VÆ autem illis qui præsentibus intenti Deum non diligunt, & vos persequuntur: non enim vos, sed Deum persequuntur. Patitur enim Deus in vobis qui in eum creditis, & retributionem eius expectatis cum conscientiâ & fide apud eum integrâ. Quando autem patimini propter, iustitiam, gaudete, & de iis quæ in tristitiâ cordis vestri accidunt, nolite mirari. Est enim permissio iusta, probans & examinans corda vestra, si verè diligitis. Aduenæ estis & incolæ huius mundi, velut peregrini; ideoque expectate hæreditatem regni Dei, quod post exilium mali huius sæculi, à Deo, cum gaudio possidendum percipietis? & si quotidie peregrinamini in multis tentationibus & casibus dolorum & ærumnarum quas perferetis Quid ad vos delectatio mundi? Mundus enim sine fide, infidelis; vos autem in fide & remuneratione gratiæ.

De contemptu Mundi Retributio.

H

CAPVT XIX.

COnfido autem de vobis in Domino, quod liberabimini velociter a Serpentibus insidiosis, & aduersariis qui vobis propter iustitiam Dei detrahunt, qui vos volunt habere in confusionem, & in opprobrium, & in damna

De futura Christianorũ libertate

tempo

temporalia: de quibus etiam eripiat vos mirabiliter omnipotens Deus; qui nunc vos habent in derisum, & similitudinem improperij, qui valde torquentur in vestrâ bonâ famâ, & gloriosâ coram Deo & sanctis eius fiduciâ, dicentes vos in cassum laborare propter Deum, & tanta mundi huius delectamenta, propter vim virtutis & præceptum Dei inane, contemnere. Est enim qui vobis fidem tribuit, & cui curatis placere; cuiusque voluntati concordare maluistis, & concordatis prout nostis & potestis: protector & cornu salutis vestræ, exaltatio atque refugium vestrum in die visitationis, quando cuncta discernet, in veritate & æquitate, iudicaturus vnumquemque iuxta vias suas, & iuxta fructum adinuentionum suarum; vos autem adinuentionibus vestris nihil agitis, nec sapitis. Nec enim post cor vestrum ambulare debetis, sed potius in puritate Deo gratissimâ voluntatem constitutionis Dei adimplere paratis; estis enim populus Dei, audientes eum & in viis eius ambulantes. Ideo inimici nostri pro nihilo humiliabuntur à Deo, & super tribulantes vos erit manus Domini in vindictam & vltionem debitam. Qui enim mentiti sunt Deo, inimici eius sunt, & erit tempus eorum in sæcula, in tormentis secundum rectitudinem iusti iudicij Dei, quem expectamus vt consoletur vos, sicut & consolari dignatus est nos.

CAPVT XX.

De futurâ fidei Christianæ gloriâ.

ECce per eum qui in me loquitur, Dominum meum & magistrum Iesum Christum annũtio vobis. Iam instat regnum eius, iam fulget supra solem nomen eius, iam prædicantur per omnem terram opera magna & mirabilia. Iam subdidit sibi principem harum prouinciarum, & futurum vt subdat sibi principes totius Orbis. Iam excussit iugum diaboli de ceruicibus suorum fidelium; iam ex integro confirmabit gloriam regni sui in vobis. Vnde omnis Ecclesia exultatione inenarrabili replebitur, sine vllâ cunctatione festinanter, & gaudio quod nunquam possit auferri à diligentibus claritatem & veritatem & gloriam Dei, qui est Iesus Christus Dominus noster benedictus in sæcula. Amen.

Confracta est denique catena diaboli, quâ ligatos Dei seruos incredulitate tenebat, cuius sectatores maligni in suis iniquitatibus assumentur, & supercilio suo deiicientur vsque ad profundum nouissimi, in quo non est aqua sed ariditas perpetua cum igne æterno, vnde nunquam extrahentur. Quod si resipuerint à malitiâ suâ, liberabuntur ab eo cui nihil est impossibile: Deo enim omnia sunt possibilia. Et si liberatio eorum peruenerit; & hoc donum, & victoria, & immensa gratia erunt in eis sicut & in vobis.

CAPVT XXI.

Orationi instandũ cõtra infidelium tyrannidem.

VOs enim scitis quomodo resistant veritati, sed gratias Deo ago qui liberauit vos à Lege peccati & mortis, qui inspirauit cordibus vestris ea velle, quæ & ipse desiderat, atque in vnitate suæ bonitatis per gratiam adoptionis vos adunauit. Nunquam ergo deficiatis ab oratione purâ, nunquam de Dei nostri largitate desperetis; quia salubriter, quæ desideratis, adhuc differt vt accendantur multò magis desideria vestra in eum.

Hypocritæ fugiẽdi.

Obseruate autem eos qui in hypocrisi loquuntur mendacium, vt vos de viâ veritatis quam cum Deo elegistis auertant in semitas incongruas iniquitatum & negligentiæ. Et quanto magis per ipsos pulsat ostium mentis vestræ Satanas volens irrumpere intro, & germen pietatis in vobis obruere, eo magis solidi in charitate & firmi in fide, & alacres in spe Dei gloriæ, talibus resistite viriliter; scientes quod pertransibunt sub omni celeritate quæ vobis contraria sunt; Deo pro vobis pugnante; permanebunt autem in æternum quæ per gratiam Spiritûs Dei constituta sunt vobis. Est autem hæc hora nouissima, in quâ oportet ab infidelibus veritatem reprobari; fabulas autem quæ ipsis placent, pro firmitate muri spiritualis extolli, quum sit citissima casura parietis eorum, quia linitus est absque temperaturâ, nec sunt veraces qui liniunt eum: sed prophetantes mendacium. Sed & plantatio eorum, si aliquid etiam germinis emerserit, eradicabitur, vt non appareat vestigium laborum eorum. Vestra autem plantatio, quam io vobis pater cœlestis plantauit, nullo modo eradicabitur, & vsque ad cœlos cœlorum, & ante conspectum Domini sine fine coronanda amplificabitur, in augmentatione dexteræ virtutis Dei qui humilia respicit, & alta à longe cognoscit.

CAPVT. XXII.

Dei retributione bonorum & Dei gratiâ.

VNde, fratres mei, vobis erat magna Dei retributio in bonis gloriæ suæ, qui ei obeditis, qui eum imitati fuistis, cuius voluntas requieuit in vobis, qui pro eius nomine tanta ab inuidiâ serpentis antiqui passi estis hucusque. Non autem vos estis qui vincitis inuidiam satanæ, sed Deus & pater omnis gloriæ, fortitudinem incredulorum & aduersantium atque insidiantium vobis, in vobis deuincit. Nec enim vos estis victores, sed Deus omnis gratiæ, in quem fideliter creditis & aspiratis, quem vere diligitis. Idcoque nihil meritis vestris ascribatis, quasi noo egentes Dei gratiâ, *quia sine Deo nihil potestis facere.*

CAPVT. XXIII.

De fugiẽda murmure, & metuendâ gehennâ.

COmmendo autem vos Deo in gratiâ eius in quâ statis, vt liberet & custodiat vos à malis omnibus, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et valde congratulor fidei vestræ in quâ Deo seruientes attentiùs ei placere desideratis. Porro à murmuratione custodite corda vestra, & timete tormenta æterna: tormenta intolerabilia, quibus peccatores, & qui Deum non nouerunt, punientur, & qui cognitum non dilexerunt.

Tribulationes sũt exemplũ gehennæ.

In quo exemplo cruciatum gehennæ, sæpè videtis tribulationes quibusdam imminere in corporibus ardentibus; quas tamen qui in gratiarum actione sustinent, coronam sibi acquirunt. Non ergo admiremini, videntes ignità in ferocitate cruciari innoxios. *Quos enim diligit Dominus flagellat.* Ipsos autem qui mei filij sunt, si sentimus in contumaciâ proteruitatis post baptismum, nullo modo perturbamur, sed magis condolemus illis.

Hebr. 12.

CAPVT XXIV.

De orando pro infidelibus. S. Martialis Charitas erga Tholosanos, & eius pro illis orationes.

VEstrâ autem oratione tales opus habent vt oretis pro eis, quatenus diabolus à cordibus eorum auferatur, qui eos ad hoc incitat contra nos, vt in æternum demergat interitum. Quando autem præsens fui vobis corpore, vnanimi dilectione me habuistis in charitate Christi, ideoque plurimum congratulatus sum in Domino, vestræ sanctæ fidei & dilectioni. Et hac de re oratio nostra continua pro vobis est ad Deum, vt hic & in futura à malis omnibus vos eripiat. Absens vero corpore, erga vos eandem dilectionem possideo; & ideo maximè, quia scio eam vos erga memetipsum possidere. Talis enim dilectio amabilis Spiritui sancto est, per quam venietis ad gaudia claritatis Domini, vbi cuncta vobis gloria affluet, quæ nunquam minoratur in persecutionibus. Denique quia sustinetis eos à superbis huius sæculi, nolite à fiduciâ domini desperare; sed ad eum corda vestra conuertite, qui vos liberabit à præsenti & futurâ irâ.

CAPVT XXV.

Temporã non obseruãda.

OBseruationes autem dierum & temporum atque astrorum nolite attendere, quibus Gentes idolis deditæ intendunt, & tali obseruatione à diabolo decipiuntur & à veritate relinquuntur.

Galat. 4.

Confidite ergo in potentiâ Domini Iesu Christi, cuius clementia immensorabilis est, cuius potestas ineffabilis, cuius gloria semper & in æternum desiderabilis, quia nunquam derelinquet vos,

d in omnibus vbique vobis aderit; sicut ipse nobis pollicitus est, dicens; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Ipsi enim omnia abscondita patent, & nihil sine eius voluntate poterit vobis euenire. In illius contemplatione mentem vestram assiduè figite, & præter eum nihil diligatis, quoniam ei cura est de vobis.

CAPVT XXVI.

QVod verò in vestrâ postulatione à me petitis, scitote confidenter, quia à Deo tribuitur vobis vltra quam petitis & intelligitis. Ipse enim est pax, ipse omnia superat bella; ipse vobis victoriam de inimicis, pacem æternam & sine sanguine dabit. Hæc est enim voluntas eius & gloria, & de vestro bono desiderio congaudet; nosque ei gratias referimus, qui sedet ad dexteram Dei Patris in gloriâ Spiritus sancti.

CAPVT XXVII.

SAlutate in perfectione pacis qui diligunt Dominum Iesum Christum: pro impiis verò assiduè orate, vt ad veritatem Dei conuertantur, per quam gloriam & in quâ permanemus, & cum quâ sine fine perpetuam Dei visionem contemplabimur. Pro quâ etiam millies corpus nostrum sub omnibus tormentis morti dare optamus. Est enim visio Dei quâ solâ Angeli perfruuntur, & omnes perfecti in dilectione eius, ad quam peruenire desideramus quotidie suspirantes ad illius inæstimabilem gloriam.

CAPVT XXVIII.

FAtigari autem vos nolo vsque ad me, quousque nuntium meum videntes, sine aliquâ hæsitatione ad præsentiam nostram veniatis, vt præsentes inuicem in gloriâ Christi gaudeamus, qui absentes eius dilectionem & præsentiam omnipotentiæ suæ omni horâ præ oculis habemus. Pax verò & omne bonum omnisque consolatio, oro Deum vt iugiter maneat vobis. Languorem autem ac nequitiam & omne peccatum, & quidquid potest esse molestum procul faciat Dominus, à vobis, vt animæ vestræ in gloriam Dei sine corruptione perueniant, & absque metu diaboli, corpora autem vestra sine maculâ peccatorum præsententur Domino in resurrectione carnis ad diem vniuersalis iudicij. Amen.

SANCTI DIONYSII AREOPAGITÆ OPERA.

CVM SCHOLIIS SANCTI MAXIMI ET PARAPHRASI PACHYMERÆ,

A BALTAZARE CORDERIO *Societatis* IESV, *Doctore Theologo Latinè interpretata.*

PRÆFATIO AD LECTORES.

QVOD *Chryſoſtomo de S. Paulo, hoc de diſcipulo eius* DIONYSIO, *mihi iure præfari liceat. Quotieſcumque diuini huius viri ſcripta lego, gaudio exulto, tubâ illâ ſpiritali perfruens, & excitor, & deſiderio incaleſco, vocem mihi amicam agnoſcens, & ferè præſentem ipſum intueri, & diſſerentem audire videor. Sed tamen doleo, & moleſtè fero, quòd virum hunc non omnes, ſicut par eſt, cognoſcunt: verùm ita illum nonnulli ignorant, vt ne ſcriptorum quidem eius numerum planè ſciant. Hoc verò non imperitia facit: ſed quòd nolint Beati huius viri ſcripta aſſiduè in manibus habere. Neque enim nos, quæ ſcimus, ſi quid ſcimus, ab ingenij bonitate atque acumine ſcimus; ſed quòd erga hunc virum impensè affecti, ab illius lectione numquam diſcedimus. Quapropter ſi & vos quoque lectioni eius diligenter intendere volueritis, nihil aliud erit vobis requirendum. Hæc ille.*

In Præfat. in Epiſt. B. Pauli.

Vt igitur veſtram erga ſanctum hunc Patrem diligentiam ac ſtudium excitarem, & iis potiſſimùm qui DIONYSIVM *linguâ ſuâ loquentem non intelligunt, faciliorem ſimul & iucundiorem eius redderem lectionem, nouam hanc editionem adornaui, cum Latinâ meâ interpretatione, quæ cæteris (quod certè conatus ſum) preſſiùs & clariùs, atque Theologis accommodatiùs verborum eius vim (quæ iis ineſt maxima) exprimeret, & ſtylo plano ſenſum redderet genuinum.*

Maioris autem lucis ac facilitatis gratiâ, breues quaſdam generales præmiſi Obſeruationes, ceu Canones toti Operi communes, capitibus ſingulis Synopſes, totius doctrinæ in ipſis contentæ ſummam amplectantes. Superuacaneum autem exiſtimaui pro ſancto hoc viro, ſcriptiſque eius diuiniſſimis, nouam Apologiam texere, cum id ab aliis & præcipuè à P. Petro Halloix S. I. cumulate præſtitum ſit tomo primo, ſcriptorum Eccleſiæ Orientalis quæſtione ſecundâ, è quatuor quas circa eundem ſanctum diſcutit: Quam quidem integram in gratiam Lectorum hic apponere placuit.

QVÆSTIO SEV APOLOGIA P.Halloix Soc. IESV pro vindicandis Dionyſio Areopagitæ operibus ſuis.

FVIT hæc ſemper atque etiamnum eſt celeberrima inter doctos viros quæſtio, cuiuſnam ſint ea ſcripta, quæ ſub Dionyſij Areopagitæ nomine in lucem prodiere, ipſiuſne reuerà Areopagitæ, an alterius.

Tractarunt eam complures partim Græci, partim Latini, partim Catholici, partim Hæretici. Et quidem qui affirmatiuam partem tenuerunt, hæc ſcilicet ſcripta verè eſſe Dionyſij Areopagitæ, è cœtu Catholico penè omnes fuerunt: qui verò negatiuam, maximâ ex parte hæretici, quantumuis aliquo etiam numero Catholici.

Ac ne cui in mentem veniat, me poſt tot huius quæſtionis tractatores videri actum agere, diſcent ex hoc noſtro Tractatu, quicumque animum adtecerint, meliorem nos in non paucis tenuiſſe refutandi viam, quàm qui nos antegreſſi ſunt: itemque certorum argumentorum hinc

de allatorum vel vitia detexisse, vel momenta adau-
sse.

Prima igitur sententia, eaque vera, est hæc: Opera
æ Dionysij Areopagitæ nomine inscripta sunt, vere il-
s sunt, & pro talibus haberi debent.

PRIMVM ARGVMENTVM: Quia si in re dubiâ & in-
rtâ, qualem esse hanc nonnulli volunt, melior est con-
tio possidentis, quantò magis ex tanto tempore, & à
t sæculis, defenso semper iure suo, bonâ fide possiden-
s? Nam ab immemorabili tempore habita sunt hæc
pera pro rebus Areopagitæ, cùm non queat assignari
atium, quo ipsa alterius & non illius habita sint. A
ille enim retrò annis eoque ampliùs laudatus nomina-
m reperitur Dionysius Areopagita, vt horum auctor
perum: & fuit nemo hactenus tam imprudens aut im-
udens, tam audax aut temerarius, qui alieno sub nomi-
e ea Opera euulgarit. Fuerunt quidem qui vel ad Apol-
narem, vel ad alium à nostro Dionysium, seu Corin-
hium, seu Alexandrinum, suas tenues & vix refutatu
ignas applicarent coniecturas: sed qui seriò tueri ac
ropugnare intenderent, aut qui nomen alicuius illorum
ræfigere hisce Scriptis auderent nulli fuerunt.

Qui verò ante mille annos hunc, Areopagitam cita-
unt, in promptu habeo Leontium Byzantinum, & S.
Anastasium Sinaitam, viros magnâ doctrinâ & auctori-
ate, ambos inperante Iustiniano (is suscepit imperium
nno Christi. Domini 527. scriptis illustres, & pluri-
nâ SS Petrum, electione instructos. Quorum prior
ib. 2. contra Nestorium & Eutychetem producturus ve-
erum testimonia sic præfatur: *Quoniam gratiâ Christi,
quæstiones, quæ speciem probabilitatis habebant, pro viri-
bus soluimus; polliciti verò sumus testimoniis veterum con-
firmare quæ diximus, accipe in fidem multitudinem testi-
moniorum, æquabilem & modulatum veritatis concentum
edentem.* Deinde post quædam alia eiusdem præfationis,
dum profert testimonia, primo prorsus loco ponit Dio-
nysium Areopagitam hoc modo: *Dionysij Areopagitæ
..tis Apostolorum ex libro de Diuinis nominibus. Corru
ptio vero, infirmitas naturæ, & defectus naturalium ha-
bituum, & operationum ac potentiarum*, &c. Sic Latinus
Leontij interpres. Græcum enim nancisci exemplar non
potui.

Sed idem in lib. de Sectis (quem ad manum tam Græ-
cè quàm Latinè habemus) eumdem Areopagitam aper-
tè inter sanctos Patres, qui à Christo ad Constantinum
Magnum medio spatio comprehenduntur, enumerat.
Nam Actione 3. sub medium ita scribit: *Fuerunt autem
in temporibus a Christi natiuitate vsque ad imperium Con-
stantini, Doctores hi & Patres: Ignatius Theophorus, Ire-
næus, Iustinus philosophus & martyr, Clemens & Hippo-
lytus Romæ Episcopi, Dionysius Areopagita, Methodius
Patarensis Episcopus, Gregorius Thaumaturgus, Petrus
Alexandriæ Episcopus & martyr*, &c. E Leontio ista.
Vbi notandum est, S. Hippolytum ab eo (vti & à qui-
busdam aliis Scriptoribus Græcis, quod in eius Vitâ ad-
monitum volui) Romæ Episcopum vocari, quòd in
Portu Romano, vrbe Italiæ, fuerit Episcopus; non
autem quòd ipsius vrbis Romæ sedem tenuerit princi-
palem.

Eundem S. Dionysium laudat nominatim S. Anata-
sius Sinaita, Episcopus Antiochenus lib. 7. Anagogica-
rum contemplationum in Hexaëmeron, initio. *Celeber-
rimus ergo*, inquit, *& rerum diuinarum mysta Apostoli-
cus Dionysius doctor in sapientissimâ suâ Theologiâ: quòd
Deus dicitur Θεὸς, ex eo quòd omnia θεωρεῖ, id est con-
templatur*, &c.

Ante istos igitur Auctores Opera ista, de quibus est
nunc controuersia, censebantur Dionysij Areopagitæ.
Quin & antiqui Patres, quamuis nominatim ea non ci-
tauerint, legisse tamen, & imitati esse, non obscuris ve-
stigiis deprehenduntur. Nazianzenus certe in non pau-
cis secutus hunc auctorem manifestis indiciis à doctissi-
mo Billio ostenditur. Integrum enim caput in suo Obser-
uationum sacrarum lib. 1. eâ de re confecit, estque illud
numero 23. quod sic orditur. *Nonnulla*, inquit, *apud
Gregorium loca sunt, Dionysij Areopagitæ verbis vsque-
adeo similia, vt ea ille ab ipso mutuatus esse non immeritò
cuipiam videri possit. Quod ne me fingere quisquam putet,
loca ipsa proferre, minimè pigebit. Oratione 2. de Paschâ,
Deo loquens Gregorius*, Ὅλον, inquit, ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει
τὸ εἶναι. *Dionysius autem c. 5. libri de Diuinis nominibus*: Ὅλον
ἐν αὐτῷ τὸ εἶναι συνειληφώς. *Eodem loco Gregor. Deum esse dicit*
ἐπέκεινα ... *Quæ verba non longe remo-
ta sunt ab his Dionysij, libro de Cœlesti hierarchia, cap. 9.*
Θεαρχικῆ φωτὸς ἀπείρων τι καὶ ἄφθονον ... Hactenus
è Billio. Vide ibi longè plura.

Et sanè admodum credibile est, sanctum Gregorium
Nazianzenum, cum Athenis studiorum causâ degeret,
& præcipuorum inibi Philosophorum ac Theologorum
(quod ex eius Vitâ à me scriptâ cognosci poterit) fami-
liaritate vteretur, in eos libros tanquam altissimæ Phi-
losophiæ plenos incidisse, eosque peruolutasse.

Idem & de S. Ioanne Chrysostomo dici potest: qui
non minore ibidem, quàm Nazianzenus, gloriâ floruit:
nempe eum eiusdem Dionysij scripta perlegisse, & su-
blimitatem scientiæ & spiritus qui in eo loquebatur, &
mirabilia de Deo & cælestibus virtutibus referebat, de-
miratum, appellasse eum, *Volucrem cæli*.

Diu requisitum illum Chrysostomi locum tandem in
Sermone De pseudoprophetis & falsis Doctoribus repe-
ri: Illic enim paulò post medium ita scribit: *Vbi Euodius
ille, bonus odor Ecclesiæ, & sanctorum Apostolorum suc-
cessor? Vbi Ignatius Dei domicilium? Vbi Dionysius Areo-
pagita volucris cæli? Vbi Hippolytus suauissimus & bene-
uolentissimus? Vbi Basilius Magnus & par fermè Apo-
stolis? Vbi Athanasius ille sanctus & virtutibus diues? Vbi
Gregorius Theologus & inuictus miles, & alter illi cogno-
minis? Vbi Ephræm ille celebris, obtorpescentium excita-
tor, afflictorum consolator?* &c. Ac ne quis illam oratio
nem D. Chrysostomo abiudicet, sexcenti iam anni sunt,
cùm Anastasius Bibliothecarius eam sub eius nomine ci-
tauerit, vt videre licet in ipsius ad Carolum Caluum
Imp. epistolâ.

Quin & Petronius Ebroicensis Episcopus dixit,
se, Venetiis cùm esset, vidisse illam Chrysostomi Græ-
cam Orationem, in quâ elogium illud de Dionysio
recitatur, eiusque Homiliæ titulum esse, *Cygnæa vox
Chrysostomi*, quam scilicet Constantinopoli, priusquam
in exilium pelleretur, habuerit. Quod autem ad titulum
illum attinet, satis clarum est non à Chrysostomo illi
Orationi inditum, sed ab aliquo descriptore, qui dicen-
tis tempus & materiam spectauerit.

Auctoritati porrò nostri Frontonis Ducæi (qui ob sti-
li, vt quidem censet, differentiam, inter eas illam reiecit,
quas credit non esse Chrysostomi) oppono Primò, non
tantam esse stili differentiam, quantam facit: deinde, vt
sit aliqua, nihil videri debere mirum. Alius est enim sti-
lus senis, alius iuuenis: alius dolentis, & anxij, & pro
grege suo derelinquendo solliciti, atque ab eo discessu-
ri; & alius sedati & in Episcopali sede cum omni quiete
& securitate residentis. Hæc autem scripta est non longè
ante ipsius è vitâ excessum, vti declarat & expresse de-
nuntiat exordium. Itaque hîc ea inculcat, quæ tali in
tempore à bonis solent pastoribus inculcari, primò, fu-
giendos hæreticos & pseudoprophetas; deinde, vacan-
dum lectioni sacrarum Litterarum; tertiò, recogitan-
dum & reformidandum Dei iudicium; quartò, bonis
operibus insistendum, ac præsertim compunctioni &
pœnitentiæ, nec hanc in longum differendam. Quæ sunt
igitur Orationum S. Chrysostomi germana lineamenta,
si hæc non sunt?

Vel ille profectò solus locus, quem hîc proferam,
conuinceret auctorem huius Orationis esse Chrysosto-
mum. Nam post varia Scripturæ loca, & post istum
Pauli, *Videte canes*, *mihi verò lacrymæ*, inquit, *oboriun-
tur, dum quosdam ex nostrâ Ecclesiâ dicentes audio, non
dici hæc in diuinis Scripturis: idque non solùm a laicis,
verùm etiam ab illis qui videntur esse pastores, & locum
Apostolorum obtinent & Prophetarum, sed non mores.
Ad quos opportunum est dicere: Væ vobis duces cæci &*

indocti

indocti & inconstantes, qui vestium ornatu delectamini, & non lectione sacrorum librorum, &c. Ille enim Chrysostomi zelus pro libris sacris passim notus est.

Probari prætereà potest esse Chrysostomi hanc Orationem, quod in loco suprà citato ipse Chrysostomus tanquam Antiochiæ natus, proferens verorum pastorum & imitandorum Episcoporum nomina, primo loco patronos suos vrbisque suæ Antiochiæ secundùm Petrum Apostolum Antistites inducat Euodium & Ignatium, deinde Dionysium Areopagitam illis æqualem, posteà reliquos, vt suprà.

Accedit tertiò, quòd si hæc Oratio non fuisset Chrysostomi, sed alterius ipso posterioris, certè ille, quisquis fuisset, non minùs Chrysostomi meminisset quàm Basilij & duorum Gregoriorum. Nec enim minùs quàm illi celebris fuit, seu vitâ, seu dignitate, seu scriptis.

Adde quartò, si lubet, hunc Auctorem, vti nullius Catholici scriptoris meminit qui non ante Chrysostomum fuerit, ita nec vllius hæresiarchæ mentionem facere, qui post vixerit. Eunomium enim, contra quem scripserunt Basilius & Gregorius Nyssenus, vltimum recenset nominatim. Sic enim scribit: *Vbi Simon Magus in hæresi primus, discipulus & præcursor Antichristi? vbi malus eius fœtus & insania ac lascinia successor Montanus? vbi Marcion? vbi Valentinus? vbi Manes? vbi Basilides? vbi iam Nero? vbi Valens? vbi alij Reges atque potentes? vbi Iulianus transgressor? vbi porrò Arius? vbi Eunomius, & reliqui hæresiarchæ?*

Ita Chrysostomus ex interpretatione Gerardi Vossij, qui melius & integrius exemplar Græcum nactus est, quàm sit illud quod Fronto noster indidit Tomo 6. Operum Chrysostomi Græco-Latinorum. Nam in Frontonis exemplari lacunæ quatuor visuntur satis magnæ, in Vossij nulla. Notandum etiam, in Græco Frontonis malè haberi, ποῦ Νεσίριος; *vbi Nestorius?* pro quo restituendum, ποῦ Εὐνόμιος; Liquet tum ex ipsâ Vossij interpretatione, quam produxit idem Fronto; tum maximè, quòd in citatione SS. Patrum superiùs positâ, vbi hæresiarcharum aduersarij laudantur, nequaquam auctor huius Orationis reticuisset S. Cyrillum Alexandrinum Nestorij principem aduersarium & debellatorem; siquidem inter hæresiarchas nominasset Nestorium, vti aliorum hæresiarcharum oppugnatores non reticuit. Sed pro adstruendo Chrysostomi testimonio, & vindicandâ illi suâ Oratione, hactenus satis.

Iam autem non modò ij quos dixi, scripta Dionysij Areopagitæ videntur agnouisse, sed & antiquiores; in quibus nonnulla videor deprehendisse Dionysij imitamenta. Nam & Clemens Alexandrinus, vir longè doctissimus, cùm Athenis esset natus & educatus, & quidem proximo post Dionysium nostrum sæculo, legisse illum & imitatus esse, de signis non minimis creditur.

Habet sanctus Dionysius libro de Diuinis nominibus, Cap. III. tres egregias similitudines, quibus ostendit, nos nostris ad Deum precationibus non trahere illum ad nos, sed potiùs nos ad illum. Notaui illas similitudines Cap. XXII. Vitæ. Secundam igitur illarum, quæ ducta est à naui ad saxum funibus alligatâ, sic imitatus est Clemens lib. 4. Stromatum sub finem: *Quemadmodum igitur, qui in mari ab ancorâ funibus firmantur, trahunt quidem ancoram, sed illam ad se non attrahunt, verum seipsos potius ad ancoram: ita qui in vitâ gnosticâ* [scientiæ donum obtinente] *Deum trahunt, seipsos non aduertentes ad Deum adducunt. Qui enim Deum colit, seipsum colit.*

Verba autem sancti Dionysij loco dicto sunt hæc: *Quemadmodum si nauigium aliquod ingressi, rudentes è Saxo quopiam ad nos vsque protensos auxilij causa teneamus, non saxum ad nos, sed nos potius ac nauim ipsam ad saxum adducimus.*

Quod igitur Dionysius hic habet, εἰς ναῦν ἐμβεβηκότες, dixit Clemens, οἱ ἐν θαλάττῃ: & quod ille, ἀπὸ χθαμαλοῦ τῆς ἐν πέτρας εἰς ἡμᾶς ἐκτεταμένων ἀντεχόμενοι, dixit Clemens breuiùs, ἀπὸ ἀγκύρας τοῦ πλοίου. Sic vbi Dionysius dixit, ἐπὶ τὴν πέτραν, *ad saxum*, Clemens vsurpauit ἐπὶ τὴν ἄγκυραν, *ad ancoram*: & quod Dionysius applicauit ad precantes Deum, Clemens accommodauit ad pie viuentes, & Deo per contemplationem vacantes.

Habet idem Dionysius tam in libro de Cœlesti hierarchiâ c. II. quam in lib. de Diuinis nominibus, doctrinam de cognitione Dei per negationem. Quam imitatus videtur Clemens lib. 5. Stromatum, sub medium, vbi sic scribit: *Si igitur post ablata omnia quæ insunt corporibus, & iis quæ dicuntur incorporea, nos ipsos in Christi magnitudinem proiecerimus, atque inde in immensitatem sanctitate processerimus, ad intelligentiam Omnipotentis vtcumque perueniemus, non id quod est, sed id quod non est cognoscentes. Figura autem, & motus, vel status, vel thronus, vel locus, vel dextera, vel sinistra, de Patre vniuersorum nequaquam sunt cogitanda. Atque & hæc scripta sunt. Verum, quid vnumquodque istorum significet, suo dicetur loco. Quare prima causa non est in loco, sed supra & locum & tempus & nomen & intelligentiam.*

Habet & quædam alia his similia eodem libro inferiùs de Deo, quem dicit ineffabilem, propterea quòd non sit genus, nec differentia, nec species, &c. Vide in eodem Clemente.

SECVNDVM ARGVMENTVM pro Dionysij operibus sumi potest ex ipsorum materie, & ex tempore scriptionis: hæc autem sunt eiusmodi, vt auctorem æquæuum Apostolis, vt magnum Philosophum, vt ardentem Theologum: vt virum denique in sublimissimo argumento rebus & verbis haud imparem, ac vere Pauli discipulum ostendant. Materies enim siue argumentum est, Deus, Trinitas, Angeli, Ecclesia, Pontifices, Sacramenta, seu graduum & officiorum Ecclesiasticorum descriptio Episcopis scitu necessaria: sermo autem & locutio, hominis est in contemplando, & verba contemplationi, quoad eius fieri potest, adæquando eximij, atque, vt Dionysius Richelius Areopagitam appellat, *viri profundissimi ac feruentissimi cordis*. Ita scilicet in sublime assurgit, ita in voces nouas ac singulares, nempe ad rerum cæteroqui inexplicabilium aliquam adumbrationem ebullit; ita sursum cogitationibus & sensibus in immensum attollitur, vt non immeritò magnus ille Hugo à S. Victore (qui alter Augustinus ex mentis & sermonis acumine vocari obtinuit) ea quæ de Seraphinis à B. Dionysio scripta sunt, Angeli potiùs verba esse putet, quàm hominis. Eadem fuit de illo mens Suidæ, eadem sententia. *Si quis enim*, inquit, *eius spectet elegantiam orationis, & profunditatem sententiarum, ea nequaquam humana natura fœtus, sed immortalis cuiusdam ac diuinæ esse facultatis existimabit.* Idem fuit & Leonardi Lessij præceptoris nostri sensus, idem iudicium. *Quod ad elocutionem*, inquit, *attinet, eam quoque Angelicam potius dixeris, quam humanam: adeò sublimis est nimirum, vt conceptionum sublimitatem orationis sublimitas exæquet. Quis post Apostolos vnquam de diuinis ita locutus est?* Τὸ ἀεὶ ὄν, τὸ ὑπέρθεον, τὸ ὑπεράγαθον, &c. quæ vide in eius Epistolâ Apologiæ à Petro Lansellio pro eodem Dionysio editæ, præfixâ. Noster item Nicolaus Caussinus, in Eloquentiæ Parallelis, ita de eodem inter alia: *Nam videtur hic de Deo & pulcherrimo eius opificio verba faciens, quasi aquila ex hominum conspectu subductus contentissimo volatu se in altas nubes indnere, & illic inter fulminum ictus, inter niues & grandines ludere, mox inter stellas spatiari? Verum vbi Triadem illam speculatur, vbi de Verbo diuino disserit, & mysteriorum diuinorum maiestatem depingit, non iam est aquila, sed Angelus qui spiritum loquitur è turbine, aut vt Elias igneo curru deuectus supra nubes & pluuias & ventos, & quicquid mortale est, audacissimo nisu consurgit.* Ita ille, & benè.

Iam de tempore scriptionis certissimum ex ipsis Operibus argumentum ducitur, ea scripta esse primo sæculo, cum illorum auctor nullius Scriptoris aut alterius illustris viri meminerit, qui non Apostolorum temporibus vixerit; &, quod caput est, se Pauli Apostoli discipulum vocet, atque ad Titum, atque ad Timotheum, aliosque æui illius scribat.

Cùm

Cùm ergo illa scripta sub nomine Dionysij Areopagitæ semper prodierint, & idem Dionysius in omni eruditionis genere apprimè versatus, insignisque in paucis Philosophus fuerit (solos enim ferè eiusmodi viros admittebat Areopagus, vt alibi probatum est) & Pauli insuper Apostoli discipulus, à quo & virtutem eximiam, & altissima mysteria, vt pote capacissimus, addiscere & imbibere potuerit, quis dubitare possit, quin hæc ipsius vera & germana scripta sint;

At enim stilus horum librorum, inquit Abrahamus Scultetus Caluinista, *non est simplex & sincerus, sed argutus nimis, & inflatus, & affectatus, & parum Apostolicus.* Verùm improbus scriptor improbè fallitur. Nam quem negat esse simplicem ac sincerum, meliora sectantes aiunt esse simplicissimum ac sincerissimum, non simplicitate quidem sermonis humi repentis (tali enim stilo vtendum est in rebus paruis & humi repentibus) sed simplicitate, quâ res magnæ verbis magnis & propriis, sibique accommodatis potiùs, quàm longis ambagibus, & translatitiis vocibus explicantur. Diuina enim & cælestia cùm miro & eleuato mentis acumine penetraret vir ille, & sensus suos in rebus altissimis conaretur explicare, nec verba reperiret paria, nouis verbis, Atticè tamen efformatis, in rebus nouis & communem captum transcendentibus est vsus. Sincerissimum item aiunt, sed sinceritate, quæ res ita conatur repræsentare vt sunt, non autem ea quæ fucum admittit, & quò res paruæ ac turpes, magnæ & pulchræ videantur, aut è contrario.

Quòd porrò argutum nimis asserit, & inflatum, affectatum, & parum Apostolicum; hoc totum nego: & aio, Scultetum in prioribus quidem valdè hallucinari, in postremo autem, vbi vocat parum Apostolicum, ipsummet non parum, sed multùm hariolari.

Nam si res paruas aut mediocres eo stilo, & istis verbis quibus hic vtitur, exponeret Dionysius, tum sanè inflatus & affectatus quin diceretur, nihil repugnarem: verùm si verba hic sunt grandia, & res quoque ipsa multò grandior, quid est quod argui possit? Nec verò alius in Dionysij libris spiritus & eloquentia apparet, quàm in Pauli præceptoris sui nonnullis Epistolis, vbi talis nonnumquam est oratio, & tam clara verbis, & tam figuris ornata, vt si verba Sculteti in Dionysio haberent locum, etiam & in Paulum ipsum viderentur posse grassari. Nam certè Pauli stilus ex omnium confessione longè est & ab Euangelio & ab aliorum Apostolorum scriptis differens. Quare si Pauli stilus cùm alibi, cùm in secundâ ad Corinthios Epistolâ est Apostolicus, etiam Dionysij, cùm in rebus sublimibus est sublimis, & in cœlestibus cœlestis, potest & debet dici Apostolicus; præsertim vbi sub illis, quibus vtitur verbis, tanta rerum diuinarum æstimatio & pietas animi interlucet.

TERTIVM ARGVMENTVM est, quòd cùm olim, hoc est, sub annum Christi quadringentesimum, orta esset de Operibus sancti Dionysij Areopagitæ quæstio, nonnullique certis de causis, an eius essent legitimus fœtus, dubitarent, scripserit Theodorus Presbyter librum vnum, quo docuit illa Opera esse sancti Dionysij Areopagitæ germana atque legitima, & rationes quatuor, quæ contrà potissimè obiiciebantur, dissoluit. Hoc testatur Photius in Bibliothecâ, Cod. 1. hisce verbis: *Lectus est Theodori Presbyteri liber, quo docet germanum esse S. Dionysij opus. Dissoluta sunt autem eo in libro argumenta quatuor.*

Subiungit deinde Photius ea argumenta, sed absque solutionibus, propterea quòd liber Theodori Presbyteri, in quo eæ solutiones continebantur, satis esset vulgatus. Ego inferiùs tam ipsa argumenta quàm solutiones (quæ quidem adferri potuerunt aut debuerant, quandoquidem illæ Theodori non extant) in contrariæ sententiæ refutatione proferam.

Postremò addit idem Photius hæc verba: *Hæc igitur quatuor difficilia argumenta dissoluere conatus, confirmat, quantum quidem in se est, legitimum esse magni Dionysij librum.*

Ac ne quis arbitretur, ea verba contrariæ fauere sententiæ, sciat eundem ipsum Photium (de cuius insigni eruditione atque exacto in censendis libris iudicio Catholici æquè & hæretici consentiunt) expensis vtriusque opinionis rationibus ac momentis tandem istos libros, de quibus hic agitur, sancto Dionysio Areopagitæ, vt proprios adiudicasse. Quod liquet ex eâdem ipsius Bibliothecâ, Cod. 231. vbi in variorum recensione Auctorum, quos citauerat Sophronius Patriarcha Ierosolymitanus, ita de nostro Areopagitâ: *Et Dionysius ille sermone quidem magnus, sed maior contemplatione, Pauli discipulus & Christi martyr, & Atheniensium Episcopus.* Ita ille. Quæ certè non diceret, nisi Opera quæ Areopagitæ nomine inscripta sunt, Areopagitæ adiudicaret. Nam vnde sciret illum sermone magnum, si nihil eius Operum vidisset? vnde & maiorem contemplatione quàm sermone nosset, si contemplationem eius nullam legisset? Sub huius enim Dionysij nomine aliud nihil extat præter illa Opera de quibus nunc agitamus. Aut ergo illa vidit & legit & expendit, aut certè iis, qui viderunt & legerunt & expenderunt, assensit. Atque etiam obserua, secundum argumentum suprà positum, vbi de Dionysij elocutione & contemplatione agebatur, confirmari; cùm illa nimirum Photij verba directè in aduersarios tendant, & tam sermonem quàm contemplationem commendent.

QVARTVM ARGVMENTVM ex magnorum virorum auctoritate ducitur, & eorum quidem non minùs doctrinâ quàm pietate illustrium, quorum integras turmas in Martini Delrij Vindiciis spectare licet: præ quorum multitudine, qui stant ex aduerso, perpauci sanè numerantur.

Nam è Theologis Scholasticis, si hæreticos omittamus, vnicum ferè aut certè præcipuum habent Caietanum. Nos verò Alexandrum de Ales; Albertum Magnum, S. Thomam Aquinatem, S. Bonauenturam, Durandum, Scotum, Richardum, Gabrielem, & reliquos. Ex aliis variâ eruditione præditis habent Theodorum Gazam, Laurentium Vallam, Desiderium Erasmum, Iosephum Scaligerum, Desiderium Heraldum, paucos alicuius notæ alios.

Sed his opponuntur Ioannes Picus Mirandula, vir ab ingenio & memoriâ *naturæ miraculum* appellatus, Marsilius Ficinus & Lilius Gyraldus, viri tam magni ingenio, quàm varij scientiâ, quorum ille quidem ipsius Dionysij librorum interpres fuit & admirator, hic autem eumdem Dionysium in diuinorum explicatione nominum cunctis anteposuit. Budæus & Billius, duo litterarum Græcarum in Galliis prælustria lumina, Gilbertus Genebrardus, & Arnaldus Pontacus pari studio litterarum & sinceræ amicitiæ cultu nobiles. Item Cælius Rhodiginus, plurimæ lectionis varietate vix sciens parem (cuius verba, vt pietatis plenissima, infrà ponam) & innumeri alij, quos partim ex ipsorum Operibus, partim ex citatis Delrij Vindiciis cognosci facile est. Nam tot Romanis Pontificibus, tot Conciliis vniuersalibus, tot Patriarchis, tot Episcopis, tot Doctoribus, quos idem laudat noster Delrius, quid habent aduersarij quod opponant? Solidas fortè inquirent rationes omni humanâ auctoritate fortiores; itaque illas infrà videbimus & examinabimus: & sic quidem, vt cùm fortissimas earum, nullâ earum quæ ponderis alicuius sit dissimulatâ, protulerimus, aliquas etiam à nobis nouas addamus ab illis præteritas, & tamen iis quas attulerint etictu difficiliores.

QVINTVM ARGVMENTVM. Non est diuini moris, nec æternæ illius prouidentiæ, opera vana & fictis mendaciis plena veris ornare & cohonestare miraculis. Atqui Areopagitæ Opera, cùm variis infirmitatibus in tanti viri honorem applicarentur, multis diuinitus honestata sunt miraculis, vt Cap. XX. Vitæ attigi. Quare signum est satis euidens & luculentum, eius esse illa Opera, cuius in honorem ea patrata sunt.

SEXTVM denique & contra aduersarios longè validissimum argumentum est eiusmodi: Si Opera illa non

sint

sint Dionysij Areopagitæ qui fuit Pauli discipulus, sed alterius Dionysij, siue Corinthij, siue Alexandrini, siue alterius cuiuscunque posterioris; fateri necesse est, illorum auctorem Operum, quisquis demum fuerit, plenum mendacij, fallaciæ, & sacrilegæ simulationis extitisse.

Atqui hoc minimè dici potest, minimè gentium. Nam Scripta illa meram sapiunt & spirant pietatem, modestiam, grauitatem, sanctimoniam, neque vllum prorsus vel minimum aut leuitatis aut vanitatis (quæ abesse à fallacibus haud possunt) seu fumum seu fimum redolent. Ita sanè reperiet quisquis illa composito sedatoque animo perlegere voluerit; aut si hoc longum est, saltem ea quæ in Caput XXII. & XXIII. Vitæ eius immisi, non inuitus percurrerit. Plenum autem alioqui futurum mendacij & fallaciæ & simulationis, si alius sit quàm dicimus, & quàm scripta repræsentant, inde clarum est, quòd se conuixisse Apostolis, quòd Pauli Apostoli discipulum fuisse dicat, quòd se Deiparæ Virginis funeri adfuisse, quòd hymnos in eius honorem audiisse, quòd Timotheo eosdem memoranti aures dedisse scribat, quòd alia plura denique iisdem in libris afferat, quæ alioqui prodigiosam mentiendi & decipiendi continerent audaciam.

At verò quis credat virum adeò doctum & pium, & illuminatum, qualem se hic Auctor in scribendo præstat, tam impia finxisse somnia, tam inusitata excogitasse mendacia, idque vt nomini alieno famam daret, detraheret suo? Talis certè non fuit, neque sanctus Dionysius Corinthiorum Episcopus secundi sæculi scriptor (horret id animus cogitare) neque doctissimus ille & illustrissimus Christi Confessor Dionysius Alexandrinus æuo tertio clarus (nimis temerarium est vel suspicari) neque alius denique vir bonus & timens Deum. Leui nimis ingenij fuerit, hoc de tali existimare.

Tractant hoc idem argumentum fusiùs partim Græcè sanctus Maximus, Operum huiusce beati Dionysij interpres, in Prologo; partim Præceptor noster Leonardus Lessius in Epistolâ censoriâ super iisdem Operibus; quam noster Petrus Lanselius in lucem protulit. Nec sanè vllum argumentum est aliud isto fortius & inexpugnabilius: ita vt nihil videam, quod saltem probabiliter ad eius refutationem adferri possit. Nam aduersariorum argumentis ostendam, Deo duce, probabiles omnino rationes, & quæ locum sæpè in scriptis diiudicandis habeant, non paucas opponi, & eas moderatis quidem ingeniis facere satis posse & debere.

ARGVMENTA *partis aduersæ cum eorum solutionibus.*

In hisce argumentis seu referendis seu refellendis ordinem sequar temporum, & antiquissima (quæ & præcipua sunt) in primâ acie constituam. Ea sunt quæ Theodorus Presbyter, cuius facta antè mentio, sibi proposuit, aut ab aliis proposita dissoluit. Et quia dissolutiones illæ iam non exstant, conabor ego alias (tametsi re ipsâ fortassis easdem) tamen sermone & tractatu diuersas, in medio ponere.

PRIMVM igitur ARGVMENTVM est: Si scripta illa sint Areopagitæ, cum Patres eo posteriores illorum non meminerunt;

SECVNDVM. Eusebius Pamphili, qui libros à sanctis Patribus conscriptos recensuit, nullam eius Operis à Dionysio Areopagitâ conscripti mentionem facit.

TERTIVM. Quomodo traditionum, quæ in Ecclesiâ progressu quodam & temporis longinquitate increuerunt, particularis tenuisque descriptio in iis Operibus continetur; Magnus enim Dionysius, vt ex Actis patet, Apostolorum æqualis fuit; quæ autem hic liber complectitur, descriptio sunt traditionum, quæ sensim in Ecclesiâ post id tempus inualuerunt. Incredibile est igitur, imò malè confictum, eas quæ diu post magni Dionysij mortem succreuerunt Traditiones, existimare à Dionysio conscriptas.

QVARTVM. Quomodo hic liber mentionem facit Epistolæ S. Ignatij; Nam Dionysius Apostolorum effloruit temporibus; Ignatius autẽ sub Traiano martyrij certamen decertauit. Qui & paulò ante mortem Epistulam illam, cuius hic liber meminit, conscripsit. Hæc sunt quatuor antiquissima contra libros Dionysij argumenta. Quibus ita respondeo.

Ad primum dico, Patres Dionysio posteriores nominatim eius scriptorum non meminisse, quia illis vel non libuit, vel non licuit. Nam quibus ignoti fuerunt, non licuit (nec enim in omnium venire manus potuerunt,) quibus noti, non libuit. Quid autem causæ? Primò quia libros illos (quemadmodum Auctor ipse optauerat & postulauerat) noluerunt vulgo esse notos, sed tantùm penes Pontifices reperiri. Secundò, quia Scriptores antiqui præter Scripturam sacram vix vllos citabant nominatim Auctores; aut si faciebant, id ferè necessariò, & ad reuincendos hæreticos faciebant. Ac proinde, cùm eæ, quas Dionysius tractauit, materiæ, vt de Cœlesti, de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, de Diuinis nominibus, &c. nihil ferè aut parum aduersus regnantes tum hæreses facerent, ac tota ferè certamina circa Scripturas sacras versarentur, & eæ vtrimque in aduersarios densissimæ intorquerentur, nihil loci inferioribus Auctoribus relinquebatur. Quin & S. Athanasius quarto sæculo Scriptor, Arianos reprehendit, quòd præter auctoritatem Scripturarum ad alios quoque Auctores præsidij causâ conuerterẽtur. Nec ipse quidem vsus fuisse reperitur, nisi fortè si ipsi aduersarij aliquos magnæ auctoritatis viros pro se vsurpassent. Ita enim Origenem & Dionysium Alexandrinum ab illis, vt suæ opinionis, vindicatos eripuit, docuitque non Arianis illos fuisse sed Catholicis.

Ad Secundum (quod ferè est prioris corroboratio) respondetur, libros illos latuisse Eusebium, aut noluisse propter dictam superiùs causam euulgare. Nam quòd aliqui dicant eum fraude id fecisse, conuitium puto. Neque enim, quamuis eos habuissent, vti illis Catholici voluissent. Quid enim ibi tam clarum pro Christi æternâ diuinitate, quod non multò clarius in Scripturis sacris contentum sit? Certè in tantâ diuinarum Scripturarum vtramque in partem copiâ nimis putidum visum est, etiam ipsi Athanasio, vt iam dixi, debiliora tela perquirere. Nam nec beatum Irenæum, Filij cum Patre æternam coëxistentiam clarissimè professum, libro Aduersus hæreses 2. cap. 55. & alibi, citauerunt.

Quòd autem respondent quidam, quamuis Eusebius non meminerit; tamen Origenem & Dionysium Alexandrinum meminisse, haud mihi placere potest ea responsio. Nam quòd citatur Homiliâ 1. Origenis in Ioannem, nullius est ponderis, cùm istæ in Ioannem Homiliæ non Origenis, sed incerti sint auctoris, quippe in quibus Manichæorum & Arianorum, qui post Origenem exorti fuerunt, fiat mentio. Quin & in ipsâ eadem Homiliâ, vbi citatur Dionysius Areopagita, hoc est, in caput primum Ioannis, vno in loco Ariani refutantur, in altero Manichæi. Vnde liquet Primò, istam Homiliam non esse Origenis; Secundò, ex auctoritate inde sumptâ nihil solidum effici, cùm nec cuius sint auctoris, nec quantæ antiquitatis, facilè sciri possit.

Quòd verò etiam dicitur S Dionysius Alexandrinus Origenis discipulus Scholia in Dionysium Areopagitam scripsisse, & auctoritate probatur sancti Maximi, vana est probatio. Nec enim dicit sanctus Maximus eum scripsisse Scholia in Dionysium Areopagitam, sed in Dionysium sibi cognominem. Tales autem fuerunt multi. Nam & fuit Dionysius Corinthiorum Episcopus, & Dionysius Papa Romanus, ambo insignes Scriptores, & quidam fortasse alij: ita vt non possit certò dici sanctus Maximus de Areopagitâ loqui, & ego contrà possim ex eodem S. Maximo probare planissimè, ipsum de alio quàm de Areopagitâ ibi scribere.

Nam verba S. Maximi in Scholiis ad cap. V. de cœlesti Hierarchiâ, vbi explicat illa verba, [*Cœlestes substantias*,] sunt hæc: *Cur porrò cùm Ecclesia omnes sanctos Angelos dicat eiusdem esse essentiæ diuinus Dionysius multas nominat Virtutes? Magnus Dionysius igitur Alexan-*

dria Episcopus, ille orator, in Notis quas fecit in B. Dionysium sibi cognominem, ita dicit, solitam esse profanam sapientiam, ingenitam apellare omnem naturam inuisibilem; & similiter essentias, subsistentias, Atque ex hoc dicit S. Dionysio tales voces ex more Scriptorum profanorum abusiuè vsurpatas esse.

Cur autem S. Maximus in his verbis per *B. Dionysium sibi cognominem* non videatur intelligere S. Dionysium Areopagitam, hæ sunt præcipuæ rationes:

Prima: *Si* Areopagitam intellexisset, potiùs, vt fert Scriptorum consuetudo, sic locutus fuisset: *In Notis quas scripsit in hunc ipsum Dionysium.* agebat enim tum de Dionysio Areopagitâ.

Secunda: Quia sanctus Maximus in suâ Apologiâ pro scriptis Areopagitæ, siue in Præfatione ad sua in Dionysium Scholia, cùm respondet ad illam aduersariorum obiectionem, *Quòd nec Eusebius Pamphili, nec Origenes Scriptorum Dionysij meminerint*, sine dubio, si sciuisset Dionysium Alexandrinum Origeni æqualem, & Eusebio superiorem, conscripsisse Scholia in Areopagitam, nullo modo reticuisset, sed dixisset: Quamuis Origenes & Eusebius non meminerint Areopagitæ, tamen sanctus Dionysius Alexandrinus, qui vno propè sæculo vincit Eusebium, & ætate vixit Origenis, non tantùm eius meminit, sed etiam in eum Scholia conscripsit. Quâ responsione procul dubio cunctis aduersantibus ora conclusisset. Atqui nihil tale dixit, sed falsus est neque Origenem, neque Eusebium, neque vllum antiquiorum Patrum fecisse librorum Areopagitæ mentionem: tantumque pro excusatione attulit, Origenem vix Auctorum quatuor meminisse: Eusebium autem ooo tantùm prætetiisse Areopagitam qui Athenarum Episcopus fuit, sed etiam Hymenæum & Narcissum suæ regionis Scriptores, qui Ierosolymis Sacerdotes fuerunt. Verba sancti Maximi contra obiicientes, nullam librorum Areopagitæ nec ab Origene nec ab Eusebio factam mentionem, sunt hæc: *Aduersus quos dicendum, Eusebium quidem quàm plurima omisisse, quæ ad manus eius non peruenerunt. Etenim nec prorsus omnia se collegisse ait: quin potius profitetur, libros, qui ad se non peruenerunt, numero esse superiores. Et sane multos memorare possem, quos minimè habuit, & hos quidem sua regionis, vt Hymenæi & Narcissi, qui Ierosolymis Sacerdotes fuerunt. Ego quidem sanè in aliquos Hymenæi libros incidi. Sed nec Pantæni opera descripsit, neque Clementis Romani, nisi duarum dumtaxat epistolarum, sed nec aliorum plurimorum. Nam Origenes, nescio an omnium, vix sanè quatuor mentionem facit. Verùm Diaconus quidam Romanus nomine Petrus mihi narrauit, omnia diuini Dionisij Opera Romæ in Scriptorum sacrorum bibliothecâ asseruari.*

Ex his etiam patet, auctoritatem, quæ affertur quasi ex scriptis Origenis (de quâ suprà dixi) esse inutilem: siquidem non fuisset eam præteriturus sanctus Maximus, cùm & occasio esset, & vrgeret necessitas, atque, vt dicitur, *hic Rhodus, hic saltus.*

Tertia. Si Dionysius Alexandrinus tantæ eruditionis vir & sanctitatis, Commentarios in Areopagitam fecisset, sanè sanctus Maximus eos subinde citasset: nisi forè dicantur ij Commentarij in aures tantùm eius venisse, non in manus.

At enim, si is, in quem Dionysius Alexandrinus perscripsit Scholia, non est Dionysius Areopagita, quis est ergo ille, inquies, vocatus à Maximo beatus & sanctus Dionysius; Respondeo, videri esse S. Dionysium Corinthiorum Episcopum, illustrem secundi sæculi scriptorem, qui, vt Eusebius & Hieronymus testantur, *tantæ eloquentia & industria fuit, vt non solum sua ciuitatis & prouincia populos, sed & aliarum vrbium & prouinciarum, epistolis erudiret.* Hæc enim sunt ipsissima verba S. Hieronymi in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 27 vbi & scripta eius recenset.

Confirmat porrò hanc responsionem, quòd idem S. Maximus in eâdem Præfatione apologeticâ scribat, hunc Dionysium Corinthiorum Episcopum fecisse in scriptis suis mentionem Areopagitæ. Verba Maaimi sunt hæc: *Meminit verò Areopagitæ Dionysius antiquus Corinthiorum Episcopus, & Polycarpus in suâ ad Athenienses epistolâ.*

Nota autem, hic nec Dionysium nec Polycarpum dici meminisse Scriptorum, seu librorum Areopagitæ, sed tantùm, Areopagitæ: vt ne quis in errorem ducatur pro eodem illa accipiendo, cùm distent longissimè. Aliud est enim meminisse Areopagitæ, aliud meminisse Scriptorum eius.

Quæ est igitur mentio Areopagitæ, quam fecit Dionysius Corinthius; nempe illa quam refert Eusebius lib. 3. Historiæ, cap. 4. in fine, *Dionysium Corinthiorum Episcopum memorasse, Dionysium Areopagitam fuisse primum Episcopum Athenarum.*

Cur autem Dionysius Alexandrinus Scholia scriberet in S. Dionysium Corinthiorum Episcopum sibi cognominem, permagna causa fuit. Nam hæretici illius scripta corruperant, iisque ad suos errores abutebantur. Quod ne dicere gratis videar, vide ipsa eiusdem Dionysij Corinthij verba id conquerentis apud Eusebium libro 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 22. Quare Alexandrinus vt eum partim explicaret, partim defenderet (plurimi enim fiebat eius auctoritas) necesse habuit in eum Scholia conscribere. Itaque nec Origenes, nec Dionysius Alexandrinus, quod quidem certò asseri possit, meminerunt librorum Areopagitæ, nec aliquid inde citarunt.

Sed neque S. Gregorius Nazianzenus. Is est enim tertius, quem nonnulli proferunt: cuius & locum istum producunt ex Oratione eius. *In Christi natiuitatem*, ante medium: *Sic nimirum Sancta sanctorum* [indicant mysterium Trinitatis scilicet] *quæ à Seraphinis conteguntur, & glorificantur tribus sanctificationibus in vnam dominationem & deitatem coëuntibus. Quod & alius quidam eorum qui ante nos fuerunt, pulcherrime & sublimissimè philosophatus est.*

Vbi per ista verba, *Quod & alius quidam*, &c. existimant indicari Dionysium Areopagitam, capite VII. de Cælesti Hierarchiâ sub finem ita de Seraphinis scribentem: *Hi autem* [Seraphini] *celebratissimam illam & augustissimam Dei laudem magnâ voce clamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus sabaoth: plena est omnis terra gloriâ eius.*

In quibus quidem verbis non potest dici Dionysius pulcherrimè & sublimissime philosophatus, cùm nudè tantùm referat ex Isaiæ 6. quid Seraphini in cælo faciant, seu quomodo laudent Deum: sed benè quòd proximè subiungit idem Dionysius, se illas Seraphinorum voces atque laudes explicuisse in libro de Diuinis hymnis, & quantum satis esset, pro virili suâ de iis dixisse. Vnde perquam est probabile, Nazianzenum incidisse in librum illum de Diuinis hymnis, & pulcherrimam atque sublimissimam de Seraphinis, eorumque vocibus Dionysij philosophiam demirarum esse.

Quamuis autem hoc sit, vt dixi, perquam probabile, tamen haud est penitus certum? præsertim cùm Nazianzenus in verbis suprà positis videri possit non ad Dionysium Areopagitam, sed ad magnum Athanasium, qui etiam ante ipsum fuit, respexisse: atque eò magis, quòd ipsius verba verbis Athanasij in Oratione super ista verba, *Omnia mihi tradita sunt*, Matthæi 11. certantur quàm simillima.

Verba sancti Athanasij: *Quòd enim tertiò ista excellentia animalia proferant glorificationem dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, in hoc tres perfectas personas demonstrant: sicut & in voce, Dominus, vnam essentiam declarant.*

Quid est autem, inquiet aliquis, in quo Athanasius super hac re pulcherrimè & sublimissimè philosophatus dicitur? Respondeo in eo, quòd ibidem ex hac triplici sanctificatione, seu voce, *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* vniformiter & eodem tono siue pari virium contentione à Seraphinis pronuntiatâ, collegerit sanctus Athanasius trium personarum æqualitatem. Eius verba sunt: *Nec quisquam omnino sanctorum Prophetarum, eorum*

maximè

maximè qui tali viso dignitate sunt, nobis annuntiant Angelos, dicendo semel Sanctus, magnâ voce visos; iterando autem, minores; triplicando denique, submissâ. Neque item dixit quisquam, sanctificationem primam Dominum celebrasse, deinde secundam subiecisse, tertiam verò inferiùs posuisse, scilicet personas, quæ sanctificantur. Id est: Nemo dixit, per primam vocem *Sanctus* significari & laudari Dominum, per secundam autem celebrari ei subditum, per tertiam verò inferiùs positum. Quod scilicet dicebant Ariani, nempe Patrem esse Dominum, Filium esse inæqualem Patri, Spiritum esse creaturam, quod est *inferius positum esse*.

Hæc itaque pulcherrima & sublimissima Athanasij contra Arianos Philosophia & argumentandi solertia fuit, quòd è loco Isaiæ capite sexto, & Ioannis in Apocalypsis capite quarto, vbi dicitur Seraphini clamasse, *Sanctus, Sanctus Sanctus, Dominus exercituum*, vt apud Isaiam; vel, *Dominus Deus omnipotens*, vt apud Ioannem, quòd, inquam, viderit primò, clamorem illum nihil esse aliud quàm laudem & honorem Dei; deinde, eum clamorem ter repetitum, tres designare Sanctissimæ Trinitatis personas; tertiò, illius clamoris triplicis æqualitatem (nec enim Prophetæ vllius meminerunt distinctionis, aut in voce aut in tono) significare honoris & laudis æqualitatem; & postremò, ex hac honoris & laudis æqualitate tribus attributâ personis, earundem quoque personarum inter sese æqualitatem designari; ac proinde nec Filium dicendum minorem Patre (quod volebant Ariani) nec Spiritum sanctum infrà ponendum, siue inter creaturas relegandum.

Athanasij porrò acumen imitata & æmulata est Beati Ruperti subtilis acrimonia, qui libro tertio; De Trinitate capite decimo quinto, ita ex eodem, vnde Athanasius, Isaiæ loco ratiocinatur, *Quàm pulcher*, inquit, *quàm stabilis! Nullo æqualis tenor in verbis! quàm certus! quàm hic sunt gradus: nullum momentum incrementi aut decrementi in vocibus istis, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloriâ eius, Isaia sexto. Vnde ergo gradus suos accepit inimica hæresis? Nam ac si concentus ille cecinisset, Sanctus, Sanctior, Sanctissimus, & pluraliter addidisset, Domini & dij, non singulariter Dominus & Deus, ita sibi gradus fecit, maximè per os Arij, vt diceret Spiritum sanctum magnum quidem, sed Filium Spiritu sancto maiorem, & Deo Patre minorem. Vnde, inquam, gradus istos accepit impia & serpentina hæresis, nisi ab ipso colubro patre mendacij, quem de concentu illo manus Domini propter dissonantiam ipsius eduxit & foras misit?* Hæc Rupertus. qui ex eodem Spiritûs sancti fonte, ex quo Athanasius ante biberat, sibi hausit, & nobis tradidit.

Propter laudatam igitur Athanasij doctrinam dici posset Nazianzenus non ad Dionysium, sed ad Athanasium potiùs respexisse. Verùm sunt, qui vim faciant in illis Nazianzeni verbis: *Ab alio quopiam è maioribus sapienter dictum est*. Athanasium autem non posse dici vnum è maioribus respectu Nazianzeni, qui viuente adhuc Athanasio fuit Episcopus

Quibus responderi potest illud, *οἱ πρὸ ἡμῶν*, quamuis vulgò & sæpissimè idem sit quod *maiores*, tamen strictè ac rigidè capiendo nihil sonare aliud quàm *qui ante nos*, scilicet fuerunt aut scripserunt. Fuit autem Athanasius multos annos ante Nazianzenum, & multis annis ante illum scripsit & defunctus est.

Quare Iacobus Billius interpretum princeps, ita Nazianzeni verba Latinè reddit: *Quemadmodum & alius quidam ante nos Philosophatus est*. Nicetas quoque Græcus interpres verba illa intellexit de S. Athanasio, non de S. Dionysio Areopagitâ.

Haud tamen inficior, videri subinde non modò Nazianzenum, sed & Ipsum Athanasium scriptis B. Dionysij Areopagitæ vsum esse atque adiutum, adeoque ambos ex eodem illius bibisse fonte. Loca Nazianzeni complura collegit modo laudatus Billius, vt antè indicaui, quæ retulit lo cap. 23. lib. 1. suarum Obseruationum sacrarum.

Ex Athanasio autem vnicum gratiâ exempli proferam, tum vt ne sim longior, tum vt aliorum industriæ materiem relinquam. Est autem è libro de Communi essentiâ Patris, & Filij & Spiritûs sancti, in fine, vbi decantatam ab Areopagitâ Angelicorum ordinum subordinationem his verbis repræsentat: *Quemadmodum autem & ordinis discrimen in supernis virtutibus cognouimus, sic & stationis atque cognitionis. Throni quidem & Cherubim & Seraphim nullo medio discunt à Deo, tanquam omnium supremi, & Deo vicini: hi verò docent inferiores ordines, atque ita deinceps superiores doctrinam cum inferioribus communicant. Infimus autem ordo sunt Angeli, qui & hominum sunt magistri.*

Hæc desumpta existimo è libro Dionysij de Cœlesti Hierarchiâ cap. 7. hoc est ex eodem vnde & sua Nazianzenus desumpsisse dictus est.

At enim cur neuter vel minimam Areopagitæ mentionem fecit?

Respondeo Primò, quia nec Sancti Ignatij martyris, nec Clementis Romani, nec Polycarpi, nec Athenagoræ, nec Irenæi, nec Theophili, nec Iustini, nec Gregorij Thaumaturgi, quorum tamen extabant & nunc exstant Opera, mentionem fecerunt: hoc est, quia non fuit illis in more alios Auctores citare nominatim; neque in scribendo eam pati moram, quæ ad citandas aliorum auctoritates necessariò adhibenda foret: sed si quid è veteribus fortè legerant Scriptoribus, id sibi acquisitum, suis efferebant verbis. Nisi fortè, vt antè dixi, ipsi aduersarij essent refutandi: tum enim & nominandi erant, & tam ipsorum, quàm aliorum quos ipsi pro se allegabant, verba nonnunquam producenda: vt Origenis, Dionysij Alexandrini, Theognosti ab Athanasio. Secum enim facere Origenem & Dionysium Alexandrinum, contendebant Ariani, & nullum antiquorum iis vocabulis vsum esse, quibus Concilij Nicæni Patres vterentur. Quare Athanasius pro se Theognostum produxit; & Origenem ac Dionysium Alexandrinum, quos aduersarij produxerant, in suas partes traxit.

Respondeo Secundò, vt antè insinuaui, improbasse Athanasium in Arianis, quòd præter sacras Scripturas, & pias rationes humanas, alia firmamenta è veteribus scriptis conquirerent. Ita enim scribit in Epistolâ de Sententiâ Dionysij contra Arianos, sub initium. *Si igitur confidunt*, inquit, *iis quæ sentiunt & dicunt, nudam hæresim proferant, ac si quid pro eius defensione vel è Scripturis, vel ex aliquâ ratione humanâ, quæ quidem pia sit, demonstrare possunt, demonstrent; sin eiusmodi habent nihil, taceant.* Ita ille.

Nihil ergo mirum, si ab eo abstinuerit sanctus Athanasius quod reprehendebat in aliis.

Itaque ad secundum argumentum suprà positum, sic videtur respondendum: Quamuis demum sexto seculo maximè celebrata fuerint Scripta Dionysij, & citata nominatim, tamen non inde sequi anteà non fuisse, cùm paulò antè ostensum sit, præcipuos Patres à citandis nominatim antiquioribus Patribus abstinuisse. Et quidem, nisi Eusebius ex composito Catalogum confecisset Scriptorum Ecclesiasticorum, valdè multorum extincta prorsus fuisset memoria: & tamen eo etiam confecto, non paucorum interiit; partim quòd eum latuerint (nec enim nancisci omnes potuit) partim quòd sciens volens, vt ipsemet fatetur libro quarto Historiarum capite vigesimo quarto præterierit; partim denique, quòd interdum Auctores nomina sua suppresserint, de quibus ita idem Eusebius libro quinto Historiarum capite vigesimo sexto. *Atque aliorum plurimorum, quorum nec nomina recensere nobis possibile est, libri ad nos peruenerunt, Orthodoxorum quidem & Ecclesiasticorum, vt cuiusque declarat in Sacram Scripturam interpretatio, sed tamen nobis ignotorum, propterea quod non adscripta sint eorum, qui conscripserunt nomina.* Ita ille; reddidi enim Græca de verbo.

Præterea duæ aliæ rationes pro latebris Scriptorum Dionysij, præ Scriptis aliorum, afferri possunt. Vna, quòd ipse Auctor latere illa voluerit, & tantùm inter Episcoporum Sacerdotúmve manus versari: altera, quòd materiem continerent sublimiorem atque obscuriorem quàm à plerisque capi posset.

Ad tertium argumentum, quod de traditionibus allatum est, quæ videntur post S. Dinoysij tempora sensim in Ecclesiam inductæ, non autem eius æuo fuisse vsitatæ, respondetur, ita videri quidem aduersæ parti, nobis autem non sic. Restat ergo, vt pars aduersa bonis rationibus probet meritò sic videri, & insuper ostendat, quænam ex iis traditionibus aut cærimoniis tempore sancti Dionysij non fuerint. Nam de omnibus quidem nemo, vt opinor, tam inuerecundus reperietur qui dicere ausit. Quia verò in suprà posito apud Photium argumento nulla vel traditio vel cærimonia speciatim producta est, liberi à responso speciali sumus. Nam ad ea quæ recentiores quidam obiecerunt, seorsum respondebimus: nunc iis tantùm, quæ Theodoro Presbytero obiecta sunt coniunctim respondemus.

Ad quartum igitur suprà allatum, de citato in Dionysij Operibus loco sancti Ignatij ex Epistolâ eius ad Romanos, quæ fuit scripta sub Trajano, cùm tamen Dionysius Apostolorum effloruerit temporibus, responderi potest, non minùs Ignatium Apostolorum effloruisse temporibus, quàm Dionysium, & quidem Ignatium vitâ excessisse priùs Dionysio, cùm ille sub Trajano, hic autem sub Hadriano Trajani successore excesserit, aut certè & hic & ille sub eodem Trajano, sed Ignatius vndecimo Trajani Imperatoris anno, Dionysius autem vltimo, hoc est, Imperij eius vigesimo, & Hadriani primò. Verùm pressiùs & dilutiùs aliter respondebo.

Quærebat igitur quartum agumentum, *Quomodo hic liber Dionysij mentionem fecit Epistola S. Ignatij?* Respondeo, non fecisse mentionem.

Atqui, inquies, in libro de Diuinis nominibus, cap. 4. reperiuntur ista verba: *Scribit autem & diuus Ignatius, Amor meus crucifixus est.* Hæc autem sententia reperitur in Epistolâ eius ad Romanos paulò ante mortem scripta.

Respondeo, in Epistolâ quidem Ignatij reperiri, sed in Dionysio non reperiri. Dico enim & contendo, & mecum non pauci, ista verba in illo Dionysij loco nequaquam à Dionysio ipso scripta esse, sed ab aliquo insciente & rerum ignaro imprudenter & ineptè in ipsum Dionysium intrusa. Quod ego quidem probabo, vt opinor, tam euidenter, vt nullus deinceps (æquus sit modò huiusce disceptationis, & eorum quæ proferam, iudex & æstimator) dissentire vllatenus aut in dubio remanere possit. Laborarunt quidem & alij in hoc nodo dissoluendo, sed conabor in præsentiâ, Deo adiuuante, clariùs aliquantò & explicatiùs, quàm adhuc quisquam fecerit, nodum hunc enodare.

Verba igitur illa sanctissimi Ignatij intrusa esse in illum B. Dionysij locum, non autem ab auctore ipso primitus ibi collocata, sic probatur:

Primò, Quia sine illis Ignatij verbis multò meliùs cohæret S. Dionysij oratio, quàm cum illis. Nam cùm intendat probare tam ex vetere Testamento, quàm ex nouo, atque etiam ex aliis auctoritatibus, nomen ἔρωτος, seu *amoris*, locum habere & vsurpari in rebus diuinis; si verborum Ignatij citationem sustuleris, tum videbis vniformiter & coniunctim currere primò testimonia veteris Testamenti, deinde noui, postremò aliorum. Probat enim primò ex Prouerbiis & è libro Sapientiæ; tum ex loco Pauli ad Galatas, si non expressè & nominatim, saltem virtute, rei ipsius, quæ per amorem fit, repræsentatione; postremò ex Hierothei præceptoris sui auctoritate.

Et quidem, quòd primò ac præcipuè intendat è Scripturæ sacræ locis id probare, patet ex iis, quæ antè ibidem velut præmunitionis loco posuit, vt cum dixit: *Et nemo nos putet contra sacras Scripturas amoris nomen allegare.* Et rursum paulò inferiùs, dum ad Scripturarum allegationes se accingit; ita habet: *Verùm vt ne hæc dicere videamur, velut diuinas Scripturas peruertentes, audiant illas ij, qui amoris appellationem cauillantur.* Mox ergo & continenter subdit illas Scripturas quæ *amoris* nomen vsurparunt, hisce verbis: (ponam enim in medio eius verba sine testimonio Ignatij, vt oculis ipsis cernatur melior & sapientior connexio orationis sine illo, quàm cum illo) hisce, inquam, verbis sequentibus ita subdit Scripturarum testimonia. *Ama illam, inquit Scriptura, & conseruabit te. Aggeribus circumda illam, & exaltabit te. Honora eam, vt te amplectatur. Et quæcumque alia amatoriis in Scripturâ sermonibus celebrantur. Atque in primis Scriptura institutionibus aliquem inuenies de diuinâ sapientiâ dicentem: Amator factus sum pulchritudinis illius. Ita vt hoc ipsum amoris nomen non reformidemus. Neque verè quemquam perterreat sermonis geminatio: mihi enim videntur Theologi commune existimare charitatis & amoris nomen.* Hactenus verba Dionysij.

Prou. 4. 6. v. 8.

Sap. 8. 2.

Quæ quis non videt optimè inter se cohærere? ac multò meliùs, quàm si inter citationes duarum Scripturarum, siue duorum testimoniorum diuinorum, vna interseratur citatio humani testimonij, ex Ignatio scilicet decerpti? Nam prudens quidem sanè & alicuius ingenij & iudicij scriptor, volens aliquid probare è Scripturis & è Patribus, nunquam sic sua disponet argumenta, vt primum argumentum è Scripturâ proferat, secundum ex aliquo SS. Patrum, tertium rursus & quartum è Scripturâ, deinde rursum è Patribus: sed omnes Scripturas simul & primò congeret, deinde SS. Patrum aliorúmve Scriptorum auctoritates inducet: præsertim si eum in scopum tendat, ac verbis id præ se ferat (quemadmodum hoc loco facit Dionysius) se ostensurum è Scripturis vocem aliquam rectè in sermone de rebus diuinis vsurpari. Iam autem idiota quispiam, cum hæc Dionysij legeret, ac meminisset etiam Ignatium in Epistolâ ad Romanos vsum eadem voce (licet in aliâ significatione) ipse ad marginem illius loci annotauit ipsa verba Ignatij, quæ posteà in textum intrusa sunt inter duo Scripturarum testimonia, & proximè ante locum è libro Sapientiæ: *Et quidem visum est quibusdam nostris sacris Scriptoribus etiam diuinius esse amoris nomen quam charitatis. Scribit porrò & S. Ignatius: Amor meus crucifixus est.*

Nota hic porrò, sanctum Dionysium in superioribus Scripturæ citationibus vsum editione Septuaginta Interpretum, ac proinde nos quoque veterem interpretationem in Latinis secutos, non autem Hieronymi siue vsitatam, eò quòd Græcis non respondeat in omnibus. Nam in loco è Prouerbiis editio vsitata habet sic, versu 8. *Arripe illam, & exaltabit te. Glorificaberis ab eâ, cùm eam fueris amplexatus.* Et Sap. 8. 2. sic: *Amator factus sum formæ illius.*

Nota secundò, per Theologos sanctum Dionysium intelligere Scriptores sacrarum Litterarum, cùm dicit superiùs: *Videntur enim mihi Theologi commune existimare charitatis & amoris nomen*, siue ἀγάπης καὶ ἔρωτος, proptereà quòd Auctores Scripturarum indiscriminatim iam vno vtantur, iam altero, nec vnum altero diuinius existiment. Ac proinde illa verba, quæ iam dixi intrusa, non possunt esse Dionysij, cùm in illis dicatur Theologos aut Scriptores sacros diuinius putasse nomen ἔρωτος, *amoris*, quàm ἀγάπης, *charitatis*; est enim hoc falsum. Nam si diuinius putassent, sæpiùs in sacris Litteris vsurpassent, seu in vetere seu in nouo Testamento. Atqui fecerunt contrarium, & sæpissimè voce ἀγάπης vsi sunt, rariùs voce ἔρωτος. Vnde in nouo Testamento ne semel quidem reperitur vox ἔρως, vox autem ἀγάπη ex numerato plusquam nonagies. In vetere autem ἀγάπη & ἀγαπάω creberrimè, & quidem in Cantico Canticorum (vbi maximè locus) semper, ne semel autem vox ἔρως aut ἐράω.

Atque hæc, opinor, causa est, quamobrem aliqui Dionysio obiecerint, vti eum in rebus diuinis voce non diuinâ, sed profanâ; ipse autem valdè operosè se defenderit,

&

& testimonia è SS. Scripturis collegerit, in quibus tamen nec vocem ipsam ἔρως inuenerit, sed tantùm nomen appellatiuum ἐραστής, & verbum ἐράσθητι in imperatiuo, vbi quidem sanctus amor significetur. Nam pro amore profano & carnali bis inuenio nomen ἔρως in vetere Testamento vsurpatum, semel Prouerbiorum 7. 18. *Veni, & fruamur amicitiâ vsque ad auroram: veni, & inuoluamur amore.* Vulgata editio habet: *Veni inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies*, & semel Prouerb. 30. 16. *Infernus, & amor mulierum, & terra non repleta aquâ, & aqua & ignis, non dicunt: Sufficit.* Hæc omnia de amore impuro & insatiabili proferuntur.

Secundò probatur, testimonium Ignatij intrusum in Dionysium, & non ab illo conscriptum. Quia si Dionysius illud vsurpare voluisset, non modò in medio testimoniorum è Scripturâ non posuisset, sed nec auctoritati sancti Hierothei præceptoris sui, quem pluris omnibus secundùm Apostolos faciebat, præposuisset, aut saltem post illa verba posuisset: *Quid autem vno verbo sibi volunt Theologi, qui eum* [Deum scilicet] *modò amorem & charitatem appellant, modò amabilem & dilectum?* Vbi per Theologos intelligit Dionysius Apostolos & alios Scriptores sacros, & respicit quidem ad Epistolam sancti Ioannis primam, cap. 4. 8. *Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas est.* Et rursum versu 16. *Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Cùm igitur is, qui ea verba Ignatij, *Amor meus crucifixus est*, intrusit in Dionysium, existimarit ibi sub nomine *amoris* intelligi Christum, hic potiùs ea debebat ponere, quàm vbi priùs posuit scilicet inter loca S. Scripturæ, & extra locum suum. Quod autem malè id existimarit, è proximâ ratione planum fiet.

Tertiò, illa B. Ignatij verba nullo modo ad id probandum, quod intendebat Dionysius, accommodata sunt. Intendebat enim ostendere, nomen ἔρως à sacris Scriptoribus in bonam partem accipi pro charitate seu dilectione spirituali; at verò in Epistolâ Ignatij nequaquam sic accipitur, sed pro concupiscentiâ & amore terrestri, quem dicit in se esse crucifixum, hoc est mortuum, nec se amare iam aliud quàm Deum, extincto penitus omni igne concupiscentiæ, & rerum terrenarum desiderio. Quod ex integrâ patebit Ignatij sententiâ, quæ sic habet: *Amor meus crucifixus est, nec est in me ignis rei vllius terrenæ amans, sed aqua viua in me saliens interius mihi dicit: Huc ad Patrem.* Vbi secundum membrum explicatio est prioris, ita vt idem verbis diuersis bis dicatur; semel per affirmationem, semel per negationem. Qualibus sententiis plenus est in sacrâ Scripturâ liber Prouerbiorum. Verbi gratiâ, cap. 4. 13. & sequentib. *Tene disciplinam: ne dimittas eam. Custodi illum: quia ipsa est vita tua. Ne delecteris in semitis impiorum: nec tibi placeat malorum via. Fuge ab eâ, nec transeas per illam. Declina & desere eam.* Et ibidem cap. 5. 8. *Longè fac ab ea viam tuam: & ne appropinques foribus domus eius.*

Quartò, Ignatij sententia similis est illi sententiæ Pauli ad Galatas 6. 14. *Mihi mundus crucifixus est*, id est, nihil mihi cum mundo. Ad illam igitur respexisse videtur Ignatius, & pro κόσμος posuisse ἔρως, alio quidem verbo, sed eodem sensu, sunt enim vnum idemque, *Nihil mihi cum mundo*, &, *Nihil mihi cum amore mundi.*

Quintò, Si sanctus Dionysius legisset Epistolam beati Ignatij ad Romanos, & laudare eius testimonium voluisset, fecisset procul dubio quod in Hierotheo fecit, atque integrum Ignatij locum laudasset, non verò eam partem omisisset quæ pro eo maximè faciebat, & vbi verbum ἔρως sine controuersiâ in bonum partem capitur, atque ad Deum refertur. Nam totus locus sic habet: Ζῶν γὰρ γράφω ὑμῖν, ἐρῶν τοῦ διὰ Χριστὸν ἀποθανεῖν. Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἐμοὶ πῦρ φιλοῦν, &c. vt priùs citaui. Quæ verba Ioannes Brunnetus in suâ Epistolarum Ignatij piâ & accuratâ paraphrasi hoc modo, & eodem quo nos sensu reddidit his verbis: *Viuus enim prudensque hæc scribo, meos esse amores, meas delicias, mors propter Christum. Quidquid enim præter hunc vsquam fuit amabile aut gratum, mihi crucifixum est, & morte Christi deletum: neque alius in me superest ignis, qui aliud quidquam vel amet vel desideret. Aqua autem in me viuida eructans sic monet, & sic alloquitur: Age, ad Patrem, age.* Ita Brunnerus, vir pius & æterna sapiens, qui ab hæreticorum castris, vbi annos multos clarus in paucis militauerat, ad Christiana signa conuersus, meliora sub Christo stipendia meruit, & Græcas litteras, sanctamque linguam Friburgi Brisgoiæ in principe gymnasio professus est. Itaque *amor* in illâ Ignatij sententiâ non Christum significat, non amorem sanctum, sed amorem concupiscentiæ & terrenorum, non autem æternorum desiderium, quod ipse quidem martyrij iam candidatus, & totus ad cœlum adspirans, in se extinctum prædicabat. Nam & multa his conformia in iisdem ad Romanos litteris ex spiritus feruore est elocutus, vt sunt illa: *Iam disco demum pro eo vinctus nihil mundanum, nihil vanum concupiscere.* Et paulò inferiùs: *Ignoscite, amabo: quid mihi expediat, noui. Nunc incipio Christi esse discipulus, cum eorum, quæ videntur, & quæ non videntur, nihil amator, vt Iesu Christo potiar.* Et alia multa ibidem eius generis.

Iam satis, vt opinor, factum est argumentis illis quatuor antiquissimis Theodoro Presbytero apud Photium obiectis: nunc aliquot præcipuis recentiorum Scriptorum oppugnationibus pro virili repugnandum.

Oppugnat Abrahamus Scultetus sancti Dionysij Scripta rationibus duodecim, quarum ego vanitatem (ne nimis se amet, neu Caluinistarum plausus veritatem putet) statui palàm prodere.

Prima eius ratio est: *Stylus horum librorum non est simplex & sincerus, sed argutus nimis & inflatus, & affectatus, & parum Apostolicus.*

Ad eam respondi suprà in secundo argumento pro alterâ sententiâ: vbi ostendi, stylum respondere materiæ, & sublimem esse in re sublimi. Audiat hic porrò nostrum & suum Augustinum simili in re, simillimo vtentem stylo, & obmutescat. Igitur in lib. Soliloquiorum cap. 31. sic inter alia: *Soli quidem tibi Trinitas integrè nota es, Trinitas sancta, Trinitas supermirabilis, & superinenarrabilis, & superinscrutabilis, & superinaccessibilis, & superincomprehensibilis, superintelligibilis, superessentialis, superessentialiter exuperans omnem sensum, omnem rationem, omnem intellectum, omnem intelligentiam, omnem essentiam supercœlestium animorum: quam neque dicere, neque cogitare, neque intelligere, neque cognoscere possibile est etiam oculis Angelorum.* Vide ibi plura, quæ diceres aut è Dionysio, aut ex eodem certè Spiritu hausta & scripta.

Secunda. *Eusebius & Hieronymus, diligentissimi librorum inquisitores, non faciunt mentionem aliquam horum librorum, nec vllus alius admodum antiquus auctor.*

Et huic respondi superiùs, cùm argumenta Theodoro Presbytero obiecta refellerem. Vide ibi ad primum.

Tertia. *Laurentius Valla indicat, fuisse sua ætatis doctissimos viros, qui indicauerint eos libros esse Apollinarij.*

Respondeo, Sculterum hæc verba sumpsisse ex Erasmo in cap. 17. Actorum Apostolorum, & reticuisse subsequentia eiusdem Erasmi verba, vbi eam sententiam improbat. Subdit enim Erasmus: *Tametsi duos eius nominis commemorat Hieronymus, alterum Hierapolitanum Episcopum, qui floruit sub M. Antonino II. alterum Laodicenum in Syriâ Episcopum; neutri tamen huiuscemodi quidquam tribuit Operum. Neque enim, opinor, hæc Apollinari hæretico tribuenda.* Sic ille. Quòd si hæretico non sunt tribuenda, multò minùs alteri Apollinari Catholico & sancto: nec enim esset talis viri, fingere se Pauli discipulum, comminisci facta esse, quæ nunquam facta sint, nimirum se interfuisse Apostolorum cœtui ad funus Deiparæ, & alia similia.

Atque vt ipsamet tela aduersariorum in ipsos conuertamus, secunda ipsorum ratio contra tertiam militat hoc modo: Eusebius & Hieronymus diligentissimi librorum inquisitores nullam faciunt mentionem horum librorum ab Apollinari scriptorum, nec vllus admodum antiquus

Prætereà duæ aliæ rationes pro latebris Scriptorum Dionysij, præ Scriptis aliorum, afferri possunt. Vna, quòd ipse Auctor latere illa voluerit, & tantùm inter Episcoporum Sacerdotúmve manus versari: altera, quòd materiem continerent sublimiorem atque obscuriorem quàm à plerisque capi posset.

Ad tertium argumentum, quod de traditionibus allatum est, quæ videntur post S. Dionysij tempora sensim in Ecclesiam inductæ, non autem eius æuo fuisse vsitatæ, respondetur, ita videri quidem aduersæ parti, nobis autem non sic. Restat ergo, vt pars aduersa bonis rationibus probet meritò sic videri, & insuper ostendat, quænam ex iis traditionibus aut cærimoniis tempore sancti Dionysij non fuerint. Nam de omnibus quidem nemo, vt opinor, tam inuerecundus reperietur qui dicere ausit. Quia verò in suprà posito apud Photium argumento nulla vel traditio vel cærimonia speciatim producta est, liberi à responso speciali sumus. Nam ad ea quæ recentiores quidam obiecerunt, seorsum respondebimus: nunc iis tantùm, quæ Theodoro Presbytero obiecta sunt coniunctim respondemus.

Ad quartum igitur suprà allatum, de citato in Dionysij Operibus loco sancti Ignatij ex Epistolâ eius ad Romanos, quæ fuit scripta sub Trajano, cùm tamen Dionysius Apostolorum effloruerit temporibus, responderi potest, non minùs Ignatium Apostolorum effloruisse temporibus, quàm Dionysium, & quidem Ignatium vitâ excessisse priùs Dionysio, cùm ille sub Trajano, hic autem sub Hadriano Trajani successore excesserit, aut certè & hic & ille sub eodem Trajano, sed Ignatius vndecimo Trajani Imperatoris anno, Dionysius autem vltimo, hoc est, imperij eius vigesimo, & Hadriani primò. Verùm pressiùs & diluciùs aliter respondebo.

Quærebat igitur quartum argumentum, *Quomodo hic liber Dionysij mentionem fecit Epistolæ S. Ignatij?* Respondeo, non fecisse mentionem.

Atqui, inquies, in libro de Diuinis nominibus, cap. 4. reperiuntur ista verba: *Scribit autem & diuus Ignatius, Amor meus crucifixus est.* Hæc autem sententia reperitur in Epistolâ eius ad Romanos paulò ante mortem scripta.

Respondeo, in Epistolâ quidem Ignatij reperiri, sed in Dionysio non reperiri. Dico enim & contendo, & mecum non pauci, ista verba in illo Dionysij loco nequaquam à Dionysio ipso scripta esse, sed ab aliquo insciente & rerum ignaro imprudenter & ineptè in ipsum Dionysium intrusa. Quod ego quidem probabo, vt opinor, tam euidenter, vt nullus deinceps (æquus sit modò huiusce disceptationis, & eorum quæ proferam, iudex & æstimator) dissentire vllatenus aut in dubio remanere possit. Laborarunt quidem & alij in hoc nodo dissoluendo, sed conabor in præsentiâ, Deo adiuuante, clariùs aliquantò & explicatiùs, quàm adhuc quisquam fecerit, nodum hunc enodare.

Verba igitur illa sanctissimi Ignatij intrusa esse in illum B. Dionysij locum, non autem ab auctore ipso primitus ibi collocata, sic probatur:

Primò, Quia sine illis Ignatij verbis multò meliùs cohæret S. Dionysij oratio, quàm cum illis. Nam cùm intendat probare tam ex vetere Testamento, quàm ex nouo, atque etiam ex aliis auctoritatibus, nomen ἔρωτος, seu *amoris*, locum habere & vsurpari in rebus diuinis; si verborum Ignatij citationem sustuleris, tum videbis vniformiter & coniunctim currere primò testimonia veteris Testamenti, deinde noui, postremò aliorum. Probat enim primò ex Prouerbiis & è libro Sapientiæ; tum ex loco Pauli ad Galatas, si non expressè & nominatim, saltem virtute, rei ipsius, quæ per amorem fit, repræsentatione; postremò ex Hierothei præceptoris sui auctoritate.

Et quidem, quòd primò ac præcipuè intendat è Scripturæ sacræ locis id probare, patet ex iis, quæ antè ibidem velut præmunitionis loco posuit, vt cum dixit: *Et nemo nos putet contra sacras Scripturas amoris nomen allegare.* Et rursum paulò inferiùs, dum ad Scripturarum allegationes se accingit; ita habet: *Verùm vt ne hæc dicere videamur, velut diuinas Scripturas peruertentes, audiant illas ij, qui amoris appellationem cauillantur.* Mox ergo & continenter subdit illas Scripturas quæ *amoris* nomen vsurparunt, hisce verbis: (ponam enim in medio eius verba sine testimonio Ignatij, vt oculis ipsis cernatur melior & sapientior connexio orationis sine illo, quàm cum illo) hisce, inquam, verbis sequentibus ita subdit Scripturarum testimonia. *Ama illam, inquit Scriptura, & conseruabit te. Aggeribus circumda illam, & exaltabit te. Honora eam, vt te amplectatur. Et quæcumque alia amatoriis in Scripturâ sermonibus celebrantur. Atque in primis Scripturæ institutionibus aliquem inuenies de diuinâ sapientiâ dicentem: Amator factus sum pulchritudinis illius. Ita vt hoc ipsum amoris nomen non reformidemus. Neque verò quemquam perterreat sermonis geminatio: mihi enim videntur Theologi commune existimare charitatis & amoris nomen.* Hactenus verba Dionysij.

Prou. 4. 6. 7. 8.

Sap. 8. 2.

Quæ quis non videt optimè inter se cohærere? ac multò meliùs, quàm si inter citationes duarum Scripturarum, siue duorum testimoniorum diuinorum, vna interseratur citatio humani testimonij, ex Ignatio scilicet decerpti? Nam prudens quidem sanè & alicuius ingenij & iudicij scriptor, volens aliquid probare è Scripturis & è Patribus, nunquam sic sua disponet argumenta, vt primum argumentum è Scripturâ proferat, secundum ex aliquo SS. Patrum, tertium rursus & quartum è Scripturâ, deinde rursum è Patribus: sed omnes Scripturas simul & primò congeret, deinde SS. Patrum aliorúmve Scriptorum auctoritates inducet: præsertim si eum in scopum tendat, ac verbis id præ se ferat (quemadmodum hoc loco facit Dionysius) se ostensurum è Scripturis vocem aliquam rectè in sermone de rebus diuinis vsurpari. Iam autem idiota quispiam, cum hæc Dionysij legeret, ac meminisset etiam Ignatium in Epistolâ ad Romanos vsum eadem voce (licet in aliâ significatione) ipse ad marginem illius loci annotauit ipsa verba Ignatij, quæ posteà in textum intrusa sunt inter duo Scripturarum testimonia, & proximè ante locum è libro Sapientiæ: *Et quidem visum est quibusdam nostris sacris Scriptoribus etiam diuinius esse amoris nomen quam charitatis. Scribit porrò & S. Ignatius: Amor meus crucifixus est.*

Nota hic porrò, sanctum Dionysium in superioribus Scripturæ citationibus vsum editione Septuaginta Interpretum, ac proinde nos quoque veterem interpretationem in Latinis secutos, non autem Hieronymi siue vsitatam, eò quòd Græcis non respondeat in omnibus. Nam in loco è Prouerbiis editio vsitata habet sic, versu 8. *Arripe illam, & exaltabit te. Glorificaberis ab eâ, cùm eam fueris amplexatus.* Et Sap. 8. 2. sic: *Amator factus sum formæ illius.*

Nota secundò, per Theologos sanctum Dionysium intelligere Scriptores sacrarum Litterarum, cùm dicit superiùs: *Videntur enim mihi Theologi commune existimare charitatis & amoris nomen*, siue ἀγάπης ϗ ἔρωτος, proptereà quòd Auctores Scripturarum indiscriminatim iam vno vtantur, iam altero, nec vnum altero diuinius existiment. Ac proinde illa verba, quæ iam dixi intrusa, non possunt esse Dionysij, cùm in illis dicatur Theologos aut Scriptores sacros diuinius putasse nomen ἔρωτος, *amoris*, quàm ἀγάπης, *charitatis*; est enim hoc falsum. Nam si diuinius putassent, sæpiùs in sacris Litteris vsurpassent, seu in vetere seu in nouo Testamento. Atqui fecerunt contrarium, & sæpissimè voce ἀγάπης vsi sunt, rariùs voce ἔρωτος. Vnde in nouo Testamento ne semel quidem reperitur vox ἔρως, vox autem ἀγάπη ex numerato plusquam nonagies. In vetere autem ἀγάπη & ἀγαπάω creberrimè, & quidem in Cantico Canticorum (vbi maximè locus) semper, ne semel autem vox ἔρως aut ἐράω.

Atque hæc, opinor, causa est, quamobrem aliqui Dionysio obiecerint, vti cum in rebus diuinis voce non diuinâ, sed profanâ; ipse autem valdè operosè se defenderit,

&

A

& testimonia è SS. Scripturis collegerit, in quibus tamen nec vocem ipsam ἔρως inuenerit, sed tantùm nomen appellatiuum ἐραστὴς, & verbum ἐράσθητι in imperatiuo, vbi quidem sanctus amor significetur. Nam pro amore profano & carnali bis inuenio nomen ἔρως in vetere Testamento vsurpatum, semel Prouerbiorum 7. 18. *Veni, & fruamur amicitiâ vsque ad aurorum: veni, & inuoluamur amore.* Vulgata editio habet: *Veni inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies,* & semel Prouerb. 30. 16. *Infernus, & amor mulierum, & terra non repleta aquâ, & aqua & ignis, non dicent: Sufficit.* Hæc omnia de amore impuro & insatiabili proferuntur.

Secundò probatur, testimonium Ignatij intrusum in Dionysium, & non ab illo conscriptum. Quia si Dionysius illud vsurpare voluisset, non modò in medio testimoniorum è Scripturâ non posuisset, sed nec auctoritati sancti Hierothei præceptoris sui, quem pluris omnibus secundùm Apostolos faciebat, præposuisset, aut saltem

B

post illa verba posuisset: *Quid autem vno verbo sibi volunt Theologi, qui eum* [Deum scilicet] *modò amorem & charitatem appellant, modò amabilem & dilectum?* Vbi per Theologos intelligit Dionysius Apostolos & alios Scriptores sacros, & respicit quidem ad Epistolam sancti Ioannis primam, cap. 4. 8. *Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas est.* Et rursum versu 16. *Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Cùm igitur is, qui ea verba Ignatij, *Amor meus crucifixus est*, intrusit in Dionysium, existimarit ibi sub nomine *amoris* intelligi Christum, hîc potiùs ea debebat ponere, quàm vbi priùs posuit scilicet inter loca S. Scripturæ, & extra locum suum. Quod autem malè id existimarit, è proximâ ratione planum fiet.

Tertiò, Illa B. Ignatij verba nullo modo ad id probandum, quod intendebat Dionysius, accommodata sunt. Intendebat enim ostendere, nomen ἔρως à sacris Scriptoribus in bonam partem accipi pro charitate seu

C

dilectione spirituali; at verò in Epistolâ Ignatij nequaquam sic accipitur, sed pro concupiscentiâ & amore terrestri, quem dicit in se esse crucifixum, hoc est mortuum, nec se amare iam aliud quàm Deum, extincto penitus omni igne concupiscentiæ, & rerum terrenarum desiderio. Quod ex integrâ patebit Ignatij sententiâ, quæ sic habet: *Amor meus crucifixus est, nec est in me ignis rei vllius terrenæ amans, sed aqua viua in me saliens interius mihi dicit: Huc ad Patrem.* Vbi secundum membrum explicatio est prioris, ita vt idem verbis diuersis bis dicatur; semel per affirmationem, semel per negationem. Qualibus sententiis plenus est in sacrâ Scripturâ liber Prouerbiorum. Verbi gratiâ, cap. 4. 13. & sequentib. *Tene disciplinam: ne dimittas eam. Custodi illam: quia ipsa est vita tua. Ne delecteris in semitis impiorum: nec tibi placeat malorum via. Fuge ab eâ, nec transeas per illam. Declina & desere eam.* Et ibidem cap. 5. 8. *Longè fac ab eâ viam tuam: & ne appropinques foribus domus eius.*

D

Quartò, Ignatij sententia similis est illi sententiæ Pauli ad Galatas 6. 14. *Mihi mundus crucifixus est*, id est, nihil mihi cum mundo. Ad illam igitur respexisse videtur Ignatius, & pro κόσμος posuisse ἔρως, alio quidem verbo, sed eodem sensu, sunt enim vnum idemque, *Nihil mihi cum mundo*, &, *Nihil mihi cum amore mundi.*

Quintò, Si sanctus Dionysius legisset Epistolam beati Ignatij ad Romanos, & laudare eius testimonium voluisset, fecisset procul dubio quod in Hierotheo fecit, atque integrum Ignatij locum laudasset, non verò eam partem omisisset quæ pro eo maximè faciebat, & vbi verbum ἔρως sine controuersiâ in bonam partem capitur, atque ad Deum refertur. Nam totus locus sic habet: Ζῶν γὰρ γράφω ὑμῖν, ἐρῶν τοῦ ἀποθανεῖν. Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἐμοὶ πῦρ φιλόϋλον, &c. vt priùs citaui. Quæ verba Ioannes Brunnerus in suâ Epistolarum Ignatij piâ & accuratâ paraphrasi hoc modo, & eodem quo nos sensu reddidit his verbis: *Viuus enim prudensque hæc scribo, meos esse amores, meas delicias, mori propter Christum. Quidquid enim præter hunc vsquam fuit amabile aut gratum, mihi crucifixum est, & morte Christi deletum: neque alius in me superest ignis, qui aliud quidquam vel amet vel desideret. Aqua autem in me viuida eructans sic monet, & sic alloquitur: Age, ad Patrem, age.* Ita Brunnerus, vir pius & æterna sapiens, qui ab hæreticorum castris, vbi annos multos clarus in paucis militarat, ad Christiana signa conuersus, meliora sub Christo stipendia meruit, & Græcas litteras, sanctamque linguam Friburgi Brisgoiæ in principe gymnasio professus est. Iraque *amor* in illâ Ignatij sententiâ non Christum significat, non amorem sanctum, sed amorem concupiscentiæ & terrenorum, non autem æternorum desiderium, quod ipse quidem martyrij iam candidatus, & totus ad cœlum adspirans, in se extinctum prædicabat. Nam & multa his conformia in iisdem ad Romanos litteris ex spiritus feruore est elocutus, vt sunt illa: *Iam disco demum pro eo vinctus nihil mundanum, nihil vanum concupiscere.* Et paulò inferiùs: *Ignoscite, amabo: quid mihi expediat, noui. Nunc incipio Christi esse discipulus, cùm eorum, quæ videntur, & quæ non videntur, nihil amulor, vt Iesu Christo potiar.* Et alia multa ibidem eius generis.

F

Iam satis, vt opinor, factum est argumentis illis quatuor antiquissimis Theodoro Presbytero apud Photium obiectis: nunc aliquot præcipuis recentiorum Scriptorum oppugnationibus pro virili repugnandum.

Oppugnat Abrahamus Scultetus sancti Dionysij Scripta rationibus duodecim, quarum ego vanitatem (ne nimis se amet, neu Caluinistarum plausus veritatem putet) statui palàm prodere.

Prima eius ratio est: *Stylus horum librorum non est simplex & sincerus, sed argutus nimis & inflatus, & affectatus, & purum Apostolicum.*

Ad eam respondi suprà in secundo argumento pro alterâ sententiâ: vbi ostendi, stylum respondere materiæ, & sublimem esse in re sublimi. Audiat hic porrò nostrum & suum Augustinum simili in re, simillimo vtentem stylo, & obmutescat. Igitur in lib. Soliloquiorum cap. 31. sic inter alia: *Soli quidem tibi Trinitas integrè nota es, Trinitas sancta, Trinitas supermirabilis, & superinenarrabilis, & superinscrutabilis, & superinaccessibilis, & superincomprehensibilis, superintelligibilis, superessentialis, superessentialiter exuperans omnem sensum, omnem rationem, omnem intellectum, omnem intelligentiam, omnem essentiam supercœlestium animorum: quam neque dicere, neque cogitare, neque intelligere, neque cognoscere possibile est etiam oculis Angelorum.* Vide ibi plura, quæ diceres aut è Dionysio, aut ex eodem certè Spiritu hausta & scripta.

G

Secunda. *Eusebius & Hieronymus, diligentissimi librorum inquisitores, non faciunt mentionem aliquam horum librorum, nec vllus alius admodum antiquus auctor.*

Et huic respondi superiùs, cùm argumenta Theodoro Presbytero obiecta refellerem. Vide ibi ad primum.

H

Tertia. *Laurentius Valla indicat, fuisse sua ætatis doctissimos viros, qui iudicauerint eos libros esse Apollinarij.*

Respondeo, Scultetum hæc verba sumpsisse ex Erasmo in cap. 17. Actorum Apostolorum, & reticuisse subsequentia eiusdem Erasmi verba, vbi eam sententiam improbat. Subdit enim Erasmus: *Tametsi duos eius nominis commemorat Hieronymus, alterum Hierapolitanum Episcopum, qui floruit sub M. Antonino II. alterum Laodicenum in Syria Episcopum; neutri tamen huiusmodi quidquam tribuit Operum. Neque enim, opinor, hæc Apollinari hæretico tribuenda.* Sic ille. Quòd si hæretico non sunt tribuenda, multò minùs alteri Apollinari Catholico & sancto: nec enim esset talis viri, fingere se Pauli discipulum, comminisci facta esse, quæ nunquam facta sint, nimirum se interfuisse Apostolorum cœtui ad funus Deiparæ, & alia similia.

Atque vt ipsamet tela aduersariorum in ipsos conuertamus, secunda ipsorum ratio contra tertiam militat hoc modo: Eusebius & Hieronymus diligentissimi librorum inquisitores nullam faciunt mentionem horum librorum ab Apollinari scriptorum, nec vllus admodum antiquus

auctor,

auctor, ergo non sunt ipsius. Vidésne, Scultete, tuis te testibus irretiri? Deinde ipse Erasmus ad Catalogum sancti Hieronymi de Scriptoribus Ecclesiasticis abiudicat illos Apollinari, & cùm multi fuerint Dionysij inter Scriptores Ecclesiasticos, probabilius censet ab vno illorum scriptos. Quid iam valet tua ratio, Scultete, ex Erasmo fallaciter prompta? Possem pluribus: sed frustrà lux maior ad tantam hominis cæcitatem.

Quarta. *Gulielmus Crocinus, memoriâ Erasmi Londini hunc Auctorem explicans, ingenuè coram auditoribus professus est, sibi non videri id opus esse Dionysij Areopagita.*

Quàm putida ratio! & quàm arundineo innixa baculo auctoritas! Albúsne an ater fuerit iste Crocinus qui ista crocitauit, quis nouit? Tempus perdam, si plus respondeam.

Quinta. *Materies scripti, inquit, idem demonstrat. Nam in Hierarchiâ cælesti, cæli supellectilem & Angelorum subsellia non modo vanè, sed etiam falsò enumerauit, & de iis penè inuentarium confecit.*

Quid hic magis miremur, hominísne stupidam inscitiam? an effrontem meretricis impudentiam? quippe qui nec voces, quibus vtitur, intelligat; & de rebus, quas non capit, velut censor aut iudex decidat. Quis vnquam Regis filios in aulæ regiæ numerauit supellectili? quis de illis inuentarium aliquando confecit? quis inuentarij nomine comprehendit? Atqui Dionysius tantùm Angelos, eorumque ordines & officia descripsit, quorum nihil nec in supellectili continetur, nec in inuentario scribitur. Et quàm humilia ista de sublimissimis! quàm vilia de nobilissimis! Nescio an iste homo, dum illa scriberet, de mouendâ fortè supellectili domesticâ, aut scribendo rerum suarum inuentario (in quo & vxorem & vtriusque sexus liberos comprehenderat) cogitaret. Docendus est videlicet Minister Silesius, quid supellectilis, quid inuentarij nomine veniat. *Supellectilis nomine* (vt inquit Paulus) *continentur mensa, trapezophore, delphica, subsellia, scamna, lecti inargentati, culcitra, toralia, mappa villosa, vasa aquaria, peluet, aquiminaria, candelabra, lucerna, trullæ, vasa anea, vulgaria, id est, quæ non proprio sunt loco attributa: præterea capsa, armaria, vitrea, escaria, potoria.* Hæc Sipontinus ex 23. ff. de Supellectile legatâ. Nulla ibi personarum, nulla liberorum mentio. De inuentario item sic vetus Glossarium: *Inuentarium dicitur quidam libellus, in quo omnia bona, quæ apud aliquem inueniuntur, conscribuntur.* Repertorium appellat Vlpianus aliquantò Latiniùs, vbi de administratione & periculo tutorum, L. Tutor, sic scribit: *Tutor, qui repertorium non fecit, quod vulgò inuentarium appellatur, dolo fecisse videtur, nisi fortè aliqua necessaria & iustissima causa allegari possit cur id factum non sit.* Aliqua ergo debuisset Scultetus proferre a Dionysio enumerata, quæ aliquam saltem cum his, quæ dicta sunt, similitudinem repræsentarent. Atque istâ quidem inscitiâ & stupore non contentus, addit multò maiorem impudentiam, dum dicit: *Et Angelorum subsellia non modò vanè, sed etiam falsò enumerauit.* Itáne verò? Heus tu, ostende alterutrum: vel quòd vanè, vel quòd falsò. Enumera, si potes, aliquid vel solidius vel verius.

Probat igitur in hunc modum: *Apostolus 2. Cor. 12. 4. ista & huiusmodi reliqua omnino ἄῤῥητα esse dicit. Irenæus lib. 2. cap. 55. istos Hierarchiarum Scriptores delirare scribit. Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, cap. 58. affirmat se nescire ordines Angelorum & eorum differentias. Nec sequuntur Dionysium in Angelorum distinctione Gregorius Magnus, Bernardus, & alij. Franciscus quoque Patritius, qui Panarchias suæ libro 1. multa ex veterum scriptis ad stabiliendas Hierarchias Dionysiacas emendicat, dubitanter volens nolens de auctore Hierarchiarum pronuntiat.* Ita ille.

Videamus nunc membratim eius vanitatem & impudentiam. Citauit Paulum, Irenæum, Augustinum, Franciscum Patritium. Ibimus per singulos. Pauli locus 2. ad Corinthios 12. 4. est: *Quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Quid ibi, amabo, contra Dionysium? Atqui ista sunt, inquies, & reliqua huiusmodi, quæ scripsit Dionysius. Qui probas? quis tibi dixit esse ista? Nihil probat, & sibi vult credi, homini nempe vanissimo, & ex mendaciis impudentissimis conflato. Quid hoc vanius? Adde, Paulum loqui de verbis quæ audiuerit, & quæ loqui non liceat: Dionysius autem non de verbis loquitur, sed de rebus scribit, & ordinum Angelorum nomina, quæ in sacris Scripturis omnia continentur, enumerat. An verò tantum fuit mysterium, scire illorum ordinem & significationem, vt neque Dionysio, neque Paulo, neque Ioanni, neque vlli Apostolorum aut discipulorum inspiratum fuerit? Atqui Dominus Deus dedit Apostolis intelligentiam Scripturarum. Quid ergo magni, si Dionysius à Magistro suo Paulo petierit, quid sibi vellent ista Angelorum nomina, quorum & ipsemet in suis Epistolis, & alij sacri Scriptores in diuinis Litteris meminerunt? si, & quis esset inter eos ordo, & quæ singulorum officia, poposcerit & didicerit? Et sanè, si ista Sculteti ratio vel hilum valeret, plus contra S. Ioannis Apocalypsim, quàm contra Dionysij scripta faceret. Multò enim ibi alia & maiora & captu difficiliora, quàm in Dionysio memorantur: quæ si dixisset Dionysius, fuisset fortè Sculteto locus maior recordandi suæ supellectilis; nempè cùm audiret: *Et conuersus vidi septem candelabra, & in medio septem candelabrorum aureorum,* &c. Cùm, inquam, audiret *septem candelabra,* Apoc. 1. & *clauem Dauid,* cap. 3. & *sedem positam in cælo,* & *in circuitu sedis sedilia viginti quatuor,* & *coronas aureas,* cap. 4. & *librum,* & *citharas,* & *phialas aureas,* cap. 5. & *arcum,* & *gladium,* & *coronam,* & *stolas* cap. 6. & *palmam,* & *thronum,* & *templum,* cap. 7. & *tubas,* & *thuribula,* & *incensa multa,* cap. 8. & alia in aliis. Cùm hæc, inquam, vel similia in Dionysio audiret, tum maiori iure sua illa de cæli supellectile & inuentario deblateraret. Nūc autem cùm illa in Apostoli scriptis legantur, quid dicet? Licuit beato Ioanni tam multa & tam recondita de cælo & cælestibus referre, & mundo patefacere: sancto Paulo autem non licuerit pauca quædam, eáque ad Scripturarum intelligentiam spectantia, Dionysio Areopagitæ à se conuerso, & discipulo suo, enarrare: Quid ita: *Quia audiuit arcana verba,* inquit Scultetus, *quæ non licet homini loqui.* Egregiè verò. Applica, Scultete. Nec facis, nec potes. Quis enim risum teneat, si ea ipsa esse dicas quæ Dionysius enarrauit? Qui enim probes? Sin alia esse dicas, nihil facis. Potuisse autem Dionysium è Scripturis nouem colligere Angelorum ordines, vel ex ipso Gregorio Magno patet, qui id ipsum fecit Homilia 34. in Euangelia. *Nouem verò,* inquit, *Angelorum ordines diximus, quia videlicet esse, testante sacro Eloquio scimus, Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim atque Seraphim. Esse namque Angelos & Archangelos, penè omnes sacri Eloquij paginæ testantur. Cherubim verò atque Seraphim sæpè, vt notum est, libri Prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus Apostolus ad Ephesios enumerat, dicens: Supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem. Qui rursus ad Colossenses scribens ait: Siue Throni, siue Potestates, siue Principatus, siue Dominationes.* Deinde colligit numerum hoc modo: *Dominationes,* inquit, *& Principatus, ac Potestates, iam ad Ephesios loquens descripserat: sed ea quoque Colossensibus dicturus, præmisit Thronos, de quibus necdum quidquam fuerat Ephesiis locutus. Dum ergo illis quatuor, quæ ad Ephesios dixit, id est, Principatibus, Potestatibus, Virtutibus atque Dominationibus, coniunguntur Throni, quinque sunt ordines qui specialiter exprimuntur. Quibus dum Angeli atque Archangeli, Cherubim atque Seraphim adiuncta sunt, procul dubio nouem esse Angelorum ordines inueniuntur.*

Ex his omnibus è Gregorio Magno allatis patet, eum nihil aliud voluisse, quàm probare nouem esse ordines, non verò inter illos describere & distinguere Hierarchias, ac proinde nihil esse mirum, si aut ipse, aut sanctus Bernardus eum secutus, & quidam fortè alij qui Angelos per Hierarchias non distinxerunt, alium sint ordinem, re minùs accuratè examinata, amplexati. Nam

in

in confesso est omnibus, longè res tractari exactiùs ab iis qui methodicè & per præcepta materiam aliquam tractant, definiunt, diuidunt (quod fecit Dionysius Areopagita) quàm ab iis qui populariter & oratorio more ad virtutem alios exhortantur: quemadmodum fecisse constat Gregorium Homil.34. in Euangelia, & S. Bernardum Sermon.19. in Canticum Canticorum. Aliud est enim Sermones & Homilias, aliud libros διδακτικῶς scribere.

Quare qui hos scripserunt, vt illi Scholasticorum principes, Ioannes Damascenos apud Græcos, Thomas Aquinas apud Latinos, non alium statuerunt ordinem, quàm eum quem in Dionysio nostro inuenerunt: Damascenus quidem in libro de Fide orthodoxâ, cap. 8. Thomas autem 1.part. quæst.108. art.5. & 6. & post illos cuncti ad vnum Doctores Scholastici. Hæc autem tacuit Sculterus vel ex inscitiâ, vel ex malitiâ: nec dubium, quin etiam ex impudentiâ. Iam verò S. Dionysij Areopagitæ ordinem omni alio meliorem, ac propterea meritò & à Damasceno, & ab Aquinate, & ab omnibus Scholasticis vsurpatum ex eodem probabo doctore, à quo illum primus accepit Dionysius, nempè à Doctore Gentium Paulo Dionysij olim Gentilis magistro. Et sic probo: De quatuor primis ordinibus, hoc est de Seraphim, de Cherubim, de Thronis & de Dominationibus, inter omnes omnino liquet. Nam cum Dionysio Areopagitâ etiam Gregorius, & Bernardus, & alij consentiunt, nempe illos esse omnium primos: de duobus etiam postremis ordinibus, hoc est, de Archangelis & Angelis, perinde constat. Restat igitur de tribus tantùm ordinibus controuersia, hoc est, de Virtutibus, Potestatibus, & Principatibus, sintne in cœlo hoc ordine, quemadmodum Dionysius constituit, siue, an supra Archangelos proximi sint Principatus, & supra hos sint Potestatea, & supra Potestates emineant Virtutes; deinde Dominationes, sicut in cœlesti Hierarchiâ. Ecce igitur locus Pauli ad Ephesios cap.1. 19. & seqq. vbi tali vtitur gradatione de Christo ad summam in cœlo gloriam eleuato: *Qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis eius, quàm operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro.* Quo in loco cùm agat Paulus de Christi ascensu in cœlum, non potest quispiam, nisi extremè stolidus, quin ab inferioribus incipiat, & gradatim ad superiores ordines ascendat, dubitare. Et tamen audet Sculterus (quâ est impudentiâ) ore improbo effutire, Dionysium Angelorum subsellia (sic ille vocat Angelorum ordines) non modò vanè, sed etiam falsò enumerasse?

Aliam eius impudentiam (de illâ enim satis) videamus. Ea in illis verbis renidet: *Irenæus*, inquit, *lib. 2. cap.55. istos Hierarchiarum scriptores delirare scribit.* Quid ad hanc impudentiam addi potest? Mentitur enim Sculterus, & insanè delirat. Nam ne verbo quidem, nec ibi, nec alibi de Hierarchiis Angelorum Irenæus, tanquàm illas improbans, agit: imò directè eos impugnat, qui relictis Angelis, Archangelis, & aliis Angelorum ordinibus, triginta Æonas in cœlo ponebant, & quasi nouos deos. Quin & expresè admittit & memorat ibi aliquot ordines Angelorum nempe Principatus, Dominationes, Virtutes, Angelos, Archangelos. Proferam ipsa Irenæi verba, quò erubescat, si potest, canina Sculteti impudentia. Agens igitur Irenæus contra Marcionem & Valentinum in illo ipso capite iam citato, & asserens vnum esse verum Deum, non duos, non plures, sic ait inter alia: *Ipse Dominus omnium, & neque præter ipsum, neque super ipsum, neque mater quam illi admentiuntur; nec Deus alter quem Marcion affinxit; nec Pleroma triginta Æonum, quod vanum ostensum est; neque Bythus, neque Proarche, neque Cœli, nec Lumen virginale, nec Æon innominabilis, nec in totum quidquam eorum, quæ ab his & ab omnibus hæreticis delirantur; sed solus vnus Deus fabricator, qui est super omnem Principalitatem, & Dominationem, & Virtutem.*

Ecce igitur eos quos vanitatis Irenæus arguit, & dicit delirare, nimirum Marcionem duos fingentem deos, Valentinum triginta constituentem Æonas, & reliquos omnes hæreticos, nullâ vel minimâ Dionysij aut hierarchiarum eius factâ mentione, nisi quòd ordines aliquos nominauit, in quibus per Principalitatem intelligit Principatus, non tamen vt reprobans, sed vt maximè approbans; sicut ibidem paulò inferiùs, cùm dicit: *Hic Pater Domini nostri Iesu Christi per Verbum suum (qui est Filius eius) reuelatur & manifestatur omnibus quibus reuelatur: cognoscunt enim eum hi, quibus reuelauerit Filius. Semper autem coëxistens Filius Patri, olim & ab initio semper reuelat Patrem & Angelis, & Archangelis, & Potestatibus, & Virtutibus, & omnibus quibus vult reuelare Deus.* Ita ibi. Sed idem Irenæus priori capite eiusdem libri, siue cap. 54. eosdem refutans Valentinianos, insinuat varios Angelorum ordines, & inter ordines singulos discrimina, his verbis: *Præterea, si per ipsos ea quæ sunt super cœlos, facta sunt; dicant nobis, quæ sit inuisibilium natura, enarrent numerum Angelorum, & ordinem Archangelorum, demonstrent Thronorum Sacramenta, & doceant diuersitates Dominationum, Principatuum, Potestatum, atque Virtutum. Sed non habent dicere. Non ergo per eos facta sunt.* De hoc satis.

Aliud argumentum Sculteti est hoc: *Augustinus in Enchiridio ad Laurentium cap.58. affirmat, se nescire ordines Angelorum & eorum differentias.* Quid tum? an omnia sciuit Augustinus? an quod ille nesciuit, nullus sciuit? Magni fuit ingenij, fateor, rarique iudicij; imò & eius quoque sanctitatis, vt multa eorum quæ nesciret, illi crediderim reuelata. Sed an Deus vni omnia? *Nunquid alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu?* &c. *An non vnus atque idem Spiritus diuidit singulis prout vult?* Quid ergo mirum, si dederit Dionysio Pauli discipulo, & fonti aquarum viuentium tam vicino, quod Augustino multis pòst sæculis exorto non dederit? Quin & hoc ipso loco, qui citatus est, ostendit se nescire Augustinus, an Sol & Luna & cuncta sidera vitam habeant beatitudinis, & societatis Sanctorum capacem, & ignorare insuper, an plures sint in cœlo Angelorum ordines quàm quatuor, cùm tamen suprà è Scripturis Sacris ostensi sint nouem. Et quia fortè hæc audientes desiderent ipsa Augustini verba in medio poni (nam sanè mira sunt, & de sideribus alia nobis nunc certa fides est) illa ponam. Sic ergo habet in Enchiridio ad Laurentium cap.58. *Quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus vniuersam ipsam cœlestem societatem videtur Apostolus esse complexus, dicendo: Siue Sedes, siue Dominationes, siue Principatus siue Potestates, dicant qui possunt, si tamen possunt probare, quod dicunt; ego me ista ignorare confiteor. Sed nec illud quidem certum habeo; vtrum ad eandem societatem pertineant Sol & Luna & cuncta sidera, quamuis nonnullis lucida corpora esse, non cum sensu vel intelligentia videantur.* Ita Augustinus.

Quemadmodum ergo non propterea quòd dicat Augustinus se certum non habere, an sidera viuant & intelligant, & beatitudinis capacia sint; reprehendi quispiam potest, si doceat ea nec viuere, nec intelligere, nec beatitudinis capacia esse: sic neque propterea quòd de Angelicorum ordinum numero dubitet, imprudenter facere dicendi sunt, qui eorum numerum & distinctionem docent; multò minùs autem, qui tandiu ante Augustinum docuerunt, & vel ex diuinâ reuelatione, vel ex Apostolorum relatione acceperunt. Et si temerarium esset de cœlesti Hierarchiâ & Angelorum ordinibus librum vnum conscribere, vt de rebus reconditis; quantò magis temerarium esset de ipso sanctissimæ & abstrusissimæ Trinitatis mysterio vel duodecim libros componere, quod S. Hilarius fecit; vel etiam quindecim, quod S. Augustinus? Addit Sculterus, Franciscum Patritium

libro 1. suæ Panatchias dubitanter volentem nolentem de auctore hierarchiarum pronuntiasse: quod autem pronuntiauerit, non explicat; sed satis intelligitur, eum secundùm nos pronuntiasse. Vnde quantus hominis stupor, ea proferre in medium quæ contra se faciant. Nam licet dubitanter, tamen contra Sculteτum pronuntiauit.

Sexta ratio Sculteti est hæc: *In libro de Ecclesiasticâ hierarchiâ multa scribis de templis, de altaribus, de locis sacris, de choro, de consecratione Monachorum, de tonsurâ & rasione capitum; cum re verâ nihil horum fuerit temporibus Dionysij Areopagitæ: id quod demonstratum historicè reperiet Lector apud Rodolphum Hospinianum Tigurinum.* Ita ille suo more, nihil in particulari probans, & nequiter ad alios remittens.

Contra simile argumenti genus, talis erit propria & maximè conueniens, vt equidem arbitror, responsio: Ista omnia, quæ Scultetus è Dionysio protulit, re verâ fuerunt temporibus Dionysij Areopagitæ: id quod demonstratum veridicè reperiet Lector apud Cæsarem Baronium Soranum, & apud Robertum Bellarminum Cardinales.

De hac solutione, sat scio, non conqueretur: cùm pro vno reponam duos, & quidem tales contra talem, & eodem quo ipse vtar argumenti genere. De templis tamẽ & altaribus, & locis sacris (non quòd opus sit ad Sculteti refutationem, sed quòd ad rudium atque infirmorum instructionem & confirmationem non parum habeat roboris ac ponderis) locum peregregium S. Petri Cluniacensis aduersus Petrobrusianos hæreticos, idem olim, quod nunc Scultetus, delirantes validè intortum, hîc lubet ipsissimet eius verbis repræsentare (is autem ante Scultetum quingentis annis vixit.) *Quid enim?* (ait vir ille sanctus) *numquid per viginti quinque annos, quibus Romæ Petrus Apostolus sedit, absque templo vel Ecclesiâ, id est, orationis domo, vel paruo saltem oratorio fuit? Nónne, vt gestorum veracium series narrat (si tamen præter diuinum Canonem gestis aliquibus assensum datis) primus ipse Princeps Apostolorum Petrus in vrbe orbis capite templum Christo inter innumera Gentilium templa construxit, & iuxta quod beatus & magnus Papa Leo nobili sermone pronuntiat, trophæum Crucis Christi Romanis arcibus innexit? Nónne & nos ipsi Romæ positi frequenter vidimus in cryptis antiquissimis oratoria & altaria, qualia eo tempore fieri poterant, quæ ab eodem Apostolo constructa & sanctificata (sicut per successionem fama consentiens ac celeberrima protestatur) in monumentum tantæ sanctitatis fidelibus ostenduntur, & ab eisdem fidelibus dulcissimè ac deuotissimè deosculantur? Numquid apud Arelatem (quam necdum per Dei gratiam vester sordidus error infecit) Pauli Apostoli discipulus Trophimus (de cuius fonte, vt Papa Zosimus scribit, omnes Galliæ fidei riuulos acceperunt) semper in campo aut in foro prædicauit, baptizauit, orauit? numquam domum orationis vel ipse habuit, vel alios habere instituit? Et vnde tot sancti successores eius hoc præsumere ausi sunt, quod ille non docuit, à quo fidei riuulos acceperunt? Sed vt de primis Galliæ nostræ Apostolis, quos vestra impia fatuitas, & fatua impietas hactenus scire non meruit, aliquid plenius dicam (sicut ipsa testatur antiquitas, & à sanctis viris nobis relicta tradunt historia) non solum nos, verùm etiam omnes Christiani populi, pusilli cum maioribus, senes cum iunioribus, vestram insaniam irridentes, certissimè tenent, quòd Irenæus Lugduni, Crescens Viennæ, Vrsinus Bituriges, Paulus Narbonæ, Saturninus Tolosæ, Austremonius Aruernis, Martialis Lemouicis, Burdegalæ, & Pictauis, Fronto Petragoris, Eutropius Xantonis, Gratianus Turonis, Iulianus Cenomannis, Parisijs Dionysius, Senonis Potentianus & Sauinianus, Bellouaci Lucianus, Æduæ Andochius, Lingonis Benignus (& quis omnes gloriosissimos fidei nostræ Patres & Apostolos enumerare sufficiat?) isti certè, isti, vbicumque nomen Domini annuntiauerunt, statim idolorum delubra, prout fas fuit, euertentes, aut nouas Ecclesias fundauerant, aut ipsa templa in Ecclesias conuerterunt: adeò vt hodieque in plerisque locis (sicut ipsi nostris oculis inspeximus) Ecclesiæ vel Basilicæ ab eis constructæ, altaria manibus eorum fundata & consecrata, in memoriam antiquitatis & sanctitatis eorum, à fidelibus populis reseruata monstrentur; quæque videndi & detestandi sunt omnibus hominibus, quadam viua voce loquantur. Et vt ad Orientem & cæteras mundi partes transitum faciam, quis Illyricum, Græciam, Scythiam, nisi Paulus & Andreas? quis Asiæ maximas partes, nisi Ioannes & Philippus? quis Persica regna cum proximis gentibus, nisi Simon & Iudas? quis Indicas partes & Solis ortui contiguas terras, nisi Thomas & Bartholomæus? quis totam Æthiopiam, nisi Matthæus, primi & nouissimi Apostoli Christi, vetusta superstitionis templa destruentes, noua gratiæ Ecclesiis impleuerunt? Ita vniuersi veteris & nouæ legis auctores vnanimi studio vobis aduersantur; vt necesse vobis sit, aut tantis testibus acquiescere, aut sine Christo, Prophetis, & Apostolis Christianos fallaciter permanere.* Hactenus vir sanctus, & cuius non est dignus soluere calceamenta Scultetus.

Septima ratio: *Timotheum vocat filium qui tamen illo si non maior, certè par fuit pietate, auctoritate doctrinâ.*

Addendum fuisset, & *ætate*, vt efficax fieret argumentum. Nam luce est clarius, solitos esse senes, appellare ætate iuniores nomine filiorum, Sic in sacris Litteris, sic in profanis Auctoribus, sic in communi vsu videmus. Timotheum porrò longè Dionysio iuniorem fuisse, ex eo liquet, quòd Paulus ad eum iam Episcopum Neronis temporibus scribens, insinuet eum etiam tum fuisse adolescentem, cum dicit: *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Atqui Dionysius iam satis magno natu erat, & (quod ad rem haud parum facit) permagnâ quoque auctoritate, siue quòd fuisset ex Areopagitis, & Christi causâ eos dereliquisset, siue quòd ab ipso Paulo conuersus, baptizatus & ordinatus fuisset. Itaque Dionysius Timotheum vocauit filium, *tamquam annis eum antegressus, & philosophiâ præcellens*, vt loquitur sanctus Maximus in Scholiis ad cap. 2. de Cœlesti hierarchiâ, super illis verbis, *Tu vero fili.* idemque sentit ad eundem locum Georgius Pachymeres. Deinde παῖς non tantùm significat *filium*, sed etiam *puerum*, & quidem primâ & principali significatione, sicut υἱὸς principaliter *filium*. Hinc Christus Dominus Apostolos suos & discipulos, quos moribus similes pueris esse cupiebat, *pueros* appellabat Ioannis 21. 5. *Pueri, numquid pulmentarium habetis?* Vnde etiam factum in primitiuâ Ecclesiâ, vt Christiani omnes vocarentur *pueri*, ob Christianam scilicet morum simplicitatem & suauitatem; Episcopi verò, aliique sacris Officiis destinati, *pueri sacri.* Ita B. Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi, cap. 2. Christianos omnes puerorum nomine compellat his verbis: *Similis est noster Pædagogus, ô vos pueri, Patri suo Deo.* Et tamen ij ad quos scribit, nec ætate, nec iudicio pueri erant (quibus iam alta non congruissent documenta) sed morum probitate & innocentiâ. Hanc significationem & responsionem ad dictum Dionysij locum admittit quoque & probat sanctus Maximus hisce verbis: *Aut quoniam pueros vocabant eos, qui piam simplicitatem & innocentiam sectabantur, quemadmodum & Papias indicat libro primo Dominicarum explanationum, & Clemens Alexandrinus in Pædagogo:* hoc est, *simplices, sinceros, minimè malos,* qualem fuisse Timotheum, antiqui, vt ait Pachymeres, tradiderunt. Sic enim in suâ Paraphrasi Dionysianâ: *Aut simplicitatem exercentes, pueros appellabant, vt quidam veterum de hoc* [Timotheo] *retulerunt, simplicitate ornatum fuisse.* Legi equidem sæpiùs & attentiùs vtramque D. Pauli ad Timotheum Epistolam, si qua fortè vestigia reperire indagando possem, quibus ad ingenij indolisque eius notitiam, eademque viâ ad illius nodi, quem strinxerunt aduersarij, solutionem peruenirem; inueni tandem Timotheum in sacris quidem Litteris à puero versatum, sed ingenio atque animo satis pusillum ac perquam timidum, & qui onus Pontificium, si per Paulum licuisset, perlibenter deposuisset. Quare & à Paulo identidem animari atque excitari debuit, & pueri more, quo

modo cum vnoquoque homine genere conuersandum sibi esset, edocti. Et quia profanæ Philosophiæ & extranearum litterarum rudis esset, idcoque à sæculi litteratis multum negotij ac molestiæ pateretur (quod Maximus & Pachymeras testantur) propterea & Pauli, dum viueret, & eo mortuo, Dionysij auxilijs indigebat. Cùm ergo Paulus sub Nerone obierit, credibile est; Dionysium suos ad Timotheum libros sub consequentibus Impp. ac præsertim sub Vespasiano, Tito, & Domitiano, quorum primus annos decem, secundus duos, tertius quindecim regnauit, exarasse. Nam Galba, Otho, Vitellius, qui hos antecesserunt, non integros singuli annos exegerunt.

De timore & pusillanimitate Timothei, nonnulla in Notationibus ad Vitam sancti Polycarpi, cap. 7. ad finem annotaui.

Ex his denique facilè colligi potest, quàm sit probabile, Timotheum à Pauli obitu ad Dionysium Areopagitam, quem & ingenio maximum, & vtrâque scientiâ, tam sacrâ quàm profanâ, eximium nosset, subsidij atque solatij causâ se conuertisse, ac pro ingenitâ simplicitate & modestiâ animi (quod etiamnum facimus, dum ad seniores atque doctiores scribimus, aut quidpiam petimus) eius se filium aut puerum appellitasse; quâ proinde voce rescribens ad eum Dionysius etiam vsus sit: quamuis ad eam vocem interdum nomen *sancti* aut *sanctissimi* addiderit, vt qui sciret se ad Episcopum & ad virum sanctum, tametsi iuniorem & simpliciorem, scribere. Hinc & librum de Ecclesiasticâ hierarchiâ sic ad eum exorditur: *Quòd nostra quidem hierarchia, ô sanctorum puerorum sanctissime*, Quia verò (vt est apud Iob) *deridetur iusti simplicitas, lampas contempta apud cogitationes diuitum*; siue quia procliue est, vt iusti & simplices facilè à vanis hominibus derideantur atque contemnantur, cauit sedulò Paulus vt ne in Timotheum illa caderent, partim eum laudando, partim ex suo & illius nomine litteras scribendo, partim expressè eius despectum prohibendo. Itaque Epistolæ Pauli ad Philemonem inscriptio coniunctum habet Timothei nomen, hoc modo; *Paulus vinctus Christi Iesu & Timotheus frater Philemoni dilecto*, &c. In priore verò ad Corinthios cap. 16. 10. laudat simul & commendat & à despectu tutum facit. *Si autem venerit Timotheus*, inquit, *videte, vt sine timore sit apud vos. Opus enim Domini operatur, sicut & ego. Ne quis ergo illum spernat: deducite autem illum in pace, vt veniat ad me: Expecto enim illum cum fratribus.*

Quibus in locis non possum quin mirer & amem & amplectar istam Apostoli benignitatem, & parandæ discipulo suo auctoritatis atque fiduciæ paternam curam ac sollicitudinem: quod & sanctus Ioannes Chrysostomus in suis ad Pauli Epistolas Commentariis olim est admiratus. Vt autem cognoscatur, quanti S. Dionysius Timotheum (quamuis filium ob ætatem appellauerit) tamen propter eruditionis opinionem æstimauerit; legantur, quæso, quæ in Dionysij Vitâ præscripsi Cap. xxiii. vbi eiusdem S. Dionysij modestia in medio ponitur. Nam ibi ea de Timotheo dicit, quæ verè digna sunt eo, qui fuit Pauli comes & discipulus. Eum enim esse facit, qui mereatur à Deo per Angelos edoceri, & quidem veriora & clariora, quam ipse docuerit.

Octaua ratio Sculteti est: *Multos maiores præceptores hinc inde nominat, cùm tempore vero Dionysij, præter Apostolos, vix vnus & alter esset Ecclesiasticus.*

Valde tenuis est hæc ratio, & telæ, quæ muscas vix teneat, similis. *Multos*, inquit. Pro, quos? aut quomodo nominet? Nisi enim ego (vt Ennij verbis vtar) *adiuro curámve leuasso*, hærebit illi aqua. Duos ergo nominatim Præceptores suos laudat Dionysius, Paulum & Hierotheum, alios autem generatim similibus vtendo vocibus, *Theologi nostri, Patres nostri*, &c. Intelligit autem per Theologos (vt in ipsius scriptis videre est) omnes qui de Deo & rebus diuinis scripserunt, hoc est, Prophetas, Apostolos, & alios Scripturæ sacræ auctores; illi enim verè Theologi, verè Magistri & Præceptores nostri: quo modo & S. Iustinus Philosophus eos appellat in Apologiâ ad Antoninum Pium post medium, his verbis: *Vt autem & à nostris magistris (de doctrinâ Prophetarum loquimur) accepisse Platonem intelligatis*, &c. Probat ibi Iustinus, Moysen antiquiorem esse Platone, & hunc è libris eius aliqua desumpsisse, dicitque se per *nostros magistros* intelligere *Prophetas*. Idem Iustinus in Apologiâ ad Senatum sub medium, vocat Iesum, Magistrum nostrum. *Et Iesus Magister noster docuit*, &c. Sic Dionysius libro de Cælesti hierarchiâ cap. 2. Theologos vocat Malachiam, Ioannem Euangelistam, Moysen, Salomonem, Isaiam, Osee, Dauidem. Nam docens quomodo Theologi diuinitatem exprimant, ex iis omnibus exempla subiicit, & nulla ex aliis Scriptoribus inferioribus. Et cap. 5. postquam dixit: *Has autem diuinas visiones clari illi Patres nostri à cælestibus virtutibus edocti sunt.* Ne Scultetus dicat, nullos fuisse tum claros Patres; qui sint illi quos intelligat, è subiectis exemplis ostendit; nempe dum Moysen, Lucam, Matthæum, Isaiam, probationis causa producit. Vide Dionysium ibidem cap. 5. initio, & cap. 7. post medium, vbi in Theologorum numero Dauidem, Isaiam, Ezechielem recenset, itemque cap. 8. Et quia tam effrons est Scultetus, vt ea negare possit, nisi expressè dicat Auctor, *Ezechiel Theologus, Zacharias Theologus*, & ita de aliis; age, & illum sic conuincamus. Igitur cap. 8. Cælestis hierarchiæ ita Dionysius: *Videt Zacharias Theologorum vnus vnum è primis, vt puto, & Deum circumstantibus Angelis.* Et paulò post: *Ezechiel verò alius Theologorum*, &c. Vide ibi & sequentibus capitibus plura. Sic *Theologia* ab eodem Dionysio passim vsurpatur *pro sacrâ Scripturâ*, vt cap. 2. de Diuinis nominibus, initio: *Ecquid enim e sacrâ Theologiâ discere licet aliud, cum dic diuinitatem ipsam docentem dixisse: Quid me interrogas de bono? nemo bonus, nisi solus Deus.* Quamuis igitur Dionysius alios nullos habuisset Præceptores nisi Hierotheum & Paulum Apostolum, tamen de cæteris Scriptoribus sacris seu veteris seu noui Testamenti dicere optimo iure poterat, *Præceptores nostri, Patres nostri, maiores nostri, Theologi nostri*, &c. Ex quo vanissima ostenditur octaua Sculteti obiectio. Ad alias procedamus.

Nona est talis: *Citat sententiam Ignatij mortui sub Traiano, Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. At Metaphrastes Dionysium regnante Domitiano occisum esse scribit.*

Sic ille: cui sufficere posset hæc responsio: *At Ado Viennensis Archiepiscopus Hadriani temporibus Dionysium martyrio affectum scribit.* Vt enim ille vno teste probat, sic ego vno teste reprobo. Iam sumus ergo pares. Verùm plenissimè huic de Ignatij sententiâ obiectioni iam respondemus in hac ipsâ Quæstione suprà.

Decima ratio, siue decumana impudentia Sculteti, est eiusmodi. *Errat* (inquit de S. Dionysio) *manifestè; quòd docet oleo defunctos perfundendos & vngendos: Monachorum omnium initiandorum ordine atque etiam ministerio esse excellentiorem: Vnguentum Baptismo ἱερουργίας esse, vnumquam scilicet hominis, Sacramento Christi.* Ita ille Pythagoreo more dicens, & non probans. Cui ego eodem more si respondero, & tria illa quæ intulit, solâ negatione reiecero, quid indignum tali argumentatori fecero? Sed in aliorum gratiam plus dicemus, & ibimus per puncta singula.

Primò igitur, pro eo quod dicis de sanctissimo & doctissimo viro, & quidem de scribente certissima; *Errat manifestè*, reponendum censeo: *Errat Scultetus & delirat manifestissimè.* Liceat enim Sanctorum osoribus in conuitiatores Sanctorum sic loqui. Nam scripsit sanctus Dionysius, quod suo tempore circa defunctos tam à se quàm ab aliis fieri videbat; & quidem cur id fieret, hanc attulit optimam & bonis omnibus acceptissimam rationem, nimirum significari *eum, qui vngitur, legitimè certasse, & certando excessisse.* Scultetus autem pro audaci sua & impudenti contradictione quid adfert? ne id quidem, *quod pueri clamitant se in faba reperisse.* Legant autem, velim, Christiani cærimonias a Dionysio de exequiis mortuorum productas lib. de Ecclesiasticâ hie-

rarchiâ, cap.7. & earum mirabuntur antiquitatem iuxtà & sanctitatem sapientiæ plenissimam.

Secundum reprehensionis Sculteti punctum est, Dionysium docere, *Monachatum omnium initiandorum ordine atque etiam ministerio esse excellentiorem.* Contra quam doctrinam nihil rursus aliud adfert, quàm illa duo verba, *Erras manifestè*; cùm ipsemet interim mentiatur multò manifestissimè. Nam in primis non docet Dionysius, Monachatum vllo ministerio esse excellentiorem, nec est in eo verbum vllum quod hoc sonet: imò ponit Monachatum extra ordinem omnium ministrorum & omnium sacrorum ordinum. Tres enim ponit sacros ordines, Pontificum, Sacerdotum, Diaconorum, qui & initiantes seu sacra tractantes appellantur: inter quos nulla Monachorum mentio: quippe qui nihil sacris in rebus officij habeant, ac proinde earum ministris seu administratoribus omnibus inferiores sunt. Deinde eos qui initiantur tantùm, nec initiant, hoc est, laicos omnes ad Ecclesiam pertinentes, in tres classes partitur: In eos qui à sacrificiis excluduntur: in eos qui illorum sunt participes, & communem vitam degunt: in eos qui maiorem perfectionem profitentur, hoc est, Monachos. Quæ partitio reperietur in libro de Ecclesiasticâ hierarchiâ, cap.6. vbi etiam docet Dionysius, primam classem (quæ est rudiorum & imperfectorum) spectare ad curam Diaconorum seu Ministrorum, qui λειτουργοὶ appellantur; quorum est illos erudire & purgare: secundam verò, quæ est mediorum, & tertiam quæ est Monachorum siue Cultorum, ad Sacerdotis munus pertinere: eius enim est, & communem plebem seu fideles iam baptizatos, & viam coniugij iam currentes, docere & illuminare, & Monachos vitam singularem & exactam castimoniam profitentes Deo consecrare. Quid igitur sibi Scultetus voluit, cùm mentitus est, Dionysium docuisse Monachatum esse ministerio excellentiorem? an fortè Caluini Minister ad suum ministerium respexit, atque ad conciliandam Dionysio inuidiam, finxit eum præferre Monachos Ministris? Atqui tales Ministros Areopagita penitus nesciuit; atque etiam, si tales fortassis mille & quadringentis post se annis venturos præuidisset, haud grande tamen peccatum admisisset, si Monachis, non dico iis qui nunc sunt, sed illis etiam qui tunc erant, & nihil sacri ordinis gerebant, postposuisset. Verùm nihil tale de Ministris locutus est Dionysius: apud quem Ministri appellantur, qui nunc vulgò Diaconi, sed illis Monachos postponit: quos, vt antè notaui, in solis laicis velut classem præcipuam docet excellere. Et hæc, opinor, sufficiunt ad detegendam hominis effrontis meretriciam impudentiam. Nam de Monachis agam infrà fusius, & ostendam, quantum sit inter illos de quibus egit Dionysius, & eos qui posterioribus sæculis fuerunt & nunc sunt, discrimen; simulque ex eo discrimine argumentum sumam fortissimum pro libris Dionysij: nunc enim certum est confundendo insistere Sculteto.

Tertium igitur decimæ rationis ab eo allatæ membrum erat, *manifestè errare Dionysium, quod doceret vnguentum Baptismo ἰσοταγὲς esse, inuentum scilicet hominis Sacramento Christi.* Quid hic respondeam? Non dicit ipse vbinam hoc Dionysius doceat, non profert verba, non vrget illa, non conatur certam aut saltem aliquo modo probabilem deducere ex illis sequelam; ita vt inuerecundè abutatur & suorum simplicitate, quos sibi vt Pythagoræ vult credere, & doctorum virorum, quibus ad loca perquirenda non est otium, nimiâ patientiâ. Perquisiui ego si fortè reperirem Dionysium alicubi dicentem, τὸ μύρον τοῦ βαπτίσματος ἰσοταγές, *vnguentum eiusdem esse aut similis cum Baptismate ordinis aut dignitatis*, nusquam reperi, nec illa vox ἰσοταγὲς, in comparatione vnguenti cum Baptismo, vsquam à Dionysio est vsurpata: sed benè cùm de Eucharistiâ egit, & ab illâ ad vnguenti confectionem transit (quod facit capite 4. de Ecclesiasticâ Hierarchiâ initio) ita scribit: *Sed illi* [sanctissimæ Synaxi] *eiusdem ordinis finitima est altera sacra operatio: Vnguenti Sacramentum quam vocant Duces nostri.*

Dicit autem esse eiusdem ordinis, non quòd sit idem Sacramentum (apertè enim distinguit, & ab vno se dicit transire ad aliud) sed quod hæc vnguenti confectio etiam spectet ad Pontificem seu Episcopum, & quòd eius confectioni non intersint, nisi ij quibus etiam confectioni Synaxeos licet interesse; ac propterea excludantur Catechumeni, Energumeni, Pœnitentes. Quæ duo expressè docet in eodem ipso cap.4. partim in ipsâ ritus vnguenti descriptione, partim in subiectâ contemplatione. Verba Dionisij sunt hæc: *Ad eundem modum, quo in Synaxi, ordines imperfectorum dimittuntur* [in confectione vnguenti scilicet.] Deinde paulò inferiùs de Pontificis munere ita subdit: *Deinde Pontifex sumptum oleum sancto imponit altari.* Similia rursus habet in Contemplationis progressu, vbi & rursus vocem ἰσοταγὲς vsurpat, ita de eadem vnguenti confectione scribens: *Atque illam diuini Duces nostri velut eiusdem ordinis & efficacitatis cum sancto Synaxeos Sacramento, iisdem vt plurimum imaginibus & mysticis descriptionibus & sacris locutionibus ordinauerunt*, id est, fieri constituerunt. Quæ verba Scultetus, si non tam socors & vecors fuisset, longè plus contra nos facere vidisset, quàm ea quæ attulit. Vt enim apud nos pluris est Eucharistia quàm Baptismus, ita pluris erat Vnguentum conferre cum Eucharistiâ (quod facit Dionysius) quàm cum Baptismo. Verùm peruersæ fidei homo, & à veritate alienissimus, nec illam veritatem vidit, & familiare sibi mendacium sine labore inuenit. Alioqui clamare & vociferari poterat: Ecce qui Iesum Christum in Eucharistiâ præsentissimum dicunt, quò deuenerint? Vnguentum, opus hominis, ἰσοταγὲς Christo faciunt. Ecce hic ipsorum Auctor non ἰσοταγὲς modò, sed etiam ταὐτουργὸν sacræ Synaxi vnguentum facit. Quòd si ταὐτουργὸν, id est, eiusdem efficacitatis, seu idem efficiens, ergo vnguentum perinde ac Synaxis Christum efficit. Potuisset, inquam, homo ille, & secundùm sectam suam debuisset vocem illam ταὐτουργὸν contra Catholicos pro suis Caluinistis allegare, vrgere, inculcare potiùs quàm suum ἰσοταγὲς, quod ideo fortè neglexit interpretari, vt plus in eo latere mysterij homines putarent, quam re verâ sit. Nam si tantùm hoc voluit, quòd in Baptismi Sacramento inter alias cærimonias etiam vnguentum adhibetur, quid hoc magni est? Nec enim vel Dionysius vel Catholici propterea iniuriam Baptismo inferunt, sed honorem potiùs ac venerationem afferunt. Nam eò spectant cærimoniæ rebus additæ, vt res ipsæ pluris fiant, magisque honorentur. Nec enim dicimus aut sine illis Baptismum inefficacem esse, aut illas eamdem cum Baptismo vim habere. (Absit hæc à nobis cogitatio; inuentum enim hominis, Dei constitutioni par non est:) sed dicimus, propter mysticas significationes tam vnguentum quam alias quasdam cærimonias rectè ac meritò quibusdam Sacramentis adhiberi. Quas quidem significationes non existimo vllum benè compositæ mentis ac firmi constantisque iudicij (si illas in ipso Dionysio legerit) posse vllo modo improbare: imò & admiraturum potiùs atque permagni facturum, mihi prorsus persuadeo. Sed ne vox illa ταὐτουργὸν non explicata, erroris cuipiam ansa sit, non eam vim habet, vt dicat id omne ab Vnguenti Sacramento effici, quod ab Eucharistia (sic enim non diuersum, sed idem esset Sacramentum) verùm quòd similes gratias conferat, quòd animum illuminet, roboret, ad cælestium cogitationem, amorem, desiderium exsuscitet.

Vndecima ratio Sculteti: *Libro Ecclesiastica Hierarchia cap.1. præcepit Timotheo, vt non omnibus reuelet sua scripta. Non sunt igitur Apostolica.* Sic ille.

Atqui hoc iam non quæritur, An illa Scripta sint Apostolica necne, sed verùm illa Scripta (qualiacumque sint) Dionysij sint, an cuiuslibet alterius: nam & tu, ô homo plene fallaciâ & dolo, hanc quæstionem post recensitos Dionysij libros sic proposuisti, *An libri recensiti sint Dionysij Areopagitæ*; non verò illam, *An Scripta eius sint Apostolica.* Cur ergo aliud infers quàm quæris? Deinde, quin aliquid concludis quod clarum sit & ambigui expers? Nam vox *Apostolica* ibi est ambigua:

&

& quidem si in primâ & propriâ significatione capis, vt scilicet scripta Apostolica appellentur, quæ ab aliquo Apostolorum scripta sunt, nugas agis, dum refutas quod nemo dicit; hactenus enim fuit nullus, qui illa scripta Apostolorum cuipiam tribueret. Sin ea vocas scripta Apostolica, quæ Apostolorum scripta sint ætate, iniuriam facis Apostolis, cùm & ipsorum ætate nonnulla scripta sint ab hæreticis (contra quos suum Ioannes scripsit Euangelium) quæ sic dici possent & deberent Apostolica. Quid igitur tandem vocas Apostolica? An scripta stilo Apostolico? non audebis hoc dicere, ne videare bis cramben eandem obtrudere. Nam si de stilo hîc agis, prorsus actum agis, & quod primâ ratione proposuisti, reponis vndecimâ. Prima enim tua ratio fuit de stilo patrum Apostolico, quam & nos refutauimus. Sin hoc fortè vis dicere (es enim adiuuandus) non esse scripta spiritu Apostolico, hoc est, fidei & salutis animarum & perfectionis Ecclesiæ cupido (hoc enim ipsum est, opinor, quod intendis, si quid nouum intendis) at neque sic aliud quidquam, nisi crassum & impudens mendacium effutis. Spirant enim certè ea scripta meram fidei & salutis animarum, & perfectionis Ecclesiæ ambrosiam. Id quod viri doctissimi iuxtà & sanctissimi, & qui incorruptum virtutis gustum habebant, amplissimè sunt contestati.

Verumtamen quomodo probas non esse in iis Scriptis spiritum Apostolicum? *Quia*, inquis, *præcepit Timotheo, vt non omnibus reuelet sua scripta.* Imò verò spiritus ibi Apostolicus elucet, dum sic Timotheum admonet, vt ne cum Gentilibus, & aliis nullo adhuc Sacramento initiatis, fidei nostræ altissima mysteria communicet, sed cum solis Christianis, & quidem illustratis; hoc est, baptizatis; quia scilicet, vt rectè ait S. Maximus, *non oportet sancta profanis ostendere, neque margaritas porcis proiicere.* Quid? an hoc Euangelio & spiritui Apostolico non est conforme? Atqui ipse Christus Dominus Matthæi 7. 6. dicit: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos: ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos.* Et sic ita futurum credebat Dionysius, vt si Gentiles aut parum in fide fundati abdita Ecclesiæ nostræ mysteria legerent, ipsi ea tanquam vilia & despicabilia pedibus conculcarent, hoc est contemnerent & irriderent, & in Scriptores ipsos atque in talium doctores insurgerent, ac, si possent, etiam dirumperent. Quare hac vnâ præmonitione contentus, quam initio libri de Ecclesiastica Hierarchiâ adhibuerat, etiam cap. 2. aggressurus sacri Baptismatis cærimonias, productis in medium argumentis & exemplis, ab earum conspectu profanos arcet. Sic enim scribit: *Deinceps verò diuina ex Deo-generationis symbola inspiciamus. Et nemo mihi ad spectandum non initiatus accedat. Nam vt imbecillibus oculis radios solis ex aduerso intueri non caret periculo, sic altiora nobis aggredi non vacat damno.* Quod etiam exemplis è Scripturâ sacrâ prolatis probat, quæ videri illic possunt.

Eadem porrò, quâ Dionysius, cautione vsus est beatus Clemens Alexandrinus libro 1. Stromatum, qui in hoc quoque Dionysium est imitatus, quòd libros suos sponte & de industria obscuriùs scripserit, & celare semina cognitionis, vt idem ipse loquitur, voluerit, & nouis interdum vocibus vsus sit: quò nimirùm & laboriosiùs (vt in venatione) inuenta veritas esset dulcior & gratior; & ab hominum petulantium, qui sancta non capiunt, ludibrio & cauillis remotior atque securior. Nec pigebit paucula Clementis verba indidem laudare, & quasi digitum, quod aiunt, ad fontem intendere. Ea sic habent: *Taceo enim, quòd hi Stromatum libri, è doctrinâ multiplice vnum in corpus coagmentati, celare artificiosè velint cognitionis semina.* Et paulò inferiùs: *Quâ de causâ igitur istos ita visum est componere commentarios? Quia magnum periculum est, hunc sanè quam arcanum veræ philosophiæ sermonem iis enuntiare, qui imparcè quidem volunt omnibus contradicere, idque immeritò; cuncta verò & nomina & verba haudquaquam decenter proiicere, & fallentes semetipsos, & sectatoribus suis illudentes.* Vide ibi plura.

Vocat ibi *veram philosophiam* (sicut & alij SS. Patres Græci) doctrinam Christianam: & *arcanum veræ philosophiæ sermonem* appellat fidei nostræ mysteria: quæ Dionysius appellauit *sancta sanctorum*, initio libri de Ecclesiasticâ Hierarchiâ cap. 1. vbi sic ad S. Timotheum: *Sed vide, vt ne enunties sancta sanctorum.* Vbi notandum, ambos eadem voce ἐξορχεῖσθαι, id est, *tacenda enuntiare*; vsos esse, Dionysium & Clementem, vt hîc videre est.

Idem porrò ipsum, quod in Dionysio reprehendit Scultetus, approbarunt mille & ducentis, priusquam ipse natus esset, annis S. Cyrillus Ierosolymitanus, S. Basilius, S. Ambrosius, & alij. Nam eorum primus ante suas Catecheses non modò eandem præmisit de libris suis cautionem, sed etiam, si fortè quipiam illos exscriberent, ipsam quoque vt exscriberent cautionem seriò commonuit. Hæc sunt eius verba: *Catecheses istas eorum qui illuminantur, accedentibus quidem ad Baptismum, & iis qui iam baptizati sunt fidelibus, legendas exhibens, nullo modo communices cum Catechumenis, neque cum vllis aliis nondum Christianis. Nam alioqui rationem Domino reddes.* Et quidem si transcribas, hæc ipsa, vt in autographo, præpones.

Locus autem Basilij libro de Spiritu sancto cap. 27. est longè pulcherrimus: quem, quòd & alia nonnulla de Baptismi cærimoniis attingat, integrum apponam. *Benedicimus autem & aquam Baptismatis, & oleum vnctionis, &, eum præterea qui baptizatur. E quibus scriptis? Nónne à tacitâ & occultâ traditione? Ipsam porrò olei vnctionem quis sermo scriptus edocuit? Et hominem ter immergi, vnde sumptum? Alia item omnia, quæ circa Baptismum fiunt, vt abrenuntiare satanæ & angelis eius, e quâ Scriptura sunt? Nónne ex illa minimè euulgatâ & arcanâ doctrinâ, quam in quieto & nequaquam curioso silentio illi Patres nostri, veneranda mysteria conseruare cauti, custodierunt? Aut quid magnus ille Moyses sibi volebas, cùm profanos quidem extra sacros cancellos statueres, prima verò atria purioribus permittens, solos Leuitas dignos Dei cultores iudicares; mactationes porrò & holocaustomata & reliquum ministerium Sacerdotibus assignares; vnum è cunctis electum in adyta admitteres, ac ne id quidem semper, sed vnico tantum die quotannis, & illius quoque diei statam horam, quâ illi fas ingredi esset, præscriberes? Nempe vt propter nouitatem & insuetudinem admiratione tacitus Sancta sanctorum inspiceret. Probè enim sciebas, pro eâ quâ pollebas sapientiâ, id quod tritum & cuptu facile est, promptum item esse contemnu: id autem quod reductum est & rarum, naturaliter quodammodo magni fieri & studiosè perquiri. Eodem igitur modo, qui certos Ecclesiarum ritus ab initio præscripserunt Apostoli & Patres, occultatione & silentio suam mysteriis dignitatem seruauerunt. Neque enim omnino est mysterium, id quod in populi & vulgi aures effertur. Atque hæc est ratio traditionis illorum quæ scripto non sunt prodita, vt ne scilicet dogmatum exercita cognitio propter consuetudinem vulgo fieret despicabilis. Nam aliud est dogma, aliud prædicatio. Dogmata enim silentur: prædicationes publicantur. Est autem & quædam silentij species ipsa Scripturæ obscuritas, sententiam dogmatum intellectu difficilem reddens, idque ad legentium vtilitatem.*

Hactenus ille Magnus Basilius, longè sanè aliter, quàm vilis Scultetus, ratiocinans; longè profectò meliùs, quàm Minister Caluinista, sapiens. Nam duo probat, quæ Dionysius in suis libris obseruauit: vnum, ne mysteria euulgaret; alterum, vt stili obscuritate illa communicet. Non opus est quidem in re tam clarâ, tam testatâ, pluribus testimoniis: aliquod tamen è Latinis, ne fortè desideretur, hîc subiicio: nempe S. Ambrosij, e libro De iis qui mysteriis initiantur, cap. 1. *Nunc de mysteriis*, inquit, *tempus dicere admonet, atque ipsorum Sacramentorum rationem edere: quam ante Baptismum si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potius quam edidisse æstimaremur.*

Huc etiam facit (quod pænè præterieram) Septuaginta Interpretum in vertendis ex Hebræo Prophetis affectata, Hieronymo teste, obscuritas. Nam Epistola 137.

A *Vnde conicio*, inquit, *noluisse tunc temporis Septuaginta Interpretes fidei sua sacramenta perspicuè Ethnicis prodere, ne sanctum canibus, & margaritas porcis darent. Quæ cùm hanc editionem legeritis, ab illis animaduertetis abscondita.* Ita Hieronymus.

Et ante hos omnes egregiè Origenes Homiliâ 1. in Ezechielem, *Confiteor*, inquit, *libenter, à sapiente fideli viro dictam sententiam, quam sæpè suspicio:* DE DEO ETIAM VERA DICERE, PERICVLVM EST. *Neque enim ea tantum periculosa sunt, quæ falsa de eo dicuntur, sed etiam quæ vera sunt, & non opportunè proferantur, dicenti periculum creant. Margarita vera est*, &c. Et quia ratio ipsa naturalis docet, quemadmodum non omnes omnium sunt capaces, ita nec omnibus ingeniis omnia scriptorum genera esse committenda aut permittenda (futura alioqui non paucis fraudi, non emolumento) hinc & profani Philosophi, interque illos B Plato & Porphyrius, & alij, dogmata veritatis abstrusiora, vel mysteria magis recondita, in vulgus efferri haud imprudenter vetuerunt. Quare Scultetus in eo quod Dionysium reprehendit, manifestè & contra rationem, & contra omnem Philosophiam, & contra sacram Scripturam facere conuincitur. Ac si argumentum quidem eius valeret, sequeretur, nonnulla quoque S. Pauli dicta, ea nimirum quæ eidem Timotheo cum solis doctis communicanda tradidit, non esse, aut parum certè esse Apostolica. *Quæ audisti*, inquit, *a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.*

Duodecima & postrema Sculteti ratio est ista. *Postremò*, inquit, *prodit se satis manifestè in fine Hierarchiæ Ecclesiasticæ*, vbi inquit: *Sancti Præceptores nostri ex pristina traditione edocti ad nos deriuarunt.*

Et hæc quoque ratio valdè oscitanter ab eo producta est. Debuisset enim Scultetus, & quâ de re ibi sermo C esset aperire, & quo modo verba Dionysij aliter explicari non possent, ostendere; ac denique quàm certò id, quod vellet, concluderetur, commonstrare: quorum homo socors nihil fecit. Agit ergo ibi Dionysius de Baptismo paruulorum, docétque, traditione Apostolorum licere paruulos baptizare. Nec enim dubium, quin, Circumcisione iam ablatâ & abolitâ, quæsitum fuerit ab Apostolis, quid pueris atque infantibus (vt solent multi in tenellâ illâ & rudi ætate intermori) ad salutem facto opus esset; Baptismúsne illis adhibendus, & quo modo: respondisse autem Apostolos, & tradidisse (vti docet Dionysius) illos esse baptizandos, maximè in mortis periculo. Ista autem traditio vocata est ab Auctore nostro ἀρχαία παράδοσις, hoc est, *prima* seu *primigenia traditio.* Nam cum ἀρχαῖος plura significet, eius significationes pro subiecta materia capiendæ sunt. Inter alia verò (quod vel è Lexicis addisci potest) sicut ἀρχὴ *principium*, ita ἀρχαῖος *primum* significat, non modò *vetus* aut *antiquum.* Potest enim aliquid esse primum, nec tamen vetus aut D antiquum; & item antiquum, & non esse primum. Verba igitur Dionysij de Baptismo paruulorum loquentis sunt ista: *De illo hæc dicimus, quæ diuini initiatores nostri à prima edocti traditione ad nos prouexerant.*

Ista porrò verba, *Deiformes* seu *diuini initiatores*; & quæ paulò inferiùs; *diuini duces*, nullis meliùs competunt quàm Apostolis, ac propterea de illis interpretatus est sanctus Maximus in Scholiis ad hunc locum. Possent tamen etiam intelligi de sancto Hierotheo (qui etiam Dionysij præceptor fuit) & de aliis Hierothei æqualibus, seu etiam de Euangelistis Lucâ & Marco, aut de aliquibus è numero septuaginta duorum discipulorum, è quibus citat Dionysius sanctum Iustum cap. 11. de Diuinis nominibus. Vnde & sanctus Maximus beati Dionisij colligit antiquitatem.

Si igitur per illos diuinos duces & initiatores intelligantur Hierotheus, Iustus, Antipas, & similes, rectissimè dicentur illi à primâ traditione edocti, hoc est, à traditione Apostolorum: nec opus erit ad Christum vsque recurrere. Sin ipsi intelligantur Apostoli, tum edocti dicentur à primâ traditione, hoc est, à Christo, qui ipsos E post resurrectionem suam, vt de multis aliis, sic & de Baptismo plenè edocuerit. Nam traditio non de rebus tantùm antiquis dicitur, sed etiam de nouis: ita vt noua Christi præcepta & documenta Apostolis tradita, illo etiam ipso tempore quo tradebantur, rectè vocarentur traditiones. Vnde & Paulus 2. Thessal. 2. 14. *Itaque fratres*, inquit, *state & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Quæ quidem traditiones non poterant esse tam antiquæ, quam illæ de quibus loquebatur Dionysius.

Hactenus de Sculteti obiectionibus. Nunc ad alia quædam quæ ab aliis opponuntur aut opponi possunt, nonnihil attendamus.

Dicunt ego nonnulli, parum probabile videri, tempore sancti Dionysij Areopagitæ, qui conuixit Apostolis, tantam fuisse cærimoniarum in Ecclesiâ multitudinem, quanta ab auctore horum librorum adducitur.

F Quibus ego respondeo, non satis videri ab illis examinatum esse atque perpensum, neque numerum earum cærimoniarum, neque qualitatem; imò nec Apostolorum circa illas officij debitum atque curam. Nam ad eos certè spectauit, abolitis veteribus sacrificiis atque ritibus & cærimoniis, alia sacrificia, ritus & cærimonias vel à Christo instituta procurare vt fierent, vel suæ relictâ dispositioni, præsertim quod ad ritus cærimoniasque attinet, instituere. Nec enim tam benè constare, tamque fieri res sacras absque cærimoniis, quàm cum illis, tam ex ipso vetere Testamento, quàm ex Spiritùs sancti vnctione (qui ipsos omnia docuit) probè didicerant. Et de earum multitudine quid frustrà & immeritò arguimur? cum numero ferè innumero plures in veteri Lege per vnum Moysen, quàm in nouâ per duodecim quatuordecimve Apostolos constitutæ sint. Neque tamen illum tam familiariter cum Angelo versatum esse crediderim, quàm hos cum Christo: neque tantâ item Spiritùs sancti G gratiâ, quàm eosdem, fuisse perfusum.

Adde porrò, eas cærimonias, quæ à Dionysio descriptæ sunt, esse numero perpaucas, & aliquorum dumtaxat Sacramentorum, non omnium, & eas quidem, vt illis initiis, perbreues & persaciles: vt Venerabilis Eucharistiæ, & sacrorum Ordinum; quibus non paucæ postmodum à variis Pontificibus seu Episcopis diuersorum locorum additæ sunt, quemadmodum in pluribus sanctorum Antistitum Liturgiis & Ritualibus libris videre est.

Denique omnes à Dionysio recensitos ritus (nam contemplationes, siue eorum explicationes, ab iis secernendæ sunt) facilè vel vno foliolo comprehenderis. Nam Baptismi quidem ritus duas dumtaxat pagellas implent; Eucharistiæ verò, vnicam; Vnctionis autem, vix ac ne vix quidem mediam: trium porrò Ordinum, Episcopi, Sacerdotis, & Diaconi, mediam tantùm; consecrationis Monachi, nihilo plus; ritus exequiarum, tantumdem: H ita vt quinque pagellis omnes à Dionysio prolatas cærimonias, de quarum interim multitudine tot passim iactantur conuitia, nullo negotio concluseris. Nec enim alias aut cærimonias aut ritus, præter ea quæ commemoraui, liber ille Dionysij continet. Atque vt ad ipsarum qualitatem cærimoniarum veniamus, atque à Baptismo ordiamur, earum quidem sanè, quæ præ aliis recentes videri possent, antiquissimi Patres meminerunt, nempe abrenuntiationis, exorcizationis, exsufflationis, vnctionis, & pro infantibus etiam sponsionis: hæc enim ferè sunt quæ hæretici contemnunt, irrident, cauillantur; & quibus probatis, velint, nolint, causâ cadunt.

Audiatur ergo Tertullianus, quid de abrenuntiatione & de quibusdam aliis Baptismi referat cærimoniis. Libro de Coronâ militis, cap. 3. *Denique*, inquit, *vt a Baptismate ingrediar: Aquam adituri, ibidem, sed & aliquanto prius, in Ecclesiâ sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo & pompæ & angelis eius. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes quam Dominus in Euangelio determinauit: inde suscepti, lactis & mellis concordiam prægustamus*, &c. Audiatur & Origenes

Homilia 12. in Numeros. *Recordetur*, inquit, *vnusquisque fidelium, cùm primùm venit ad aquas Baptismi, cùm signacula fidei prima suscepit, & ad fontem salutaris accessit, quibus ibi tunc vsus sit verbis, & quid renuntiauerit diabolo, non se vsurum pompis eius, neque operibus eius*, &c.

Si plures libet audire, adeantur isti, Cyrillus Ierosolymitanus Catechisi mystagogicâ primâ, Basilius Magnus libro de Spiritu sancto, cap.27. Ambrosius libro 1. de Sacramentis, cap.2. & lib.2. cap. 7. Chrysostomus Homiliâ 21. ad populum Antiochenum, Hieronymus in cap.6. Amos, Augustinus l. 1. de Symbolo ad Catechumenos, cap.1. & alij.

Quia verò beati Cyrilli verba doctrinæ & verbis sancti Dionysij Areopagitæ admodum sunt conformia, non pigebit illa hic referre. Sic igitur habent: *Primò ingressi estis in porticum domus baptisterij, & stantes versus Occidentem audistis & iussi estis manum extendere, & tanquam præsenti abrenuntiare satanæ.* Vide ibi plura de verbis abrenuntiationis, & de conuersione ad Ortum, & pronuntiatione Symboli, & aliis, quæ omnia doctrinam sancti Dionysij veram & Apostolicam confirmant.

De exorcizatione & exsufflatione, quæ pariter & iunctim procedunt, eadem est ratio, idem SS. Patrum sensus, idem iudicium. Vide eumdem Cyrillum in Procatechesi, siue Præfatione ante Catecheses, & priorem illo S. Cyprianum epist.76. ad Magnum, de baptizandis Nouatianis, sub finem, & Nazianzenum Oratione. In sanctum lauacrum, & pro multis vide sanctum Augustinum libro 6. Contra Iulianum, cap.5. *Ecclesia*, inquit, *filios fidelium non exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum & à principe mortis erueret. Quod in libro meo, cui velut respondes, à me positum est: sed id in commemorare timuisti, tanquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi, quâ princeps mundi & à paruulis eiicitur foras, contradicere voluisses.* Quâ sententiâ etiam Scultetus sanè iudicatur exsufflandus.

Vide eumdem Augustinum libro 2. ad Valerium cap.17. sed præcipuè cap.29. vbi exorcizandi & exsufflandi cæremonias docet esse in Ecclesiâ antiquissimas. *Neque enim*, inquit, *ex quo esse cœpit Manichæi pestilentiosa doctrina, ex illo cœperunt in Ecclesia Dei, paruuli baptizandi exorcizari & exsufflari.* Quasi dicat, sed multis retrò sæculis, cùm prima origo nisi ex Apostolicâ traditione ostendi possit. Et paulò inferiùs ibidem post citatum Cyprianum & Ambrosium, sic ait: *Hos iste audeat dicere Manichæos, & antiquissimam Ecclesiæ traditionem isto nefario crimine aspergat, quâ exorcizantur, & vt dixi, exsufflantur paruuli, vt in regnum Christi à potestate tenebrarum, hoc est, diaboli & angelorum eius erui, transferantur.*

Iam de vnctione in Baptismo multi quoque veterum Patrum meminerunt: è Græcis quidem S. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi mystagogicâ 2. & 3. Chrysostomus Homiliâ 6. in Epist. ad Colossenses, & alij: è Latinis autem Tertullianus lib. de Baptismo, cap.7. Ambrosius lib. 1. de Sacramentis, cap.2. Augustinus Serm.206. de Tempore, & alij.

Verba Cyrilli: *Deinde exuti, oleo peruncti estis exorcizato, à summis capitis capillis, vsque ad ima.*

Verba Chrysostomi: *Vngitur, vt athletæ stadium ingressuri.* Et paulò pòst addit, baptizandum aliter, quàm olim Sacerdotes, vngi; eò quòd baptizandus vngatur per totum corpus, illi autem tantùm in capite, & aure dexterâ, & manu.

Tertulliani verba: *Exinde digressi de lauacro perungimur benedictâ vnctione de pristina disciplina, quâ vngi oleo de cornu in Sacerdotium solebant.* Alia testimonia omitto, vt quæ cunctis in promptu.

De Sponsoribus autem idem Tertull. libro iam citato cap.18. *Itaque*, inquit, *pro cuiusque personæ conditione ac dispositione, etiam ætate, cunctatio Baptismi vtilior est; præcipuè tamen circa paruulos. Quid enim necesse est, si non tam necesse, sponsores etiam periculo ingeri? qui & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & prouentu malæ indolis falli*, id est, cùm tanta non sit necessitas accelerandi paruulorum Baptismum, & is differri possit, nullo scilicet vrgente mortis periculo; quid necesse est eorum sponsores seu susceptores periculo obiici, ne cùm pro illis spoponderint, fidem non seruent, nec eos, vt promiserunt, instituant, curámque salutis ipsorum gerant?

Post Baptismi ritus in medio positos & mysticè declaratos aggreditur Dionysius cap.3. ad ritus Eucharistiæ seu sacrificij. Sunt autem hi quoque multi, nec ab illo æuo alieni: cùm & ab aliis antiquissimis Patribus eorum fiat mentio, vt iam antè vsuatorum, non autem vt recentissimè vsurpatorum. Vixit S. Iustinus Philosophus & Martyr secundo Christi sæculo, & istorum rituum in Apologiâ ad Antoninum Pium Imper. & filios commeminit. Edidi illos Græcè & Latinè ad eius Vitam; quare hîc omitto.

Sed Scultetum, verbis Dionysij contra ipsum Dionysium & matrem Ecclesiam improbè abutentem, quin suismet ipsum armis confodiam, omittere non possum. Certat enim ille ex eodem cap.3. libri de Ecclesiasticâ Hierarchiâ deducere, Christum non esse verè præsentem in venerabili Eucharistiâ, sed tantùm figuratè & symbolicè, & his vtitur verbis: *Quisecumque autem Dionysius iste fuerit, antiquus fuerit necesse est: quod ipsa Ecclesiasticæ ordinationis forma docet, in quâ illud obseruatione dignum, quam Ecclesia orthodoxa* [sic honorat suam Caluini synagogam Minister Caluinisticus] *de Eucharistiâ sententiam tuetur hodie, etiam Dionysij huius ætate, citra controuersiam, Apostolicam fuisse iudicatam.*

Dicit ergo Scultetus, Dionysium esse antiquum auctorem: nec hoc tantùm, sed etiam id, quod de Eucharistiâ docet, citra controuersiam esse traditionem Apostolicam. Concedo illi vtrumque & perlibenter. Verùm quòd eamdem vult esse suam & Dionisij doctrinam, id sine pugnâ non conceditur: imò & stat occumbere potiùs, quàm concedere. Quamuis autem nullum hic a tam leuibus & plumeis (non enim dicam plumbeis, licet sint absque acumine) telis ac sagittis, velut puerili emissis manu, vel minimi vulneris sit periculum, nedum grauis plagæ aut mortis; tamen ne aliquid effecisse videantur, eorum propalabo vanitatem.

Igitur telum eius primum, siue argumentum est hoc: *Totam actionem cœnæ sacræ nominat* (Dionysius) *sacram actionem symbolicam*, ergo non est ibi præsens Christus.

Respondeo, Dionysium in ipso initio capitis tertij de Ecclesiasticâ Hierarchiâ agere de appellatione huius Sacramenti, & totius actionis, & dicere, vocari illam *Communionem & Synaxin*, & quidem eius appellationis rationem reddere, ac nullis frequentiùs quàm istis in hac materiâ vti vocabulis: semel dumtaxat, idque extremo illo capite, appellare, *sacram actionem symbolicam*; quo pacto vocatur omnis actio, quæ non est clara & euidens, sed tecta signis aliquibus, ita vt videri & intelligi absque fide aut signorum explicatione non possit. Quarum actionum aliquæ sunt purè symbolicæ, aliæ mixtæ: Purè symbolicæ sunt, quæ in se non continent id quod significant. Mixtæ autem sunt, quæ continent id quod significant. Itaque confectio huius Sacramenti est symbolica mixta, continens scilicet id quod significat, siue constans symbolis & signis, sed veritati coniunctis; veritati inquam, hoc est, Christo. Hinc & signa ipsa, quæ integrum vnà cum Christo subtus delitescente Sacramentum constant, vocat Dionysius, ipso fatente Sculteto, *vestimenta symbolicè Christo circumposita.* Cedò igitur iam Scultete: Ista vestimenta in illâ sacrâ actione, præsentiáne sunt, an non? Præsentia, inquis. Et Christo etiam circumiecta, an non? Iam, inquis, confessus sum. Benè habet. Igitur & Christus est præsens. Nec enim, si præsentia vestimenta cuipiam circumiecta coram spectentur aut circumposita, alteri quàm præsenti circumiecta esse possunt. Fateri, inquis, necesse est. Quare ergo huic nostræ doctrinæ tuis in scriptis contradicis? cur non relictâ cœnulâ tuâ è solo pane & vino, ad magnam

cœnam

cœnam inuitatus accedis? *Homo* enim *quidam fecit cœnam magnam, & inuitauit multos.* Verum illud quidem, ais, sed ego vxorem duxi, & propterea non possum venire. Quomodo venire non potes? Ad siccum panem venire potes, ad Agnum non potes? Nescis, quòd repletio panis pessima, esus autem Agni optimus? & illius Agni, qui tollit peccata mundi? & illius Agni, qui dicit: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.*

Sed ad Dionysium redeamus, qui non modò per verba superiùs posita indicat, in illo Sacramento præsentem esse Christum, sed etiam per inuocationem illius, tanquam ibi præsentis, certum id & exploratum facit. Verba enim eius sunt hæc: *Sed ò tu diuinissimum atque sacro-sanctum Sacramentum, circumiacentia tibi symbolicè ænigmatum velamenta detegens, perspicuè nobis ostenditor, & mentis nostræ oculos singulari atque inoperta luce perfundito.* Quæ inuocatio, si solus ibi esset panis, sine vita, sine sensu, sine intelligentiâ (vt Scultetus & Caluinistæ volunt) sanè per quam aliena & inconueniens foret: secundùm nos autem, qui Christi in eo mysterio præsentiam agnoscimus & docemus, aptissima est & conuenientissima. Quæ Christi præsentia etiam sub eiusdem capitis tertij finem confirmatur, vbi Dionysius postquam egit de diuisione ac distributione Sacramenti, quæ fit à Pontifice, tum ita subdit: *Describit enim in his, modo quodam sensibili sub aspectum adducens Iesum Christum, spiritualem nostram velut in imaginibus vitam,* &c. Sic superiùs in descriptione ipsius consecrationis dixerat: *Et postquam sacras Dei actiones laudauit Pontifex, conficit diuinissima. & sub aspectum ducit iam laudata, per sanctè proposita symbola*, id est, postquam memorauit quod Dominus in vltimâ cœnâ gessit, siue postquam hæc aut similia verba, Christi actionem referentia, pronuntiauit: *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & eleuatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens: Accipite, & manducate ex hoc omnes*, tum conficit diuinissima, id est, consecrat, siue, verba ista consecrationis pronuntiat: HOC EST ENIM CORPVS MEVM. *Et sub aspectum ducit iam laudata*, id est, Hostiam consecratam ostendit populo, siue Christum, seu Christi corpus, *per sanctè proposita symbola*, id est, per apparentes & externas Sacramenti species (nec enim Christus nisi mediâ hostiæ consecratæ albedine conspicitur) spectandum populo exhibet. Et hunc esse sensum, patet ex eo, quòd ista subobscuriùs dicta, ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνηθέντα διὰ τῶν ἱερῶς προκειμένων συμβόλων, postmodum in ipsâ Contemplatione seu Expositione clariùs & breuiùs explicat istis verbis iam suprà positis: Αἰσθητῶς ὑπ' ὄψιν ἄγων Ἰησοῦν Χριστόν. *Sensibiliter sub aspectum ponens Iesum Christum. Sensibiliter*, id est, per signa sensibus obiecta; sub quibus signis, vti velamentis aut vestimentis, subsistit Christus.

Vrget denique SculteTus, panem & vinum vocari à Dionysio σύμβολα, εἰκόνας, & alia eiusdem sortis, sicque nihil aliud quàm aërem verberat. Cùm autem vult intelligi, nihil in Sacramento esse aliud quàm panem & vinum, ac pro suâ peruersâ opinione Maximum & Pachimeram citat, improbè profectò ac perfidè se gerit, vt clarè ostensum venio. Dicit igitur: *Et consentiunt hoc loco fidelissimi interpretes Dionysij* (vtinam autem eorum sequeretur fidem, quos appellat fidelissimos!) *Pachymeras Paraphrastes & Maximus Scholiastes, Græcus vterque. Sic enim Maximus cap. 3. Eccles. Hierar.* Σύμβολα ταῦτα, καὶ οὐκ ἀλήθεια.

Respondeo, verum esse, illa verba habere S. Maximum, sed longè aliu sensu quam velit Sculteus. Nam dicit illa signa, quæ tantùm extrinsecus parent, signa esse & non veritatem: quod & nos dicimus. Illa enim quæ extrinsecus patent, signa tantùm sunt & non veritas: sed quod sub signis est, veritas est, & non signum: Christi caro est, & non panis; Christi sanguis est, & non vinum.

Et quia Scultetus caninâ inuerecundiâ Pachymeræ ausus est mentionem facere, proferam viri verè Catholici verba, quæ habet in mysterio Synaxeos proximè ante Θεωρίαν siue Contemplationem. Sunt igitur hæc: *Et multi quidem ad sola diuina respiciunt signa, tanquam nihil valentes intelligere sublimius: at verò Pontifex ad ipsa prototypa, ipsum Domini pretiosum Corpus & Sanguinem erigitur, credens ea, quæ proposita sunt, in illa esse transmutata, virtute sancti & omnium opificis Spiritus.* Ecce igitur Pachymeras, diligentissimus, ipso teste Sculteto, Dionysij interpres clare & apertè dicit *proposita*, hoc est, panem & vinum, in pretiosum Domini Corpus & Sanguinem esse transmutata. Quare vnum alterutrum fuisse in Sculteto necesse est, aut cæcitatem mentis admirabilem, si ista non vidit; aut impudentiam intolerabilem, si vidit: Quippe qui tam manifestè Auctorem contra se facientem pro se citauerit.

Quanta porrò illi homini fides habenda sit, vel hinc eius addiscant discipuli.

Ex eâdem cæcitate & furore in Romanam Ecclesiam, post illa S. Maximi verba, *Nota, quòd non solum sanctus panis obtectus proponebatur, sed & diuinum poculum, quod iam non fit*: hæc subiunxit Scultetus: *Cur vero*, inquit, *Maximi tempore idem non fiebat? Nimirum quia Mikrugus Antichristi iam Sedem Romanam occupauerat.* Sic ille. Quasi verò res Catholicæ in eo consistant, vt vel hoc vel illo modo calix in altari proponatur, obtectus aut non tectus. Quid hoc ad substantiam facit Sacramenti? Cærimonias enim, quæ sunt præter substantiam & necessitatem, quis nescit (nisi valde stupidus sit & excors) sine vllo salutis & fidei incommodo non tantùm mutari & variari, sed etiam omitti ex Pontificum & Episcoporum dispositione & prudentiâ posse? Sed nimirum Sculteto nimis malè affecto bilis egerenda erat. Vtinam tota egesta sit, & viuat!

Nunc pro corollario in gratiam Theologorum ponam in medio, quàm variis modis hoc venerabilis & sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramentum efferatur à sancto Dionysio Areopagitâ, cap. 3. Ecclesiasticæ hierarchiæ.

NOMINA
VENERABILIS EVCHARISTIÆ
apud Dionysium Areopagitam.

Sacramentum sacramentorum.
Sanctissimum Sacramentum.
Diuinissimum & S. Sacramentum.
Diuinum Synaxeos sacramentum.
Synaxis,
Communio.
Sacrorum communio.
Diuinissima communio.
Diuinissima mysteria.
Diuinissima Eucharistia.
Diuinissima, absolutè.

Ipsa autem actio sacra seu consecratio vocatur ibidem, *diuinorum supermundana operatio* seu *rei diuina caleste sacrificium*; *& longè sanctissimum sacrificium*; *& sacra actio symbolica*, vt suprà exposui. Atque ista de hoc Sacramento, eiusque ritibus satis,

Proximum illi apud Dionysium iungitur mysterium ritus vnguenti, quod mediâ pagellâ continetur, & meram sapit antiquitatem. Vide illud inter Documenta nostra, & dignate eo esse contentus. Nihil enim peculiare video contrà obiici, præter id quod decimâ Ratione ab Abrahamo Sculteto obiectum, atque in eius caput directè retortum est, vt suprà videri potest. Transeo igitur ad caput 5. Dionysij, De sacris ordinibus. Ritus ergo qui de illis à Dionysio traduntur, tam breues, tam simplices & tam concinni sunt, vt apertè clament, atque etiam conuincant ab Apostolorum se esse temporibus. Episcoporum ibi dumtaxat & Sacerdotum & Diaconorum fit mentio, & horum quidem singulorum Ordinum succincta ordinationis forma traditur, quæ

hodiéque

hodiéque à Græcis Catholicis obseruatur, & in ipsâ vrbe Româ ac primæ sedis conspectu etiamnum (vt mihi testes oculati narrarunt) vsurpatur. Hinc nihil contra productos ibi ritus neque à Catholicis neque ab hæreticis immurmuratur. Itaque nulla hîc mora. Progredimur vlteriùs.

Duo nunc tantùm restant capita, quorum prius est de Monachis, alterum de exequiis. Et contra has & contra illos armantur hæretici. Pro vtrisque igitur pugnandum singillatim.

De Monachis tempore S. Dionysij Areopagitæ, qui qualésve fuerint.

VNde nonnulli Scripta sancti Dionysij infirmare se posse arbitrati sunt, inde ego illa confirmare, & propria suo auctori facere quàm maximè spero. Nam illi errore sanè abrepti sunt, rati tales ibi Monachos memorari, quales vel olim in siluis & montibus, vel nunc in cœnobiis & monasteriis cerni solent. Non ita res se habet. Magnum inter vtrosque est discrimen. Et valdè à vero decerrauit Iosephus Scaliger, cùm existimauit Dionysium de eremitis aut cœnobitis, quales Pauli Antoniive sæculo fuerunt, sermonem facere. Vnde & aërem verberat, cùm hæc scribit in Elencho: *Ante Paulum nullus eremita fuit, nulli κοινόβιοι μονάζοντες in Christianismo. Eos sanè non tacuissent, quotquot à Iustino Martyre viri Ecclesiastici ad Cyprianum vsque scripserunt. Neque tot examina Monachorum potuerunt esse, quin (vt Tertullianus loquitur) aliquam contesserationem cum Ecclesiis atque Episcopis haberent. Denique multa de illis apud Scriptores Ecclesiasticos testimonia extarent. At nulla extant. Et vetustissimus Scriptor Tertullianus satis aperit, suo æuo nullos eremicolas fuisse. Non sumus, inquit, siluicolæ & exules vitæ. Monachatus igitur ignotum vitæ propositum prisco Christianismo.* Ita ille. Quibus ex verbis satis intelligitur, eum confundere eremitas & cœnobitas Antonianos aut similes, cum Monachis & Therapeutis sancti Dionysij, ac proinde valdè oscitanter legisse Dionysium, nec discrimen vllum expendisse. Dionysius enim de eremitis & cœnobitis ne μῦ quidem. De monachorum item examinibus nullam cum Episcopis contesserationem habentibus ne verbum. Immò verò docet, Monachos populi vrbani partem fuisse: docet, à Sacerdotibus erudiri & consecrari solitos: docet, perfectioris vitæ Episcoporum, suâ pietate ac sanctimoniâ, æmulatores extitisse: docet, Monachos dictos, non quòd soli habitarent, sed quòd vitam singularem & curarum terrenarum expertem (quà quidem fieri posset) vnique Deo intentam agitarent: docet, dictos etiam, *Therapeutas à puro Dei famulatu & cultu appellatos.* Atqui tales Monachi, qui pars populi essent, & inter laïcus recenserentur & degerent, qui non tantùm Episcopis, sed etiam Sacerdotibus subessent, qui vel priuatim in ædibus suis, vel communiter in Collegiis vitam puram & castam ducerent, quibus denique in templo primus inter laïcos locus & ordini Ecclesiastico proximus esset assignatus (vti ex Epistolâ ad Demophilum liquet) tales, inquam, Monachi, neque Antonij tempore, neque pòst leguntur extitisse; itaque priùs. Atque ex hoc ego fortissimum duco argumentum pro libris Dionysij: quòd scilicet illorum meminerit Monachorum, de quibus tertio sæculo, & post illud nulla deinceps facta fit mentio: nempe quia primo tantùm & secundo illud viguerit institutum. Vnde autem sumptum? Certè ex Euangeliorum & ex Apostolorum epistolis: vbi vitæ Christianæ perfectio continetur & commendatur, siue, cùm Christus quærenti de vitâ æternâ adolescenti respondit: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni, sequere me.* Et cùm discipulis dixit: *Sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.* Siue cùm Paulus ad castimoniam adhortans ait: *Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* Ex illo enim tempore, velut audito perfectionis vitæ classico, & Apostolicâ castitatis tubâ cunctorum auribus insonante, plurimi ad castimoniam & vitæ puritatem à sæcularium negotiorum tumultu secretam adspirauere. Quam qui externo habitu & professione certam faciebant, Monachi vel cultores appellabantur; alij autem tantùm cœlibes. Et horum quidem cœlibum in vtroque sexu non paucorum meminerunt secundi sæculi Scriptores, vt notaui ad Vitam S. Iustini Philosophi. Priorum autem, siue Monachorum (quia scilicet nihil Gentilium intererat, contra quos scribebant, eos nosse vel tales ritus scire) non meminerunt. Nam satis habebant ostendere, Christianos non esse impuros & incestos, quemadmodum ipsi eos criminabantur. Ritus autem consecrandi Monachum, vt illo tempore, hic est: Sacerdos ante altare certas precationes pro consecrando, qui post illum tectus stat, ad Deum spargit: quibus finitis, ad eum, qui consecrandus est, conuersus petit, an rebus & curis sæcularibus nuntium remittat? oportere enim ipsum vitam reliquo populo perfectiorem instituere: quod professum formâ Crucis signat, tondétque Inuocatâ sanctissimâ Trinitate, & veteri exutum veste, nouâ induit, salutat, & cum illo alij viri sacri, ac postremo sacrâ communione donat.

Matt. 19. 21.

1. Cor. 7. 32.

En omnis ritus, propter quem, quasi illo sæculo recentiorem, tantæ scilicet aduersus scripta Dionysij turbæ concitandæ sunt. Quid verò vnum in his, quæ dicta sunt, assignari potest, quod ab initio non fuerit, aut esse non debuerit? An non oportuit eos, quibus inter congeneres laïcos virtute excellendi studium fuit, quò & aliis prælucerent, ac velut faces ad sui imitationem accenderent, aliquo extrinsecus habitu & instituti sui demonstratione distingui? Nam & propterea variorum temporum ad hanc vsque ætatem successu, tot ac tam varij & habitu, & moribus & regulis distincti hominum religiosorum Ordines, non modò ad Ecclesiæ splendorem atque ornamentum, sed ad eiusdem permagnam quoque vtilitatem suscitati sunt. Quòd si bonum fuit, aliqua in populo velut luminaria collucere, atque ab aliis distingui; vbi meliùs magisque in promptu formari ea distinctio potuit, quam & in attonsione comarum (in quibus, præsertim apud Athenienses, apud quos primæ & antiquissimæ nobilitatis per implexas crinibus aureas cicadas arrogatæ, signa futilis eminebant) & in pompæ luxusque vestium depositione, vbi ferè hominum terrena & caduca sectantium vana se iactat insolentia? Ritus autem & cærimoniæ, quas Dionysius Athenis natus, & Athenis datus Episcopus refert, ibi potissimùm aut natæ aut corroboratæ meâ quidem sententiâ videntur. Accepisse enim à Paulo & Hierotheo, qui ibi prædicauerunt, & quos καθηγεμόνας, id est, duces suos & præceptores appellat, crediderim. Adde cærimoniam tonsionis siue rasionis è vetere Testamento, sicut alias nonnullas, videri deriuatam: sed causam & significationem esse eam, quam hic profert in Contemplatione Dionysius hisce verbis: *Capillorum autem detonsio puram nec fucatam vitam declarat, non fictitiarum figurarum adiectione deformitatem mentis adornantem, sed ipsam in seipsâ, non humanâ, sed singulari & vnicâ pulchritudine, ad id quod diuinissimum est, adducentem.*

Num. 6. 14.

Nota item, de simplici tunsione loqui hîc Dionysium, non de tonsurâ, vt iam loquuntur, clericali aut monachali in coronæ modum, tametsi illa etiam antiqua (vnde & antiquitas horumce Scriptorum intelligitur), & per verba illa, *fictitiis figuris*, & *adiectione*, prorsus videri respicere ad comas Atheniensium, quas adiectis, vt dixi, aureis cicadis adornabant. De quibus cicadis ago pluribus in Notationibus ad Vitam sancti Hierothei. Ad vestis porrò mutationem quod attinet, ex imitatione descendit cærimoniarum Baptismatis; vti eodem loco insinuat sanctus Dionysius, dum sic scribit: *Prioris autem vestis abiectio & alterius assumptio traductionem significat à media sacra*

vitâ ad perfectiorem. Quemadmodum in sacrâ regenerationè vestis mutatio, vita, quæ expiabatur, subuectionem ad statum contemplationis & illuminationis demonstrabat. De tonsione denique Monachorum, siue eorum, qui perfectius ac sanctius viuendi genus profiterentur, quod dixi è vetere Testamento deriuatum, habeo mihi patrocinantem Isidorum Hispalensem Episcopum, lib. de Diuinis officiis, vbi hæc scribit: *Tonsura Ecclesiastica vsus à Nazaræis, ni fallor, exortus est, qui prius crine seruato, denuò post magnam vitæ continentiam, deuotione completâ, caput radebant, & capillos in ignem sacrificij ponere iubebantur, scilicet vt perfectionem deuotionis suæ Domino consecrarent. Huius ergo exempli vsus ab Apostolis introductus est: vt qui diuinis cultibus mancipati Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est, sancti Dei crine præciso innouentur.* Vide ibi plura. Neque viris tantùm fuit ille resecandorum crinium mos vsitatus, sed etiam fœminis, iis nimirum, quæ rebus sæculi nuntium remittentes, sese Deo deuouerent, idque primis sæculis, & ante beati Hieronymi tempora. Cuius moris in Syriâ & in Ægypto vsurpati meminit idem Hieronymus Epist. 48. ad Sabinianum. *Moris est*, inquit, *in Ægypti & Syriæ Monasteriis, vt tam virgo, quam vidua, quæ se Deo vouerint, & sæculo renuntiantes, omnes delicias sæculi conculcarint, crinem monasteriorum Matribus offerant desecandum.*

Atque vt ostendamus, Magistri & discipuli, hoc est, Pauli & Dionysij documenta tam inter se, quàm cum Christi ipsius, vt supremi omnium Magistri, doctrinâ concordare, obseruandum est ex illorum dictis duplicem colligi iustorum, etiam laicorum, vitam: vnam indiuisam & vni Deo adhærentem, alteram diuisam & in varia distractam; & vtriusque quandam velut imaginem in illis Christi verbis repræsentatam: *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.* Ita vt in Marthâ designetur vita diuisa & sollicita curisque externis distracta, quæ & actiua solet appellari; in Mariâ autem simplex & indiuisa, & vni illi, quod est necessarium, intenta: & hæc est, quæ caret sollicitudine, & contemplatiua dicitur. Ad hanc posteriorem hortatur Paulus, cùm dicit: *Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.* Quibus in verbis illam denuntiat vitam, quam Dionysius eius discipulus vocat *indiuisam & singularem vitam*, eò quòd scilicet ad diuinam vnitatem & Deo gratam perfectionem deducat (vt ibidem declarat) & quasi vnum cum Deo faciat. Cùm autem subdit idem Paulus, *Qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est*, vitam significat diuisam & imperfectiorem, tanquam in multa distractam. Posteaquam igitur plures Pauli consilium secuti sunt viri feminæque, tum distingui eorum ordo, tanquam perfectior, à cæteris laicis, & vtrorumque paulatim instituti collegia, tam Monachorum quàm Virginum, cœpta sunt. Vnde & initio secundi sæculi (quo tempore superstes adhuc erat Dionysius) Virginum (quod Philippis in Macedoniâ erat) collegium salutat beatus Martyr Ignatius. In Epistolâ enim ad eos missâ sic scribit: *Saluto collegium Virginum.* Et in Epistolâ ad Heronem Diaconum, dum salutari iubet Mariam, pudicissimam fœminam, &, quæ in domo illius est, Ecclesiam, probabile est eum intelligere cœtum Virginum, cuius illa fuerit moderatrix. De illâ Mariâ pluribus ago in Notationibus ad Epistolam quæ ab Ignatio ad illam missa est. Sicut ergo Virginum, ita & Monachorum fuisse cœtus seu collegia, minimè à vero alienum est, sed in vrbibus primùm, & quæ ab Episcopis & Presbyteris dependerent, vt è Dionysio patet.

Quare quod Scaliger è Tertulliano contrà afferebat, dicente, *Non sumus siluicolæ & exules vitæ*, nihil aduersum nos, nihil aduersus Dionysium facit: cùm is de Monachis intra vrbes habitantibus agat. Et tamen, quamvis etiam de Monachis in eremo degentibus egisset Dionysius, nihil contra nos propterea Tertulliani locus faceret. Agit enim ille de totâ natione Christianâ, quam dicit non vitare vrbes, non forum, non publicum, non commercia, &c. quod etiam nunc verum est, licet non pauci in eremo & solitudine degant. Sic sanctus Basilius Magnus, licet suâ ætate permultos sciret esse Monachos, seque adeò ex ipsorum aliquando fuisse numero, negat tamen hominem esse animal monasticum, hoc est, ex genere & naturâ suâ solitarium, sed ciuile & sociale: quemadmodum de Christianis Tertullianus antè dixerat. Basilij verba in Regulis fusiùs disputatis, responsione ad interrogationem 3. sunt hæc: *Quis igitur nescit hominem esse animal mite & sociale, ac minimè solivagum, minimeque agreste?* Ex quo loco si quis vellet contendere, non fuisse sancti Basilij temporibus Monachos, an non meritò ridiculus censeretur? ita & qui è loco Tertulliani. Eius enim ibi scopus non erat alius, quàm vt homines Christianos non esse reipub. inutiles comprobaret. Quod vt pateat, verba eius, vel quòd elegantia sint, apponam. Sic igitur in Apologetico cap. 42. *Sed alio quoque iniuriarum titulo postulamur, & infructuosi in negotiis dicimur. Quo pacto homines vobiscum degentes, eiusdem victus, habitus, instructus, eiusdem ad vitam necessitatis? Neque enim Brachmanæ aut Indorum Gymnosophistæ sumus, siluicolæ, & exules vitæ. Meminimus nos gratiam debere Domino Deo creatori. Nullum fructum operum eius repudiamus; planè temperamus, ne vltra modum aut perperàm vtamur. Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris, cæterisque commerciis cohabitamus in hoc sæculo. Nauigamus & nos vobiscum, & militamus, & rusticamur, & mercamur: proinde miscemus artes, opera nostra publicamus vsui vestro. Quomodo infructuosi videamur negotiis vestris, cum quibus & de quibus viuimus, non scio.* Ita ille.

Quæ omnia non modò tunc vera erant, cùm longè pauciores, quàm posteà, essent Monachi eremicolæ, sed etiam nunc, cùm plurima in siluis & montibus examina sunt Monachorum, verissima censeri possunt. Quota enim est ista portio, quæ in siluis est, ad cæteros Christianos? De talibus tamen, vt dixi, non loquitur Monachis Dionysius, sed de vrbanis & eandem cum reliquo populo Christiano Ecclesiam siue cœtum celebrantibus. Verùm de his abundè: nunc ad exequias defunctorum, quæ postremo loco inter cærimonias à Dionysio proferuntur.

De cærimoniis circa defunctos.

NOn video autem, in omnibus, qui circa defunctos fiunt ritibus, quid vel reprehendi, vel non fuisse Dionysij Areopagitæ temporibus, comprobari possit. Cùm enim duo sint præcipuè in iis ritibus, quæ parum fortasse placeant hæreticis, vnctio scilicet, quam corporibus defunctorum adhibere perhibetur Pontifex, & pro eorundem animabus ad Deum deprecatio, facile est ostendere, vtrumque suam à temporibus Apostolorum antiquitatem verè meritóque arcessere. Nam vnctio quidem Iudæis & Christianis in veteri & nouo Testamento quàm vsitata & pietatis plena fuerit, declarat sanctæ Mariæ Magdalenæ diligentia in comparandis & primo manè afferendis, ad vngendum Christi corpus quod resurrexisse nesciebat, vnguentis. Hoc igitur pietatis officium quò esset sanctius, & mysterij significantius (denotat enim, eodem teste Dionysio, eum, qui vngitur, legitimè certasse, & certando excelluisse) ad Episcopos aut Sacerdotes translatum est. Iam verò precationem pro defunctis antiquissimam traditionem veterum Patrum, tam Latinorum quàm Græcorum, clamant & asseuerant testimonia. Tertulliani libro de Coronâ militis, cap. 3. vbi inter consuetudines à traditione deriuatas etiam hanc ponit: *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annuâ die facimus.* Cypriani Epist. 66. vbi dicit Episcopos antecessores suos censuisse, *ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset,*

non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Vnde & subdit, pro Victore non offerendum, qui hoc fecerat. S.Cyrilli Ierosolymitani, Catechesi 5.mystagogicâ, ante medium, vbi refert quorum fiat memoria in sancto Sacrificio, & pro quibus offeratur, cuius hæc sunt verba inter alia: *Deinde pro defunctis SS.Patribus & Episcopis, & pro omnibus simpliciter, qui inter nos antè dormiuerunt, maximam aduenire credentes animabus iis auxilium, pro quibus hæc offertur sancta & maximè horrendi Sacrificij propositi deprecatio.*

Vnde autem profluxerit, & quàm antiqua sit hæc pro defunctis precandi in oblatione Sacrificij consuetudo, arbitror equidem non credendum huius æui aut proximi sæculi hæreticis, seu Sculteto, seu Kemnitio, seu istius farinæ cuilibet; sed ei potiùs, qui mille ducentis ante ipsos annis vixit, eoque ampliùs, sancto, inquam, Ioanni Chrysostomo tantæ sanctitatis & eruditionis viro, vt isti vix digni sint eius lingere vestigia. Illi, inquam, in Pauli Epistolam ad Philippenses ita scribenti credendum est: *Non temerè hæc ab Apostolis constituta sunt, vt in horrendis mysteriis memoria fieret eorum qui vitâ excesserunt. Quippe qui scirent magnum illis lucrum accedere, magnam vtilitatem.* Et rationem ibidem affert, quam illic vide.

Hactenus de cærimoniis à S.Dionysio Areopagitâ productis (nec enim ille plures habet) satis dictum videtur: & clarè quidem ostensum est, nullam esse, quæ non vel ad primum sæculum quo floruit Dionysius, vel ad secundum quo vitam sub Hadriano terminauit, referri possit, nec refelli possit. Non vidi porrò, nec visurum spero, qui tam clarè, tam distinctè argumenta nostræ partis, quæ pro Dionysij Areopagitæ scriptis attulimus, soluere possit, quàm nos ea soluimus, quæ illi contrà proiecerunt.

Nam certè sextum argumentum nostræ partis, deductum ex ipsius Auctoris, quo de agimus, scriptis, prorsus est insolubile. Produxit autem illud (iam mille ferè anni sunt) S.Maximus Martyr in suo ad Opera Dionysij Prologo, nec adhuc repertus est factionis aduersæ quispiam, qui illi (quod quidem scire potuerim) responderit. Nam aduersarij nostri instar militum imbellium, ac de viribus suis diffidentium, hac relictâ arce præcipuâ, & quam pro inexpugnabili meritò iudicarunt, ad alia quædam minùs valida munimenta se conuerterunt, quæ tamen ipsi nec quatefacere, nedum euertere potuerunt.

Hic ego finiuissem, neque de germanis S.Dionysij scriptis verbum ampliùs addidissem; nisi nuper, Insulis Flandriæ cùm essem, vir clarissimus Dominus Desprets mihi suam inspicienti Bibliothecam, librum inter alios vnum ostendisset à Theologis VVirtembergensibus anno Domini 1584. editum, cuius hæc erat inscriptio: *Acta & scripta Theologorum VVirtembergensium, & Patriarchæ Constantinopolitani D. Ieremiæ, quæ vtrique ab anno 1576. vsque ad annum 1581. de Augustanâ confessione inter se miserunt, Græcè & Latinè ab iisdem Theologis edita.* In quo libro cùm indicasset, nonnulla de S. Dionysij scriptis inter partes esse agitata, cepit me cupido eius libri, qui non valdè spissus esset, percurrendi, ac si quid pro nobis aut contra nos faceret, disquirendi. Igitur deprehendi, Magistros illos VVirtembergenses, aliorum hæreticorum more, auctoritatem Scriptorum S. Dionysij eleuare, sed argumentis vulgaribus & sæpè refutatis; Patriarcham verò Constantinopolitanum permagni eosdem libros facere, & suam de Sacramentis doctrinam viriliter inde propugnare. Sic enim ipse in primo suo responso ad Augustanam confessionem cap.7. scribit: *Quod ad sacri vnguenti mysterium attinet*, inquit, *in diuinis quidem Litteris id non extat, traditum tamen est à discipulis Verbi: sicut qui à diuo Paulo institutus est sanctissimus Dionysius, in sacris scriptis suis tradidit; quem quidem virum proximo secundum Apostolos loco Dei Ecclesia veneratur.* Sic ibi.

Idem porrò Patriarcha pluribus aliis in locis honorificam eiusdem sancti Dionysij & rectæ eius doctrinæ mentionem facit: sed animaduertens tandem se surdis canere, volénsque etiam ipse, dum spem profectûs nullam videt, receptui canere, sic illos, VVirtembergenses Theologos, siue è Caluini scholâ hæreticos affatur. *Vnde igitur vos*, inquit, *rectiùs & meliùs vetere nouáque Româ sapuistis, et veterum Theologorum scriptis relictis, vestra ista meliora potioraque duceretis?* Per nouam Romam intelligit Constantinopolim, cuius erat ipse Patriarcha. Sic enim à temporibus Constantini Magni Imper. vocata est.

Denique ipsos rogat, vt desinant in posterum super iisdem de religione controuersiis sibi negotium facessere: aliis verò in rebus, si velint, amicitiam colere ipsis per se licere. Ita ergo ij, qui sperabant Græcos huius ætatis pro se suáque sectâ esse facturos, & aduersus sancti Dionysij Areopagitæ scripta ipsis fauturos, adeò spe suâ exciderunt, vt ipsimet vel de suâ decedere sententiâ coacti sint, vel deinceps silentium tenere iussi. Postremò tam læua & infausta illis fuit hæc complurium annorum disputatio, atque etiam ipsius disputationis in lucem editio, vt eam ipsam posteà in tenebras abdere, & quantum in ipsis fuit, omnia exemplaria supprimere sint conati. Sed quemadmodum in talibus vsu venit, nulla tanta potuit adhiberi diligentia, quin aliqua in manus Catholicorum emanarint. Nam amicus ille noster & familiaris vnum sibi ex illis pretij magnitudine elicuit, nobisque perlibenter commodauit. Verùm de sancti Dionysij scriptis (quæ tam à veteribus quàm ab hodiernis Græcis approbata illique adiudicata habemus) in præsenti satis.

CORDERII OBSERVATIONES Generales pro faciliori intelligentiâ S. Dionysij.

PRIMA.

MAgnus Dionysius, vt sapiens Architectus, Operum suorum fundamentum posuit verbum Dei, cùm scriptum, tum traditum; probè sciens, nihil illo esse stabilius, nihil firmius, dicente Domino: *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Huic ergo firmissimo fundamento tota eius doctrina sublimissima innititur. Ac primum quidem caput Cœlestis Hierarchiæ totum est de sacrâ Scripturâ, docens, eius illustratione ad cœlestium rerum indagationem cognitionémque ascendendum esse. Capite secundo, cœlestes Hierarchias ait esse celebrandas *secundum earundem mysticam in Oraculis explanationem.* Et cap. 6. *Itaque nos quidem nihil motu proprio dicemus, sed, quæ Angelica spectacula sanctus Theologus visa fuerint, edocti, pro viribus exponemus.* Libro etiam de Ecclesiasticâ Hierarchiâ cap.1. *Hierarchiam*, inquit, *nostram Deo insita ac Diuina deificaque scientia, nec non afflationis & perfectionis esse functionem, ex supermundialibus & sacratissimis Oraculis demonstrandum nobis est.* Ibidem post medium caput: *Substantia enim Hierarchiæ nostræ sunt diuinitùs tradita Oracula. Maximè verò ista Oracula dicimus veneranda, quæ à sacris nostris Initiatoribus, diuino Spiritu afflatis, in Scripturis sacris librisque Theologicis tradita nobis sunt; vti & illa, quæ ab iisdem viris sanctis subtiliori, aca omnino dissitâ ab ordine cœlesti insinuatione, de mente in mentem, mediante verbo, corporeo quidem illo, simul tamen immateriato, sine scriptione, initiatores nostri sacrâ quâdam traductione sunt edocti.* Vbi verbum Dei tam scriptum quàm traditum pulchrè describit. Sacros autem Initiatores nostros, vocat Apostolos, quorum tam ipse quàm S.Timotheus, ad quem libros suos scribit, discipuli extiterunt. Dicit autem traditionem magis ad Angelorum locutionem accedere quàm Scripturam, quia licet ore quidem corporis instrumento fiat, in quo ab Angelicâ locutione deficit, qui sibi mutuò immediatè conceptus suos patefaciunt; fit tamen modo minùs materiali quàm scriptura, [illegible] solo verbo, vbi in scripturis & calamus & atramentum materiæ crassiores adhibentur.

In libro verò de Diuinis Nominibus, hanc iterùm sibi legem præfigit, vt nihil nisi ex Scripturâ. Cap. 1. sub initium: *Sit autem etiamnum nobis Oraculorum sacra*

1. Cor 3. 10. *Tota doctrina S. Dionysij innititur verbo Dei.* Luc. 21. 33.

Substantia nostræ Hierarchiæ verbum Dei. Descriptio scripturæ & traditionum.

S. Dionysius præfigit sibi Scripturæ tanquam regulam.

A

præscripta lex, &c. & statim pòst: *Nihil igitur omnino præsumendum dicere vel cogitare, de superessentiali & abdita Deitate, præter illa quæ diuinitus nobis sunt sacris Eloquiis elucidata. Nam & sermonem & intellectum & essentiam excedit superessentialitatis eius ignoratio, cui superessentialis scientia tribuenda. Quare tantum ad inaccessum illud lumen adspiremus, quantum se insinuauerit diuinorum ille radius Oraculorum, quo eminentioribus istis rerum diuinarum splendoribus, sobrietate quadam ac sanctitate contemperamur.*

Psal. 17. Exod. 19. & 33.

Denique in Mysticâ Theologiâ c. 1. ex Scripturis tradit, Deum tenebras posuisse latibulum suum, & lucem inhabitare inaccessibilem: & exemplo Moysis ostendit, quomodo caliginem illam mysticam subintrare oporteat. Ex quibus cæterisque scriptis eius, omnibus liquidò constat, S. Dionysium nil nisi è verbo Dei depromptum adferre.

SECVNDA.

B

Cur sanctus Dionysius, & quàm magnificè, de Scripturâ loquatur. Quibus nominibus Scripturas appellet.

CVm Sanctus hic, vti ostensum est, totam doctrinam suam hauriat & stabiliat ex verbo Dei, hoc illi meritò imprimis curæ est vt quò verbum Dei maius apud nos momentum habeat, per sublimissimas & prorsus diuinas loquendi formulas, diuinam eius auctoritatem nobis inculcet, nosque simul in eiusdem admirationem rapiat, neque humiles de Scripturis cogitationes habere sinat. Hinc ferè nunquam eas vulgari nomine Scripturas appellat, sed diuinâ prorsus ratione circumscribit, vti ex locis suprà citatis, & maximè cap. 1. Cœlestis Hierarchiæ videre licet, vbi in titulo, sacra Scriptura dicitur *diuina illustratio*; & in contextu, *à Patre mota illustrationis emanatio.* Et inuocato Iesu, ad eius contemplationem se reuerenter componens, ibidem ait: *Ad sacratissimorum à Patribus traditas Eloquiorum illustrationes pro viribus suspiciamus.* Et rursum, vocat eam, *principalem & super principalem Patris, qui principium Diuinitatis est, illustrationem*; & paulò pòst, *diuino-principalem radium.* Alibi traditiones vocat cap. 1. § 3. *arcanam & sacerdotalem traditionem*; quibus aliisque sublimissimis loquendi modis, ad sublimes ac Deo dignas erigit meditationes. Eandem ob causam S. Apostolos, aliosque Scripturæ sacræ scriptores, cap. 1. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & passim alibi, appellat *Theologos, diuino numine afflatos sacros nostros Initiatores, diuino spiritu afflatos Hierarchas, primos Hierarchiæ nostræ præceptores*, § 5. *Ex superessentiali diuinitate sacro ipsos munere repletos, & in posteros illud ipsum deriuatum à diuinâ bonitate missos*, &c.

C

Quibus nominibus Apostolos compellet.

TERTIA.

Quadruplex de Deo philosophandi ratio.

NOtanda est huius Sancti quadruplex de Deo philosophandi ratio. Prima est, prout Deus in seipso esse concipitur, secundùm eas proprietates ac perfectiones, quæ illi ex naturâ rei seu substantialiter conueniunt respectu sui, vt sunt, esse vnum in essentiâ, seu naturâ diuinâ trinum in personis, & cætera quæ Deo sunt intrinseca. Secunda, prout consideratur cum respectu & ordine ad creaturas, quatenus videlicet earum auctor est, gubernator, ac finis, & sic illi desumpta ex effectis nomina accommodat. Tertia, prout Deus in Scripturis sacris diuersarum rerum corporearum figuris repræsentatur, & earundem nominibus afficitur, vt cùm vocatur agnus, leo, petra, &c. Quarta, prout per omnium rerum conceptibilium ablationem, & nostri ipsius abdicationem, diuini amoris subuecta pennis, mens nostra in Deum surrigitur, & præsentiæ eius radiis afflata, caligando penitus extra supraque se rapitur atque absorbetur. Ac primam quidem res diuinas tractandi rationem tenuit in libro Hypotyposeon, vt ex cap. 3. Mysticæ Theologiæ patet; sed magno Ecclesiæ damno diuinissimus ille Tractatus intercidit. Secundam verò rationem seruat in libro de Diuinis Nominibus. Tertiam tradiderat in Symbolicâ Theologiâ, cuius frequenter mentionem facit, sed similiter desideratur. Quartam denique maximeque mirabilem practicè theologandi normam tradit in Mysticâ Theologiâ, quæ non tantùm intellectum Deo subiicit & adiungit, sed vel

D

quàm maximè affectum afficit, &, vt S. Maximus ac Dionysius Alexandrinus loquuntur, τὰς ἀδιδάκτους, vel potiùs θεοδιδάκτους μυσταγωγίας, in Deo felicissimè collocat ac firmat, itavt nulla Theologiæ pars à diuinissimo planè viro prætermissa videatur.

E

QVARTA.

Quā vim habeant composita ex ὑπέρ.

NOtandus quoque cum Lessio lib. 1. de Perfectionibus diuinis cap. 3. mirabilis & plus quàm humanus modus loquendi S. Dionysij, quo vtitur ad exprimendam suorum conceptuum sublimitatem, & ad diuinitatis supra omnia, creatâ mente conceptibilia, infinitam eminentiam insinuandam, præpositione ὑπὲρ præpositâ, vocando v. g. Deum ὑπερούσιον οὐσίαν, *essentiam superessentialem*, nimirum quia est essentia seu substantia eminentior omni essentiâ conceptibili à creaturâ: item *bonitatem & diuinitatem, omni bonitate & Deitate conceptibili eminentiorem*; quomodo exponenda sunt omnia nomina composita ex particulâ ὑπὲρ, vt ὑπέρφωτον, ὑπεράρχιον, ὑπερτελῆ, &c. id est, *Omni luce, omni principio, omni perfectione excellentior.* Illud enim ὑπὲρ, id est *super*, apud Dionysium in compositione designat excellentiam, creatam omnem intelligentiam superantem.

F

Vox οὐσία quā vim habeat cum præpositione.

Cùm autem præpositio ὑπὲρ nulli vocabulo frequentiùs præponatur, quàm voci οὐσία, sciendum, hanc vocem apud Dionysium vt plurimùm accipi pro essentiâ, substantiâ, naturâ, præsertim spirituali, & interdum etiam, sed rariùs, pro materiâ. Quādo autē adiūgitur illi præpositio ὑπὲρ, tum ferè de Deo rebúsque diuinis ac supernaturalibus sermo est. Hinc lib. de Diuin. Nominib. c. 1. § 1. & alibi passim, fidem vocat, ὑπερούσιον ἐπιστήμην, id est, *supernaturalem scientiam*, quia viribus naturæ haberi nequit, sed à Deo nobis eius habitus infundi debet, & Dei gratiâ opus est, vt actus fidei eliciatur. Sic etiam Christum, tanquam fidei & gratiæ auctorem, cap. 1. Eccl. Hierarchiæ § 1. appellat, *mentem maximè diuinam ac supernaturalem.* Similiter Sacramentalia & Sacramenta, & Scripturas diuinas ibidem § 5. vocat *sacrata munus supernaturalis Dei-principatus.* Hæc enim omnia spectant ad ordinem naturâ sublimiorem, scilicet gratiæ, quâ supra naturam ad diuinum quendam statum eleuamur, vti docet Dionysius de Eccl. Hier. cap. 1. Parte 1.

G

QVINTA.

Quid significent composita ex αὐτὸ.

SImili ferè modo intelligenda sunt nomina quæ componuntur ea particulâ αὐτὸ, vt cùm in lib. de Diuinis Nominibus c. 5. & 11. & alibi Deum vocat τὸ αὐτὸ εἶναι, τὴν αὐτοζωὴν, τὴν αὐτοσοφίαν, &c. id est, *per se esse, per se vitam, per se sapientiam*, & similia, quæ soli Deo competunt: nulla enim creatura est per se id quod est, sed per participationem, solus autem Deus est ipsum hoc quod est per se, id est, sua essentia, & suum esse, & non secundùm participationem. Idcircò D. Dionysius c. 2. ait, hæc nomina, tanquam Deum decentia, attribui diuinitati trium personarum *imparticipatè*, atq; adeò plenè & essentialiter, ac proinde absolutè & perfectè, sicut ipsa diuinitas est in qualibet personâ ex tribus tota, perfecta, integra, & plena.

H

Nomina diuina quo sensu de Deo prædicent.

Vnde benè obseruauit P. Franc. Turrianus ad Ioannis Cyparissiotæ Decadem 4. Expositionis materiatæ, cap. 9. Non ita esse vt quidam putauerunt, diuina nomina secundùm Dionysium, secundùm causam tantùm de Deo dici, vt bonus, quòd sit auctor bonitatis, sapiens, quòd sapientiæ, & similiter in aliis. Si enim sic dicerentur de Deo, clauderent in suo intellectu, vt ait S. Tho. bonitatem creaturæ; ac proinde de creaturâ imprimis dicerentur, quasi Deus diceretur bonus & sapiens ad similitudinē boni, cui dat bonitatem; & sapientis, cui dat sapientiam. At non sic Dionysius sensit, vt nomina diuina secundùm causam tantùm de Deo dicerentur; sed sic, vt Deo primùm attribuerētur vt eum decēt, id est, imparticipatè & essentialiter. Cùm enim dicit Scriptura: *Nemo bonus nisi solus Deus*, perinde est ac si dicat, Nemo per se bonus, id est, Nemo supra bonitatem participatā, nisi solus Deus: sic enim intellexit & interpretatus est idem Dionysius c. 2. de Diuinis Nominibus in principio: vt iam bonus & sapiens dicatur Deus,

Quid sit eo θεωνυμικῶς prædicari.

Marc. 10.

quia

quia bonitas in eo antecellat & exuperet omnem bonitatem creatam & participatam. Huiusmodi autem diuina nomina, quæ secundùm plenitudinem & non secundùm participationem Deo attribuuntur, vocat Dionysius θεοπρεπῆ, id est nomina Deum decentia. Si igitur secundùm causam tantùm dicerentur, non essent nomina Deum decentia, quia sic dicta in se includunt, vt dixi, solùm participationes creatas, vt bonus bonitatem participatam, cuius auctor bonus Deus; sapiens sapientiam participatam, cuius auctor sapiens Deus; & ad eundem modum alia. Quare S. Dionysio contradicit & repugnat, qui dicit, nomina diuina secundùm Dionysium, secundùm causam tantùm dici de Deo: sic enim dicta, non sunt Deum decentia, ac proinde sic accepta, non sunt nomina diuina. Dionysio autem auctore, Nomina diuina Deum decentia, absolutè, perfectè, integrè & plenè, id est exuperanter & eminenter Deo conueniunt.

Non solùm secundùm causam dici.

SEXTA.

HIc vlteriùs notandum, quomodo S. Dionysius aliquando quidem Deum vocet *per se vitam*, aliquando verò *per se vitæ sustentatorem*. Et eodem c. 11. quo sensu hæc intelligenda sint, ipsemet pandit his verbis: *Non pugnant*, inquit, *secum, dicere Deum per se potestatem & per se vitam; & dicere Deum creatorem per se vitæ, vel per se pacis, vel per se potestatis; hæc enim dicitur Deus ex iis quæ sunt, & maximè ex iis quæ prima sunt, tanquam causa omnium quæ sunt: illa autem dicitur tanquam existens supersubstantialiter supra omnia quæ sunt, & quæ primò sunt.* Dicitur ergo Deus *per se vita*, scilicet imparticipata, illimitata, &c. Auctor verò *per se vitæ*, scilicet participatæ, limitatæ, &c. Siue doni illius quo viuentes facit, ita nimirum vt per se vita naturam vitæ significet, id est ea quæ cadunt in definitionem vitæ.

Quomodo Deus sit per se vita, & auctor per se vitæ, &c.

Vide infrà c. 5 & 11 de Diuinis Nominibus, & Epistolam ad Caium.

SEPTIMA.

NOn rarò quoque S. Dionysius vtitur nominibus ex voce ἀρχὴ compositis, vocando Deum θεαρχίαν, θεαρχικὴν ὕπαρξιν, &c. id est, *Dei-principatum, substantiam diuino-principalem, diuinitatis originem*, in creaturis scilicet, quia Deus est auctor diuinitatis in cunctis hominibus & Angelis qui Deum imitantur, & ei similes fiunt, de quibus scriptum est, *Ego dixi, Dij estis*, & illud, *Deus Deorum in Sion.* θεαρχίαν itaque dicit, quasi θεῶν ἀρχεῖα, dicamus nos Deum deorum, vt Dauid dicit. Cap. 3. Cœlestis Hierarchiæ Deum vocat, *originem perfectionis, & per se originem perfectionis*: item *originem ordinationis*. Item Cap. 3. de Diuinis nominibus §. 2. corpus B. Virginis vocat ζωαρχικὸν, id est, *quod vita principium dedit.*

Quid significent composita ex ἀρχή.

Psal. 81. Psal. 83.

OCTAVA.

NOtandum quoque, S. Dionysium lib. de Diuin. Nominib. cap. 1. 2. 13. & alibi, aliquando quidem omnia de Deo affirmare, aliquando verò rursum omnia negare. Hinc dicit Deum omnia esse vt Deum decet; & nihil eorum esse, vt supra substantiam est; vtrumque enim propriè dicitur in Dei amplitudine: vt, Deus est vita, Deus est bonitas; &, Deus non est vita, & non est bonitas, quia est supra hæc, quæ nos per vitam & bonitatem intelligimus. Et hoc sensu c. 2. §. 1. vocat Deum, *omnium positionem, & omnium ablationem*, quia eminenter ponit omnia, tanquam omnia continens; & formaliter omnia aufert, quia ratio propria quâ Deus est, excludit ab ipso omnem formalem rationem à creatâ mente comprehensibilem, vti erudité obseruat Lessius lib. 1. de Perfect. diuin. cap. 3. cuius verba cùm S. Dionysio magnam lucem adferant, hic referre placuit. *Omnia*, inquit, *de Deo affirmantur, quia omnia sunt in ipso formaliter vel eminenter. Hinc dicitur sapientia, bonitas, veritas, lux, sanctitas, iustitia, misericordia, beatitudo, vita omnium viuentium, esse omnium existentium, omnium perfectio, pulchritudo, mensura, ratio, salus, conseruatio.* Vnde Diuus Bernardus lib. 5. de Consid. *Quid est Deus? voluntas omnipotens, beneuolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, æterna beatitudo.* Et infrà: *Amat vt charitas, nouit vt veritas, iudicat vt æquitas, dominatur vt maiestas, regit vt principium, operatur vt virtus, tuetur vt salus, reuelat vt lux, assistit vt pietas*, &c. Et quamuis plurima rerum nomina illi non tribuantur ob imperfectionem quã inuoluunt, tamen omnes rerum species, & omnia indiuidua sunt in ipso eminẽter secundùm sua prototypa, & veluti primæua & æterna semina, ex quorum vi pullularunt; atque adeò sunt in ipso intrinsecè, non quidem secundùm suum esse formale & essentiale, sed secundùm esse suum eminens & superessentiale. Vnde ipse est omnia & singula eminenter & superessentialiter.

Dionysiũ omnia de Deo affirmare & iterum negare.

Quomodo omnia de Deo affirmentur.

Negantur de ipso omnia, quia ipse est supra omnem rationem & speciem creatæ menti conceptibilem. Sic Dionysius cap. vlt. Myst. Theologiæ dicit Deum esse non substantiam, non vitam, non lucem, non sensum, non mentem, non sapientiam, non bonitatem, non Deitatem, sed quiddam his omnibus eminentius atque præstantius. Ratio est, quia omnia ista, quatenus menti creatæ sunt comprehensibilia & nominabilia, habent conceptus obiectiuos limitatos in ratione entis: limitatos, inquam, non ex parte rei quæ concipitur, sed ex parte modi concipiendi. Vnde vt sic concipiuntur, non includunt formaliter alias perfectiones: ratio enim substantiæ, vt à creaturâ concipitur, non includit rationem sapientiæ aut cæteras perfectiones, nec contrà, sed quæque suum limitatum conceptum habet. Deus autem est ratio prorsus illimitata, vnde formaliter vel eminenter includit omnem perfectionem conceptibilem.

Quomodo omnia negentur.

Hinc patet, omnes perfectiones, quæ Deo tribuuntur absque metaphorâ, dupliciter in ipso contineri, formaliter & eminenter. Formaliter, si spectetur secundùm proprium conceptum, quo à Deo & Beatis concipiuntur, qui est illimitatus in genere entis. Eminenter, si considerentur secundùm conceptus proprios, quos habent vt à creaturis absque lumine gloriæ apprehenduntur: etsi enim res concepta sit propriè in Deo, non tamen cum eo modo & limitatione sub quâ concipitur.

Perfectiones dupliciter existunt in Deo.

NONA.

VT hæc & alia quæ suprà attigimus, meliùs intelligantur, ibidem è Lessio notandum est, diuinas perfectiones dupliciter considerari posse. Primò, vt sunt in rebus creatis, vel etiam prout ab intellectu creato absque lumine gloriæ concipi possunt: secundò, vt sunt in Deo. Si priore modo considerentur, distinguuntur inter se formaliter, imò multæ etiam realiter, suntque diuersæ formæ, vel rationes formales. Et quamvis concipiantur vt illimitatæ, vel infinitæ perfectionis intra suam speciem seu rationem formalem; tamen in ratione entis vel perfectionis sunt limitatę, quia vna non includit aliam. Hoc modo illæ perfectiones non sunt in Deo formaliter, sed eminenter tantùm, nempe vt in causâ superioris ordinis, & analoga. Si verò secundo modo concipiantur, sic non habent inter se vllam distinctionem formalem, sed sunt vna simplicissima forma, à quâ Deus omnium illarum perfectionum denominationem accipit, sed longè altior quàm mens creata concipere possit. Dicitur enim *sapiens*, non quasi sapientiâ imbutus & informatus, sed vt sapientia per se subsistens. Dicitur *iustus, misericors, sanctus*, non vt his perfectionibus affectus, ornatus & imbutus (quomodo à nobis concipitur) sed vt iustitia, misericordia & sanctitas substantialis, per se subsistens. Eodem modo accipiendæ omnes aliæ perfectiones quæ ipsi tribuuntur: quia in illo nulla est diuersitas formarum, aut rationum formalium, sed vna simplicissima forma per se subsistẽs, infinitè supra omnia eleuata, quæ est ipsius essentia (quam Deitatem vocare possumus) per quam omnes illę denominationes illi ex parte rei competũt. Id enim est longè perfectius & dignius illi Maiestati, infinitè supra omnia quæ sunt & quæ non sunt (vt Dionysius loquitur) eleuatæ.

Perfectiones Dei dupliciter considerantur.

Quomodo Deus denominetur sapiens, iustus, &c.

Hinc sequitur Primò, omnia attributa, prout considerantur in summâ suâ eleuatione (quomodo sunt in Deo) se mutuò includere, & in vnius conceptu intrinsecè includi omnia, quia sunt vna simplicissima forma, in se omnis distinctionis expers, de cuius ratione est omnia illa formaliter & secundùm summam identitatem includere, & omnia illa esse formaliter.

Quomodo se mutuo includant.

A

Quomodo sint infinitè eleuata.

Sequitur Secundò, perfectiones diuinas, prout sunt in Deo, esse infinitè eleuatas supra easdem perfectiones spectatas, prout sunt, aut possunt esse in creaturis, aut etiam prout à mente creatâ possunt concipi. Ratio est, quia vt sunt in Deo, sunt infinitæ perfectionis non solùm intra propriam speciem, sed absolutè & in toto genere entis. Tum quia in Deo non sunt forma aliqua accidentaria, sed substantia per se subsistens, & à se habens omnia infinitè, quæ ad rationem cuiusque perfectionis spectant, v. g. sapientia diuina non est qualitas sed substantia per se subsistens, habens à se non solùm infinitum lumen intellectuale, sed etiam omne obiectum intelligibile; & sic de cæteris.

Nulla est similitudo inter perfectiones Dei & creaturæ.

Sequitur Tertiò, Perfectiones diuinas, vt sunt in Deo, non habere vllam similitudinem cum perfectionibus quæ sunt vel esse possunt in rebus creatis, vt docet Dionysius cap. 9. de Diuinis Nominibus, & cap. 5. Mysticæ Theologiæ. Quam ob causam Deus dicitur non esse substantia, non esse vita, &c. quia ita est super omnia eleuatus, vt cum nullâ re creatâ vel creabili similitudinẽ habeat. Quia tamen res creatæ aliquam ad Deum proportionem habẽt tanquam effectus & imitationes quædam illius (ob quam proportionem si sit in summo gradu, dicuntur etiam Deo similes, & Dei imagines, vt patet in naturâ intellectuali) neque nos Deum nisi ex rebus creatis per analogicum ascensum cognoscere possumus, ideò nomina perfectionum creatarum ad perfectiones diuinas transferimus; alioquin de diuinis nullo modo loqui possemus. Verùm hæc nomina longè altiori sensu accipienda sunt, cùm tribuuntur rebus diuinis, quàm cùm creatis: in Deo enim significant substantiam à se existentem, ac proinde omnino illimitatam, quæ per se formaliter absque omni actu elicito præstat omnia quæ perfectiones creatæ præstare possunt, & modo infinitè excellentiori. Itaq; neq; in modo existendi, neque in modo operandi, neque in modo tribuendi suum effectum formalem, est vllo similitudo, &c.

DECIMA.

C

Nomina communia quo sensu priùs de Deo, & priùs de creaturis dicatur.

NOta, S. Th. Parte 1. q. 13. art. 6. dicere, prædictas perfectiones, quantum ad rem significatam per nomen, prius dici de Deo quàm de creaturis; quia à Deo huiusmodi perfectiones in creaturas manant; sed quantum ad impositionẽ nominis, priùs à nobis imponi creaturis quas prius cognoscimus; vnde & modum significandi habent, qui cõpetit creaturis. *Non enim* (inquit Basilius lib. 2. Contra Eunomium) *natura rerum nomina sequitur, imò post res ipsas inuenta sunt nomina.* Etenim si hoc esset verũ, non esse nomina rebus posteriora, opus esset, vt quorum sunt eædẽ nominationes, vna & eadem substantia esset: ex quo fieret, vt quia qui sunt virtute perfecti, digni nomine Dei habẽtur, & Dij appellãtur, essent homines ὁμοούσιοι, id est eiusdem substãtiæ quâ Deus. Verùm sicut hoc dicere, manifesta insania est; sic illud dicere, æquè dementia est. Imò & Greg. Nissen. lib. 13. disputãs contra Eunomiũ. *Miserator*, inquit, *& misericors Dominus, patiens, & multa misericordia.* Quid hæc aiũt significare? Naturãmne, an operationẽ? Nemo sanè aliud declarare dixerit, præterquã operationẽ. Quando igitur miseratus est Dominus, vt ex operatione miserationis nomen duceret? Numquid ante vitã humanam? Ecquis tunc misericordiâ indigebat? At verò post peccatũ prorsus misericordiâ opus fuit, peccatũ autẽ post hominẽ extitit; post hominẽ igitur actio miserẽdi, & misericordiæ nomẽ. Vnde manifestũ efficitur, posteriora esse nomina ipsâ æternitate Dei, & post hominẽ & mentẽ hominis inuẽta esse. Mens enim humana sicut aliarum rerum nomina adinuenit, sic etiam nomina Dei aggressa, & veluti materiam nacta, illa ipsa effecta & admirabilia, quæ in vniuerso contẽplatur insequens, & de Deo inquirens, nomina imposuit.

Nomina sunt rebus posteriora.

Psal. 144.

D

Nomina ab homine inuenta.

Nomina communia quo sensu de Deo, & quo sensu de creaturis intelligenda.

Ex his ergo colligitur, cùm huiusmodi nomina diuina de creaturis quas priùs cognoscimus, & priùs nominamus, dicuntur, habere ea modum significandi, qui cõpetit creaturis, sicut ait S. Tho. & secundùm nostram consuetudinẽ propriè significare operationem seu effectũ participatum, vt bonus bonitatẽ creatam, sapiens sapientiam item creatam, & similiter in reliquis nominibus significantibus huiusmodi perfectiones participatas; & vt sic non dicuntur propriè de Deo, quia Deus est supra ista, supra bonũ, supra sapientẽ. Cùm verò de Deo propriè dicuntur, essentiã eius significare, & secũdùm naturam dici, & dicta de creaturis quoad rem significatã, nõ propriè sed per abusum verbi, & per imitationẽ & similitudinẽ quandam analogicam dici: atque ita quæ sunt communia Deo & creaturis nomina, quoad rem significatã verè & propriè, id est essentialiter & per se dicuntur de Deo; de creaturâ verò non verè neque propriè, quia nõ per se dicũtur: quoad verò impositionem nominum, propriè significant id ad quod imposita sunt, imposita enim sunt priùs ad significãdas perfectiones participatas, quas à Deo in creaturis effectas cognoscimus, ex quibus, ad cognoscendas, vtcumque possumus, perfectiones essentiales Dei deducimur, sicut scriptum est; *Inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

E

Rom. 1.

Omnia nomina quid vnũ & idem significẽt ad Deum relata.

F

Obseruandum hic cum Cyparissiotâ Decad. 4. c. 7. quòd sicut diuina nomina ex effectis sumpta, differentiam operationum repræsentant, sic ad Deum relata; diuersas res repræsentare non possint. Hinc Magnus Basilius in Epist. ad Eustachiũ, *Omnes*, inquit, *notiones, & nomina quæ Deũ decent, æquales inter se honore sunt, quatenus significatione res subiecta nihil differunt. Non enim ad aliã rem subiectam mentem ducit appellatio boni, & ad aliã appellatio sapientis, & potentis, & iusti. Quin potius, quæcunq; nomina dixeris, vnũ est quod significatur. Et si Deum dicas, eundẽ ostendisti, quem per reliqua nomina mente cõcepisti.* Ex his igitur manifestum fit, quòd eadem diuina nomina, & eædem notiones nostræ de Deo dicuntur, nullámque differentiam rei subiectæ ad Deum relata repræsentant: & quòd nomina Dei triplicem habent causam efficientem quidem, mentem ipsam humanam; materiam, illa vnde colliguntur, id est effecta; finem, Deum ad quem referuntur.

VNDECIMA.

G

S. Dionysius primus autor Theologiæ Scholasticæ.

OBseruatu quoq; dignissimum, quomodo S. Dionysius primus Scholasticæ Theologiæ iecerit fundamenta, quibus cæteri deinceps Theologi, eam quæ de Deo rebusque diuinis in Scholis traditur, doctrinam omnem inædificarunt. Exemplo sit proximum quod occurrit capitis primi de Cœlesti Hierarchiâ exordium, cuius primam periodum si attentè quis expenderit, quot verba tot oracula, totidemque altissima Scholasticæ doctrinæ principia mirabitur. Sic habet: *Omne datum bonum, & omne donum perfectum, de sursum est, descendens à Patre luminum. Quin & omnis à Patre mota illustrationis emanatio, in nos benefice exundans; denuo ceu vnifica vis, ad supera nos erigendo simplificat, & conuertit ad congregantis Patris vnitatem & deificam simplicitatem. Quoniam ex ipso & in ipsum sunt omnia.* Ecce quot breuis hæc periodus sublimissimæ Theologiæ principia complectatur.

Principia Theologica ex prima periodo Dionysij deprompta.

Primò, Bonum omne à Deo datum esse; quod designant verba, Πᾶσα δόσις ἀγαθή. Ex quo principio S. Thomas part. 1. quæst. 4. 5. 6. plurimas elicit conclusiones, v. g. Deum esse summum bonum, rerum omnium perfectiones eminenter continere, Creaturas eius participatione ac similitudine bonas esse, &c.

H

Omne donum à Deo esse.

Secundò, Omne donum perfectum esse à Deo, Καὶ πᾶν δώρημα τέλειον, scilicet vt principio effectiuo, exemplari, & finali, p. 1. quæst. 6. art. 4. & 2. 2. quæst. 3. art. 2. ad 1. q. 27. art. 3. in corpore. Vide item D. Thomam p. 1. quæst. 38. & 1. 2. quæst. 68. vbi disputat de ratione doni.

Desursum esse.

Tertiò, Omne donum perfectum desursum esse. Ἄνωθέν ἐστι. Hinc D. Thomas p. 1. quæst. 38. art. 1. in corpore, docet, nos non posse peruenire ad perfectum donum Dei, sed debere hoc nobis dari desuper. Item quòd sic diuinæ personæ competat dari & esse donum.

A Patre luminũ.

Quartò, Donum omne perfectum descendere à Patre luminum. Καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ Πατρὸς φώτων. Hinc D. Thomas p. 1. quæst. 38. art. 2. tradit, *donum* esse proprium nomen Spiritus sancti, & esse nomen personale. Cùm autem à Patre Filioque procedat vt amor, *procedit*, inquit, *in ratione doni primi.* Vnde D. August. lib. 15. de Trinitate c. 19. dicit, quòd per donum, quod est Spiritus sanctus, multa propria dona diuiduntur membris Christi. Dicitur au-

Spiritus sanctus donum Patris.

item à Patre descendens, vt in nomine doni importetur proprietas originis eius, quæ est processio. Ita D. Thomas part. 1. quæst. 38. art. 2. ad 2. Attribuitur autem donum Patri, tanquam mittenti principali, licet etiam à Filio mittatur atque procedat, p. 1. q. 43. Non otiosè quoque Deus Pater *Pater luminum* nuncupatur, cùm ex ipso purissima duo diuinitatis germina, Filius & Spiritus sanctus, ceu splendor ac lumen à sole (si diuina creatis conferre liceat) æternâ processione pullularint. Vnde in Hymno Ecclesiæ canitur: *Lux lucis, & fons luminis.* Quamquam Filio nomen lucis & imaginis appropriatur, quia procedit per intellectum, & in similitudinem. Ita D. Thomas part. 1. quæst. 35.

Cur Pater luminũ dictus.

Quintò, Patrem esse principium emanationum, tam earum quæ ad intra, quàm quæ ad extra nominantur, vt insinuant illa verba: ἀλλὰ καὶ πᾶσα πατροκινήτου φωτοφανείας πρόοδος. Hinc D. Thomas p. 1. quæst. 33. art. 1. docet, Patrem esse principium in diuinis, eique nomen principij personaliter conuenire, ideóque nomina principium significantia Patri esse attribuenda. Potest hic etiam intelligi gratia præueniens & auxilium Dei mouens, de quâ Diuus Thomas 1. 2. q. 111.

Patrem esse principium emanationum.

Sextò, Bonum esse sui diffusiuum, quod signant illa verba, εἰς ἡμᾶς φοιτᾷ. Vide D. Thomam part. 1. quæst. 5. artic. 4.

Bonum sui diffusiuum.

Septimò, Deum omnia facere propter suam bonitatem, quod innuit vocabulum ἀγαθοδότου. Vide D. Thomam part. 1. quæst. 65. art. 2.

Deus omnia facit ob bonitatem.

Octauò, Lumen gratiæ gratuito Dei munere nobis inspirari, & consequenter non dari nobis ex meritis nostris, quod idem vocabulum significandum præbet. Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 6. in corpore.

Gratia non datur ex meritis. Immediatè est à Deo.

Nonò, Lumen gratiæ à solo Deo immediatè animæ infundi. D. Thom. 1. 2. quæst. 76. & 112. Item excedere conditionem naturæ creatæ, & esse ordinis supernaturalis 1. 2. q. 114. art. 1. in corp. & art. 2. & 5. ibid. Consequenter hominem sine gratuito Dei auxilio non posse se ad gratiam disponere. part. 1. quæst. 62. artic. 2. & 1. 2. quæst. 109. artic. 6.

Decimò, Gratiam habere vim coniungendi hominem cum Deo. ὡς ἑνοποιὸς δύναμις. Hinc D. Thomas 1. 2. quæst. 111. art. 5. docet, gratiam gratum facientem digniorem esse quàm gratis datam, quòd hæc tantùm ordinet ad quædam præparatoria vltimi finis, illa verò ordinet hominem immediatè ad coniunctionem vltimi finis.

Vniendi vim habet.

Vndecimò, Lumen gratiæ mentem eleuare supra conditionem naturæ humanæ, vt insinuant illa verba, ἀνατείνει ἡμᾶς ἀναγωγικῶς. Item nos ad Deum conuertere. Καὶ ἐπιστρέφει πρὸς τὴν τοῦ συναγωγοῦ Πατρὸς ἑνότητα. Vbi non frustrà dicitur συναγωγοῦ Πατρὸς, cùm Christus ipse dixerit: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Vocatio enim Patri appropriatur, vti Filio adductio, & Spiritui sancto peruentio, seu brauij consecutio. Item vox ἑνότητα designat, gratiam homines colligere; quâ re significatur vnio illa spiritalis, quæ per eam fit ad Deum. Denique docet, nos per gratiam Diuinitatis cuiusdam participes reddi, vti declarant illa verba, Καὶ θεοποιὸν ἁπλότητα. Vbi quoque vox ἁπλότης statum animæ spiritalem significanter exprimit, vtpote simplicem, & à rebus variis & compositis abstractum. Vide D. Thomam 1. 2. q. 110. art. 1. & 2. 2. quæst. 17. art. 4. & quæst. 81. art. 8. aliisque locis plurimis.

Hominẽ eleuat supra statũ naturæ.

Ioan. 6. 44.

Duodecimò, Deum esse rerum omnium principium & finem. Καὶ γὰρ ἐξ αὐτοῦ πάντα, καὶ εἰς αὐτόν. Ex quâ veritate Diuus Thomas passim plurimas deducit conclusiones, vt videre est p. 1. q. 22. art. 2. quæst. 44. art. 1. 2. 3. quæst. 65. art. 2. quæst. 103. artic. 2. quæst. 105. artic. 5. item 1. 2. quæst. 69. art. 2. &c.

Deus omniũ principium & finis.

Hæc ad leonem ex vngue, vt in prouerbio est, cognoscendum satis sint.

DVODECIMA.

Iuuabit etiam non parum ad Pleniorem S. Dionysij intelligentiam & commendationem scire, innumera esse loca quæ D. Thomas ex ipso citat; Ex quibus facilè patet Angelicum Doctorem totam ferè doctrinam Theologicã ex purissimis Dionysij fontibus hausisse, cum vix vlla sit periodus, è quâ non ipse tanquam apis argumentosã Theologicum succum extraxerit, & in summam, veluti quoddam alueare, pluribus quæstionibus, articulisque, ceu cellulis, Theologico melle seruando, distinctum, redegerit.

SANCTI MAXIMI IN OPERA Sancti Dionysij Areopagitæ.

PROLOGVS.

INTERPRETE BALTAZARE *Corderio Societatis Iesu Doctore Theologo.*

MAgni Dionysij nobilitatem, & illustres diuitias, vel solus ipse Atheniensium Senatus, in quem consultor adlectus est, manifestan Areopagitarum enim vnus erat, vti D. Lucas declarauit, sacra sanctorum Apostolorum Acta describens. Vbi enim induxerat sanctissimum Apostolum Paulum Athenis existentem, cum Epicureis quibusdam Stoicisque Philosophis sermones conferentem, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum, ac mortuorum resurrectionem, & iudicium vniuersale prædicantem, ab aphilosophis (non enim reuerà Philosophi erant) comprehensum, & ad Areopagum deductum fuisse; atque concionando, quosdam è vestigio cepisse, & ad lumen veritatis adduxisse, subiungit: *Sic Paulus exiuit de medio eorum. Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.*

S. Dionysius Senator Areopagitarũ.

Act. 17. 31. A S. Paulo edoctus fuit.

Ego sanè non arbitror absque causâ præ omnibus, qui tunc D. Pauli operâ crediderunt, solum optimum Dionysium à Deifero scriptore nominatum esse, appositâ etiam ipsius dignitate (ait enim, Areopagita:) quin potiùs coniicio, cùm propter sapientiæ excellentiam, tum propter eximiam inter Athenienses inculpatæ vitæ rationem, eius cum familiâ mentionem factam esse. Sciendum enim, vt præmonui, non cuiusuis hominis fuisse, in Areopagi Senatum adscribi, sed qui apud Athenienses & genere & diuitiis, ac vitæ probitate præstabant, atque insuper illustres censebantur, in Areopagi Senatu sententiam dicebant. Ex nouem enim qui Athenis primores erant, Areopagitas iudices constitui oportebat, quemadmodum Androtion tradit in secundo libro rerum Atticarum. Postmodum verò pluribus constitit Areopagi Senatus, scilicet viris illustrioribus quinquaginta & vno, Patriciis tamen, vti diximus, & opulentiâ, vitæque modestiâ conspicuis, quemadmodum Philochorus in tertio libro earundem rerum Atticarum scribit. Porrò extra ciuitatem erat In Areopago [seu colle Martio] tribunal (prout Athenienses fabulantur) sic dictum, ex quo iuxta ciuitatem, in eodem montis fastigio, inter Neptunum & Martem iudicium conuocatum fuit. Neptunus enim (secundùm veteres Atheniensium fabulas) in hoc loco contra Martem causam dixit, asserens filium suum Halirrothium à Marte occisum, & inde collis ille ex Marte, Martius est nuncupatus. Iudicabant ergo Areopagitæ de omnibus fermè erroribus & delictis (vt Androtion in primo, & Philochorus in secundo & tertio libro rerum Atticarum tradunt (quamobrem diuinissimum Paulum, tamquam nouorum dæmoniorum præconem) sicut amator veritatis Lucas narrauit) fatuæ apud Deum sapientiæ amatores; ad Areopagitarum iudicium trahunt.

Areopagitarum dignitas qualis.

Origo Concilij & nominis Areopagitici.

S. Paulus ad Areopagum ductus.

Ceterùm cùm tunc temporis iudicio præsens adesset Maximus Dionysius, hic tanquam incorruptus iudex, prospiritifero Paulo incorruptum veritati suffragium dedit, & multum valere iubens insanam istam Areopagitarum ostentationem, verum & omnia videntem cogitationis iudicem, Christum Iesum, Dei ac Patris Filium vnigenitum, ac Verbum, quod Paulus prædicaue-

Dionysius ad fidem adducit.

A rit, statim assecutus est lumen. (Etsi enim Romani tunc imperio potiebantur, Athenas tamen & Lacedæmoniam propriis vti legibus sinebant: vnde adhuc apud Athenienses Areopagitarum Magistratus munere suo fungebatur.) Et ita Dionysius omnibus quidem salutis dogmatibus à præstantissimo Paulo initiatur, ab Hierotheo verò Maximo, vt ipsemet ait, præceptore instruitur. Deinde (vt in septimo Apostolicarum Constitutionum libro habetur) Dionysius à Paulo Christifero, Atheniensium fidelium Episcopus constituitur. Huius autem Areopagitæ meminit quoque alter Dionysius antiquissimus Corinthiorum Episcopus, & Polycarpus in suâ ad Athenienses Epistolâ.

Hierotheus Dionysij præceptor. S. Dionysius fit Episcopus Atheniensis.

Ceterùm rectitudo ac multiplex eruditio sancti huius Dionysij prorsus admiranda est, quòd ab eo verè plurimâ cum eruditione irreprehensibilibus Ecclesiæ traditionibus expositis, videre sit etiam adulterina Gentilium philosophorum dogmata ad veritatem traducti. Miserandum sanè, imò potiùs condolendum, & defectu considerationis tam paucos esse sanæ doctrinæ indagatores, quòd suâ ipsorum imperitiâ, cæterorum etiam hominum scientiæ cupidam admetiantur animi promptitudinem. Tales cùm in quorundam scripta inciderint, & fortè sensum eorum quæ dicuntur minimè assequantur, mox ad temerariam efferuntur scriptoris cauillationem: atqui cùm omnino nequeant emendare, neque redarguere quæ ipsi dicunt, oportet eos in semetipsos iram conuertere, magisque dolere, quòd diligentiam non adhibuerint, vt & ipsi scirent quæ nota sunt; aut reuerà, quòd non de similibus peritos consulendo, sint ignorantiis liberati.

Eius excellens eruditio.

B *Contra cauillatores scriptorum eius defensio.*

Quin audent aliqui hæreseos insimulare diuum Dionysium, cùm prorsus non cognoscant quæ sint hæreticorum. Si enim cum singulis quæ in hæreticis damnata sunt, huius dogmata conferrent, ab impiis istis multo magis distare cognouissent, quàm verum lumen à tenebris. Quid enim dixerint de iis quæ de solâ adorandâ Trinitate ab ipso Theologicè exponuntur? Quid de vno beatissimæ huius Trinitatis Iesu Christo, vnigenito Dei Verbo, qui perfectè humanâ indui naturâ voluit? Numquid animam intellectualem, & corpus terrenum nostro simile recensuit, & cætera quæ à rectis statuta sunt magistris? Quid porrò de intellectilibus, & intelligentibus, & sensilibus quis meritò reprehendat, aut de vniuersali nostrâ cum corpore nostro nostraque animâ resurrectione futurâ, & de iustorum & iniustorum tunc iudiciis? Ad hæc enim, vt summatim dicam, salus nostra respicit, quæ fusiùs exponere non est æquum, cùm expositio in scholiis pro occasione cuncta declaret.

C

Ita sanè, inquiunt; sed libros eius non recensuit Eusebius Pamphili, quin nec Origenes. Ad quos dicendum, quàm plurima Eusebium omisisse, quæ ad manus eius non peruenerant. Etenim non dicit omnia omnino se collegisse, quin imò fatetur innumerabiles libros ad ipsum nullatenus peruenisse. Etiam multos possem commemorare, quos ipse non habuit, & hos quidem suæ regionis, vt Hymenæi & Narcissi, qui sacerdotio functi sunt Ierosolymis. Ego sanè in aliquos Hymenæi libros incidi. Sed nec Pantæni Opera annotauit, neque Clementis Romani, duabus solùm epistolis exceptis. Sed neque plures alios. Origenes autem nescio an omnes, vix certè quatuor recensuit. Quidam verò Diaconus Romanus, nomine Petrus, narrauit mihi, omnia D. Dionysij Opera Romæ in sacrorum Scriptorum Bibliothecâ reposita seruari.

Cur non fiat eorü mentio apud Eusebiü & Origenē.

D

Iam tamen dicuntur in Vaticanâ non reperiri alia, præter illa quæ hoc libro continentur. Cur ad Timotheum libros suos scripserit.

Scribit autem plurima ad ter beatum Timotheum, sancti Pauli Apostoli discipulum, Ephesiorum Episcopum, qui Ephesi à primariis Ionicæ Philosophiæ sectatoribus, vti verosimile est, molestias sustinebat, & interrogabat quasi externæ philosophiæ peritum, quò & fortiùs dimicaret. Neque hoc dedecebat, cùm etiam amicus Dei Paulus Apostolus, sententiis Gentilium vsus fuerit, cùm fortè has à familiaribus suis Græcæ Philosophiæ peritis audiuisset. Porrò hoc etiam confirmat hæc scripta verè Dionysij esse censenda: siquidem accuratè ipsum commemorasse sententias virorum qui cum ipso floruerunt, quorum etiam diuina Apostolorum Acta, & vtilissimæ Deo amicissimi Pauli Epistolæ meminerunt, scriptorum eius integritatem declarant, sed maximè omnium, dogmatum sinceritas.

E *Meminit in iis Apostolorü.*

Cùm verò nonnulli dicant, non esse huius sancti hoc scriptum, sed cuiusdam è posteris; necesse est ipsos etiam infamem quempiam, & absurdum hunc existimare, qui talia de seipso mentiatur, quasi cum Apostolis conuersatus sit, aut litteras miserit, quibuscum numquam fuit, neque scripsit.

Ceterùm, etiam fingere vaticinium ad Ioannem Apostolum in exilio versantem, tamquam reuersurum iterum in terram Asiaticam, & consueta docturum; hoc præstigiatoris viri, & Prophetæ opinionem insanè venantis.

F

Ipsum porrò dicere, se tempore salutaris passionis Heliopoli cum Apollophane agentem, speculatum, ac simul philosophatum de solari eclipsi, quòd non secundùm naturam, neque secundùm consuetudinem tunc accidisset; dicere item se adfuisse elationi diuinarum Reliquiarum sanctæ Dei genitricis Mariæ, & sententias protexere sui præceptoris Hierothei ex funebribus ad ipsam sermonibus: fingere etiam Epistolas & verba tamquam inter Apostolorum discipulos pronuntiata: quantæ absurditatis & damnationis sit, etiam cuiuis homini, ne dicam viro adeò moribus & scientiâ eleuato, vt & sensilia cuncta transcenderet, & intellectualibus pulchritudinibus coniungeretur, & per eas, quoad fieri potest, Deo?

Commentariis quidem fusissimis, ad interpretationem copiosæ eius scientiæ opus erat; veruntamen compendiosiùs, prout liber capiebat, in Scholiis, quæ mihi visa sunt, Deo fretus, annotaui in sequentes hosce libros, quos hactenus ad manus meas contigit peruenire.

G

GEORGII PACHYMERÆ
In Opera sancti Dionysij Areopagitæ.

AD CYRVM ATHANASIVM
Patriarcham Alexandrinum Constantinopoli commorantem,

PROEMIVM.

INTERPRETE BALTHAZARE Corderio Societatis Iesu Doctore Theologo.

HOmo Dei, & fidelis serue, & dispensator mysteriorum Christi, nec non vir desideriorum, multorum quidem etiam aliorum & magnorum scilicet eorum quæ sunt spiritûs quorum omnium, carne mortificatâ, & viuere Christo, caput est; idque non ab heri, aut nudiustertius, aut à pauco, quin imò etiam à multo tempore hoc tuum fuit studium, atque adeò ab infantiâ & ab ipsâ fermè natiuitate. Nouit hæc mons Sina, & quæ ibi celebris spelunca, vbi in virtute educatus, & spiritalibus sudoribus præexercitatus, ad Marci thronum adductus: & vocationem adeptus post ipsum, longo quidem temporis interuallo, virtute tamen ipsi proximus, licet temporæ remotissimus, agnosceris. Eatenus autem sanctis eius successoribus posterior es, quatenus cùm ipsi suis temporibus luxerint ad vtilitatem populi Christiani: ita nostris temporibus reseruaris, prout nouit prouidentia, quæ cuncta custodit & producit.

Laus Cyri Athanasij. H

Præterea, huius quidem morem, illius verò fervorem, huius exactam charitatem, illius psallendi intensionem, alterius erga omnes compassionem, alius zelum, alterius mansuetudinem, & alius aliud quidpiam bonorum, tamquam ex archetypo possidens, vnam ex omnibus formam imaginis in temetipso pulcherrimam expressis.

Certè

Certè varium & magnum quid appares, tam iis qui procul, quàm his qui propè sunt. Hæc assidua tibi cura, hoc continuum studium, hæc optima desideria, quibus illiquescis, totis diebus, quærens in spiritu ea quæ sunt spiritûs. Horum vna quædam, non qualiscumque etiam meditatio diuinitus inspiratarum scripturarum, quibus quotidie attendens, & magnâ dexteritate illorum quæ dicuntur sensum explicans, & scientiam, & mores, omnemque formam exprimis disciplinæ.

Studium eius erga Dionysiū.

Sed præ ceteris etiam Magni Dionysij diuinus libellus, spiritalis ac suauis Sirenæ mansio, te detinens, totum afficit, & inibi gratiis implet, certâ rationis aures animæ minimè obturantem, neque certè mundanis affectibus implicatum, sed liberum existentem, & ab omni re exemptum, omnesque audiendi facultates & intellectum patulum habentem, ad conuenientem scilicet tam eorum quæ dicuntur, quàm quæ intelliguntur susceptionem. Ceterùm, cùm & imago illa præclara sit, cui multos etiam frequenter artifex adhibet colores, & sermo ille perspicuus, cui multa etiam alij, & sæpè dumtaxat contecturantes quæ dicantur, superaddere haud neglexerunt: idcircò sapienter quidem cogitas, & probâ mente tuâ dignasi quomodo diuinus hic liber explicetur, atque communior fiat vsus eius plurimorum intellectibus, & inde multi proficiant, ea quæ supra intellectum sunt, secundùm intellectum, & quæ supra captum, pro captu agnoscentes. Est enim etiam hic nutriendi modus minimè vulgaris, quando quis non à semetipso cibum suppeditans, tamen hunc præmacerans vel præmasticans, sumptu facilem infirmis facit, non alium proferendo, sed propositum subigendo.

Sapienter vtique quid simile cogitasti ac prouidè: quin & finem hæc cogitatio bonum sortita foret, si quæsiuisses alium, & non me, ac rationem repetisses & modum huic negotio conuenientem, & concredidisses digno, sacroque sacra tradidisses. Nunc autem, Non est, inquiunt, hoc altare pro sacrificio: tu verò etiam adhortatus es, & excitasti, & postulationibus, quantum fieri poterat, animasti, tanquam benefactor, nos (vt opinor) huius desiderij communione beando, & non tantum nostræ imbecillitati diffisus es, quantum Dei gratiæ confisus, cuius virtutem magis in infirmitate perfici cognouisti. Quid porrò nos ad tantam adhortandi vim? oportuerat percelli & recusare. Verumtamen non scio quomodo nostræ imbecillitatis obliti, atque illud, Nosce teipsum, negligentes, toti ad tua facti sumus imperia, & tamquam Patri Filij, & tamquam discipuli Magistro, & sicut serui Domino sumus obsecuti, nulli omnino alteri, quam tuis sanctis piisque precationibus confisi, quibus, opinor, etiam inuisibiliter suffulti, facile hoc opus sustinuimus.

Ecquid enim mirum? cùm etiam voce demissâ Eliæ ad Eliseum, statim hic, & boues illos, & aratra, & omnem supellectilem aliam abiiciens, quò pedes ferebant, post vocantem cucurrerit, tametsi quoque boues istos sacrificio destinasset. Eodem modo etiam nos, sæcularibus turbis ac tumultibus neglectis, toti in vno studio fuimus, quod nimirum sacris Litteris consecrauimus. Edisseram etiam hoc arcanum, quoniam quoque verum. Adeo deditus eram huic negotio, & sic replebar, vt etiam sæpenumerò sermonibus vacantem, exclamare me contigerit, dum expenderem hinc sensuum profunditatem, Inde Theologiæ sublimitatem; hic in diuinis eruditionem illic in explicando accurationem, alibi Numinis afflationem, vbique diuinitatem & securitatem.

Sublimitas scriptorum Dionysij.

Eccui demum nisi prato fertilissimo Sancti huius scripta comparem, quod velit quidem carpturiēti præcæteris pulcherrima proponi; non valeat autem, sed quasi immobilem sistat, & redire cogat præ gratiæ varietate. Sic ego non interpres, non paraphrastes, sed auditor sum. Magnum sanè si vel mysta fiam cœlestium tubarum, attamen non illicò ac repente insonantium (ne hinc etiam spiritualis facultas audiendi detrimentum capiat) sed sensim & paulatim penetrantium ad intimiorem cognitionis sonum. Qui sanè modus est vacandi ab omnibus, & intellectum applicandi ad res maximas, sensim illa quæ intelliguntur subigendo, & tandem perfectam cognitionem cum cognoscente copulando. Hoc autem mihi contulit propositi scopus, dum singula considero quæ dicuntur. Neque minùs hoc etiam addendum, quòd magnopere adiutus sim, antiquiores, tanquam populi seniores, in ascensu ad diuinum mystagogiæ montem sequendo. Qui sanè dum Sancti huius scripta interpretantur, viam eò tendentem mihi exposuerunt, ac me securum reddiderunt; quamobrem etiam contendi, donec pertingerem eò quò pertingere poteram, & quò perueni. Si quidem propè, vt spero, gratia sit Deo, à quo omne quod ab hominibus benè fit, gratia item tuis sanctis precibus, quibus fretus, ad hoc opus me accinxi, & quibus adiutus, non omnino procul à decoro aberraui.

Dionysius sensim legendus.

Quòd si hoc quidem non, sed omnino videar inutilis & reprobandus; quid pati oportet, sicubi plurimis pro sanis ex imperitiâ consimilatus, quidpiam fortè non rectè attigi; hoc ipsum sanè pro virili simul in medium proferre minimè neglexi. Tu verò anima per omnia Deum imitans, non id quod ex merito est rectè scio, quæres, sed promptum animum admittes, quandoquidem etiam Deo dicant gratum esse quod secundùm vires fit. Sed de his quidem satis; cæterùm tempus est ea quæ ad magnum Dionysium pertinent exponendi, quæ certè etiam ab antiquis historiæ mandata sunt.

Nobilitatem igitur, & illustres diuitias eius Atheniensium ille senatus declarat. Quemadmodum enim diuus Lucas historiæ mandauit in Actibus, is etiam vnus erat Areopagitarum. Cùm igitur sanctus Apostolus Paulus Athenas profectus esset, & cum quibusdam Epicureis ac Stoicis congressus, verbum veritatis prædicaret; nonnulli isthic Philosophi eum comprehendentes ad Areopagum abduxerunt, pœnas daturum propter ea quæ concionatus erat. Verùm etiam illic concionatur, & diuinæ ipsius linguæ præda fiunt, præter alios non paucos, etiam ipse Dionysius, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis. Quin & adiunctus est illi titulus dignitatis; ait enim, Areopagita: ob illustrem, vt arbitror, viri sapientiam, & diuitias, ac tertiò propter inreprehensibile viuendi institutum. Non enim cuiusuis erat inter Areopagitas censeri, sed quem multa sapientia, & proba vita, & in omnibus culpæ vacatio ad tantam euexerat dignitatem: siquidem Athenis ex nouem Principibus constitutis, oportebat esse Areopagitas, quorum numerus ad vnum & quinquaginta extensus fuit.

Nobilitas Dionysij.

Act. 17. 31.

Erat autem extra ciuitatem in colle Martio tribunal, sic appellatum, quòd ibi Mars sententiam accepisset Neptuno sceptrum proprium figendi, ad quod condemnatus fuit, quòd filium eius Halirrhothion occidisset. Iudicabant autem Areopagitæ de maioribus delictis, atque horum sententia non concedebat condemnato appellationem. Quamobrem Philosophi Paulum diuinissimum veritatis prædicatorem, tanquam nouorum dæmoniorum præconem, ad Areopagi concilium trahunt. Verùm tunc temporis cùm concilio interesset maximus Dionysius, profert sententiam incorruptam, non verbis, sed factis ipsis. Nam valere iubens collem illum, & dignitatem, & quidquid in eo illustre erat sacris Pauli vocibus concedit, & per ipsum Christo agglutinatur. Ac salutis quidem dogmatis ab ipso initiatur, sed à maximo Hierotheo magistraliter instituitur, quemadmodum ipsemet pluribus locis testatur. Postmodum etiam à Paulo fidelium Atheniensium Episcopus constituitur.

Quale tribunal Areopagi.

Conuersus à S. Paulo.

Cæterùm composita fuerunt ab hoc sancto multa etiam alia scripta, quorum quoque ipsemet mentionem facit in Operibus quæ extant. Quin & testimonio comprobatum est, hæc longo tempore in Romanâ Bibliothecâ deposita, fuisse asseruata. Scribit autem plurima ad sanctum Timotheum Ephesiorum Episcopum, à primariis Ionicæ Philosophiæ sectatoribus, Ephesi plurimas, vt vero simile est, molestias sustinentem, & sanctum hunc, tanquam externæ Philosophiæ peritum, consulentem, vt validiùs dimicaret. Colliguntur porrò ex prædictis huius Patris scriptis etiam alia, quæ apud nos mi-

Quot libros scripserit sanctus Dionysius.

nimè

nimè reperiuntur, videlicet de Angelicis proprietatibus, de Animâ, de Iusto ac diuino iudicio, de diuinis Hymnis, de Intellectilibus & sensilibus, de Theologicis informationibus, de Symbolicâ Theologiâ.

Platonici multa ex Dionysio furati sunt.

Sciendum quoque, aliquos externos Philosophos, præsertim Proclum, contemplationibus beati Dionysij frequenter vsum fuisse, atque adeò etiam meris ipsis dictionibus. Vnde licet opinari, veteres Philosophos Athenienses, ipsius Opera sibi vendicantes, occultasse, vt ipsi diuinorum eius librorum partes, viderentur. Quòd autem familiare ipsis fuerit sibi nostra vendicare, docet etiam D. Basilius in illud, *In principio erat Verbum*, super illâ dictione hoc modo disserens: *Hac ego quidem noui, multos, etiam ex iis qui exsortes Verbi veritatis, in mundanâ sapientiâ gloriantur, & admirari, & scriptis suis inserere audere; diabolus enim fur est, ac nostra suis interpretibus diuulgat.* Atque hæc quidem D. Basilius. Cæterùm iam nobis etiam inchoanda paraphrasis ad verbum, cuius etiam fusior subinde est danda ratio, arcanum sensum explanantibus, partim quidem ex nobis ipsis, partim verò ex veterum interpretatione.

Ioan. 1.

S. DIONYSII AREOPAGITÆ de Cœlesti Hierarchiâ:

INTERPRETE BALTHAZARE Corderio Societatis Iesu Doctore Theologo.

CAPVT PIMVM.

Sympresbytero Timotheo Dionysius Presbyter.

Diuinam omnem illustrationem, secundùm bonitatem diuersimodè ad ea quæ prouidentiâ reguntur emanantem, manere simplicem: neque hoc solùm; verùm etiam vnificare ea quæ illustrantur.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Docet, omnem lucem ac gratiam spiritalem à Deo Patre ad nos deriuari, & nos cum Deo coniungere.

2. Inuocato Christo, proponit cœlestes hierarchias ex Scripturis interpretari: quæ licet multiplicem sensum figuratam admittant, simplicem tamen semper habent sensum litteralem.

3. Ostendit, res cœlestes ac spiritales, ad captum nostrum, in Scripturâ materialibus figuris describi, & methodum ac rationem suggerit, quomodo ex illis ad cœlestes contemplationes assurgere mens nostra possit.

§ 1. Iac. 1. 17.

OMNE datum bonum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum: quin & omnis à Patre mota illustrationis emanatio, in nos beneficè exundans: denuò ceu vnifica vis, ad supera nos reuocando simplificat, & conuertit ad congregantis Patris, vnitatem, & ad Deificam simplicitatem. Quoniam ex ipso & in ipsum sunt omnia, vt sermo sacer ait.

Omnis illustratio Scripturæ à Deo, & ad Deû. Rom. 11. 36.

§. 2.

Quamobrem IESVM inuocantes, qui paterna lux est vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per quem ad originem lucis Patrem accessum obtinuimus, ad sacratissimorum à Patribus traditas Eloquiorum illustrationes pro viribus suspiciamus; nec non ab ipsis symbolicè nobis & anagogicè patefactas cœlestium mentium hierarchias, prout possumus intueamur; atque principialem & super-principialem Patris, qui principium Diuinitatis est, illustrationem (quæ nobis Angelorum in figuratis signis beatissimas elucidat hierarchias) immaterialibus & intremulis mentis oculis intromittentes, ex eâdem rursus in simplicem eius radium intendamus: quanquam neque ipsamet vnquam intimâ suâ vnitate destituitur sed ad sublimantem & vnificantem eorum qui prouidentiâ gubernantur contemperationem, dum, vti decet, benignè multiplicatur atque emanat, etiam intus in semetipsâ stabiliter manet, immobili identitate vnimodè firmata, & ad se vt fas est attendentes, pro cuiusque capacitate, simplificatiuâ suâ vnione surrigit, vnificatque. Neque enim potest aliter diuino-principalis ille radius nobis illucescere, nisi sacrorum varietate operimentorum anagogicè obuelatus, nobis quoque paternâ prouidentiâ connaturaliter ac propriè sit accomodatus.

Ioan. 1. 8. Per Christum accedendum ad Patrē.

Ex Scripturis sacris cœlestis cognitio.

Sensus Scripturæ multiplex; sensus eius simplex, vnio cum Deo.

§. 3. Cur res spiritales in materialibus adūbrata.

Quapropter primitiua illa rituum sacrorum institutio, sanctissimam nostram hierarchiam, supermundanâ cœlestium hierarchiarum imitatione dignam censens, prædictas immateriales hierarchias, materialibus figuris & formatiuis compositionibus variegando transcripsit, vt pro nostra cum illis proportione, à sacratissimis fictionibus ad simplices figuratum expertes anagogas & similitudines euehamur; quandoquidem fieri non possit, vt mens nostra ad immaterialem illam cælestium hierarchiarum imitationem ac contemplationem intendatur, nisi è propinquo, materiali vsa fuerit manuductione: cogitando scilicet, apparentes has pulchritudines, arcanorum esse decorum effigies, ac sensiles odorum suauitates, expressas esse figuras spiritalis dispensationis; & immaterialis illustrationis speciem præ se ferre lumina materiata; vti & contemplatiuæ secundùm mentem saturitatis, sacras illas diffusas disciplinas; & diuinis consonæ atque ordinatæ affectionis, eorum qui hic sunt ordinum gradus: ac IESV participationis, diuinissimæ Eucharistiæ communionem: & quæcumque alia cœlestibus quidem naturis supermundialiter, nobis verò symbolicè tradita sunt. Huius igitur nobis proportionatæ deificationis ergo, benigna initiatio primitiua, cùm cœlestes hierarchias nobis exhibendo, tum nostram hierarchiam ad captum nostrum, deiformis illarum sacerdotij assimilatione, coadiutricem earundem initiando, supercœlestes illas mentes sensilibus imaginibus, in sacroscripturisticis Eloquiorum compositionibus descripsit, vt nos per sensibilia ad spiritalia adduceret, nec non ex effictis sanctè symbolis ad simplices cœlestium apices hierarchiarum.

Quomodo à terrenis ad cælestia mēs assurgat.

Cœlestia ad captū nostrum in Scripturis expressa.

SCHOLIA S. MAXIMI.

HIERARCHIÆ.] Cùm inscriptio sit *Hierarchia*, vocare solet *Hierarchas* Episcopos. Sciendum itaque, quòd *Hierarchia* quidem sit constitutionis ipsius sacrorum præfectura, & quasi cura: & *Hierarcha*, sacrorum præses, & curator, & prouisor; non tamen Sacerdotum, sed ordinis, & ipsorum sacrorum & Ecclesiæ, rituumque moderator, non tamen Princeps Sacerdos. Hanc autem expositionem ipse quoque Magnus Dionysius adfert infrà in libro de Ecclesiasticâ hierarchiâ.

Hierarcha & Hierarchia quid.

PRESBYTER.] Nota, Presbyteri nomen quoque Episcopum significare, quoniam Episcopus quoque Presbyter est. Atque hoc significatur etiam in Actis sanctorum Apostolorum, vbi sanctus Apostolus Paulus Asiaticas componit Ecclesias.

Presbyter quid significat. Act. 20. 26.

§. 1.

OMNE DATVM BONVM.] Obserua, quomodo B. Dionysius vsus sit Epistolâ Catholicâ S. Iacobi. (nam inde est hæc sententia:) quare tum erat edita.

QVONIAM EX IPSO.] Hæc de Filij Diuinitate disserit.

§ 2.

A PATRIBVS TRADITAS.] Patres hîc designat illos, qui ipsi doctrinam hanc tradiderunt, non autem naturales, quoniam ex Gentilibus erat, vt declarant Acta sanctorum Apostolorum, & ipsemet in Epistolâ ad S. Polycarpum, & in nono cap. Cælest. hierarchiæ.

SYMBOLICE.] Non enim sermone naturali, inquit, sed per symbola quædam & imagines.

MENTIVM.] Mentes vocant etiam gentiles Philosophi, intelligentes seu angelicas virtutes, quoniam quilibet illorum totus mens est, & omnem substantiam, secundùm speciem suam essentialem, habet mentem viuentem. Græcè νόες vocantur, vt sit suauior vocis inflexio: quoniam oportuisset à voce νοῦς, νῦ, plurale νοῖ esse, sed

Mentes vnde dictæ.

euphoniæ

euphoniæ gratiâ, ex alio recto singulari factum esse ...... Viiis enim est hic Atticis, qui dicunt Ἀ..., & Σω..., pro Ἀριστερας & Σω... Sunt verò etiam qui dicant ..., tanquam à ..., ... Vocat autem ipsos etiam Scriptura hoc nomine, vt in Isaiâ: *Mens magni Princeps Babylonis*, hoc est diabolus. Secundùm Ioannem. Itaque ..., sicut χρῖς, χρεὼς, ... χρέει. Hæc enim est Ionica inflexio.

Deus super-principialis dictus.

SVPERPRINCIPIALEM.] Deus est superprincipialis, tanquam supra omne principium; & lumen Diuinitatis initiarium; vtpote principium eorum qui appellantur Dij; Angelorum, inquam, & hominum iustorum.

INTIMITATE.] Intimitatem vocat occultationem; omnibus enim extra ipsum existentibus ignotus est.

CONTEMPERATIONEM.] Nota contemperationem, & quoniam Diuinitas, cùm sit vna multiplicatur.

Operimenta sunt symbola.

OPERIMENTORVM.] Operimenta vocat ea quæ corporeo modo de Deo dicuntur in Scripturis: veluti membrorum humanorum vel virtutum aliquarum appellationes. Aduerte autem, quòd sine typis & symbolis non possumus, dum in corpore sumus, aspicere incorporea & materiæ expertia. Atque hoc potissimùm designabant vela ista quæ erant in tabernaculo, quemadmodum hic insinuatur.

CONNATVRALITER.] Id est, conformiter naturæ, modo nobis affini ac noto.

§. 3. ... quid sit.

RITVVM PRÆSES.] Communicatio mysteriorum secundùm Gentiles Philosophos Græcè ... dicitur, quòd nimirum perficiat initiatum, & in se vim habeat perficiendi eos qui ad istiusmodi accedunt. Primitiua igitur sacrorum rituum institutio, est diuina functio, quâ sacra nostra mysteria coordinantur ac disponuntur, quæ per Apostolos, ex Deo perfectiuorum horum bonorum principium existit. Initiatos enim D. Paulus Apostolus perfectos vocat, dicens: *Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.*

Philip. 3. 15.

Supermundana quæ.

SVPERMVNDANA.] Vox hæc *supermundana* non sensiliter intelligenda est, sed intellectiliter, & supra mundum hunc nostrum. Aduerte autem, quas dicat figuras, & formatiuas compositiones, seu imagines, quas deinceps proponit.

Fictiones quales.

FICTIONIBVS.] Nota quòd fictitias hic vocet mysticas illas traditiones, quas explicat in libro de Ecclesiasticâ hierarchiâ. Hoc autem, vt Deum decet, accipiendum est. Vox itaque *formatiuis* respondet *fictionibus: compositionibus* verò vox *simplices & figurarum expertes.*

Quæ sit manuductio materialis.

MATERIALI.] Materialem manuductionem vocat, dictis rebus materialibus, ad ea quæ supra sensum sunt consideranda, adduci.

Quid sint apparentes pulchritudines, diffusa disciplina, ordinum gradus.

APPARENTES.] *Apparentes* autem *pulchritudines* vocat sacrarum ædium ornatus; & *diffusas disciplinas*, sanctarum Scripturarum lectiones; *distinctionum* verò *ordines*, Sacerdotum gradus. Nota verò, aspectabiles has pulchritudines, imagines esse inaspectabilium distributionum, vti declarat etiam Apostolus in Epistolâ ad Hebræos, dum ea quæ ad tabernaculum spectant contemplatur: & Moyses, cùm ait, *Fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.*

Exod. 25. 40.

DIFFVSAS.] Diffusæ disciplinæ sunt, quæ rebus visis & gestis planiùs explicant res illas spiritales, quæ vnitè & confertim cogitationibus occurrunt.

Habitus quid.

AFFECTIONIS.] Hæ affectiones, sunt diuinæ quædam dispositiones. Habitus autem est qualitas immanens. Hic verò etiam ordines Ecclesiastici, illos habitus seu affectiones quæ illic sunt corporis expertes, exprimunt; nam isti habitus sunt rerum incorporearum. Vbi obseruandum, sacerdotalem illam mystagogiam, quæ apud nos perficitur, imitationem quamdam esse cælestis hierarchiæ.

SVPERMVNDIALITER.] Illud *supermundialiter* non sensiliter intelligendum est sed spiritaliter, & supra mundum hunc nostrum.

SACROSCRIPTVRISTICIS.] Hoc est; sermonibus de ipsis sacro quodam modo compositis in Scripturis.

NOS ADDVCERET.] Notandum quomodo ad Dei notitiam adducamur, nosque ad eam Christus adducat.

Apex quid.

APICES.] Nihil vulgàriter dictum est ab hoc Sancto, sed omnia doctè, propriè, piè. Cùm itaque nostrum sacrum ordinem per symbola materialia, eaque fusa, nec non per fictiones ad captum nostrum, vt Angelicæ sacræ dispositionis typum & imitationes, dixerit initiari, meritò sacrum eorum ritum appellauit apicem. Nam qui his rebus vacant, vocare solent apicem id quod in qualibet essentiâ purissimum existit, & ex quo continenter, id est continuò, pendet ipsamet essentia: vt, verbi gratia, apex animæ est purissima eius mens, & amoris apex est transcendentium ac diuinissimarum mentium ignitus amor. Nostræ igitur etiam Hierarchiæ ac mysticæ descriptionis apex, est id quod in eâ purissimum est, ex quo pendet, & proximè ad immaterialitatem accedit. Purissimum itaque nostrum symbolum, est apex quidam figurâ carentium & simplicium incorporeorumque mysteriorum, cui hæc Hierarchia, cum sacræ cuidam, quæ apud homines est, cærimoniæ copulata innititur, & adducit ad pura spectacula spiritalis imitationis, quæ hic meritò harum corporearum ac materialium apex appellatur.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Hierarchia quid.

CVm titulus sit *Hierarchia*, sciendum est, Hierarchiam esse constitutionis ipsius sacrorum principium, & quasi curam; atque Hierarcham esse sacrorum moderatorem & curatorem ac prouisorem, non tamen Sacerdotum, sed qui tam sacra, quàm eorundem & Ecclesiæ mysteriorumque ordinem distribuit, neque tamen Princeps est Sacerdotum. Hanc explicationem etiam magnus ipse Dionysius in libro de Ecclesiasticâ Hierarchiâ ponit. Neque secùs etiam hoc modo dicere liceat: Hierarchiam esse sacrum quoddam regimen, quo sanctè quis regit ac regitur; ita vt neque in regimine tyrannis sit, neque in subiectione violentia. Porrò vt hanc definitionem absoluamus, dicimus, eum non ab iisdem quos regit, regi, sed ab aliis quidem regi, alios verò regere, vti decimo quinto capite præsentis Libri accipit. Cælestem verò vocat, ad distinctionem nostræ Hierarchiæ, de quâ seorsim alium quemdam Librum componit.

§ 2. Presbyter quid.

Magnus Dionysius ad Ephesiorum Episcopum Timotheum, quem & Compresbyterum, id est Coepiscopum, vocat, sicut ipse se Presbyterum seu Episcopum (nam & eodem modo Paulus Asiæ componens Ecclesias loquitur, vt in Actis refertur) ex Iacobo prooemium mutuando ait: *Omne datum bonum, & omne donum perfectum*, & indeficiens in semetipso, tametsi pro suscipientium habitudine sæpenumerò deficiat: quòd vtique non ex dono prouenit, sed ex viribus nostris, quæ capiunt quantum possunt. Quemadmodum enim ipse sol, diuersis rebus subditis apparens, alterum altero plus calefacit, idque non ob solis, sed eorum quæ solem excipiunt diuersitatem: sic vtique diuinum donum cùm sit perfectum, pro suscipientium capacitate vel remittitur vel intenditur. *Omne* igitur *donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Patrem autem luminum Magnus hic Iacobus Deum vocat, vtpote patrem misericordiarum, qui & ipsemet lux est, & creator ac conseruator luminum: pater enim est qui producit & conseruat quæ ex ipso sunt; sic & Deus pater luminum, vt qui omnis creaturæ conditor existat. Non dixit autem, pater cæli, neque terræ, sed luminum, propter propositum; quoniam etiam dona ex illustratione diuinâ hominibus obtingunt. Hunc Patrem luminum in decursu etiam absolutè solùm Patrem nominat, dicens: Ad vnitatem Patris congregantis, vt qui creator sit ac conseruator noster omnisque creaturæ: quanquam etiam aliàs Pater luminum sit, scilicet Filij, ac Spiritus sancti. Sed & omnis à Deo proficiscentis illustra-

Act. 20. 18. Iac. 1. 17.

Iac. 1. 17. Pater luminum quis & cur sit dictus.

tionis

A

Illustratio nos vnit & simplificat.

tionis prouentus, ad nos ex bonitate dimanans, denuò, ceu ipsamet vis vnifica, sursum nos eleuat, simplificatque, & quid vnum facit, atque ad vnum sapiendum informat; nec non à terrenis conuertit ad congregantis Dei Patris vnitatem, ac deificam simplicitatem. Eò enim vsque sententiis dissidemus; quamdiu secundùm mundum ambulamus: quando verò ad Deum assumpti fuerimus, tunc vnum simus in Deo, atque eius gratiâ per simplicitatem deificamur, sicut etiam Dominus ad Patrem suum ait: *Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* Illud itaque, Omne donum ex Deo, ex Iacobo sumpsit; istud autem, Quoniam omne bonum in ipsum tendit, & nos sursum leuat, ex semet ipso posuit, vtrumque porò consummat ex Apostolo dicente: *Quoniam ex ipso omnia, & in ipsum.*

Ioan.17.22.

§. 2. *Christus vera lux.*

Cùm itaque ex Deo sit, & in Deum tendat omne bonum agedum inuocantes saluatorem Dominum, qui Patris lux est ac splendor, qui est, qui verus est. Vel coniunctim quia etiam res nostræ dicuntur esse, sed per participationem, & non propriè. Vel cum interpunctione. Lux. Qualis lux; Quæ est: neque enim subsistentiâ caret, vti lumen hoc nostrum. Qualis lux; Vera, iuxta Euangelistæ Ioannis vocem; *Erat lux vera*; nam subiungit, *Qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, per quam etiam ad principium lucis Patrem accessum obtinuimus: principium inquam lucis; vel quia principium & causa luminum est, Filij [scilicet] ac Spiritus sancti; vel quòd ab initio lux existat, nihil autem principio superius est. Agedum ergo, inuocantes Dominum, ad illuminationes Scripturarum à Patribus traditarum pro viribus aspiremus, & quæ ab illis symbolicè & anagogicè (neque enim naturaliter, sed per signa quædam res cœlestes demonstrarunt) traditas diuinarum virtutum hierarchias: quas etiam Mentes appellat, ad nostri differentiam, qui sensu viuimus, nam & sic Isaiæ, mens magna Assyrius; & item, mens magna, Princeps Babylonis, id est diabolus. Diuinarum inquam mentium hierarchiam, quoad possumus, intueamur, atque illustrationem quæ ex Deo est, sine quâ neque ipsas cœlestes virtutes, neque Deum nosse valemus, quantum fas est inspiciamus; principialem [inquam] illam, vtpote ab initio existentem, & superprincipialem: quia nihil de Deo satis significanter efferri potest, quin imò hic omnis oratio omnisque cogitatio deficit; sic & essentia & superessentialis, nec non Deus & supra Deum. Hanc itaque illustrationem, quæ ex Deo est suscipientes, Angelorum hierarchias in figuratis symbolis & imaginibus exprimit, immaterialibus & intremulis oculis, id est, fixis seu tranquillis (amat enim Deus tranquillitatem, sicut virtus contraria turbationem) rursum ex ipsamet illustratione ad diuinum radium intueamur, iuxta primam propositionem quam fecimus, Quoniam ex ipso bonum & in ipsum; atque ita in diuinâ simplicitate vnificemur. Neque enim ipse, dum in suscipientibus multiplicatur, à propriâ illâ suâ vnicâ simplicique intimitate atque occultatione deficit, (siquidem omnibus extraneis incognitus existit) dum verò pro eorum qui prouidentiâ reguntur captu per bonitatem multiplicatur ac variegatur, denuò intra semetipsum firmiter in immobili identitate manet, atque in ipsum intuentes vnificat, idem in se permanens; non secùs ac lumen, dum luculenter illuminat, idem etiam in se remanet secundùm simplificam suam & vnificam vnionem identitatemque, & se excipientes, pro cuiusque captu, in quantum accedunt, illustres reddit. Vbi obserua, vt suspicere quidem nostrum, sed illustratio & eleuatio fit à Deo. Nisi enim è rebus sæcularibus emerserimus suspexerimusque, quomodo eleuatio & illustratio nobis obtingat; iuxta illud, *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Neque enim, inquit, fieri potest vt diuinus ille radius nobis illuceat, nisi quibusdam rerum nobis familiarium velamentis fuerit obuelatus, (nam intolerabile lumen eius ac virtutem quis sustinebit;) & ex rebus nostratibus, Dei prouidentiâ, connaturaliter ac propriè nostris sensibus sit accomodatus: quando nimirum corporaliter ea quæ incorporea sunt efferimus, vt cùm de Deo membra huma-

B

Ioan.1.9.

Illustrationes Scripturæ quales sint, & quomodo excipiendæ.

C

D

Ps.120.1. *Scriptura cur sit symbolica.*

E

na, sororesque, ac somnos aliaque similia enuntiamus; siquidem hæc velamenta sunt. Quando igitur ea quæ sensum superant per res sensibiles explicamus, tum nostra hæc hierarchia similis est cœlesti & occultæ: sic enim placuit mysteriorum principi sacrorum constitutioni, quæ sacrorum rituum nostrorum ordo & traditio est: siquidem initiatio seu perfectio, sacrorum mysteriorum communicatio nuncupatur, vt quæ initiatos perficiat; atque ita consecratos, perfectos vocat Apostolus, dicens: *Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.*

Phil.3.15.

§. 3.

Complacuit itaque mysteriorum principi sacrorum constitutioni, immateriales cœlestesque hierarchias materialibus figuris ac formis exponere, vt pro captu nostro ab hisce sacris efformationibus, ad formatum figurarumque expertes anagogas traducamur. Ecce, enim inquit, facies secundùm exemplar quod tibi monstratum est: quandoquidem fieri non possit, vt mens nostra ad immaterialem istam constitutionem immediatè fastigatur, nisi formis quibusdam ac figuris quasi manuducta fuerit, & ex his illa coniecerit. Atque apparentes quidem pulchritudines, templi dico venustatem ac decorem, occultæ illius venustatis imagines præ se ferre; suaues verò thymiamatum odores, spiritalis esse traditionis effigiationes: traditur enim illic illustratio, quemadmodum hic odoris fragantia. Cereorum autem oleique luminaria, sunt illius illuminationis imagines, vti etiam illius contemplatiuæ, quæ secundùm mentem est, saturitatis: quoniam id quod ex parte est, non secùs ac nus, secundùm Apostolum, euacuabitur. Diffusæ porrò disciplinæ sunt saturitatis visarum rerum ac sermonum demonstrationes. Quænam autem est contemplatiua mentis satietas? quando nimirum res diuinas mens inuestigat & per contemplationem quidpiam comprehendit, repletur vtique ac saturatur. Quid enim est rerum diuinarum, quod non mentem eleuet, atque affectum eius, qui quædam fames est, sistat & exsatiet; quemadmodum scriptum est: *Memor fui Dei, & delectatus sum*, & iterùm: *Sitiuit te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* Sitit anima ac repletur, vtpote habens apta receptacula diuinarum cogitationum: sitit caro, sed quàm multipliciter respectu animæ; neque enim habet aptitudinem recipiendi, cùm sit omnino extranea diuinis & spiritalibus insinuationibus: quapropter tanquam egena, intentum semper habet appetitum, mens autem semper plena est eius quod apprehendit. Huius ergo satietatis imagines sunt, sermonum demonstrationes rationibus dilatatæ. Porò eius quæ semper & eodem modo se habet rectè ad diuinas res ordinatæ habitudinis (nulla enim ibi inordinatio, sed omnino concinna constitutio, quippe circa idem semper diuinis rebus manentibus, nobisque perenni fluxu apparentibus (harum, inquam, ordinatarum habitudinum imagines sunt illi, quos hîc habemus, ordines sacri, gradus, stationes, cathedræ, stolæ, & si quæ sunt eiuscemodi, quæ ordinem habent immutabilem, finemque Iesu participationis diuinam communionem, quam & Eucharistiam vocat: eò quòd Dominus noster, quando diuinum illud mysterium tradidit, gratias egerit; nobisque sint agendæ gratiæ, quòd tantis bonis potiti simus, & quæcunque alia illis quidem supermundialiter supraque hominem, nobis autem symbolicè tradita sunt, & per signa: neque enim aliter est ista nosse, dum crassam hanc carnem circumferimus.

F

1. Cor. 13.10. *Exempla quædam symbolica.*

Ps.76.4. Ps.62.2.

G

H

Nostra hierarchia est ad similitudinem cœlestis.

Propter hanc itaque nostram pro cuiusque captu deificationem, (eo enim quo possumus modo initiamur; sensibiliter quidem, in quantum sensu viuimus, ratione nobis conuenienti per symbola; spiritaliter verò, in quantum mente gubernamur, modo nobis accommodato perapparentem mystagogiam & illustrationem: siquidem illam illustrationem deificationem vocat, quod vtique est perfectissimum: per inferiora namque superiora discimus; per illa verò vnitiuè deificamur (propter hæc igitur, inquam benignus ille Sacerdotalis Ordo, hierarchias istas figuratè manifestans, nostramque hanc hierarchiam illi in sacris associans, secundùm eam quæ dari poterat similitudinem, sensibilibus imaginibus res inuisibiles quibus-

dam sacræ ac diuinæ prorsus Scripturæ locis descripsit; quò nos per sensibilia ad spiritalia traduceret, nec non per signa hæc ad cœlestes illas simplices compositionisque expertes altitudines ac summitates: nam summitates solemus appellare, quod in quauis essentiâ præstantissimum est, sicut, verbi gratiâ, mens, animæ summitas appellatur; & amoris summitas, feruens desiderium; adeoque nostræ hierarchiæ summitas, illa cœlestis non immeritò nuncupatur.

CAPVT II.

Quòd aptè res diuinæ atque cœlestes dissimilibus etiam signis explicentur.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Facit Operis huius distributionem.*
2. *Monet, figuras illas, quibus res cœlestes ac spiritales describuntur, rebus ipsis esse dissimiles; & simul obiectioni occurrit, ac rationem reddit, cur magis expediebat res istas cœlestes rerum ignobiliorum formis delineari, quàm nobiliorum.*
3. *Ostendit duplicem esse sacræ descriptionis modum: vnum scilicet, per similes: alterum, per dissimiles figuras: vbi etiam de Deo quadam per affirmationes, & quadam per negationes prædicari: & negationes ait affirmationibus præstare, & absonas similitudines ad mentem nostram erigendam esse aptiores.*
4. *Tradit, ex rebus omnibus aliquid boni colligi posse, & simul explicat, quomodo passiones iræ, concupiscentiæ, & res similes intelligendæ sint, quando Angelis attribuuntur.*
5. *Ostendit, quomodo etiam ipsemet Deus in Scripturis aliquando à summis, aliquando à medijs, aliquando etiam à rebus infimis denominetur.*

§. 1. Distributio Operis.

MEa vtique sententiâ, primùm quidem exponendum, quem omnis hierarchiæ scopum esse censeamus, quidque suis quælibet diuinis contemplatoribus prosit: deinde verò cœlestes Hierarchiæ celebrandæ, secundùm earundem mysticam in Oraculis explanationem, posteà denique dicendum, quibus formis sacris cœlestes istos ordines Eloquiorum sacræ delineent descriptiones, nec non ad qualem adduci deceat per formas istas simplicitatem, ne & nos, more vulgi, sacrilegè opinemur, cœlestes illas ac deiformes intelligentias, multipedes quasdam esse ac multiformes, nec non ad boum pecuinam, ferinámve leonum naturam efformatas, & ad aquilarum curui rostri speciem, vel ad volucrum hirsutam plumescentiam effictas, rotasque aliquas igneas supra cœlum imaginemur, ac sedes materiatas, Deo deorum ad discumbendum accommodatas, & quosdam equos multicolores, hastatosque duces exercitus, & quæcumque alia nobis ab Eloquiis fictione quadam sacrâ, explanatoriorum varietate signorum sunt transscripta. Enimuerò palàm Theologia Poëticis sanctè fictionibus, in carentibus figurâ mentibus vsa est, ad nostrum, vti dictum est, intellectum attendendo, necnon propriam ipsi & connaturalem ad superna transitum prouidendo, & ad eundem accommodatè sacras Scripturas anagogicas effigiando.

Ezech. 1. 7. *Dan. 7. 9.* *Zach. 1. 8.* *2. Mach. 3. 25.* *Ios. 5. 13.*

§. 2. Figuræ quibus res spiritales describuntur, sunt ipsis dissimiles. Occurrit obiectioni eorū qui censent, nobiliores

Quòd si cui videantur sacræ quidem approbandæ compositiones, quòd res simplices seipsis ignotæ nobis & inuisibiles existant; dissimiles profectò esse sciat sanctarum mentium in Eloquiis delineationes, nec non omnem hanc rudem quandam esse, vt ita dicam, nominum Angelicorum inumbrationem. Sunt & qui dicunt, Theologos oportere, dum ad omnino incorporearum rerum corporationem veniunt, propriis illas, & quoad fieri potest, cognatis efformare atque explicare speciebus earum quæ apud nos sunt præstantissimarum, & ex parte immaterialium ac transcendentium substantiarum; & nequaquam cœlestibus ac deiformibus simplicitatibus, terrenas illas infimas circundare multiformitates. Siquidem id nostræ magis etiam conduxisset sublimationi, neque supermundiales explanationes ad incongruas dissimilitudines coëgisset: hoc autem & diuinas nefandè virtutes eleuat, atque nostrum pariter errare facit intellectum, dum immundis istis inhæret compositionibus; & fortassis etiam putabit, supercœlestia leoninis quibusdam & equinis examinibus referta esse, nec non mugitu reboantibus laudum canticis, & auicularium gregum prærectoris, aliisque animalibus; ac vilioribus materiis; quas ad absurditatem & spurcitiam, ac passionem prouocando, per omnia dissimiles eiusmodi elucidantium Eloquiorum similitudines describunt. Veritatis tamen, vti reor, indagatio demonstrat, sacratissimam Eloquiorum sapientiam, in cœlestium effictionibus intelligentiarum vtrumque luculenter prouidisse, vt neque virtutes diuinæ (vt ita quis dixerit) contumeliosiùs extenuarentur, neque nos humi repentibus imaginum vilitatibus tenaciùs affigeremur.

Figuras fingi debuisse.

Cur Scriptura rebus etiā vilibus, res cœlestes repræsentet.

Cæterùm, cur merito figurâ carentibus figuræ, & effigies ineffigiatis rebus obductæ fuerint, non solàm causam dixerit quis esse nostram imbecillitatem, quæ nequit immediatè spiritalibus intendere contemplationibus, indigetque propriis ac connaturalibus, quibus erigatur, adminiculis seu anagogiis, quæ perceptas à nobis effigies ineffigiatis ac supernaturalibus spectaculis prætendant; sed quòd hoc mysticis etiam Oraculis vel maximè conueniat, vt ineffabilibus & sacris ænigmatibus recondant, & inaccessam vulgo constituant sacram illam & arcanam supermundanarum mentium veritatem. Quilibet enim non est sanctus, neque omnium, vt Oracula testantur, scientia est. Porro si quis absonas effigiationes improbarit, pudendum asserens, tam turpia deiformibus sanctissimisque adornationibus affingere simulacra, satis sit illi reposuisse, duplicem esse sacræ illius mysticæ manifestationis modum:

1. Cor. 8.

§. 3. Duplex modus sacræ descriptionis

Vnum quidem, qui, vt par est, per similes sacrarum figurarum imagines procedit; alterum verò, qui per dissimiles efformationes ad omnimodam dissimilitudinem & discrepantiam effingitur. Denique venerandam superessentialis Deitatis beatitudinem, elucidantium Eloquiorum mysticæ traditiones aliquando quidem vt Verbum, & mentem, & substantiam laudant, conuenientem Deo rationalitatem atque sapientiam eius declarantes; nec non essentialiter essentem existentiam, & rerum existentiæ causam veram, atque instar lucis ipsam effingunt, & vitam appellant: cuiusmodi figmenta sacra, cùm quidem magis congrua sint, materialibusque figuris antecellere quodammodò videantur, attamen vel vt sic etiam à diuinæ similitudinis veritate deficiunt; siquidem excedit omnem essentiam & vitam, neque ipsam vlla lux exprimit, omnisque ratio ac vita ab eius similitudine incomparabiliter desciscit. Nonnunquam verò dissimilibus elucidationibus ab iisdem Eloquiis supermundialiter celebratur, dum illam inuisibilem, & infinitam, & incomprehensibilem appellant, & ex quibus non quid est, sed quid non est significatur. Atque hoc, vt arbitror, magis ipsi proprium est: nam, vti arcana illa sacerdotalisque traditio insinuauit, verè dicimus, eam non esse secundùm quidquam eorum quæ sunt, licet eius superessentialem & inuisibilem & ineffabilem infinitatem ignoremus. Cùm ergo negationes in diuinis veræ, affirmationes verò incongruæ sint; arcanorum obscuritati magis propria est rerum inuisibilium per dissimiles effictiones explanatio. Siquidem condecorant, non dedecorant; cælestes adornationes sacræ huiuscemodi Eloquiorum descriptiones, dum dissimilibus eas formarum fictionibus explanant; his ipsis declarantes, vt rebus omnibus materialibus supermundialiter antecellant. Quòd verò absonæ similitudines magis mentem nostram erigant, nemo, vt opinor, cordatus contradicet: in nobilioribus enim formis effingendis credibile est errare aliquos, qui existimant esse naturas cælestes specie quâdam aureâ, viros quosdam micantes, fulgore decoros, vestitu splendido amictos, igneum quiddam innoxiè vibrantes, & quæcunque aliæ eiusmodi formæ sunt, quibus Theologia cœlestes mentes figurauit. Quod quidem ne iis eueniat qui nihil altius, quam illa

Ioan. 1. 1. *Psal. 135.* *Quænam affirmētur de Deo.* *Ioan. 1.*

Quæ negatiuè prædicentur in Deo.

1. Tim. 6. 16. *Ps. 144. 11.* *Rom. 11. 33.* *Negationes de Deo veriùs prædicari.*

Absonas similitudines magis mentem eleuare.

A

illa pulchra & speciosa quæ apparent, mente complexi sunt, sanctorum Theologorum sapientia, quæ sursum ducendi vim habet, ad dissimilitudines absonas sanctè se deiicit, non permittens id quod in nobis materiale est, illis indecoris imaginibus inhærendo acquiescere; sed ipsâ deformitate figurarum excitans & stimulans superiorem animæ portionem, tanquam nefas sit, & ne iis quidem, qui rebus terrenis valdè affixi sunt, verosimile videatur, tam absurdis formis similia reuerà esse illa supracœlestia & diuina, quæ in symbolis cum admiratione spectantur. Quin & hoc sciendum, nihil eorum quæ existunt, penitus esse boni participatione priuatum; cùm, vt ait Veritas, omnia bona valdè.

Nihil est exsors bonitatu. Gen. 1. 31.

§. 4. Ex omnibus aliquid boni colligendum.

Est igitur ex omnibus capere bonas contemplationes, quia & viris intelligentibus ac spiritalibus licet iam dictas dissimilitudines ex rebus materialibus efformare: cùm res spiritales alio ipsas modo habeant, quàm rebus sensibilibus attributæ sint. Siquidem affectus iræ creaturis irrationalibus ex impetu passionis ingeneratur atque omni irrationalitate plenus est irascibilis eorum motus: sed in rebus spiritalibus aliter oportet vim irascibilem considerare, vt videlicet significet masculam earum rationem, immutabilemque statum, in deiformibus istis immobilibusque sedibus firmatum. Similiter concupiscentiam in brutis esse dicimus inconsideratam, & ad aliquid materiale rerum mutabilium, ex insitâ propensione vel consuetudine impotenter ingenitam affectionem, & irrationalem corporis appetitûs prædominationem, qui totum animal impellit ad id quod sensu concupiscibile existit. Quando itaque dissimiles similitudines rebus spiritalibus attribuentes, concupiscentiam ipsis affingemus; diuinus amor intelligendus, qui intellectu rationeque superiorem amet immaterialitatem, stabiléque sit ac cũstans desiderium superessentialiter puræ ac impassibilis contemplationis, & communionis verè sempiternæ ac spiritalis, sublimissimæ purissimæque claritatis, & infallibilis pulchrificæque venustatis. Et impotentiam accipiamus infractam animi contentionem, quæ à nemine valeat conquassari, propter impermixtum & immutabilem diuinæ pulcritudinis amorem, atque totalem in id quod verè appetendum est, propensionem. Quin & ipsammet irrationalitatem & insensibilitatem in brutis quidem animantibus, vel materiis inanimatis, rationis ac sensus propriè priuationem nuncupamus; in immaterialibus verò ac spiritalibus naturis, eminentiam ipsarum (vtpote supermundialium) sermonem nostrum transeuntem, ac corporalem & materialem, ab incorporearum istarum mentium sensu alienum, sacro prorsus modo transcendere profitemur. Licet itaque non incongruas rebus cœlestibus, etiam ex vilissimis materiæ partibus, formas affingere; cùm & ipsa, etiam ab eo qui verè pulcher est existens, per omnem sui materialem dispositionem vestigia quædam intellectualis habeat venustatis; fierique possit, vt per ea ad immateriales formas primitiuas adducamur, dissimiliter, vt dictum est, similitudines accipiendo, & easdem non eodem modo; sed congruè ac propriè spiritales ac sensibiles proprietates distinguendo.

B. Passiones quomodo in Angelis intelligenda. Quid ira. Quid concupiscentia.

Quid impotentia. C

Quid irrationalitas.

D

§. 5. Deum à summis, mediis & infimis rebus in Scripturis denominari. Malach. 4. 2. Apoc. 22. 16. Exod. 3. 2. Ioan. 7. 38. Cat. 1. 2. Eph. 2. 20. Osee 13. 7.

Hæc mysticos Theologos non solis cælestium dispositionum explanationibus, verùm etiam ipsismet Dei principalibus elucidationibus ritè accommodasse repetiemus. Et aliquando quidem Diuinitatem ipsam à luminibus speciosis concelebrant, quasi solem iustitiæ, quasi stellam matutinam menti sacratiùs orientem, quasi lucem apertè & intelligibiliter radiantem: quandoque verò à rebus mediis, quasi ignem innoxiè micantem, quasi aquam vitalis plenitudinis collatricem, & symbolicè loquendo, ventrem subintrantem, fluminaque perpetim fluentia scaturientem: nonnunquam etiam ab infimis, quasi fragrans vnguentum, quasi lapidem angularem. Quin etiam ferinâ eam formâ circumdant, & leonis ac pantheræ proprietatem accommodant, & pardum fore aiunt, vrsumque orbum catulis ferocientem. Addam etiam quod abiectissimum omnium absurdissimumque videtur: nam & vermis speciem ipsam sibi affinxisse, diuinorum periti tradiderunt. Sic omnes diuina sapientes, & occultæ inspirationis interpretes, à rebus imperfectis profanisque sancta sanctorum intemeratè secernunt, nec non dissimilem illam sacram deprædicant effictionem, vt nec immundis diuina sint obuia, neque studiosi diuinarum figurarum, contemplatores formis istis tanquam veris immorentur; & vt res diuinæ cùm verissimis negationibus, tum diuersis à rebus infimis propriorum vestigiorum similitudinibus celebrentur. Nequaquam igitur absurdum, si naturas illas cælestes, ob dictas causas, discrepantium dissimilitudinum similitudinibus efforment: nam neque nos fortassis ad indagandum dubitando, ad anagogen (quæ ad cælestia nos ducit) per accuratam rerum sacrarum perscrutationem venissemus, nisi nos deformitas explanatoriæ fictionis Angelorum perculisset; quæ minimè sinebat mentẽ & nostram absonis istis efformationibus immorari, sed eam excitabat ad omnes materiales affectiones deserendas, & assuefaciebat sanctè ex iis quæ apparent, ad supermundiales anagogias seu ascensus aspirare. Hæc à nobis dicta sint propter materiales illas ac dissimiles, quæ in sacris Eloquiis habentur, Angelorum delineationes: deinceps verò definiendum, quid ipsammet Hierarchiam esse arbitremur, quidque consortes eius ex ipsâ capiant emolumenti. Sit autem dux verbi Christus (si mihi fas sit dicere) meus, qui vniuersam illam Hierarchicam inspiret elucidationem. Tu verò, fili, iuxta sanctam Hierarchicæ nostræ traditionis sanctionem, prout sancta decet, audi quæ sacrosanctè proferuntur, ipsemet diuinus diuinâ doctrinâ factus, atque animi secreto sancta recondens, tanquam vniformia, à profanâ multitudine conserua; neque enim fas est, vt Eloquia testantur, porcis proiicere spiritalium margaritarum purum illum, ac lucidum pulchrificumque adornatum.

E. Ps. 21. 7.

F

SCHOLIA S. MAXIMI.

EXPLANATIONEM.] Græcè ἱεροπλασίαν vocat explicationem. Manifestè autem intelligit illam quæ per symbola fit ac typos, quæ etiam fictiones appellanit. Simplicitatem verò vocat naturæ immaterialitatem: sciebat enim, quòd cùm cœlestes istas mentes sacras, vt ipse ait, secundùm Scripturam celebraret, necessariò dicendum esset de animalibus ferarum, & aquilarum, aliarumque rerum formâ insignitis, quibus diuina Scripta diuinas istas virtutes Archangelicas effingunt. Ait enim: *Ne & nos more vulgi sacrilegè opinemur*, nullam esse explicationem ordinum istorum cœlestium multis faciebus multisque pedibus præditorum. Hoc idcircò illi propositum est explicare iuxta sacrorum Oraculorum explanationem.

§. 1. Ἐκφαντορίας quid. H

PALAM.] Magnificè, vel omnimodè, vel verè, vel simpliciter.

POETICIS.] Etenim Scriptura Poëticis quoque fictionibus vsa est, ad intellectus humani manuductionem, vtpote maiorum rerum disciplinam capere non valentis. Symbola siquidem cœlestia sanctus hic vir ait quodammodò similia commentis Poëtarum (Poëtas autem intellige illos, v.g. qui apud Gentiles fuerunt admirationi, vt Homerum, Hesiodum, & similes) siue poëticis seu fictitiis informationibus. Cùm enim nosset sapiens Dei condescensio, nostram mentem imbecillam, & ad sublimiorem contemplationem ineptam esse, anagogen ipsi connaturalem efformans, Archangelicas hoc modo dispositones propalauit, non vt reuerà se habent, sed prout nos capere possumus. Nihil igitur cœlestibus improprium imaginare

Quales Poëticas fictiones Scriptura imitetur. H

COMPOSITIONES.] Compositiones vocat dictas fictiones & effigiationes.

IN SEIPSIS.] In seipsis, id est, prout naturâ suâ sunt, ignoti nobis, inquit, & inaspectabiles existunt.

RVDEM.] Græcè ἀτόπως arbitror ipsum vocare peregrinam, & veluti à consuetudine recisam viam ac fictionem quare etiam scenam ipsam appellat, declarans, haud veras esse descriptas sanctorum Angelorum formas. Non enim reuerà tales sunt, quales ipsos sacra Scriptura

tradit; sed vt ipsorum magnitudinem colligamus, ipse Dionysius conatur ea quæ de illis dicta sunt, inter se conferre, & demonstrare, fieri posse, vt per eorundem explicationem, eo modo quo dictum est, Angelicæ distinctiones intelligantur.

Immaterialia quæ.

Ex parte immaterialium.] Græcè ... id est, ex parte; non autem omnino immaterialiom. Suprà positas autem seu transcendentes substantias, vocat cælum, & quæ iuxta cælum sunt, veluti stellas: nam earum tenuissima simplexque substantia quodammodò affinis est immaterialitati.

Deiformia quæ.

Deiformibus.] Deiformes simplicitates vocat intellectiles substantias. Immateriales enim substantiæ & incompositæ omnino sunt, cùm non sint massa neque commixtio elementorum; ex his enim corpora, illæ autem sunt incorporeæ.

Inhærens.] Insidens, & immorari faciens.

Leoninis.] Hæ sunt formæ diuinorum ac sanctorum Cherubim, quæ ab Ezechiele ac diuo Ioanne in Apocalypsi descriptæ sunt.

Examinibus.] Examen est conferta multitudo.

Et auicularium.] Id est formæ quasi speciei auium, & ex auibus.

Animalium.] Alia inquit animalia; vt equos, mulos, & similia: materias autem viliores, vt sedes v.g. ex lignis, & rotas, ac rhomphæas ex ferro: vt rhomphæam extractam in Balaam, & quam vidit Dauid, vti dictum est in lib. 2. Regum; & currus quasi ligneos.

Quid vocet Passionatū.

Passionatum.] Passionatum ait, quia forma leonina irascibile quid insinuat, & species vitulina quid concupiscibile, quæ passiones, & quidem magnæ existunt, Similitudines autem vocat figuras aliquid repræsentantes: vt cùm Ezechiel ait, se quasi similitudinem vidisse throni, & similitudinem leonis, quod declarat fictitiam opinantium imaginationem; quocircà etiam hîc dictum est, *dissimiles similitudines.* Neque enim omnes similes Propheta videt, sed hos quidem sic, alios verò sic, Verumtamen dissimiles planè sunt iis, quibus videntur esse similes nihil enim leonis, vel vituli, vel reliquorum verè habent. Cæterùm quid illa dissimilitudo declaret, in sequentibus reperies.

Quæ sint dissimiles similitudines.

Verumtamen.] Apologeticè.

Vt neque diuinæ.] Pollicetur per suam interpretationem vtrumque demonstrare, vt neque videantur contumeliis affici cælestia, neque nos, humi repentibus vilitatibus, circa dicta de Angelis animalia implicati.

Merito obductæ.] Dicit hîc, cur rerum figurâ formâque carentium symbola sint figuræ ac formæ.

Infiguratis.] Pro, formâ carentibus.

Immediate.] Id est, non mediantibus figuris, sed planè ab obiectu primo. *Prætendunt* autem idem est quod proponunt, & obiiciunt.

Quid vocet formationes. *Philip. 2. 6.* *Coloss. 1. 15.* *Ioan. 14. 9.*

Formationes.] Obserua, ea quæ sunt incorporea, etiā formâ carere. Quando igitur audiueris de supersubstantiali, *Qui cùm in formâ Dei esset*, immutabilitatem eius quam habet apud Patrem, intellige; hoc enim declarat &, *imago Dei inuisibilis*; & illud, *Qui videt me videt & Patrem.* Hoc modo etiam S. Basilius illud interpretatur in Oratione ad Fratrem suum, quæ est de Differentiâ substantiæ & suppositi.

§. 3. Duplex modus Deum cognoscēdi.

Duplicem esse sacræ, &c.] Quoniam duobus modis laudatur Deus, aut tanquam similis omnibus, omnia enim in ipso consistunt; aut tanquam dissimilis, nihil est enim eorum quæ sunt.

Per dissimilia.] Tradit, figuras per similia & dissimilia fingi, & quomodo fingantur.

Rom. 11. 34. *Ierem. 16. 1.*

Aliquando quidem vt verbum.] Secundùm quid Deus dicitur Verbum & mens; vt in illo, *Quis cognouit sensum* siue mentem *Domini?* & in illo: *Et factum est verbum Domini ad me, dicens*, &c. Rationabilitatem autem dicit in Deo, non quòd velit significare Deum esse rationalem, tanquam participem rationis; hoc enim [Illa dictio] insinuat: sed quòd est ipsamet rationabilitas, qui est totus ipsa per se subsistens ratio. Substantiam autem dicunt de Deo, cùm aiunt, *Ego sum qui sum*: &, *Qui est, misit me.* *Tu autem idem ipse es.* Ab esse enim & ente dicitur essentia, quæ est existentia, seu existens substantia.

Exod. 3. 14. *Psal. 101. 28.*

Et vitam.] Quoniam Deus neque vita, neque lumen, neque mens, neque substantia propriè dicitur, sed per modum causæ; est enim supra hæc, & non qualia hæc.

Quomodo Deus inuisibilis.

Inuisibilem ipsam.] Quia quæ per negationem de Deo dicuntur, vt inuisibilis, infinitus, & similia, dissimilia sunt; & non quid sit Deus, sed quid non sit, declarant. ita etiam Gregorius Theologus.

Quomodo Deus inintelligibilis.

Inintelligibilem.] Inintelligibilem ait, non stultum, sed à nullo intellectum. Indefinitus autem est Deus, tanquam sub nullam cadens definitionem: nam ipse cùm sit omnium definitio, & cuncta in semetipso definiat, sub definitionem non cadit; quoniam definitiones ex affirmationibus constant; affirmationes verò, tanquam falsæ, Deo minimè congruunt: nam Deus has superat, vt qui non sit essentia, sed supra essentiam.

Negationes quomodo prædicentur de diuinis.

Negationes quidem.] Non solùm in Deo, verùm etiam in diuinis omnibus, id est, in omnibus intellectibus post Deum, & negationes veras, & affirmationes incongruas esse dicit. Itaque incongruæ quidem sunt affirmationes, quando dicimus, siue Deum, siue intellectiles virtutes, vitam vel lumen existere: neque enim talis quædam vita est, qualis per inspirationem aut expirationem ducitur; neque lumen aliquod apparens, & videri faciens obiecta, sed aliquid his sublimius. Negationes verò quæ per inficiationes fiunt, quadantenus in intellectilibus magis propriæ sunt. Cùm enim eas dicimus inuisibiles, etiam intelligimus quòd non cadant sub aspectum. Quid porrò sit id ipsum quod non appareat, non videtur hic sermo curiosiùs inquirere, vel repræsentare. Verumtamen vita ac lumen videntur significare quid sit, at ista nullo modo declarare quid sit Deus.

Condecorant igitur.] Obserua, quàm pulchrè rationem dederit, cur cælestia memoriam seu imagines referant animalium. Quemadmodum enim Deus, qui est super omnia, nihil in rebus omnibus affine habet, adeoque meritò nihil è rebus omnibus ipsum manifestat; atque ita deinceps aliâ methodo de Deo ratiocinamur, dicentes quid non sit Deus, quod vocat *per dissimilia*: sic etiam in cælestibus virtutibus quæ post Deum sunt, eruditè fecerunt Theologi, dum nulli rei intellectili ipsas assimilantes, sed ex sensilibus, quæ vilia appellat, simi litudinem earum accipientes, ad ipsarum id honorem retulerunt, vt fictitia & non vera istiusmodi foret imitatio. Siquidem qui leoniformis, & multis pedibus atque alis præditus, dictus est etiam rationalis & immaterialis; quomodo non manifestum sit, talem supermūdialiter materialia & à nobis intellecta transscendere?

Cur Scriptura adhibeat symbola materialia & vilia.

In nobilioribus enim.] En & aliud argumentum, propter quod Scriptura talibus similitudinibus in rebus cœlestibus vsa sit. Nam si nobilioribus vsa fuisset fictionibus, v.g. dicendo auriformes vel fulgureas diuinas esse virtutes, omnino persuasi fuissent audientes, ex iis quæ apud homines pretiosiora sunt fidem accipientes: nunc autem res absurdas & imagines deformes assumpsit, vt accuratè scientes quòd non sint talia, rerum veritatem indagaremus.

Innoxie.] Dictæ enim ignis flammæ, diuinæ substantiæ, non combustiuæ sed viuificæ sunt.

Indecoris.] Quomodo enim non sit indecorum, ex rebus meterialibus constare symbola;

Spectacula.] Græcè ... dicuntur ea quæ cum admiratione videntur.

§. 4.

Siquidem affectus iræ.] Quia non simpliciter irrationabilitate plenus est irascibilis ille motus, sed in naturâ irrationali. Legendum est postremum huius Libri caput, vbi agit de visione sanctorum Cherubim; ibi enim etiam hæc omnia fusiùs explanata sunt.

Nihil eorum quæ existunt.] Nota, nihil eorum quæ existunt, boni esse participatione priuatum. Obseruandum itaque, quid intelligatur ira in irrationalibus, & quid in rationalibus, & quid vtrotumque concupiscentia.

A

RATIONEM.] Notandum, quòd etiam in Angelis rationem dicat, sed inenervatam, sive irremissam & impigram.

CONCVPISCENTIAM.] Quia concupiscentia intellectilis est amor impotens in Deum, quem vocat immaterialitatem.

[...]uomodo [sy]mbola e rebus [sp]iritali[b]us intel[li]genda [s]int.

PROPTER IMPERMIXTVM.] Impermixtum vocat purum, & ad nihil aliud intentum: nam qui diuino amore colligatus est, totus est ipsius, & in id quod solum desiderabile est intendit, nullà transitoriâ seu corporeâ ratione præpeditus. Quando autem dicimus, in substantiis incorporeis esse irrationalitatem, nequaquam ipsis contumeliosè affingimus mentis priuationem, quam dicamus per leoninas, & vitulinas auiculaséque formas, vt aquilæ brutorúmque typos ac symbola, cœlestibus ordinibus conuenire; sed mysticè diuersitatem inter illorum & nostram rationalitatem designamus. Quoniam nos instrumento linguæ ac vocalibus figuris rationem prodimus prolocutione aërem verberantes, dum à nobis ad aures audientium & è corpore ad corpus sermo transit; vti diuus quoque Basilius docet in Oratione *Attende tibi ipsi.* Illic autem non sic, sed extra corpus existentes, & ad inuicem accedentes ac recedentes, omni sermone clariùs mutuas cogitationes intuentes, sibi mutuo quodammodò loquuntur, dum per silentium sibi inuicem communicant sermonem.

B

PROPENSIONEM.] Id est inclinationem.

TRANSITORII.] Sermo noster qui profertur, transitorius est, vt qui à loquente transeat ad audientem. Corporeum verò [vocat] ad differentiam [sermonis] interni: hic enim neque corporeus, neque transitorius existit.

Materiã etiã habere vestigiũ diuinitatis

MATERIÆ.] Vilissimam materiam vocat naturam omnem corpore insignitam, in varias à Deo animatas, & inanimes cæteràsque species distributam: intelligibilem verò decorem, dicit ea quæ de Deo dicuntur, quorum mediocres & obscuras quasdam imagines in rebus reperimus; quale est, simpliciter esse, viuere, sentire, & similia. Materiam quidem omnem etiam à Deo existentiam habere, nulla sana ratio negabit: quin & ipsamet in se gerit argumenta suæ à Deo productionis, atque exornationis. Quare omnis descriptio materialis, obscuras quasdam & vmbrosas rerum intelligibilium notas habet. Quemamodum enim res intellectiles idoneæ sunt ad prouidas Dei emanationes, quantum fas est, suscipiendas; & quoniam vitæ sunt, à Deo, qui supra vitam est, viuificantur, & virtutes quasdam ad rectè agendum efficaces, motúmque quendam supermundialem habent: sic omnes quoque res materiales, cùm simul tum seorsum, quandam habent capacitatem ad diuinam prouidentiam modo sibi proprio suscipiendam, atque viuificari ac vita esse possunt, iuxta illud: *Producat terra animam viuentem,* & rursum: *Producant aquæ reptilia animarum viuentium.* Quin & virtutes beneficas terrestribus exhalant, vti declarant commoda quæ ex herbis & metallis hauriuntur. Habent quoque res materiales motum quendam mutuum, in generationem ac corruptionem promanantem, & ordinem à Deo impositum atque imponendum suscipiunt: quin & virtutum quoque spiritalium præsentiâ illuminari solent, vti contigit in resurrectione Domini, Angelo coruscante, & quæ circumposita erant illustrante. Hæc autem habet materia passiua, non tamen eodem modo quo res intellectiles operantes: quocircà hæc habere dicitur secundùm extremam quandam resonantiam. Quid porrò sit extremus iste sibilus seu resonantia, capite quatro libri de Diuinis nominibus declarabo.

C

Gen. 1. 24. Ibid 20.

D

ET EASDEM.] Nota, quòd non omnem materiam dicat esse intellectualem. Sanè & astra sunt inanima, intellectu namque carent. Quamuis eadem sint nomina, inquit, non tamen eodem modo accipiuntur; sed secundùm naturalem subiecti proprietatem & definiuntur & intelliguntur.

DEI PRINCIPALIBVS.] Scilicet, de Dei notionibus.

E

§. 5.

Quæ symbola vocet pretiosa, quæ media, quæ infima.

QVÆ APPARENT PRETIOSA.] Nota, quænam vocet pretiosa, vt solem & stellas, & quænam media, vt ignem & aquam; & quænam extrema, vt vnguentum; & quænam vilia, vt feras & vermes: & quoniam de Deo etiam cùm ferina, tum materialia, & pretiosa quoque & media, & vilia symbola prolata sint.

Malac. 4. 2.

2. Pet. 1. 19.

Exo 3. 2.

Ier. 2. 13.

Ioa. 7. 38.

Cant. 1. 2.

SOLEM.] *Solem iustitiæ* vocat Malachias Propheta: at D. Petrus in Epistolâ suâ Catholica, *Donec*, inquit, *Lucifer oriatur in cordibus vestris,* & quæ sequuntur, ipse enim est *stella matutina.* Moyses verò, Ignis, inquit, in rubo *non comburens,* id est sine damno illuminans. Ieremias verò aquam dicit: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ,* & alij alia. Et Dominus: *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Salomon autem in Cantico Canticorum vnguentum ait: Vnguentum *effusum nomen tuum.* In duodecim verò Prophetis Osee & Michæas, feras hic dictas recensent in iis quæ de Deo prædicantur. Dauid autem ex personâ Domini ipsum vermem dicit: *Ego sum vermis, & non homo.* Vel ipsum vermi comparauit, quòd non, vti nos, ex semine genitus sit, sed sine semine, sicut vermes qui non ex semine generantur, sed ex terrâ vel putredine. Ille enim, Ego sum vermis & non homo, tanquam Dei incarnati personâ dicitur, etsi non secundùm Diuinitatem accipiatur, sed secundùm apparentem carnis humilitatem.

Psal. 21. 7.

F

SIMVLACRORVM.] Quænam significentur recondita simulacra, declaratum est in libro de Diuinis nominibus, in principio capitis noni.

Quid vocet extremũ vestigiũ Dei.

VESTIGIORVM.] Extrema Dei vestigiorum in creatione dicit illa, quæ anteà dixit vilissima materialium descriptionum. Quomodo autem hæc dicantur extremum vestigium, fusiùs à nobis dicetur in lib. de Diuinis nominibus c. 4.

Quid vocet deformia.

NISI DEFORMITAS.] Deformitatem intellige, ferinam & pecuinam formam, quam Scripturæ Angelis attribuunt. Vox autem *explanatoria,* idem est ac manifestum facientis seu demonstrantis.

G

Quid Angeliformes.

ANGELIFORMES.] Pulchrè typicas effigiationes quas prædixit, non Angelicas, sed Angeliformes nominauit: non enim ipsorummet Angelorum, prout existunt, imagines descriptæ sunt, sed tacitè ficticiam quandam rerum incorporearum efformationem insinuant, vt ipse seipsum explicauit.

DEFINIENDVM.] Græcè *ἀφορίζω* solet dicere de iis distinctè definiuntur & explanantur.

ARBITREMVR.] Subaudiendum est illud arbitremur: vt sit sensus, Quid arbitremur Hierarchiam esse; & quid commodi Hierarchas arbitremur ex sacris caeremoniis accipere.

Timotheũ cur vocet filium.

TV VERÒ, FILI.] Quærendum hic, quomodo Magnus Dionysius diuinum Timotheum filium vocet. Vel enim, vt arbitror, hoc ait, tanquam ipso annis prouectior, & in Philosophiâ præstantior, ita vt ab eo fuerit interrogatus, quemadmodum hi libri qui in manibus sunt, declarant. Etsi enim S. Timotheus ante D. Dionysium crediderit, vti sanctorum Apostolorum Acta declarant, tamen Magnus Dionysius in profanâ eruditione præstabat. Vel filium ipsum vocat, tanquam imitando Dominum dicentem: *Pueri, nunquid pulmentarium habetis?* Vel quoniam eos qui secundùm Deum innocentiam sectantur, pueros appellabant, sicut & Papias declarat libro primo Dominicarum expositionum, & Clemens Alexandrinus in Pædagogo.

H

Ioa. 21. 5.

MVLTITVDINE.] Multitudini opposuit hic vniformia: quæ enim sancta sunt, vnificant; profana verò, & quæ peccati sunt, in multa per diuisionem multiplicantur. Multitudinem igitur hic vocat, idem quod profanum.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§. 1.

EXpedit vtique, meo iudicio, (dubitanter accipiens, propter securitatem; vel etiam affirmanter, verbum

Modestia S. Dionysii in loquendo.

ὑμνεῖν, secundùm Veteres) primùm exponere, quem vniuersæ tam terrestris quàm cælestis Hierarchiæ scopum arbitremur ; (*arbitremur* autem dixit, pro suâ philosophicâ vel potiùs Deo-amicâ modestiâ, quidve prosit quælibet Hierarchiarum (siue cœlestem dixeris, siue nostram) suis initiatoribus initiatisve : deinde verò dicendum de cælestibus Hierarchiis, iuxta illam, quam de iis in sacris Litteris habemus manifestationem atque explanationem. De illis autem loquens, vtitur verbo ὑμνεῖν : quia de re bonâ loqui, hymnus siue laus boni est ; sicut de re prauâ verba facere, vituperium est mali. De Angelicis itaque diuinisque virtutibus verba facere, idem est atque eas laudare. Adhæc dicendum, quibus formis sacræ Scripturæ cœlestes ordines figurant ; & ad qualem simplicitatem per eas formas quæ effinguntur, reuocemur : verbi gratia nominamus fortè aquilam, compositum aliquod dicimus, mente verò per visus acumen & excellentiam ad simplicitatem adducimur. Quando enim quis loquitur, vt intelligamus, omnino sermones adhibet : cùm autem id quod dicitur intellectum fuerit, simplex in mente cognitio existit ; maximè si simplicia formæque expertia sint, de quibus loquimur. Si enim res sensiles ita per simplicem aliquem conceptum intelligimus, quantò magis res spiritales ? Quare porrò quærimus, vt ad simplicitatem adducamur ? vt non accidat nobis, quòd vulgo res sacras profano modo intelligenti ; nec putemus, cœlestes illas virtutes multos pedes & multas facies habere, & ad pecudum feramúmve formas efformatas, vel aquilarum speciem præ se ferre, aut volucrum plumescentiam, quemadmodum in Exechiele reperitur ; & ne cogitemus, rotas quasdam igneas supra cœlum, & sellas ad sedendum accommodatas, atque equos ac satellites, & quæcumque alia à Prophetis sacris variis symbolis sunt tradita. Etenim vtiliter Theologia similes sacras formas rebus figuræ expertibus adhibuit ; partim quidem, vt intelligendi virium nostrarum haberet rationem ; partim verò, vt propriam nobis & connaturalem ad superna penetrandi viam præpararet. In quantum enim aquilam verbi gratia nominat, duo nobis maxima præstat : siquidem nobis ex assuetis res ipsas declarat, iisque, quod connaturale est, seruat : nam & cernendi acumen ac celeritatem, adeoque præcellentiam virtutum cœlestium declarauit, atque in aliis similiter.

Quasi intellectio simplex, quæ composita.

§. 2. *Quomodo symbolo sint explicanda.*

Hinc concludit, quomodo oporteat per res dissimiles ac terrenas cælestes explicare, aitque : Quòd sicut videantur sacræ quidem fictiones compositionesque approbandæ, quasi non alio quàm hoc modo, ea quæ in se permanent, & incognita atque inaspectabilia existunt, cognosci queant ; absurdas autem existimet eiuscemodi compositiones ; vti & omnem illam rudem Angelicorum nominum adumbrationem siue scenam. Siquidem vt in scenâ alii sunt qui adsunt, aliorum verò personas referunt ; ita & hîc alia sunt proposita, sed alio modo quàm existant, referuntur. Ac decere quidem ille ait Theologos, cùm ea quæ figurâ carent exprimere volunt, propriis illa cognatisque formis efformare, ex iis rebus quæ apud nos pretiosissimæ sunt, minusque materiales, v.g. humanis & non irrationalium atque inanimatarum rerum figuris ; neque materiales multiformitates supremis illis maximeque simplicibus rebus affingendas. Hoc enim si fecissent, duo bona præstitissent ; cùm nos ad præstantiorem sublimioremque cogitationem erexissent, tum ista supermundialia non ita deiecissent & inhonorassent. Iam verò illa sic alienis omnino figuris describendo, duas res pessimas committunt ; tum quòd res diuinas contumeliosè tractent ; tum quòd intellectum nostrum in errorem inducant, facilibusque compositionibus cogant inhærere. Et fortassis etiam aliquis suspicabitur, res cælestes eiuscemodi existere, vt & leones sint & equi, boumque more laudes mugiant, atque ibidem turmarum præfecturæ, & auiculares principatus existant, aliaque animalia, materiæve aliæ viliores, & quæcumque alia, ad absurda, peregrina, passionesque vergentia, dissimiles eiusmodi ac peregrinæ imagines cogitationibus obiiciunt. Etsi quis hæc obiecerit, & indignetur ; veritatis tamen indagatio, nostraque interpretatio atque explicatio in similibus efformationibus reperit, vtrique parti sapientiam prouidisse, tam nobis, inquam, auditoribus, quàm illis de quibus sermo instituitur : vt neque ipsis iniuria fiat, neque nos eiuscemodi formis abiectis tenaciùs adhæreamus. Quænam autem vilior illa sit materia, quidve illud absurdum ac peregrinum, & passionibus implexum, ait Exechiel, à se visam narrans throni similitudinem, & quasi similitudinem leonis. Thronus vtique vilior materia leone, quoniam ille animâ caret, leo verò viuit : peregrinum autem illud & absurdum passionibusque implexum est, quoniam leonis forma vim irascendi significat ; vitulique species, vim concupiscendi ; quæ passiones & quidem vehementes sunt. Non oportet itaque illa patibili modo accipere. Ac primùm quidem ostendunt, Dei sapientiam vtrisque, tam nobis scilicet quàm virtutibus cælestibus, hac ratione consuluisse : nobis, inquam, quoniam aliter ista discere non poteramus ; illis verò, quippe mysticis, conueniebat sic occultè & non aliter explicari. Adhæc probat, quomodo rebus ipsis dissimilitudo illa & inæqualitas effigierum minimè officiat. Inquit enim, Iure merito figuræ rebus infiguratis, formæque formâ carentibus affinguntur, non propter nostram dumtaxat imbecillitatem, quâ non valemus immediatè & sine figuris ad spiritales earum contemplationes assurgere, adeoque opus habemus intermediis iis efformationibus nobis connaturalibus propriisque quas idcircò sacræ Scripturæ supernaturalibus illis spectaculis prætendunt ; sed quoniam etiam id mysticis Scripturis maximè conuenit, arcanorum ænigmata abscondi, & occultam illam veritatem vulgo esse inaccessam. Neque enim quiuis sanctus est, neque omnium est cognitio, quemadmodum Dominus ait ad Apostolos : *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum.*

Obiectio contra symbola.

Responsio pro iisdem.

Symbola nobis esse aptiora.

Matth. 13.11.

§ 3.

Quòd si verò quis admiserit quidem talem per res sensiles rerum spiritalium comprehensionem, sed improbet dumtaxat absurdas istiusmodi formarum fictiones, dicens, pudendum esse tam turpes rebus deiformibus figuras accommodari ; illi dictum sufficiat duplicem esse manifestandi modum, alterum quidem ex similibus, alterum verò ex dissimilibus formis effictum. Vbi obserua primùm, quid de Deo mysticæ Scripturarum traditiones enuntient : quandoque quidem ex similibus, vt Verbum ac mentem, iuxta illud, *Quis nouit sensum* (seu mentem) *Domini?* & essentiam, iuxta illud, *Ego sum qui sum* : ipsam sapientiam, & non simpliciter ratiocinantium, sed ipsam ratiocinationem prædicant, verè existentem essentiam, causamque existentiæ rerum cæterarum, & lucem, & vitam, vt in sacris Euangeliis habetur. quæ nomina omnia cùm honestiora quidem sint, rerumque sublimiorum, vel sic tamen etiam à verâ similitudine procul absunt ; siquidem est super hæc omnia, cùm vtique ista sine comparatione à naturâ illâ beatâ deficiant. Quandoque verò dissimilibus declarationibus diuinum illud Numen per negationem celebratur, cùm inaspectabile vocatur, & infinitum ; quodque capi non possit ; vnde non quid est, sed quid non est significatur. Ex duabus itaque hisce enuntiationibus, magis propriam demonstrat esse illam, quæ est ex rebus dissimilibus. Siquidem verè nouimus Deum non esse aliquid rerum existentium ; sed ignoramus superessentialem eius terminis carentiam ; & inintelligibilitatem, siue (vt ita dicam) amentiam ; amentiam, inquam, non secundùm mentis priuationem ; sed quòd eius cognitionem mens nulla capiat ; quemadmodum etiam alia, vt inuisibilitas & infinitas eius, non priuatiuè, sed negatiuè intelligenda sunt. Cùm itaque negationes in diuinis veræ sint, affirmationes verò absonæ, magis propria est in iis enuntiatio ac demonstratio per dissimilia. Quæ cùm ita sese habeant in Deo, consequens est, Scripturas sacras honorare potiùs, & nequaquam aliquo dedecore, afficere diuinas illas dispositiones : per eiuscemodi formarum dissimilium effictiones, vt bouis, aquilæ, cæterasque quibus eas induit supermundialiter

Scripturas mysticas esse duplicis generis.

Rom. 11. 34.

Exod. 3. 14.

A

materiatis omnibus hisce rebus inferioribus sublimiores existere. Si enim is qui leonis formam, multosque pedes atque alas habere dicitur, etiam ratione præditus est, & expers materiæ; quomodo non etiam supermundialiter res hasce materiatas, quæ à nobis intelliguntur, excedat? Obserua quàm pulchrè rationem dederit, cur animalium mentio fiat in cœlestibus, siue imaginum eorum. Quemadmodum enim Deus existens in omnibus, nihil in omnibus habet eiusdem secum generis, ideoque nihil rerum omnium, est ipsius declaratiuum; idcircò etiam aliâ methodo de Deo loquimur, dicentes, Deum non esse hoc & illud, quod *per dissimilia* vocat: sic etiam in cœlestibus virtutibus omnino rectè Theologi fecerunt, dum eruditè nulli ordinis eiusdem illas assimilarunt; sed ex sensilibus, quæ vocat vilia, perfectam sumunt similitudinem, id ad earum honorem fecerunt, vt fictitia, & non vera, esset earundem imitatio. Hinc vult probare à fortiori, dissimilia similibus esse aptiora: in nobilioribus

Negationes & dissimilitudines eos magis leuant.

B

enim ac similibus, procliue est nonnullos decipi, cùm etiam in dissimilibus aliqui errarint, vti suprà diximus. Existimabunt enim, esse naturas illas specie quadam aureâ viros quosdam micantes, & vestitu splendido indutos, atque igneum quid vibrantes, non adurendo nec lædendo: nam flammæ istius ignis non habent vim vrendi, sed viuificandi; & quæcunque alia Scripturæ tradunt. Quod ne iis eueniat, qui nihil altius, quàm illa pulchra & speciosa quæ apparent, mente complecti possunt; sublimis illa Theologorum sapientia ad dissimilitudines & absonas imagines se deiicit, non permittens cogitationem nostram illis indecoris fictionibus acquiescere, sed eam animæ partem quæ ad alta tendit, ipsâ deformitate figurarum excitat & stimulat, tanquam videlicet clarum sit etiam iis qui sunt terrenis rebus valdè affixi, res diuinas non esse tales: vt cùm clarè cognouerimus eas non esse tales, veritatem inquiramus, quoniam quid aliud ab illis sunt. Quin & hoc sciendum, nihil eorum quæ sunt, omni prorsus boni participatione priuatum esse: quoniam bona valde, testimonio Scripturæ, cuncta comprobantur.

C

§. 4.

Ex omnibus rebus nos posse ascendere ad Deū.

Liceat itaque ex omnibus iis pulchras contemplationes, ac rebus spiritalibus congruentes elicere, quas & dissimiles similitudines possumus appellare; quoniam diuerso modo illas habent res spiritales, quæ alia ratione rebus sensilibus attributæ sunt. In præsenti enim, iracundia in inferioribus quidem ex impetu passionis existit, & irrationalitate plenus est eiuscemodi iracundiæ motus: verùm in rebus spiritalibus alio modo iracundiam accipimus, dicentes, illam seueram quandam esse motionem rationalem, ac minimè mollem mutabilémve habitum in bonis constitutionibus. Similiter concupiscentia, in irrationalibus quidem inconsideratam quandam passionem habet ex insito plerumque motu; quando nimirum ex conuulsionibus naturalibus mouemur; vel non rarò etiam ex consuetudine: cùm videlicet ex assuetis irrationali potentiæ rebus mutabilibus insitis, corporalis appetitus animal impellit ad aliquid sensibile, atque adeò etiam secundùm intelligentiam appetibile. Quando autem concupiscentiam rebus spiritalibus attribuimus, diuinus amor cogitandus rei supra rationem ac mentem immaterialis, atque indeficiens desiderium contemplationis quæ passionis expers sit, nec non æternæ omnino ac spiritalis communionis, illius puræ claritatis, & occulti atque diuini decoris. Rursum, incontinentia in nobis quidem est quidam impetus, quo in aliquid tumultuario modo ferimur; in illis verò constantia est, quæ à nemine infringi possit, propter suum simplicem ac purum, & in nullo exorbitantem, atque immutabilem diuinæ pulchritudinis amorem, & totalem impetum in id quod verè amabile existit. Denuò, irrationalitatem, & insensibilitatem, & amentiam, in rebus irrationalibus & inanimatis, v.g. in lapide insensibilitatem, priuatiuè dicimus; de spiritalibus verò ac rebus immateriatis, affirmatiuè seu positiuè. Atque illa quidem, quod eminentiori modo se habeant, ita vt nostram superent eloquentiam, sermonémque transcendant, (transitorium quidem, vt qui à loquente ad auditorem transit; corporeum verò, vt qui corporeis instrumentis profertur) dicimus ἄλογα seu ineffabilia: illic enim non sic, sed corporis expertes. & ad se inuicem accedendo ac recedendo, omni sermone perspicaciùs cogitationes mutuas intuentes, velut inter se colloquuntur per silentium, sermonem sibi velut inuicem communicantes. Secundùm hoc itaque, Ordines cœlestes sermonis expertes dicimus: in quantum verò materialem ac peregrinum rebus incorporeis sensum superant, insensibiles nominamus, quippe sensum excedentes, ac spiritales. Concludens ait: Liceat itaque non immeritò etiam ex dissimilibus vilissimisque materiæ partibus imagines efformare; quandoquidem etiam hæc materia à verè pulchro Deo existat, omnémque ornatum suum specificum obtineat, nonnulláque spiritalis decoris vestigia referat: quemadmodum luminis est, illuminare; atque ignis, consumere ac penetrare, si similia solùm dissimiliter & difformiter quotupliciter sumantur: sol enim sensibiles oculos illuminat, & facultatem præbet colores discernendi; Deus verò vim dat, ipsam animam, & quæ in eâ pulchra sunt, penetrandi. Nam quæ eadem sunt, non eodem modo accipiuntur, sed secundùm naturalem subiecti proprietatem & definiuntur & intelliguntur: idcircò enim etiam hæc illorum vestigia seu indicia dicuntur. Vnde etiam de dissimilibus quotupliciter participantibus vel participare apparentibus, prouerbio dicitur, Echûs vox reparabilis. Quod enim est in visione imago, similitudinem quandam primi exemplaris referens; hoc est in auditu resonantia, similitudinem quandam vocis habens; quod nimirum illud est, quod à sono vltimum reflectitur. Considera igitur, spiritalem Dei pulchritudinem ac decorem referre quodammodò rationem quandam echonis prorsus singularis & occulti; à cuius sono, & à cuius pulchritudine resonantiæ quædam, & quasi similitudines ipsius, soni licet dissimiliter accipiantur, ad ipsas creaturas deferuntur.

D

E

F

Omnis creatura est quasi echo Dei.

§. 5.

Deus quibus symbolis exprimatur in Scripturá.

G

Hanc ob causam diuinos illos Prophetas reperimus, non cœlestes tantùm virtutes per similes fictiones declarare, sed ipsammet etiam quandoque diuinam essentiam. Et aliquando quidem ipsam à rebus quæ apparent magnæ æstimationis, laudant, tanquam Solem; neque id simpliciter, sed tanquam Solem iustitiæ, iuxta Prophetam Malachiam: tanquam Stellam matutinam, sed in animâ orientem, iuxtà magnum Petrum in Catholicâ Epistolâ suâ dicentem, *Donec Lucifer oriatur in cordibus vestris*: & vt lumen, sed sine tegumento splendens, iuxta illud, *Ego sum lux mundi*; atque illud, *Erat lux vera.* Aliquando verò à rebus mediocribus, v.g. vt ignem, sed innoxiè illuminantem & sine combustione, sicut in rubo visum: vt aquam, sed quæ vitalem expletionem satietatémque præbet, & quæ, vt symbolicè loquar, in ventrem, id est animam, diffluit, & fluuios suscitat eruptione liberâ effluentes, iuxta illud, *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Nonnunquam quoque laudant ab infimis terrenisque rebus, vt vnguentum odoratum, sicut apud Salomonem, vnguentum *effusum nomen tuum*: vt lapidem angularem, apud Danielem. Quin & formis feræ illam induunt, leonum, pantheræ, pardi, atque vrsi indigentis quemadmodum in Prophetis reperitur. Addam prætereà vermis speciem & appellationem, iuxta illud, *Ego sum vermis, & non homo*, magisque vermis speciem hi, qui diuina sapiunt, approbarunt, propter eius ex Virgine sine semine conceptionem, & perfectam hominis speciem perfectámque naturam quam assumpsit.

Malac. 4. 2.

2. Pet. 1. 19.

Ioan 8. 12.

Ioa. 1. 9.

Ioa. 7. 38.

Cant. 1. 2.

H

Ose. 13. 7

Ps. 21, 7.

Sic omnes qui diuinâ, præstantes sapientia, diuinas inspirationes interpretantur, à rebus imperfectis ac profanis Sancta Sanctorum secernunt, & dissimilem figurarum sacrarum fictionem probant: vt nec à profanis res diuinę facilè cognoscantur, neque studiosi sacrorum contemplatores simulacrorum, talibus figuris, tanquam veris, immorantur. Hoc autem ab Ethnicis acceptum: siquidem ipsi faciebant quasi quędam simulacra manibus pedibusque destituta, quæ Mercuriales statuas vocabant, quippe quòd occultè intus simulacrum aliquod abscondereñt: nam quæ occulta erant, Mercurio adscribebant. Faciebát

Statuæ Mercuriales quales.

autem

A

autem in iis cùm ostia, tum concauitates, quibus deorum, quos colebant, simulacra imponebant. Apparebant itaque viles eiusce modi statuæ Mercuriales, sed intra se deorum ornamenta continebant: studiosi itaque illarum contemplatores, non tam statuis istis quadratis attendebant, quàm interioribus simulacris. Per hæc itaque, etiam diuina veris negationibus celebranda sunt: etsi enim quid eiusce modi dixeris, tamen iuxta negantem Theologiam, illud non est numen. Et rursus hoc dicitur secundùm affirmantem Theologiam, sed non simpliciter, ac verè, sed per affinitatem cum rebus terrenis ac diuersimodis similitudinibus resonantiarum quodammodò rerum creatarum. Sicut enim resonantia est id quod post sonum, ceu exilis quidam vocis sibilus, auditui inhæret; sic etiam res creatæ sunt obscura quædam manifestatio diuinæ superessentialitatis: siquidem non ex iis rebus quæ in ipsâ, sed ex iis quæ ab ipsâ sunt, species eiusce modi imprimitur. Vltimæ autem resonantiæ seu species sunt nostræ, comparatione Angelicarum: quoniam in rebus quoque nostratibus, proportione quadam, diuinæ similitudines reperiuntur; cùm etiam in herbis ac metallis id quod prosit & viuificet inueniatur, atque in aliis alia diuina mirabiliaque. Nihil itaque absurdi sit, cùm etiam in Deo id fiat, si cœlestes quoque virtutes per vltimas & dissimiles similitudines exprimantur: nam & hoc fortè dum nos percubit propter difformitatem fictionis, quâ manifestabantur ac declarabantur, simul mouit ad eiusce modi inquisitionem, non sinendo mentem nostram iis, quibus describebantur, figuris immotari, sed excitabat ad illas renuendas, incitabatque vt ab his, quæ apparebant, ad anagogas, siue sensus à terrenis abducentes, intenderemus.

Res creata obscurè Deum manifestant.

B

Hæc de istiusmodi similitudinibus sint dicta. Rectè autem illas Angeliformes, non Angelicas, appellauit: non enim Angelorum, sicut in se sunt, imagines depictæ sunt, sed efformationis rerum incorporearum quandam speciem præ se ferunt. Cæterùm iam definiendum & declarandum, quid porrò ipsammet Hierarchiam esse arbitremur; quidve ab eâ lucri capiant Hierarchæ ex sacris cærimoniis mysteriisque. Vtinam autem viam sternat Christus, si mihi fas sit dicere, meus, appropriando mihi quod commune est, qui vniuersæ sacerdotalis institutionis est inspiratio traditioque! Tu verò, fili (loquitur ad Timotheum) secundùm legis nostræ traditionem, (sancta enim sanctis) ipsemet, vt sancta decet, & non terrena ratione audi, in explicatione rerum diuinarum diuinus factus; atque arcanâ mente quæ sancta sunt, à profanis viris abscondens, tanquam vniformia simpliciaque, vt quæ verborum compositione atque inuolucris minimè indigent, tuere. Obserua autem, vt multitudini vniformitatem subiunxerit: res enim sanctæ vnificant, profanæ verò distrahunt. Non enim æquum est, iuxta sacra Euangelia, proiicere porcis spiritalium margaritarum purum ab omni terrenâ commixtione illustremque splendorem. Filium verò vocat Apostolum Timotheum, vel quòd annis esset prouectior, vel quòd ab eodem rogatus esset hæc edocere: siquidem illi magnas turbas facessebant Ionij Philosophi. Vel etiam sic innocentiæ studiosos pueros vocabant, sicut quidam Veteres historiâ tradiderunt, ipsum innocentiæ laude celebrem extitisse.

C

Res sacra animum colligunt, profana distrahunt.

D

CAPVT III.

Quid sit Hierarchia, & quænam eius vtilitas.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Definit Hierarchiam, eámque trifariam diuidit.*
2. *Exponit quis sit finis siue scopus Hierarchiæ, & qualis in eâ sit subordinatio: & simul ostendit, perfectionem eius consistere in Dei imitatione; eiusque functiones esse, expiare, illuminare, perficere.*
3. *Explicat, quid incumbat tam iis qui expiantur, illuminantur, perficiuntur, quam illis qui expiant, illuminant, atque perficiunt.*

B

§. 1.

EST Hierarchia, meo quidem iudicio, sacer ordo, & scientia & actio quæ ad deiformitatem, quantum fas est, accedit, atque insitis sibi diuinitùs illustrationibus proportione quâdam ad Dei subuehitur imitationem. Porrò ea quæ Deum decet pulchritudo, vt simplex, vt bona, vt origo perfectionis, nulli omnino est admixta dissimilitudini, sed pro cuiusque merito cuilibet lumen suum impertitur; & in Sacramento diuinissimo, ad immutabilitatis suæ speciem transformando, consummat.

§. 2. Hierarchia scopus qui

Scopus igitur Hierarchiæ est, Dei, quantâ fieri potest, assimilatio coniunctioque; quem cùm habeat omnis sacræ & scientiæ & operationis ducem, ad diuinissimum eius decorem constanter intuendo, eundem quoad potest exprimit, nec non diuinos sui consortes sacra quædam perficit simulacra, speculaque clarissima & immaculata, quæ primitiuæ lucis summæque Deitatis radium excipiant; cuius indito splendore sacro plena, denuò eundem ex diuinis legibus, in ea quæ sequuntur, sine inuidiâ transfundant. Neque enim fas est sacris professoribus, vel initiatis, quidquam prorsus operari, quod sacri sui Ordinis sacrosanctis constitutionibus repugnet; imò nec iisdem dissentire, si diuinam eius appetant claritatem, & ad illam sanctè, vti decet, adspiciant, ac pro cuiusque sacrarum mentium capacitate transformentur. Itaque qui Hierarchiam nominat, quandam omnino sacram designat dispositionem, Dei principalis pulchritudinis imaginem, ordinibus scientiisque sacroprincipalibus, illustrationis suæ mysteria celebrantem, atque proprio, quantum fas est, principio conformem. Etenim cuiuslibet eorum qui sacrum Ordinem sortiti sunt, in hoc sita perfectio est, vt ad diuinam, pro captu quisque suo, promoueatur imitationem, quodque diuinius est omnium, ipsius etiam Dei (vt Eloquia loquuntur) cooperator existat, diuinamque in semet ipse demonstret operationem, quoad potest, elucentem: quippe cùm in hoc sit sacræ gubernationis ordo, vt aliqui purgentur, alij purgent; aliqui illuminentur, alij illuminent; quidam perficiantur, nonnulli verò perficiant; modo cuique suo diuina congruet imitatio. Diuina siquidem beatitudo (vt more hominum loquar) expers est omnis dissimilitudinis; ac plena lucis sempiternæ, perfecta, nullius indiga perfectionis, mundans, illuminans, consummans, quin imò potiùs ipsamet sacra mundatio, & illuminatio, & consummatio, supra mundationem, supra lucem, præperfecta, per se origo perfectionis, atque omnis quidem sacri Ordinis causa, veruntamen ab omni re sacrâ per excellentiam excepta.

F. Matth. 7.

Sabbatinatio seruanda.

Perfectio Hierarchia consistit in

G

Dei imitatione & cooperatione. Functiones eius sunt expiare, illuminare, perficere. Quomodo hæc Deo competant.

§. 3. Quid expetat iis qui expiantur, illuminantur, perficiuntur: Quæ sint partes expiantium.

H

Oportet igitur, vt arbitror, eos qui purgantur, puros effici omnino, atque omni dissimilitudinis commixtione liberari; eos verò qui illuminantur, diuino lumine repleri, ad contemplatiuum statum ac virtutem castissimis mentis oculis euehendos; denique eos qui perficiuntur, ab imperfectione translatos, illorum, quæ contuiti sunt, sacrorum perfectiuæ scientiæ participes existere. Expiatores porrò docet præstantiâ mundationis alios participes reddere propriæ puritatis; illuminatores autem; vt qui sint mentes perspicaciores, cùm ad percipiendum tum ad transfundendum suum lumen idoneos, nec non luculenter sacro fulgore plenos, exundantem vndique lucem in eâ dignos deriuare; denique perfectores, ceu perficientis disciplinæ peritissimos, perficere illos qui perficiendi sunt, sacratissimâ doctrinâ scientiæ rerum sacrarum quas inspexerunt. Quilibet igitur Hierarchicæ distinctionis ordo, pro modulo quisque ad diuinam adducitur cooperationem, ea per Dei gratiam virtutemque perficiens, quæ summæ Deitati naturaliter, supraque naturam insunt, & ab eâdem superessentialiter acta, nec non ad possibilem Dei amicarum mentium imitationem hierarchice sunt declarata.

SCHOLIA S. MAXIMI.

§. 1. EST QVIDEM HIERARCHIA.] Definitio Hierarchiæ.

QVANTVM FAS EST.] Sicut possibile est.

ORIGO PERFECTIONIS.] Siue perfectum faciens.

IMPERMIXTA EST OMNINO.] Similitudo, & æqualitas, & identitas, & vnum, & vnificum, tanquam quid simplex, & impermixtum & incompositum vocatur: dissimile verò & inæquale, & diuersum, & mixtum, & id quod mutatur, vocant materiale. Illud vnum itaque, Deus hîc intelligatur.

§. 2. DIVINOS SVI CONSORTES.] θίασος propriè quidem chorus est: θιασώτας autem hîc vocat eos qui circa diuina versantur. Clarissima quoque, splendida, illustria; immaculata verò, incoinquinata dicit.

Nihil vltra gradum suum moliendum.

OPERARI.] Hæc significare arbitror, non oportere quenquam in sacro gradu constitutum, quidquam ordine suo maius moliri, sed, solùm id quod propriæ dignitati congruit, operari, docendoque tradere; & nequaquam attentare illa quæ excedunt dignitatem: verbi gratia, docendum est Presbyteris, & munus offerendum, non tamen ordinandum; Diaconis docendum, non tamen baptizandum: non enim dabunt Spiritum sanctum, quemadmodum nec Philippus Diaconus in Actis sanctorum Apostolorum. Sed nec offerendum iis est, & ita deinceps. Quin & initiatis conuenientia quoque solùm tractanda sunt, vt ritè seruetur illud S. Pauli: *Vnusquisque in quo vocatus est* gradu maneat. (1. Cor. 7. 4.)

ORDINATIONIS PRINCIPII.] Id est, ordinationis seu ordinis.

ORDINIBVS.] Secundùm differentiam enim & eminentiam ordinum, etiam sciendi facultas adesse debet.

EORVM QVI ORDINEM SORTITI SVNT, PERFECTIO.] Nota, quæ sit Episcoporum perfectio, & quomodo iuxta D. Apostolum, Dei cooperatores existant.

DIVINAM OPERATIONEM.] Id est, Dei opera quoque ipsum operari, docendo, initiando, & similia in iis qui erudiuntur pro virili operando.

CVM ORDO.] Obserua ordinem & munus Hierarchiæ, vt accedentes doctrinâ primùm à distrahentibus peccati colluuiebus expiandi, deinde Scripturarum diuinitùs inspiratarum scientiâ, diuinæ notitiæ doctrinis illustrandi, ac tum demum lauacro regenerationis initiandi sint.

HOS QVIDEM ILLVSTRARE.] Nota, illustrationem præcedere Baptismum.

Diuina Beatitudo
- expiat docendo,
- illustrat surrigendo,
- perficit deificando.

Diuina Beatitudo est
- expiatio,
- illustratio,
- perfectio.

Diuinæ Beatitudinis
- Sacris quidem præfecti
  - expiant,
  - illustrant,
  - perficiunt.
- Sacris verò subditi
  - hi quidem expiantur,
  - isti verò illustrantur,
  - alij verò perficiuntur.

Νόος.] Ionicè vsurpauit ὁ νόος, τοῦ νόου, οἱ νόοι: dicunt enim Attici, ὁ νοῦς, τοῦ νοῦ, & pluraliter οἱ νοῖ, τῶν νῶν, τοῖς νοσί.

§. 3. EXPIATORES.] Hîc de Præsulibus ipsis agit, cùm antea de subditis locutus sit, & eorum ordines declarat: quomodo [nimirum] expiatores quidem inferiores sint, vt Exorcistæ; illuminatores verò doctrinâ præstent, vt presbyteri ac Diaconi; perfectores denique sint illi, qui per Baptismum Spiritu sancto replent, vt Episcopi. Hæc etiam infra tradit in libro de Ecclesiasticâ Hierarchiâ.

NATVRALITER ET SVPERNATVRALITER INSVNT.] Quoniam quæ ad salutem illuminant, naturaliter & supernaturaliter insunt. Pulchrè autem exposuit ordinem Ecclesiasticæ sanctificationis; quemadmodum primùm accedentes ad diuinum Baptismum abrenuntient; expiati deinde Presbyterorum ad hoc institutorum eruditione illuminentur: tales autem dicit esse * expiatores, vt qui digni sunt communicare aliis sanctitatem. Denique Episcopos ait baptizare: hos enim vocat perfectores. Hic vtique ordo seruandus est.

* *Forte φωτιστὰς, seu illuminatores.*

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§. 1. Hierarchia quid.

IN hoc capite Hierarchiam definit, & quæ huius vtilitas sit ostendit. Est igitur, inquit Hierarchia meâ sententiâ sacer ordo, atque scientia, & operatio. Est etenim ordo etiam naturalis numeri, vt primum & secundum. Est etiam ordo ex instituto, qui partim quidem corporale quid spectat, vt regiæ dignitates; partim verò quid sacrum, vt sacerdotales constitutiones: quem ordinem quoque scientiam nominat & operationem. Nisi enim ferrum iam habitudine ignitum sit, nequaquam sanè id, cui applicatur, aduret: sic etiam Sacerdos siue Hierarcha, nisi habitu superno fuerit illuminatus, nequaquam lumen aliis afflabit. Cùm enim illuminans ad illuminatum referatur, & initians ad initiatum, ac docens ad eum qui docetur; idcircò Hierarchia non solùm scientia, sed & operatio appellatur, vt secundùm habitum suum operetur in aliis illuminationem. Quapropter etiam ad deiformitatem refertur: nam secundùm inditas sibi illustrationes, pro captu suo ad Dei imitationem adducitur, dum extraneos diuinæ lucis participes reddit. Quoniam ergo Hierarchia quandam Dei formam exprimit, quomodo id fiat pandit. Illa quæ Deum decet pulchritudo ac venustas, ab omni terrenâ dissimilitudine remota est; nullam enim cum rebus genitis participationem habet: tum quoniam simplex est, hæc verò omnia composita ex elementis, vel materiâ & figurâ constant. Tum quia bona est, imò ipsum bonum; bonum autem omnia appetunt, sed bonum non apetit aliud à se: Numen itaque diuinum Indeficiens est, sed creaturæ sunt egenæ. Tum etiam, quia pulchritudo illa principium est perfectionis, quippe auctrix & origo eius: omne autem mysterium perfectio est, in quantum animam perficit, at creaturæ non tantùm non dant initium talis perfectionis, sed illæ ipsæ sunt quæ perficiuntur. Idcircò diuina pulchritudo nequaquam iis est permixta: quoniam est ipsamet vniformitas, & æqualitas & identitas, quin imò vna est & vnifica, vtpotè simplex; & impermixta atque incomposita: quod verò disforme est & inæquale, atque alterum, & paruum, & mutabile, id etiam materiatum est. Quod itaque vnum est, impermixtum est multitudini; non tamen ita, vt non pro dignitate cuique lumen suum communicet; idcircò enim etiam dicitur Deus appropinquans, vt qui naturâ suâ procul absit à nobis. Quin & in diuinissimo cùm Baptismatis tum Sacerdotij Sacramento perfectionem tribuit, quâ eorum qui initiantur anima, immanenti stabilique sanctitate informetur atque exornetur. Si enim id quod alicuius particeps existit, differat varietve ab eo quod participat, nunquam illi concordabit. Quapropter insurgentes omnes motus corporis, animíque inæqualitates abradendæ, atque in vnicâ simplicitate seu æqualitate animi persistendum est ei qui ad Dei consortium est admittendus. Atque hæc est illa Dei imitatio ad quam Hierarchia pro viribus nititur, quoniam & ipsa sui studiosos lucis suæ participes reddit.

Accensus sit qui alios accendat. Sacerdos qualis esse debeat.

Deus origo boni & pulchri.

§. 2. Hierarchia scopus.

Hinc Hierachiæ vtilitatem finémque cognosces assimilationem esse vnionémque cum Deo, quem & scientiæ & functionis suæ ducem habet; vt nimirum particeps fiat illuminationum, dum scopus eius ad diuinissimum decorem, tanquam ad primogenium exemplar,

spectat,

spectat, & secundùm ipsum similitudinum diuinarum simulacra format, nec non diuinas exprimit imagines, iuxta illud, *Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes*, atque immaculata specula reddit eos, qui ad diuina conuertuntur: hos autem θιασώτας, id est, sodales vocat; θίασος enim idem quod chorus. Idcircò etiam dixit, eam Deum scientiæ ac functionis suæ ducem obtinere; quoniam ab ipso totum est, & non ex nostris meritis. Etenim hoc in nostris artibus ac scientiis nequaquam locum habet; nam scientiarum quidem præceptores habemus, sed non operationum, quarum ipsemet naturæ motus quasi dux existit, & auctor; in diuinâ verò Hierarchiâ, & scientia & operatio à Deo est. Specula siquidem illuminationes recipiunt, sed per reflexionem ad exteriora remittunt: idem in diuinis sanctionibus videre licet, dum summus Sacerdos ab ipsamet Hierarchiâ illustrationem acceptam in Presbyteros ac Diaconos traiicit; qui luce pleni, in cæteros eandem transfundunt, nam id quod minus est, à maiori benedicitur. Neque enim fas est iis qui sacris initiati sunt, quidquam contra sacras ordinationes agere, v. g. Diacono sacrificare, vel Presbytero confirmare. Obserua enim in Actis Apostolorum, quomodo Philippus non det Spiritum sanctum. Sed neque aliter iis asserit suppetere sanctificationes, quàm iuxta primitus traditam sanctorum Apostolorum ordinationem, si modò sacri splendoris ambiant participationem, quâ iuxta cœlestium virtutum ordinem transformentur: nam & ibi est primum ac secundum, & Deo proximum, & remotum, ita vt ille ordo complectatur tam cœlestia quàm terrestria. Itaque qui Hierarchiam nominat, nihil dicit aliud, quàm quæ dicta sunt superiùs, scilicet eius definitionem ac finem, id est, finem vltimum, qui & ipse, ceu pars, ad definitionem spectat: sicut v.g. si definias patellam esse vas aliquod ad cibos ministrandos accommodatum; qui finis eius est. Instar vniusitaque coniungit, quæ sit Hierarchia, & quænam eius vtilitas: atque illum qui hoc dicit, nihil aliud dicere quàm sacrum ordinem. Demum concludendo dixit, tam cœlestem quàm nostram hanc diuinæ pulchritudinis ac sanctitatis imaginem referre: nam & hæc secundùm ordines lucem suam distribuit; siquidem pro differentiâ præstantiâque ordinum etiam sciendi facultas accommodari debet: nam alius est ordo Sacerdotis, alius Episcopi, alius Diaconi; & hierarchicis scientiis, videlicet exorcismis, expiationibus, initiationibus illustrationis mysteria sacrosanctè peragunt. Atque hactenus habes quid sit ordo, scientia & operatio: reliquus est scopus, quo Deo, à quo bonum omne dimanat, assimilamur, & hic est Hierarchia. Siquidem est cuilibet eorum qui consecrantur ista perfectio, vt pro captu suo ad diuinam imitationem adducatur; & quod est maximum, vt Dei cooperator existat; iuxta magnum Apostolum: quoniam is qui initiatur, per preces illuminatorias illam, quæ ex Deo est, accipit illustrationem, & in semetipso diuinæ participationis vim, id est, opera diuina, demonstrare debet; partim docendo, partim initiando, & similia pro virili exercendo erga illos qui instituendi sunt; illa enim sunt opera Dei. Deinde exponit etiam sigillatim ordinem initiantium & initiatorum. Siquidem illi expiant, hi verò expiantur, per institutionem videlicet Diaconorum, vtpote adhuc obnoxij passionibus. Atque alij quidem illuminant, alij verò illuminantur, per preces scilicet Presbyterorum, vtpote passionibus suis iam superiores. Atque alij item consecrant, & alij consecrantur, seu quodammodò deificantur per Antistitum vnctionem cæterasque sacras consecrationes, vtpote iam passionum vacuitatem assecuti. Cuilibet itaque illorum qui nimirum sacris operantur, diuina competet imitatio; quoniam & ipsemet Deus noster docendi munus obit: id quod patet èx veteri Testamento, cùm ait, *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Dominus vnus est*; & ex nouo seu Euangelio, vbi illuminat, iuxta illud, *Ego lux in mundum veni*; & deificat, iuxta illud, *Ego dixi, Dij estis*. Hic nempe modus est quo isti diuinam imitantur beatitudinem, quæ non solùm purgat, & illuminat, atque consummat (quæ ipsa operationes sunt; atque etiam operationes Pontificum per participationem) sed etiam ipsamet est expiatio; & illustratio, & consecratio; atque insuper quoque causa omnis Hierarchiæ: & ab omni re sacrâ incomparabiliter exempta est.

Deinde tradit, quænam competant iis qui sacra suscipiunt, atque item quæ conueniant iis qui sacra tradunt. Ac primum quidem, quoad initiandos attinet, oportet eos, qui expiantur per emundationem, ab omni inæqualitatis maculâ liberari; ad hoc enim est expiatio, iuxta illud, *Lauabis me, & super niuem dealbabor*. Eos autem, qui illuminantur, non ex parte illuminari, sed impleri lumine, & in puris mentis oculis ad præstantiorem adduci contemplationem; eiuscemodi enim est illuminatio, iuxta illud, *Illumina oculos*; &, *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia tua*. Eos autem qui consecrantur, ex imperfectis perfectos euadere, atque perficientis sacræque scientiæ participes ac spectatores existere; siquidem id in omni scientiâ perfectionis est, ad eorum quæ cernuntur participationem inspectionemque peruenire, & in nullo deficere, iuxta illud, *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis*. Tradit deinde quæ concernunt eos qui sacra conferunt. Vtique oportet eos; quibus expiandi munus incumbit, non tam exiguâ tenuique puritate instructos esse, vt propter penuriam puritatis, ex immundorum accessu inquinentur, & immunditiam potiùs contrahant quàm expellant: sed affluentiâ quadam puritatis abundare, ita, vt & aliis eandem communicare valeant. Eos autem, qui illuminandi munere funguntur, oportet, cùm ad diuini luminis exceptionem, tum ad eiusdem similiter transfusionem comparatos esse, & vitrorum naturam penitus æmulari, vt; illustri splendore pleni, lumen in eos qui illo digni fuerint transfundant. Eos verò, qui consecrandi munus obeunt, nequaquam decet imperitè, sed prudenter illos, qui consecrandi sunt, tanti boni communicatione initiare in institutione & cognitione mysteriorum quæ conspexerunt: siquidem inspectio eorum neque expiantibus neque illuminantibus competit, sed consecrantibus. Nam alia ista sunt primordialia, & foris peraguntur; at inspectio mysteriorum perfectis & perficientibus congruit, iuxta illud sponsæ in Canticis ad sponsum dicentis, *Ostende mihi faciem, sonet vox tua in auribus meis*. Porrò quilibet ordo facet iuxta gradum suum (nam alius est Presbyteri, & alius Diaconi) adducitur ad diuinam cooperationem cum diuinâ gratiâ virtuteque peragendo illa, quæ naturæ suæ sanctæ supernaturaliter & inconceptibiliter insunt, & ab eâ incomprehensibili ratione fiunt, expiationem, inquam illuminationem, sanctificationem, Deificationem, quæ, ad imitationem Hierarchiæ Angelorum Deo charissimorum, iisque mediantibus, ab ipsamet diuinâ beatitudine nobis exhibentur.

Psal. 21. 6. — *Subordinatio in Hierarchiâ.* — *Hierarchia quomodo Deum imitetur.* — *Functiones Hierarchiæ.* — *Deut. 6. 4.* — *Ioan. 12. 46.* — *Psal. 81. 6.* — *§. 3. Quæ sint partes initiantium & initiatorum.* — *Psal. 50.* — *Psal. 12. 4.* — *Psal. 118. 18.* — *Matth. 5. 48.* — *Cant. 2. 14.*

CAPVT IV.

Quid Angelorum nomen significet.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Docet, Deum suâ bonitate se creaturis suis communicasse, & creaturas omnes Dei participes existere:*

2. *Angelos tamen cæteris excellentius Deum participare: & simul exponit, vnde Angeli nomen acceperint; & quomodo per eos diuina nobis reuelentur:*

3. *Declarat, Deum, vt in se est, nulli vnquàm apparuisse, sed tantum sub creatâ similitudine, quæ θεοφάνεια dicebatur: & simul docet, quomodo inferiores per superiores ad Deum adducantur, & quælibet Hierarchia primos; medios & extremos ordines habeat.*

4. *Ostendit mysterium Incarnationis ab Angelis primum annuntiatum, & ipsimet Christo in hac vita degenti multa per Angelos reuelata fuisse.*

§. 1. CVm ipsamet Hierarchia quid sit, à nobis rectè, vt opinor, definita sit; iam Angelica Hierarchia superest

A

peteſt celebranda : cuius etiam ſacræ in Eloquiis efformationes, ſupermundanis oculis contuendæ, vt ad quam maximè Deiformem earum ſimplicitatem per myſticas effictiones ſubuehamur ; nec non omnis Hierarchicæ ſcientiæ principium, eâ quâ Deum decet veneratione, ac ſacroſanctis gratiarum actionibus celebremus.

Deus per bonitatē ſe communicat creaturis.

Primùm omnium id dictu verum, ſupereſſentialem Deitatem per bonitatem cunctas rerum eſſentias ſubſiſtere faciendo, in lucem produxiſſe : eſt enim hoc omnium cauſæ ſupremæque bonitati proprium, vt ad ſui communionem res vocet, prout cuiuſque captus moduſque poſtulat. Quare res omnes participant prouidentiam : à Deitate ſupereſſentiali omniumque causâ promanantem : neque enim eſſent, niſi rerum eſſentiæ principijque participes exiſterent.

Quomodo creatura qualibet Deum participent.

B

Cuncta igitur inanimata, hoc ipſo quòd ſunt, ipſam participant : nam eſſe omnium, eſt ea quæ illud eſſe ſuperat Diuinitas ; verùm res viuentes, eiuſdem ſupra omnem vitam viuificæ virtutis ſunt conſortes ; et quæ ratione ſpirituque pollent, ſuper eius omnem rationem & intelligentiam per ſe perfectæ ac præperfectæ ſapientiæ compotes exiſtunt. Liquet igitur, naturas iſtas eſſe proximas Diuinitati, quæ multipliciter illam participarunt.

§. 2.

Angeli maximè Deum participant.

Quapropter ſanctæ cœleſtium eſſentiarum diſpoſitiones, rebus iis quæ ſolummodò exiſtunt, & ſine vſu rationis viuunt, humanâve vtuntur ratione, diuini principatus munere ac participatione antecellunt. Cùm enim ſe ad imitandum Deum intellectualiter componant, atque Deiprincipalem ſimilitudinem ſupermundialiter contemplantes, ad eandem, ſpeciem ſuam cupiant efformare ; iure merito vberiore gaudent eius participatione, quòd ſint aſſiduæ, ac ſemper ad anteriora, quantum fas eſt, diuini nunquam fatiſcentis amoris contentione extendantur, & primordiales illuſtrationes immaterialiter liquidoque ſuſcipiant, atque ad eas componantur, vitamque omnem habeant ſpiritalem. Hæ igitur ſunt, quæ primariò & multipliciter Deum participant, & inprimis ac multis modis arcanum Dei manifeſtant : quamobrem præ cæteris omnibus per excellentiam Angelicum cognomen meruerunt, quia ipſæ primùm à Deo illuminantur, & per ipſas nobis noſtræ reuelationes tranſmittuntur. Sic igitur lex, vt diuinus Sermo teſtatur, per Angelos nobis data eſt : & illos celebres ante legem, & poſt legem Patres noſtros, Angeli ad Deum adducebant, aut quod agendum erat exponentes, & ab errore & vitâ profanâ ad rectam viam veritatis traducentes ; aut manifeſtantes ſacros ordines, aut myſteriorum, quæ ſupra mundum ſunt, abditas viſiones, aut diuinas quaſdam prædictiones, tanquam nuntij & miniſtri explanantes.

C

Angeli vnde id nomen habeant.

Gal. 3. 19. Act. 7. 53.

Diuina per Angelos reuelari.

Matt. 2. 13. Act. 11. 13. Dan. 7. 10.

§. 3.

1. Ioan 4. 12. Gen. 3. 8. Gen. 18. 1.

Si quis verò dicat, quibuſdam Sanctis immediatè Deum ea ſe apparuiſſe, diſcat etiam hoc apertè ea Scripturis ſacris, ipſum illud, quod Dei eſt occultum, neminem vidiſſe, neque viſurum eſſe ; ſed apparuiſſe ſanctis Deum, oſtendentem ſe, vt eum decebat, per viſa quædam ſacra, & iis, qui ea videbant, congruentia. Sermo autem diuinus, omni plenus ſapientiâ, viſum illud, quod diuinam ſimilitudinem in illo ipſo viſo figuratam, tanquam in figurâ eorum quæ figurari nequeunt, oſtendebat, ab intuentium ad Deum adductione, iure merito Theophaniam ſeu Dei apparitionem vocat ; vtpote quæ diuinam illuminationem videntibus immittat, & aliquid de diuinis eos ſacrè doceat.

D

Theophania quid.

His diuinis viſis præclari illi Patres noſtri miniſterio Angelorum initiabantur. An non etiam ſacram illam legiſlationem, ab ipſo Deo fuiſſe Moyſi traditam, diuina ſcripta tradiderunt ? vt verè nos docerent, diuinæ eam eſſe ac legis ſacroſanctæ delineationem. Quin imò ſapienter etiam Theologia docet, eam per Angelos ad nos dimanaſſe, quaſi id ordo diuinæ legis ſanxerit, vt per ſuperiora, iſta quæ inferiora ſunt, ad diuinum Numen adducantur. Etenim non ſolùm ſuperioribus inferioribuſque mentibus, verùm etiam æqualibus, ſeu coordinatis, à ſuperſubſtantiali rerum omnium primordiali ordine lex iſta conſtituta eſt, vt per ſingulas Hierarchias primi eſſent ac medij nouiſſimique ordines ac virtutes, inferioribuſque diuiniores myſtæ eſſent ac manuductores ad diuinum acceſſum, & illuſtrationem atque communionem.

Num. 9. Actor. 7. Galat 3.

Inferiores per ſuperiores adducendi ad Deũ.

E

Hierarchia habet ordines primos, medios, & extremos.

§. 4.

Myſteriū Chriſti nobis per Angelos nuntiatum.

Luc. 1. 13. Ibidem.

Diuinum etiam humanitatis Ieſu myſterium Angelis primùm patefactum eſſe video, per quos deinde ad nos quoque cognitionis eius gratia peruenit. Ita diuiniſſimus ille Gabriel Zachariam quidem Pontificem docuit, quòd puer ex ipſo præter ſpem diuinâ gratiâ naſciturus, Propheta foret humanæ diuinæque Ieſu diſpenſationis benignè ſimul ac ſalubriter mundo appariturę : Mariam vero erudiuit, quomodo in Ipsâ diuinum illud ineffabilis Deiformationis myſterium conſummaretur. Alius quoque Angelus Ioſephum docuit, verè adimpleta eſſe, quæ progenitori eius Dauid diuinitus promiſſa fuerant. Alius item paſtoribus, quippe iam ſolitudinis receſſu ac tranquillitate purgatis, euangelizauit ; cumque illo cœleſtis exercitus multitudo, celeberrimum iſtum collaudationis hymnum terrigenis tradidit.

F

Chriſto etiam multa per Angelos nũtiata.

Matth. 2.

Quinimò ad ſubliniſſimas illas Eloquiorum illuſtrationes mentis obtutum erigamus : animaduerto enim, ipſummet Ieſum (qui eſt naturarum ſupracœleſtium ſupra naturam auctor) vbi ad naturam noſtram ſine ſui immutatione deſcendit, eum quem ordinauerat elegeratque humanitatis ordinem nequaquam refugere, quin potiùs obedienter ſe ſubmittere formis à Deo Patre per Angelos effectis ; quorum miniſterio, à Patre diſpoſita filij in Ægyptum receſſio ; nec non eiuſdem ea Ægypto in Iudæam reductio, Ioſepho nuntiabatur. Quin & per Angelos ipſum cernimus paternis legibus ſubiectum : omitto enim dicere, vtpote ſcienti, quæ ſacroſanctis noſtris traditionibus expreſſa ſunt de Angelo quoque Ieſum confirmante ; & vt ipſemet Ieſus, pro ſalutari noſtrâ emendatione, in ſpirituum manifeſtatoriorum ordinem redactus, magni conſilij Angelus fuerit appellatus : etenim, vt ipſe pro nuntij munere dicit, quæcunque audiuit à Patre, nota fecit nobis.

Luc. 22.

Chriſtus magni conſilij Angelus.

Iſa. 9.

SCHOLIA S. MAXIMI.

G

§. 1.

Deus omnibus ſe communicat.

Ioan. 14. 2.

AD COMMVNIONEM.] Nota rationem ob quam Deus omnia produxit, vt [nimirum] pro captu quodque ſuo bonitati eius communicaret: hoc enim ſignificat iſtud, *Manſiones multæ ſunt* apud Patrem. Quilibet enim ſecundùm opus ſuum bonitati eius communicabit. Ita etiam Titus ait in libris contra Manichæos.

RARVM.] Hic omnia opera creationis ſummatim declarat per nomen *rerum*, omnia ſcilicet intellectilia & aſpectabilia : cuncta enim Deus ea nihilo fecit, vt ipſius bonitate fruerentur. Fruuntur autem prouidentiâ ipsâ, vt quæque res apta eſt: prouidentia enim Dei, principium eſt cuiuſque rei.

QVARE RES OMNES.] Quia res omnes diuinæ prouidentiæ participes exiſtunt : nihil enim eſt in rebus, quod non Dei prouidentiam participet, ita vt malum careat ſubſiſtentia, quandoquidem Deum non participet, eò quòd appareat ſecundùm habitûs priuationem, ipſum autem exemplariter non ſit in re, prout fuſiùs ſuprà dicebamus ſuo loco.

Quomodo res omnes Deum participent.

H

Ea quæ ſunt

vel vitâ carent, quæ vocat ſolùm exiſtentia, vt cœlum & terra.	vel viuunt, quæ dicit ſine ratione viuere, vt bruta animalia.	vel intelligunt, & incorporeæ ſunt, vt cœleſtia.	vel ratiocinantur, & in corpore ſunt; quæ vocat noſtratia.

NEQVE ENIM ESSENT.] In his entia vocat ea quæ diuina ſunt, id eſt ſanctam Trinitatem, quæ cùm ſit rerum creatarum conditrix atque principium ſiue cauſa, ab iis quæ per ipſam in rerum naturam veniunt, participari dicitur.

QVÆ IGITVR VITA CARENT.] Quoniam etiam res inanimes Dei prouidentiam participant, ſecundùm ipſum eſſe. Porrò res inanimes ſunt, v.g. lapides, & quæcunque non procedunt in generationem.

Res viventes seu solem.] Io quolibet eorum quæ inferuntur, vulgò subaudiendum est, per quæ prouidentiam participant.

§. 2.

Quapropter sanctæ.] Obserua autem circa ordinem vniuersi, diuersas esse virtutum supernarum essentias, vocat autem solùm entia, quæ appellauerat inanima.

Angelos etiã quoque voluntariò Dei participare.

Nam intellectualiter ad imitanovm Deum.] Considera etiam intellectiles virtutes ex suâ destinatione ampliùs diuinæ bonitati communicare, vt quæ multum ipsum desiderent: ait enim, ipsas se ad eius similitudinem efformare, quod est voluntarium. Falsus igitur est sermo, qui dicit, diabolum [casu fortuito] è cœlis excidisse: nam versus fuerat io malum à seipso. *Assidua* autem ponitur pro *contigua.*

Entis distributio.

Eorum
- alia quidem irrationalia, vt lapides, & reliqua quæ nullam vitalem operationem participant.
- alia autem sunt viuentia: quorum
  - alia sunt insensibilia, vt plantæ.
  - alia sensilia: quorum
    - alia sunt irrationabilia.
    - alia rationabilia: & horum
      - alia incorporea, & supra nos.
      - alia corporea, & nos sumus.

Et multipliciter participant.] Eorum enim substantiæ sunt mens viuens. Obserua autem, omnia intellectilia primo loco Deum participare. *Explanatoria* verò idem est quod *enunciatiua.*

Angelicum cognomen.] Nota quid propriè sit Angelus, & vt ipsos primum ordinem tenere dicat; præterea etiam quomodo per Angelos initiemur, & quomodo per illos lex data sit; & vt eos qui ante legem fuerunt, & post legem Patres nostros Angeli ad Deum adduxerint.

Qui fuerint per Angelos ad Deum adducti. Act. 11. Dan. 7. 10. Ezec. 10. Isa 6.

Celebres.] Gloriosos. Illud autem, *quod agendum erat*, vt in Iesu Naue, & Gedeone & aliis. *A vita verò profana ad rectam viam*, vt in Cornelio Centurione: primus enim ex infidelibus gentibus conuersus fuit. *Sacros verò ordines*, vt in Daniele, *Decies millies centena millia*: & Ezechiel Cherubim, & in Isaiâ Seraphim visi sunt. *Supermundanas visiones*, vt in Paulo rapto vsque ad tertium cœlum, & in Apocalypsi D. Ioannis.

§. 3.

Immediate.] Id est, sine ministerio Angelorum.

Quomodo Deus visus vel nõ visus. 1. Ioan. 4. 12. Gen. 3. 8. Gen 18. 1.

Ipsum illud quod est.] Vide quomodo interpretetur dictum illud, *Deum nemo vidit vnquam*, quod verissimum censeo; tametsi sciam esse quædam Scripturæ loca, quæ dicant, Deum visum esse hominibus, vt Adæ in paradiso; Abrahæ ad quercum Mambre, & proficiscenti Sodomam, & Moysi in monte, tametsi eius posteriora vidisse dicatur. Et dicit, Occultum Dei neminem vidisse, neque visurum esse, id est, eius essentiam. Vel etiam sublimiùs, quis quid sit Deus, nemo comprehendere intelligentiâ, nec exprimere vnquam potuit, neque poterit. Quòd si autem quibusdam etiam Sanctis diuinæ apparitiones acciderint: intellige, quòd vnusquisque illorum, proportione fidei, habebatur dignus visione quadam quæ illi Deum ostendebat, per quam visionem illuminationem capiebat cognitionum diuinarum, quæ ipsi adueniebant.

Tanquam informatione.] Arbitror transformationem dicere, aut miraculum in monte Sina per modum ignis.

Dei apparitionem.] Dei apparitionem esse ait, non quòd Deus appareat, & ostendat quid sit; hoc enim fieri nequit: sed quia sancti diuinâ illustratione honorantur, per visiones quasdam sacras atque ipsis proportionatas, quas per Angelos fieri dicit.

Lex per Angelos data.

Legislationem.] Nota, legem alterius etiam diuinæ legislationis figuram existere, scilicet diuinæ secundùm Christum incarnationis. Primam autem legem etiam per Angelos datam esse, sanctus quoque Stephanus declarat, dicens: *Qui accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis.*

Act. 7. 53.

Eam.] Legislationem nimirum.

Vt per prima.] Obserua quâ ratione per prima, hoc est per superiora; posteriora, hoc est inferiora, per Angelicas dispositiones ad Deum perducantur.

Supersubstantiali.] Supersubstantialem primordialem ordinem, vocauit eorum principium & causam effectiuam.

§. 4.

Gabriel.] Nota, primos etiam Angelos doceri incarnationem; vti probant illa quæ contigerunt circa Gabrielem, discentem ea quæ S. Ioannem concernebant, & annuntiantem Virgini, quòd ex sancto Spiritu concepturа esset Verbum Deum incarnatum.

Quæ est virilis Dei operatio.

Humanæ.] Humana [seu virilis] Dei operatio, est Christi incarnatio; secundùm quam Deus in carne existens, opera diuina patrabat. Obserua verò, quomodo hîc, cùm dixit Iesum virilem Dei operationem, dicendo quidem virilem, perfectum hominem fuisse; dicendo verò Dei operationem, ipsum Deum & hominem diuina signa edidisse declarans; paulò pòst ait fuisse immutabilem: mansit enim quod semper erat. Atque illud iterùm considera, quomodo in sanctâ Deiparâ Mariâ ineffabilis Deiformationis diuino-principale mysterium dicat consummari. Deiformationem autem dixit, significans formatum esse Deum, in quantum homo factus, iuxta illud, *Verbum caro factum est*: Diuino-principale verò, quia nimirum Dei, vtpote qui eorum qui dicuntur dij, Angelorùmque & iustorum hominum auctor & principium existit, opus est incarnationis mysterium; quòd antè Deum Iesum nominauit.

Ioa. 1. 14.

Mariam autem.] Nota hæc contra Nestorianos. Non omnes autem Angeli certiores erant de mysterio Incarnationis; quandoquidem, quando Dominus post passionem assumebatur, quidam Angeli petebant: *Quis est iste Rex gloriæ?* interrogatio enim ignorationem innuit. Nota contra Nestorianos & Acephalos, quòd Iesvm superessentialem causam vocet, tanquam omnium conditorem; & quòd dicat, eum immutabiliter nobis similem factum esse: non sunt autem hæc eadem atque vna natura, quantumuis ipse sit vtrumque. Item, quòd ipse quoque sit Legislator & sublex, & quòd ipse, tanquam homo, per Angelos dirigebatur, cùm in decessu in Ægyptum, tum in reditu ex eodem; & quoniam ipse etiam Creator est Angelorum: ita vt idem atque vnus Christus in duabus naturis, magnum dispensationis mysterium consummarit. Dictum est enim: *Qui cum in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Ecce duas formas: quòd enim hic dicit, *non refugit*, id est, *non rapinam arbitratus est*, hoc est, non dedignatus est, tanquam homo, Angelis obedire. Congruè autem per Angelos Dei ac Patris informationibus subiicitur; siquidem ipse hos ad humanum genus dirigendum ordinauit.

Psal 23. 8.

Christus Legislator & sublex.

Phil. 2. 6.

Immutabiliter.] Neque enim in diuinam naturam conuersa fuit.

Non respuit.] Quæ enim ab ipso constituta sine prædefinita fuerunt, ipse ad extremum vsque assumpsit, & in semetipso exhibuit.

Et per Angelos.] Factus enim sub lege, quæ constituta fuit per Angelos in manu mediatoris.

Et de Angelo.] Citat enim Magnus Dionysius Caput de Angelo Dominum confirmante, quod in Lucâ habetur; quin imò potiùs ait illud sibi ac sancto Timotheo in mysterio & occultè traditum à sancto Paulo: ipsius enim prædicationem S. Lucas conscripsit. Hoc autem eum quasi in mysterio accepisse declaratur, cùm ait, ea sacrosanctis nostris traditionibus expressa esse. Obserua etiam aliam interpretationem, quæ illud Isaiæ Prophetæ, vbi *magni consilij Angelum* nominat, ipsi recèns in carne nato conuenire ait, atque adeò Angelum dictum asserit, quòd Patris consilium nobis annuntiauit.

Luc. 22. *Quid de Angelo Dominũ cõfortãte dicẽdum.*

Isa. 9. 6.

Cùm

A

Cùm enim nos per passionem suam seruauit, Patris hoc quoque consilium fuisse declarauit: nequaquam enim, tanquam inferior Patre, Angelus appellabatur; quod militat aduersus Arrianos. Caput autem de Angelo confortante, noli contra sacræ Scripturæ interpretationem accipere; quoniam id secundùm carnem intelligendum est: nam etiam alibi tradit Euangelium, quòd, post tentationes, accedentes *Angeli ministrabant ei*, & quòd ex *itinere* fuerit *fatigatus*, & quòd esurierit: hæc enim omnia declarant, eum hominem perfectum cum suis affectionibus assumpsisse. At dicet aliquis: Quid opus erat Angelo, præsente diuinitate? Dicimus ergo, Deum plurima miracula per Angelos patrare; quoniam hoc vniuersa Scriptura docet.

Matth. 4. 11. Ioa. 4. 6.

MANIFESTATORIVM.] Iuxta illud ad Patrem ab ipso dictum: *Manifestaui nomen tuum hominibus.*

Ioa. 17. 6.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

B §. 1.

HIERARCHIA ipsâ omni & vniuersâ siue, cœlestem dixeris, siue nostram, rectè quidem, vt existimo, quid sit, pro philosophandi modulo definitâ, age nunc Angelicam, eámque solam, vt sese habet, Hierarchiam indagemus & discamus; quod vtique in auctoris eorum Dei laudem cedit. Nam si etiam ex hominibus cognitio Dei mirificatur, iuxta illud, *Mirabilis facta est scientia tua ex me*; quantò magis, quæ supra principium est, diuinitas magnificabitur & celebrabitur in eo quod de Angelis contemplamur? Verùm non sensilibus, sed supermundialibus & intellectilibus oculis; vt per mysticas imagines in Scripturis expressas, ad eorum simplicitatem adducamur. Siquidem audimus in Scripturis boues & leones, aliásque quasdam compositiones, quas dum mente peruoluimus, secundùm proprium habitum easdem consideramus: atque ita, quod sensu compositum est, fit mente simplex; atque Hierarchicæ disciplinæ auctor, scilicet Deus, gratiarum actionibus, cærimoniarum conditori competentibus, mirabilis prædicatur. Quemadmodum enim rex verbis regiis, quæ nimirum regiæ dignitati competunt, magnificatur; ita quoque naturæ illi, quæ ritus sacros instituit, verbis ritualibus, ipsi congruentibus, gratiæ referuntur.

Ps. 138. 6.

Spiritalia spiritaliter consideranda.

C

Primùm autem omnium secundum veritatem dicimus, ne quis virtutum audiens magnitudinem, supra creaturas eas reputet. Dicimus, inquam, has omnes Deum bonitate, non necessitate, condidisse: siquidem hoc auctoris omnium & super omnia Dei bonitatis proprium est, ad sui communionem ea quæ existunt inuitare, iuxta capacitatis cuiusque definitionem. Nam eâ ratione quâ quid est, diuinum quoque Numen participat; vt si inanimatum sit, entitatem solam habeat; sin animal, etiam ipsam vitam; sin verò etiam particeps rationis, ratiociuandi & intelligendi facultatem; vel in decursu adstruit. Quæcunque igitur existunt, diuinam participant prouidentiam ex superessentiali Deitate promanantem. Hinc enim inquit Gregorius Theologus, Bonum diffundi oportebat: quoniam malum neque subsistentiam habet, neque existentiam; quandoquidem Dei non sit particeps, secundùm habitus priuationem apparens, sed nec exemplariter in essentiâ existens. Quomodo enim quidquam erat, si rerum essentiam nequaquam participabat? Existentem autem vocat hîc sanctissimam Trinitatem; quæ cùm rerum creatarum sit creatrix, & principium, & causa, ab iis ipsis quæ per ipsam in lucem prodierunt, participari dicitur.

Quomodo Deus se cuilibet rei communicet.

D

Quæ itaque inanimata sunt omnia, cùm solùm sint, participant diuinum Numen secundùm esse, quamquam supra illud esse sit Numen Dei: quæ verò viuunt, præterquam quòd participent entitatem, vim quoque viuificam ac diuinam participant, tametsi hæc quoque supra omnem vitam existat: quæ verò rationalia sunt, vti nos, & spiritalia, sicut Angeli, compotes sunt ipsius per se perfectæ sapientiæ; siquidem hæc ratio est & intellectio Dei, licet simul sit supra rationem & intelligentiam. Ex his itaque præstantiores euadimus quoniam spiritalia Deo prorsus appropinquant; siquidem ipsum multipliciter participant, tum quòd sint, tum quòd viuant, tum quòd rationalia sunt atque insuper spiritalia.

Quomodo res qualibet Dei participet.

E

Sanctæ igitur cœlestesque dispositiones superant ea quæ solùm sunt inanimata, atque ea quæ sine ratione viuunt, nec non ea quæ nobiscum hominibus ratione reguntur: illa siquidem simpliciter, ista dupliciter, atque hæc tripliciter diuinum munus participant; sed spiritales istæ cœlestesque naturæ quadrupliciter ac multipliciter eius compotes existunt. Interim minimè, quemadmodum nobis vsu venit vt ex partibus nobilioribus appellemur, & magis propriè rationis compotes dicamur, quàm vel animalia, vel entia, ita etiam circa cœlestes illas virtutes agitur: sunt namque entia, & viuunt, & ratione pollent, & nihilominus simul spiritales nuncupantur. Et sicut nobis laudi est, secundum rationem moueri; ita quoque illis spiritaliter motis, & ad diuinam spectantibus similitudinem, indeque spiritalem suam speciem efformare cupientibus, diuinam tribuit imitationem: quapropter etiam meritò in pluribus cum eâdem communicant, tanquam existentes, tanquam viuentes, tanquam rationales, atque insuper tanquam spiritales atque assiduæ manentes, & nequaquam distractæ per diuersam sententiam, vti nobis accidit (qui enim in Deo sunt, collecti sunt, sicut ex diuinis Scriptis intelligimus, quando enim primus ille Discipulorum secundùm mundum commouendus erat, dicebat, *Vado piscari*, id est, discedo à vobis: quando autem credebant fideles, & apud Deum erant, *Erant*, inquit, *in vnum collecti*,) & ad anteriora semper summo diuini & indeficientis amoris studio intentæ. Quis enim è nobis quæsiuit vnquam vel desiderauit bouinum motum accipere, vel aliquam lapidis proprietatem? sed omne omnino desiderium ad superiora tendit. Hoc in Angelicis quoque virtutibus locum habet, quæ semper etiam superiora appetũt, & primordiales atque diuinas suscipiunt illustrationes, & secundum illas ordinantur, omnemque vitam suam habent spiritalem: siquidem eorum naturæ, sunt viua quædam mens; idcircò etiam, tanquam assiduæ quidem, primam habent participationem: in quantum verò multas habent naturales communicandi facultates, multipliciter diuini numinis consortes fiunt; ideoque iterum, primum ac multipliciter diuinum illud arcanum enuntiant, propter quod & Angeli dicuntur: quoniam per illos diuinum illud Dei secretum manifestatur, vt, quòd sit, quòd viuat, quòd mens sit, tametsi supra illa sine comparatione sit: vel etiam, quòd per illos ad nos diuina voluntas deferatur; sic enim & lex per Angelos promulgata est, vt magnus Apostolus testatur: & inclytos ante legem, vt Abraham & Manue cæterosque; & post legem, Iosephum, & Petrum, reliquosque Patres nostros, Angeli ad diuinam voluntatem deduxerunt, partim quid agendum esset edocentes, & ab errore remouentes, vti Cornelium; partim ad sacros Ordines adducentes, vti Danielem, Ezechielem, & Isaiam; quorum alter quidem mille myriades Angelorum adstantes conspexit, alter vero thronum vidit, & quæ Cherubim habebant, alter verò sedentem in throno & in circuitu Seraphim aspexit: partim visiones mysteriorum, vt Moysi in rubo; partim etiam diuinas prædictiones reuelantes, vt Manuë ac Danieli.

§. 2. Cœlestes spiritus maximè Dei participant.

F

Ioa. 21. 3.

Quomodo omne desideriũ sit rerũ superiorũ.

G

Per Angelos Dei voluntas intimatur.

H

Soluit hîc obiectionem, dicens: Si autem quis dixerit quòd etiam sine Angelis aliquibus diuinæ factæ sint apparitiones, iuxta illud, Apparuit Dominus Abrahæ, &, Dixit Deus ad Iacob; discat & hoc euidenter, non ex nobis, sed ex ipsis Scripturis, quomodo hoc quidem, quod est Dei occultum, nemo vidit, neque videbit, secundùm Euangelistam Ioannem, & quod ad Moysem dictum est. Diuinæ vero apparitiones sanctis factæ sunt, non quod ipsemet Deus, vt in se est, appareret (hoc enim impossibile est) sed quod diuinâ illustratione digni habiti illi qui cernebant, per sacras quasdam visiones, ipsis proportionatas, viderint ea quæ viderunt.

§. 3.

Gen. 18. 7. Gen. 35. 1. Ioa. 1. 18. Exod 33.

Illam itaque visionem, quæ diuinam similitudinem referebat, ex intuentium ad diuinum Numen adductio-

Dei apparitio

ne

ne atque illustratione, sapientissima Theologia Dei apparitionem vocat; vtpote per quam diuinæ illustrationis insitæ visionem, intuentes diuina quoque aliqua edocebantur. Has autem visiones Patres nostri mediantibus cœlestibus virtutibus didicerunt. Numquid enim etiam sacram legislationem ab ipsomet Deo Moysi datam, ex sacris Litteris addiscimus, vt nos doceat Moyses secundum veritatem, hanc nimirum legislationem alterius diuinæ sacræque legislationis effigurationem esse, nempe eius quæ per Christum est, & diuini Verbi incarnationem.

A quid in Scriptura.

Quin & Magnus ille Paulus hanc per Angelos promulgatam tradit, & sanctus Stephanus declarat, dicens: *Qui accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis*, siquidem hoc ipsa lex & ordo legis exigit: nam lex propter ordinem facta est. Exigit itaque tam lex quàm ordo eius, vt posteriora per priora ad diuinum Numen adducantur, quemadmodum legum dispositiones ferunt, quibus Sacerdotes populi coercentur. Quod etiam locum habet in virtutibus cœlestibus.

Act. 7. 53.

B In totâ Hierarchiâ seruatur subordinatio.

Etenim non solum in sublimioribus inferioribusque virtutibus, trium scilicet Supremorum ordinum, Seraphim, Cherubim, & Thronorum, & trium horce subsequentium, ac trium insuper inferiorum, eiuscemodi ordinis sanctionem videre liceat; verum etiam in ipsismet solis æqualibus, scilicet tribus solis, ita vt sint ordines primi, medij ac postremi: siquidem in omnibus tres, & tres, & tres sunt virtutes, in vnoquoque autem ordine æquali, omnes tres sunt; vt tam ibi quàm hic primum, & medium, & postremum dignoscatur. Conueniebat itaque in inferioribus quoque illustrationibus, vt per alios, scilicet ordines Angelicos, à Deo ad homines mysteria deriuarentur: quoniam etiam hic diuiniores mystæ inferiorum manuductores existunt, ad diuinam communionem & illustrationem.

Mysteria sunt per C Angelos reuelata.

Video autem etiam Angelos de Incarnationis & humanitatis Iesu mysterio primum edoctos esse, deinde per hos ad homines cognitionis gratia descendit: sic enim Gabriel Zachariam docuit, Prophetam fore puerum illum qui ex ipso præter spem nasceretur. Sed qualis argumenti Propheta? apparitionis Filij Dei secundum carnem. Virilem enim Dei operationem vocat Christi Domini Incarnationem, secundum quam, cum Deus esset in carne, diuina gessit, Deiparam verò Virginem instruxit, quomodo in ipsa fieret ineffabile Deiformationis mysterium. Porrò Deiformationem vocat, quòd cùm Deus esset, formatus sit in vtero castissimæ Dei matris, in quantum homo factus est. Alius item Angelus Iosephum docuit, quomodo is, qui Dauidi promissus erat de fructu ventris eius collocandus in throno ipsius, iam principium temporale secundum corpus assumeret: alius etiam pastoribus, tanquam in solitudine ac quiete viuentibus, euangelizauit; cum quo etiam multitudo cœlestis exercitus natum glorificauit. Hæc autem omnia probant, per virtutes aliquas diuinas apparitiones fieri, & non immediatè, sicut quidam posset opinari.

D

Hactenus sermo noster ad ipsum vsque Saluatorem progressus; quoniam & ipsemet superessentialis cœlestium virtutum auctor existens, postquam naturam nostram immutabiliter assumpsit, nequaquam refugit humanam ordinationem, vt scilicet per Angelos, ea quæ ad ipsum spectant, reuelentur ac disponantur à Deo ac Patre: siquidem ipsorum operâ Iosepho annuntiatur recessus in Ægyptum, & ab Ægypto iterùm in Iudæam reditus. Et per Angelos ipsum videmus sub lege constitutum: nam per Angelos eiuscemodi lex data est, sub quâ etiam ipse factus, per Angelos profectò legis sanctionem accepit. Omitto tibi tanquam scienti, ô Timothee, recensere mysteria Scripturarum; & de Angelo passionis tempore Christum Dominum confortante: quod enim in Euangelio Magnus Lucas refert, tanquam mysterium his ab Apostolo Paulo traditum est. Vnum porro illud etiam hæc superat, quod etiam ipsemet magni consilij Angelus ab Isaiâ nominatur; quandoquidem etiam ipse propter nostram salutem in ordinem venerit eorum qui manifestandi munus obeunt, & Angelorum more dixerit: *Quæcumque audiui à Patre, hæc locutus sum*, & illud, *Manifestaui nomen tuum hominibus*, ad Patrem dictum: hoc siquidem est manifestatio.

E Ioan. 17. 6. Ioan. 15. 15.

CAPVT V.

Quare omnes essentiæ cælestes communi nomine Angeli vocentur.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet, nomen Angeli, quamuis propriè vltimo ordini cælestium spirituum conueniat, superioribus tamen ordinibus non incongruè attribui; cùm & ipsi inferiorum virtutes obtineant, & eorundem obire possint functiones, atque adeò inde etiam nominari possint: inferioribus verò vi virtutes, sic nec nomina superiorum conuenire.

F

HÆc quidem est, quantum capimus, Angelicæ in eloquijs appellationis causa; scrutandum modò censeo, cur Theologi, omnes pariter essentias cœlestes Angelos appellent; vbi autem ad explanationem ventum fuerit supermundialium ipsarum ordinationum, ordinem Angelicum propriè vocent eum, qui diuinos cœlestesque ordines explendo claudat: isti verò Archangelicas anteponant dispositiones, & Principatus, ac Potestates, Virtutesque, & quascumque hisce celsiores spiritus agnoscunt eloquiorum explanatoriæ traditiones. Asserimus igitur, secundùm omnem sacram dispositionem, superiores quoq; ordines inferiorum quoque agminum illuminationibus virtutibusq; pollere, postremos verò non item superiorum suorum consortes esse. Itaque sanctissima illa supremorum agmina spirituum, Angelos quoque Theologi appellant, quòd & ipsa diuinam manifestent illustrationem. Porrò cœlestium Intelligentiarum ordinem nouissimum, vel Principatuum vel Thronorum, vel Seraphinorum nomine compellandi ratio nulla suppetebat; neque enim præstantissimarum virtutum illarum particeps existit; sed sicut ipse diuinos nostros Sacerdotum Principes adducit ad præstitutas sibi diuinitatis collustrationes; ita etiam illæ, quæ hos spiritus præcedunt sacratissimæ virtutes, ad diuinum numen surrigant distinctionem illam, quæ Angelicas adimplet hierarchias. Nisi fortè quis communes esse velit angelicas omnes appellationes iuxta cœlestium virtutum omnium in Deiformitate, deique vel remissiori vel eminentiori lumine communicationem. Verum quo distinctior nobis procedat oratio, sacrosanctas cuiusque cœlestis ordinis proprietates, quæ nobis in Eloquiis Elucidata sunt, pura mente contemplemur.

Psal. 103. & Matth. 25.

Superiores Angeli possunt G obire functiones inferiorum, non contrà.

SCHOLIA S. MAXIMI.

CÆLESTES ESSENTIAS.] Cur porrò cùm Ecclesia tradat, omnes sanctos Angelos vnius esse substantiæ, diuus Dionysius multas virtutes nominat? magnus ille Dionysius Alexandriæ Episcopus & orator, In Scholijs à se in beatum Dionysium sibi cognominem concinnatis, notat, externam Philosophiam solere naturam omnem inuisibilem ingenitam vocare; vel & Essentias supposita: atque hinc ait, abusiuè voces istiusmodi à Sancto Dionysio fuisse vsurpatas.

Essentia H & ingenitum quomodo hic sumantur.

MANIFESTATIONEM.] id est, elucidationem seu declarationem.

APPELLANT.] Extremum ordinem intelligibilium propriè Angelos appellare tradit, superiores vero aliter, quorum aliquos etiam nominat. Sequenti autem capite nouem ordines mysticè commemorat. Modo vero ait, superiores ordines perfectè nosse omnia, de quibus inferiores per illustrationem erudiuntur: sciunt autem etiam alia inferioribus ignota quod quamuis ita sit, quandoque tamen nomine generali omnes ordines intelligibiles pariter Angeli appellantur. Cuius rei quoque

Omnes spiritus cælestes Angeli vocari.

A

Cùm enim nos per passionem suam seruauit, Patris hoc quoque consilium fuisse declarauit: nequaquam enim, tanquam inferior Patre, Angelus appellabatur; quod militat aduersus Arrianos. Caput autem de Angelo confortante, noli contra sacræ Scripturæ interpretationem accipere; quoniam id secundùm carnem intelligendum est: nam etiam alibi tradit Euangelium, quòd, post tentationes, accedentes *Angeli ministrabant ei*, & quòd *ex itinere* fuerit *fatigatus*, & quòd esurierit: hæc enim omnia declarant, eum hominem perfectum cum suis affectionibus assumpsisse. At dicet aliquis: Quid opus erat Angelo, præsente diuinitate? Dicimus ergo, Deum plurima miracula per Angelos patrare; quoniam hoc vniuersa Scriptura docet.

Matth. 4. 11.
Ioa. 4. 6.

MANIFESTATORIVM.] Iuxta illud ad Patrem ab ipso dictum: *Manifestaui nomen tuum hominibus.*

Ioa. 17. 6.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

B
§. 1.

HIERARCHIA ipsâ omni & vniuersâ siue, cœlestem dixeris, siue nostram, rectè quidem, vt existimo, quid sit, pro philosophandi modulo definitâ, age nunc Angelicam, eámque solam, vt sese habet, Hierarchiam indagemus & discamus; quod vtique in auctoris eorum Dei laudem cedit. Nam si etiam ex hominibus cognitio Dei mirificatur, iuxta illud, *Mirabilis facta est scientia tua ex me*; quantò magis, quæ supra principium est, diuinitas magnificabitur & celebrabitur in eo quod de Angelis contemplamur? Verùm non sensilibus, sed supermundialibus & intellectilibus oculis; vt per mysticas imagines in Scripturis expressas, ad eorum simplicitatem adducamur. Siquidem audimus in Scripturis boues & leones, aliásque quasdam compositiones, quas dum mente peruoluimus, secundùm proprium habitum easdem consideramus: atque ita, quod sensu compositum est, fit mente simplex; atque Hierarchicæ disciplinæ auctor, scilicet Deus, gratiarum actionibus, cærimoniarum conditori competentibus, mirabilis prædicatur. Quemadmodum enim rex verbis regiis, quæ nimirum regiæ dignitati competunt, magnificatur; ita quoque naturæ illi, quæ ritus sacros instituit, verbis ritualibus, ipsi congruentibus, gratiæ referuntur.

Ps. 138. 6.

Spiritalia spiritaliter consideranda.

C

Primùm autem omnium secundum veritatem dicimus, ne quis virtutum audiens magnitudinem, supra creaturas eas reputet. Dicimus, inquam, has omnes Deum bonitate, non necessitate, condidisse: siquidem hoc auctoris omnium & super omnia Dei bonitatis proprium est, ad sui communionem ea quæ existunt inuitare, iuxta capacitatis cuiusque definitionem. Nam eâ ratione quâ quid est, diuinum quoque Numen participat; vt si inanimatum sit, entitatem solam habeat; sin animal, etiam ipsam vitam; sin verò etiam particeps rationis, ratiocinandi & intelligendi facultatem; vti in decursu adstruit. Quæcunque igitur existunt, diuinam participant prouidentiam ex superessentiali Deitate promanantem. Hinc enim inquit Gregorius Theologus, Bonum diffundi oportebat: quoniam malum neque subsistentiam habet, neque existentiam; quandoquidem Dei non sit particeps, secundùm habitus priuationem apparens, sed nec exemplariter in essentiâ existens. Quomodo enim quidquam erat, si rerum essentiam nequaquam participabat? Existentem autem vocat hîc sanctissimam Trinitatem; quæ cùm rerum creatarum sit creatrix, & principium, & causa, ab iis ipsis quæ per ipsam in lucem prodierunt, participari dicitur.

Quomodo Deus se cuilibet rei communicet.

D

Quæ itaque inanimata sunt omnia, cùm solùm sint, participant diuinum Numen secundùm esse, quamquam supra illud esse sit Numen Dei: quæ verò viuunt, præterquam quòd participent entitatem, vim quoque viuificam ac diuinam participant, tametsi hæc quoque supra omnem vitam existat: quæ verò rationalia sunt, vti nos, & spiritalia, sicut Angeli, compotes sunt ipsius per se perfectæ sapientiæ; siquidem hæc ratio est & intellectio Dei, licet simul sit supra rationem & intelligentiam. Ex his itaque præstantiores euadimus quoniam spiritalia Deo prorsus appropinquant; siquidem ipsum multipliciter participant, tum quòd sint, tum quòd viuant, tum quòd rationalia sint atque insuper spiritalia.

Quomodo res qualibet Deû participet.

E

Sanctæ igitur cœlestesque dispositiones superant ea quæ solùm sunt inanimata, atque ea quæ sine ratione viuunt, nec non ea quæ nobiscum hominibus ratione reguntur: illa siquidem simpliciter, ista dupliciter, atque hæc tripliciter diuinum munus participant; sed spiritales istæ cœlestesque naturæ quadrupliciter ac multipliciter eius compotes existunt. Interim minimè, quemadmodum nobis vsu venit vt ex partibus nobilioribus appellemur, & magis propriè rationis compotes dicamur, quàm vel animalia, vel entia, ita etiam circa cœlestes illas virtutes agitur: sunt namque entia, & viuunt, & ratione pollent, & nihilominus simul spiritales nuncupantur. Et sicut nobis laudi est, secundum rationem moueri; ita quoque illis spiritaliter motis, & ad diuinam spectantibus similitudinem, indeque spiritalem suam speciem efformare cupientibus, diuinam tribuit imitationem: quapropter etiam meritò in pluribus cum eâdem communicant, tanquam existentes, tanquam viuentes, tanquam rationales, atque insuper tanquam spiritales atque assiduæ manentes, & nequaquam distractæ per diuersam sententiam, vti nobis accidit (qui enim in Deo sunt, collecti sunt, sicut ex diuinis Scriptis intelligimus, quando enim primus ille Discipulorum secundùm mundum commouendus erat, dicebat, *Vado piscari*, id est, discedo à vobis: quando autem credebant fideles, & apud Deum erant, *Erant*, inquit, *in vnum collecti*,) & ad anteriora semper summo diuini & indeficientis amoris studio intentæ. Quis enim è nobis quæsiuit vnquam vel desiderauit bouinum motum accipere, vel aliquam lapidis proprietatem? sed omne omnino desiderium ad superiora tendit. Hoc in Angelicis quoque virtutibus locum habet, quæ semper etiam superiora appetũt, & primordiales atque diuinas suscipiunt illustrationes, & secundum illas ordinantur, omnemque vitam suam habent spiritalem: siquidem eorum naturæ, sunt viua quædam mens; idcircò etiam, tanquam assiduæ quidem, primam habent participationem: in quantum verò multas habent naturales communicandi facultates, multipliciter diuini numinis consortes fiunt; ideoque iterum, primum ac multipliciter diuinum illud arcanum enuntiant, propter quod & Angeli dicuntur: quoniam per illos diuinum illud Dei secretum manifestatur, vt, quòd sit, quòd viuat, quòd mens sit, tametsi supra illa sine comparatione sit: vel etiam, quòd per illos ad nos diuina voluntas deferatur; sic enim & lex per Angelos promulgata est, vt magnus Apostolus testatur: & inclytos ante legem, vt Abraham & Manue cæterosque; & post legem, Iosephum, & Petrum, reliquosque Patres nostros, Angeli ad diuinam voluntatem deduxerunt, partim quid agendum esset edocentes, & ab errore remouentes, vti Cornelium; partim ad sacros Ordines adducentes, vti Danielem, Ezechielem, & Isaiam; quorum alter quidem mille myriades Angelorum adstantes conspexit, alter vero thronum vidit, & quæ Cherubim habebant, alter verò sedentem in throno & in circuitu Seraphim aspexit: partim visiones mysteriorum, vt Moysi in rubo; partim etiam diuinas prædictiones reuelantes, vt Manuë ac Danieli.

§. 2. *Cœlestes spiritus maximè Deû participant.*

F

Ioa. 21. 3.

Quomodo omne desideriũ sit rerũ superiorũ.

G

Per Angelos Dei voluntas intimatur.

H

Soluit hîc obiectionem, dicens: Si autem quis dixerit quòd etiam sine Angelis aliquibus diuinæ factæ sint appari iones, iuxta illud, Apparuit Dominus Abrahæ, &, Dixit Deus ad Iacob; discat & hoc euidenter, non ex nobis, sed ex ipsis Scripturis, quomodo hoc quidem, quod est Dei occultum, nemo vidit, neque videbit, secundùm Euangelistam Ioannem, & quod ad Moysem dictum est. Diuinæ vero apparitiones sanctis factæ sunt, non quod ipsemet Deus, vt in se est, appareret (hoc enim impossibile est) sed quod diuinâ illustratione digni habiti illi qui cernebant, per sacras quasdam visiones, ipsis proportionatas, viderint ea quæ viderunt.

§. 3.
Gen. 18. 7.
Gen. 35. 1.
Ioa. 1. 18.
Exod 33.

Illam itaque visionem, quæ diuinam similitudinem referebat, ex intuentium ad diuinum Numen adductio-

Dei apparitio

ne

A — *quid in Scriptura.*

ne atque illustratione, sapientissima Theologia Dei apparitionem vocat; vtpote per quam diuinæ illustrationis instar visionem, intuentes diuina quoque aliqua edocebantur. Has autem visiones Patres nostri mediantibus cœlestibus virtutibus didicerunt. Numquid enim etiam sacram legislationem ab ipsomet Deo Moysi datam, ex sacris Litteris addiscimus, vt nos doceat Moyses secundum veritatem, hanc nimirum legislationem alterius diuinæ sacræque legislationis effigiationem esse, nempe eius quæ per Christum est, & diuini Verbi incarnationem.

Act. 7. 53.

Quin & Magnus ille Paulus hanc per Angelos promulgatam tradit, & sanctus Stephanus declarat, dicens: *Qui accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis*, siquidem hoc ipsa lex & ordo legis exigit; nam lex propter ordinem facta est. Exigit itaque tam lex quàm ordo eius, vt posteriora per priora ad diuinum Numen adducantur, quemadmodum legum dispositiones ferunt, quibus Sacerdotes populi coercentur. Quod etiam locum habet in virtutibus cœlestibus.

B — *In totâ Hierarchiâ seruatur subordinatio.*

Etenim non solum in sublimioribus inferioribusque virtutibus, trium scilicet Supremorum ordinum, Seraphim, Cherubim, & Thronorum, & trium horsce subsequentium, ac trium insuper inferiorum, eiuscemodi ordinis sanctionem videre liceat; verum etiam in ipsismet solis æqualibus, scilicet tribus solis, ita vt sint ordines primi, medij ac postremi: siquidem in omnibus tres, & tres, & tres sunt virtutes, in vnoquoque autem ordine æquali, omnes tres sunt; vt tam ibi quàm hîc primum, & medium, & postremum dignoscatur. Conueniebat itaque in inferioribus quoque illustrationibus, vt per alios, scilicet ordines Angelicos, à Deo ad homines mysteria deriuarentur: quoniam etiam hic diuiniores mystæ inferiorum manuductores existunt, ad diuinam communionem & illustrationem.

Mysteria fiunt per C *Angelos reuelata.*

Video autem etiam Angelos de Incarnationis & humanitatis Iesu mysterio primum edoctos esse, deinde per hos ad homines cognitionis gratia descendit: sic enim Gabriel Zachariam docuit, Prophetam fore puerum illum qui ex ipso præter spem nasceretur. Sed qualis argumenti Propheta? apparitionis Filij Dei secundum carnem. Virilem enim Dei operationem vocat Christi Domini Incarnationem, secundum quam, cum Deus esset in carne, diuina gessit, Deiparam verò Virginem instruxit, quomodo in ipsa fieret ineffabile Deiformationis mysterium. Porrò Deiformationem vocat, quòd cùm Deus esset, formatus sit in vtero castissimæ Dei matris, in quantum homo factus est. Alius item Angelus Iosephum docuit, quomodo is, qui Dauidi promissus erat de fructu ventris eius collocandus in throno ipsius, iam principium temporale secundum corpus assumeret: alius etiam pastoribus, tanquam in solitudine ac quiete viuentibus, euangelizauit; cum quo etiam multitudo cœlestis exercitus natum glorificauit. Hæc autem omnia probant, per virtutes aliquas diuinas apparitiones fieri, & non immediatè, sicut quidam posset opinari.

D

Hactenus sermo noster ad ipsum vsque Saluatorem progressus; quoniam & ipsemet superessentialis cœlestium virtutum auctor existens, postquam naturam nostram immutabiliter assumpsit, nequaquam refugit humanam ordinationem, vt scilicet per Angelos, ea quæ ad ipsum spectant, reuelentur ac disponantur à Deo ac Patre: siquidem ipsorum operâ Iosepho annuntiatur recessus in Ægyptum, & ab Ægypto iterùm in Iudæam reditus. Et per Angelos ipsum videmus sub lege constitutum: nam per Angelos eiuscemodi lex data est, sub quâ etiam ipse factus, per Angelos profectò legis sanctionem accepit. Omitto tibi tanquam scienti, ô Timothee, recensere mysteria Scripturarum; & de Angelo passionis tempore Christum Dominum confortante: quod enim in Euangelio Magnus Lucas refert, tanquam mysterium his ab Apostolo Paulo traditum est. Vnum porro illud etiam hæc superat, quod etiam ipsemet magni consilij Angelus ab Isaiâ nominatur; quandoquidem etiam ipse propter nostram salutem in ordinem venerit eorum qui manifestandi munus obeunt, & Angelorum more dixerit: *Quæcumque audiui à Patre, hæc locutus sum*, & illud, *Manifestaui nomen tuum hominibus*, ad Patrem dictum: hoc siquidem est manifestatio.

E — *Ioan. 17. 6. Ioan. 15.*

CAPVT V.

Quare omnes essentiæ cœlestes communi nomine Angeli vocentur.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet, nomen Angeli, quamuis propriè vltimo ordini cœlestium spirituum conueniat, superioribus tamen ordinibus non incongruè attribui; cùm & ipsi inferiorum virtutes obtineant, & eorundem obire possint functiones, atque adeò inde etiam nominari possint: inferioribus verò vti virtutes, sic nec nomina superiorum conuenire.

F

HÆc quidem est, quantum capimus, Angelicæ in eloquijs appellationis causa; scrutandum modò censeo, cur Theologi, omnes pariter essentias cœlestes Angelos appellent; vbi autem ad explanationem ventum fuerit supermundialium ipsarum ordinationum, ordinem Angelicum propriè vocent eum, qui diuinos cœlestesque ordines explendo claudat: isti verò Archangelicas anteponant dispositiones, & Principatus, ac Potestates, Virtutesque, & quascumque hisce celsiores spiritus agnoscunt eloquiorum explanatoriæ traditiones. Asserimus igitur, secundùm omnem sacram dispositionem, superiores quoque ordines inferiorum quoque agminum illuminationibus virtutibusq; pollere, postremos verò non item superiorum suorum consortes esse. Itaque sanctissima illa supremorum agmina spirituum, Angelosquoque Theologi appellant, quòd & ipsa diuinam manifestent illustrationem. Porrò cœlestium Intelligentiarum ordinem nouissimum, vel Principatuum vel Thronorum, vel Seraphinorum nomine compellandi ratio nulla suppetebat; neque enim præstantissimarum virtutum illarum particeps existit, sed sicut ipse diuinos nostros Sacerdotum Principes adducit ad præstitutas sibi diuinitatis collustrationes; ita etiam illæ, quæ hos spiritus præcedunt sacratissimæ virtutes, ad diuinum numen subrigunt distinctionem illam, quæ Angelicas adimplet hierarchias. Nisi fortè quis communes esse velit angelicas omnes appellationes iuxta cœlestium virtutum omnium in Deiformitate, deique vel remissiori vel eminentiori lumine communicationem. Verum quo distinctior nobis procedat oratio, sacrosanctas eiusque cœlestis ordinis proprietates, quæ nobis in Eloquijs Elucidata sunt, pura mente contemplemur.

Psal. 103. & Matth. 25. — *Superiores Angeli possunt* G *obire functiones inferiorum, non contrà.*

SCHOLIA S. MAXIMI.

CÆLESTES ESSENTIAS.] Cur porro cum Ecclesia tradat, omnes sanctos Angelos vnius esse substantiæ, diuus Dionysius multas virtutes nominat? magnus ille Dionysius Alexandriæ Episcopus & orator, in Scholijs à se in beatum Dionysium sibi cognominem concinnatis, notat, externam Philosophiam solere naturam omnem inuisibilem ingenitam vocare, vel & Essentias supposita: atque hinc ait, abusiuè voces istiusmodi à Sancto Dionysio fuisse vsurpatas.

Essentia H *& ingenitum quomodo hic sumantur.*

MANIFESTATIONEM.] id est, elucidationem seu declarationem.

APPELLANT.] Extremum ordinem intelligibilium propriè Angelos appellare tradit, superiores vero aliter, quorum aliquos etiam nominat. Sequenti autem capite nouem ordines mysticè commemorat. Modo vero ait, superiores ordines perfectè nosse omnia, de quibus inferiores per illustrationem erudiuntur: sciunt autem etiam alia inferioribus ignota quod quamuis ita sit, quandoque tamen nomine generali omnes ordines intelligibiles pariter Angeli appellantur. Cuius rei quoque

Omnes spiritus cœlestes Angeli vocantur. — I

assigna: rationem, vt in centesimo secundo psalmo, benedicite *dominum omnes Angeli eius:* Et in centesimo tertio, *qui facit Angelos suos spiritus*, & quæ sequuntur. Sermo autem hic non reciprocatur; quoniam Inferiores non nuncupantur nomine superiorum, & inferiores à superioribus virtutibus erudiuntur.

Terminantsm.] id est, vltimum ordinem distinctionum Angelicarum.

Vnde diuersitas ordinum existat.

Asssrimvs avism.] Interrogabat aliquis, an ordines cœlestes, qui superiores, & inferiores, atque magis demissi suot, ita facti sint, vt vnus quidem superior, alter vero inferior existeret. Et dicimus, deum intellectilia cuncta condidisse libera. Nam si homo liberè natus est, ex terrena massâ animaque; subsistens; quanto magis intelligibiles virtutes, quæ nihil habent quod terrestre sit vel graue, liberæ factæ fuerint; Quin & hoc quoque diuina scripturs declarat, cum ait, diabolum voluntariè ab angelico ordine excidisse. Hic quoque vir diuinus ante duo folia de virtutibus angelicis ait, *Quod ad imitandum Deum intellectualiter se componant, atque Dei-principalem similitudinem supermandialiter contemplantes, ad eandem speciem suam intellectualem cupiant efformare.* Ex quibus omnibus demonstratur, virtutes illas intelligibiles arbitrio libertateque pollere. Quare merito dici, quamlibet ipsarum, secundum boni sui desiderij proportionem, diuinis notionibus illuminari: quocirca etiam ordines vocantur, ac si gradatim quodammodo ipsis hoc insitum sit desiderium, idcirco hic dicit non esse rationem, vltimum eorum ordinem Thronos aut Cherubim nominandi. Nota denique, cur omnes ordines Angeli vocentur: quia qui propriè Angeli sunt, hi sanctos homines ad cognitas sibi diuinas illustrationes adducunt.

Angeli sunt liberi creati.

Cap. 4.

Ssd hic i hic.] Scilicet ordo Angelorum.

Inferiores à superioribus gradatim instrui.

Nostris.] S. Dionysius quam maximè fruitiuis hisce mysteriis saturatus, reuelat, quomodo postremus quidem ordo nominis Angelici, eos, qui inter homines Ecclesiarum præsules existunt, Instar pedagogi manuducat ad mentem in Deum erigendam, hunc ipsum autem inferiorem ordinem, qui noster pedagogus est, vt gradatim suprà collocatos eorundem superiores, tanquam sibi subditos, mysteriis imbuunt.

Quid sit commune omnibus Angelis.

Adimplst.] Id est, qui postremi scilicet ordinis est Angelorum. Nota vero, vt communes esse censeat omnes nouem ordinum appellationes, eo quod in communi Deiformiter illustrentur ad diuinum lumen, etsi non æqualiter, traiiciendum. Quin etiam omnes, inquit, intellectiles vt incorporeos ordines, secundum alium quoque modum, in communi liceat appellare, scilicet secundum Deiformitatem, id est, in quantum pro captu quisque suo Deo similis existit. Omnes itaque ordines supermundiales docet Deiformes appellari, atque omnes aliam quoque habere communicationem, nempe munus lucidissimæ ex Deo illustrationis; licet, ad cuiusque captum, vel plus vel minus illustratio distribuatur. In libro autem de diuinis nominibus ait, diuinos solos vocari eos, qui præfecti sunt ordini vniuerso.

Proprietates.] Nota, quomodo proprietates vocet cuiusque ordinis proprietates.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Cur omnes spiritus cœlestes Angeli dicti.

Reponens ea quæ dicta sunt, hæc quidem, inquit, quantum quoad nos, & secundum facultatem nostram dicere licet, causa Angelicæ denominationis. Inquirendum porro est, quam ob rationem Theologi cœlestes omnes virtutes pariter Angelos appellent; Quando autem ad eorum ordinum manifestationem declarationemque veniunt, propriè Angelos vocent ordinem infimum, qui complet ac terminat ordines cœlestes; qui vero supra hunc est, Archangelorum ac deinde Principatuum, supraque illum Potestatum ac Virtutum, & quascumque rursum hisce superiores essentias agnoscunt Scripturarum traditiones.

Dubium autem soluit, dicens, quòd per omnem sacram distributionem, secundùm tres ordinum terniones, superiores quidem habeant inferiorum illustrationes ac virtutes; sed non è contra, inferiores cum superioribus secundùm omnia communicent; sicut etiam in nobis vsu venit. Siquidem homo rationalis habet omnino etiam irrationales vegetantesque virtutes, non tamen hæ propriè vt sic ratiocinandi vim obtinent. Idcircò igitur etiam supremas quidem essentias, quæque eas consequuntur, inferiorum atque infimorum nomine Angelos Theologi appellant, etenim etiam ipsæ manifestant & enuntiant illuminationem Dei; Angelos autem ipsos, seu ordinem infimum, nulla subest ratio, vel Seraphim vel Thronos appellandi: siquidem illi non secundùm omnia participant horum sublimissimas illustrationes, sed sicut Angelorum ordo eos, qui apud nos diuini sunt, adducit ad illustrationes quas à Deo ipsi acceperunt, sic etiam naturæ istæ hanc distributionem, quæ videlicet Angelicam complet, adducunt. Nisi fortè quis etiam hoc dicat, secundùm aliam solutionem, quòd nouem etiam ordines communem habeant appellationem, quia communem quoque habent illustrationem, & diuinam communicationem, tametsi non æqualem, sed remissiorem præstantioremve; quemadmodum etiam in nostratibus cygno & niui communiter albis esse contingit, quòd albedinem communiter participent, licet secundùm magis ac minus. Cœlestes enim ordines diuinam annuntiant illustrationem eo modo quo eam accipiunt; suscipiunt autem illam, alij quidem magis, alij verò minùs. Iuxta illud itaque, omnes communiter Angeli vocari possunt. Verùm vt sermo magis distinctus sit, considerabimus ea quæ in Scripturis sacrosancta sunt, sacras inquam proprietates cuiuslibet ordinis cœlestis.

CAPVT VI.

Quænam sit prima cœlestium essentiarum distinctio, quæ media, quæ postrema.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Docet, solum Deum exactè nosse quæ ad omnes ordines Angelorum spectant.*
2. *Tradit, nouem ordines Angelorum in tres Hierarchias esse distributos.*

§. 1. Deus solus eminenter & exactè nouit quæ ad omnes Angelorum ordines spectant.

Qvantæ quidem sint & quales supercœlestium essentiarum dispositiones, & quo pacto earundem sacri ordines initientur, solum exactè nosse censeo diuinum illum, à quo consecrantur, principatum; præterquam quòd & ipsis virtutes atque illustrationes propriæ sint perspectæ vnà cum sacrâ suâ supermundialique ordinatione: neque enim intelligere valemus supercœlestium istarum mentium mysteria, & sanctictissimas illarum perfectiones, nisi illa fortè nos scire quis asserat, quæ illorum, sua scilicet ritè callentium, ministerio Diuinitas ipsa nos docuit. Itaque nos quidem nihil motu proprio dicemus, sed, quæ Angelica spectacula sanctis Theologis visa fuerint, edocti, pro viribus exponemus.

§. 2. Nouem ordines Angelorum in tres Hierarchias distributi.

Ezech. 1. Isa. 6.

Substantias cœlestes omnes Theologia nouem explanatoriis nominibus appellauit: has diuinus noster initiator, in tres ternarias distinxit distributiones. Ac primam quidem ait esse illam, quæ circa Deum assiduò versatur, illique iugiter inhærere, ac præ cæteris immediatiùs vniri traditur: sanctissimos enim Thronos, & pluribus oculis alisque præditos ordines, Cherubim Hebraico vocabulo & Seraphim appellatos, immediatè iuxta Deum ante alios eminenti propinquitate locatos esse, sacrorum asserit Eloquiorum explanatione comprobari. Hanc igitur ternariam distributionem, vt vnam

æqualem

æqualemque ac primam reuerà Hierarchiam, inclytus præceptor noster memorauit, quâ non est altera Deiformior, primoribúsve Diuinitatis illustrationibus immediatâ coniunctione propinquior. Secundam verò designat illam, quæ Potestatibus, Dominationibus, Virtutibusque completur. Tertiam denique, eamque cœlestium Hierarchiarum vltimam, esse dicit Angelorum & Archangelorum, atque Principatuum distributionem.

SCHOLIA S. MAXIMI.

§. 1. Quis nouerit verè Angelos.

SOLVM EXACTE.] Quia solus Deus, qui quoque ipsos Deificat, exactè nouit cùm ipsos tum ipsorum ministeria; quin & ipsi quoque se suaque norunt: nos enim nihil exactè de rebus ipsorum cognoscimus, præter ea quæ ex diuinis Scripturis didicimus.

NOVEM.] Nota, nouem esse ordines Spirituum diuinorum.

§. 2. Quis sit initiator Dionysij.

SACRORVM INITIATOR.] Suum quidem in sacris initiatorem vocare solet diuinissimum Apostolum Paulum, vel sanctum Hierotheum; sicut in libro de Diuinis nominibus dictum est: nunc autem existimo ipsum nullum alium dicere quàm S. Paulum, nullius enim alterius erat quàm illius, qui vsque ad tertium cœlum euectus, de hisce rebus edoctus fuerat.

Primus ternarius ordo,

Throni, Cherubim, Seraphim.

ASSIDVO.] De primo sacrorum ordinum, qui Deo est propinquus.

SANCTISSIMOS.] Primum hunc ternarium ac Deiformem ordinis Principatum, attentus ac dignus Dei contemplator cognoscere poterit ex Ezechiele, qui describit primùm thronum illum in quo Deus visus est, ac statim pòst diuinos istos Cherubim assistentes: apud Isaiam verò diuinissimos Seraphim, qui hos in circuitu Dei stantes contemplatur. Hæc vtque supremam eorum apud Deum supra omnes sortem declarant. Simili ferè modo hæc explicantur in Apocalypsi sancti Ioannis Apostoli, Euangelistæ atque Theologi.

IMMEDIATE.] Immediatè dixit, quoniam non est alius ordo ante ipsum. Nota verò vt dicat, Thronos, & multis oculis alisque præditos Cherubim ac Seraphim, virtutes esse vnius Hierarchiæ tripartitæ, atque omnibus celsiores.

INCLYTVS.] Sanctum Paulum insinuat.

POTESTATVM.] Sequentes duos ternarios sacrarum mentium ordines, ab infimo ad supremum recenset. Primæ enim sunt Dominationes, deinde sequuntur Virtutes, denique Potestates. Ipse verò Potestates primas collocans, medias accepit Dominationes. Et tertij ternionis ministratorij, primi sunt Principatus, sequentes deinde Archangeli, postremi verò Angeli. Nunc autem non hoc ordine eorum meminit sequenti Capite; sed eorum nomina, ab infimo ad supremum ascendendo, recensuit. Apostolus vtique in Epist. ad Romanos & Ephesios, quorundam ordinum Angelicorum mentionem fecit; sed non eundem ordinem exponit: Magnus autem Dionysius significat, D. Apostolum quibusdam hæc in mysterio tradidisse.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§. 3. Solum Deum omnes & singulos Angelos seipsos nosse.

QVanti quidem sint multitudine, qualesque conditione cœlestium distinctiones atque ordines diuini, & quomodo iuxta illos mysteria Hierarchiæ consummentur, solum nosse dico diuinum illum initiandi principatum qui illos condidit, & omni initiationi omnique mysterio principatur; quin imò ad hæc, ipsos nosse proprias virtutes atque illustrationes, nec non sacrum suum ordinem, non tamen alterum alterius: nam inferiores ea quæ superiorum sunt, omnino nosse nequeunt, sed quilibet res suas nouit. Idcircò enim dixit, proprias virtutes. Impossibile enim est ea nos, quæ illorum sunt, nosse; nisi loquamur de iis quæ per ipsos, Deo reuelante, accepimus. Omnino autem illi cùm res proprias exactè noscunt, ritè quoque nobis subministrant istiusmodi eruditionem. Nos itaque nihil omnino quidem à nobismet ipsis dicimus; sed quæ in Angelicis visis ac notionibus sacris Theologis conspecta sunt & nota, eadem nos, ab illis edocti, rursum pro virili exponemus.

§. 1. Distributio ordinum Angelicorum.

Omnes essentias cœlestes, earumque ordines, nouem vocauit Theologia cognominibus manifestatiuis, & diuina mysteria denuntiantibus, seu Angelicis. Has autem in tres ternarios ordines digerit inclytus initiator noster, siue is sit diuinus Hierotheus, siue potiùs is qui ad tertium cœlum euectus, ibidem raptus in paradisum, Magnus inquam Paulus. Ac primùm quidem ac circa Deum existentem, eique proximè & immediatè vnitum, dicit esse Thronos sanctissimos, & multorum oculorum, quippe cognitionis copiâ pollentium; & multarum alarum, vtpote efficacissimorum & incensorum, quos Cherubim & Seraphim Hebræa lingua vocare solet, cuius causa in sequentibus proferetur. Primam hanc distributionem circa Deum immediatè collocari, asserit Oraculorum traditio: hanc etiam inclytus Magister noster vnam & eiusdem dignitatis esse dicebat, quâ non est alia distributio primigeniis ac diuinis illustrationibus attentior. Secunda verò est ex Potestatibus & Dominationibus atque Virtutibus; & post hanc tertia, quæ complet Angelorum & Archangelorum ac Principatuum dispositionem.

Quis sit ordo dignitatum inter illos.

Notandum autem, aliquos hac enumeratione prouocatos, ita primam distributionem ordinare: primùm Thronos, deinde Cherubim, ac posteà Seraphim; quocircà etiam inscriptionem septimi capitis, atque insuper trium horum ordinum doctrinam, conferendam aiunt cum duobus istis ternariis ordinum sequentium: ibi enim illos sursum deorsum recenset; hic autem non sic, sed deorsum sursum. Atque alij quidem hoc modo, vt primo loco Seraphim collocent, deinde Cherubim, atque exinde Thronos: ad hoc permoti ab Isaiâ dicente, in circuitu Dei Seraphim collocari; vel potiùs ab inscriptionibus octaui ac noni capitis, dicentes, quòd vt sanctus secundùm ordinem illorum, sic & titulum septimi capitis inscripserit. Si quis autem voluerit Thronos esse superlatos, sciat etiam, Seraphim ignitos esse, & sursum ferri. Aliter etiam hi tres ordines vnam habent eminentem propinquitatem. Hic autem ita recenset eos, & à Thronis incipit, vt & sic vnitati quodammodò consulat: vel etiam secundùm nostræ cognitionis & illustrationis rationem, (quoties enim ab inferioribus ad superiora transimus?) vel secundùm describendi ac definiendi modum; ascendendo enim multitudinem in vnum contrahimus, sicut descendendo vnum in multa diuidimus. Cùm itaque adunet tres in vnum, idcircò istiusmodi facit enumerationem: hactenus autem ordines quidem nouem assignat, quos in tres distributiones diuidit, in primam scilicet, vltimam, & mediam; ita vt etiam tres vnam habeant supereminentem propinquitatem.

CAPVT VII.

De Seraphim, Cherubim, & Thronis, deque primâ eorum Hierarchiâ.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Docet quid Cherubim, Seraphim, & Throni significent.

2. Quanta sit primæ Hierarchiæ dignitas, contemplandi vis atque perfectio.

3. Quomodo inferiores à superioribus, & supremi ab ipsomet Deo initientur, & [illegible] reuerentiâ suas quisque illustrationes excipiat.

4. Quid supremi illi spiritus agant.

A §. 1.

Seraphim quid significet. Cherubim quid.

HVnc sanctarum Hierarchiarum ordinem approbantes, omnem cœlestium intelligentiarum appellationem, Deiformis, cuilibet earum insitæ, proprietatis declarationem continere profitemur. Ac sanctam quidem Seraphim appellationem, Hebraicè periti aiunt vel Incensores interpretari vel Calefacientes; Cherubim verò, Copiam cognitionis, siue Sapientiæ diffusionem: Meritò igitur prima illa cœlestium Hierarchiarum à sublimissimis naturis administratur, cùm hoc cæteris ordinem nacta sit sublimiorem, quòd in eam, immediatè Deo assistentem, primæuæ Dei apparitiones, & initiationes, tanquam in proximam, principaliùs deriuantur. Calefacientes igitur nominantur & Throni, Diffusioque sapientiæ, per explanatoriam Deiformium suarum habitudinum denominationem: perennem siquidem atque incessantem eorum circa rès diuinas motionem; feruoremque & acumen, & effetuescentiam intentæ ac nunquam intermissæ, nunquámve declinantis motionis; subditosque ad superna surrigendi, & ad consimilem feruorem reipsâ suscitandi inflammandique, nec non coruscanter penitusque conflagranter eos perpurgandi facultatem, & abscondi nesciam inextinctamque, semper eodem modo se habentem, luciformem, & illuminandi proprietatem, omnis tenebricosæ obscuritatis expultricem & aboletricem, nomen Seraphim luculenter designat.

B

Cherubim verò, eorum vim cognoscendi, Deumque contuendi, & exuberantis capacitatem luminis, atque contemplandi in ipsamet primæuâ virtute diuinam venustatem, nec non sapientificæ traductionis artificium, quoad inferiora donatam sibi sapientiam sine inuidia deriuant atque transfundunt.

Throni quid.

Thronorum potiò sublimissimorum & excelsorum nomen denotat id quod ab omni terrenâ humilitate sine admixtione secretum est, quodque ad superiora diuino studio fertur, nec in infimis vllis rebus habitat, sed totis viribus in eo, qui verè summus est immobiliter, firmiterque hæret, diuinumque aduentum sine vllâ motione atque materiâ recipit, ac Deum portat, officioseque ad ea, quæ diuina sunt, capienda propensum est.

C §. 2.

Atque hæc quidem est nominum ipsorum, quantum capere possumus, interpretatio; quam autem eorum Hierarchiam esse putemus, dicendum est. Omnis enim Hierarchiæ scopum ex diuinâ Deiformitatis imitatione constanter dependere, omnemq; functionem Hierarchicam, in sacrosanctam purissimæ mundationis, & diuini luminis, perfectiuæque scientiæ participationem atque collationem diuidi, satis superque iam à nobis dictum existimo: nunc autem pro supremarum istarum mentium dignitate dicere desidero, quanam ratione sacer earum ordo à Scripturis explicetur.

Prima Hierarchia dignitas.

Primis istis essentiis, quæ post substantificum ipsarum Dei principatum collocatæ, & quasi in vestibulo eius sitæ, creatam virtutem omnem, tam inuisibilem quàm visibilem, transcendunt, propriam quandam & vniformem [illegible] Hierarchiam esse existimandum est. Puræ siquidem censen[illegible], non quasi à maculis (dumtaxat) impuris, colluuionibusque sint liberæ, vel quòd in eas materialia visa non cadant; sed quod omnino imminutione omni, omnique re sacrâ sibi subditâ celsiores,

D

præ summâ puritate, omnibus etiam, vel maximè Deiformibus virtutibus, sint antepositæ, ordinisque sui motum proprium æquabilemque per amorem Dei constanter retineant inuariatum, neque vllam in deterius agnoscant imminutionem, sed inconcussam semper & immobilem Deiformis suæ proprietatis sedem habeant. Contemplatrices item, non quasi symbolorum, quæ vel sensu vel mente percipiantur, spectatrices, neque varietate contemplationis sacrarum Scripturarum ad Deum eleuatæ; sed tanquam omni cognitione simplici altioris luminis expletæ, & contemplatione illius pulchritudinis, quæ est effectrix & origo pulchritudinis, & quæ supra substantiam est, & in tribus splendet, quatenus fas est, refertæ: communionis verò Iesu similiter participes factæ, non quasi in imaginibus sanctè informatis, quæ veluti formæ in eis Deificam similit[illegible] exprimant, sed tanquam verè ad eum appropinq[illegible] in ipsâ primâ participatione cognitionis luminum eius Deificorum; nec non quòd Deum imitandi ratio, sublimissimo ipsis modo sit Indulta, & in primæuâ, quantum iis fas est, potentiâ diuinis eius humanisque virtutibus communicent.

E

Quàm perfecta sit prima Hierarchia.

Similiter perfectæ sunt, non quasi varietates istas sacras resoluendi scientiâ sint illustratæ, sed quòd primâ & præcellente Dei vnione satientur, iuxta supremam illam (cuius capaces sunt Angeli) diuinorum operum disciplinam: siquidem non ab aliis quibusdam sanctis spiritibus, sed ab ipsamet Diuinitate sacris initiantur, dum ad Deum immediatè per virtutem ordinemque rebus omnibus superiorem surriguntur, nec non in eo summâ puritate summaque constantiâ stabiliuntur; & pro immateriali ac spiritali decore suo, quantum fas est, ad contemplationem promouentur, atque scientificis diuinorum operum rationibus, tanquam primæ Deoque proximæ erudiuntur ab ipsomet initiandi principio, eminenti modo consecratæ.

§. 3.

Inferiores à superioribus, supremos à Deo initiari.

F

Hoc igitur Theologi perspicuè declarant, vt inferiores quidem cœlestium essentiarum ordines, à superioribus diuinorum operum scientiam conuenienti modo percipiant; ij verò qui omnibus antecellunt, ab ipsamet Deitate summâ, vti fas est, sacris disciplinis illustrantur. Quosdam enim eorum introducunt, à superioribus sacrosanctè eruditos, illum esse Dominum cœlestium virtutum Regemque gloriæ, qui humanâ specie assumptus est in cœlum: nonnullos item circa ipsummet Iesum hæsitantes, diuinique eius pro nobis suscepti operis scientiam discentes, ipsumque Iesum eos per se docentem, ac primùm eius summam in homines benignitatem explicantem. *Ego enim*, inquit, *loquor iustitiam & iudicium salutaris.*

Isa. 63. 1.

Supremorum in illustratione recipiendâ reuerentia.

Miror autem, primas etiam cœlestium essentiarum, tantumque cæteris præstantes, non secùs ac medias, diuinarum quoque illustrationum desiderio timidè affici; neque enim illæ per se quærunt, *Cur rubra sunt vestimenta tua?* sed priùs hæsitant attonitæ, declarantes quidem se discendi auidas, diuinæ operationis appetere cognitionem, verùm hanc, ante diuinam indultæ sibi illustrationis processionem, minimè præuenire.

Supremi quomodo expilentur, illustrentur & perficiantur.

G

Prima igitur cœlestium intelligentiarum Hierarchia ab ipsomet initiandi principatu consecrata, per eam, quâ in ipsum immediatè surrigitur, sanctissimam purgationem, pro captu suo referta copioso lumine perfectissimæ sanctificationis, purgatur, & illuminatur, atque perficitur; omnis quidem vilitatis expers, primæ verò lucis plena, primitiuæque cognitionis atque scientiæ participatione perfecta. Compendiò denique non abs re dixerim, diuinæ scientiæ participationem esse purgationem, & illuminationem, atque perfectionem: dum quidem ignorationem quodammodò expiat per perfectorum mysteriorum scientiam, quæ pro suâ cuique dignitate conceditur; per diuinam verò cognitionem illuminat, quâ etiam purgat mentem illam, quæ anteà non viderat ea, quæ modò illi per sublimiorem illustrationem elucidantur; rursumque perficit eodem ipso lumine, per stabilem scientiam clarissimarum eruditionum.

§. 4. H

Atque hic quidem, quantum capio, primus est cœlestium essentiarum ordo, qui in circuitu Dei circaque Deum immediatè consistit: simpliciterque & iugiter æternam eius ambit cognitionem, iuxta sublimissimam, quæ in Angelis inest semper, mobilem constitutionem; ita vt & multis beatisque perfruatur contemplationibus, simplicibusque & immediatis collustrationibus illuminetur, diuinoque cibo saturetur; atque illo quidem primæuâ diffusione copioso, vnico tamen & inuariato vnificoque, propter diuinæ refectionis vnitatem. Quin & multâ quoque Dei consuetudine operumque communicatione dignus est habitus, propter eius cum illo, quanta potest existere, habitudinum actionumque similitudinem probatissimarum: plurimas quoque res diuinas eminenti quadam ratione cognoscit, diuinæ scientiæ cognitionisque, quantum fas est, particeps effectus; quamobrem etiam terrigenis laudes eius Theologia tradidit, quibus sublimissimæ illius illustrationis eminentia sacrosanctè declaratur.

Quid supremi spiritus agant.

Nonnulli siquidem ex illo ordine, ad sensum accommodatè loquendo,

quasi

A Ezech. 3. 12. Isa. 6. 3.

quasi vox & fremitus aquarum multarum clamant, *Benedicta gloria Domini de loco suo:* alij verò celeberrimum illud & veneratione plenissimum diuinæ laudis canticum exclamant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus sabaoth, plena est omnis terra gloriâ tuâ.* Has autem sublimissimas cœlestium intelligentiarum hymnologias, siue laudum celebrationes, iam pridem in iis, quæ de diuinis Hymnis conscripsimus, pro facultate nostrâ explanauimus, ibidemque de illis satis superque pro modulo nostro dictum est; ex quibus id, memoriæ causâ, in præsentiarum repetere sufficiat, vt primus ille ordo à diuinâ bonitate, quantum par est, Theologicâ illustratus scientiâ, eandem deinde, ceu benefica Hierarchia, sequentibus transscripserit, illud, vt compendio dicam, docens, quemadmodum veneranda, & superbenedicta, omnique laude digna Diuinitas, à Deicapacibus intelligentiis, quantum ab iis cognosci ac celebrari potest, iure debeat deprædicari, cùm sint quasi Deiformes, diuini quidam loci, vt Eloquia testantur, diuinæ

B

requietis: nec non vt monas vnitasque, quæ tribus inest personis, à supercœlestibus naturis ad infima vsque terræ per suam benignissimam res omnes penetret prouidentiam, tanquam quæ omnis sit essentiæ superprincipiale principium & causa, nec non superessentialiter vniuersa incomprehensibili suo complexu comprehendat.

SCHOLIA S. MAXIMI.

§. 1.

RVrsum inscriptio ab infimo ad supremum ascendit: tertij enim sunt Seraphim, secundi Cherubim, & primi Throni: inuerso igitur ordine inscripsit.

APPELLATIO.] Nota, quodlibet nomen propriæ operationis cuiusque ordinis continere significationem, vti sanctorum Seraphim & Cherubim interpretationes declarant; quoniam non est alius ordo ante ipsum.

DEI APPARITIONES.] In primis enim operantur efficaces illæ primæ Dei apparitiones.

C

EXPLANATORIAM.] Hoc est, interpretatoriam, seu repræsentatiuam.

Qui sint habitus Deiformes in Angelis.

DEIFORMIVM.] Quia in diuinis mentibus habitus Deiformes dixit; non oportet existimare, quasi dicat Magnus Dionysius, has virtutes mentium diuinarum, tanquam accidentia in illis, sicut in nobis, vel aliud in alio subiecto, tanquam qualitatem, aduenire: illud enim tanquam accidens, & tanquam subiectum, non habet illic locum; quia omnis compositio, & illud informe materiæ, illinc eiectum est. Si enim esset aliud in alio, veluti accidens in subiecto, non viueret per se substantia illa, neque posset per se deificari, quantum vires pati possunt, propter solum ordinem qui seruatur, ponendo aliud in alio. Habitus igitur, quos in ipsis diximus, sunt ipsimet earum substantiæ inditi, non autem vt accidens in subiecto, quia sunt expertes materiæ. Vnde Magnus Dionysius infrà in libro de Ecclesiasticâ Hierarchiâ capite quarto, substantiales vocat habitus qui in ipsis sunt.

Quid sit habitus.

D

HABITVDINVM.] Nota, diuinas virtutes deiformitatem secundùm habitum habere: habitus autem est qualitas stabilis & fixa. Hinc igitur patescit, quemadmodum liberi arbitrij sunt, qui virtutes habent secundùm habitus acquisitas; quod copiosiùs Hammoo Adrianopolitanus docet, in iis quæ contra Origenem de Resurrectione scripsit.

SVBLIMISSIMORVM.] Propter quod Throni appellantur.

HVMILITATE.] Pro propensione ad id quod terrenum est. Nota autem quis sit scopus vniuersæ Hierarchiæ.

Thronorum sublimitas.

SVBMISSIONE.] Declarat, Thronos nihil ad terrena propensos, quandam esse sublimissimam naturam, & post Deum statim sub ipso constitutam; vt significet, ipsos nullam habere terrenam submissionem seu procliuitatem, & ad inferiora propensioné; sed insitam quandam ad Deum assurgendi vim, sursum assiduè tendentem. Rectè autem subiunxit *supermundialiter*, pro incorporeè, & immaterialiter, & intellectualiter. Porrò ne illud *ad supera*, putes viam quandam esse corpoream, subiunxit istud *immaterialiter.*

Deiferi quo sensu

DEIFERVM.] Nota quòd etiam sanctorum Thronorum ordinem Deiferum dixerit, tanquam qui Deum ferat in ipso intellectiliter quiescentem. Cum verò beatus Basilius Cappadox carnem quoque Deiferam nuncuparit, considerandum quo sensu id dicatur. Cæterùm caro quidem Domini secundùm substantiam & secundùm hypostasim ipsimet Deo Verbo vnita erat; quocircà quoque dicitur à Patribus, carnem ferre, &, carne indutus esse. Quid igitur absurdi, si caro quoque Deifera dicatur, tanquam quæ ferat Deum Verbum, cùm secundùm vnionem indiuulsam propriè ac verè eius caro dicta sit, & existat? Hi autem cùm, secundùm gratiam, in semetipsis ineffabili ratione & inconceptibili intelligentiâ Deum habeant, ipsimet quoque idcircò Deiferi dicuntur: quoniam primæ virtutes primùm ipsæ Deum participant, atque insitam sibi illustrationem indigentioribus deinde communicant.

E *accipiendum.*

§. 2.

PRIMIS.] Sic per transgressionem hæc intelligenda sunt, [ac si dicat] Primis istis substantiis propriam quandam & secundùm omnia vniformem Hierarchiam, esse putandum est; cætera autem sunt intermedia.

F

INVISIBILEM.] Nota, tres primos ordines hos, omni visibili & inuisibili virtute maiores existere.

CREATAM.] Id est, conditam.

In Angelos non cadunt visa.

VISA.] Quoniam nullius visi materialis capaces sunt, & ab omni vilitate puri existunt, non eò duntaxat, quòd ipsæmet virtutes diuinæ à maculis & inquinamentis liberæ sint, verùm etiam nullum materiale visum recipiant, & omnino immunes sint omnis imminutionis, nec in deterius deficere vllo modo possint. Hoc verò intellige, non quasi secundùm naturam immutabiles existant; sed quòd libero prædiræ arbitrio, per nimiam ad bonum cupiditatem in diuinum Numen propensæ, hoc modo permanserunt, per modum habitus immobilitatem obtinentes: solus enim Deus secundùm naturam immutabilis existit. Quòd si verò istæ hoc modo conditæ fuissent, nequaquam sanè diabolus cecidisset. Cæterùm hæ omnes vnius & æqualis ordinis existunt: quod enim naturâ suâ bonum est, non admittit decrementum.

Angeli quomodo sint immutabiles.

Quomodo sint per se mobiles.

PER SE MOBILEM.] Per se mobilem dicit hîc Sanctus ipsorum esse motionem, tanquam inuariabilem & immutabilem, & eodem modo se habentem. Porrò motiones in ipsis incessantes sunt circa intellectiones & operationes, quoniam mentes sunt silere nesciæ. Nota illud, *per amorem Dei immutabilem*; & lege caput quartum libri de Diuinis nominibus, & octauum caput libri præsentis.

Quomodo Angeli contemplentur.

CONTEMPLATRICES.] Nota, quomodo sancti isti ordines dicantur contemplatiui; & vt non per symbola vel Scripturæ contemplationes, vt nos, diuinam obtineant cognitionem.

INTELLECTILIVM SPECTATRICES.] Spectatores dicuntur, mysteriorum inspectores: hæc autem sanctis reuelantur per illas res sensiles quæ symbolicè de Deo pronuntiantur; quòd in supernis virtutibus nefas est cogitare.

CONTEMPLATIONIS.] Nota vt dixerit, *contemplationem* quæ in tribus splendet, id est, trisuppositatam vnam Deitatem.

IESV.] Iesu communionem, vocat participationem gloriæ & splendoris ineffabilis corporis Christi; quoniam vnà cum carne Patri considet.

H

IN IMAGINIBVS.] Illud autem Græcè dictum ἐν εἰκόσιν ἀπεικονιζούσαις τὴν ὁμοίωσιν, id est, *in imaginibus similitudinem exprimentibus*, dicendum erat ἀπεικονιζούσαις. Nemo solœcismum suspicetur, ac si Magnus Dionysius id ignorasset; sed hoc omnino sciat, ipsum tanquam Athenienсem & valdè Atticum dixisse. Atticorum enim est, participia masculina femininis coniungere, quemadmodum etiam Homerus fingit Irin ex Ioue ad Iunonem & Palladem dicentem,

Atticè, masculinum participium coniungi cum nomine feminino.

> *Non amplius super vestros curribus percussæ fulmine.*
>
> *Rursus in Olympum venietis,*

nam pro πληγέντε, duali masculino, πληγείσα, duale femininum dicendum erat. Quin & Comici quoque ponunt femininum pro neutro, vti & masculinum post femininum. Sic Plato. Et Euripides in Bacchis:

> *Annuens currentibus palpebris.*

nemo enim dixerit τὰ βλέφαρα δραμοῦσι. Et in Oreste.

Furiosis supplicationibus.

A *Quæ sit Deifica similitudo.*

DEIFICAM.] Nota, Domini Iesu similitudinem Deificam existere, id est, eos qui ipsi assimilati sunt, Deo efficere: & quomodo immediatè ac sine symbolis ordines hi Christo assimilentur, hoc ab ipso consecuti.

Quæ primæua.

PRIMÆVA.] Nota quoque, virtutes has primo loco creatas esse, & virtutes ipsius Domini Iesu Christi, tanquam virtutes, obtinere.

PERFECTAS AVTEM.] Nota, quomodo virtutes istæ diuinæ dicantur perfectæ.

Quæ sit resolutoria scientia.

RESOLVTORIA.] Dicit scientiam interpretandi istas varietates, & declaratoriam expositionem perplexæ illius sacræ traditionis, quâ inferiores quoque ordines opus habent, vti posteà tradit, multò verò magis homines. Nam multifariam sanctarum contemplationum sapientiam, sine resolutoriis explicationibus, neque ipsi neque nos intelligere valemus, vti nec infimi primos illos tres ordines. Vnde dicit, inferiorum quidem ordinum solum primum quemque, & non aliam virtutem, sacris B præesse; supremorum autem ordinum Hierarchiæ solum Deum præesse, & nullam aliam virtutem.

SACRIS INITIANTVR.] Id est, mysteriis imbuuntur.

HOC IGITVR.] Demonstrationes scripturisticæ eorum quæ dicta sunt.

§. 3.

EDOCERI.] Nota illud *edoceri*; declarat enim ipsas haud quaquam naturâ suâ tales esse.

OMNIBVS AVTEM SVBLIMIORES.] Cùm enim omnibus superiores sint, & respectu virtutum cæterarum nihil supra se habeant, meritò ab ipsomet soto Deo primi, tanquam superiores, diuinâ cognitione imbuuntur.

Christū esse Regē Angelorum.

IN COELVM.] Nota, contra Basilianos siue Nestorianos, Iesum Christum vt hominem in cœlos assumptum, ipsum etiam Dominum omnium spirituum & Regem gloriæ existere, quemadmodum mysteria edocti discunt a dicentibus, *Attollite portas principes vestras*; & sciscitantes, *Quis est iste Rex gloriæ?* atque rursum audientes, *Dominus virtutum*, &c. Contra Acephalos vero & Eutychianos, quòd quamuis Dominus virtutum sit, caro tamen ac manifestus homo existat; adeò vt propter rei illius nouitatē sequentes etiā Principatus obstupescerent.

Psal. 23. 8.

C

DIVINI OPERIS.] Rectè diuinum opus appellauit illam pro nobis dispensationem: Dei enim erat, vti verè sunt omnia opera, quæ secundùm dispensationem Domini sunt, vt partus sanctus, & curationes, signa quæ in passione, & resurrectione contigerunt.

Isa. 63. 1.

EGO, ENIM INQVIT.] Illa verò, *Ego enim loquor iustitiam, & iudicium salutaris*, sunt verba Isaiæ; & vide quomodo ista intellexerit.

MIROR AVTEM.] Dictum illud hoc modo construendum, Miror quomodo primi, non secùs ac medij, diuinas illustrationes timidè expetant.

IN MEDIO VOLANTES.] In medio volantes dixit, vt qui ad celsitudinis fastigium non euolent, sed medium teneant: dubitare autem hic, idem est quod inquirere, quis sit iste qui aduenit ex Edom.

D Isa. 63. 2.

INTERROGANT.] Obserua quanto metu ac reuerentia supremi omnium ordines, vt medij & non primi, inuicem interrogent primùm apud Isaiam, *Quis iste qui venit de Edom, fulgor vestiū de Bosra?* & tum, quasi cum Dei veniâ, dicunt ad ipsum, *Quare rubra sunt vestimenta tua?*

SANCTISSIMAM PVRGATIONEM.] Nota, quomodo dicat expiari, & illustrari, & perfici ordines diuinos.

EXPIATIONIS.] Nota quæ sit expiatio in mentibus, & quæ ignoratio.

COPIOSO LVMINE.] Græcè ἄπλετος, est magnum & multum.

PERFICITVR.] Nota, quomodo hi ordines diuini purgentur, & illustrentur, atque perficiantur.

SECVNDVM HABITVM.] Secundùm habitum scientia, est inhærens, & quæ abiici nequit, illustratæ cogitationis comprehensio.

§. 4. *Quid sit Angelos stare in circuitu.*

IN CIRCVITV.] Quandoquidem primicerios hosce ordines, immediatè in circuitu Dei cùm stantes, tum tripudiantes introducat, declarandum quâ ratione & stent, & in circuitu Dei, quasi in tripudio moueantur. Et hactenus quidem occasionem accepit ex Isaiâ, qui dicit, *Seraphim stabant in circuitu eius, sex alæ vni*, &c. subiungit autem, *& duabus volabant.* Quomodo enim stantes in circuitu volarent? Atqui hoc ita intelligendum est, vt omnis mens, ex omnium rerum auctore Deo relucens, hoc ipso quo à creatore in lucem edita est, circa ipsum, tanquam centrum suum, moueri dicatur, non motu quidem locali aliquo, sed spiritali ac vitali. Porrò motus circularis mentis est huiusmodi: Omne quod intelligit, vel vt mens existens intelligit, vel vt mentis particeps. Ac mens quidem existens, primùm intelligit; secundariò verò intelligit id quod mentis particeps existit. Secundùm hoc itaque quatenus mens existens intelligit, dici possit moueri. Cōcipitur autem hic motus circularis, quatenus [mens] se reflectens circa se, hoc modo semetipsam considerabit, & priorem illam ex quâ illuxit. Itaque tanquam ex Deo volente promanans, circa ipsum, id est, circa Dei desiderium & amorem, non secùs ac circa centrum, versabitur: neque enim secunda prioribus vniuntur, sed choreæ cuidam simile est quod geritur: dum enim nata in proprio loco esse gestiunt, genitorem circumspiciunt; quamobrem id quod intellectione ad ea quæ se priora sunt conuersum est, circularis motionis notionem introducit. Cùm itaque Deus sit vbique, mentes istæ, quæ ipsum semper intelligere volendo vbique secutæ sunt, in hoc exultant, & quasi præ lætitiâ circumsaliunt: atque ita mens in seipsâ esse, & ad seipsam properare perhibetur. Quod igitur in seipso est, & designat immortalitatē, statum obtinet: nam secundùm esse, quod est immortaliter esse, stare intelligitur; per hoc autem quod ad se ipsam properat, ita mouetur, vt nolit vnquam ad extraneas & materiales distrahi cogitationes. Quatenus igitur per se mobilis est, non stat, sed mouetur; secundùm essentiam verò semper eodem modo se habentem, statum habet, & non motum. Impetus itaque singulis mentibus secundùm naturam insitus, est Dei desiderium, & circa ipsum, tanquam circa centrum, veluti chorea quædam circularis; non secùs ac circuli circa punctum seu centrum à quo deducitur: enimverò, naturæ quadam necessitate, res quælibet istam circa Deum choreā obit, dum hoc ipso quod est, esse capit. Hac igitur ratione circa Regem omnium existunt vniuersa, & propter ipsum sunt omnia, & ipsemet bonorum omnium auctor existit. Quòd autē dixit, primos immediatè Deum ambire, significat, illos nihil habere quod ipsos antecedat; & secūda tertiaq; id est, sensilia, mediantibus iis quæ præcedunt, circa Deum, vt dictum est, pro captu suo versari.

E *Dei, quid moueri, &c.* Isa. 6. 1.

Quo motu Angeli mouentur.

F

Quid sibi velit motus circularis, & status eorum.

G

INTELLECTILIA.] Species siquidem ac proprietates afficiunt res distinctas; at res incorporeæ & immateriales, secùs quam corpora omnia, loco non indigent quo excipiantur: vbi enim corpus est, ibi etiam locus erit corporibus sine controuersia excipiendis.

QVASI VOX.] Hæc sunt Ezechielis.

Quomodo Deus in loco sit. Isa. 66. 1. Isa. 40. 12.

DE LOCO SVO.] Quomodo intelligendus est in Deo locus, cùm Scriptura vbique dicat, Deum esse incircumscriptum? *Et cœlum sedes eius, terra autem scabellum pedum eius*, & rursus: *Statuit colles staterâ, & terram pugillo*, & iterum: *Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* Qualem igitur excogitauit Ezechiel Deo locum? Respondemus, Deum de rebus istis, quæ nobis inexplicabiles videntur, illustrare illos qui ipsum toto impetu quærunt. Ait enim diuina Scriptura: Si quis præcepta mea custodierit, *ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: ita vt virtutes intellectiles, atque sanctorum, omniumque præcepta seruantium animæ, meritò Dei locus ac requies vocari possint; nam & alibi dicit, *Requieuit spiritus meus in eis.*

H Psal. 138. 8.

Ioan. 14. 23.

IN IIS QVÆ DE DIVINIS HYMNIS.] Nota, etiam alium Tractatum de diuinis Hymnis ab ipso fuisse elaboratum.

DIVINI LOCI.] Quis sit Dei locus.

Act. 7. 49.

LOCI DIVINI, &c.] Id quod scriptum est, *Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ?* declarat non dici de re sensili aliquâ, sed de diuinis istis mentib⁹. Vel etiā hac ratione voluit Deus significare, diuinam naturā circūscribi non posse. Item aliter, quòd in istis auditoribus, propter ipsorum incredulitatē, non esset

Deo

Deo locus requietionis; vt in Euangelio Dominus ait: *Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.*

Luc. 9. 58.

Quid hymnus τρισάγιος insinuet.

VNITAS EST.] Hymnus, inquit, ille ter-sanctus, & vox ista de loco ipso Dei laudes recitans, non solùm declarant, inferioribus etiam ordinibus concessum esse, vt Deum cognoscerent ac laudarent, sed præter hæc quoque aliud quidpiam significant. Quod autem hæc sententia declarat, est, quòd nimirùm dicamus quoque, Deum esse vnitatem ac monadem in tribus suppositis existentem, atque omnibus prospicere, à primis illis essentiis ad extremitates vsque terræ, incomprehensibiliter, id est, non corporeâ ratione, sed diuinâ prouidentiâ, supersubstantialiter cuncta complectentem. Quòd autem vnitas sit & monas, ipsemet impius ille Euagrius in secundâ Centuriâ capite tertio ita tradit: Ipse est monas, quia diuinitas simplex est & indiuisa, idcircò existit monas; etenim monas, aritmeticè loquendo, simplex est & incomposita: vnitas autem ideò, quia sancta Trinitas etiam naturaliter in se vnita est, atque omnes ad ipsam accedentes vnit, secundùm quod in Euangelio dictum est: *Vt sint ipsi vnum, sicut & nos vnum sumus.*

Ioan. 17. 21.

INCOMPREHENSIBILI.] Incomprehensibilem complexum vocat hîc, exemptam omnino & à rebus concretis attingi nesciam Dei prouidentiam ac dominationem.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§. 1.

SEptimum caput, quod est de primo ac supremo ordinum ternione, Seraphim & Cherubim ac Thronos complectitur. Hunc igitur, inquit, celebrantes, dicimus, omnem cognominationem ordinum cœlestium secundùm nos quidem pronuntiari, sed in se vniuscuiusque superlatæ proprietatis anagogen continere: non solùm enim localiter & sensibiliter efformantur propter nostram imbecillitatem, verùm etiam sensibiliter nominantur, quantum auditus capit. Si quis autem dicat, nominum quoque interpretationem ad captum auditus nostri proferri, atque insuper quid intellectuale esse ac sublimius, (siquidem & nomen intelligimus, verbi gratiâ Calefacientes, quin etiam eius explicationem, quid significet Calefacientes, rectè scimus:) & si quis dixerit, nomen ipsum magis sensibiliter efferri quàm nominis interpretationem; Primùm quidem sciat, faciliùs nomen capi quàm eius rationes, quoad intelligentiam: v.g. facilius est pronuntiare nomen Calefacientes, quàm horum explicationem adferre; atque hominem nominare facilius est, quàm eius definitionem tradere: illud enim sensu obuium, ad hoc verò ratione ac interpretatione opus est. Quid igitur nouum, si etiam hîc, tam nomine rerum cœlestium, quàm nominis explicatione sub sensum auditus cadente, nihilominùs dicimus, nos magis sensibiliter demonstrare aliquid per nomen, quàm per nominis explicationem? Atque hoc quidem primum: secundum verò, quòd denuò non tantùm interpretationi immoramur, quasi nihil sublimius, quod cogitemus, habeamus; verùm etiam ipsam præterea interpretationem mente recondimus, & dum audimus nominari Calefacientes, efficiendi & illuminandi facultatem, quam mente concipimus, interpretamur, ipsámque vim efficiendi atque illuminandi denuò ad sublimiorem contemplationem adducimus. Quapropter rectè dicebamus, quòd non solùm sensibiliter efformentur, verùm etiam sensibiliter efferantur. Ac sanctum quidem nomen Seraphim, vt lingua fert Hebræorum, vel Incensores significat, vel Calefacientes, quæ vtique nomina & eadem sunt, & diuersa: eadem quidem, quoniam vtraque ab igne desumpta, scilicet incendere, & quasi totum comburere (hoc enim declarat verbum ἐμπυρῶ, id est penetro, incendo, quasi totum peruadens) & calefacere. Rursum verò diuersa sunt, quoniam aliud est, totum comburere; & aliud, tantùm calefacere. Nomen autem Cherubim significat Multitudinem cognitionis, vel Fusionem sapientiæ; quòd nimirum multa cognoscant, idque sapienter, & cōstanter, & non solùm superficialiter, ac si quis dicat quæ confirmata sunt in semetipsis. Meritò igitur prima distinctio ab excellētissimis essentiis sanctè efficitur (hoc enim insinuat illud Sanctificatum) quoniam ordinem habēt omnibus superiorem, vt qui iuxta Deum immediatè collocatus (nam ante hūc nullus alius ordo est) & immobiliter manet, vnde etiam in ipsum, tanquam vicinissimum, primitus initiatio seu perfectio deriuatur. Primigenias autē apparitiones Dei vocat, quòd in eis primùm operādo vim suam exerant: comprehendunt enim diuinam illustrationem, & euadunt sapientes; indéq; ipsis illustratio est atq; cognitio. Hinc etiam sex alas habere perhibentur, quòd valdè eleuatæ sint: senarius enim numerus perfectus est, quòd constet suis partibus, quæ sunt, dimidium, nempe tria; tertium, nempe duo; & sextum, nempe vnum: tria autem, & duo, & vnum rursum sex sunt. Cherubim autem multos oculos, tanquam multitudinem cognitionis, habent. Eiuscemodi itaque nominibus appellantur, secundùm manifestationem ac declarationem habituum suorum, id est, affectuum immanentium. Nam virtutes diuinę secundùm habitum habent Deiformitatem, habitus autē est qualitas immanens: eiuscemodi autem habitus essentiam suam habet secundùm gratiam diuinam, non autem est vt accidens in subiecto, propter eorum immaterialitatem, & incorporeitatem, inde enim omnis tam compositio materialis, quàm lutiformitas materiæ, exulat. Quamobrem dicere non possumus, quòd primùm in aliquo alio statu existētes, posteà virtutes eiuscemodi acceperint (hoc enim compositorum est;) neq; quòd informes essent materiæ, posteà istiusmodi virtutibus adornatæ sint: sed ab initio tales diuinâ gratiâ creatæ sunt. Quod clare patet cùm ex ipso S. Dionysio, dicente sub finem quarti capitis Ecclesiasticæ Hierarchiæ, istiusmodi habitus esse substantiales; tum etiam ex eo, quòd is qui cecidit, virtutibus abiectis, ad alium, vt ita quis dixerit, naturæ statum sit translatus, obscurum scilicet, & inuidiæ malitiæque plenum, atque diuinæ & Angelicæ vitæ instituto contrarium: istiusmodi enim Angelorum habitus substantialis est, nō secùs atque ignis secundùm habitum adustio est. Nomen itaque Seraphim explicamus, quòd sit ignis semper mobilis, calidus, subtilis, (quoniam etiam ipsius lapidis poros penetrat) qui inferiora sursum eleuat, vti perspicuum fit ex exhalationibus, quomodo calore solis attollantur: qui sui similitudinem appropinquantibus ingenerat, propinqua enim omnia ignita reddit, penitus adurit, purgat: qui abscondi nequit, luciformitatem & illuminandi vim inextinctam obtinet, & procul tenebras propellit. Hisce habitibus supermundialiter prædití sunt Seraphim: indefessi sunt & supra quàm ferueētes, & ad Deum incessabili semper motu cientur, inferioresque ordines adducunt, ac re ipsâ suscitant, & ad consimilem feruorem diuinúmq; desiderium excitant & informant, & omnino ignitè purgāt, atque formam lucis quam ex Deo habent, & illuminandi vim quâ cætera illuminant, inabsconsam & inextinctam possident: diuinum enim desiderium illis est vice materiæ, & omni obtenebratione superiores sunt, vt qui diuino splendore sunt succensi.

Nomen Cherubim quid.

Multi oculi Cherubim quid signent.

Quales sint eorū habitus.

Cherubim autem nominati sunt, secundùm rationem nostræ cognitionis: siquidem notitia nostra etiam intelligens est à se, & externam suscipit disciplinam. Sicut enim ignoratio duplex est, vna nimirum negatiua, vt quando aliquid non cognoscimus, scimus autem nos id non nosse, quam simplicem vocant ignorantiam; alia verò est habitualis, quando ignorantes decipimur, & putamus nos intelligere, neq; id ipsum agnoscimus quòd non sciamus, quam idcircò duplicem ignorātiam appellant, cùm quod ignoret, tum quòd id ipsum nesciat se ignorare: sic etiam cognitio duplex, vna quidē quia cognoscū, secundū quod cognoscens appellatur; alia verò quia discit atque accipit notitiam, & agnoscit quid prosit, secundū quod etiā gnara dicitur. Est insuper cognitio nostra speculatiua, vt quę superiora se scrutatur: est etiam cōmunicatiua, vt quādo illam, quibus plena est, scientiarū disciplinā in alios, qui eā indigent, transfundit. Hæc etiam omnia habēt Cherubim: intelligūt ac contēplantur diuinam claritatem, cognitione mouentur ad id quod vere est amabile, nec non illustrationē accipiunt a Deo per virtutes ipsis anteriores, & diuinā scrutantur pulchritudinē, in virtute nimirū primi-

Ignoratio & cognitio duplex.

A

geniā, secundùm quam præ cæteris primo loco vnà cum Thronis ac Seraphim hauriunt apparitionem. Hi enim tres ordines vna quędam sunt Hierarchia,& primigeniam in omnibus virtutem sortiuntur:omni enim tam inuisibili quàm visibili virtute maiores sunt primi tres isti ordines. Sunt Cherubim etiam communicatiui,eam, quâ repleti sunt sapientificam distributionem inferioribus instillando profusione sapientiæ suæ.

Thronorum proprietates.

Agedum, etiam sanctorum & sublimissimorum atque excelsiorum Thronorū nomen consideremus. Thronus sublimis à terrenis elatus, thronus sursum ferens,& sessores suos constanter ac compactè sursum ferri faciens:thronus est capax illius quem fert,& receptaculum sessoris sui.Idē in sanctis istis Thronis cōsiderare liceat:eximuntur enim ab omni humi reptatione ,& ad anteriora sursum efferuntur , ita vt nulla illos teneat abiecta propensio vel instinctus,& ad inferiora nutus. Veruenimuerò nota, quòd noster thronus sursum ferri faciat sessorē suum;sanctissimos autem Thronos ab eo quòd sursum ferātur denominari,& indeficiētet in sublimi habitare,& iuata Altissimū incōcussè collocari, & diuinū illapsum excipere. Verùm absq; passione hęc intellige,& immaterialiter(id est enim *supermūdialiter*)ne quis illā ad anteriora viam esse corporalē existimet,ne in iis Deus circūscribi videatur.Et Deiferi sunt,nō substātiâ, sed gratiâ,& ministrorū more prōpti ad diuinas susceptiones. Illud verò Deiferū dixi non substātiâ, quia & B.Basilius carnem dixit esse Deiferā;sed caro Domini secūdùm substātiam & secūdū hypostasim vnita erat ipsi Verbo Deo , tanquam quæ ferebat Deum Verbum secūdùm vnionem inseparabilē, propriè ac verè ipsius caro & dicta & existēs Throni verè non secūdùm substātiam,sed secundùm gratiā,vt dictū est,habētes Deū in semetipsis ineffabili ratione , Deiferi nuncupantur.

B

§.2.

Hæc quidē, quantum effari possumus,& pro facultate nostrâ nominū ipsorū est explanatio declaratioque : post hæc verò dicēdum,quā Hierarchiā & mystagogiā eorum existimemus. Illud nāque,omnis nimirū Hierarchiæ scopū,siue nostrā quis dixerit siue cœlestē, ex Deum imitāte Deiformitate indeclinabiliter depēdere,atque omnē Sacerdotalē functionē in hæc duo,scilicet participationem & transfusionē,diuidi, (siquidē primùm participamus, ac deinde trāsfundimus tam nos quā Angeli.Quid verò participamus, aut quid trāsfundimus?omnino puram & immaterialē expiationē, siue diuinū lumen , siue perfectiuā mysticāque scientiā:primùm enim expiamur,deinde illuminamur,ac tādem scietiā perficimur atque deificamur; eodē vtique modo primùm expiamus , deinde illuminamus,tandémq; scientifice perficimus) sufficienter est demōstratum:nūc opto digne de rebus propositis disserere, quomodo nimirū illorū Hierarchia ex sacris diuinísque Litteris nobis declaretur. Primis essentiis,quæ post diuinam illā substātificam atque creātem naturā collocātur, & quasi in vestibulis eius dispositæ sūt,omnémq; superāt creatā visibilē & inuisibilē naturā,primæ inquā diuinarū virtutum distributioni , propriā & in omnibus æqualem Hierarchiā esse putādum est. Deinde ponit huius Hierarchiæ proprietates,quomodo puræ sint.quomodo cōtemplatiuæ,quomodo perfectæ, per excellētiam videlicet, & nō secūdùm hominem, vt propria naturis iis Hierarchia sit.Puræ itaq; sunt,nō secūdùm hominem:apud homines enim puri dicūtur,vel qui à maculis & inquinamētis expiati sūt,vel qui sic manēt à natiuitate,vt materiales nullas phātasias admittāt.Primæ itaq; virtutes nō hoc modo puræ nominantur,sed vt sublimiores & excelsiores omni deiectione inquināte, atq; omni transcendētali sacraque puritate sanctiores,secūdùm sublissimā & incomparabilē puritatē.Et sicuti lux in illuminātibus virtutibus collocatur,& nō est alia magis propria virtus lucis,si nō apparet: sic etiā hæ inter maximè deiformes virtutes supercollocātur,ac perseuerāt secūdùm immutabilitatē suā,quā Dei gratiā obtinuerūt. Quod sic intellige, non quasi à naturā sint immutabiles(nā immutabilitas soli Deo à naturā cōpetit,)sed quòd,præ ingēti ad bonū propēsione,ad Numē diuinū cōuersæ,hoc modo permāserint,immutabilitatem quasi habitū obtinētes : hæc enim illarū est in Deo amādo immutabilitas. Ex eo itaq; quòd Deū totaliter amēt, suum sēper & eodē modo se mouentē ordinē tenēt,quē quodam modo immutabilē,& cōstantem,& eodē modo habent:motiones autē illis sunt,indesinētes intellectionū operationes;mētes enim sūt,quæ nūquam silēt. Vox autē *ἀνεχόμεναι*,id est,perseuerantes,scribitur etiā *ἀνεχόμεναι*, id est,sustinētes:sustinēt autē,quia neque satietatē, neque grauedinē, neq; vertiginē habent ex eo quòd sēper circa idē moueantur,vti nobis accidit,iuxta tritū illud,Omniū variatio dulcis est;verùm ipsæ cōstanter quidē ordinē suū tenent,& in deterius imminutionē omnino nō agnoscūt: sed inconcussam semper & immobilē deiformis suæ proprietatis sedē habent,rebus nullis vilioribus admixtā neq; cum cōtrario habitu & operatione.Dixit quomodo puræ sint, nūc quomodo contēplatiuæ sint pandit.quoniā etiā hoc nunc secundū hominē:siquidē hominibus contēplātes dicuntur, qui mysteria cōtuentur per ea quæ symbolicè dicta vel sensibiliter perfecta sunt circa Deum. Sācti autē quasdā apparitiones Dei habuerunt,cùm per sensilia symbola,sicut Abrahā & Iacob;tum per intellectilia,sicut quidam è Prophetis,qui dixit, *Et ecce plena gloriâ domus Domini*, quænā enim esset gloria ista, mente percipimus. Non sic vtiq; cœlestes virtutes cōtemplantur,neq; varietate scripturisticarū contemplationum ad diuinū Numen adducūtur ; sed contēplatiuæ dicūtur,tāquam adimpletæ lumine sublimiori:neq; tantùm sensibili,verùm omni immateriali cognitione plenę,eius quod verè ac propriè bonum est,diuinā,inquā, cōtēplatione sanctissimæ Trinitatis:ipsius quoq; IESV communione gaudēt,participatione inquā gloriæ ac splēdoris Christi corporis;siquidē vnà cū carne Patri assidet,vt Filius & Verbū eius.Cùm autē vniuersim Hierarchia definita sit sacer ordo , & scientia , & operatio,accedēs,quantū fas est,ad deiformitatē, nec nō, insitis sibi diuinitùs illustrationibus , proportione quadā ad Dei adducta imitationē,considera hîc illā Hierarchiæ partē,quæ est sciētia siue contēplatio, quomodo ad Deiformitatē cōponatur, & quonā modo ad imitādū Deum adducantur:vtiq; nō in imaginibus sacro modo fictis,Prophetarū more,diuinā exprimentibus similitudinē,ad deiformitatē cōformantur (Græcè *ἀπεικονιζομένων*,pro *ἀπεικονιζομένας*, masculinū pro feminino posuit,Atticorū more,sicut *καυθεὶς ἐσθλὰ ὄμμα*,) & sed dicuntur contēplantes,tanquā ipsi verè appropinquantes , sine sacris efformationibus. Hoc enim est in primariâ participatione cognitionis , quasi immediatè & citra symbola similitudinē effigiantia.Quid enim illis cōferat sapphirus,& electrū,& quidlibet generis eiusdē,ad diuinæ coruscationis contēplationem, cùm eius immediatè participēt cognitionē? Quomodo autem cognitio atq; contēplatio ad deiformitatē assimilat cognoscentē?quia cōtemplans admiratur, admirās desiderat, desiderās expiatur , expiatus verò pro cōditione cœlestiū essentiarū cognoscit expiationē,&,sicut suprà dictum est, Deiformis efficitur,& ad deiformitatē assimilatur. Quomodo verò etiam ad Dei imitationem adducātur, tradit. Hoc ipsum verò etiā iis donatū est,ipsúmq; participāt,nō in totū,sed quātū fas est amicis eius virtutibus,quæ iuxta Prophetā cœlū obtegūt,cōtemplātibus, ad quas per contēplationes adducūtur,in primæuā scilicet virtutem:nā illustrationē aliæ per alias accipiūt à Deo,sed ad ipsū intētionē,& cōtemplationem,& affectū,ita dirigūt,ac si omnes essent primæ , vel in primæuo ac primo quasi ordinato; primæ enim ipsæ ordinatæ sūt.Similiter iterū,etiā munus trāsfundendi illustrationē in inferiores,& in homines minimè cū inuidiā vel aliquā tenacitate faciūt,sed sine liuore & luculētissimè,ac si omnes essēt primæ quæ illustrationē excipiūt:istiusmodi namq; in egenos & dignos distributio, diuina quōdam dicebatur imitatio;vti etiānum dicitur,quòd secūdū hoc amicis Dei virtutibus cōmunicent.Quemadmodū enim ea quæ Deū decet pulchritudo cōmunicat secundū dignitatē lumē suum;ita etiā hæ sine inuidiā plenissiméq; in eos qui merentur distribuūt illustrationē.Demū dicit,quomodo diuinæ virtutes perfectæ nominētur. Cùm itaq; nos perficiamur per peritiam resoluendi, explanādi scilicet & explicādi,& adducendi sacrā varietatē, symbolicorū videlicet spectaculorū, institutio-

C

D

Quā puræ sint cœlestes Hierarchia.

Quomodo Angeli sint immutabiles.

E

Quomodo Angeli sint immutabiles, & quomodo moueantur.

Quomodo Angeli contemplentur.

F

Isa. 6. 1.

G

H

Quomodo Angeli trāsfundant illustrationes.

nis, diuinæ virtutes nequaquam hoc modo initiantor, sed quasi à primâ, & nequaquã mediis signis, supereminente Deitate teplentur, secundùm illã summã scientiã operum Dei, quem & omnis Hierarchia præceptorem scientiæ atque operationis habet. Quales porrò sunt diuinæ scientiæ & operationes, expiare, illuminare, perficere, quemadmodum in Angelis dixit, quoniã etiam in hominibus ista sunt; verùm in his per aliam disciplinã traditur illuminatio atq; perfectio. Hæ verò virtutes supremæ non ab aliis quibusdã sanctis spiritibus, sed ab ipsamet Diuinitate sacris initiãtur, dum in ipsammet immediatè in virtute ordinéq; suo extendũtur: non enim ex ordine solùm habent quòd ad Deum extendãtur, verũ etiã ex virtute. Hoc enim est quod etiã Gregorius Theologus ait, Nescio vtrùm ex splendore habeant ordinẽ, an ex ordine splendorẽ: etenim virtutem habent supereminentem, & ordinem eminentissimum & sublimissimũ. Et idcircò, quatenus quidem virtutẽ habent, in eo quod omnino purũ & inconcussum est stabiliuntur, & nõ côquassantur, hoc enim est ἑδραῖον seu cõstans: quatenus verò ordinem habent sublissimũ, ad intellectilẽ decorẽ ac contemplationẽ adducuntur. Quantũ autem fas & possibile est, scientificas etiam diuinorũ operum rationes, tanquam primæ & quæ iuxta Deum sunt ab ipsomet initiandi principio, id est Deo, erudiuntur.

§. 3. Hoc etiam Prophetæ perspicuè declarant. Quale hoc? quòd nimirum primi ordines ex Deo immediatè collustrentur, inferiores verò per superiores. Scripturisticas itaque doctorũ adfert demõstrationes, quòd aliqui quidem Theologorum Prophetarũ inferiores introducant à prioribus edoctas, cum qui humanâ specie ad cœlos assumebatur, dicentibus cùm interrogarent, *Quis est iste Rex gloriæ?* sicut in vigesimo tertio Psalmo Dauid ait, *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ*: alij personas earum inducunt circa ipsum Dominum dubitantes, ac discere cupientes mysterium dispensationis nostræ, quod opus Deo competit; quoniã nostra dispensatio, Dei operatio est: verè enim Dei opera erant quæcunque ad nostram spectabant dispensationẽ. Hinc Isaias ait, *Quis est iste qui venit ex Edom?* &, *Quare rubra sunt vestimẽta tua?* illud ad semetipsas, hoc ad Christum Saluatorem dixisse: quibus Saluator ipse per se primâ largitione, & nõ per alium, manifestat suã humanam beneficẽtiam. *Ego*, enim inquit, *qui loquor iustitiã, & iudicium salutaris*. Hactenus autem Sanctus, cùm hîc introducat Virtutes interrogantes, non aliquos alios ordines inferiores, sed ipsosmet supremos ac primos, qui etiã immediatè diuinas disciplinas excipiunt, Miror, inquit, quomodo etiam ipsæ primæ cœlestium essentiarum, tantúmque cæteris præstantes, diuinarũ illustrationũ desiderio ita reuerenter afficiãtur, vt discant etiam ab inuicem, ac si medij ordinis essent, quæ à sublimioribus illustrationem accipere deberent. Etenim mediæ, vt dicebamus, cõtemplationem quidẽ & ipsæ indeficientem ad Deum habent, propensionémque: quod autem contemplantes dubitant, hoc à sublimioribus addiscunt, veluti si quis toto quidem cordis affectu feratur in Regẽ, de eo autẽ quod videns dubitat, solutionem accipiat à præfecto. Idem omnino etiam hîc apparet, ac si Virtutes essent medij ordinis, & viderent quidem ascendentẽ, dubitantes autem solutionem peterent ab aliis, secundùm ordinem quem diuinæ Virtutes habẽt; neque enim illicò, inquit, Dominum interrogant, *Quare rubra sunt vestimenta tua?* sed priùs secum hæsitant attonitæ, dicentes, *Quis est iste qui ascendit de Edom?* Admirans tandem Sanctus ipse dubiũ soluit, aiens, declarari quidem illas discẽdi auidas, & desiderare scire diuinam operationem, modum inquam ineffabilem dispensationis, attamen diuinam indultæ sibi illustrationis processionem minimè præuenire, quòd nimirũ, licet fortè primus ille Virtutum ternio hæsitaret, non tamen illicò dubitaret circa Dominum, quoniam futurum erat, vt illustrationis processus secundùm ordinem obtingeret supremis illis tribus ordinibus. Quid igitur mirum, si Cherubim accessetior ad Seraphim, vel hi ad Thronos? cùm futurũ esset, vt his prima illustratio obtingeret, atq; ita per eos Cherubinis. Vt quid igitur præuenirent, & nõ secundùm diuinam processionem illustrationem expectarent? Absoluit deinde suam quæstionem. Erat autem hæc, quam putaremus esse Hierarchiam primarum essentiarũ. Prima igitur cœlestium intelligentiarum Hierarchia non ab aliâ virtute, sed ab ipsomet initiãdi principatu mysticâ diuináq; illustratione consecrata gubernatáque, hoc ipso quo ad primarum istarum mentium cœlestium Hierarchiã surrigitur, sãctissimâ quidẽ purgatione referta expiatur, & immenso infinitoque lumine denuò repleta, illustratur, perfectissimaq; cõsecratione iterũ plena, secũdùm ordinis conditionem perficitur. Hanc enim Hierarchiam suprà vocabamus expiationem, illuminationem, & perfectionem seu cõsecrationem. Est autem istiusmodi primarum mentium cœlestium Hierarchia, omnis cùm vilitatis tum subiectionis expers (siquidem Throni eminent) & primæ lucis plena; quoniam Incensores appellantur Seraphim; nec non primæ scientiæ cognitionisq; particeps, vt ex nomine patet Cherubini. Verumenimuerò haud propriè hæc cuilibet conueniunt, sed omnia singulis secundùm ipsis à Deo datam gratiã. Et proptereà primũ Thronorum proprietatem exposuit, secundo loco Seraphinorum, & posteà medio loco Cherubinorum, ita vt medius quodammodò ab extremis concludatur, vnúsque ordo fiat. Quocircà etiam dicitur sublimitas eorum omnis defectionis expers, & lumen primum, & scientia primitùs data; quoniam tres isti ordines in vnum coëunt, & vnus quidã perficitur ternarius, qui in cõmuni possidet eleuationem, supra omnem submissionem sublimitatẽ, primatium lumen, & primitùs datam cognitionem. Hoc igitur modo de primâ dispositione sentiendum est, quia tres isti ordines in vnum coadunantur, & quæ propriè per gratiã indulta sunt, in communi primatioq; possident. Atq; hic ordo primus nuncupatur, vti ex huius septimi capitis inscriptione videre licet: primam enim Hierarchiam nium horum simul ponit. Ecquid, inquit, dico, quòd expiatione plena expietur, & illustratione plena illuminetur, consecrationéque plena perficiatur? hoc enim extensam habet operationem, & quasi imperfecti cuiusdam motus sensum ingerit. Verùm summatim dico, & fortè non immeritò, id ipsum esse appropinquare & cõmunicare diuinæ scientiæ. Sciẽtiam autem vocat hæc tria, scilicet expiationem, illuminationem, perfectionem; quoniam secundùm habitum, vel potiùs supra habitum, ineffabiliter ista sunt in Deo. Ipsamet itaque participatio diuinæ sciẽtiæ, expiatio est, & illuminatio atque perfectio, ignorantiã quidem expians notitiã perfectiorum institutionum secũdùm ordinem status (nam alias perfectiores institutiones habent Seraphim, & alias Angeli; fortassis enim perfectiores ac sublimiores illustrationes quas Angeli habẽt, easdem Seraphim diuinâ gratiâ habitualiter continent) illuminans verò eâ ipsâ notitiã, quã expiat virtutem illam, quæ priùs non cognoscebat ea quæ nunc cognoscit per sublimiorẽ illustrationem; atque perficiens tursum eodem lumine in scientiâ habituali sublimiorum & illustrissimarum intelligentiarum. Tu verò considera, quomodo cœlestis virtus cognitione & expietur & illuminetur, in illuminatione autem, quando secundùm habitum illuminata fuerit, immutabilisque & inuariabilis in eâ permanserit, perficiatur. Vt quid autem habituali expiatione quoque non perficitur, sed tãtùm in habituali illuminatione? quoniam expiatio quidem purgat ignorantias, & non omnis expiatus statim ad summum peruenit, sed expiatũ illuminatio superueniẽs perficit, ea nimirum quæ perfectior est illuminatio & illustratio. Istiusmodi enim est & illud, *In lumine tuo videbimus lumẽ*, nempe in illuminatione perfectionẽ.

Quid expiatio, illuminatio & perfectio in Angelis.

Ps. 35. 10.

§. 4. Hæc itaque, secundùm meam quidem speculationẽ ac notitiam loquendo, est ea quam & scientiam appellat, à propositis circa cœlestes virtutes rationibus, quonia habituali sciẽtiâ res præclarissimas edocetur illa prima cœlestium essentiarũ distributio, quæ in circuitu Dei ac circa Deũ immediatè cõsistit. Atq; notandum, quod Theologia diuinis Virtutibus tribuat non tectã, sed in circuitu stationẽ, iuxta illud, *In circuitu eius tabernaculum ipsius*. Motum autem etiam orbicularem tribuit, & rectum, & obliquum, vt in capite quarto lib. de Diuinis nominibus tradit: orbicularẽ quidẽ, quãdo principio carentibus pul-

Ps. 17. 12.

chri boniq; splendoribus vniuntur,& ad Deum vergunt: rectũ autẽ, quando ad inferiorum prouidentiã procedũt, tunc enim rectè ad ea tẽdunt:obliquum verò, dũ inferioribus cõsulentes,indiuulsæ suæ immanẽt identitati, circa causã identitatis pulchrũ & bonũ incessanter circũgyrantes.

Quid in Angelis motus circularis, rectus, & obliquus.

Isa 6. 2.

Ille enim Angelorũ circuitus,est perpetua Dei cognitio,quæ perpetuo motu circulariter in eodẽ stabilita est, iuxta illud Isaiæ,Et *Seraphim stabant* in circuitu eius ; & prosequendo ait,*Et duabus alis volabãt.* Quomodo itaq; stant simul & mouentur?manifestũ vtique, quòd in eodẽ quidẽ cõsistant, moueatur verò ad illã illustrationẽ.Quẽadmodũ enim vniuersum hoc, vt sic dicã, eo ipso dũ circulariter mouetur,pariter perpetuò mobile est,& immobile;immobile quidẽ,secundũ totum,nõ enim de loco ad locũ migrat;perpetuò verò mobile,secũdũ partes:ita cœlestẽ quoq; circuitũ intelligit;nã & ipse quoq; perpetuo motu stabilitur,ac si fixus maneret circa idẽ sẽper cõuersus,eoq; vergẽs,quod nũquã fit in motu recto.Cùm itaq; ad diuinũ Numẽ hoc modo semper vergat,multas quidẽ & beatas contẽplationes,idq; purè,secundũ habitũ suum, nõ secundùm diuinorũ radiorũ enibrationẽ,vt in se sunt, quandoquidẽ hi quoq; obuelentur, secundùm Scripturas Prophetarũ.Sed sicut is qui sanos habet oculos,solẽ purè videt omnino secũdum suum habitum, nullo quãtum est ex parte oculorum, eius impedimẽto interueniente;sed si quod obstaculum sit,id accidit emissioni radiorũ solis, vt quæ nequeat plenè oculis se immittere:idem cogita etiã in virtutibus diuinis. Atq; ita quidẽ purè cõtemplationes intuetur,illustratur autẽ simplicibus & immediatis coruscationibus,& nequaquã mediãtibus symbolis,quæ priùs vocauit cõpositiones. Satiatur porrò diuino cibo, multo simul,& vno:multo,secundùm diffusionẽ;vno,quia minimè varia est & vnifica comestio. Comestio autem cibusque Angelorum, est illustratio & eruditio : si enim etiam eruditio cibus nutrientis appellatur , iuxta Theologum magnumque Gregorium, multò magis etiam eruditio eibus erudici dici possit.

Quæ sit cibus Angelorum.

Quomodo autem hęc comestio minimè varia & vnifica?quia simplex est,& non ex aliis atq; aliis cõposita,modò quidẽ fortè dulcibus;modò verò non talibus ; sed tota dulcis est,& bona,& deifica,& omnino nesciens vertiginẽ,sicut etiã antè dicebamus.Neque verò minoris momẽti est, circularẽ motũ cognoscere. Dicimus itaq; quoad intellectũ,quidlibet intelligere vel vt intellectus est,vel in quãtum habet intellectũ. Qui quidẽ intellectus est,primariò intelligit;qui verò intellectum habet, secundariò intelligit.In quãtum itaq; intelligit vt intellectus est,dici posset moueri;in quantũ verò actu reflexo se recolligẽs semetipsum intelligit, & id à quo proficiscitur circularis motus intelligitur.Itaque cùm ex Deo volente profectus sit,circa Dei desideriũ & dilectionẽ, tãquã circa centrũ, versabitur:nõ enim vniuntur secũda prioribus, sed quod factũ est, cuidã choreæ cõparatur,dum nimirũ ea quæ producta sunt,productores suos cõplecti cupiũt; solũ autẽ in circuitu cõgregantur,atq; inde pulchritudine replentur.Quod itaque intelligẽdo ad id,à quo processit, cõuertitur, circularis motus intelligẽtiã introducit.Cùm igitur diuinũ Numen sit vbique, ea quæ vbiq; ipsũ insequũtur,ipsumq; semper intelligere desiderãt,in hoc exultãt,& choreas ducunt,vtpote intelligendo circũgyrantia. Dicitur itaq; mẽs in semetipsã esse,& ad se ipsam properare:atq; eo quidẽ quòd in se ipsã est,statũ habet;in quãtum verò ad semetipsam properat,mouetur,nolẽs effundi in terrenas & alienas à se intelligentias. Itaq; secũdum id quidẽ quod se mouet,mouetur,secundùm substantiã autẽ statum,sed non motum,habet.

Quid sit motus & status in Angelis.

Est igitur etiam in diuinis cœlestibusq; mentibus impetus quidã ac motus, illud ad diuinũ Numen desideriũ,atque illa circum ipsum,tanquã circumcirca centrũ,chorea, nõ secùs ac circuli circũ pũctum seu centrũ à quo deductus est. Enimuerò etiam secùndùm necessitatem naturalem res quælibet circa Deũ choream ducit, dum causam suam ambit secundùm esse. Hoc vtiq; modo circum Regẽ omniũ sunt omnia,& propter ipsum sunt vniuersa,ipséq; auctor est omniũ bonorũ. Quãdo aliquis ad Deũ vergit,multã eius cõmunione cooperationéq; dignus efficitur,per eam quæ cum ipso fieri potest assimilationẽ:cùm enim in Deo habitus est & operatio,scilicet puritas & expiatio,lumẽ & illuminatio,perfectio & id quod perficit(quorum alterum quidem habitus est, alterum autem operatio) mens quoque bonorum habituum cõmunione digna redditur,vt & ipsa per gratiã pura lux,& perfecta sit:quin & in partem venit cooperationis, dum & ipsa purgat,& illuminat,& perficit:multa quoque cognoscit,sed eminenter,& non secũdùm hominem,& quoad fieri potest,diuinæ sciẽtiæ cognitionisque particeps efficitur. Quamobrem quòd multa cognoscat, hymnos quoque Theologia terrigenis tradidit:nisi enim credidissent,nequaquã laudes cecinissent;& nisi secũdùm superiorẽ partẽ illustrati fuissent,nequaquã vox eorũ,sensibiliter loquẽdo,fuisset quasi vox aquarũ multarũ,clamãt enim,iuxta diuinissimum Ezechielẽ,*Benedicta gloria Domini de loco suo:*atque alij celeberrimum illud venerationéque plenissimum diuinæ laudis canticum proclamant, *Sanctus,Sanctus,Sanctus Dominus* sabaoth,*plena est omnis terrã gloriã* tuã.

Ezec.3. 12.

Isa.6.3.

Has autẽ sublimissimas cœlestiũ virtutũ hymnologias iam pridem in Tractatu de Diuinis hymnis examinauimus & explicuimus,ibidẽq; de iis satis superq; pro modulo nostro dictũ est : è quibus sermonibus sufficiat in præsentiarũ,hoc dixisse,quòd prima distributio diuinũ hoc laudum canticũ,quoad fas erat,per illustrationẽ à diuinã bonitate acceperit,ab eã,inquam,Theologiã seu diuinã bonitate,quæ etiã boniformis Hierarchia & ordo existit.Dicitur enim Hierarchia nõ tantùm ipsemet eorũ habitus,& scientia,& operatio, sed etiam ipsamet distributio: sicut sacerdotium,& ipsamet dignitas,& qui eam participant,ita dicimus,Sacerdotiũ hoc & illud beneficiũ accepit,& hoc & illud passum est. Itaq; ordo istiusmodi ac distributio,tãquã boniformis,Theologiã hanc inferioribus transmittit:siquidem hæc est boniformitas, vt quis alios boni sui participes efficiat.Trãscripsit,inquam,illud explicando,vt sic dicã, per epitomen & summatim;quòd omnino æquum & iustum sit,ab omnibus Dei capacibus virtutibus cùm sciri,tum decãtari,quoad fieri potest, ipsã venerandã,& supra quàm laudandam,omnique laude dignam Deitatẽ,vt vno motu per omnia glorificetur:siquidem hi sunt diuini loci Deo conuenientes,in quibus requiescit,quemadmodum in sacrã Scripturã dicitur,*Qualẽ domum ædificabitis mihi?dicit Dominus:*vel *quis locus requietionis meæ?*ita nimirum vt ipse possideat sanctas istas beatásque naturas,tanquam locos capaces splendoris sui: sicut enim locus capax est corporis,sic & ipse diuini splẽdoris.

Quis sit Dei locus.

Act.7.49.

Quomodo autem,dicente Scripturã vbique Deum esse incircumscriptum (vt cùm ait,cœlũ esse sedem eius, terrã autem scabellum;& iterùm, Statuit colles statera,& terrã pugno,& rursus,*Si ascendero in cœlum,ades;si descẽdero in infernũ,*illuc manus tua) qualẽ locũ Ezechiel Deo excogitauit?Deo dignè hoc intelligitur:dicit enim etiam in Euangeliis Dominus, Ego & Pater *veniemus,& mansionem apud eum faciemus.*ita vt etiam Virtutes spirituales atq; animæ Sanctorũ, meritò locus ac requietio Dei nũcupari possint. Ex more cõmuni desũpta hæc est locutio.

Isa.66.1.

Isa.40.12

Ps.138.8.

Ioan.14. 23.

Quin & illud quoq; prima distributio sequẽti se boniformiter manifestat, quòd nimirum monas vnitásq; quæ tribus inest personis,sit beata sanctissimaq; Trinitas & vnitas,quæ optimã suam prouidentiã,ab ipsis primis naturis cœlestibus,in res omnes vsq; ad minimã diffũdit ac trãsmittit, iuxta illud, *Imperfectum meum viderunt oculi tui,* tanquã omnis substantiæ principiũ superprincipale,& super omne principiũ existens causa, atq; res omnes superessentialiter continens incõprehensibili cõplexu.Incõprehensibilem autem complexum vocat,eminẽtem omnino continentiam, & quæ à rebus contentis attingi nequeat: siquidem diuinũ Numen cùm omnia circumdet,& optimã suã prouidentiã contineat,insuper ab omnibus secundùm naturam suam,superessentialiter exemptum est;quia nihil est eorum quę sunt,sed omnibus istis incomparabiliter sublimius. Porrò sancta beataq; Trinitas monas etiã est & vnitas:monas quidem, vtpote simplex & incomposita;vnitas autẽ, quoniã etiam ad seipsam naturaliter vnitur, vnitq; omnes sibi propinquãtes,iuxta quod dictũ est in Euangeliis : *Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.*

Ps.138.16.

Ioan.17. 22.

CAPVT

CAPVT VIII.

De Dominationibus, Virtutibus & Potestatibus, & de mediâ earum Hierarchiâ.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Explicat quid significent Dominationes, Virtutes, ac Potestates; & quanam ratione media ista Hierarchia instruitur seu illustretur.

2. Exemplo declarat, quomodo illustratio à superioribus spiritibus ad inferiores deriuetur.

§. 1.

MOdò nobis transeundum est ad mediam cœlestium spirituum distinctionem, Dominationes istas supermundanis oculis, prout possumus, contemplando, vnà cum potentibus reuerà spectaculis diuinarum Potestatum atque Virtutum, quælibet enim naturarum appellatio supernarum, Diuinitatis imitatrices earundem deiformes denotat proprietates. Nomen itaque quod sanctas designat Dominationes, existimo declarare absolutum aliquem & ab omni terrenâ vilitate liberum ad superna transitum, nullâque penitus tyrannicâ dissimilitudine vllo modo inclinatam, sed liberaliter seuetam dominationem, quæ omni abiectâ seruitute celsior, omni deiectione superior, & ab omni dissimilitudine remota, verique dominatûs, nec non principij dominationis iugiter auida, cum ipsa se, tunc sibi subdita ad genuinam ejus similitudinem, quoad potest, beneficè transformat; & ad nihil eorum quæ inaniter apparent, sed ad id quod verè est totaliter conuersa, Dominicæ semper deiformitatis particeps existit. Sanctarum autem appellatio Virtutum, fortem quandam & inconcussam denotat virilitatem, in omnes deiformes earum actiones redundantem, ne quidquam admittant, quo ipsis insitæ diuinitùs illustrationes imminutæ deficiant; quæ magnis viribus ad Dei virtutis imitationem, neque motui diuino ignauiâ suâ deest, sed constanter ad superessentialem ac potentificam virtutem intuens, nec non ipsiusmet virtutis, quantum fas est, effecta simulacrum, ad eandem quidem, ceu virtutem principalem, validè conuertitur; ad ea verò quæ posteriora sunt, virtutem iis suppeditando, deiformiter dimanat. Porrò sanctarum nomen Potestatum, coæqualem diuinis Dominationibus Virtutibusque distributionem signat; & inconfusum diuinis rebus excipiendis ordinem, nec non intellectualis ac supermundialis potestatis dispositionem, quæ nequaquam tyrannicè in peius potentiæ suæ viribus abutatur, sed & ipsamet animo inuicto aptè ad diuina dirigatur, atque se sequentia benignissimè promoueat, & ad potentificæ potestatis principatum, quantum fas est, accedat, eundémque, prout valent Angeli, præclarissimis potestatiuæ virtutis suæ functionibus illustret. Deiformibus hisce freta proprietatibus, media illa cœlestium intelligentiarum dispositio purgatur, & illuminatur, atque perficitur, eo modo quo dictum est, diuinis illustrationibus, per primum ordinem hierarchicum secundo sibi loco inditis, pérque ipsum medium, secundâ manifestatione diffusis.

Dominationes quid significent.

Virtutes quid.

Potestates quid.

Quomodo media Hierarchia initiatur.

§. 2.

Dictam itaque notitiam, quæ ab vno Angelo in alterum deriuatur, indicium faciamus perfectionis eius quæ eminus procurata, progressu ac profusione subobscurè ad inferiores peruenit. Quemadmodum enim sacrorum nostrorum mysteriorum periti, seipsis apparentes diuinorum luminum expletiones præstare censent iis, quorum aliqui aliorum interiectu participes existunt: similiter existimo, Angelicorum ordinum, qui primi in Deum extenduntur, immediatam illustrationem perspicaciorem esse participatione illorum qui per medium perficiuntur. Hanc ob causam quoque primæ intelligentiæ in Sacerdotali nostrâ traditione, perfectiuæ ac lucificæ, expiatoriæque virtutes nominantur earum quæ inferioris ordinis existunt; quippe quæ per illas ad superessentiale omnium principium subuehantur, atque mysticarum expiationum, & illuminationum, perfectionúmque, quoad iis fas est, participes reddantur. Hoc enim vniuersim diuinâ ordinatione diuinitùs statutum, vt quæ secunda sunt, per prima diuinas participent illuminationes. Quòd vtique multoties à Theologis expressum reperias: nam cùm diuina paternáque clementia populum Israëliticum, conuersionis eius ac salutis ergo, corripuisset, vltricibúsque ac crudelibus nationibus corrigendum tradidisset; vt quos prouidè gubernabat, omni modo ad meliorem frugem adduceret, à captiuitate quoque liberos ad pristinam fortunam benignè reuocauit, Theologus quidam nomine Zacharias visu percepit, primorum quendam, vt opinor, ex iis qui Deo proximi sunt Angelorum (communis enim, vti dixi, omnibus Angelica cognominatio est) ab ipso; sicut dictum est, Deo hac ipsâ de re verba consolationis percepisse: alterum autem ordinis inferioris Angelum, obuiam priori, lucis capiendæ ac participandæ causâ, procedentem, cùm ab eodem deinde diuinum consilium, tanquam à Sacerdote summo, percepisset, illud ipsum ex impositu munere Theologum docuisse, fore vt Ierusalem frugiferè à magnâ hominum multitudine incoleretur. Quidam alius item Theologus Ezechiel, hoc à Deitate ipsâ supergloriosâ, quæ Cherubim transcendit, sacrosanctè sancitum asserit: Israëliticum enim populum cùm, vt dictum est, clementia paterna per disciplinam ad frugem traduceret meliorem, æquitate Deo dignâ reos ab insontibus secernendos censuit. Hoc primus secundùm Cherubim docetur ille, cuius renes sapphiro præcincti erant, quique talari veste, pontificatûs insigni, amiciebatur. Cæteros exinde Angelos securibus armatos, à priori illo diuina iubet ordinatio diuinum hac de re iudicium edoceri: huic siquidem præcepit, vt per mediam Ierusalem transiret, atque signum insontium virorum frontibus imprimeret; aliis autem ait, *Exite in ciuitatem post eum, & percutite, & nolite parcere oculis vestris; ad omnes autem super quos est signum, ne appropinquetis.* Quid autem de illo dicat quis Angelo, qui Danieli ait; *Egressus est sermo?* aut de primo illo, qui ignem de medio Cherubim accepit? vel, quod Angelicam luculentiùs confirmat distinctionem, de Cherubim ignem ingerente in manus eius qui stolam sanctam indutus erat? aut de illo, qui Gabrieli diuinissimo, cùm eum accersisset, dixit, *Fac illum intelligere visionem?* aut de omnibus aliis, quæ de cœlestium ordine Hierarchiarum prorsus deiformi à sacris sunt Theologis commemorata? ad cuius vtique imaginem si sacer hîc ordo noster se componat, eique, quantum potest, assimiletur, Angelicum profectò decorem illum velut in figuris exprimet, formam inde capiens; ac per eum ad superessentialem omnis sacri ordinis originem attolletur.

Exemplo declaratur, quomodo illustratio transfundatur. Zach. 2. 12.

Ezech. 9. 10. & 11.

Dan. 9. 23. Ezec. 10.

Dan. 8. 16.

SCHOLIA S. MAXIMI.

§. 1.

POTENTIA.] Robustissima.

APPELLATIO.] Quia nomen eorum significat quæ sit ipsorum proprietas.

Medius ordo ternarius.

Dominationes, Virtutes, Potestates:

ABSOLVTVM.] Quia omnis intellectilis virtus ad malum inflexibilis est.

VT SEVERAM DOMINATIONEM.] Hic errorem quendam Gentilium Philosophorum religiosè perstringit, qui proprias quasdam virtutes tres inflexibiles appellabant, quæ ex aliis quoque tribus prioribus virtutibus in lucem prodierant, non autem à Deo propriè fuerant procreatæ: aiúntque, has inflexibiles spiritalibus iis, à quibus productæ fuerant, virtutibus substratas, vt retinerent quodammodo, & subirent ac cohiberent priores illas, ne in materiam dilaberentur, atque hac infirmiores esse iis quæ seipsas produxerunt, quòd debeant semetipsas continere, ne labantur. Hæc quidem tanquam in compendio sunt illorum. Magnus autem Dionysius sapienter iis omnia contraria tradit: ex Deo enim eas per

Quales virtutes inflexibiles finxerunt Gentiles.

creationem productas asserit, cuius etiam similitudinem in dominatu tenent, non secùs ac nos qui secundùm similitudinem creati sumus. Ipsas tamen inflexibilitatem erga omnem submissionem ratione dominationis habere dicit, quasi cædentes & dissecantes, & non sinentes sensilium cupiditatem præualere, nequaquam tamen eas quæ præcedunt inhibentes. Sensilia verò & corporea vocat seruilitatem & illiberalitatem, vanamque gloriam. Δουλοπρεπείας autem dixit pro δουλοπρεπείας: quia non permittunt ea quæ verè existunt cogitare, sed ex indeclinabili stabilitate ad inflexionem vanitatino inducunt. Inæqualitatem hic rursum vocat materialia, vt quæ nunquam in identitate maneant, sed semper immutentur.

Principii dominationis.] Principium dominationis hic vocat Deitatem; quoniam hæc principium & causa est omnis dominationis.

Superiores inferiores confirmare.

Quæ non deest.] Nota, quomodo vbique Virtutes superiores dona sua sequentibus communicare dicat, & virtutes sibi subditas corroborare. Scimus vtique scriptum esse, Angelum quendam, Danielem & alios, &, quod omnibus maius est, ipsum quoque Dominum nostrum Iesum Christum, in quantum hominem, confirmasse, prout in Euangelio secundùm Lucam habetur.

Luc. 22. 43.

Bonum ordinem.] Hæc quoque referenda sunt ad id quod superiùs positú est, subaudiendo, *arbitror significare.*

Assimilatæ.] Quoniam intellectiles etiam virtutes, quantum ipsis fas est, sequentibus, nempe Angelis, potestatem communicant.

Expiatur enim.] Quomodo & per quid ordines isti medij expientur, & illustrentur atque perficiantur: & quòd Scriptura tradat, vnum Angelum ad alterum diuina symbola transmittere.

Traditiones luminis remotiores, esse obscuriores.

Et per medium.] Initiationes mediatas obscuriores esse illis quæ ex Deo per primam apparitionem fiunt, quæ primæ sunt.

Quæ per alium oritur.] Secundùm ea quæ in Zachariâ & Daniele & Ezechiele Prophetis habentur.

§. 2.

Obscuræ.] Obscuræ dixit, non propter propriam eius remissionem, sed propter recipientium imbecillitatem: hoc enim indicat, cùm perfectionem istam secundo loco inditam dicit, ita nempe, vt ea quæ secunda sunt obscuriori ratione initientur.

Primos à Deo ipso illustrari.

Periti.] Nota, Sacerdotes hæc Magno Dionysio tradidisse. Seipsis autem apparentes appellauit primas illas virtutes diuinas, quandoquidem per seipsas diuinas accipiant illustrationes: cæteræ enim Virtutes non per seipsas diuina suscipiunt munera cognitionis, sed per superiores.

Sacerdotalis.] Nota, istam de spirituum ordine cognitionem, sacerdotalem esse traditionem.

Illustrationem.] Demonstratio ex Zachariâ Prophetâ eius quod dixit, secundas per primas sacris initiari.

Crudelibus.] Feris.

Tradita.] De iis quæ Babylonio Angelo tradita fuerunt.

Omni modo.] Obserua, Deum omnia moliri ad errantes conuertendos.

Clementer adduxit.] *Clementer*, id est, humaniter, vel omnino & vehementer intellige.

Commune enim.] Quoniam communi nomine, virtutes omnes spiritales Angeli vocantur.

Inferiorum.] Subiectorum, secundum locum obtinentium.

Præcedentem.] Præcedentem fortassis Prophetam; fortassis etiam antequam maior ille Angelus ad ipsum accessisset.

Deinde ab ipso diuinum.] Hoc vult significare, in Angelicis quoque ordinibus primos sequentibus diuinum consilium annuntiare. *Frugiferè* autem, id est, omnino, ex Ezechiele.

Ezec. 9. Matt. 25. 32.

Respondere.] Rectè dixit Dominus in Ezechiele Prophetâ, vt à peccatoribus iusti segregarentur: nam & hoc ipsum in Euangelio fecisse apparet, quando oues ab hœdis separauit. Vide, vt etiam in hoc antiquum Testamentum cum nouo consentiat.

Qui talari veste.] De illo qui amictus erat tunicâ talari. Nota verò, Angelum istum qui [populum] signare iubebatur, talarem tunicam & cingulum circa lumbos habuisse; qui habitus decebat Sacerdotem. Alij autem Angeli tenebant manibus securim, quod vltricem quampiam virtutem denotat: vt nos hinc intelligamus, speciem Angelorum secundùm id effingi, quod iis erat exequendum. Hoc item de Seraphim & Cherubim, aliisque virtutibus intelligendum: ita nimirùm, vt etiam habitum habeant suo ordini conformem. Qui enim Hymnum istum ter-sanctum proferunt, multis faciebus figurantur, Scripturâ declarante, Hymnum ipsorum incessabilem multiplicémque existere. Sic etiam de cæteris intellige.

Quid vestes Angelica designent.

Quid sibi velit signum ab Angelis impressum frontibus innocentium.

Signum in frontibus.] Nota, vt hinc diuinâ quadam præfiguratione insinuauerit, fideles viuificum sigillum frontibus suis imprimere debere, quo ab exterminatore præseruentur. Sed tum quidem Angeli in habitu Sacerdotum innocentibus id facere iussi sunt (cingulum enim ac tunica talaris decentem Sacerdotum habitum designat:) modò autem etiam nos fideles, frontibus ipsi nostris signum Crucis imprimentes, abigimus inimicum. En & aliam quoque veteris cum nouo Testamento similitudinem. Obserua verò, hos esse tres trinos ordines intellectilium virtutum: primus ternio sunt Troni, deinde Cherubim, deinde Seraphim; secundus ternio, Dominationes, Virtutes, Potestates, hæ quoque mediæ dicuntur; tertius ternio, Principatus, Archangeli, Angeli. Communi autem nomine [vocantur] omnes Angeli.

Boni ordinis.] De bono ordine secundorum erga superiores.

Diuinissimum Gabrielem.] Nota, etiam Gabrielem nõ esse ex superioribus illis virtutibus, sed ex inferioribus.

Nostra Hierarchia cum cælesti similitudo.

Hierarchiæ.] Nota, ista quæ hodie in Ecclesiâ geruntur, imitationem esse supernæ illius mysticæ Hierarchiæ nam Sacerdotes etiam viuificæ Crucis signum imprimunt iis qui ad Sacramentum accedunt, quo ab infidelibus segregentur, & effugiant inimicum. Aliter etiam in Ecclesiâ sanctâ hic ordo seruatur: quoniam id quod Subdiaconi curæ commissum est, nequaquam hoc faciunt inferiores; & quod facit Sacerdos, non facit Diaconus; & simpliciter loquendo, vnusquisque sibi conueniens ministerium gerit: omnes autem, non secùs atque Angeli, communi nomine Clerici & ministri appellantur. Hinc etiam oportet intelligere, quomodo à D. Stephano dictum sit, *Qui accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis.*

Act. 7. 53.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§. 1.

TRaducẽdus modò sermo est ad medium cœlestium virtutum ordinem. Non dixit autem ordinem, sed adornationem, quoniam hæc ipsa rursum tres ordines habet. Κόσμου itaque seu ornatu pro ordine dicto, & Præpositione διὰ seu *per* transitum vel distinctionem denotante, διακόσμησιν, id est, adornationem seu distributionem dixit, ordinem nimirum in tria distributum. Videamus igitur, sed supermundialibus intellectilibusque oculis, quoad possumus, Dominationes ac Virtutes ac Potestates. Duo itaque hi ordines, Virtutes sunt ac Potestates, quoniam à virtute nomen acceperunt: potestas enim nihil aliud est quàm habitus, qui congruæ voluntati virtutem congruentem obtinet. Dixit autem *congrua*, quoniam qui potens est, posset etiam velle impossibilia, sed non adipiscetur quæ cupit; atque idcircò vtrorumque possibilia dixit spectacula. Non autem dixit Cogitationes; siquidem cogitatio motus est animæ, qui non subsistit: sed Spectacula, siue res quæ effectum sortiuntur, & oculis supermundialibus supráque sensum, quoad fieri potest, spectantur. Et enim vnumquodq; cognomen mentium diuinarum, Diuinitatis imitatrices earundem deiformes demonstrat ac signat proprietates. Angelorum autem Deum imitãs proprietas alia est alius, v.g. Virtutum est potentia, Dominationum verò libertas; quæ vtique in Deo indistincta sunt & superlata: siquidem diuinum Numen ipsum per se liberum, per se potẽs est, communiter autem omnibus omnia

Quid Dominationes mysticè designent.

est.

est. Hactenus autem vt plurimùm cuilibet eorũ quid proprium ab Auctore distributum est, vt ea quæ sunt ordinis eorum, secundùm proprietatem suam conseruarẽtur. Nomẽ itaque quod sanctas designat Dominationes, existimo declarare absolutum aliquem & ab omni terrenâ vilitate liberum ad superna trãsitum: idcircò enim liber est, quòd nullo prorsus modo quidquam sit quo detineri dicatur. Caue verò dicas, cũ prorsus dixisse, quòd partialiter quandoque inclinetur: nullo itaque modò tyrannicâ dissimilitudine quapiam inclinatur. Modi autẽ seruitutis atque inclinationis sunt, vel timor, vel pudor, vel adulatio, vel egestas, vel passio, vel etiã omnia simul, vel aliqua: quæ omnia profectò longè absunt à Dominationibus, per quæ fortè deterioribus subiicerentur, vel istiusmodi ad superna transitus impediretur. Hæc enim deteriora dicit & materialia, tyrannicásque inæqualitates, secundùm quas qui modò elatus est, per timorem vel quid simile deiicitur; & qui modò deiectus est, rursum elatus fit per affectionem: quoniam hic etiam ab istiusmodi affectione tyrannicè gubernatur. Istiusmodi etiam sunt illa materialia, vt quæ nunquam in eodem statu permanent, sed semper permutantur. Hisce omnibus tyrannicis, materialibus & inanibus inæqualitatibus liberæ sunt Dominationes, vtpote incorruptæ, omnique seruitute superiores. Ne quis mihi dicat hic, eos non habere timorem ac seruitutem Dei: audiat enim, vt non istiusmodi timorem, neque talẽ seruitutem dicat, sed eam quæ est rerum deteriorum, sensibiliũ inquam & corporearũ; illa enim non sinunt ea quæ vera sunt considerare. Nam à quo quis deuictus est, eius & seruus factus est, hanc etiam imminuentem vocat. Idcircò etiam ab omni deiectione ac subiectione liberæ sunt, & eximuntur ab omni inæqualitate, ne modò quidem fortè sublimes sint, modò verò omnibus subiectæ. Desiderant autem verum dominatum, & principium dominationum, id est, Diuinitatem; atque boniformiter semper non semetipsas tantùm, verùm etiam inferiores, quoad fieri potest, semper transformant ad propriam verámque Dei, siue dominatus principij, similitudinem & assimilationem. Obserua verò, quomodo non appetant omnino gradum sublimiorem: ambiuerant enim aliquæ primam distributionem, & affectio erat in eis, atque tyrannicæ passiuni subiectæ sunt. Non ita istæ, sed appetunt, & quodammodò obtinent per dilectionem, dominatum, & principij dominatus similitudinem; ita vt alias non essent dominationes, nisi hoc modo erga Conditorem suum afficerentur, ita vt inde statum dominationis accipiant. Ad nihil autem eorum quæ temerè apparent conuertuntur, quales sunt res corporeæ & indecoræ; sed ad id quod verè est, scilicet Deum, atque ita, quantum in eis est, participes fiunt deiformitatis ipsiusmet principij dominationum, sic vt etiam ipsæ sint Dominatus ac Dominationes. Eorum autem ad superna transitum, dominationem vocat inflexibilem, quasi adulationis & criminis exortem, nullâ materiæ titillatione inclinatam. Soluit autem hic etiam errorem quemdam Philosophorũ Gentiliũ, quem religiosè perstringit: illi enim proprias quasdam virtutes tres inflexibiles appellabant, quæ ex aliis quoq; tribus prioribus virtutibus in lucẽ prodierant, non autem à Deo propriè fuerant procreatæ: aiuntq; has inflexibiles spiritalibus iis, à quibus productæ fuerãt, virtutibus substratas, vt retinerent quodammodo & subirent, ac cohiberent priores illas, ne in materiam dilaberentur, atque hoc infirmiores esse iis quæ seipsas produxerunt, quòd debeant semetipsas cõtinere, ne labantur. Hæc quidem tanquam in compendio sunt illorum, hic autem sanctus sapienter iis omnia contraria tradit: ex Deo enim eas per creationem productas asserit, cuius etiam similitudinem in dominatu tenent; ipsas tamen inflexibilitatem erga omnem submissionem ratione dominationis habere dicit, quasi cedentes & dissecãtes, & non sinentes superare cupiditatẽ sensibilium, non tamen eas quæ præcedunt cohibentes. Dicit itaque, quòd & inflexibiles sint ad malum, & dominatum teneant, atque hinc præcedentes minimè excedunt, ne in materiam dilabantur. Sanctarũ autem Virtutum nomen existimo in communi significare

Gentilium virtutes inflexibiles quales fuerint.

mascolam quandam & costantẽ virilitatem, rigidam asperam, seueram. Neque verò audiens, Virtutes illas diuinas fœmineo nomine nuncupatas, muliebre quid iis adscribas: virilis enim significatio dictióque de fœmininis virilibus, & virili mente præditis, aut virili robore pollentibus, enuntiatur. Habent autem virilitatem: ad quid? non ad difficultates incidentes, tristitiásque, vt in nobis accidit, hæc enim neque Virtutibus diuinis conueniunt & ab extrinseco mouentur, vt aliter istiusmodi virilitas apparere nequeat, nisi difficultas exoriatur. Non itaque ad hæc tantùm virilitatem obtinent, sed ad omnes suas deiformes actiones. Dixi autem suas, quia cuilibet sua propria diuina cõpetit operatio, ita vt non deficiat in vllâ sibi inditâ illustratione suscipiendâ, nec ab eâ quidquam patiatur; qualis est lapis qui igne non consumitur, qui ignescit quidem, sed non comburitur: sic etiam hîc, dum potenter ad Deum imitandum adducitur, attamen non deiicitur, neque præ imbecillitate deiformẽ motum deserit, sed constanter intuetur in virtutem omni substantiâ superiorem, & ipsarummet virtutum conditricẽ, eiusdemque, quoad fieri potest, imago virtutiformis efficitur. Quemadmodum enim natura diuina illi virtutem suppeditat, sic & hæc inferioribus: & secundùm quod quidem ipsa virtus est, secũdùm primam rationem, & differentiam earum quæ post ipsam sunt (hoc enim est ἀρχιδύναμος seu princeps virtutum) iuxta gratiam sibi à Deo datam habet, vt ad Deum virtutũ auctorem validè cõuersa sit: in quantum verò etiam inferiores ab hac habent quòd virtutes sint, vim suam in illas traiicit ac distribuit, secundùm diuinam prorsus imitationem. Porrò nomen sanctarum Potestatum declaratiuum, existimo significare ordinẽ prædictis illis duobus æqualem, benè ordinatũ, decorum, & inconfusum circa diuinas illustrationes: proprium enim potestatis est, ea quæ incidunt in ordinẽ dirigere, idque sine temeritate ac confusione. Cùm enim potestas virtus sit secundùm voluntatem ipsi conuenientem (vt inordinatè quid & confusè vel dicat vel agat is qui præditus est potestate, in quod solum potens sit & potestatem habeat, idq; quando nihil incidit extrinsecus quod impediat potestatẽ; tunc vtique non est potestas ista potestatem habentis, sed temporis, vel fortè inimici, vel tristitiæ vel alicuius alterius) hoc in Potestatibus etiam diuinis locum habet. Cùm enim hæc omnia ab ipsis aliena sunt, habeant autem potestatẽ à diuinâ gratiâ indiuisam atque indeficientẽ, diuinas etiam illustrationes ordinatè & inconfusè recipiunt, ac benè dispositi sunt ad spiritalem & supermundialem arbitrij libertatem; quoniã semper arbitrij sui potestatem habent, nec modò quidem sic, modò verò aliter affecti sunt. Cùm autem potestas alia quidem legitima sit, alia verò tyrãnica (infert enim potestas etiam tyrannidem, iuxta illud, Tyrannũ non facile est colere) & quando quidem legitima potestas obtinetur, impotens est ad bonum; quando autẽ illegitima & tyrannica, tunc propriâ vi ad malum abutitur: facit hîc Sanctus diuisionẽ potestatis, ac dicit, Virtutes sanctas non tyrãnicè ad mala virtutibus abuti, sed animo inuicto ad diuina tẽdere; quod est propriũ potestatis benè ordinatæ, atq; adeò etiam legitimæ. Neque tantùm ipsæ ad superna transeunt, verùm etiam inferiores suas boniformiter adducunt (non enim est inuidia, neque tenacitas, neq; parsimonia bono) & ad Auctorẽ suum, quem Potentificũ & potentiæ principatum vocat (illud quidẽ, quoniam Potestates condidit ac creauit; hoc verò, quia Potestates regit) quantũ fas est, assimilantur. Siquidẽ ipsarum perfectio est Dei, quãta fieri potest, assimilatio: hancque diuinam assimilationẽ, quantum licet Angelis, accendũt in suis ornatissimis ordinibus potestatiuæ virtutis, scilicet in Virtutibus & Dominationibus; hæ enim sunt ordinis eiusdẽ cum iis. Siquidẽ rectè meminimus, diximus anteà, quidquid vniuersim accidit, cuilibet vt plurimùm secundùm modũ propriũ distribui, vt sic ea quæ sunt ordinis seruẽtur; hoc enim propter lucis proprietatem significat etiam vox *accendũt*. Vel etiã aliter *accẽdũt*, propter lucis proprietatẽ: lux enim sursum fertur, tametsi eius illustratio deorsum etiam fiat. Deiformibus proprietatibus mediæ distributionis absolutis, transit ad earum Hierarchiã, id est, expiationem, illuminationem, &

Quid Potestates mysticè designent.

A

Quomodo à superioribus ad inferiores § 2 trāsmittantur illustrationes.

perfectionē. Expiatur itaque, & illuminatur atq; perficitur eo modo quo dictum est in primâ distributione, quoniam tam illa quàm hæc sub diuinis est illustrationibus, verùm hæc secundo loco per primā; illa enim mediante quæ primâ luce perficitur, secūdæ illustrationis radij traiiciuntur.

Itaque nosti iam, quæ a Zachariâ, & Daniele, & Ezechiele Prophetis? per alium ad alium Angelum transfusa dicitur, exemplum faciamus perfectionis quæ eminus procurata, progressu ac profusione subobscurè ad inferiores peruenit. Obscuram autem perfectionem dixit, non propter propriam eius remissionem, sed propter imbecillitatem recipientium: hoc enim significat, vocando secundas partes initiationis, id est obscuriùs initiari secunda. Verborum suorum exemplum sumit ab iis quæ apud homines sunt initiationibus, idq; non à semetipso, sed ab ipsismet sacrorum peritis initiatoribus nostris. Quemadmodum enim illi dicunt, per se apparentes plenitudines atque illustrationes (iuxta illud, *De plenitudine eius omnes accepimus*) perfectiores esse iis quæ per alias diuinas participationes hauriuntur (initiati enim, siue, vt sic dicam, perfecti sunt diuini Apostoli ab ipsomet Saluatore nostro Iesu Christo ac Deo, vel à sancto viuificoque Spiritu tempore Pentecostes; consecrati etiam sunt summi Sacerdotes per ipsos, attamen perfectior omnino est eorum consecratio:) quemadmodum inquam qui in diuinis excellentes sunt, de his aiunt; ita etiam existimo hunc Sanctum dicere, immediatam participationem primæ distributionis euidentiorem esse eâ quæ mediantibus aliis confertur. Idcircò etiam ex sacerdotali traditione habemus, primos sequentium perfectores, & illuminatores, & expiatores nominari, vt qui ab eis adducantur ad omnium principium, diuinasq; ie participent expiationes, illuminationes ac consecrationes: siquidem hoc à Deo diuinis etiam ordinibus lege statutum est, vt quæ secunda sunt, per prima diuinas participent illuminationes. ordo enim tam cœlestia quàm terrestria continet. Sermonem suum, quòd secunda mediantibus primis illustrentur, confirmat à diuinis sacrisque Prophetis, quos & Theologos vocat, vt qui sermones Dei nobis annuntiant. Hoc vtique, inquit, à Theologis expressum reperias, ac primùm à Zachariâ: cùm enim Dei clementia (nam Dei punitio quoque clementia est, iuxta illud, Paterna etiam correctio benignitas existit: quoniam instar patris deduxit ac direxit Israel, quandoque quidem promissionibus bonorum, quandoque verò minis ac suppliciis:) quando inquam Dei clementia Israëlem erudiens per captiuitatem Babyloniorum (hoc autem pro sacrâ eius salute contigit; omnis enim salus à Deo sacra est, quia non tantum corpus seruat, sed etiam animam) vt ad creatorem ipsum conuerteret, vltricibus ac feris gentibus tradidit corrigendum, & vt ad meliorem frugem traduceret, aliquando quidem gentibus tradidit, aliquando verò à captiuitate liberauit, & ad pristinam benignè clementerque ac magnificè fortunam reduxit. Videt ille Theologus Zacharias quendam primorum (vt existimo, propter eorum quæ dicuntur reuerentiam) Angelorum (Angelorum inquam, propter communem nomen; cùm alioquin vltimus, non autem primus ordo Angelorum sit,) ab ipsomet Deo discentem verba consolationis; alterum autem inferiorum Angelorum primo isti obuiàm præcedentem (forsitan quidem Prophetæ, fortè verò antequam maior Angelus ad ipsum venisset, Præpositione nimirum spatium aliquod denotante) & ad illustrationem capiendam occurrentem; deinde etiam ab ipso diuinum consilium, tanquam à Sacerdote summo, percepisse, iussumque Theologum docere, futurum vt frugifera Ierusalem a magnâ hominum multitudine incolenda foret. Ait enim Dei perspicacissimus Zacharias: Et leuaui oculos meos, & vidi & ecce vir: & in manu eius funiculus geometricus. Et dixi ad eum: Quò vadis; & dixit ad me: Vt metiar Ierusalem, & videā quanta sit latitudo eius, & quanta longitudo eius. Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, stabat, & alius Angelus egrediebatur in occursum ei. Et ait ad eum dicens: Curre, & loquere ad adolescentem illum, dicens: Frugifera habitabitur Ierusalem à multitudine hominū. Et hæc quidem verba sūt Prophetæ: tu verò cōsidera quomodo dicat Propheta, Egressus est; hic autem vir diuinus, Præcedebat. Scito autem, quòd qui loquitur consolatorios sermones in Zachariā, ipse sit qui immediatè diuinam voluntatem didicit, quemadmodum ait: Et respondit Dominus omnipotens Angelo loquenti in me verba bona, & sermones consolatorios, quo stante præcessit, siue egressus est alius, ad quem dixit ille qui loquebatur, Curre, & dic hoc & hoc. Quidam etiam alius Propheta Ezechiel, à Deitate ipsâ, quæ Cherubim transcendit, sacrosanctè quid simile siue talem ordinem sancitum ait: cùm enim Israëliticum populum, vt dictum est, clementia paterna per disciplinam ad frugem traduceret meliorem, æquitate Deo dignâ reos ab insontibus secernendos censuit. Hoc primus post Cherubim docetur ille cuius renes sapphiro præcincti erant, quique talari veste tanquam Pontifex amiciebatur; habitus enim ille sacerdotalis est, nec erat punientium, sed liberantium eos qui salute digni erant. Cæteros deinde sex Angelos securibus armatos iubet diuina ordinatio ab eo qui poderem gerebat diuinum iudicium edoceri: illi enim qui poderem ferebat præcipiebat, vt per mediam Ierusalem transiret, atque signum daret in frontibus innocentum: aliis autem dicebat, Exite post eum, & percutite, & nolite parcere, ad omnes autem super quos est signum ne appropinquetis. Illud itaque, Exite post eum, quid aliud significat, quàm, Habetote hunc ducem rerum agendarum, vt qui meam quoque sciat voluntatem? Verba autem Prophetæ sic habent: Et ecce sex viri veniebant de viâ portæ excelsæ respicientis ad Aquilonem, & vniuscuiusque vas exterminationis in manu eius. Et vir vnus in medio eorum vestitus veste talari, & zona sapphiri super lumbo eius. Et ingressi sunt, & steterunt adhærentes altari æneo: & gloria Dei Israel ascendit de Cherubim existens super eos, & vocauit virum qui indutus erat veste talari, qui habuit super lumbo eius zonam sapphiri, & dixit Dominus ad eum, Transi mediam Ierusalem, & da signum super frontes virorum gementium & dolētium super cunctis iniquitatibus quæ fiunt in medio eius. Et illis dixit audiente me: Ite in ciuitatē post eum, & percutite, & non parcatis oculis vestris, & non misereamini: Senem & iuuenem, & virginem & paruulos, & mulieres interficite ad deletionem, super autem omnes super quos est signum ne appropinquetis. Quid autem quis dicat de illo Angelo, qui Danieli ait hoc & hoc? narratur enim in decimâ visione Danielis: Et ecce vir Gabriel, quem vidi in visione in principio, volans, & tetigit me quasi horâ sacrificij vespertini, & erudiuit me, & locutus est mecum, & dixit, Daniel nunc egressus sum vt præberem intelligentiam. In principio deprecationis tuæ egressus est sermo, & ego veni vt annuntiarem tibi, quia vir desideriorum es tu. Vel iterum, quid dicat aliquis de illo qui ignem accepit, vt in Ezechiele narratur? ait enim: Et factum est, cùm præcepisset ipse viro qui indutus erat stolâ sanctâ dicens, Sume ignē de medio rotarū, de medio Cherubim: & intrauit, & stetit adhærens rotis, & extendit Cherub manum suam in medium ignis existentis in medio Cherubim, & accepit & dedit in manus eius qui indutus erat stolam sanctam, & accepit & egressus est. Hoc Sanctus hîc ait ordinis Angelici rationem luculentiùs confirmante, quòd induto stolam præceptum sit ignem accipere, dùmque iret vt ignem acciperet, quendam Cherubim ei ministrasse ignémque acceptum in manus ipsi tradidisse. Rursum, quid dicat quis de eo qui vocauit diuinissimum Gabrielem, sicut in nonâ visione Danielis commemoratur? Et factum est, cùm viderem ego Daniel visionem, & quærerem intelligentiam, & ecce stetit in conspectu meo quasi visio viri, & audiui vocem viri inter Vlai: & vocauit, & dixit: Gabriel fac intelligere illum visionem; & venit, & stetit iuxta stationem meam, & cùm veniret ipse turbatus sum, & cado in faciem meam; & dixit ad me: Intellige fili hominis. Quid verò? dicat quis? etiam cætera, quæ à sacris Prophetis dicta sunt de decoro ordine cęlestiū, cui sacer hic ordo noster hierarchicus, quoad fieri potest, assimilatur: siquidem superioris illius mysticæ Hierarchiæ imitatio quædā sunt quæ in Ecclesiâ perficiūtur,

Marginal notes: Ioan.1.16. (B); C; D; Zach.2.1.; E; Ezech.10.& 11.; F; Ezech.9.2.; G; Dan.9.21.; Ezech.10.6.; H; Dan.6.16.

& hæc decoris eorum quædam sunt imagines siquidem hæc nostra Hierarchia per illam efformatur & ad Deum adducitur, qui supernaturalis ordinis principatus est omnis Hierarchiæ, omnémque sacrum ordinem instituit.

CAPVT IX.

De Principatibus, Archangelis & Angelis, déque vltimâ eorundem Hierarchiâ.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Exponit quid significent Principatus.*
2. *Quid Archangeli & Angeli; & quodnam sit horum officium.*
3. *Ostendit non Angelis imputandum esse, quòd aliqui sub illorum directione non proficiant: illos enim & Deum ex parte suâ nemini deesse, exemplis probat.*
4. *Declarat diuinam erga omnes prouidentiam; & quo sensu Israël peculiariter pars Domini dictus sit.*

§.1. *Principatus quid significet.*

REliqua nobis ad contemplandum superest sacra illa distinctio, quæ Angelicas concludit Hierarchias, deiformibus Principatibus, Archangelis, & Angelis adornata. Ac primùm quidem pro virili necessariò mihi explicandas censeo sacrorum eorum nominum significationes: nomen siquidem cœlestium Principatuum significat eorum, cum sacro quodam principalibusque virtutibus conuenientissimo ordine, deiformiter principandi atque gubernandi potestatem, nec non ad superprincipalem principatum totaliter se conuertendi, & ad ipsum alios quoque principaliter ducendi, ipsiusque principificis formam principatus in semetipsis, quantum fas est, exprimendi, eiusdemque superessentialem ordinandi principatum, in principalium virtutum dispositione declarandi facultatem.

§.2. *Archangeli quid.*

Sanctorum verò Archangelorum ordo, cœlestibus quidem istis Principatibus æqualis perhibetur. Est equidem, vti dixi, vna illorum atque Angelorum Hierarchia, eademque distinctio; verùm cùm nulla sit Hierarchia, quæ non primas & medias vltimasque virtutes habeat, sanctus Archangelorum ordo, iure quodam hierarchico communi, medietate suâ continet extremas: sanctissimis enim Principatibus communicat, & sanctis Angelis, illis quidem, quoniam ad superessentialem Principatum principaliter conuersus est, & ad ipsum, quantum fas est, efformatur, nec non Angelis decoro suo atque ordinato, qui aspectum effugit, ducatu vnionis auctor existit; his autem, quia etiam ordinis est dictatorij, diuinasque illustrationes hierarchicè per primas virtutes suscipiens, exinde iis ipsis Angelis easdem beneuolè annuntiat, nobisque per Angelos manifestat, pro cuiusque illorum, qui diuinis illustrationibus afflantur, ad res sacras capacitate.

Angeli quid.

Ipsi enim Angeli, sicut prædiximus, omnes cœlestium intelligentiarum ordines complendo terminant, vt qui nouissimè cœlestes inter essentias, Angelicam sortiti sint proprietatem; adeoque præ superioribus istis, hoc rectiùs à nobis Angeli vocentur, quò magis ipsorum Hierarchia res euidentiores ac mundanas attingat. Siquidem supremam illam, vti dictum est, distinctionem, tanquam secreto illi sacratissimo primo ordine propinquam, magis abditè putandum est secundæ res sacras moderari; secundam verò, quæ sanctis Dominationibus & Virtutibus ac Potestatibus expletur, Potestatum & Archangelorum atque Angelorum Hierarchiæ præsidere, primâ quidem Hierarchiâ manifestiùs, sed occultiùs sequente: porrò Principatuum, Archangelorum atque Angelorum ordinem explanatorium humanis per vices præesse Hierarchiis, vt hoc ordine ad Deum sit ascensus, & conuersio communioque atque vnio, quæ etiam à Deo omnibus Hierarchiis beneuolè affletur, communicationeque quâdam inseratur, cumque decoro sacratissimo promanet. Hinc Theologia nostram Hierarchiam Angelis attribuit, cùm populi Iudæorum principem appellet Michaëlem, aliosque gentium aliarum: statuit enim Altissimus terminos gentium, iuxta numerum Angelorum Dei.

Angeli sunt nostri rectores. Dan. 10. Deut. 32.

§.3. Quòd si quærat aliquis, quare populus Hebræorum solus ad diuinas illustrationes sit euectus, respondendum vtique, rectis Angelorum gubernationibus nequaquam imputandum esse, cæterarum gentium ad falsos deos defectionem, sed eas ipsas motibus propriis à rectâ, quæ ad Deum ducebat, viâ deflexisse, per amorem proprium, suamque peruicaciam, & rerum, quibus diuini quidpiam inesse arbitrabantur, absurdum cultum. Hoc ipsum Hebræorum populo vsu venisse confirmatur, *Agnitionem*, (enim inquit) *Dei repulisti, & post cor tuum ambulasti.* Neque enim vita nobis est, cui vis illata, aut imposita necessitas, nec eorum quæ prouidentur libertate, diuini radij illustrationis, quæ à prouidentiâ manat, obtunduntur: sed oculorum mentis dissimilitudo facit, vt exundans paternæ bonitatis illustratio vel omnino cassa sit, & propter eorum repugnantiam inutilis; vel eius participationes existant inæquales, paruæ vel magnæ, obscuræ vel claræ, cùm vnus sit & simplex, eodémque modo semper se habeat fontalis ille radius qui iugiter est expansus: præsertim cùm cæteris quoque gentibus (è quibus & nos emersimus ad illud diuini luminis immensum & exundans pelagus, quod in promptu omnibus ad participandum est expansum) non alieni quidam dij præfuerint, sed vnum omnium principium, & ad illud Angeli, qui cuique nationi præfecti erant, sequaces suos adducerent. Considerare libet Melchisedech Pontificem illum Deo charissimum, qui nequaquam inanium deorum, sed altissimi verique Dei Sacerdos fuit: neque enim simpliciter Melchisedechum Theologi non solùm Dei amicum, sed & Sacerdotem appelarunt; vt vel sic prudentioribus apertè indicarent, non modò ipsum ad verum Deum fuisse conuersum, verùm etiam aliis ad veram & solam supremamq; Deitatem prouehendis ducẽ extitisse.

Osee 4. Quòd aliqui non proficiãt, id non est Angelis imputandum, nec Deo. Deus nemini deest ex parte suâ. Probatur exemplo Melchisedech Gen. 14.

§.4. Illud quoque Pontificiæ tuæ scientiæ commemorabimus, vt & Pharaoni ab Angelo Ægyptiorum præside, & Babyloniorum Principi à proprio itidem, omnibus prospicientis atque dominantis prouidentia potestasque per visiones fuerit intimata, vtque gentibus istis veri Dei ministri, ductorum instar, fuerint præfecti, ad figuratas illas Angelicas visiones interpretandas, quæ viris sanctis Angelorum similibus, Danieli inquam & Iosepho, ex parte Dei per Angelos antè fuerant reuelatæ: vnum quippe omnium est principium vnaque prouidentia. Neque vllo modo putandum est, quasi Iudæis quidem sortitò Deus præfuerit, Angeli autem seorsum, vel æqualiter, vel opposuè, aut alij etiam dij cæteris gentibus imperitarint: sed hoc Eloquium sano quodam sensu sacro intelligendum est, non quasi Deus cum aliis diis Angelisve nostri partitus sit gubernationem, atque Israëliticæ gentis principatum atque ducatum ipse sortitus sit; sed quòd, cùm Altissimi vnica illa rerum omnium prouidentia, cunctos homines ad salutem Angelorum ductibus tradiderit promouendos, solus ferme Israël, præ omnibus, ad veri Dei notiam & illustrationem fuerit conuersus. Itaque Theologia, cùm populum Israëliticum se veri Dei cultui mancipasse narrat, ait, *Factus est pars Domini*; cùm autem ostendit eum quoque, pari cum cæteris nationibus iure, sanctorum cuidam Angelorum fuisse consignatum, vt eius operâ vnicum illud rerum omnium principium agnosceret, Michaëlem Iudaico populo præfectum tradit, apertè docens, vnicam esse omnium prouidentiam, quæ cunctis simul tam inuisibilibus quàm visibilibus virtutibus superessentialiter præstet; omnes autem Angelos singularum gentium præfectos, ad illud ipsum principium, vt propitium, eos, qui vltrò ac sponte sequantur, deducere.

Gen. 41. Dan. 2. Prouidẽtia Dei in omnes. Psal. 134. Deut. 32. Israël quomodo pars Domini dictus. Dan. 10.

SCHOLIA S. MAXIMI.

§.1. SVPERESSENTIALEM EIVS ORDINANDI PRINCIPATVM.] Hic ordo Principatuum designat ipsummet principificis principij superessentialem principatum.

ARCHANGELORVM.] De Archangelorum ornatu, & quid significet.

HIERARCHIA.] Nota, vniuersum omnem Hierarchiam habere primas, & medias, & vltimas virtutes, id est, tres trinos ordines.

SANCTISSIMIS.] Scribe, Et sacratissimis. [Nota] quomodo etiam Archangeli isti diuini, cum præcedentibus & sequentibus communicent.

SECVNDVM POSTREMVM.] Quoniam ordo Angelorum postremus est, & circamundialis.

Postremus trinus ordo,
Principatus, Archangeli, Angeli.

ET MAGIS AD.] Quia postremus cœlestium Virtutum ordo magis dignus est appellatione Angelorum; quippe vt ad homines accedens, & per quem homines diuina edocentur.

NAM SVPREMVM QVIDEM.] Quoniam supremus ternio secundo in sacris præest, & secundus tertio, tertius verò Sacerdotibus hominum, & attendunt iis quæ ab ipsis fiunt.

OCCVLTIVS.] Quomodo aliæ quidem Hierarchiæ sint occultiores, aliæ verò manifestiores.

HVMANIS HIERARCHIIS.] Quinam nobis hierarchicè præsint. Obserua illam ex Daniele demonstrationem, quâ nimirum ostenditur extremus ordo nostram Hierarchiam moderari.

QVÆ ETIAM.] Subaudiendo, *vt hoc ordine*; ita vt talis sit constructio, Vt, nimirum hoc ordine sit, quæ etiam à Deo, &c.

§. 3. *Cur solus Israel Deum agnouerit.*

QVOD SI QVÆRAT ALIQVIS.] Quomodo, cùm boni Angeli gentibus præfecti sint, solus Israël Deum nouerit. quælibet enim natio habet Angelum sibi assignatum, quemadmodum Iudæi Michaëlem, quem & postremi ordinis sanctorum Angelorum esse dicis.

NEQVAQVAM ANGELORVM.] Respondet nequaquam Angelorum præsidum culpâ id accidisse, sed propter liberum motum proprium ad res absurdas.

AMORE PROPRIO.] Nota, quemque sibi ipsi boni malique causam existere: porrò amor proprius ac pertinacia pariter designant sui ipsius complacentiam.

HOC IPSVM CONFIRMATVR.] Nempe, Deum non solum Israëlem elegisse, sed solum Israëlem Deum sequi voluisse; id enim ipsiusmet vocis interpretatio designat, *Mens Deum videns.* Sic etiam intelligenda sunt quæ in Cantico Moysis dicta sunt, *Et fuit pars Domini, funiculus Iacob*, quod significat Israëlem: non enim Deus solum Israëlem diligit, sicut etiam Apostolus sæpenumerò declarauit, dicens: *Nonne est Deus etiam gentium? imò & gentium, quoniam vnus est Deus.* Sed Israël primùm post Deum ambulauit; at vbi postmodum defecit, etiam ipse reiectus est: quoniam homines qui libero pollent arbitrio, quando volunt Deum sibi propitium reddunt.

Deut. 32. 9. Rom. 3. 29. Deus est omnium Deus.

PASSVM ESSE.] Quoniam etiam Israël ipse defecit.

VITAM.] Quoniam homo liberum habet arbitrium.

OCVLORVM.] Quod hoc loco Pater ait, id quoque videre licet fieri in lumine solari, quod in materiis quidem transparentibus suam facit distributionem, in opacioribus autem non ita, sed vel omnino illas non penetrat, vel subobscurè. Quod igitur hîc diuersitas materiæ facit, hoc in diuinâ illustratione liberæ propensionis inæqualitas operatur.

Quid sit in causâ quòd aliqui non illustrentur.

DISSIMILITVDO.] Id est, oculorum mentis auersio.

AVT OMNINO CASSAM FACIT.] Vide quomodo dicat, nos ipsos causas esse quòd diuinam illustrationem suscipiamus, eamque vel exilem, vel copiosam, vel omnino nullam excipiamus, quando ipsi refractarij, tanquam duri seu lapidei, existimus. Sic vtique in Euangeliis Dominus ait: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*; quod enim nobis durum & impossibile, hoc ipsum Deo possibile existit.

Matth. 3. 9.

NOS EMERSIMVS.] Nota, hinc maximè retundi ineptam atque indiscretam inscitiam quorundam, qui diuinos hosce libros Apolinario adscribere non verentur, dum ex personis, quarum mentionem facit, minimè colligunt viri huius antiquitatem, sed eos falsò Dionysij nomine inscriptos tradunt; neque considerant, quomodò dicat, se ex idololatris conuersum fuisse: atqui Apolinarius ex talibus non erat oriundus.

QVOD IN PROMTV OMNIBVS.] Quoniam Deus naturâ sua bonus ad sanctitatem suam communicandam, & animam illuminandam, paratum se exhibet: cæterùm requiritur id quod partium est nostrarum, vt nimirum cognitionis eius participes esse desideremus, quo nostra libertas demonstretur, neque enim Deus malorum, quæ ab ipso separant, auctor existit. Constructio autem est huiusmodi: Cùm cæteris quoque gentibus non alieni quidam dij præfuerint, sed vnum omnium principium (atque ita etiam cætera intermedia construenda sunt) vt quod cæteris quoque gentibus vnus Deus imperarit, atque etiam tum per proprios Angelos dirigerentur.

MELCHISEDECH.] Nota quæ de Melchisedech traduntur, vt quòd Pontifex fuerit, & Angelorum ductu verum Deum agnouerit. *Sequentes* verò dixit, propter arbitrij libertatem, & nullam coactionem.

§. 4.

PHARAONI.] Nota, quòd per Angelos dicat in somniis Pharaoni & Nabuchodonosori exhibitas visiones, earumque explanationes seu interpretationes.

FAMVLI.] Dum Iosepho quidem Ægyptiorum, Danieli verò Babyloniorum Angeli, qui hisce gentibus præsidebant, Dei voluntate visiones reuelabant.

QVASI SORTITO.] Nota interpretationem verborum Cantici Moysis: *Quando diuidebat Altissimus gentes? quando dissemiuauit filios Adam, constituit terminos gentium, iuxta numerum Angelorum. Dei. Et fuit pars Domini populus eius Iacob, funiculus hereditatis eius Israël.* Non oportet, inquit, arbitrari, Deum cum aliis diis aut Angelis gentes partitum esse: neque enim Deo Israel, alij verò aliis Angelis seorsim, sortitò obtigerunt, ac si ipsi ad nihil aliud Domino Deo seruirent, quasi v.g. gens hæc huic Angelo sorte obtigisset, nec vlla huius gentis cura Deum tangeret, aut huius gentis Angelus nullâ in re aliâ Deo vacaret: sed neque æqualiter vel oppositè Deus hanc gentem, & quilibet Angelorum peculiarem quandam gentem suscepit, quemadmodum in Isaiâ dicitur, diabolum montes, id est, gentes ad Aquilonem, in se continere, ac Deo contrariari, & similem esse Altissimo, gloriatum fuisse: nam omnia subiecta sunt Deo, & ipse omnibus imperat; præ cæteris tamen honorat eos qui ipsum norunt: & idcircò ipsos gubernare dicitur, tametsi Angelum quendam præsidem habeant, vt Israël Michaëlem. atque ita quodammodò Deus, qui omnibus imperat, per excellentiam Deus Israëlis nuncupatur, vti & Israël populus ipsius. Dicimus itaque Deum omnium esse Deum: ad ipsum tamen accedentium, ipsumque solum adorantium meritò Deus dicitur; quoniam illi qui idola colunt, alios sibi deos fingunt.

Deut. 32. 8. Quomodo singulis gentibus Angeli præsint. Isai. 14. 13.

FACTVS EST PARS DOMINI.] Pulchrè interpretatur illud, *Fuit pars Domini Israël.* Oportebat itaque, quoniam Israël solus Deum cognoscebat, ipsum solum à Deo & Angelis eius curari. Verùm etiam in hoc immensa & inuestigabilis Dei misericordia demonstratur, quòd iis quoque qui non videntur esse partis eius, peculiarem Angelum gentis tutelarem præfecerit: *oriri* enim *facit solem suum super iustos & iniustos*, & rursum: *Nolo mortem peccatoris, quantum vt conuertatur, & viuat.* Sed quomodo, inquies, qui habent Angelos sibi in præfectos ac duces datos, recesserunt à Deo viuo, & idola adorarunt? Dicimus, omnem necessitatem ab iis qui Deum intuentur amotam, & eius loco liberum introductum arbitrium: Si quis igitur cum Deo versari appetat, ab Angelo protegitur atque dirigitur: *Nouit*, enim inquis, *Dominus viam iustorum*, & iterùm: *Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum.* Si quis autem contrariam viam eligat, non cogetur ab Angelo ad certi quidpiam faciendum: hæc enim viuendi ratio pecuaria potiùs est quàm

Matth. 5. 45. Ezech. 33. 11. Psal. 36. 18. Ibid. v. 25.

liberâ.

A Osee 4.

libera. Denique de Israële quoque dicit quòd peccauerit, & vitulum fabricarit. *Agnitionem*, enim inquit, *Dei repulisti, & post cor tuum ambulasti*, id est, voluntatem propriam prætulisti.

MICHAELEM.] Quoniam quoque Israël, etsi pars Domini fuerit, peculiarem tamen & ipsi Angelum tutelarem Michaëlem habuerunt.

VOLVNTARIE.] Hæc dicit propter propriam libertatem, & à violentiâ immunitatem.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§. 1.

RElIquum est vt etiam de nouissimo trino ordine dicamus, qui constat Principatibus, Archangelis & Angelis, è quibus concinnatur: ac primùm non abs re fuerit, pro virili explicare sacrorum eorum nominum significationes. Nomen itaque Principatuum, deiformiter & ad Dei similitudinem, principandi ac gubernandi potestatem declarat. Iam verò cùm ducatus etiam in ordine appareat, cum ordine inquam sacro, & istiusmodi Principatibus ac Virtutibus conuenienti, atque aliàs etiam ad verum ac super principalem principatum totaliter conuertantur: sicut enim lucidus existit qui ad solem conuersus est, ita quoque Principatus, qui ad principatum superprincipalem intuentur. Vel etiam aliter: Quoniam aliis, Archangelis inquam & Angelis, duces sunt istiusmodi conuersionis, adeoque ad superprincipalem illum ipsum principatum, ac cæterorum Principatuum auctorem & conditorem conformationis, &, secundùm Apostolum, ad inuisibilia ipsius creaturis intellecta conuertentur. Non possumus autem nosse supernaturalem illum omnium ordinum principatum. Appellantur verò Principatus, quòd principatum illum manifestent, potenter & habitualiter eum ad principalem talem ornatum ac statum obtinendo.

B *Quid Principatus nostri.*

C

§. 2. *Archangeli quales.*

Sanctorum verò Archangelorum ordo cælestibus quidem istis Principatibus æqualis est (nam vna est Hierarchia, ipsorum nempe Principatuum, & Archangelorum, atque ipsorum etiam Angelorum, atque idcircò ad vnum ordinem reducuntur. quid enim aliud sunt Archangeli, quàm ordo ex Principatibus & Angelis conflatus?) Verùm cùm nulla sit Hierarchia, quæ non primas & medias & postremas virtutes habeat, idcircò Archangelorum ordo; tanquam medietas, extremas quodammodò complectitur vtrarumque communicatione. Siquidem communicat Principatibus, quoniam ad superessentialem quoque Principatum, scilicet Deum, totaliter conuersus est, & ad ipsum efformatur sicut etiam Principatus: & quoniam Principatus ducendi & vnificandi vim habent, non permittentes ordines dissipari, Angelos etiam decoro ordine componunt. Angelis verò etiam communicant; quia etiam sunt ordinis interpretis, & per primas Virtutes illustrationes accipiunt. Etiam alio modo medij Angelis communicant; quoniam has diuinas illustrationes Angelis annuntiant, & per Angelos nobis manifestant: quamobrem etiam secundùm hoc Angelis communicant, quòd Angelis vtantur ad nostras manifestationes, iuxta conditionem eorum qui à Deo illustrantur. Ipsi enim Angeli, sicut de iis diximus, omnem cælestem ornatum complendo terminant, tanquam nimirum id quod vltimum est nouissimumque: complent enim etiam Throni, sed tanquam id quod primum est; & idcircò propriè nomen Angelicum obtinent, & præsertim quòd hominibus appropinquent, qui & propter illos diuina imitantur. Quin & eorum Hierarchia manifestior est, quia nobis non opus est iterùm aliis ad illustrationes & nuntia ab iis recipienda: aliàs enim & ipsi perquam occulti essent, nec vltimi ac circummundiales existerent. Nunc autem cùm nulli spiritus sint inferioris ordinis quàm ipsi, Angelorum ordinem postremum ac circummundialem existere necesse est. Exponit autem Sanctus hîc, quomodo dixerit Angelorum Hierarchiam esse manifestiorem, scilicet quoad nos: nam supremus ordo, vtpote secreto Deo appropinquans, magis occultè secundo ordini res sacras subministrat, secundus verò, qui est mediæ Hierarchiæ, vltimam Hierarchiam moderatur, manifestiùs quidem quàm primus, occultiùs verò quàm sequens; porrò vltimus ordo humanis hierarchiis præest. Ceterùm cùm tres ordines sint, illustrationes sibi mutuò manifestant. Verumtamen dicendum, quomodo primus quidem ordinis principatus sequenti simul manifestationem infuderit, & non alius per alium, & similiter secundus ordo; tertius verò, alius per alium nobis infundat illustrationes. Dicendum itaque, quòd in prioribus ordinibus, cùm tam dantes quàm accipientes Angeli sint, in illis secundùm naturam non magnam esse diuersitatem, vt toties opus sit quodammodò subdiuidi illustrationem, quò posterioribus captu facilis euadat. Hîc autem, cùm multum intersit inter nos & Angelos, idcircò alius per alium accipit illustrationem ac nuntium, vt faciliùs ita breui ad nos perueniat, manifestiùsque decretum Dei nobis declaretur. Idcircò ait hîc Sanctus, vt hoc ordine ad Deum sit ascensus per contemplationem, & conuersio per operationem, & communio per illustrationem necnon per gratiæ deificationem vnio. Habemus itaque per gradus adscensum ad Deum, & vt sit vicissim etiam secundùm ordinem à Deo inditus omnibus Hierarchiis ad nos processus, per bonitatem communicanter exundans. Idcircò etiam diuina Scriptura, Angelis ea quæ ad nos spectant, distribuit: quondoque enim Principem populi Iudæorum vocasse reperitur in Daniele Michaëlem, vti & alios gentium aliarum: quandoque verò ait, Statuit terminos gentium Altissimus iuxta numerum Angelorum Dei, vt in secundo Cantico Moysis inuenitur.

D

Angeli quales.

E

F

Eorum subordinatio.

§. 3. *Cur cùm omnes habeant G Angelos tutelares non sint omnes probi.*

Hinc soluit emergentem aliquam quæstionem. Quæstio autem hæc est: Quomodo, inquit, cùm boni Angeli gentibus præfecti sint, solus Israël Deum cognouit, alij autem idolis adhæserunt; Solutio verò est ista, quòd nimirum cæterarum gentium ad idola defectio deceptioque rectis Angelorum gubernationibus nequaquã imputanda sit (obserua verò, quomodo defectioni rectam gubernationem opponit,) sed illis ipsis, quòd propriis spontaneisque motibus à rectâ, quæ ad Deum ducebat viâ per amorem proprium refractarium deflexerint, & per suam peruicaciam ad id, cui diuinum quidpiam inesse arbitrabantur, colendum desciuerint. Non solùm enim ab eâ, quæ ad Deum ducebat, viâ deuiarunt, verùm etiam iis qui non erant dij pro placito suo cultum diuinum tribuerunt. Quod ipsum etiam Hebræorum populo contigisse memoratur, quando peccauit, & vitulum conflauit. Agnitionem enim Dei repulisti (quando nimirum à viâ Dei desciuit) & post cor tuum ambulasti (quando nimirum amore proprio peruicaciaque suâ diuinum cultum decreuerunt iis qui non erant dij.) Neque enim vita nobis est, cui vis illata aut imposita necessitas vt brutis, sed per rationem libertate prædita: neque rursus dicamus, propter illam ipsam libertatem nostram diuinæ prouidentiæ diuina lumina obtundi. Sed dictorum horum exemplum accipe à lumine solis: sicut enim ibi videre licet, in transparentibus quidem corporibus radiorum fieri distributionem, eoque magis vel minùs, pro subiecti ad lumen excipiendum capacitate; in crassioribus autem non similiter, sed aut omnino indistributè aut obscurè: id ipsum etiam in diuinâ illustratione inæqualitas liberæ propensionis operatur. Suppone enim, vitam nostram visionem esse spiritalem, sed inæqualem, propter arbitrij libertatem; diuinæ autem bonitatis illustrationem, vnam esse & eandem, superplenam, & indeficientem, & simplicem, & eodem semper modo se habentem: tunc vtique visionum libera propensio vel omnino incommunicatum reddit radium diuinum, iis nimirum qui reluctantur, propter quod omnino radius non distribuitur; vel diuersas facit participationes, paruas vel magnas, obscuras vel claras. Illud itaque, paruum & magnum, ad quantitatem refertur: & parua est gratia, forte eruditionis; magna prophetiæ. Illud autem, obscuras vel claras, ad qualitatem refertur, quando fortè prophetia duobus aliquibus obtingit; atque vni quidem plenior, alteri verò tenuior. Quin etiam quia cæteris gentibus (è quibus & nos emersimus)

Osee 4.

H

non alieni quidam & prodigiosi præfuerunt dij ad diffusum omnibus, qui vltrò per bonitatem eius participationem appetunt, diuini luminis infinitum pelagus, sed est vnus omnium principatus Deus; idcircò ad ipsum quoque Angeli, qui cuique nationi præfecti erant, eos qui sequebantur, liberè & non coactè adduxerunt. Testis est Melchisedech, qui quidem Rex Salem temporibus Abrahæ erat, verumtamen ex gentibus, & in medio gentium, Sacerdos Deo gratissimus est agnitus: non enim simplici modo ipsum Deo charum extitisse Scripturæ tradunt, verùm etiam Sacerdotem verè existentis Dei; ita vt omnibus intellectu præditis significent, ipsum non solùm Deo charum extitisse, verùm & alios quoque ad Dei amicitiam adduxisse, quod vtique ille fuit, licet vniversim & omnino, & apud omnes gentes Dei notitia defecisset.

§ 4.

Illud quoque pontificiæ tuæ scientiæ commemorabo (alloquitur Timotheum Ephesi Episcopum) quomodo etiam Pharaoni & Nabuchodonosori per Angelos, nationum præsides proprios, in somnis visiones sint exhibitæ, per quas omnium prouidentiæ ac Dominationis Dei cura iis insinuabatur: siquidem hic est Dominus, & prouisor, & Deus omnium, sicut etiam Paulus multis locis declarauit, dicens, Nunquid est Deus etiam gentium? imò & gentium, quoniam vnus est Deus. Verùm visiones quidem per Angelos, resolutiones autem aliunde, & non per hos; ita vt Dei famuli fuerint, Angelisque propinqui, qui somnia diiudicarunt, ita vt à Deo per illos eorum resolutio fieret. Ioseph enim soluit somnia Pharaonis super Ægyptios, Daniel verò Nabuchodonosoris contra Babylonios. Idcircò inquam, vnus est omnium principatus, adeoque vna prouidentia. Neque vllo modo putandum est, quasi Iudæis quidem sortitò Deus & propriè præfuerit, aliis autem nationibus præfuerint aut Angeli modo sibi proprio sine subordinatione, vel æquales Deo, vel Deo contrarij, vel etiam alij quidam dij. Quin etiam quod in Cantico Scriptura dicit, Et factus est pars Domini populus eius Iacob, funiculus hæreditatis eius Israël, secundùm hunc sensum accipiendum est, non quasi Deus mundum hunc nostrum cum cæteris diis Angelisve diuiserit, eique quasi sors Israël assignatus sit. Sed quomodo? Quòd nimirum ipsamet altissima rerum omnium prouidentia res omnes hominum, salutaribus quidem quoad ipsos, ad Deum verò sursum erigentibus manuductionibus, Angelis suis propriis commiserit, ex omnibus autem illis gentibus solus Israël ad veri Dei illustrationem conuersus sit. Vnde sacra Scriptura, significans quòd seipsum Israël ad veri Dei ministerium destinarit, Factus est, inquit, pars Domini. Vt autem iterùm ostenderet, quomodo etiam Israël, pariter cum cæteris gentibus, peculiari cuidam Angelo commissus fuerit, per quem ad Dei notitiam traduceretur, si ipse nimirum etiam vellet, Michaëlem in Ducem populi illius dedit; apertè hinc docens, vnicam esse omnium prouidentiam, quæ cunctis tam visibilibus quàm inuisibilibus præsit, omnesque ac singulas gentes peculiarem Angelum habuisse, qui eos, qui vltrò ac sponte sequerentur, ad Deum rerum omnium principium dirigeret.

Rom. 3. 29.

Deut. 32. 9.

CAPVT X.

Repetitio & conclusio Angelici ordinis.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Docet, sublimiores Angelos sublimiori quoque modo illustrari.*
2. *In illustrationibus seruari quoque subordinationem.*
3. *Omnes siue Angelos siue homines triplicem habere potentiam.*

§. 1. *Sublimiores Angelos sublimiori modo illustrari.*

CONclusum igitur à nobis, quomodo illa quidem antiquissima, quæ Deo proximò est, intelligentiarum distributio, ab ipsamet primitus initiante illuminatione consecrata, immediatè illi intendendo, secretiori simul & manifestiori diuini principatûs illustratione purgetur & illuminetur atque perficiatur. Secretiori quidem, quia spiritaliori magisque simplificâ vnificaque: manifestiori autem, quia primitiuâ primilucaque & vniuersaliori, ipsique (vtpote liquidiori) intimiùs infusa. Ab hac autem vt iterùm secunda pro suâ portione, & à secundâ tertia, & à tertiâ noster hic sacer ordo, iuxta primææ illius rectæ constitutionis legem, diuinâ prorsus harmoniâ congruentiaque ad superoriginalem omnis bonæ ordinationis originem & terminationem sacro quodam ordine promoueatur.

§. 2. *Subordinatio in illustrando.*

Singuli autem ordines sunt eorum qui præcedunt interpretes ac internuntij; primi quidem illi, motoris sui Dei, cæteri autem eadem ratione, motorum à Deo: adeò enim illa superessentialis rerum omnium harmonia cuilibet sacro tam rationalium quàm spiritalium creaturarum ordini, ratoque ductui consuluit, vt & ipsa singulis Hierarchiis decoros ordines statuerit, atque omnem Hierarchiam in virtutes primas, & medias atque postremas distributam esse videamus. Quin imò singulas, vt propriè dicam, spirituum descriptiones iisdem diuinis harmoniis discreuit, propter quod ipsos etiam diuinissimos Seraphim Theologi alterum ad alterum clamare aiunt; quâ quidem re, meâ sententiâ, manifestè declarant, primos participes facere secundos diuinarum rerum atque notionum.

Isai. 6.

§. 3. *Omnes tàm Angelos quàm homines triplici facultate pollere.*

Hoc quoque non immeritò possum addere, quamlibet cælestem & humanam mentem seorsum proprios in se continere & primos, & medios, & vltimos ordines atque facultates, quæ eodem modo, quo superiores singularum Hierarchiarum illustrationum proprij ductus, eluceant, quibus vnaquæque mens pro suo captu quàm nitidissimæ purgationis, copiosissimi luminis, absolutæque perfectionis fit particeps. Nihil est enim per se absoluteque perfectum, aut quod omnino perfectionis non indigeat, nisi quod per se reuerà perfectum est, & præperfectum.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§. 1.

PRIMITVS INITIANTE.] Primitùs initiantem causam [vocat] eam, quæ principium dat eorum initiationi seu perfectioni.

Supremus ordo à Deo immediatè gubernatur.

SECRETIORI QVIDEM.] Nota, ipsum hìc clarè significare, quam ob causam cælestium Virtutum ordines sint tales, vt vnus quidem supremus sit, alter medius, alter verò postremus: hoc enim ait propter ordinem supremum,, qui sunt Throni, Seraphim & Cherubim, qui ab ipsamet diuinâ cognitione illustrantur, eò quòd immediatè in ipsam intendant, nihilque ipsos anteuertat; atque ita [hic ordo] ab ipsomet diuino initiandi principatu expiatur & illuminatur atque perficitur. Cùm enim ita conditus sit, vt primus existat, neque expiatione, neque illustratione ei opus fuerit, cùm sic effictus sit, vt primo etiam ordine dignus existat. Alioquin vide quid paulò pòst vir hic diuinus dicat, quòd nimirum magis secreta sit, quia intelligibilior simpliciorque: ex his enim ampliùs liberum eorum arbitrium colligere licet. Nisi enim præ inferioribus magis se explicaret intelligeretque, nequaquam sanè ad Deum accederet: verùm cùm voluntariè Deo magis appropinquet, præstantiori modo expiatur & illuminatur atque perficitur, id est, perfecta operatur, scilicet quæ Deum tangunt. Atque hoc arbitror Scripturam insinuare [cùm ait:] *Accedite ad eum, & illuminamini; & facies vestra non confundentur.* Ita etiam de cæteris Virtutibus intellige, nempe quamlibet pro captu suo Deum cernere; quod clariùs explicat in fine Capitis.

Ps. 33. 6.

§. 2.

INTERPRETES.] Quoniam omnes Angeli lumina ad se à superioribus delata inferioribus manifestant. Subaudienda est vox *interpretes.* Cùm autem dicit, *à Deo motorum* [intellige] primi ordinis Seraphinorum.

§. 3.

SERAPHIM] Idcircò de Seraphim diuinus Hymnus ait alterum ad alterum clamasse; quia nimirum primi secundis diuina mysteria annuntiant.

NON IMMERITO.] Ex rudioribus institutionibus (quod lactis potationem vocabat Apostolus) ad media, & ex his ad maiora siue perfectorum cibum ascendens, postremum ordinem virtutemque manifestat. Licet verò, hæc etiam aliter secundùm locum intelligere: ac primam quidem dicere, ad id quod supereminet intentionem; mediam autem, circa ipsum conuersionem ac conuolutionem; postremam verò, imbecillioris adductricem, quod potiùs de Angelis intelligendum est.

In omni Hierarchiâ esse primos, medios & postremos ordines.

ET PRIMOS ET MEDIOS.] Vniuscuiusque nostrûm mentem primos & medios & postremos ordines habere, vt in Deo tres hosce ordines intelligat, sic accipiendum est, quòd omnis mens habeat substantiam, secundùm quam primùm existit; deinde etiam virtutem, secundùm quam perseuerat; postremò autem efficacitatem, secundùm quam quæ sua sunt agens, pia est. Hæc etiam in Capite sequenti declarat. Vnde licet hinc apertè ac sine contradictione inferre, nos paulò antè vera scripsisse. Ecce enim quomodo dicat, vnamquamque cœlestem atque humanam mentem primas & medias extremasque habere sublimationes, secundùm quas vnaquæque diuinarum & hierarchicarum illustrationum particeps efficitur. Primum quidem, quia hominum virtutumque supernarum ordinem æqualem esse dixit, neque hominem vllum, siue Prophetam, siue iustum nouimus, qui non habuerit peculiarem rationem aliquam ad Deum accedendi. Vide enim quid dixerit is qui vsque ad tertium cœlum peruenit: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Deinde clarè hîc etiam astruit liberum arbitrium Angelorum, & peculiare propensionis eorum desiderium. Ne autem contentiosorum quispiam rixetur, tamquam pro conclusione ait, nihil esse non indigum, & per se siue à seipso perfectum, nisi solum Deum, adeò vt Angeli hominesque profectu perfectioneque indigeant.

1. Cor. 9. 27.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§. 1.

REpetit hîc Sanctus ea quæ dicta sunt, & ait: Conclusum igitur à nobis, quomodo illa quidem antiquissima (non secundùm tempus, sed secundùm ordinem) omnino distributio earum quæ circa Deum & in circuitu Dei sunt intelligentiarum (iuxta illud, *in circuitu ipsius tabernaculum eius*; etsi etiam super omnem terminum & infinitatem sit Numen diuinum) ab ipsâmet primitus initiante illuminatione & ceterarum initationum causâ consecrata (eò quòd non sit alius ordo ante ipsam, sed ipsamet immediatè ad eam extendatur, attracta quodammodò ab ipsomet per se bono, & naturâ bono quod omnia appetunt; hoc enim est extendi: non enim ineffabilis ille radius illucens permittit ipsam solitariam & quodammodò dormitare (purgatur, & illuminatur atque perficitur secretiori simul & manifestiori diuinâ illustratione. Vnde etiam patet, quòd sub ordine vberiorem habeant illustrationem. Si enim ita condita esset illa distinctio, vt omnino prima esset, neque purgatione neque illuminatione opus haberet, cùm ita formata foret, vt primo ordine digna esset. Secretiorem autem & manifestiorem eandem vocauit illustrationem, quæ vtique circa idem videntur quasi esse contraria. Quod enim occultum est, non est manifestum; & quod manifestum, non est occultum, iuxta eundem modum. Etsi enim etiam contraria sunt respectu eiusdem, ad aliud tamen atque aliud intelliguntur. Occultior quidem est nobis, quia spiritualior; spiritales enim sunt superiorum ordinum illustrationes: spiritualior autem est illa primæ distributionis nobisque ignotior; idcircò etiam simplifica (vt quæ non cognoscitur per aliquam è rebus nostris terrenis, quæ compositæ sunt) quin & vnifica. Quantum enim à materiâ mens nostra recedit, tantundem ad vnum tendit, & immaterialiùs, vt ita quis dixerit, rem intellectilem comprehendit. Ecquid dico in his, cùm id sensui quoque accidat quoad res sensiles; siquidem eminus quidpiam videntes, putamus illud vel animal esse, vel fortè lapidem, vel arborem, vel quid aliud; appropinquantes verò cognoscimus esse animal, & quidem tale animal, hominem verbi gratia, & hunc hominem. Sic pueri primùm omnes viros patres vocant, matresque fœminas, posteà verò horum cognitio vnificatur, agnoscuntque veros parentes. Vides quomodo sensus vnificetur: idem etiam menti accidit, dum ad res intellectiles accedit. Verùm hinc suboritur necessaria dubitatio, qui sensus circa id quod vicinius est magis vnificetur, mens verò circa remotius, & quod ipse vocat occultius. Ac liceat dicere, illud verè menti propinquius esse, quod omni materiali compositione sensationeque superius est; quoniam id menti mentisque operationibus est conformius. Menti enim sunt remotiora, quæ sensui quodammodò subiacent. Secundùm hanc itaque proportionem (cùm occultior intelligibiliorque sit primorum illustratio, sequentium illustrationibus comparata) ipsa magis vnifica est, adeoque secundùm nos quidem mentemque nostram obscurior & occultior, simul tamen illi, qui illustrationem eam excipit, manifestior: siquidem primigenia primilucaque & integrior est illustratio quæ ad eam diffunditur. Etsi autem ipsa superplena sit, attamen pro suscipientium conditione variatur: idcircò enim addidit, Et quasi liquidior, vt indicaret, subiectorum diuersitatem, variationem quandam adferre illustrationi. Ab hac autem primâ dispositione iterùm secunda pro suâ portione, & à secundâ tertia & à tertiâ nostra hæc Hierarchia, quam non humanam dico (quoniam & ipsa diuina est, diuinasque suscipit illustrationes) sed eam quæ apud nos homines diuinâ gratia consecratur. Quid porrò à primâ secunda, & ab hac tertia, & ab illâ nostra hæc accipit; Quòd in sacris omnino dirigatur. Bona verò Hierarchiæ expiationem, illuminationem, perfectionem, quælibet à Deo per primam accipit. Secundam itaque à primâ in sacris regi, vocat hierarchicè adduci ad superprincipale principium, atque omnis rectæ ordinationis consummationem: diuinum enim Numen bona cuncta terminat ac definit, quia nihil extra ipsum boni est, vel dicitur, vel vnquam cogitatur. Fit autem hoc iuxta benè ordinati ordinis principatûs sanctionem: quia licet ab his adducantur, attamen ab ipso Numine accipiunt illustrationes, quod est principium & causa omnis ordinis, non tantùm primi, sed & secundi, & tertij, & si quis sit alius. Ista enim lex est, vt ita quis dicat, adductionis immutabilis & benè ordinata, vt ab ipsâ res conseruentur ac perficiantur, etsi per alias quasdam id in ipsis fiat.

Cur supremi Angeli simpliciores & claras habeant illustrationes.

Qualis sit subordinatio Hierarchica.

§. 2.

Manifestatorij autem sunt omnes, etiam ipsi Angeli, siue ordo postremus: progrediendo enim de ipsis Angelis solis loquitur, modò autem etiam de tribus ordinibus. Interpretes itaque sunt eorum qui præcedunt, manifestant enim per alios voluntatem Dei, quæ ipsis à prioribus erat manifestata, & his iterùm per alios. Ac primi quidem internuntij sunt motoris sui Dei; sequentes verò, quos & reliquos vocat (scilicet ordo secundus) interpretes sunt eorum qui ex Deo moti sunt. Habes itaque tres ordines cœlestium Virtutum. Tantum autem curæ fuit bono Deo, superessenciali inquam concinnitati & ordini: (Principes enim suos Lacedæmonij Concinnatores appellabant, tanquam quidlibet concinnantes ac ordinantes;) vniuersorum itaque Deo (qui non simplex concinnator est, sed ipsamet concinnitas superessentialis) tanta cura fuit cuiuslibet sacræ cœlestium ordinationis, vt & ordinem habeant & adductionem, vt per priores posteriores adducantur; quoniam vnicuique Hierarchiæ tres sacros ordines constituit. Habet enim prima Thronos, Cherubim & Seraphim, & sequentes aliæ similiter existunt, & distinguuntur in primas & medias & postremas virtutes. Adhæc considera, minutiorem esse illarum distributionem; quoniam iterùm vnamquamque peculiariter dispositionem abusiuè distributionem appellauit: siue vnumquemque ordinem cuiuslibet trini ordinis iisdem congruentiis, ordinibusque distinxit. Hoc autem Sanctus asserit, demonstrationem mutuando ex Prophetiâ Isaiæ: quoniam ibi diuinissimi Seraphim alter ad alterum clamant incessabilem illam hymnologiam,

Scripturâ hinc demonstrante, primos sequentibus theologicas ipsas notiones communicare. Theologicam autem notionem vocat Hymnum illum, in quo ter Sanctus pronuntiatur; etenim tres sanctas hypostases in vnicam dominationem ac Deitatem coëuntes ipsi didicerunt, & nos per illos discimus.

§.3.

Adhæc addit etiam subtiliorem demonstrationem benè ordinatæ in omnibus constitutionis, aitque, quamlibet per se cælestem ac humanam mentem peculiares habere primas & medias ac postremas virtutes, in ordine ad dictas adductiones ac manifestationes: intellige expiationem, illuminationem ac perfectionem; sic enim etiam proportione apparēt illustrationes, secundùm quas quilibet, quoad illi fas possibile est, particeps fit Dei. Quantum enim proprio cuique ordini competit, tantundem etiam de ipsiusmet boni Dei expiatione, illuminatione, ac pefectione consequitur. Est itaque Dei quoque expiatio plusquam purissima, lumenque supra quàm plenum, perfectióque præ perfecta. Cùm autem tectæ illustrationes infinitæ sint, secundùm vnamquamque illustrationem quælibet mens cœlestis primum expiatur, deinde illustratur, ac posteà perficitur. Nihil enim absurdi est, si is qui secundùm quid perfectus est, secundùm aliud expiatur; & si secundùm quid illustratus, secundùm idem quidem perficitur, secundùm aliud verò iterùm expiatus illuminatur: nihil enim per se perfectum, vel quod non indigeat perfectione, nisi quod per se verè perfectum, verè præperfectum est. Atque ita quidem mens cœlestis particulares hos tres ordines habet atque virtutes. At quomodo etiam mens humana iis prædita est, cùm existat quoque secundùm motum Dei; neque enim de mundanis motibus nobis sermo est. Modò dicimus, omnem mentem habere essentiam, secundùm quam primum est; deinde etiam virtutem, secundùm quam potens est; postremùm verò operationem, secundùm quam, ea quæ sibi propria sunt agendo, pia est: hæc etiam in sequenti Capite declarat. Cæterùm neminem omnino, neque Prophetam, neque iustum cognoscimus, qui non opus habeat propriâ cooperatione atque oratione, vt appropinquet Deo. Aduerte enim quid dicat is qui ad tertium vsque cœlum peruenerat: *Castigo corpus meum; & in seruitutem redigo; ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Atque hic est primus & medius ordo; nam castigatio carnis primus est, secundus verò subactio effrenatæ cupiditatis, probitas verò postremus atque perfectus. Vel etiam quia à simplicioribus doctrinis, quas lactis potionem Apostolus vocauit, ad medias, & ex his ad maiores siue perfectorum cibum adducimur; quod etiam in Euangeliis Dominus significat ad sanctos Apostolos dicens: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.* Obserua quoque, si placet, sancti Spiritûs in Apostolis susceptionem: datus enim fuit primùm propter signa, deinde verò per insufflationem, ac tertiâ vice in linguis igneis substantialiter, vt ita quis dicat, secundùm magnum Theologum Gregorium. Hæc autem est perfectio. Liceat id quoque aliter considerare, ac primum quidem ordinem dicere, ad id quod superius est extensionem; medium verò, ad idem conuersionem atque collectionem; postremum verò eum, qui quod demissius est erigit. Nisi enim quis amando ad diuina extendatur, non ad illa conuertetur ac colligetur, atque adeò etiam non adducetur. Nam nisi cor calefactum fuerit ex assiduâ circa rem dilectam meditatione & conuersione collectionéque, non accendetur ignis eleuationis ac perfectionis, iuxta illud, *Calefactum est cor meum intra me, & in meditatione meâ exardescet ignis*: quod menti quoque cœlesti quadrabit.

Angeli à quibus expientur, & quos expient.

Omnes opus habemus expiatione.

1. Cor. 9. 27.

Ioan. 16. 12.

Ps. 38. 4.

CAPVT XI.

Cur omnes cælestes naturæ communi nomine Virtutes cælestes appellentur.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Docet, cælestes omnes spiritus non eadem ratione virtutes quâ Angelos vocari.*

2. *Nomen hoc commune virtutum non introducere confusionem ordinum ac proprietatum, sed sicut omnes essentiâ, virtute & operatione constant, ita modò quidem essentias, modò verò virtutes & energias nuncupari.*

§.1. Psal. 23. Psal. 79. Ps. 102.

His ita definitis, illud consideratione dignum, cur omnes simul Angelicas essentias, Virtutes cælestes appellare soleamus. Neque enim, vt in Angelis dicere possumus, sanctarum illam virtutum nouissimam esse distributionem, atque superiorum quidem essentiarum dispositiones, sanctam & decoram nouissimarum illustrationem participare, secùs quam vltimæ primarum; ob eamque causam, cælestes quidem virtutes omnes, diuinos spiritus appellari, Seraphim autem & Thronos atque Dominationes nullo modo; nouissimæ siquidem superiorum proprietates haud vniuersim participant. Angeli itaque, & ante Angelos Archangeli & Principatus ac Potestates, cùm post Virtutes à Theologiâ collocentur, frequenter à nobis vnà cum aliis naturis sanctis, cælestes passim virtutes appellantur.

§.2.

Cælestes Spiritus diuidi in essentiā, virtutem & operationem.

Verumtamen negamus, nos, cum communi cælestium Virtutum nomine in omnibus vtimur, confusionem vllam cuiusque ordinis proprietatum introducere: sed quoniam in tria omnes diuinæ mentes cælesti ratione suâ diuisæ sunt, in essentiam videlicet, & in virtutem, & in operationem, cùm omnes, aut aliquas earum, indiscriminatim cælestes essentias, vel cælestes virtutes appellamus, eas, de quibus sermo est, circuitione describere putandi sumus, ex eâ quæ singulis earum inest essentiâ, vel virtute. Neque enim fas sit eminentem illam sanctarum virtutum proprietatem, à nobis iam ritè digestam, inferioribus naturis vniuersim attribuere, vnde inconfusus ille Angelicarum distinctionum ordo perturbaretur. Iuxta enim rationem iam à nobis sæpè redditam, superiores istæ distinctiones inferiorum quoque sacras proprietates abundè continent, nouissimæ verò antiquiorum eminentibus istis vniuersitatibus carent, primitiuis istis illustrationibus in illas pro cuiusque captu partiliter deriuatis.

SCHOLIA S. MAXIMI.

§.1.

Neqve enim vt in Angelis dicere possvmvs.] Nam Virtutes sunt secundæ ac mediæ triadis post Dominationes ordinatæ? ita vt, non quòd postremæ sint, omnes ordines vocati sint Virtutes, sicut in Angelis.

Novissimarvm.] Quoniam superiora habent ea quæ nouissimorum sunt, nouissima tamen non habent ea quæ sunt superiorum; vti quoque superiùs dictum est; nempe prima totalem habere illustrationem, postrema verò partialem, vti postmodum tradit. Idem etiam in Ecclesiâ vsu venit: siquidem Sacerdos potest obire omnia munia inferiorum, v. g. Diaconorum & sequentium; Diaconis autem Sacerdotum munere fungi nefas est; nostram enim Hierarchiam cælestem ordinem imitari suprà diximus. Pulchrè autem apposuit totalem; nam participant partialem. Constructio hæc ab istis verbis, *Neque enim dicere possumus*, huc vsque connectenda est, & principium quæstionis faciendum.

Superiores habēt quidquid inferiorum est, non contrà.

§.2.

Dicimvs avtem.] Quomodo omnes dicantur Virtutes: postremus enim ordo Principatuum & Archangelorum, & Angelorum est, qui tamen etiam aliquandò Virtutes appellantur.

In essentiam et virtvtem.] Tamquam in exem-

plo

plo dicendum, essentiam v. g. appellasse, naturam ignis; virtutem verò eius, vim illuminandi; operationem denique, ipsiusmet effectùs absolutionem, scilicet illuminationem & combustionem.

VEL CÆLESTES VIRTUTES APPELLAMUS.] Nomen *virtutum* est æquiuocum: nam sic appellatur ordo proprius, scilicet secundus mediæ trinæ distributionis atque etiam in communi omnes ordines, vt qui virtutem quoque aliquam habeant.

INFERIORIBUS.] Subaudiendum *putandi sumus*. Nota, quomodo superiùs quidem dixerit, ordines Angelicos trifariàm diuidi, scilicet in essentiam, & virtutem & operationem; hic autem assignet rationem, ob quam omnes Virtutes appellentur.

Inde Angeli virtutes suas obtinent.

ABUNDE CONTINENT.] Videtur hic quodammodò dicere, Angelicas dispositiones per creationem secundùm digoitatem suam ordinatas esse, non tamen clarè id exponit: siquidem in præcedenti Capite manifestè dicit, eorum desiderium & intellectionem ipsis causam esse ordinis sublimioris quatenus nimirum ipsas expiari, & illuminari ac perfici aiebat. Liceat itaque per coniecturam piè dicere, Deum desiderij ipsarum motionem præuidisse, atque ordines earum pro ipsarum dignitate produxisse: vnde nemo dixerit, eas excidere potuisse, quoniam præ vehementi voluntate habitum quemdam ad bonum obtinebant: Angelos verò, scilicet postremos, forsitan ad malum etiam præuerti potuisse? siquidem ipsos circamundiales appellauit. Ex quibus etiam arbitror diabolum extitisse, antequam corrueret. Quòd si quis perfectius istis aliquid nouerit, discere postulo. Nota verò, quomodo secundùm ordinem Angelicæ dispositiones per creationem productæ fuerint.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ

§.1. Superiores posse quidquid inferiores, non contra.

HIs ritè definitis, illud indagatione dignum, cur omnes simul Angelicas essentias, virtutes cælestes appellare soleamus. Neque enim id dicere quis possit, quod de Angelis diximus, superiores nimirum integrè habere illa quæ sunt inferiorum; verùm inferiores, licet ex parte, non integrè tamen habere illa quæ superiorum sunt. & idcircò, cùm postremi sint Angeli, superiores omnes Angeli vocari sunt nomine inferiorum: ita etiam in Virtutibus sanctis se rem habere quòd nimirum vltima distributio sanctarum sit Virtutum, atque idcircò mentes omnes integrè habeant quæ illarum sunt, atque inferiori nomine Virtutes appellentur, Seraphim autem & Throni ac Dominationes nequaquam nuncupentur: postremæ enim superiorum proprietatibus, maximè totalibus, & quæ non ex parte sunt (nam quod ex parte est habent, velut ad vnum principatum adductæ) minimè communicant. Quod etiam in Ecclesiâ locum habet; quoniam quoque nostra Hierarchia cælestem ordinem imitatur. Nam Sacerdos potest facere quæcunque ordines inferiores, scilicet Diaconi & sequentes; verùm non permissum est Diacono Sacerdotum munia peragere. Non itaque idcircò quis existimet, omnes Angelicas essentias Virtutes appellari, quòd fortè Virtutes vltimi sint ordinis: nam Angeli, & ante hos Archangeli & Principatus, atque insuper in secundo ternario Potestates, post Virtutes à Theologiâ collocantur; attamen in communi etiam hi ordines inferiores, Virtutes appellantur.

Dicimus itaque nos, cùm communi virtutis nomine in omnibus vtimur, nullam confusionem ordinis cuiusquam introducere, vt v. g. modò quidem propriè Virtutes appellemus eas quæ in secundo ordine secundæ sunt, modò verò omnes ordines cælestes: verùm hoc nomen Virtutis est æquiuocum; nam tam ordo proprius quàm in communi omnes ordines ita nominantur, vtpote aliquâ virtute præditi. Cùm itaque pro sublimi suâ ratione in tria diuidantur (nam sublimia sublimiter, & supermundialia supramundialiter distingui debent) diuiduntur, inquam, diuinæ mentes in essentiam, in virtutem, & operationem? ita vt, exempli gratiâ, essentia quidem sit natura ignis, virtus verò vis illuminandi & vrendi,

Diuisio spirituum supernorum.

operatio denique virtutis complementum, quale est illuminare & vrere. Cum itaque sæpenumerò etiam ab essentiâ nomen accipiant, vt quando mentes vel spiritus vocantur? quandoque etiam ab operatione nominentur, vt cùm Angeli nuncupantur: non immeritò etiam à virtute Virtutes appellantur. Quando igitur omnes vel aliquas earum sine vllâ obseruatione cælestes essentias vel cælestes virtutes appellamus, existimandum est, nos illos insinuare ac demonstrare de quibus nobis sermo est, secundùm phrasim aliquam abundantem: pro eo enim quòd diceremus Angelos, dicimus Cælestes essentias, vel cælestes virtutes, ex communi illorum essentiâ, vel etiam virtute quæ in singulis relucet. Nequaquam autem existimandum est, nos ritè digestarum sanctarum Virtutum proprietatem inferioribus essentiis attribuere (superpositæ vtique sunt superiores Virtutes inferioribus.) Hoc enim dico, ne quis qoid simile existimet, quasi inferioribus superiores coæquemus. Atque hinc soluimus illam quæstionem siue doctrinam, quomodo cælestes ordines vulgò Angeli appellentur. De superioribus autem, adeo que de ipsis Virtutibus, nullus mihi sermo est, tametsi hæ quoque Virtutes nuncupentur; ipsæ siquidem tanquam superiores ea quæ sunt in inferioribus vniuersim habent, verùm inferiores nequaquam vniuersim, sed tantùm ex parte habent ea quæ superiorum sunt. Vnde non euertimus hanc nostram qualemcunque doctrinam: nam iuxta rationem quam sæpè de his dedimus, superiores quidem inferiorum proprietates habent, verùm eminenter, vt etiam quid amplius habeant? postremæ autem superiorum totalitates nequaquam obtinent, sed per primas primilucæ illustrationes in inferiores pro earum captu transfunduntur. Videtur autem quodammodò hic dicere, secundùm dignitatem Angelicas dispositiones per creationem ordinatas esse, non tamen manifestè hoc exponit: suprà enim præcedenti Capite clare dicit, earum affectionem & intelligentiam esse causas superioris ipsarum ordinis, videlicet quia dixit ipsas expiari, & illustrari, & perfici. Licet itaque per coniecturam piè dicere, Deum, affectionis eorum motu præuiso, dignos ipsarum ordines produxisse, ex quibus nemo dixerit, ipsas dilabi potuisse, eò quòd affectum quendam ad bonum habuerint per vehemens desiderium. Hoc est ex sancto & magno Maximo. Angelos autem, id est, postremos ornatus, permisit fortassis etiam ad malum conuerti; dixit enim eos circa mundum affici: è quibus arbitror diabolum etiam fuisse antequam corruisset. Si quidem aliquis perfectius istis quid nouerit, discere postulo. Hoc etiam esse puto diuinissimi sapientissimique Maximi.

CAPUT XII.

Cur hominum Antistites Angeli vocentur.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Petit, cùm inferiores ordines superiorum perfectiones non attingant, cur à Malachiâ cap. 2. 7. Sacerdos dicatur Angelus Domini omnipotentis.

2. Respondet, inferiores, licet ad æqualitatem superiorum perfectiones minimè attingant, eorum tamen similitudinem imitando exprimere, & officium æmulari, & hinc etiam nomen participare.

3. Confirmat id ex eo, quòd tam Angeli quàm homines ob eandem causam quandoque etiam Dij appellentur.

§.1. Malach. 2. 7 Apoc. 1.

CÆterum & hoc à sedulis Eloquiorum spiritalium contemplatoribus quæritur: Etenim si quæ nouissima sunt, totas superiorum suorum rationes minimè attingunt, quam ob causam noster Antistes Angelus Domini omnipotentis ab Eloquiis denominatur?

§.2. Inferiores non integrum participant.

Hæc autem ratio non aduersatur iis quæ antè definita sunt: dicimus enim, nouissimas antiquiorum dispositionum integram & eminentem virtutem non attingere; nam partis etiam pro captu suo sunt participes, secundum

vnam

Superiorum facultates. vnam omnium concinnam collectamque communionem. Exempli gratiâ; sanctorum Cherubim ordo sapientiæ scientiæque altioris particeps, naturarum autem illis subditarum distributiones sapientiæ quidem & ipsæ cognitionisque compotes existunt, verumtamen duntaxat partialis pro captu suo & inferioris ordinis. Atque vniuersim quidem sapientiæ cognitionisque participem existere, commune est omnibus deiformibus intelligentiis; verùm continenter & immediate, primòve vel secundo inferiorique gradu, non est iam commune, sed prout cuilibet pro cuiusque captu fuerit distributum. Hæc vtique de omnibus quoque mentibus diuinis qui statuerit, minimè errabit: sicut enim primæ eminenter sacrosanctas inferiorum continent proprietates, ita quoque vltimæ priorum, licet non pari, sed inferiori gradu. Nihil igitur absurdi sit, vt puto, si nostri ordinis Antistitem Theologia quoque Angelum appellet, vt qui pro virili parte Angelicam etiam docendo participet proprietatem, atque ad eorum similitudinem quantum in hominibus est, per interpretandi munus accedat. *Antistites cur Angeli dicantur.*

§. 3. Psal. 94. Gen. 32. Psal. 81. Exod. 7. Quo sensu Angeli & homines Dij dicantur. Quin imò reperias, Theologiam quoque Deos appellare cælestes illas supernasque substantias, viri & sanctos, qui apud nos sunt, viros Deoque amicissimos; cùm tamen arcanus ille Dei principatus superessentialiter omnibus emineat, vt supra omnia locatus, nihilque illi propriè atque ex toto simile in rebus vel esse, vel nominari possit; verumtamen quæcumque seu spiritalium seu rationalium creaturarum ad eius vnionem, quantum valet, integrè conuersa fuerit, & ad diuinas eius illustrationes, quoad potest, indesinenter intenderit, quod pro virili, si dictu fas est, Deum imitetur, diuino quoque nomine condecoratur.

SCHOLIA S. MAXIMI.

§. 1. QVÆRITVR.] Quomodo nostri Sacerdotes Angeli vocentur.

§. 2. DICIMVS ENIM INTEGRAM.] Nota, postremos, licet ab integrâ supremarum virtutum perfectione deficiant, earundem tamen cùm sapientiæ tum cognitionis etiam ipsos ex parte participes existere.

INFERIORVM.] Quæ sit totalis sapientia atque participatio, & quæ sit partialis. Quòd autem ait, *secundum propriam virtutem*, intelligendum est hoc loco de præeligendi facultate.

DISTRIBVTVM SEV DEFINITVM.] Nota, illud *definitum*, non vti multi dicere solent, fatum aliquod vel ineuitabilem necessitatem designare; verùm, illud *definitum* ponitur hic pro distributum, nempe secundùm aliquam virtutis proportionem, v. g. mentis, supra quam intelligere non oportet.

§. 3. INVENIES.] Quomodo etiam Angeli, hominesque pij, communi nomine Dij appellentur, iuxta illud, *Ego dixi, Dy estis.* *Psal. 81. 6.*

EXEMPTÆ.] Quomodo, qualiter, & secundùm quid diuinis nominibus condecorentur.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ

§. 1. Malach. 2. 7. REperit hic Sanctus, à diuinissimo Malachiâ quoque nostrum Pontificem Angelum Domini esse nuncupatum, Quia, inquiente, Angelus Domini omnipotentis est. Cùm itaque ostendit, inferiorum nomine superiores meritò nominari, demonstrando, quânam ratione cælestes omnes ordines in communi Angeli vocentur; vbi quorundam de cælestibus virtutibus opinionem soluit, quòd etiam secundùm quandam aliam æquiuocam virtutem quâ pollent, omnes ordines, tam superiores quàm inferiores, Virtutes appellentur; quærit hîc etiam, quomodo noster Pontifex, cùm inter cælestes omnes ordines postremus sit, superioris quoque nomine vocetur, eique Angelus appelletur. *Cur noster Pontifex Angelus appelletur.* Quæritur itaque a sedulis contemplatoribus sacrorum Oraculorum, quæ de rebus intellectilibus loquuntur, quemadmodum in decimoquarto Capite spiritualem præfecturam vocat, præfecturam rerum spiritualium. Cur autem hic Oracula vocat intellectilia, ibi verò præfecturam spiritalem? quia licet Oracula sint de rebus spiritalibus, non tamen rectè vocantur spiritalia vel mentalia; quoniam non sunt spiritus ac mentes, & Oracula mente diriguntur. Angelorum autem præfecturam vocat spiritalem, quia rebus spiritalibus intendit, & mens quæ intendit spiritalis est. Quæritur itaque à studiosis Oraculorum contemplatoribus, qui omnino illo quod apparet profundiora rimantur: siquidem spectatores sunt qui illud tantùm quod obuium est speculantur, studiosi verò contemplatores sunt, qui amorosè circa visionem afficiuntur, eiusque & quid ampliùs cognoscendi desiderio tenentur. Hæc ergo quæstio est: Si ea quæ nouissima sunt superiorum integras proprietates minimè attingant, quam ob causam noster Antistes Angelos Domini vocatur?

§. 2. Soluit hic igitur quæstionem, & dicit, hoc non esse contrarium iis quæ antè definita sunt. Dicimus enim, postremos superiorum integras propietates non obtinere, sed ex parte, pro virium suarum captu, earundem participes existere; quoniam omnes sub vnius sunt dominatu, & secundùm hunc omnes componuntur ac coniunguntor. Exempli gratiâ, Cherubim participes sunt sapientiæ sublimioris atque scientiæ, inferiores verò & ipsæ sapientiam cognitionemque participant, sed respectu illorum partialem. Atque vniuersim quidem hanc participare, commune est tam Cherubim quàm aliis: verùm primitus & continenter, vel etiam secundariò & inferiori gradu, non est iam commune sed prout cuilibet, pro cuiusque captu, fuerit definitum. Dixit autem *definitum*, non fatum aliquod aut ineuitabilem necessitatem indicans, quemadmodum multi dicere consueuerunt; sed limitatam aliquam virtutis, fortè mentis, proportionem; supra quam nihil oporteat cogitare. Hoc autem quod de Cherubim, & eis qui sub ipsis sunt, dictum est, si de aliis quoque quis dixerit, non errabit. Quemadmodum enim primi plenissimè habent ea quæ inferiorum sunt, ita quoque vltimi priorum, verùm non æquali, sed inferiori gradu. Nihil igitur absurdi sit, vt puto, si noster quoque Pontifex Angelus dicatur, vt qui secundùm virtutem propriam Angelorum participet proprietatem, quæ res diuinas interpretatur; in quo munere perficitur, adeoque ad Angelorum interpretandi similitudinem extenditur, quantum videlicet hominibus fas est, & non quantum Angelis competit. Quemadmodum enim Angeli diuinam exponunt voluntatem, sic etiam Pontifices per doctrinas suas. Quòd si etiam opere, iuxta illud, Quæcunque fecerunt, & quæ docuerunt, hoc melius atque perfectum est.

§. 3. Quin etiam reperies, aliud quoddam perquam sublime nomen tam Angelos quàm homines Deo gratissimos habere, ab ipso nimirum Deo, qui illis sine comparatione præcellit: nam arcanus ille Dei principatus superessentialiter omnibus eminet, supraque omnia locatus est, minimeque talis est, vt ex rebus creatis quidpiam ei simile vel esse vel omnino dici queat, prout ea ab inferioribus denominari supponitur. Quodnam verò est nomen? *Ego dixi, Dy estis, & filij Excelsi omnes:* hoc de hominibus dictum & iterùm etiam de Angelis & de hominibus, *Deus stetit in Synagoga deorum; in medio autem deos dijudicat.* *Psal. 81. 6. Ibid. 1.* Quid dicemus de hoc, nisi quòd spiritales omnes Angeli hominesque rationales ad vnionem eius totaliter conuersi sint, (*Diliges enim*, inquit lex, *Deum ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ, & ex totis viribus tuis*) & ad diuinas eius illustrationes, quantum scilicet fieri potest, expanduntur; idque indesinenter, ne contrario aliquo bonum intercipiatur: terminus enim virtutis nulla est, iuxta illud, *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* *Deut. 6. 5. Psal. 118. 96.* Eiusmodi itaque diuino quoque nomine condecorantur propter diuinam, si dictu fas sit, pro virili imitationem, Deum enim, quantum homini possibile est, imitando diuinum quoque nomen merentur.

A

CAPVT XIII.

Cur à Seraphim purgatus fuisse dicatur Isaias Propheta.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Quærit cur non infimi, sed supremi ordinis Angelus Isaiam expiasse dicatur.*

2. *Respondet, dici posse probabiliter non fuisse Seraphinum, sed hoc nomine appellatum, ob modum expiandi per ignem.*

3. *Refert alteram sententiam, qua censet hunc Angelum fuisse quidem ex inferiori ordine, sed expiandi munus supremo isti ordini attribuisse, quòd virtute eius expiaret; sicut verbi gratiâ, Summus Pontifex dicitur ordinare per Episcopos, & baptizare per Sacerdotes, quia ipsi potestate ab ipso acceptâ id faciunt; quam sententiam magis probat.*

B

4. *Describit visionem Isaiæ 6. vbi vidit Dominum in throno sedentem, & Seraphim in circuitu eius, & narrat quomodo Isaias expiatus sit, & singula mysticè exponit.*

§. 1.

AGedum illud quoque pro viribus indagemus, cur ad quendam ex Theologis Seraphim mitti memoretur. Etenim dubitabit aliqois & hæsitabit, cur non quispiam inferiorum Angelorum, verùm is qui antiquissimis essentiis annumeratur, Prophetam expiet.

Isai. 6. 6 2

Quo sensu Seraph Isaiam expiat.

Nonnulli quidem, iuxta superiùs assignatam de omnium intelligentiarum communione definitionem, aiunt, Scripturam minimè nominare quempiam primorum qui Deo præstò sunt spirituum ad Theologum purgandum aduenisse, sed aliquem ex iis qui nobis præfecti sunt Angelis, quòd sacro illo purgandi Prophetam munere fungeretur, per æquiuocationem Seraphim vocatum esse, propter peccatorum quæ recensita erant per incendium oblitterationem, & expiati ad diuinam obedientiam resuscitationem: adduntque, Scripturam non aliquem ex iis qui Deo assident commemorasse, sed ex virtutibus expiatricibus quæ nobis præsunt.

C

§ 3.

Altera sententia.

Alius item haud admodum incongruam huius quæstionis mihi tradidit solutionem: aiebat enim, magnum illum (quiscunque tandem is fuerit) Angelum, qui visionem hanc effinxerat, vt Prophetam diuinis rebus institueret, expiandi munus, quod sui erat officij, in Deum, & post Deum, ad primæuam illam Hierarchiam retulisse. At nunquid hæc oratio vera est? Referebat enim qui hoc asserebat, quomodo vis illa Dei principalis, cùm ad omnia emanando pertingeret, libereque cuncta permearet, etiam tum tamen omnibus inaspectabilis existeret, non solùm quatenus superessentialiter omnibus antecellit, verùm etiam in quantum occultè omnia prouidentiæ suæ penetrat operatione: cunctis item naturis spiritalibus pro cuiusque modulo illucet, dumque antiquissimus illis spiritibus lucis suæ radios immittit, per eosdem, vtpote primos, inferioribus perquam ordinatè se ad captum cuiusque ordinis ac contemplandi facultatem dispertit. Vt autem dicam clariùs; exemplis vtar familiaribus,) quæ tametsi Deo, qui cunctis eminet, non ita congruant, nobis tamen planiora sunt (solaris inquam radij diffusio materiam sibi proximam, quippe cæteris liquidiorem, facillimè traiicit, & per eam coruscationes suas clariùs succendit: verùm vbi in densiores aliquas materias inciderit, obscuriorem cernitur habere luminis diffusionem, ob materiarum, quæ illuminandæ sunt, ad lumen diffundendum ineptitudinem; atque inde sensim ad hoc contrahitur, vt vix vltrà distribui iam possit. Eodem modo calor igois magis se diffundit in ea quæ ipsius sunt capaciora, & ad eius similitudinem facilè cedunt, & adducuntur; verùm in naturis illi reluctantibus contrariisve, vel nullum aut exile efficacitatis eius igneæ vestigium, apparet: quòdque hoc maius est, in ea quæ non sunt eiusdem generis, per illa quæ ipsi iam accommodata sunt se ingerit, ita vt primùm, si ita res ferat, ignea faciat ea quæ facilè ignescunt, atque iis adhibitis, aut aquam, aut aliquid aliud eorum quæ difficilè ignescunt, eodem modo calefaciat. Secundùm hanc igitur naturalis ordinis rationem, supernaturaliter fons omnis ordinis, cùm visibilis tum inuisibilis distributionis, propriæ splendorem illustrationis primordialiter per influxus beatissimos supremis istis essentiis manifestat, & per illas reliquæ deinceps diuinum istum radium participant. Hæ enim cùm primæ Deum agnoscerent, diuinæque virtutis eius desiderio summo tenerentur, hoc etiam assecutæ sunt, vt primæ ad diuinæ potestatis atque actionis imitationem pro captu suo peruenirent; eædemque inferiores ad eandem imitationem, quantum possent, benignè promouerent, dum absque inuidiâ in illas inditæ sibi locis partem deriuant, ipsæque vicissim in inferiores: atque ita sigillatim, prima sibi proximam eius quod sibi datum est participem facit, sicque per prouidentiam in omnes pro cuiusque captu diuina lux distribuitur. Est igitur omnium quæ illustrantur illuminandi principium Deus quidem naturâ, & reuerà propriè vt lucis essentia, ipsiusque status & aspectus auctor: ex instituto autem Deique imitatione, quælibet superior ex parte cuiuslibet inferioris, ad quam eius interuentu diuina lumina traiiciuntur. Supremam igitur cælestium intelligentiarum dispositionem; cæterorum Angelorum omnium essentiæ, iure merito post Deum, omnis sacrosanctæ Dei cognitionis imitationisque principium esse censent, quod per illas in omnes ad nos vsque Dei principalis illustratio deriuetur: quapropter sacram omnem Deique imitatricem actionem ad Deum quidem vt auctorem referunt, ad primas autem ac Deiformes mentes, vt primarios effectores diuinorum operum ac magistros. Prima itaque sanctorum Angelorum distributio magis præ reliquis igneam proprietatem continet, fusamque diuinæ sapientiæ communionem, ac summæ diuinarum illustrationum scientiæ vsum atque peritiam, soliique proprietatem, quæ patulam ad Deum excipiendum capacitatem indicat: inferiorum autem essentiarum dispositiones huius igneæ, sapientis, scientis, ac Dei capacis virtutis participes quidem sunt & ipsæ, sed inferiori gradu, & cum respectu ad priores, per quas, vt diuinæ imitationis præformatrices, ad Deiformitatem pro capto suo promouentur. Dictas itaque proprietates sacrosanctas, quarum secundæ naturæ per primas participes effectæ sunt, iis ipsis post Deum, tanquam præpositis suis, acceptas ferunt.

D

Exemplis declaratur, quomodo remotiores illustrationes sint obscuriores.

E

F

Supremo ordini post Deum attribuitur omnis illustratio inferiorum.

G

§. 4.

Aiebat itaque qui hæc referebat, visionem quidem illam exhibitam esse Theologo à quodam eorum, qui nobis præsunt, sanctorum ac beatorum Angelorum, cuius illuminatrice manuductione ad spiritalem istam contemplationem fuerat euectus, in quâ supremas illas essentias (quasi in symbolis, vt sic loquar) vidit infra Deum & iuxta Deum & circa Deum collocatas, atque omnium insuper ipsarum superineffabiliter eminentem superprincipialem verticem, in medio supereminentium virtutum superpositum. Didicit itaque ex hisce visionibus Theologus, diuinitatem, secundùm omnem supernaturalem excellentiam, sine comparatione præstare omni visibili & inuisibili virtuti, omnibúsque insuper exemptam esse, vt quæ ne primis quidem istis essentiis vllo modo similis existat: ad hæc, ipsam omnium esse principium & causam substantificam, indissolubilisque rerum mansionis immutabile firmamentum, ex quo vt essent, & benè essent, supremæ etiam virtutes habuissent: ipsas deinde Deiformes sanctissimorum Seraphim virtutes docebatur, quorum sacrum nomen quid igneum designat, de quo nos paulò pòst dicemus; prout poterimus interpretari istius igneæ virtutis ad diuinam similitudinem impulsus. Porrò cùm senarum alarum sacræ fictionis absolutam summámque in Deum in primis ac mediis nouissimisque mentibus excitationem, nec non innumerabilea eorum pedes multásque facies sanctus ille Theologus videret, vtque alis tam pedum quàm facierum aspectus arcerentur, alæque mediæ perpetuò mouerentur, ad intelligibilem eorum quæ cernebat scientiam adducebatur, expli-

Visio Isaiæ, quâ vidit Cherubim & Seraphim in circuitu Dei.

H

Quid alæ Seraphim.

catâ illi supremorũ spirituum multiuagâ plurimâque cernendi facultate, sacraque eorum reuerentiâ, quam supermundialiter eahibent in sublimiorum profundiorumque mysteriorũ insolenti ac temerariâ impenetrabilique perscrutatione, nec non optimè digestâ Deum imitantium actionũ incessabili & altiuolante perpetuâ motione. Quin & diuinum illud præstantissimumque, laudis canticum discebat, Angelo qui visionem efformabat, prout poterat, ipsi Theologo sacram suam scientiam communicante. Quin & hoc ipsum edocebat quomodo diuinæ claritatis ac munditiei pro cuiusque captu participatio, quoquo modo mundis etiam esset expiationi. Quæ cùm præcipuis de causis à Dei principatu in cunctis sacris mentibus superessentiali quodam secreto peragatur, supremis tamen Virtutibus Deoque proximis manifestior quodammodò exsistit, iisque magis se explanat & insinuat: secundis verò nouissimisve nostris virtutibus hisce spiritalibus, prout quæque à Deiformitate ipsâ distat, ita claram eius illustrationem ad secreti sui singularem confert ignorationem, Secundas porrò sigillatim per primas illustrat, &, vt summatim dicam, primitus ex occulto in apertum ducitur per virtutes primas. Hoc igitur Theologus ab Angelo, qui ipsum illustrabat, discebat, quomodo cùm ipsamet expiatio, tum cæteræ Deiprincipales operationes omnes, per primas essentias élucentes, eò omnes reliquas distribuantur, iuxta cuiuslibet ad Deificas participationes capacitatem: quapropter per ignem expiandi proprietatem meritò ipsis Seraphim secundùm Deum tribuit. Nequaquam igitur absurdum sit, si Theologum expiare Seraphim perhibetur. Vt enim Deus, hoc ipso quòd omnis eapiationis causa sit, omnes purificat, vel potiùs (vt magis obuio exemplo vtar) sicut apud nos Pontifex, dum per ministros suos seu Sacerdotes expiat, illumináve, ipsemet expiare & illuminare dicitur, quòd illi ordines. quos consecrat, sacrosanctas suas in ipsum referant actiones: sic Angelus quoque qui Theologum expiabat, propriam purgandi vim atque scientiam Deo quidem vt auctori, Seraphim verò, tanquam primicerio sacrorum Antistiti, attribuit; ac si dicat, cum angelicâ quadam reuerentiâ eum qui purgabatur instituens: Eius quæ in te meo ministerio perficitur expiationis, principium quidem præcipuum, & essentia, opifexque atque auctor est is, qui primas etiam essentias & in lucem protulit, & iuxta se collocando continet, atque conseruat immutabiles, lapsúsque expertes, & easdem mouet ad primas prouidentiæ suæ operationes participandas: hoc enim is qui hæc me docuit, Seraphim legationem declarare dixit. Princeps autem sacrorum, & post Deum dux, primarum essentiarum ordo, à quo ego deiformiter expiare didici, is ipsus inquam est, qui per me te expiat, per quem prouidentiæ suæ actiones ex abdito ad nos produxit is, qui est auctor & effector omnis expiationis. Atque hæc ille quidem me docebat, tibi autem ipse trado: tuæ verò intelligendi discernendique scientiæ erit, aut per alteram dictarum causarum omni ambiguitatis scrupulo absolui, eamque alteri, vtpote probabilem, & consentaneam, ac fortè veram, anteponere; aut per te, quid cum veritate coniunctius sit inuenire, aut ab alio discere (Deo scilicet verbum tribuente, quod & Angeli interpretentur,) nobisque Angelorum studiosis reuelare clariorem (si fieri possit) mihique gratiorem contemplationem.

Quid hymnologia, Sanctus.

Exemplo declaratur quomodo Seraph Isaiam expiasse dicatur.

SCHOLIA S. MAXIMI.

§.1. SERAPHIM.] Nota Seraphim inflexione masculinâ.

ETENIM DVBITABIT ALIQVIS.] Quoniam hoc iis quæ dicta sunt contrarium apparere videtur; dixerat enim anteà, inferiores à superioribus quidem suis, non tamen à supremis erudiri, v. g. tertium ordinem à medio, & medium ab omnium supremo. verùm hæc examinata varieque soluta sunt.

§.2. PECCATORVM QVÆ RECENSITA ERANT.] Quoniam non licet diuinis initiari, nisi peccata priùs dimittantur. Seraphim autem Incensor ceu Calefaciens interpretatur.

ALIVS ITEM HAVD ADMODVM.] Nota, illud *haud admodum* non omnino ad comparationem mediocritatis dictum esse; verbi gratiâ, non ita dictum est illud, *Haud admodum absonam*, vt omnino absonam, sed vt mediocriter absonam intelligere debeamus. Quin imò pro positiuo ponitur, vt idem sit ac, *non videtur mihi absurdum esse*, cautè hoc philosophico more pronuntians. Vel etiam ponitur pro *nullo modo*, ac si diceret, Nullo modo absurdum.

QVI EFFINXERAT.] Nota, vt Præsides Angelos dicat, diuinas Prophetarum visiones efformando, inducere in earum quæ cerni videntur rerum imaginationem: quoniam ænigmata symbolaque, non verò ipsas res nudas & substantias intuebantur.

IN DEVM.] Vides, Angelos, qui Prophetis reuelationes exhibebant, hoc modo egisse, vt primariò ipsos ad verum rerum omnium auctorem Deum, secundariò autem ad situ primas post Deum mentes, ac Deiformes diuinæ Hierarchiæ præsides adducerent, vti deinceps docet.

ET AD OMNIA.] Nota, Dei prouidentiam ad omnes occultè peruenire, & Angelum inferiorem æquiuocè Seraphim appellari.

PRO CAPTV.] Id est pro modulo virtutis eorum qui lumen eacipiunt, illustrationes etiam porrigit.

SECVNDVM CVIVSQVE.] Declarat exemplo, quomodo diuinæ illustrationes aliquibus quidem clariores, aliquibus verò obscuriores distribuantur.

SOLARIS.] Eaemplum hoc etiam suprà propositum fuit. Primam autem materiam vocat vitrum & similes, sicut & densiorem, v. g. domos & specus & similia. Aliàs primam materiam [intelligit] tenuem & aëream & puram.

ITARVM CALOR IGNIS.] Pulchrè Deo ignem assimilat; quia Scriptura dicit, *Deus ignis consumens est*, tum etiam quia partim calefacit, & partim comburit. Sic etiam Deus ad se accedentes illuminat; infideles verò, qui per fidem ad ipsum non accedunt nec ipsi appropinquant, comburit.

Deut. 4. 24.

VERVM IN RELVCTANTIBVS.] Vt adamante & aquâ.

NATVRALIS.] Naturalia vocat sensilia visibiliaque. Porrò sciendum, in spiritibus virtutes non esse per accidens sicut in nobis, sed Deus quidem viuens virtus est, & per se perfecta, & nullius egens, quoniam supersubstantialiter substantiam habet, & sese communicando emanat in ea intellectilia quæ per ipsam ceu causam eaistunt. Deus itaque fons est illius virtutis, quæ sui participes, quoad fieri potest, viuificat deificatque; simul etiam prouidè ad intellectu prædita, quæ substantiam ei suam acceptam ferunt, emanando procedit, nec idcircò mentium apex & perfectio esse desinit. Nequaquam itaque mentes more nostro per accidens virtutem habent, veluti prudentiam per exercitium & disciplinam, vel iustitiam aut temperantiam per continentiam, vel fortitudinem per bonam corporis & neruorum compositionem: non enim, vt aliud in alio, in his est virtus, sed quòd actiones suas obeant, & incessanter ad Deum ac semetipsos attendant, ista Dei imitatio in ipsis virtus eaistit; attamen ordinem tanquam alius in alio seruant, iuxta illud, *Viuit in me anima tua*, id est, doctrinæ communicatio. Accidens autem est in subiecto, quod ibi locum non habet: quoniam ipsi sunt compositionis materiæque expertes, & eorum species vitæ sunt velut à materiâ abstractæ, prout etiam intellexit is qui hæc annotauit, Memineris verò etiam mearum obseruationum quæ ante tria folia habentur: ibi enim vox, ἐφιέμεναι, seu *desiderantes*, sensum hunc meum confirmat. Quin & Patres ita senserunt, atque ipse etiam approbat liberum arbitrium.

Qualiter sint in spiritibus virtutes.

ORDINIS ORIGO.] Id est Deus.

EST IGITVR OMNIBVS.] Nota, Deum esse luminis essentiam, & naturâ statuque suo virtutem existere.

CENSENT.] Nota, supremas istas primas mentes, per quas diuinam illustrationem accipimus, post Deum virtutis vniuersæ principium existere.

IGNEAM PROPRIETATEM.] Nota, supremas mentes secundùm proprietatem suam igneas existere.

Throni, quid.

SOLII.] Pulchrè explicat quid sint Throni cœlestes, quòd apertam nimirum de Deo cognitionem habeant. Porrò solij proprietatem vocat sanctorum Thronorum principatum, quem sortitò ipsis assignatum esse ostendimus.

INFERIORVM.] De subiectis ordinibus, quomodò per primos rerum diuinarum participes existant.

DICTAS.] Venit ad propositi explanationem.

§. 4. Qualem Angelum viderit Isaias.

AIEBAT ITAQVE.] Agit de eo qui dixerat, Angelum istum quem viderat Isaias, non fuisse Seraphinum, sed aliquem ex inferioribus ordinibus. Hanc enim ipse sententiam tuetur, quam paulò antè sub initium Capitis declarat, cùm ait, *Alius item non admodum incongruam*, &c.

TANQVAM IN SYMBOLIS.] Quia sex aligeros Seraphim conspexit.

ET CIRCA DEVM COLLOCATAS.] Habet enim Scriptura, quòd stabant in circuitu eius.

DIDICIT ITAQVE.] Vide quid Isaias disceret (quem & Theologum appellat) nempe diuinitatem ipsiusmet etiam supremis Virtutibus ignotam esse, & nihil in rebus ipsi simile existere. Porrò per ὄντα seu *res* in præcedenti Libro diximus res intellectiles ac sensiles intelligi. Hæc autem Propheta docebatur, postquam à peccatis suis erat expiatus, de quo paulò pòst agemus.

SERAPHIM DOCEBATVR.] Quidnam per Seraphim doceretur.

NOMEN.] Interpretatio nominis Seraphim.

ALARVM.] Quid alæ designent.

IN DEVM IN PRIMIS.] Suprà enim in fine decimi Capitis dixerat, omnem, etiam humanam mentem, primos & medios ac postremos ordines habere. Meritò igitur Virtutem sex alas habere dixit, & duabus quidem faciem velare, mediis autem pedes, reliquis verò circa Deum volitare; quod ipse supremam intentionem appellauit. Nota item, in Seraphim quid sibi velint multæ istæ facies ac pedes, & cur aliquæ tegantur.

SENARVM.] Nota quomodo adducat sex alas sanctorum Seraphim.

VISORVM.] Id est, à Prophetâ spectatorum.

SVBLIMIORVM.] Quia faciem velabant; *profundiorum*, quia pedes tegebant: *mediorum* verò [meminit] propter proportionem.

ET CELEBERRIMVM LAVDIS CANTICVM.] Scilicet, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Significat verò, etiam Angelum iuxta virtutis suæ proportionem diuinam suscipere illustrationem, qui & hanc Prophetis pro illorū captu, non tamen quantum ipse cognoscit, communicat.

QVIA EXPIATIO EST.] Quid sit expiatio, & quomodo in spiritibus à Deo fiat.

HÆC AVTEM.] Scilicet expiatio, aut participatio.

PRÆCIPVIS.] Non enim qualis expiatio est in hominibus, talis etiam est in rebus incorporeis.

QVÆ CIRCVM EAM.] Circum eam, scilicet diuinitatem, siue Deum.

EXISTIT MANIFESTA.] Scilicet expiatio.

IN SECVNDIS AVTEM.] Considerandum, vt omnem virtutem incorpoream haud mediocriter differre dicat in dissimilitudine. Ac supremos quidem spiritus multum habere deiformitatis, cæteras verò mentes, vsque ad postremas, tantum obtinere quantum earum ordo ratioque postulat, plus tamen quàm nostræ animæ, quandoquidem hæ ab omnibus illis spiritibus plurimum absint, vnde diuina quoque illustratio coacta quodammodò & contracta conspicitur, dum in tam longâ quasi distantiâ accessionis ad Deum ipsamet diuinâ illustratio suam quâdam ratione manifestationem ad vnitam illam ac simplicem colligit ignorationem. Deus enim ignotus est, non propter argumentorum nobis ignotam varietatem, sed secundùm vnam quandam in nobis simpliciter & absolutè incomprehensibilem ignorationem.

PER IGNEM.] Nota, igneam proprietatem esse Seraphinorum, & quomodo Angelo expiante Seraphini & ante hos Deus expiare dicantur.

AVT SACERDOTVM.] Nota, Sacerdotes Præsulibus inferiores existere; & aliud esse illuminare, & aliud expiare; atque aliud esse ministrum, & aliud Sacerdotem. Atqui Sacerdotibus expiantibus aut illustrantibus, id ipsum Præsul facere perhibetur.

CONSERVANS IMMVTABILES.] Quoniam Deus, qui omnium quoque spirituum creator est; ipse etiam primas essentias continet, atque conseruat, ne immutentur aut excidant. Porrò immutabiles intelligendæ sunt secundùm id quod existunt, scilicet in immortalitate, in vitâ secundùm quam essentialiter sunt lumen; quoniam in his quoque essentialiter immutabiles existunt, & cùm sint liberi arbitrij, Deus ipsas continet, atque præseruat, ne ad extraneas cupiditates deflectant. Nam quòd in Deum intendant, ab intellectili ipsarum electione pendet; quòd autem semper in eâ perseuerent, à diuino pendet auxilio, siquidem omnia diuinæ opis egent.

QVI HÆC ME DOCEBAT.] Nota, Magnum Dionysium hæc ab alio didicisse.

HIERARCHA.] Nota, supremos ordines esse post Deum duces.

DEIFORMITER EDOCTVS SVM.] Hæc est fictio quædam morum Angelicorum, ac si Angelus, qui Isaiam expiabat, hæc ipsi de Seraphim dixisset.

AVT PER TE.] Sententiæ huius constructio, secundùm transgressionem post plurima redeuntem, sic est construenda: Tuæ verò intelligentis scientiæ esset, aut causam hanc admittere, aut per te inuenire, aut ab alio discere, quia potiùs tibi ipsi, &, quoad fieri possit, etiam mihi charam, de Angelis contemplationem reuelare. Τιμῆσαι ponitur pro προτιμῆσαι seu præferre.

INTERPRETIBVS.] Considera, Deo nobis in oris nostri apertione verbum suppeditante, Angelus illud interpretari; vnde patet, eos ceu Legatos intercedere pro nobis.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§ 2. Quomod. Isaias à Seraphim expiatus.

AGgedum etiam aliam quæstionem indagemus, quoniam videtur esse dictis contraria: dixit enim anteà, inferiores à præcedentibus, non autem à supremis doceri. Obserua autem, vt & hæc tunc quæsita, & diuersimodè soluta sint. Quæritur enim, cur ad Isaiam Seraphim mittatur, & non aliquis ex ordinibus inferioribus, quandoquidem diximus, ordinatè doctrinam tradi per primos inferioribus; quare ergo Prophetam expiat is qui supremis ordinibus annumeratur?

Aliqui itaque dicunt, inferiorem Angelum vniuocè Seraphim nominari, secundùm eandem communicationis rationem quam anteà assignauimus, quòd nimirum inferiores ea quæ superiorum sunt participent; vti & superiores ea quæ sunt inferiorum; licet hi quidem totaliter; illi verò tantùm ex parte & remissiori gradu. Quocircà non dicit Oraculum, primorum aliquem Seraphim ad Prophetam expiandum aduenisse, sed quendam ex inferioribus Angelis qui hominibus præsunt, tanquam expiationis administrum, eodem cum Seraphim nomine vocatum: Seraphim enim Incensor vel Calefactor interpretatur. Cùm itaque primùm oporteret à peccatis Prophetam expiari, ac deinde diuina edoceri, is Angelus, qui eum expiabat ac resuscitabat, propter istiusmodi operationem Seraphim vocabatur. Tanquam incensor itaque peccata comburebat, tanquam calefactor verò ad diuinam obedientiam ipsum excitabat. Ecce enim me, inquit. Quare etiam ab isto actu Angelus,

Q Seraphim

Seraphim vocatus est, cum non esset vnus ex primo isto ordine, & qui circa Deum sunt.

§. 3. Quidam alius item non admodum incongruam huius quæstionis solutionem tradidit. Illud autem non omnino ad comparationem mediocritatis retulit, ac si fortè absurdum quidem, sed non valdè, at mediocriter absurdum esset. Non ita: sed neque absurdum, neque valdè absurdum, iuxta communem loquendi formam, quemadmodum Magnus ille Gregorius Theologus in quodam Sermone suo docet, vt in illo: Non secundùm iustificationes nostras, quas fecimus nos; neque enim fecimus, & iterùm: *Non ad mensuram dat Deus spiritum*, sicut in Euangelistâ Ioanne reperitur. Protulit itaque honestam præcautionem, quòd non absimile esset, Prophetam adductum esse per aliquem nobis præpositorum Angelorum. Hic autem Angelus effinxerat eiusmodi visionem: non enim nudas res & essentias Prophetæ videbant, sed ænigmata symboláque ab Angelis efficta. Iste igitur Angelus qui Theologum erudiebat, adduxit hunc ad Deum, & ad primam quæ post Deum est Hierarchiam, scilicet Seraphim: ita vt iterùm adductio esset Angeli adducentis. Et ait Sanctus, istam fortassis orationem esse veram. Quomodo autem vera sit, demonstrat explicando ea quæ dixit. Referebat enim, inquit, ille, quomodo diuina vis ad omnia pertingeret, & ad omnia incomprehensè ac sine mixtione permearet: non enim ita continetur ab aliquo, vt alibi non prodeat. Et iterùm, omnibus est occultus ob duas has causas, quòd nimirum ab omnibus superessentialiter exemptus sit, & dissimilis; (simile autem à simili cognoscitur) & occultè prouidentias suas transfundat; (quis enim nouit sensum Domini?) vt meritò semper vigilemus, nescientes rationes eius, & horam quâ res quælibet vtiliter disponetur. Hanc itaque illustrationem etiam spiritalibus essentiis transmittit, verùm pro cuiusque captu, & iuxta mensuram virtutis eorum qui illam recipiunt, primum nempe primis, & per illos inferioribus: vti etiam proprio ac sensibili exemplo declarat, quod iis quidem quæ dicuntur non satis congruit, nobis tamen notum est. Propone enim radium solarem: hic traiicitur in primam materiam pellucidiorem, vitrum v.g. per quod clariùs affulget. Quomodo clariùs? nobis videlicet, minimè factâ comparatione cum priori illustratione, sed cum proportione visus ad lumen recipiendum: siquidem lux copiosa visum potiùs obtundit, si non sit commensa oculis se excipientibus. Distribuitur etiam materiis crassioribus, & propter ineptitudinem, quam habent ad illustrationem traiiciendam, & obscura fit, eóque sensim contrahitur, vt distribui aliis non possit. Accipe & aliam ab igne contemplationem: Calor ignis magis se diffundit in ea quæ ipsius sunt capaciora, & ad calorem facilè cedunt & adducuntur: verùm in naturis illi reluctantibus, vt adamantis, vel contrariis, vt aquæ, vel nullum aut exile efficacitatis eius igneæ vestigium apparet: quodque hoc maius est, ad ea quæ non sunt cognata, v.g. aquam, (nam aqua frigida & humida est, ignis verò calidus & siccus) per alia quæ illi sunt cognata, v. g. per vas, primùm accedit. Primùm autem dixit, non quòd immediatè, sed per ea quæ prima sunt, accedat primùm ad ea quæ non sunt cognata, ad ea postmodum v.g. calefacienda: primùm enim ignita faciendo illa quæ quoquo modo cognata sunt, per eadem etiam quæ non sunt cognata calefacit. Secundùm hanc itaque rationem naturalem, ea quoque quæ supra naturam sunt considera: Deus enim omnis rectæ ordinationis ordinisq; principatus, illustrationis suæ splendorem primordialiter, luculentâ & admirandâ fusione supremis illis mentibus manifestat, & per illas reliquæ deinceps istum radium participant. Hæ enim supremæ cùm primùm auctorem suum agnoscerent, pulchritudinisque eius desiderio tenerentur, hoc etiam assecutæ sunt, vt primæ ad diuinæ potestatis atque actionis imitationem peruenirent: sequentes enim primùm per ipsas illustrationem accipiunt, quemadmodum ipsæ à Deo illam accipiunt; quoniam his eam benignè & absque vllâ inuidiâ expandunt, (bono enim nulla inest inuidia, vt Plato ait) plenissimè splendorem suum transfundentes, quamuis ipsæ tantum, quantum capiunt, accipiunt. Quod etiam reliquis ad postremas vsque vsuuenit. Est igitur omnium quæ illustrantur illuminandi principium Deus, naturâ quidem & reuerà propriè vt fons lucis, & per se lux & auctor omnibus vt & sint, & ipsum lumen videant; ex instituto autem, & secundùm gratiam Dei imitatione ex parte vna alteri, prima sequenti, dum per ipsam ad illam transit illustratio; hoc vtique deriuandi vocabulo vsus per metaphorã, à canalibus per quos aqua transit. Porrò quòd quæ sua sunt agant, & incessanter in Deum intendant, & in semet ipsi denuò colligantur, illud quidem affectu, hoc verò attentione ac reuerentiâ, vocari possit virtus, quæ Deum imitatur. Quin & ordinem quoq; vt alius in alio obseruat, iuxta illud, Viuit in me anima tua, id est doctrina tua, eiusq; cõmunicatio. Verùm quidẽ illud ex instituto sic se habet, at non omnino per accidens ita aliquid vocari posset: nam accidens in subiecto est; sed illa sunt incõposita & materiæ expertia, speciesque illorũ vitæ, non sicut in materiâ, sunt. Supremã igitur cœlestium intelligentiarum dispositionem reliquæ cœlestes essentiæ, huc vsque post Deum diuinæ cognitionis imitationisque suæ principium esse cẽsent, quòd per illas in ipsas illustratio deriuetur: quapropter etiam omnẽ actionem suam, ad Deum quidem vt principem & auctorem referunt, deinde verò post ipsum ad primas illas mẽtes, tanquã quæ primæ in semetipsis diuinas imitationes & exhibeant & doceãt. Cæterùm primus ille ordo qui Seraphim est, reliquis magis in se igneã continet seu sapientiæ fusionẽ, atq; insuper scientiæ diuinarũ illustrationum peritiam (scientia enim ad res scibiles refertur) Thronorumq; proprietatem, quæ nimirum patulam ad Deum intelligentiã habet, quod Dei susceptio & est & appellatur. Ordo qui hunc sequitur istiusmodi quidẽ virtutes participat, sed inferiori gradu, & cũ respectu ad priores, per quos, tãquã diuinæ imitationis primicerios, ad deiformitatẽ pro captu suo promouentur: quare etiã primis illis, tanquã præpositis suis, post Deũ acceptas ferũt proprietates istas quarũ participes facti sunt.

Quomodo primis Angelis sequentium functiones attribuantur.

§. 4. Aiebat itaq; qui hanc solutionem tradiderat (puto autẽ sanctum Hierotheum fuisse, vel si quis alius illi secundus sit) visionem quidem illam exhibitam Prophetæ per aliquem Angelum, cuius manuductione ad istam contemplationem fuerat euectus, in quâ supremas illas essentias, quasi in symbolis, sex alas habentes vidit infra Deũ (quoniam perquam eximia erat maiestas sedentis;) & iuxta Deum (quia non erant alij ordines priores iis;) & circa Deum, quoniam in circuitu stabant. Quòd autem ordines illi firmati essent, designat illos erga inferiora esse inflexibiles & immobiles. Adhæc vidit eminentem verticem in medio eorum desuper firmatum: ex quorum symbolorum visionibus didicit, diuinum Numen secundùm omnem supernaturalem excellentiam, sine comparatione antecellere visibilem omnem & inuisibilem naturam: didicit, ab omnibus insuper diuinum Numen exemptum esse, tanquam dominum à seruis, & creatorem à creaturis: & non solùm aliis, sed ne primis quidem substantiis simile existere; tum quia illud in throno ordinesque cum tremore circunstantes vidit, tum quia primos ordines vidit. Si itaque diuinum Numen ne primis quidem simile existebat, quid cogitabit quis de sequentibus? Tertiò quoq; didicit, Deũ omnium esse principiũ & causam, indissolubilem & immutabilẽ, ex quâ iam esse quàm benè esse illis obtigit. Vnde autẽ & illud didicit? ex eo quòd omnia ad ipsum spectent, omniaque ad eum tendant, vt qui benignè omnino victoriæ præmium tribuat. Quomodo post contemplationem circa Numen diuinum deiformes deinde Virtutes ac Seraphim didicit, & non secundùm ordinem ista patefacta sunt? Ac dicere liceat, quòd supereminẽs gloria sedẽris ipsum fecerit illic primùm obtutum figere, ac deinde, postquam id quod Domini erat medium, ac ministrorum diuersitatem didicerat, virtutes Seraphim edoctum esse; quoniã virtutes igneæ sunt, iuxta denominationem suam, vti paulò pòst hic Sanctus tradidit & explicuit capite decimo quinto. Didicit quoq; senarũ alarum sacram fictionem, quemadmodum etiã antè dixerat, mentẽ omnem & primos, & medios, & postremos ordines habere. Erat itaque illic etiam istiusmodi triplex ordo in supremâ

Quid didicerit Isaias ab Angelo.

&

& absolutâ intentione: siquidem duæ alæ solutæ apparebant. Quin & carentia pedum, & multitudo pedum eorum, ac quòd duabus quidem alis absconderent ac tegerent pedes suos, duabus item aspectum facierum suarum absconderent, duabus verò mediis semper mouerentur, hæc, inquam, ab ipso visa ad notitiam eam adducebant, per multas quidem facies ipsi declarando vim multiuagam plurimáque cernendi facultatem; per obuelationem verò, eam quam exhibent reuerentiam in sublimiorum profundiorúmque mysteriorum audaci & inscrutabili inuestigatione (sublimiorum quidem, quia facies, profundiorum verò, quoniam pedes tegunt) per continuam verò motionem, altiuolantis & incessabilis Dei imitationis operationes. Quin & laudis illud canticum, quod à Deo incipit, & in Deum desinit, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, Propheta edocebatur ab Angelo, ipsi eiuscemodi sacram notitiam communicante: nam istiusmodi scientiam ipse primus à præcessoribus suis accipiens, Prophetæ tradebat. Adhæc ipsam edocebat, Dei participationem quoquo modo puris expiationi esse. Vnde verò hoc docebat? ex iis vnde Seraphim ipsum expiabat. Qui enim purus est aliter mundare non potest, nisi ipse plenus sit munditiei. Quomodo autem communicatio diuinæ illustrationis quoquo modo puris est expiatio? quia non fas est aliter diuinæ lucis compotem fieri, nisi quis particeps sit diuinæ expiationis, & nisi quoquo modo iam à passionum materiæque sordibus sit remotus. Hoc ipso enim quo Propheta compungebatur ac deplorabat, se immundum esse, & immunda labia habere, & in medio populi immundi habitare, vidit Dominum sabaoth; quia ipsi hoc dicenti partialis quædam expiatio existebat, quocircà etiam particeps fit perfectioris expiationis. Porrò hæc, exemptis istis causis, expiatio scilicet est vel participatio: neque enim vt in hominibus, sic & in rebus incorporeis & omnino spiritalibus iis mentibus perficitur efficitúrve expiatio, sed haud simplici ratione, at per modum mysticæ initiationis, iis quæ circa Deum sunt, primisque essentiis manifestior accidit: hoc autem fit, quia magis se proximis manifestat. In secundis verò, vel postremis, vel etiam spiritalibus nostris viribus, secundùm cuiusque ordinem quodammodò collecta magis & contracta conspicitur, dum diuina illustratio pro interuallo distantiæ, quâ ad Deum acceditur, suam quodammodò colligit manifestationem ad ipsiusmet incognitam vnitatem ac simplicitatem. Ignotus enim est Deus, non propter varietatem ratiocinationum nobis ignotam, sed secundùm vnam aliquam in nobis simpliciter & absolutè incomprehensibilem ignorationem. Secundùm hoc dicitur etiam inducere lumen sicut vestimentum, ac si quodammodò lumen prouidentiâ suâ cohiberet, vt ab inferioribus capi posset, dum videlicet singulis sequentibus illucet per primos; &, si summatim dicere oportet, ex occulto lumen manifestatur etiam aliis, sed per virtutes primas. Hoc itaque etiam Propheta docebatur (quem & Theologum nominat, vel vt doctorem rerum occultarum, vel vt Dei sermones proferentem) ab Angelo qui ipsum ad lumen hoc adducebat, quomodo cùm ipsamet expiatio, tum omnis diuina operatio per ipsas effecta, ab ipsis quoque aliis suppeditetur. Sunt itaque primæ essentiæ & assiduæ, per quas etiam ipsis ista, secundùm captum cuiusque ordinis, à Deo suppeditantur: atque adeò etiam propeleratem expiandi per igneam quasi aliquam operationem (nam & Seraphim aliam quoque expiandi rationem habent) cùm hoc nomen habeant, meritò post Deum iis attribuit. Nihil itaque absurdi est, si Seraphim Prophetam expiare dicitur. Aduerte enim, vt dum ab aliis etiam expiamur, à Deo tamen expiari dicimus, quòd is omnis expiationis causa sit. Vel potiùs, vt magis obuio è nostrâ Hierarchiâ exemplo vtar: quemadmodum apud nos Pontifex dum per Ministros aut Diaconos aut Sacerdotes expiat illuminátve, ipsemet dicitur expiare & illuminare, quòd illi ordines, quos consecrat, suas ad ipsum referant actiones; sic Angelus quoque qui Theologum expiabat, suam expiandi scientiam Deo quidem vt causæ adscribit, Seraphim verò, tanquam illi qui primo loco expiationem excipit & emittit, honorem istum sibi minimè vendicans, & quasi ambitiosè sumens (procul enim à diuinis istiusmodi ambitio est) sed cum Angelicâ quodammodò reuerentiâ docens ac dicens ad Prophetam: Eius quæ per me in te perficitur expiationis principium quidem est Deus, quem in throno eleuatum cernis. Hic est ipsa per se expiatio & essentia expiationis, vtpote essentia luminis. Hic est qui primas essentias, quas circa eum vides, produxit, & iuxta se collocando continet, atque conseruat ab immutatione & lapsu. Immutabiles autem cogitandæ sunt secundùm essentiam, velut in immortalitate, in vitâ, secundùm quam sententiâ suâ habent vt sint lumen, & ad extraneas aliquas cupiditates conuerti nequeant. Quòd enim in Deum extendantur, id ex eorum spiritali pendet libertate: quòd autem in hoc semper perseuerent, opis est Dei. Omnia enim Dei auxilio opus habent. Ipse est qui etiam alios mouet ad primas eas prouidentiæ suæ operationes participandas, quas primi ordines suscipiunt, & ad easdem iterùm transfundendas: hoc enim missionem seu legationem declarare dixit, qui hanc solutionem tradidit. Sed hic quidem est expiationis auctor scilicet Deus, post Deum verò is qui expiationi præpositus est Seraphim, à quo & ego expiare sum edoctus. Hic itaque est Seraphim qui per me te expiat, per quem suas operationes ex abdito ad nos Deus ipse produxit, qui est auctor expiationis. Hæc quidem sanctus ille vir me docuit; tibi autem ipse trado, ô Timothee, secundùm imaginem quam iam tradidimus Seraphim & Angeli; tuæ autem scientiæ erit, aut alteram dictarum causarum admittere, & omni ambiguitate liberari, quin potiùs posteriorem honorare tanquam probabilem, vel per te quid magis affine ac commodius reperire, vel ab alio rerum diuinarum perito addiscere; Deo verbum suppeditante, iuxta illud, *Dominus dabit verbum euangelizantibus*, conciliantibus nimirum & intercedentibus diuinis Angelis, per quos omnis illustratio ad nos traducitur. Atque iterùm tuæ erit scientiæ, dum vel a temet ipse inuenis vel ab altero discis, nobis etiam Angelorum, si dictu fas sit, amatoribus eiuscemodi amabilem contemplationem reuelare. Considera autem hinc Patris huius modestiam, quomodo, dum docet, etiam ex parte discere cupiat. Etenim spiritus Prophetarum Prophetis subiiciuntur, secundùm illam, quæ cuncta peruadit, rectam à Deo bono ac Salutore nostro statutam ordinationem.

Isa. 6. 3.

Ps. 67. 12.

CAPVT XIV.

Quid significet traditus Angelorum numerus.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ex Danielis cap 7.10. docet, maximum esse Angelorum numerum, qui licet propriè quidem non sit infinitus, sed limitatus, maior tamen sit vt ab hominibus comprehendi possit, solique Deo cognitus, & rerum omnium corporearum numerum excedat.

EQuidem & hoc spiritali commentatione dignum censeo, vt Eloquiorum de Angelis traditio millies eorum esse millia dicat, deciesque millies dena millia; summos illos quos adhibemus numeros, in seipsos glomerando ac multiplicando, quò per hos apertè declararet cœlestium essentiarum ordines à nobis annumerari non posse. Multi namque sunt beati supermundanarum mentium exercitus, qui infirmam & contractam materialium nostrorum numerorum rationem penitus excedunt, sciteque definiuntur à solâ ipsorum supermundiali cœlestique intelligentiâ scientiáque, quæ illis abundantissimè conceditur à Deiprincipali & infinitorum consciâ creatrice sapientiâ, quæ superessentialiter omnium simul rerum & principium, & causa substantifica, & continens virtus & complectens determinatio existit.

Angeli sunt innumerabiles. Dan. 7

SCHOLIA S. MAXIMI.

MILLE.] Hæc in Daniele dicta sunt.

INFIRMAM ET CONTRACTAM.] Infirmam vocauit numerum hominum respectu Angelorum: dictum enim etiam est ab alio quopiam, nempe Didymo Cæco, nonaginta nouem oues esse Angelos, vnam autem quæ perierat, esse nos homines.

SCIENTER.] Nota, vt ipsos etiam Angelos dicat scienter & non more discipulorum cognoscere eorum determinationes, verbi gratiâ quantus sit cœlestium essentiarum numerus, hoc ipsum etiam illustratione diuinâ percipientes.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Dignum censet spiritali indagatione, quæ videlicet, vt antè dicebamus, rebus spiritalibus conueniat, vel quæ spiritali mente coordinet, ac digerat id, quod in Scripturis de numero Angelorum traditur. Inuenimus igitur & duodecim legiones Angelorum, quas, & his plures, Dominus à Patre suo possit postulare, & in acie collocare ad insidiatores repellendos. Exiguus vtique hic numerus, ad Danielis visionem collatus, quoniam millia millium, & decies millies dena millia Deo assistebant. Legio autem ordo est constans aliquot (hac voce nimirum à Verbo Lego & Colligo deriuatâ) quem si ex centum constare diximus, nihil hoc ad tot millia myriadésque: quin imò si ex mille collectum diximus, nihil hoc adhuc ad decies millies toties multiplicata. De duodecim quidem legionibus alius aliud fortè adferat sublimius quid ac sapientius, iuxta gratiam à bono Deo ac Saluatore nostro Iesu Christo communicatam: mihi autem in præsentiarum, si oporteat me quoque ad hæc aliquid audere, videtur Scriptura sacra magnæ humanitatis ac beneuolentiæ indicium exhibere. Etsi enim vndecim erant parati succurrere, Petro quasi duce; attamen benignitas magni Dei ac Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ omnem superat orationem, quodammodò effusa perditum quoque sodalem illum, cuius adhuc sollicitè curam gerit, iis annumerat, & pro vnoquoque horum legionem Angelorum se petere posse dicit; tum vt etiam magis Angelorum multitudinem, ac postulantis magnificentiam & diuinitatem declararet. Cui enim alteri tot vnquam succurrerunt? De his quidem alius est sermo: hîc verò Sanctus de mille millibus & decies mille decem millibus ait, Scripturam sacram ac diuinam summos illos, qui apud nos sunt, numeros, millia videlicet & dena millia, in semetipsos glomerasse ac multiplicasse, ac per hoc apertè declarasse, cœlestium ordinum coordinationes, id est cœlestium virtutum supposita, à nobis annumerari non posse. Nobis autem dixit innumerabiles esse, quoniã licet nobis ignoti sint, non tamen omnino naturâ infiniti sint; sed eorum multitudo est determinata. Nuper etiam quidam è sapientibus nostris (Psellus is erat, scientificè & logicè regulâ Dialecticorum vtens, ac demonstrans, illa quæ principio viciniora sunt, minora quidem esse secundùm quantitatem, sed maiorem virtutem habere) asserebat, Angelos, vt Deo propinquiores, pauciores esse hominibus, qui sigillatim semper nascuntur & moriuntur, quemadmodum videlicet quoque numerus ad vnitatem accedens, minor est remotiori. Verùm Didymus ille Cæcus alio quodam loco reperitur dicere, nonaginta nouem oues esse Angelos, vnam autem quæ perierat, esse nos homines. Multi enim beati sunt exercitus cœlestium virtutum, qui nostrorum in materiâ apparentium numismatum formarúmve aliarum, infirmam inquam & contractam numerorum rationem excedant: non enim tanta est numerorum multitudo, vt omnia possint numerari, & in infinitum annumeratio extendi; nam propter eiuscemodi circa numerum imbecillitatem excogitatæ sunt mensuræ & lances, vt numerus proportione quâdam secundùm vires nostras contraheretur. Etsi itaque à nobis & humanâ intelligentiâ non definiantur, à cœlesti tamen intellectu comprehenduntur, non quidem mathematicè, sed scienter, v.g. quantus sit exercituum cœlestium numerus, & à quali definiatur intelligentiâ scientiaque, quæ Angelis illustri modo conceditur à vitæ principali infinitorum consciâ per se sapientiâ sapientiæ in aliis creatrice, quæ superessentialiter rerum omnium & principium & causa, cæterarúmque essentiarum virtus creans, & continens & complectens determinatio existit, ita nimirum vt terminet ac definiat vniuersa, non tamen sit cuiusquam terminus, velut punctum lineæ, vel vt linea superficiei, vel vt superficies corporis: hi enim termini in rebus terminatis sunt, neque res terminatas continent; siquidem non potest quidquam intelligi determinari sine termino. Quocircà etiam Aristoteles locum ait terminum esse continentis, ita vt nihil, cuius terminus est, continere possit terminum, sed simul cum re terminatâ dicatur terminus & species quasi terminare ac definire materiam. Sed & hoc ipsum simul vnâ cum materiâ apparet. Cæterùm Deus omnium quidem terminatio dicitur, at per excellentiam & complexum, tanquam conditor & super omnia & existens & creditus. Hoc itaque modo Dei vis & continens est & complectens: continens, prouidentiâ; complectens verò, vt supra res omnes & est & prædicatur.

Angeli quidem multi, sed non infiniti.

CAPVT XV.

SYNOPSIS CAPITIS.

Quæ sint formatæ imagines virtutum Angelicarum, quid ignis, quæ humana species, qui oculi, quæ nares, quæ aures, quæ ora, quis tactus, quæ palpebræ, quæ supercilia, quæ pubertas, qui dentes, qui humeri, quæ vlnæ, quæ manus, quod cor, quod pectus, quod dorsum, qui pedes, quæ alæ, quæ nuditas, quod indumentum, quæ lucida vestis, quæ sacerdotalis, quæ zona, quæ virgæ, quæ hastæ, quæ secures, qui funes geometrici, qui venti, quæ nubes, quod æs, quod electrum, qui chori, qui plausus, qui colores diuersorum lapidum, quæ forma leonis, quæ figura bouis, quæ species aquilæ, qui equi, quæ differentiæ colorum equinorum, qui fluuij, qui currus, quæ rotæ, quodnam gaudium dicatur Angelorum.

§. 1.

Agedum deinceps, si libet, mentis aciem laxantes, à sublimi, quæ Angelos decebat, contemplandi contentione ad diuiduam ac multipartitam multiformis Angelicarum efformationum diuersitatis latitudinem descendentes, rursum ab eis, ceu ab imaginibus, ad cœlestium mentium simplicitatem retexendo reuertamur. Illud autem tibi antè cognitum esse velim, dum sacrosanctis mysticarum quæ formantur imaginum sensibus anagogicis eædem cœlestium quandoque essentiarum distributiones præesse sacris, atque iterùm subesse, nouissimæque sacris præsidere, primæque subdi, denique, vt dictum est, cùm primæ tum mediæ tum postremæ virtutibus pollere significantur, istiusmodi modo explicandi absurdam nullam rationem introduci. Nam si quidem gubernari aliquas à prioribus diceremus, easque has ipsas exindè gubernare, prioresque, quæ nouissimas sacris imbuunt, imbui denuò ab illis ipsis quas imbuerunt; vtique absurda planè confusionisque plenissima res ista foret. Sin autem sacris illas & erudire & erudiri dicimus, non tamen easdem aut ab iisdem, sed earum singulas instrui quidem à prioribus, instruere verò posteriores, haud incongruè quis dixerit, sacras illas quæ in Eloquiis formantur imagines, easdem aliquando posse cùm primis tum mediis tum vltimis virtutibus propriè simul veréque accommodari. Quare tam illa in anteriora se conuertens intentio, quàm circum semetipsas constans volutatio, virtutúmque custodia propriarum, nec non earundem, per communicantem se inferioribus processum, prouidæ virtutis participatio cunctis profectò cœlestibus intelligentiis verissimè competit, licet quidem eminenter aliis & vniuersim (vt sæpè dictum), aliis verò ex parte ac remissè.

Apoc 16. & 17.

Angeli respectu diuersorum præsunt & subsunt.

Cæterùm initium sermonis faciendum, & quærendum

In quibus & ad quid ignis in Scripturis celebratur.

in primâ mysticarum figurarum explanatione, quare Theologia præ cæteris ferè factam illam igneam descriptionem comprobasse reperiatur. Siquidem comperias eam non solùm rotas igneas formare, verùm etiam ignita quædam animalia, virosque fulgureos, & circumcœlestes essentias prunarum aceruos collocare, fluminaque ingenti fragore flammigerantia: quin imò Thronos igneos esse dicit, ipsosque summos Seraphim incensos ex ipso nomine declarat, eisque proprietatem & actionem ignis tribuit; atque omnino sursum ac deorsum igneam figuram singulariter commendat. Quapropter formam igneam significare censeo, cœlestium intelligentiarum maximam cum Deo conformitatem: sancti siquidem Theologi superessentialem, & quæ formari nequit essentiam, in igne sæpenumerò describunt, tanquam qui multas quodammodò visibiles (si dictu fas est) diuinæ proprietatis imagines præ se ferat.

Heb. 10.

Ignis proprietates quæ.

Ignis namque sensilis inest omnibus, vt sic dicam, ac purè cuncta peruadit, & ab omnibus excipitur: cumque totus luceat, simul est & occultus, ignotusque manet per se, non adhibitâ materiâ in quam vim suam exerat: intolerabilis est & inuisibilis, omnia superat, eaque quibus insedit ad suum traducit officium: alterandi vim obtinet, omnibus sibi quoquo modo propinquantibus sui consortium tradit: renouat omnia calore vitali, & fulgoribus apertis illuminat: teneri misterique non potest, secernendi vim habet, immutabilis est, sursum fertur, penetrabilis, sublimis, nullam sustinet deiectionem, semper mobilis, seipso mouetur, mouet alia, comprehendendi vi pollet, comprehendi nequit, non eget altero, clàm se amplificat, & in quâlibet capaci materiâ suam indicat maiestatem: efficax est, potens, omnibus inuisibiliter præsens: si negligatur, non videtur existere; attritu autem, velut indagine quâdam, connaturaliter ac propriè subitò relucet, atque sursum incontinenter auolat, & in omnibus luculentissimis sui communionibus minimè minuitur. Complures item alias quis inuenire potest ignis proprietates, quæ quasi sensiles diuinæ efficacitatis imagines existant. Quod cùm Theologi perspectum habeant, cœlestes essentias ex igne formant, declarantes earum diuinam similitudinem, & quantum licet, Dei imitationem.

§. 3. Quid humana forma in cœlestibus denotet.

Humanâ quoque illas formâ describunt, propter intelligendi celsaque spectandi vires, formæque rectitudinem & erectionem, atque naturalem principandi regendique prærogatiuam, & quòd homo sensu quidem cæterorum comparationibus brutorum minimè valeat, omnibus tamen imperet præstanti vi mentis, ac rationabilis scientiæ dominatu, animoque naturâ libero & inuicto.

Quid sensuum facultates.

Quin imò fas sit etiam ex quâlibet, vt arbitror, corporeâ nostrâ multipartitione non incongruas imagines haurire, quæ cœlestes virtutes repræsentent: vt si dicamus, videndi quidem facultates declarare perspicacissimam ad diuina lumina suspectionem, nec non simplicem ac liquidam minimeque refragantem, sed agilem, puramque patulamque diuinarum illustrationum sine passione susceptionem.

Olfactuum verò discernendi vires vim esse, quæ mentem superantis fragrantiæ diffusionem, quantum fas est, percipit, resque fœtidas peritè discernit, & omnino refugit.

At aurium virtutes, id quod in eis est particeps cognitionis, diuinamque scitè suscipit inspirationem.

Gustandi autem potentias ipsis esse ciborum spiritalium satietatem, & diuinorum atque deliciosorum riuulorum susceptionem.

Tactiles porrò sensationes, id quod in eis res proficuas noxiásve cum scientiâ discernit.

Quid palpebræ, cilia, dentes, & cetera partes corporis.

Palpebras & supercilia, id quod intelligentias notionesque diuini aspectus conseruat.

Pubescentem ætatem ac iuuentutem, vim vitalem quæ semper viget.

Dentes, id quod alimenti adhibiti perfectionem diuidit: quælibet enim essentia spiritalis vniusmodi intelligentiam, quam à diuiniore traditam accepit, pro inferioris ductu captuque prouidâ virtute diuidit multiplicatque.

Humeros, vlnas, & manus, faciendi & agendi ac perpetrandi vim.

Cor autem esse symbolum vitæ deiformis, quæ vim vitalem suam deiformiter in ea quibus consulit dispertit.

Porrò pectus dicamus designare virtutem indomabilem, & quæ viuificam quodammodò suppositi cordis distributionem tueatur.

Dorsum autem, illam vim quæ vitales omnes virtutes continet.

Quid penna.

Pedes verò, vim mouendi, celeritatem, & cursum sempiterni motûs, quo ad diuina cientur; propter quod etiam pennatos sanctarum intelligentiarum pedes Theologia finxit. Penna siquidem declarat ad sublimia ducendi velocitatem, & cœlestis vitæ cursum, ad anteriora semper atque celsiora promouentem, & supera petendo, terrena fugientem: pennarum enim leuitas designat id quod nullâ ex parte terrenum est, sed se toto sine admixtione ac grauitate sursum fertur: nuditas verò calceorumque priuatio, virtutem illam abstractam & expeditam, & puram ab omni externo additamento, quæ diuinæ simplicitati, quantum fas est, assimilatur.

Gen. 18. Quid nuditas.

§. 4.

Cæterùm cùm rursus simplex illa & multiformis sapientia nudos quoque vestiat, & quædam iis vasa tradat circumferenda; agedum ipsa etiam sacra cœlestium spirituum operimenta & instrumenta, prout possumus, explicemus.

Quid vestes dent.

Ac lucidam quidem vestem igneamque, significare arbitror deiformitatem ex ignis similitudine, & vim illustrandi, propter cœli tranquillitatem, vbi lux est, & quod omnino spiritaliter illustrat & illustratur: Pontificiam autem, id quod ad diuina mysticaque spectacula conducit, totámque vitam consecrat.

Quid zona.

Zonis autem esse virtutum custodiam fœcundarum, earumque habitum collectum, qui in semet ipse singulariter conuersus, circuloque concinno indissipabili identitate succinctus sit.

§. 5. Virga. Secures.

Virgas verò designare Regiam & Ducalem dignitatem, rectámque rerum diuinarum ordinationem.

Hastas & secures, vim dissimilia diuidendi, virtutúmque discernere valentium acumen, & actiuitatem, atque efficacitatem.

Et diuersa instrumenta.

Geometrica fabriliáque vasa, fundandi & ædificandi absoluendique facultatem, & quæcunque alia inferiores adducendi & conuertendi prouidentiam concernunt.

Num. 22. 2. Reg. 24. Apoc. 20. Amos 8. Zach. 5. Iere. 24.

Accidit quoque nonnunquam, vt instrumenta quæ sanctis Angelis affinguntur, diuinorum erga nos iudiciorum symbola existant, dum alia quidem correctricem disciplinam vindicémque iustitiam, alia verò periculi liberationem, vel disciplinæ finem, vel pristinæ felicitatis restitutionem, aliorúmve munerum, cùm exiguorum tum magnorum, cùm sensilium tum intellectualium adiectionem manifestant: neque verò dubitabit vllo modo mens perspicax, visibilia propriè rebus quæ aspectum fugiunt accommodare.

§. 6. Cur Angelis venti comparati. Dan. 7. Psal. 17. & 103.

Quòd autem venti nominentur, hoc eorum celerem conficiendi rationem indicat ad omnia fermè absque morâ penetrantem, susque déque vltrò citróque quaquauersum permeandi facultatem, quæ inferiora quidem ad superiorem promoueat sublimitatem; prima verò moueat ad prouidum & communicantem se inferioribus illapsum. Possit etiam quis dicere, ventosum illud nomen spiritûs aërij, cœlestium intelligentiarum deiformitatem designare: siquidem & illi diuinæ efficacitatis imago quædam inest ac figura (sicut in symbolicâ Theologiâ, iuxta mysticam quatuor elementorum explicationem, pluribus à nobis demonstratum est) nempe ob viuificam mobilitatem velocémque & insuperabilem meatum; nec non inaspectabile latibulum mouentium principiorum ac terminationum. *Nescis*, eum inquit, *vnde veniat, aut quo vadat.*

Ioan. 3. 8.

Cur nubibus. Apoc. 10.

Quin etiam eis Theologia nubis speciem affingit, hoc ipso sacras intelligentias declarans arcano quodam lumine supermundialiter repletas, primilucam illam apparitionem sine fastu suscipere, atque luculenter eandem in inferiora per remissiorem illustrationem pro illorum captu transfundere; nec non illas insuper fecunditate, atque animandi augendique ac perficiendi virtute præstare, propter intellectualis imbris generationem, quæ subiectum sibi gremium pinguibus pluuiis ad vitales parturitudines informat.

§ 7. Quid æs, electrum & lapides diuersi.

Quòd si quoque æris & electri lapidumque multicolorum speciem Theologia cœlestibus essentiis accommodat: electrum quidem, vt quod auri argentique formam præ se ferat; in auro quidem, putredinis expertem & inconsumptum minuique nescium atque inuiolabilem splendorem: in argento autem, lucidum cœlestémque claritatem denotat.

Æri verò, iuxta rationes assignatas, vel ignis vel auri species attribuenda.

Porrò lapidum multicolores species, vel in quantum albæ, quid lucidum, vel quà rubræ, quid igneum; vel quà flauæ, quid aureum; vel quà virides, iuuenile quidpiam ac vigens significare putandæ sunt: atque ita secundùm quamque speciem, quoque mysticam quandam typicarum imaginum, quæ ad superna reuocet, reperias expositionem.

Sed quoniam de his satis à nobis pro virili parte dictum esse arbitror, ad sacram cœlestium intelligentiarum per bestiarum formas expressarum explicationem transeundum est.

§ 8. Quid forma leonis. Apoc. 4. Ezech. 1.

Ac leonis quidem forma declarare putanda est vim illam principalem ac robustam atque indomabilem, quâ isti occultissimo ineffabilis diuini principatûs arcano pro virili similes euadere nituntur, spiritalium vestigiorum coopertione mysticéque suppresso commeatu viæ, quæ ad ipsum per diuinam illustrationem inducebat.

Quid bouis. Apoc. 5.

Porrò illa bouis forma earum robur signat ac vigorem, idque quo spiritales sulcos scindunt ac dilatant cœlestibus fecundisque imbribus suscipiendis: cornua verò, seruatricem inuictámque vim.

Quid aquila. Apoc. 4.

At aquilæ figura Regiam dignitatem, atque supera petentem celerémque volatum, & ad cibum, qui vires reficiat, capiendum cùm agilitatem, tum vigilantiam, tum cursum, tum facilitatem, tum virtutem robustis videndi facultatum intentionibus, liberè directéque atque irretortè obtuendi vberrimo vti luculentóque radio, quem sol diuinus euibrat.

Quid equorum diuersorum. Zach. 7.

Equorum autem species obedientiam designat & facilitatem: ac candidorum quidem, ingenuitatem, vtpote diuino quàm maximè lumini cognatam; cæruleorum verò, secretum illud abditum; rufforum verò, igneum vigorem & efficacitatem; albo denique nigróque pilo aspersorum species, viro illam denotat, quâ traduce extrema connectuntur, & prima secundis, ac secunda primis conuersim prouidéque coniunguntur.

Quid ira. Quid concupiscentia. Apoc. 20. Zach. 8.

Verùm nisi sermonis modum quæreremus, singulas etiam animalium recensitorum proprietates, omnésque corporeas eorum efformationes, non incongruè cœlestibus virtutibus per dissimiles similitudines accomodaremus. Siquidem vim eorum irascibilem ad spiritalem fortitudinem, cuius ira nouissimum vestigium existit; concupiscentiam verò, ad amorem diuinum; ac summatim dicendo, sensus brutorum animantium omnes, partésque multiplices, ad immateriales cœlestium essentiarum intelligentias atque vniformes virtutes referremus. Verùm enim verò prudentibus non ista tantùm, sed vel vnius imaginis obscuræ mystica declaratio satis est, ad eorum quæ eiusdem generis sunt explanationem.

§ 9. Quid flumina, rota, currus.

Considerandum modò quid sibi velint flumina, rotæ ac currus, quæ cœlestibus essentiis adiuncta perhibentur. Ac flumina quidem ignea diuinos illos latices, significant, largissimam illis ac perennem inundationis copiam suppeditantes, vitalísque fecunditatis altores: currus autem, confœderatam æqualium societatem: rotæ verò alatæ, & ad anteriora irremeabili atque irreflexo motu tendentes, vim Angelicæ actiuitatis recto semper tramite pergentem, quâ spiritalis eorum rotatus omnis ad viam illam rectam arduámque supermundialiter dirigitur.

Ezech. 10. Quid rotarum reuolutiones.

Licet etiam alio sensu anagogico spiritalium rotarum descriptionem interpretari: est enim eis, vt Propheta ait, nomen inditum *Gel, Gel*, quod Hebraico sermone reuolutiones reuelationésque significat. Igneæ enim diuinæque rotæ conuersiones quidem suas habent, quòd sempiterno motu circa idem summum bonum vertuntur; reuelationes verò, quòd occulta sacramenta reuelent, & humiliores quosque promoueant, sublimésque diuini fulgoris radios ad inferiores transfundant.

De cœlestium gaudio.

Reliqua nobis de cœlestium distinctionum gaudio reddenda ratio est: etenim omnino incapaces sunt passibilis nostræ voluptatis; Deo autem congaudere perhibentur, ob eorum qui perierant inuentionem, scilicet secundùm Deiformem suauitatem, quam ex illorum, qui ad Deum conuertuntur, curâ salutéque percipiunt, & iuxta benignæ copiam lætitiæ atque ineffabilis delectationis, cuius sæpenumerò viri quoque sancti participes effecti sunt, cùm in ipsos diuinæ illius ac deificæ lucis fulgor influeret.

Hæc à me de sacris istis fictionibus dicta sint, quæ licet accuratam earundem explanationem minimè attingant, multum tamen, vt opinor, conferent intelligentiæ nostræ, ne fictis huiuscemodi imaginationibus immoremur.

Quòd si obieceris, nos nequaquam omnium ex ordine, quæ Scripturis continentur, virtutum aut operationum imaginúmve Angelicarum fecisse mentionem; respondemus id quod res est, nos quarundam supermundialem scientiam ignorasse, ac potiùs doctore ac illuminatore alio discendis iis indigere; quasdam verò, quòd dictis æquiualerent, pertransire, cùm orationis breuitati consulentes, tum arcana, quæ captum nostrum superant, silentio honorantes.

SCHOLIA S. MAXIMI.

§ 1.

PROVT ANGELOS DECET.] Vt linteum, vt carbo.

SENSVS ANAGOGICI.] Sensus anagogicos vocat explanatorias istas interpretationes, quibus velut expurgantur illa symbola quæ in rebus dictis videntur absurda.

NAM SI QVIDEM.] Superiùs enim dixerat, supremas illas virtutes inferiorum sacris præesse, & medias postremis, & has hominum Præsulibus præsidere. Neque enim dixit, eundem ordinem imperare sequentibus, & ab iisdem regi; verùm ita dixit, primum quidem ordinem sequentibus imperare, regi verò à præcedentibus. Sic quoque in cæteris intelligendum.

NAM SI IN SACRIS REGI.] Quod dicit, est eiusmodi: Si primos ordines præesse postremis, ac deinde vicissim eosdem postremos in rebus sacris diceremus præsidere primis istis ordinibus quorum imperio reguntur, absurda res foret.

HAVD INCONGRVE.] Non absurdum, inquit, est imagines, quæ in Scripturæ Oraculis reperiuntur, omnibus virtutibus cœlestibus accommodare, cùm omnes, vt ita dicam, sublimes sint ac salutares & peritæ, etsi non æqualiter, sed aliæ quidem excellentes, aliæ verò remissiores.

AD ANTERIORA.] [Id est,] id quod superius & eminens est.

§ 2.

INCIPIENDVM ET QVÆRENDVM.] Cur in figuris Angelicis maximè id quod igneum est probetur; & cur vt plurimum Scriptura tradat, res cœlestes esse igneas, & Seraphinos Incensores appellari dicat.

INCENSORES.] Interpretatio nominis Seraphim.

SANCTI ENIM.] Cur etiam Deus in igne visus sit.

Quales sint ignis proprietates.

SENSILIS ENIM IGNIS.] Admiranda sanè de naturâ ignis dissertatio. Ignem cernimus cuilibet rei aspersum, sed sine mixtione, id est, iis quibus inest impermixtum. Cuncta penetrat, hoc est, non sicut aqua manifestam

facit cum terrâ commixtionem, sic etiam ignis dum vniuersa comburit atque consumit. Exemptus est, seu omnibus per excellentiam eminet elementis, scilicet in efficacitate. Ipsum autem vocat ignotum & occultum, vt qui in quibusdam quidem materijs existat, sed minimè appareat, nisi affrictu excitetur, & materia eius operationis capax adhibeatur per quod etiam ostenditur, teneri viderique non posse. Simili quoque ratione cæteræ proprietates ignis contemplandæ sunt, quas hîc Pater secundùm anagogen ac pium quendam sensum in Deo naturisque Angelicis vsurpauit. Nota verò, cur Dominus Deus tam frequenter visus sit tanquam ignis, & in quo hæc ignis ad Deum similitudo consistat.

Teneri misceriqve non potest, secernendi vim habet.] Nota expositionem siue laudem sensilis huius ignis: siquidem materias, vt plumbum ab argento, secernit, conglutinationésque dissoluit. Immutabilis est, quatenus impossibile est, manente subiecto, hoc est eâdem ignis naturâ, ipsum in proprietatibus mutari, veluti ipsum rotundum fieri vel angularem, quod in rebus terrestribus locum habet; vel aëris proprietates admittere, v.g. per exhalationes corrumpi, vel condensari, vel instar aquæ suscipere mutationes.

Delectionem.] Nunquam enim inferiora petit.

Seipso movetvr.] Eodem modo mouetur.

Non eget.] Quoniam nullius alterius indiget, tametsi subiecto quopiam opus habeat vt accendatur. Verùm non hoc dicit, sed, ignem alteri elemento non commisceri, neque sicut aquam terræ permisceri; quocircà ipsum aliqui in substantiâ suâ solitarium appellarunt.

§. 3.

Hvmana forma.] Cur Angeli humanâ formâ depingantur.

Homines à brutis in sensu superari.

Et sensv qvidem.] Nota differentiam inter sensum brutorum animantium, & sensum rationalium, nostrum inquam. Bruta enim prorsus sunt sensus, quo etiam reguntur, cùm sint mentis expertia: in nobis autem modicum quid est sensile, neque enim ex eo constamus, sed ex intellectili; ideò etiam post mortem superstimus, cùm constemus animâ spiritali: in Angelis autem neque minimum qui est sensuum, sed nostra sunt quædam rudis illorum figura. Porro hominem ait esse minimum secundùm sensum, non quod alia animantia plures sensus habeant, sed efficaciores, & acutiores. Assumit verò hoc exemplum, Angelos, cùm non vtantur iis quibus nos sensuum instrumentis, plurimum antecellere intelligentis copiâ facultatis; sicut etiam homo mentis excellentiâ & ratiocinandi scientiâ irrationalem superat naturam.

Videndi facvltates.] Quid oculi spirituum significent, quid odorandi facultates, id est nares; quid aures, quid gustus, quid tactus, quem tactilem vim nuncupat, quid palpebræ, quid supercilia, quid pubertas, quid dentes, quid humeri & brachia, quæ vlnas vocat, quid pectus, quid dorsum, quid pedes, quid leuitas alarum, &c.

Qvæ odore percipivntvr.] Hîc agit de naturali facultate odoratus corporei. Cæterum hæc ad anagogen transfert, sicut etiam reliqua humana membra reuocat ad naturalium virtutum Angelicarum contemplationem.

Isa. 44. 3.

Deliciosorvm rivvlorvm.] Riuulum intellige supereffluentem sapientiæ fusionem, iuxta quod dictum est, *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*, & quæ sequuntur, diuina siquidem cognitio à Deo per intellectiles virtutes in diuinos homines pertransit.

Vniformem.] Secundùm susceptionem intellectionis.

Provida virtvte.] Quælibet, inquit, virtus Intellectilis diuinam cognitionem sibi traditam multiplicat, id est, manifestat, ea quæ viderat explanando, vt à nobis intelligantur, vti reperies apud Danielem, vbi Angelus illi somnium quod viderat exponit.

Cor vitæ radix.

Cor avtem.] Circumplectimur cor nostrum tanquam centrum & primum vitæ receptaculum, quoniam, secundùm D. Basilium, primum creatur cor, ac deinde velut ex centro vniuersum corpus effingitur, ad vitam inde per totum corpus diffundendam. Siue enim congenitus calor corpus viuificet, siue spiritus, siue sanguis, istorum omnium fons est cor. Quocircà etiam quibusdam placuit, vim omnem viuificam simul hîc primariò maximéque collectam radicari, licet alioquin etiam per totum corpus distributa sit, nullo loco constricta, nullo loco circumscripta, nec corpore comprehensa: sic vtique in inuisibilibus etiam ordinibus se res habet, siue vniuersim siue speciatim prouidis vacent ministeriis. Considerandum enim, ipsos veluti in medio ac cordis loco, non secùs ac fontalis vitæ centrum, collocari: tametsi contineri nequeant, nec vllo loco partéve corporis eorum quibus diuinitus præfecti sunt, valeant circumscribi.

Et qvæ tveatvr.] Sententiam hanc ita compone, quæ viuificam distributionem tueatur, nempe in supposito corde.

Propter qvod etiam pennatos.] Cur pedes Angelorum alati: vt ostendat semetipsos mouendi & in Deum intendendi facultatem, & nullam cum rebus terrenis communionem; ita vt nullo earum affectu teneantur, quamuis etiam in terrâ visi sint Angeli.

Alarvm levitas.] Quidnam leues pennæ.

Et pvram.] Ab externo additamento, v.g. alimentorum & vestium, quibus nos conseruamur.

§. 4. Eph. 3. 10. *Sapientiâ Dei cur multiformis.*

Mvltiformis sapientia.] *Multiformis sapientia Dei*; ista sententia est Apostoli. Sed cur vir diuinus ipsam dixit esse multiformem? siquidem multifarium in malam partem accipimus. Verumtamen aliter Magnus Dionysius eandem sapientiam, simplicem ac multiformem appellauit. Videntur autem hæc duo contraria. Dicimus itaque idcircò dixisse simplicem sapientiam, vt ostenderet Deum esse sine compositione, & nullâ duplicitate indigere; neque enim discendo Deus sapiens fit, sed est ipsa reapse sapientia. Multiformem verò, quia in multas cognitionis species, propter eorum qui illustrantur imbecillitatem, transformatur: Pontifex enim Magnus est, qui nostris infirmitatibus compatitur. Vel etiam sic: Simplex quidem dicitur Dei sapientia secundùm dispensationem, quatenus omnia tanquam Deus creauit, & in iustis illius temporis propriam quoque virtutem declarauit, vt in Moyse & Abrahamo, cæterisque: quando autem dispensationis mysterium in opus deduxit, meritò multiformis est appellata; nam homo factus, & legi subiectus, & passus, & inter mortuos inuentus, ita per carnem & insitam sibi infirmitatem de omni hoste triumphauit, & infernum superauit, & in eo detentos resurrectione decorauit. Hęc vtique est eius sapientiæ multiplicitas, quòd per infirmitatem eos qui fortes videbantur debellarit.

Omnino.] In libro etiam de Diuinis nominibus cap. 4. fusè explanatum est, quid sit intelligibile & quid intelligens; nunc autem ipse Magnus Dionysius id ipsum exponit: quoniam intelligibile est id quod intelligitur, quod probabiliter etiam lumen illustrare dicitur; intelligens verò id quod dum intelligit illustratur; &, vt compendio dicam, superiores ordines sunt intelligibiles, inferiores verò intelligentes, & intelligens intelligibili subordinatur: siquidem natura diuina illustrat intellecta, sed Angelica intellectiliter illustratur.

Sacerdotalem.] Nota, quid vestis sacerdotalis in Ezechiele & Daniele.

Eorvm habitvm collectvm.] Diximus suprà, quid sit habitus in rebus incorporeis. Lege etiam Caput septimum. Per compactionem & collectionem cogitationum Pater hîc significat, propriam ipsorum circa diuinas illustrationes in boni Dei mansione identitatem semper recollectam.

Dissimilivm.] Scilicet materialium.

§. 5.

Geometrica.] De instrumentis Geometricis [agitur] in Exechiele & Zachariâ.

Correctricem.] Vt gladius in libris Regum, & falx in Zachariâ Propheta.

§. 6. Ps. 103. 3.

Ventos.] Existimo ipsum alludere ad illud Dauidis, *Qui ambulas super pennas ventorum*: vbi fortè insinuat Christi ascensionem; quoniam in sequentibus Pater ait

ipsos effictos esse specie nubis, eò quòd dictum sit, *Nubes suscepit eum ab oculis eorum.*

ABSQVE MORA.] Dixit *absque morâ*, quoniam in sensilibus propriè res in tempore tardiúsque fiunt, in incorporeis uerò ac spiritalibus in instanti, perpetímque & incunctanter peraguntur. In spiritalibus itaque non oportet temporis meminisse.

EFFICIENTIAM.] Id est spirationem, aut volatum.

SVSQVE.] Id est sursum deorsum, vt in scalâ Iacob.

AEREI.] Nota, ipsum hîc spirituum aëreum vocare ventum.

VENTOSVM.] Alia contemplatio appellationis ventorum.

SYMBOLICA THEOLOGIA.] Aduerte etiam alium Tractatum ineditum. Quatuor autem elementorum explicationem, vocat anagogicam quatuor elementorum allegoriam; in illo enim Libro fusiùs videtur quatuor elementorum contemplationem explanasse. Obserua item, quomodo interpretetur illud, *Spiritus vbi vult spirat*, per ea quæ subiunguntur; ait enim, *Nescis vnde veniat, aut quò vadat.*

SVPERMVNDIALITER REPLETAS.] Quemadmodum enim nubes è mari aquam elicit, & supra terræ faciem effundit, iuxta quod dicitur, *Qui vocat aquas maris, & effundit eas super omnem faciem terræ:* sic & mentes accipientes notitiam suam, instar nubium in inferiores explicant.

SINE FASTV.] Sine fastu seu ostentatione dixit, id est refractè: lumen enim in nube quasi refractum existit.

IMBRIS GENERATIONEM.] Considerat hîc aliter nubium significationem. Descendendo autem ait, quid in Angelis electrum, æs, nonnulli colores, & ferarum formæ significent.

RECEPTACVLVM.] Receptaculum seu gremium appellauit terram quæ pluuias excipit, è quibus fructus suos concipit ac parit.

SED QVONIAM HÆC.] Agit de figuris ferarum formas referentibus.

VESTIGIORVM.] Hinc obserua naturam leonis: aiunt enim, ipsum, dum venatores latere cupit, inter ambulandum vestigia sua delere caudâ suâ, ne cognoscantur: vnde etiam de Deo dicitur, *In mari via tua, & semita tua in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur.* Quemadmodum enim via in aquis non seruatur, neque vestigia leonis, ita nec gressus Dei.

FACILITATEM.] Aquila enim animal est visus acutissimi. Fama est, aquilas pullos genuinos ab adulterinis hac ratione discernere, vt si irretortis oculis soli obtueantur, genuini sint; sin secùs, tanquam adulterini è nido deturbentur: pari vtique ratione, qui iustitiæ Soli purè nequit obtueri, à cognitione eius alienus ac nothus reperitur.

ET ALBORVM QVIDEM.] Nota quid equi albi, cærulei, rubri, diuersicolores, designent. Porrò dissimilem similitudinem suprà cap. 4. huius Libri perfectè exposuimus.

ΤΗΝ ΚΑΤ' ΕΥΘΕΙ̃ΑΝ.] Articulus τὴν referendus est ad vocem δύναμιν, reliqua sunt intermedia.

SECVNDVM ALIAM.] Alia contemplatio de rotis.

GEL, GEL.] Nota quid *Gel, Gel*, apud Prophetam Ezechielem significet.

GAVDIO.] Quomodo cœlestia & ipse Deus dicantur gaudere.

PASSIBILIS.] Humanam voluptatem vocat passibilem, tanquam quæ constet mutabili quâpiam affectione circa corpus.

SVAVITATEM.] Nomen quidem ῥᾳστώνη applicatur iis qui nihil volunt agere, sed indifferenter viuere eligunt: hæc dictio autem significat id quod facilè est & minimè laboriosum: hîc verò insinuat beatum, & passione turbationéque vacuum. Aliter: ῥᾳστώνην vocat animæ quandam facilitatem tranquillitatémque in quiete passionibus vacante, quod vtique in Angelis cum proportione quâdam intelligendum est.

BONAM AFFECTIONEM.] Bonam affectionem hîc eo modo accipit quo solemus in rebus nostris: significat autem benè semper habere, & incolumem statum obtinere.

VIRI SANCTI.] Hæc intelligi non possunt prout sunt, nisi ab iis qui digni habiti sunt tali perfectione; quales viros, ex sancti huius sententiâ, conuenit esse Sacerdotes, vt circa rerum cognitionem diuinis illustrationibus & purâ in Deum intentione dirigantur. Mens enim ex istiusmodi diuinis illustrationibus deificata iam exinde particeps fit Angelicæ voluptatis, & illius quæ in ipsis est tranquillitatis, quâ mens, vtpote meliori sorte suauiter affecta, circa salutem eorum qui seruantur, quoad fieri potest, Deum, qui vult omnes homines saluos fieri, sine passione imitatur, dum deificis, id est, Deos efficientibus ac perficientibus illapsibus, perfruitur.

QVARVNDAM SVPERMVNDIALEM.] Quoniam ignorantem non oportet erubescere in his quæ nescit, sed ignorantiam fateri, neque temerè ad ista quæ ignorat respondere. Cæterùm sciendum est, sanctos sine rubore titulos istos, quos adhuc Gentiles habebant, sibi post conuersionem ad Christum etiam adscripsisse: ecce enim vt hic se vocet Areopagitam, & D. Iustinus libro suo Aduersus Gentiles præfixit nomen Iustini Philosophi.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§. 1. *Quid sit mentem intẽdere, quid laxare.*

AGedum, deinceps mentem nostram relaxemus à sublimibus & intensis contemplationibus (metaphora est à Musicâ, quæ concentum habet & remissum, & medium, & intensum) ad diuiduam autem ac multipartitam formarum fictionum latitudinem descendamus. Quantum enim ad materiam & formarum fictionem deducimur, tantundem cogitatione diuidimur; & quantum ad intellectilia adducimur, in tantum & colligimur, dum mens nostra vacat à multifidis istis ac terrenis sensibilibúsque fictionibus. Idcircò descendentes ad has fictiones, in iis nequaquam commoremur, sed iterùm per resolutionem mentem reuocantes, velut ab imaginibus ad simplicitatem adducamus (istiusmodi enim est & illa quæ syllogismi resolutio vocatur; vt cùm reperitur oratio composita, quam resoluimus in propositiones, & propositiones in terminos, è quibus nimirum constabat syllogismus.) Sit autem hoc tibi antè notum, sensus istos anagogicos, id est interpretatiuas explicationes, quibus ea, quæ in dictis symbolis absurda videntur, expiantur, sanctas istas dispositiones exhibere, partim sacris præsidentes, partim sacris subiectas, tam primas quã medias quã denique postremas; idque iterùm, in quantum illud primum & medium & postremum in quâlibet dispositione reperitur. Nihil itaque absurdi hinc introducitur secundùm istiusmodi modum exponendi: nam si illas ipsas quæ præsunt aliis, his ipsis iterùm in sacris subesse diceremus, verè res absurda & confusa videretur. Sin autem sacris illas præesse & subesse dicimus, non tamen easdem, & iisdem, sed quamlibet earum subesse quidem prioribus, præesse verò posterioribus, haud incongruè quis dixerit, easdem efformationes & primis & mediis & postremis, propriè simul ac verè omnino accommodari posse. Hoc autem Sanctus hic proponit, quia verba facturus est de cœlestium ordinum formationibus, & non vult proprio cuique ordini aliam atque aliam formam affingere, sed omnes simpliciter omnibus, sicut sese habet ratio veritatis. Asserit itaque quòd ad anteriora extendantur, verùm conuersiuè: siquidem ad anteriora quoque ignis extenditur, sed modo irrationali ac naturali, nullam habens conuersionem ac libertatem. Illa igitur ad anteriora extensio, & circum semetipsas constans volutatio, virtutúmque custodia propriarum (etsi enim appetant superiora, non tamen id faciunt ac si virtutum contemptu propriarum alia quærerent; quin potiùs hoc ipso magis proprias virtutes amant, quò alias appetunt,) tertiò denique inferioribus se communicandi, & ad eosdem procedendi virtus, cœlestibusquoque omnibus intelligentiis competit, licet aliis quidem vniuersim, vt sæpè dictum est, aliis verò ex parte.

In cælestibus spiritibus nõ est cõfusio functionum.

A

§. 2. *Quid sit imagines purgari. Quid significet ignis figura in Scripturis.*

Cùm itaque propositum nobis sit figuras expurgare, id est efformationes & imagines ad sublimiorem quendam sensum adducere; age, præ cæteris primùm figuræ ignis expiationem faciamus, quoniam præ reliquis Scripturæ diuinæ materialem ignis efformationem honorant. Etenim non solùm rotas igneas referunt, vt reperitur in Ezechiele dicente, *Et spiritus erat in rotis*, verùm etiam animalia ignita, iuxta illud, *Cúmque ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ*; virósque igneos, atque carbones, iuxta illud, *Carbones succensi sunt in id ipsum*; & fluuios, ac si quis Græcè dicat *πυριφλεγέθοντας*, id est flammigerantes, iuxta illud, *Et fluuius ignis scaturiebat ante pedes eius*; & iterùm thronos igneos, vt in Ezechiele tradidit: & nomen Seraphim Incensores & Calefactores sonat, calor enim ignis proprietas est, & actio eius vstio, atque omnino sursum & deorsum igneam figuram commendat. Quapropter formam igneam significare censeo cœlestium intelligentiarum Deiformitatem: quoniam *Deus noster ignis consumens* dicitur.

Ezech. 1. 21. Ibid. 19. Ps. 17. 9.

B

Deut. 4. 24.

Quin & in igne Deus visus est, vt essentia formâ carens, & superessentialis, quoniam ignis multas, si dictu fas sit, diuinæ proprietatis imagines præ se fert. Explicat hunc ignem sensilem, vt est in omnibus, quandoque quidem ipsemet ignis, quandoque verò ignis proprietas, nempe calor, per quem omnia mouentur: aiunt enim calorem esse causam motûs. Non tantùm ergo in aliis, verùm etiam in elemento maximè contrario, scilicet aquâ, calorem reperies, quomodo enim moueretur nisi spiritum haberet? iuxta illud, *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Spiritus autem omnino particeps est caloris, per quem & mobilis est & per omnia meat; verùm impermixtè; neque enim ipse, dum cum materiâ commiscetur, immutatur, sed materiam in se transmutat. Idem quoque perquam lucidus, cùm materiam apprehendit; & occultus per se, cùm non adest materia. Quis enim videt in ignili ignem, nisi excutiatur, & materiam aliquam prehendat? Ne igitur pete, quomodo sine aliquâ materiâ scintillæ accendantur: nam & ibi quædam est materia.

Gen. 1. 2.

Ignis proprietates.

C

Collisus enim aër inter illa quæ colliduntur, ille quasi materia scintillis excussis, in quo & ignis suam efficacitatem manifestat. Intolerabilis est, vt qui nullam aliam habitudinem habeat ad materiam, nisi ad consumendam eam; iuxta quam significationem dicitur etiam *ἀβίωτος*, id est, quòd cum eâ viuere non possit, non quia contemptor est rerum, sed quia vitâ abutitur. Hoc autem sensu dici *ἄσχετον* seu intolerabilem, & non *ἀκράτητον*, id est incontinentem, ex eo manifestum, quòd iterùm dicit *ἀκράτητον* seu teneri nescium. Inuisibilis etiam est, quando sine aliquâ materiâ consideratur. Per se omnia domat, tanquam à semetipso præualens, & non ab alio motus: propriissima autem eius differentia est calor, ex quo etiam in in aliis motus fit. Immutat alteráque ad suam operationem illa quibus insederit: nam & ferrum ignitum vrit. Quoquomodo accedentibus se communicat: id enim quod apponitur, pro ratione vicinæ vel remotæ propinquitatis ignescit.

D

Renouat, in quantum calidus est: siquidem senectus frigida est & difficulter mouetur, iuuentus verò calida est; & feruidè agit quisquis opera facit iuuenilia. Nam etiam, secundùm hoc, quidquid in nobis calidum est, ignitum seu viuificum dicitur, quia secundùm hoc iuuenescimus. Lucidus est, & ipsius illuminatio per se abscondi nequit. Neque verò mihi obieceris extrinseca velamina, ipse enim rursus in se lucidus manet, etsi millies tegatur. Teneri nequit: nam licet in materiâ contineatur, non tamen vt seruet illam, illíque vniatur, sed vt eâ consumptâ recedat. Impermixtus: cui enim misceri possit, cùm eo omnia subigantur, cunctáque consumantur? Discernendi vim habet: siquidem materias, vt ab argento plumbum, discernit. Immutabilis est, quatenus impossibile est manente subiecto, hoc est eâdem ignis naturâ, mutari ipsũ in proprietatibus, velut eum fieri rotundum vel angulatem, quod in terrestribus inuenire licet; aut aëris proprietates admittere, sicut per euaporationem corrumpi; vel condensari, vel sicut aquam mutationes suscipere.

E

Sursum fertur, sed celeriter in altum serpens, nullam sustinet deiectionis vilitatem. Semper mouetur, siue secundùm Vniuersi motum circularem, siue quòd semper ibidem moueatur materiam consumendo, quodammodo significans se materiam auersari, & citò velle eius vinculum abrumpere. Seipso mouetur: hunc enim & vnum ad supera motum habet. Mouet alia, per calorem suum, vti suprà diximus. Cõprehendendi vi pollet: neque enim materiam subintrando consumit, sed circa illam versatur, & amplectitur. Quòd si inquiras de iis quæ intrinsecus igne liquescunt, scito, etiam ibi ex parte aliquem complexum existere, per quem res subiecta colliquescat; sic enim etiam incomprehensus dicitur, etsi enim interiùs in quibusdam rebus reperiatur, verumtamen & ibi circumplectitur coniunctam sibi & quam consumit materiam, & ab eâ minimè continetur. Non eget altero: neque enim miscetur neque confunditur cum aliquo alio elemento, vti aqua & terra, quapropter etiam in elementis aliqui ipsum *μονώτατον*, seu in substantiâ solitarium, nuncuparunt.

F

Clàm se amplificat: secundùm enim multiplicem proportionem augetur, neque enim rationem, quam habet præambusta materia ad assumptam eandem, etiam habet ignis qui in illâ est, ad ignem qui in hac est; neque rationem, quam habet assumpta materia ad vtramque, scilicet ad seipsam & ad eam quæ antea continebatur, eandem etiam rationem habet ignis qui posteà accensus est, ad eum qui accensus ex vtraque materiâ. Idcircò dixit *latenter*, quoniam si apposita materia sit exilis, & valde multum id quod accensum est, in capaci materiâ suam indicat maiestatem: siquidem omniuorax est, & nulli parcit: id quod siccius est citò apprehendit; id quod humidius est, sensim ad sui susceptionem aptum efficit: calorem conciliat, frigus feruefacit; & simpliciter quidlibet est virtute, est efficax, potens, omnibus inuisibiliter adest, adspersus omni rei: & dum videtur non esse, negligitur, terribilis est & intolerabilis.

G

Attritu, velut indagine quâdam, subitò vt subiecto connaturalis apparet, & rursum incontinenter auolat, sicut videre licet in scintillis è silice excussis. In omnibus sui communionibus, calefaciendo, vrendo, adstringendo, illuminando, cæterísque minimè minuitur. Complures item alias quis inuenire posset ignis proprietates, velut quasdam diuinæ efficacitatis imagines, ad quas periti rerum diuinarum cœlestes virtutes effingunt, per hoc illatum deiformitatem ac diuinam, quantum fas, imitationem declarantes, dum iisdem imaginibus, quibus diuinum Numen exprimunt, in cœlestibus quoque virtutibus vtuntur.

§. 3. *Cur Angeli humana forma pingatur*

Cur autem humanas formas iis adscribunt? propter vim intelligendi. Angeli enim toti mentes sunt, & quoniam à Deo illustrantur, intelligendi vi pollent. Quin & homines quoque mentem habent animæ ducem, in quâ primùm Dei illustratio oritur, atque ita spiritalis efficitur: tum quòd homo videndi vires habeat ad anteriora conuersas, (qui enim, iuxta Prophetam, non est graui corde, supera spectat, præ cæteris animãtibus quæ terram

H

conuertunt, & videndi vires humi defixas habent:) tum etiam propter formæ rectitudinem & erectionem (Angeli enim diuini ad superna sunt erecti; vnde & homines qui superna spectant, vt phœnices florere, & tanquam cedri multiplicari perhibentur:) tum etiam propter hominum naturalem principandi & imperandi prærogatiuam, vt qui ad imaginem & similitudinem Dei facti sunt (de quibus dicitur, Et præsint piscibus, & volucribus cœli:) tum quod homo, quamuis sensu quidem, cæterorum comparatione brutorum, minimè valeat, omnibus tamen imperet præstanti vi mentis, ac rationabilis scientiæ dominatu. Hoc autem ita se habet, quoniam homines parum quid de sensu habent, respectu aliorum animalium: bruta enim prorsus sunt sensus, quo etiam reguntur, cùm sint irrationalia. In nobis autem modicum quid est sensile: neque enim ex eo constamus, sed ex Intellectili. In Angelis autem neque minimum quid est sensuum, verùm nostratia sunt rudis illorum figura. Quemadmodum igitur Angeli cùm non vtantur iis qui-

Gen. 1. 2. *Homine non ita pollent sensibus bruta.*

bus

bus nos sensuum instrumentis, plurimum antecellunt intelligentis copiâ facultatis; sic etiam homines mentis excellentiâ, & ratiocinandi scientiâ irrationalem superant naturam. Bruta itaque, quæ mente carent, meritò efficaciora sunt & celeriora secundùm sensus; quemadmodum & plantæ, quæ sunt sensu destitutæ, vegetatiuas facultates, vt altricem, & auctricem, & sui similis generatricem, habent efficaciores. Idcircò enim animali mutilato pars abscissa nequaquam iterùm potest repullulare; plantæ verò si pars resecta sit, repullulatio fit vberior, ita vt in his vegetatiua vis abundet. Propter hæc itaque omnia humanâ formâ Angelos depingunt, & propter naturalem animæ ingenuitatem & arbitrij libertatem, quæ & in Angelis agnoscuntur.

Quin licet etiam ex singulis humanis membris aptas imagines cœlestibus ordinibus accommodare. Et primùm è sensibus. Vnde videndi quidem facultates cùm perspicaces sint, & tenerum, & liquidum, & nequaquam reluctantem sensum habeant, declarant Angelorum perspicacissimam ad diuina suspectionem, & teneram, liquidámque, miniméque refragantem diuinorum luminum susceptionem; quæ velox sit & pura, & expansa ad diuini luminis exceptionem.

Quid visus.

Olfactus vires significat fragrantes distributiones excipiendi facultatem, & peritè discernendi ea quæ non sunt eiusmodi: nunquid enim audiisti quòd Deus abominationi habeat incensum quod ab indignis offertur? Idem etiam abominationi habent ordines cœlestes, & omnino fugiunt.

Quid odoratus.

Aures designant diuinæ inspirationis participationem, & eiusdem scientificam susceptionem: inspiratio enim auribus dignoscitur. Inspirationem autem vocat diuinam ac spiritalem gratiam, vti etiam reperitur in Iobo dicente, Inspiratio autem Omnipotentis docet me.

Quid aures. *Iob. 32. 8*

Gustus indicat spiritalium ciborum, scilicet diuinarum explicationum, repletionem ac saturitatem, atque insuper diuinorum riuulorum ac potionum deliciosarum susceptionem: sicut enim cibus spiritalis est, sic & potus illi proportionatus est.

Quid gustus.

Tactiles facultates signant vim dignoscendi quid prosit vel quid obsit: hoc autem est in nobis multiplex secundùm varias qualitates, vt calidum, vt frigidum; atque iterùm vt asperum, vt leue; & rursus vt durum, vt molle; iterùmque vt graue, vt leue, & secundùm alias plurimas qualitates.

Quid tactus.

Palpebræ & supercilia visum conseruant, vnde designant ibi custodiam intelligentiarum.

Quid palpebræ, supercilia, & cætera partes corporis.

Ætatis pubescentia cùm vitæ tum virtutis eorum vigorem declarat; vita enim eorum immortalis est, & virtus stabilis.

Dentes signant id quod discernit illustrationes: quælibet enim cœlestium essentiarum vniusmodi intelligentiam sibi traditam, pro inferioris ductu captúque, prouidè distribuit, multiplicátque.

Humeri declarant id quod similes motus efficit: vlnæ verò, vim operandi; & manus exsequendi potentiam.

Cor symbolum est vitæ Deiformis: sicut enim ex corde vires corpori distribuuntur, sic ex his vitalis vis in ea quæ prouidentiâ reguntur distribuitur.

Pectora (cùm pectus, Græcè στέρνον ἀπὸ τοῦ στερροῦ, id est ex firmo deriuetur, & ad subiecti cordis custodiam formatum sit) designant vim insuperabilem & conseruatricem vitæ istiusmodi.

Dorsa verò, quia continent insitam virtutem, sicut etiam omne onus corpori impositum, humeris imponi dicitur: vnde & Poësis vniuersum onus humeris imponit; ait enim Homerus,

Et ab humeris arma deponebant.

idcircò dorsa significant id quod vires continet, interiores scilicet ac vitales.

Pedes vim motricem insinuant, & cursum sempiterni motûs quo ad diuina cientur: nam idcircò etiam à Theologiâ pedes eorum alati finguntur, ala siquidem sursum eleuat, & leue esse declarat id quod alatum est. Diuini itaque illustréique Angeli ab omni re terrestri eximuntur ac perpetuò ad anteriora & excelsa promouentur. Rursùm verò illa quæ in humeris est alarum leuitas, propriè designat eorum agilitatem, quæ sine admixtione grauitatis promptè sursum fertur.

Nuditas verò calceorúmque priuatio virtutem eorum abstractam denotat, & à rebus infimis expeditam & liberam, iuxta illud, *Solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, sanctus est.* Nudipes enim liber est ab omni extrinseco impedimento. Spiritus itaque nudipedes dicuntur, tanquam liberi ab extrinseco additamento, atque ideò expediti simplicésque, secundùm eam quæ diuinæ simplicitatis dari potest similitudinem.

Exod. 3. 5

Multiformem porrò vocat Dei sapientiam, iuxta magnum Apostolum Paulum. Simplex autem & multifarium videntur esse duo contraria. Verùm dicere licet, simplicem quidem dixisse, vt ostenderet Deum esse sine compositione, & nullâ duplicitate indigere: neque enim discendo Deus sapiens fit, sed est reapse sapientia. Multiformem verò, quia in multas cognitionis species, propter eorum qui illustrantur imbecillitatem, transformatur: Pontifex enim magnus est, qui nostris infirmitatibus compatitur, Ita vt Dei quidem sapientia dicatur simplex secundùm naturam, multimoda verò secundùm prouidentiam. Cæterùm cùm hæc quoque naturâ suâ nudos cooperiat, & quædam iis instrumenta circumferenda tradat; agedum etiam ista sacra operimenta & instrumenta, prout possumus, explicemus. Ac lucidam quidem igneámque vestem, vt apud Ezechielem & Danielem reperitur, arbitror significare quatenus nimirum est ignea, deiformitatem, iuxta istam ignis imaginem de quâ egimus; quatenus verò est splendida, lucidam vim illuminandi. Cùm autem etiam vestis possessio seu supellex quædam sit quæ totum corpus ambit, vnde & amictus seu indumentum dicitur; possessionum autem & supellectilium ab alio ad alium hæreditates deriuentur, obserua quid Sanctus hîc ad hæc dicat. Ad quid vestis? propter sortes & hæreditates cœli, iuxta illud, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi.* Quodnam porrò regnum? illud vtique diuinum sempiternúmque lumen: antiqui enim λῆξιν, id est sortem appellabant hæreditatem; vnde etiam legati, & legatarij, scriptumque legatarium, quod hæredibus datur qui iam decimum octauum annum excesserunt, vt hæreditatis suæ administrationem ac gubernationem propter ætatis perfectionem adeant. Atque hæc quidem propter vestem; quin potiùs vestis propter hæc assumitur. Propter splendorem autem atque igneam qualitatem, totius etiam vestis amplitudinem quasi lucem esse ait. Qualem lucem? quæ nimirum per totum illustrat, & per totum illustratur, atque illa quidem quæ diuina natura est intelligibiliter illustrat, hæc verò quæ Angelica est intelligendo illustratur: intelligibile siquidem illud est quod intelligitur, intelligens verò id quod illustratur & intelligit. Itaque per totum illud illustrat sine vllâ parsimoniâ vel contractione, & hoc per totum illustratur, etsi, quantum fas est, suscipiat (neque enim quod mensuratum est suscipit, quia mensuratè illustratur, sed sic dicitur moderatum quid suscipere, quatenus per totum illustratur, & quantum capere potest, accipit:) nam illud illustrantis esset, ac si quis diceret, parsimoniæ vel inuidiæ, quæ procul absunt à diuinâ beatáque naturâ; hoc autem omnino facultatis est suscipientium. Porrò stola Sacerdotalis assumitur, eo quod adducant homines qui merentur ad diuina spectacula mysteriáque; sicut etiam hîc vsuuenit Sacerdotibus, per quos Baptismus, expiatio, illustratio, manus impositio, benedictioque confertur, præterquam etiam quòd tota eorum vita consecrata sit ac sanctificata.

§. 4. Sapientia Dei cur multifaria. *Eph. 3. 10.* *Vestes quid.* *Matt. 25. 34.* *Quid sit intelligibile, & quid intelligens.* *Quid vestis Sacerdotalis.*

Zonæ autem, quemadmodum hîc membra genitalia renésque succingunt, sic & ibi fecundas eorum virtutes custodiunt: diuinos enim splendores suos, quasi fœtus quosdam, cùm vnus ordo aliis, tum omnes nobis manifestant, quin & collectum suum habitum ad vnum conuertunt, sic vt intellectio eorum maneat indiuulsa, tametsi aliis communicetur; sine lapsu enim & cum de-

A

core circumuoluitur, quod etiam zonæ accidit, tametsi communicetur. Quemadmodum enim vnitas communicata rursum manet eadem, & non excidit, & circum semetipsam reuoluitur, quando v.g. dicitur vnus denarius, & vnus centenarius, & vnus millenarius; sic & illa diuina notio dum participatur, simplex in se manet, & non eacidit.

§.5. *Quid varia instrumẽta.* Ps.44.7.

Virgæ, symbolum sunt regni, & rectè, iuata illud, *Virga directionis, virga regni tui.* Significant itaque Regiam dignitatem, & à terrenâ seruitute libertatem. Cùm autem rectum sit, quod ex æquo signis suis respondet, & ex æquo terminat, virgarum rectitudo declarat eos rectè cuncta determinare; nihil enim cum curuitate aliquâ perficiunt.

Hastæ & secures denotant vim inæqualia seu materialia diuidendi: diuidunt enim à malo bonum. Nam hæc est discernendi vis, quæ acumen habet vt hasta, & actiuitatem efficaciamque vt secures.

B

Geometrica verò fabriliaque instrumenta designant, vti diximus, perpendiculum quidem geometricum, fundandi & ædificandi, iuxta illud, Vnus alterum ædificate, atque insuper perficiendi facultatem: non enim dicitur ædificator, qui fundamentum solùm ponit ac murum erigit, sed qui domum perficit; domus enim finis est, illa verò principium duntaxat sunt, & ad finem tendunt: nullum autem principium est finibus coæuum, vt neque carina naui: idcircò etiam additur *perficiendi facultatem*, & quæcunque alia, inferiores adducendi & conuertendi prouidentiam concernentia, primis illis insunt & attribuuntur.

1. Cor.4. 21.

Accidit quoque nonnunquam, vt istiusmodi instrumenta diuinorum erga nos iudiciorum symbola existant. Ac virga quidem pro correctrice disciplinâ sumitur, vti cùm diuinus Apostolus ait, *In virgâ veniam ad vos, an in charitate?* Pro vindictâ verò iustitiæ gladius, fala & securis, sicut etiam in sacris Euangeliis de ficu inutiliter locum occupante refertur. Pro libertate verò ab insidiis hæreditarius funiculus, iuxta illud, *funiculus hæreditatis.*

C

Ps.22.4.

Pro fine verò disciplinæ iterùm securis quæ mala resecat, & virga iterùm pro pristinæ felicitatis restitutione, iuxta illud, *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Pro collatione verò munerum, sensilium quidem & in ordine ad dantis dignitatem exiguorum, vt armatura seu vestis militaris, quæ visa est à I a s v Naue; spiritalium verò ac magnorum, quæ plurima variaque Sanctis manifestata sunt. Neque verò dubitabit vllo modo mens perspicax, visibilia propriè rebus quæ aspectum fugiunt accommodare.

§.6. Ps.103.3. *Quid venti.*

Quòd autem & venti nominentur, iuxta illud, *Qui ambulat super pennas ventorum*, celerem eorum volatum significat, & ad omnia fermè absque tempore penetrantem. Rectè dixit *fermè*: nam hoc proprium est ac solius Dei. *Absque tempore* autem dixit, nam in sensilibus res fiunt tardiùs & in tempore, in incorporeis autẽ & intelligibilibus, puncto temporis & sine morâ perficitur id quod faciendum est. Est & alia proprietas ventorum, quòd quemlibet motum habeant, & ad quidlibet. Aër enim recte à Platone definitur, esse elementum coi naturales sint omnes secundùm locum motiones. Ignis siquidem naturâ suâ sursum mouetur, deorsum verò contra naturam, terra verò & aqua è diuerso: sed aër naturâ suâ quaquauersum mouetur. Idem etiam obserua in cœlestibus Virtutibus, quoniam desuper quidem deorsum diuinum mandatum transferant, infernè verò sursum adducant inferiora; eadémque corroborent, ac rursum moueantur ad iis prouidendum. Posset etiam quis dicere, eiuscemodi ventorum nomen declarare eorum deiformitatem; siquidem & illi diuinæ efficacitatis imagines quædam insunt, sicut in alio Opere, quod hodie non extat, scripto tradidit. Atque hic ait, spiritum mouere & viuificare: siquidem hunc aërem spiramus ad cor resucillandum: & celeriter & incontinenter & inuisibiliter & occultè transit, eiusque principia ac termini minimè noscuntur, sicut dictum est, *Spiritus vbi vult spirat, & nescis vnde veniat, aut quò vadat.* Hæ sunt imagines

D

Ioan.3.8.

Dei: mouet ad salutem, viuificat secundùm corpus & spiritum, citò & incontinenter penetrat: vnum quod eum non admittit, est crassa conscientia: occultus est, iuxta illud, *Posuit tenebras latibulum suum*; inuisibilis est, & incomprehensibilis & æternus.

E

Ps.17.12.

Quid nubes: Act.1.9.

Sacra quoque Scriptura nubis proprietatem Angelis affingit, iuxta illud, *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Significat autem, eos occulto ac diuino lumine repleri, atque primilocam Dei illustrationem accipere: verùm hanc minimè produnt (lux enim in nube non amittitur) sed transfundunt eam ad inferiora, vt & hæc primam illustrationem habeant, atque aliis impertiant. Quin & aliter quoque nubes dicuntur, propter vim fœcundandi, & viuificandi, & augendi, ac perficiendi fructus per aquas quæ è nubibus funduntur, quibus nimirum subiectum terræ gremium pluuias excipiens ad vitales prouocant partitudines. Quemadmodum enim nubes è mari aquam elicit, & supra terræ faciem effundit, iuxta quod dicitur, *Prouocans aquam maris, effundit eam super omnem faciem terræ*: sic & mentes accipientes notitiam, instar nubium in inferiores explicant.

Amos 5.8.

F

§.7. *Quid metalla.*

Quin etiam metallorum ac lapidum nomina sanctis Angelis Scriptura tribuit. Electrum quidem, vt quod auri argentique formam præ se ferat (eiuscemodi enim electrum est) quasi in auro imputribilem & inconsumptum & inuiolabilem splendorem denotat; quoniam aurum non putrescit, nec sordes contrahit, nec rubiginem, maximè inquantum obrizum est. Etsi autem argentum rubiginem admittat, licet tamen secundùm aliam anagogen eius fulgorem ac candorem accipere (à quo & nomen argentum obtinet; ἀργὸν enim idem dicitur quod *candidum*) & hunc cœlestes virtutes referre. Æs verò, quoniam aliud quidem ignis, aliud verò auri speciem præ se fert, id quod igneum ad ignis, id quod aureum ad auri proprietates referatur.

G

Porrò diuersi lapidum colores diuersas etiam explicationes habent: nam albus lucidum significat, ruber igneum, flauus verò aureum, de quibus antè dictum est, vernans verò siue viridis, iuuenile quid ac vigorosum. Vnde autem hoc? à metaphorâ nimirum arborum vel plantarum; nam hæ verno tempore pullulantes, ac nouum quodammodò statum induentes, florent, & viridia folia habent; hoc enim est vernum: in autumno autem folia, vtpote senescentia, quendam alium colorem assumunt. Atque ita, secundùm vnamquamque speciem, obuiam quandam anagogen reperies, quam imaginum ac figurarum perpurgationem nominat.

§.8. *Quid forma bestiarum, vt leonis*

Sed quoniam de humanâ primùm formâ locuti sumus, veniamus modò etiam ad formarum ferinarum explicationem. Ac primùm quidem illam leonis contemplemur: est enim leo ferarum princeps, ac per se robustus, & ab aliis indomabilis, ac pedum suorum vestigia διὰ τῆς ἀλκαίας, id est per caudam suam obtegit (ἀλκαία autem vocatur leonis cauda, quòd eâ latera sua concutiens, quodammodò cor exciter ad ea quæ circumstant conuellenda.) Non exprimitor autem gressus eius in terrâ more cæterorum animalium, nec terram eaque quæ humi sunt spectat. Est & in Angelis suus principatus ac robur ad quæ assumuntur, & rebus materialibus atque externis edomari nequeunt. Et quia diuinum illud arcanum ineffabile esse debet, occultant & ipsi prorsus spiritalia sua vestigia ad imitationem Dei, iuxta quod de Deo dicitur, *In mari via tua; & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur.* Quemadmodum enim via in aquis non seruatur, neque vestigia leonis venatores latere cupientis, sic neque Dei. Si itaque id, quod per expressum gressum diuinæ mentes suscipiunt, denuò mysticè occultent, & sine ostentatione conseruent, quidnam iis esse possit incomprehensibile, & in diuinis viis inuestigabile?

H

Ps.76.20.

Quid bouis.

Porrò bouis forma, Angelorum robur ac vigorem signat, quo spiritales sulcos viriliter, vt sic dicam, dilatant, proprias inquam mentes, ad fœcundos diuinosque imbres suscipiendos: cornua verò seruatricem inuictamque vim declarant; siquidem his boues se defendunt,

ac

ac habent vt ab aliis superati non possint.

Quid aquila.

Age etiam aquilæ imaginem contueamur. Regiam enim dignitatem & sublimem volatum etiam habent Angeli, vti & velocitatem. Et sicut aquilæ, dum in sublimi volant, acres sunt, & vigilantes, & intenti, facilésque ad prædam quærendam (vnde ipsas in sublimi volitantes neque sub arbustis latitans animalculum fugit:) sic & ipsi expediti sunt ad conuenientem sibi ac diuinum cibum capiendum. Verùm aquilæ deorsum exquirunt alimentum at, Angelis sursum est cibus potentificus: omnis enim cibus, & non solus panis, cor hominis confirmat. Habent quoque vim, robustis oculorum intentionibus, irreflexè contemplandi vberrimum latéque diffusum radium, quem ex se diuinus ille sol eoibrat: ferunt enim, aquilas pullos suos genuinos à nothis ita discernere. Si irretortos oculos in solem intendunt, genuini habentur; sin secùs, vt nothi & adulterini è nido deturbantur. Eadem itaque ratione, qui iustitiæ Soli non valet obtueri, à cognitione eius alienus ac nothus reperitur: verùm illæ diuinæ mentes, quæ illum irretortâ quantum fas est acie contemplantur, genuini sunt.

Quid equi.

Equorum autem figura significat obedientiam & obseruantiam Angelorum, iuxta quod dictum est, Qui continet frena intemeratarum virtutum. Et alborum quidem candorem denotat, vtpote diuino lumini maximè affinem: cæruleorum verò, & quodammodò nigrorum, diuinum illud arcanum; siquidem id quod nigrum est, & obscurum est & occultum: rubrorum autem, cùm etiam ignis ruber sit, quid igneum atque adeò efficax: albo denique nigróque colore commixtorum, seu fuscorum figura, significat id quod extrema vi quàdam traduce connectit, secundùm quam prima posterioribus prouidendo, & posteriora primis conuertendo connectuntur.

Verùm nisi sermonis modum quæreremus, (satietas enim dictionis inimica est auditoribus) singulas etiam animalium proprietates, omnésque corporeas eorum effigies, cœlestibus virtutibus proportione quadam dictis dissimilibus similitudinibus accommodaremus, (dissimilibus quidem, quoniam imagines materiales multùm ab iis discrepant; similitudinibus tamen, iuxta cognitam allegoriam & conuenientem rebus propositis anagogen:) possemúsque dicere de illorum iracundiâ, illam esse spiritalem quandam fortitudinem, cùm ea non simplex sit virtus animæ, in eodem semper statu permanentis siue iucunda siue tristia incidant, vt neque iucundis rebus dissoluatur, neque tristibus deiiciatur; cuius fortitudinis iracũdia quoddam extremum est vestigium. Porrò dicamus primùm, quomodo iracundia pro fortitudine, & non pro aliâ virtute aliquâ accipiatur. Sciendum, tres esse animæ portiones, rationalem videlicet, irascibilem, & concupiscibilem; & quatuor esse virtutes originales, scilicet prudentiam, fortitudinem, temperantiam, & iustitiam. Vnaquæque itaque virtus quamlibet animæ portionem ornat & dirigit, prudentia rationalem, fortitudo irascibilem, temperantia concupiscibilem; iustitia verò communis est omnibus. Quando enim prudentia rationem ornat, fortitudo autem iracundiam, temperantia verò concupiscentiam, tunc homo ex iustitiâ regitur, & iustus dici possit. Meritò igitur iracundiam accipere liceat pro fortitudine quæ ipsam ornat. Sic verò ira vltimum vestigium est fortitudinis, quia ira est quædam ebullitio sanguinis circa præcordia, ex appetitu vindictæ. Corporea itaque iræ materia, est sanguis qui circa præcordia est; forma verò spiritalis & incorporea, est appetitus vindictæ; irascibilis autem portio animæ, pars est animæ & incorporea. Fortitudo igitur, cùm habitus sit & virtus, irascibilémque motum ordinet & ornet, minimè transfert illum ad aliquam mollitiem, aut quasi à naturâ abducit: vnde etiam sinit illum proprietate suâ vti, verumtamen decenter, & vt oportet. Accipit materiam, id est sanguinem præcordialem, vúltque efformare appetitum quendam vtilem ac decentem, qui fortitudine regatur, ad res tristes despiciendas & iucundas contemnendas, in arduis perdurando, passionibus moderando, res honestas æmulando, res prauas abolendo, verum hostem propulsando: quæ vtique omnia, nisi circum præcordia sanguis efferuesceret, nequaquam profectò successum rectum sortirentur. Hoc enim & Dauid ait, *Accendit me Zelus tuus*; &, *Zelus domus tuæ comedit me.* Ecce itaque, propositâ materiâ secundùm hæc efformatâ, quædam alia species subintrat, nempe appetitus vindictæ: & quod ad fortitudinem dirigitur, fit iracundia. Sanguinis enim feruorem informat appetitus, sed in alio quodam dissimili: propter quod ira dicitur extremum fortitudinis vestigium, ac si quis extremum vocis vestigium vocet sonum, cùm vocis finem non habeat; nam vocis finis est quidpiam significare. Eodem modo hîc feruor sanguinis, cùm non habeat finem proprium: finis autem eius, est omne bonum, vt Aristoteli placet. Habuit itaque finem, si à fortitudine formam acceperit, & honestè ad id quod oportebat, & eâ quâ decebat ratione mota fuerit. Rursum cupiditatem ad diuinum amorem reducere debemus. Vt quid autem non ad temperantiam, sicut iracundiam ad fortitudinem? quia nimirum iracundia non dicitur ad aliquid, neque enim dicitur alicuius rei iracundia; vnde cùm secundùm se sit, ad fortitudinem translata est, quòd sufficiat virtuti vt ad hanc reducatur: concupiscentia autem refertur ad aliquid amabile, quod & appetibile dicitur. Qui itaque rem vtilem, appetibilem & amabilem concupiscit, temperans dici possit; & quantò res quæ appetitur sublimior existit, tanto quoque ipse temperantior. Quid autem diuino amore sublimius? hæc itaque de his diximus. Et, simpliciter loquendo, possemus omnium animantium rationis expertium & sensûs & multa membra ad immateriales illas virtutes transferre, & ea quæ composita sunt, ad vniformitatem simplicitatémque traducere: sed prudentibus non hæc solùm (quoniam hæc fortè multa) satis sunt, verùm etiam vel vnius imaginis anagoge, quam ἀνακάθαρσιν seu expurgationem vocant, vt quæ ad vniformitatem adducat, & intelligendi facultatem in materiali similitudine purificat: vel vnius itaque imaginis enucleatio ad cæterarum quoque explicationem satis est.

Ps. 78. 5. *Ps. 68. 10.*

De animi passionibus ac virtutibus.

§. 9. Quid flumina, rotæ, &c.

Cæterùm consideranda quoque sunt reliqua, quid sibi velint flumina, rotæ, & currus, quæ cœlestibus essentiis coniuncta perhibentur. Ignea proinde flumina diuinos riuos declarant, quæ largum perennémque fluxum cœlestibus virtutibus suppeditant. Cùm autem ignis sit viuificus, non quidem in quantum ignis est, sed in quantum calidus & nutritiuus existit, diuini quoque æstus istiusmodi atque inundationes viuificant, simul ac nutriunt fœcunditatem Angelorum. Currus significant eorundem coniunctionem ac communionem. Verumtamen quidni de illis quispiam id dixerit, cùm & in nobis hoc appareat? Quin & illud quoque symbolum communionis existimo, quòd duas manus habeant, & duas nares, & duos oculos, & duas aures, & duos pedes, & duplicem tam dentium quàm labiorum ordinem, & cætera, ne singulis immoremur. Rotæ autem, cùm pennatæ sunt & ad anteriora sine inflexione procedant, virtutem denotant: nam Articulus τὴν ad Virtutem referendus est, cætera verò intermedia suor. Virtutem itaque significant viæ rectæ, & rectitudinem eorundem operationis. Quomodo autem eorum via circularis est, & recta? Circularis est, quoniam in circuitu ambulabant; recta verò, quia sine reditu & semper ad anteriora pergebant, non autem aliquando quidem antrorsum, quandoque verò retrorsum, vel dextrorsum vel sinistrorsum: idcircò etiam intellectilis eorum volutatio in eandem viam rectam arduámque supermundialiter dirigitur.

Licet etiam alio sensu anagogico istiusmodi rotarum descriptionem interpretari. Nomen enim eis, vt ait Propheta, Gel Gel impositum est, quod Hebraico sermone reuolutiones reuelationesque significat: cœlestia enim reuolutiones suas habent eo motu, quo circum bonum ipsum perpetuâ conuersione versantur, reuelationes verò, obscurarum rerum manifestatione. In quarum enim rotæ voluuntur, inferiora reuelantur, & superiora fiunt inferiora.

feriora. Humiliora itaque & inferiora, secundùm cuiuslibet horum ad diuinum Numen adductionem, eriguntur, & sublimes illæ illustrationes per prouidentiam remissiori gradu demittuntur.

Quid gaudij. Luc. 15. 10.

Restat nobis dicendum de gaudio, iuxta quod in Euangeliis ait Dominus, Gaudent Angeli super vno peccatore pœnitentiam agente. Quodnam itaque est gaudium Angelorum, neque enim quis dixerit, in Angelis humanam esse possibilem aliquam voluptatem, veluti affectione circa corpus facilè mutabili constantem; sed Deo dicuntur congaudere ob eorum qui perierant inuentionem, diuinâ scilicet delectatione, quemadmodum in Euangeliis accepimus. Proportionaliter itaque de Angelis nomen hoc *ῥᾳστώνης* seu oblectationis accipiendum est: *ῥᾳστώνη* enim est spiritalis quædam facilitas tranquillitasque in quiete passionibus vacante. Ponitur autem etiam pro iis qui laborare nolunt, sed indifferenter viuere eligunt, significatque hæc dictio id quod facile est & minimè laboriosum: in Angelis autem insinuat beatum & passione turbationeque vacuum. Congaudent itaque Deiformi quadam oblectatione Angelis conueniente, idcircò etiam dixit Deiformi: Angeli enim cùm sint inter Deum hominesque medij, rebus quidem inferioribus effigiantur, superioribus autem insinuantur. Quemadmodum igitur etiam alia terreno quidem more dicuntur, sed deiformiter accipiuntur, ita fit etiam in hoc nomine *ῥᾳστώνης* seu oblectationis: est enim illis gaudium copiosum, & bono Deo conueniens, de salute hominum ad Deum conuersorum, & ad hoc à diuinâ prouidentiâ deductorum. *Conuertimini ad me*, inquit Dominus iis, qui adhuc sub peccatorum seruitute detinentur, *& conuertar ad vos*. Et hoc est quod à magno Paulo significatur, Christum pro nobis, cùm adhuc peccatores essemus, mortuum esse. Gratiæque sint infinitæ eius longanimitati & bonitati, quòd non solùm acceptam habeat pœnitentiam, verùm etiam prouocet & conuertat ad pœnitentiam. Etsi itaque passio non sit in Angelis, est tamen in iis bona affectio. Et quamuis hoc nomen à nobis desumptum sit, magis tamen est proprium: *εὐπάθεια* enim motus quidam est cum passione coniunctus, sed *εὐπάθεια* habitus est affectionis bonæ. Benè itaque affectos esse Angelos, significat eos benè se habere per omnia, & incolumem eorum statum existere. Gaudium igitur designat ineffabilem illum affectum bonum, cuius etiam sæpenumero participes fuere Sancti, per illapsus diuinos diuinarum deificarumque illustrationum: quo sensu etiam rectè capi possit sacrum illud dictum Euangelij, *Gauisi sunt discipuli viso Domino*. non enim simplici ratione videbant ipsum vt aliàs, sed post mortem viuum, & ex mortuis post sepulturam, & cum humano decore diuinis quoque dotibus illustrem. Pulchrè hoc, vti & alia complura à Sancto hoc viro sacro ac sublimi modo disputata sunt; vnde etiam concludens sermones suos ait: Hæc quidem de his, quæ licet ab accuratâ tractatione absint, tamen id efficient vti spero, ne abiectè typis immoremur, quando de Angelis quidpiam in Scripturis audiemus. Quòd si obiicias, ô dilecte Timothee, nos non omnium, quæ in Scripturis sacris de Angelis dicta reperiuntur, mentionem fecisse; respondemus id quod res est, eorum quæ prætermisimus aliqua captum nostrum superare, quorum etiam scientiam non habemus, sed potiùs iis addiscendis alio nobis Doctore opus est; alia verò iam recensitis æquipollere, atque ideò prætermisisse, vt sermonis modum seruaremus, & arcanum illud, quod captum notitiamque nostram fugit, silentio honoraremus.

Zach. 1. 3. — *Ioan. 20. 20.*

S. DIONYSII AREOPAGITÆ de Ecclesiasticâ Hierarchiâ:

INTERPRETE BALTHAZARE Corderio Societatis Iesu Doctore Theologo.

CAPVT PRIMVM.

Sympresbytero Timotheo Dionysius Presbyter.

Quæ sit Ecclesiasticæ Hierarchiæ traditio, & quis sit eius scopus.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Ecclesiasticam Hierarchiam descripturus monet, sacra Religionis Christianæ mysteria non temerè profanis reuelanda, sed baptizatis, pro cuiusque captu ac modulo, clarè, quoad fieri potest, explicanda esse ab iis quibus in Ecclesia cùm docendi tum Sacramenta administrandi munus concreditum est, qui hoc in mundo Angelos imitantur.*

2. *Cùm priori Libro Angelicam Hierarchiam descripserit, ait, nostram Hierarchiam cum illâ conuenire in eo, quòd inferiores à superioribus ad perfectionem instituantur, & ad Deum adducantur: differre autem in hoc, quòd illi, vt spiritus, simpliciori ac spiritaliori modo illustrentur; nos autem, cùm animâ corporeque constemus, & rebus spiritalibus immediatè intendere nequeamus, per sensiles imagines ac figuras ad spiritales contemplationes surrigamur, vnde etiam inæqualiter Deum participamus.*

3. *Definit, quid sit Hierarchia in genere, & quid sit hæc nostra Hierarchia, scilicet esse Sacrorum omnium dispensationem, cuius principium sit SS. Trinitas; finis, vnio cum Deo.*

4. *Ait, Deum tam nobis quàm Angelis conuenientem cuique Hierarchiam prouidisse, illis quidem magis spiritalem, nobis verò magis materialem; quippe cuius substantia sunt Scripturæ ac traditiones, quæ in symbolis & figuris res sacras nobis proponunt.*

5. *Ostendit, cur Sacramenta nostræ Hierarchiæ sub symbolis sensibilibus tradantur; quia nimirum id conditioni nostræ magis congruit, & ad rerum sacrarum venerationem facit, ne à profanis contemnerentur.*

§. 1. Scopus huius Operis.

HIERARCHIAM nostram, sacrorum filiorum sacratissime, Deo insitæ ac diuinæ deificæque scientiæ, nec non afflationis & perfectionis esse functionem, ex supermundialibus & sacratissimis Oraculis demonstrandum nobis est iis, qui ex Hierarchicis mysteriis traditionibusque sacro sunt hoc munere initiati. Sed vide ne explodas Sancta sanctorum, quin potiùs arcana Dei reuereberis, ac spiritalibus inaspectabilibusque notionibus celebrabis, inaccessa quidem profanis illa & intacta reseruando, solis verò sanctis cum sacrâ quadam, vti fas est, claritate res sacras communicando. Sic enim; vti nobis diuinis contemplatoribus tradidit Theologia; etiam ipsemet IESVS (diuinitate transcendens ac superessentialis mens; vniuersæ ordinationis sacræ, sanctimoniæque ac diuinæ functionis principium & essentia, virtusque diuinissima) beatis istis nobisque multò præstantioribus naturis manifestiùs simul & intelligibiliùs affulget, & ad propriam, quoad fieri potest, eas lucem informat: quin & intento in eum amori nostro, & ad res nos probas incitanti; frequentes admiscet varietates, atque ad vniformem ac diuinam nos vitam instituens, habitudinem quamdam, & rerum, vti par est, sacrarum effectricem diuini sacerdotij virtutem impertitur; quâ ad sacram Sacerdotij functionem accedentes, ipsimet etiam supernis istis spiritibus, sacri illorum status, quantum licet imitando constantiam ac firmitatem,

H Mysteria Christianæ Religionis soli Christianis reuelanda.

Christus & Angelis clarè in gloriâ nobis obscurè per symbola communicat.

mitatem, propinquiores euadamus, adeoque ad Iesu quoque beatam illam diuinamque lucem aspicientes, sacro, quoad intueri fas est, ritu speculantes, visionum etiam, iuxta mysticam scientiam, illustrati cognitione, consecrati ac consecrantes, luciformes ac deifici, perfecti ac perfectores euadere poterimus.

§. 2. De Angelorum ordine vide librum de Cœlesti Hierarchiâ.

Quisnam sit ergo sacer Angelorum & Archangelorum ordo nec non supermundialium Principatuum ac Potestatum, Virtutumque ac Dominationum, & Thronorum diuinorum æqualiumque Thronis naturarum, quas assiduò perpetuoque circa Deum & cum Deo versari Theologia tradit, Cherubim illas Hebræo vocabulo ac Seraphim appellans, ea quæ de sacris beatarum istarum mentium ordinibus ac distinctionibus à nobis conscripta sunt euoluendo, comperies; in quibus etsi non pro merito, pro virili certè nostro, & quoad sacratissimarum Theologia Scripturarum explanauit, sacrum illarum ordinem concelebrauimus. Illud tamen dicere necesse est, quomodo cùm, illorum omnis qui modò à nobis deprædicatur sacer ordo, vnam habeat eandemque in omni sacrâ suâ functione virtutem, vt & ipsemet sacri ordinis Antistes pro sui status, dignitatis atque ordinis ratione diuinis initietur ac Deo vniatur, subditosque suos, pro cuiusque dignitate afflatæ sibi diuinitus sacræ deificationis participes reddat; sic vt subditi superiores quidem sequantur, ita tamen vt & ipsi simul inferiores ad anteriora promoueant, qui iam prouecti, aliis etiam pro virili ducatum præstent, atque hac diuinâ sacraque ordinis consensione, pro modulo quisque suo, verè essentiâ suâ pulchri, sapientis ac boni particeps existat.

In quo noster ordo Hierarchicus cum Angelis conueniat, & in quo discrepet.

Cæterùm sublimiores istæ naturæ ordinesque, quarum venerandam suprà fecimus mentionem, & incorporeæ sunt, & spiritalis ac supermundialis sacer illarum magistratus existit; nostrum verò cernimus, diuersâ ab ipsis ratione, sensibilium varietate signorum multiplicari, quibus sacrosanctè ad vniformem deiformitatem pro captu nostro, & ad Deum diuinamque virtutem promouemur. Istæ quidem, vtpote mentes, prout illis fas est intelligunt; nos verò à sensu perceptis imaginibus ad diuinas, quantum possumus, contemplationes subleuamur. Et, vt verè dicam, vnum quidem est, quod omnes qui deiformes sunt appetunt, eius tamen, quod omnino vnum atque idem est, non vnimodè participes existunt, sed prout cuilibet pro merito sortem diuina trutina distribuit.

Verùm ista in Opere de iis quæ sub intellectum ac sensum cadunt, fusiùs à nobis enucleata sunt; modò verò sacrum nostrum ordinem, eiusdemque originem & essentiam, quoad facultas suppetit, exponere conabor, omnium sacrorum ordinum principium ac consummationem inuocans Iesum.

§. 3. Quid sit Hierarchia seu sacer ordo in genere, & quid noster ordo sacer.

Est Hierarchia seu ordo sacer omnis, iuxta venerandam nobis sacrosanctam traditionem, vniuersalis rerum sacrarum illi subiectarum ratio, seu generalissima eorum, quæ sub ordinem cadunt, id est sacrorum, summa. Sacer igitur ordo noster dicitur & est functio, vniuersa sacra in se complectens, quâ diuinus Pontifex initiatus, omnium per se rerum sacratissimarum particeps existet, in quantum Sacerdos summus appellatur. Sicut enim qui sacrum ordinem nominauit, omnium simul compendio sacrorum dixit dispensationem; ita qui summum Sacerdotem appellat, Deo intimè vnitum ac diuinum planè virùm significat, omni sacrâ cognitione perpolitum, in quo omnis quæ illi inest, potestas sacra consummatur atque cognoscitur. Huius origo sacri principatus fons est vitæ, essentia bonitatis, vna rerum omnium causa Trinitas, ex quâ per bonitatis redundantiam & ipsum esse, ac benè esse rebus. Huic autem omnia transcendenti diuinissimæ beatitudini trinæ vnitati, verè existenti, modo quidem nobis incomprehenso, ipsi autem notissimo, in votis quidem est rationalis [creaturæ] salus, tam nostra quàm mentium supernarum. verumtamen hæc salus iis qui saluantur non nisi iam deificatis potest obtingere. Est autem hæc deificatio, Dei quædam, quoad fieri potest, assimilatio vnioque. Omni porò ordini sacro communis scopus est, erga Deum & res diuinas continua dilectio, quæ diuinitus inseritur, & per eius vnionem consummatur, quæque hac prior est, illi aduersantium omnimoda & inreuertibilis fuga, cognitio rerum quà res sunt, sacræ veritatis visio scientiaque, simplicis perfectionis eius qui summè simplex est, diuina participatio; fruitio intuitionis, quæ omnem sui contemplatorem spiritali modo reficit deificatque.

Origo Hierarchia est SS. Trinitas.

Quis sit scopus Hierarchiæ.

§. 4. Deus tam nobis quàm Angelis conuenientem cuique Hierarchiã dedit.

Dicimus itaque, Dei-principalem beatitudinem, quæ naturâ Deitas est & principium deificationis, ex quo ij qui deificandi sunt deificantur, diuinâ bonitate sacrum ordinem, in salutem & deificationem omnium, cùm rationalium tum spiritalium essentiarum, concessisse. Ac superis quidem beatoque otio fruentibus, modo magis immateriato ac spiritaliori (non enim extrinsecus eos Deus ad diuina mouet, sed intelligibili ratione, atque intrinsecus purâ liquidaque illustratione diuinissimam iis voluntatem irradiando) nobis autem quod simpliciùs illis collectimque præstitum, ex diuinitus traditis Eloquiis, pro captu nostro, diuisibilium varietate multitudineque signorum donatum est. Substantia enim Hierarchiæ nostræ sunt diuinitus tradita Oracula. Maximè verò ista Oracula dicimus veneranda, quæ à sacris nostris Initiatoribus diuino spiritu afflatis, in Scripturis sacris librisque Theologicis tradita nobis sunt; vti & illa, quæ ab iisdem viris sanctis subtiliori, non omnino dissitâ ab ordine cœlesti insinuatione, de mente in mentem, mediante verbo, corporeo quidem illo, simul tamen immateriato, sine scriptione, institutores nostri sacrâ quadam traductione sunt edocti. Neque verò ista diuino spiritu afflatorum sacrorum Præsulum monumenta, in sacri ordinis commune donum, pro parulis intelligentiis, sed symbolis quibusdam sacris traducta sunt; non enim quilibet Sacerdos, neque omnium, vt Eloquia tradunt, scientia est.

Substantia Hierarchia nostra est verbum Dei tum scriptum tum traditum.

§. 5. Cur Sacramenta nostra Hierarchia in sensibilibus symbolis tradantur.

Necessariò igitur primi sacri ordinis nostri moderatores, supersubstantialis Dei principatûs sacro ipsi munere pleni, & in posteros illud ipsum deriuatum à diuinâ bonitate missi, cùm & ipsi, vtpote diuini, promotionem deificationemque posterorum affatim desiderarent, sensibilibus figuris supercœlestia, & quod vnitate collectum est variâ cùm distinctione tum multitudine, nec non in humanis diuina, & in materiis immateriata, atque in nostratibus rebus supersubstantialia, quà scriptis quà non scriptis institutionibus, in sacratissimis Oraculis nobis tradiderunt: nec id propter profanos tantùm, quibus vel ipsa signa tangere nefas sit, sed quòd noster, vt dixi, sacra ordinandi ritus, cum illorum comparatus, symbolicus existat, sensibilibus signis opus habens, ad diuiniorem nostri ex illis ad intelligibilia sublimationem. Attamen manifestæ simul sunt Sacerdotibus signorum rationes, quas sacrorum etiamdum candidatis explanare nefas, quòd exploratum sit, sacrorum diuinitùs traditorum Legislatores, stabilibus atque impermixtis ordinum distinctionibus, cuiusque merito accommodatis, disparilibus ac sacris partitionibus sacrum ordinem distribuisse. Quapropter tui etiam ipsius sacrosanctis pactionibus persuasus (earum enim meminisse sanctum) Episcopatus quidem ordinem, vt cæteris præstantiorem, nequaquam alteri communicabis, præterquam tui similibus deiformibus Sacerdotibus: ipsisque persuadebis, vt iuxta ritum hierarchicum profiteantur, sancta quidem sanctè contrectare, solis autem deifica diuinis, perficientia perfectionis capacibus, sanctisque sanctissima communicare: nam præter alia sacrorum ordinum munera, hoc quoque diuinum tibi munus demandamus.

Sacerdotibus nostra Hierarchia symbola patere.

Hierarchia cuique sacra pro meritis communicat.

SCHOLIA S. MAXIMI.

§. 1.

DEIFICÆ.] Deificæ inquit id est ex Deo factæ, videlicet hominibus datæ, & quia Christianorum Hierarchia deos efficit, perficitque.

TRADITIONIBVS.] Quia scientiam Hierarchicam ex traditione accepit.

A

Ne explodas.] Id est, nequaquam ludicrè & irreuerenter profanis omnibus manifestabis, res diuinas mysticasque risui exponens.

Solis vero sanctis.] Quoniam haud oportet sancta profanis explanare, neque margaritas suibus proiicere.

Divinissima mens.] Notandum contra Nestorianos, mentem etiam de Deo dici. [Vox] autem *sanctimoniæ* seu puritatis, ad sanctitatem [refertur.]

Qvoad fieri potest.] Secundùm virtutem intelligibilium & intelligentium naturarum, non verò secundùm potentiam ipsiusmet Iesu: nam hic infiniti-potens est, in quantum Deus.

Connectit.] Horum interpretatio est in quinto capite libri de Diuinis nominibus.

Quid vocet varietates.

Mvltas varietates.] Multas varietates existimo vocari multiformes carnalium desideriorum sollicitudines, quas Dominus prohibet; vniformem verò diuinamque vitam, quærere inprimis regnum Dei, & iustitiam eius, vti Dominus in Oratione suâ significauit, cùm ait, *vt sint vnum*. Id autem quo sic anima disponitur, sacrum habitum appellauit: qui vel maximè Sacerdotibus est consentaneus.

B

Ioan. 17. 21.

Quid visionum cognitio significet.

Visionvm etiam cognitione.] Id est, scientificâ verborum ac documentorum quæ de Deo agunt intellectione; quæ nimirum non ex nudo Scripturarum auditu, nudáve sacrarum doctrinarum pronuntiatione existit, sed ex mentis consecutione, & intelligentiâ eorum quæ celebrantur. Sic enim qui iuxta Deum sunt, primùm ipsi Deo consecrantur, atque ita deinde alios ad ipsum promouent, perficiuntur, & rursus perficiunt.

§. 2.

Angelorvm est.] Quoniam etiamnum nouem ordines memorat, quorum anteà in libro de Cœlesti Hierarchiâ mentionem fecit.

Et omnis qvi modo depraedicatvr.] Quæ sit virtus vniuersæ Hierarchiæ.

C

Et ipsemet sacri ordinis Antistes.] Id est Episcopus.

Svbditosqve svos.] [Agit hîc] de promotionibus.

Sic vt svbditi seqvantvr.] Presbyteros, Diaconos, & cæteros.

Cætervm istæ qvidem.] Cœlestis ac sensilis Hierarchiæ comparatio.

Sensibilivm signorvm.] Sensibilia signa sunt ista Sacramenta quæ deinceps exponuntur, scilicet Baptismus seu illuminatio, Synaxis siue communionis Sacramentum, &c.

Vnvm qvidem est.] Scilicet Deus.

Non vnimode.] Pro vniformiter, & secundùm vnum eundemque modum.

De intellectilibvs.] Notandum est, librum istum, quem scripsit de iis quæ sub intellectum ac sensum cadunt, apud nos minimè reperiri.

D

Fvsivs.] Id est planiùs.

§. 3. Hierarchia quid.

Est qvidem Hierarchia.] Est, inquit, Hierarchia, quemadmodum veneranda nostra traditio proponit, ea quæ vniuersim de propositis his sacris rebus vel videntur, vel dicuntur, vel etiam fiunt. Summam enim seu summarium vocat, totius complexionem; sicut recapitulationem dicimus, cùm paucis ea, quæ antè dicta sunt, repetuntur.

Generalissima.] Generalia sunt illa, quæ plura complectuntur. Ait ergo, cùm Hierarchia de omni ordine dicatur, Hierarchiam esse principaliorem quandam ac generaliorem omnis Hierarchiæ summam; verbi gratiâ, vt Hierarchiæ siue Ordinis Presbyterorum Hierarchia sit Episcopus, qui debet nosse expiare, illustrare, atque perficere; Hierarchiæ verò Diaconorum Hierarchia sit Archidiaconus, qui officia ministrorum nosse debet; atque ita cæteros deinceps ordines.

Svmma.] Summa sacrorum, est vniuersi ordinis Ecclesiastici scientia.

E

Hvivs origo.] Quod sit principium Hierarchiæ, & [ibidem] de Trinitate.

Notvm.] Obserua, S. Trinitatem habere notionem propriæ existentiæ, sicut modò dicimus, eam solam nosse propriam essentiam.

Rationalis.] Nota, Angelos & homines naturas esse rationales.

Hæc vero non aliter.] Scilicet salus.

Hæc avtem deificatio.] Quid sit deificatio.

Quid scopus Hierarchia.

Hierarchiæ.] Quis vniuersæ Hierarchiæ finis, & qualia munia sint Episcopi. Nota verò, vt finem seu scopum omnis Hierarchiæ, tam Angelicæ quàm humanæ, dicat esse Dei diuinarumque rerum dilectionem, & quæ deinceps commemorantur. Porrò verba ista, *quæ per cum vnionem consummatur*, declarant totalem & vniformem Dei cultum ac contemplationem.

F

§. 4.

Svperis.] Nota, quomodo Deus intelligibiles illas virtutes moueat, & quomodo nos illustremur.

Quomodo Angeli, homines erudiantur.

Non enim extrinsecvs.] Siquidem homines extrinsecus à creaturæ contemplatione, verbisque doctrinalibus, & aliis similibus, veram cognitionem hauriunt: Angeli verò intus secundùm spiritalem virtutem suam illustrantur, ac diuinâ voluntate insigniuntur, id est, ad diuinam imitationem rerumque, quà res sunt, notionem efformantur.

Quomodo Spiritus intrinsecus illustrentur.

Sed intelligibili ratione.] Considerandum, quomodo Dei illustrationes intrinsecus, & non forinsecus, sacras illas mentes afficiant: dixit enim, Deum intellectiliter ipsos illustrare. Nam cùm intelligens quidem sit id quod intelligit, intelligibile verò id quod intelligitur, cibus autem & quasi sustentatio intelligentis sit id quod intelligitur, meritò Deus vtpote qui mentes incorporeas ipsemet intelligit & ab ipsis intelligitur, quantum assequi possunt, ipsis factus interior eas illustrat, sic vt mens tum intelligat tum nutriatur.

G

Quid sint symbola diuina.

Divisibilivm signorvm.] Symbola diuisa vocat hîc doctrinas Scripturæ multiformes, præsertim quæ per symbolicas rationes naturæ diuinæ ac spiritalium substantiarum contemplationem introducunt, quin etiam subinde ritè dirigunt actiones, vt præcepta legalia, quæ ad moralem allegoriam referuntur. Maximè verò ritus Sacramentorum in symbolis figurisque conspiciuntur.

Svbstantia.] Nota quænam sit substantia nostræ Hierarchiæ, & quænam sint Oracula diuina.

Quos vocet sacros initiatores.

Sacris initiatoribvs.] Sacros initiatores vocat Apostolos, quos etiam præceptores appellauit. Libros autem Theologicos vocat Biblia, cùm veteris tum noui Testamenti. Immaterialiorem verò institutionem [vocat] eam sensuum Scripturæ notitiam, quam Apostoli à Spiritu sancto acceperunt (Scripturam autem corporeum sermonem appellauit) ex quâ doctrinâ noui quoque Testamenti documenta constant. Porrò illam Spiritus illustrationem, quæ principali animæ portioni inseritur, cœlesti Hierarchiæ affinem esse dixit.

H

De mente in mentem.] Obserua, etiam mediante verbo, eóque non scripto, mysteria quædam esse tradita; vnde ibidem subaudiendum est verbum *tradita sunt*. Dixit autem *symbolis quibusdam sacris*, propter mysteria deinceps exponenda, etiam contemplatione anagogicâ digna censet.

§. 5.

Sensilibvs figvris.] Agit de figuris seu imaginibus.

Qvod collectvm est.] Vide hîc claré quid sit ἐπισυγμένον.

Non-scriptis institvtionibvs.] Nota, non-scriptis etiam institutionibus res diuinas nobis esse traditas.

Symbolica.] Quoniam humana Hierarchia symbolica existit, & ex signis sensilibus: id est, haud nude diuinis rebus intendimus, sed per symbola perficimus, scilicet

calice benedictionis, vt ait Apostolus, & pane quem frangimus, & cæteris.

DETECTÆ.] Id est notæ, & quarum rerum ac mysteriorum sunt declaratiuæ.

NEQVAQVAM ALTERI COMMVNICABIS.] Quia sine periculo res mysticæ proferendæ sunt.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

POst cœlestem Hierarchiam tractat etiam de nostrâ Hierarchiâ, quam non dixit terrenam: quia licet in terrâ administretur, scopus tamen & finis eius cœlestis est, cùm ad imitandum Deum inducat hominem, non secùs ac illa diuinas cœlestesque Virtutes; siquidem principaliter ac propriè, expiare, illuminare, perficere, Dei est, secundariò autem etiam Angelorum, secundùm verò tertiam rationem etiam ipsorum hominum, quoniam hæc tria sunt munus Hierarchiæ. Hæc dum in supernis quidem essentiis perficiuntur, tametsi sint mysteria, quippe Dei opera sublimissima, verumtamen quoad illas non sunt mysteria; quoniam omnes sanctæ sunt & gratiâ Dei consecratæ, quamuis altera sit alterâ præstantior, secundùm rationem quæ illic est, siue ordinis siue virtutis: quæ verò apud nos perficiuntur, mysteria seu Sacramenta dicuntur, non enim omnes puri sunt, neque etiam initiati. Vnde in illis omnibus ista sunt, etsi per partes etiam expientur, & illuminentur atque perficiantur: apud nos autem non in omnibus, sed in quibusdam, quemadmodum etiam Deus per Prophetam ait, Mysterium, seu *secretum meum mihi* & meis; meos dicens, vtique Sacerdotes vel initiatos. Propositorum itaque capitulorum doctrinam duplici modo tradit. Primùm enim exponitur, quomodo mysterium seu sacramentum isto Capite propositum consummetur, ac deinde per contemplationem quandam illud explicat. Verbi gratiâ, prima est expositio illustrationis seu Baptismatis, deinde subsequitur eius contemplatio: similiter expositio Sacramenti Synaxeos seu Communionis, deinde contemplatio eiusdem. Cùm enim & nos duplici parte constemus, visibili secundùm corpus, & intellectili secundùm animam, duplex est etiam apud nos Hierarchia, sensilis nimirum, propter symbola quæ exhibentur; & intellectilis, propter contemplationem. Contemplatio autem est immediata mentis & exilis sensuum applicatio ad ea quæ proponuntur. Istiusmodi igitur Hierarchiæ symbola, profanis & ab Ecclesiâ extraneis mysteria quoque sunt: verumtamen contemplatio, tanquam suprema cognitio, quæque fide opus habeat, mysterium appellatur, iuxta quod & Apostolus ait, *Mysterium vobis dico*: omnes quidem obdormiemos, sed non omnes immutabimur. Attamen symbola tantùm vocat mysteria, quoad eos scilicet qui necdum initiati sunt, vti dictum est eorum autem anagogas appellat contemplationes, quippe quæ mentem erigant ad rerum ipsarum, vt in se sunt, contemplationem, licet aliter etiam per symbola insinuentur. Qui enim initiatus est & intra sacrum velum ingressus reuelatâ facie cum Fide contemplari debet ea quæ sunt Fidei.

HIerarchiam nostram, licet nostra dicatur, attamen & ipsam per se diuinam esse, non secùs ac cœlestem Hierarchiam, & à Deo insitam, secundùm participationem rerum illarum diuinarum, iuxtáque sacram illam scientiam & operationem, sui participes deificare atque perficere, ex sacratissimis Scripturis demonstrandum est; non tamen omnino omnibus, sed solis iis qui per traditiones Apostolorum istiusmodi institutione digni sunt habiti. Tu autem obserua, sancte fili, ne vel iuxta nouum morem, vel per ordinem doctrinæ (Patres enim sunt præceptores) ridiculè & irreuerenter istiusmodi mysteria manifesta facias omnibus profanis, qui res diuinas mysticasque risûs occasionem facerent; sed venerare illas, sicut æquum est, silentio. At si quando etiam opus sit istiusmodi communicare, ne communices rudioribus, sed sanctis, idque illis sacrosanctè & cum sacrâ illustratione, minimè immorando typis, sed inaspectabilia illustrando: sic enim etiam nobis ad diuina conuersis, vel diuina concinentibus collegis tradita fuerunt. Quin & ipsemet Deus, qui mens est illa diuinitate transcendens, qui omnis sanctimoniæ diuinæque operationis causa existit (cùm enim Hierarchia scientia sit & operatio, sanctimoniam quidem ad scientiam refert, Dei verò operationem ad efficaciam seu actionem) cœlestibus Virtutibus manifestiùs simul & intelligibiliùs affulget (intelligimus enim & nos, sed non vt istæ) quas etiam ad propriam suam lucem informat, vt nimirum etiam alios illuminent, iuxta virtutem spiritalium & intellectilium suarum naturarum, non autem secundùm virtutem suimetipsius, nam Deus infinitæ virtutis est. Quin & nostras, quæ multæ sunt, varietates, & multiformes carnalium desideriorum curas, quas prohibet Dominus, ad vniformem diuinamque vitam reducit, vt nimirum quæramus primùm regnum Dei, & iustitiam eius. Id autem quo sic anima disponitur, sacrum habitum appellauit, qui vel maximè Sacerdotibus est consentaneus. Accipientes itaque ab ipso virtutem, progredimur ad Hierarchiæ functionem: & hoc modo sanctis Angelis approximamus, illorúmque ope ad diuinam lucem suspicientes, indéque scientiâ cognitionis spectaculorum illustrati (spectacula autem vocat doctrinas de Deo, quæ non ex nudo verborum auditu, vel sacrarum doctrinarum pronuntiatione existunt) euadere poterimus, tanquam patientes quidem quæ illîc pulchra sunt, consecrati, nimirum puri, & luciformes, & perfecti, tanquam habitu verò hæc obtinentes, atque eadem aliis communicare valentes, consecratores, & lucis operatores seu illuminatores, & perfectores; hæc siquidem tria sunt Hierarchiæ partes.

Cùm autem hic sermo duas agnoscat Hierarchias, secundùm participationem diuinissimæ essentiæ omnis Hierarchiæ Dei, vult Pater hîc declarare, quid illis commune & quid proprium sit, quocirca dicit, Quæ quidem cœlestis sit Hierarchia alibi reperies, vbi licet non pro dignitate, pro virili tamen nostro, de illis disputatum est: in quo Tractatu id vnum dicimus obseruatione dignum, quòd cùm in omnibus propositum sit nobis antiquiores sequi, in libro de Cœlesti Hierarchiâ diximus, inter illos Thronorum ordinem cæteris esse sublimiorem; verùm ex his perpendendum, num illum rectè, & non Seraphim, sublimiorem ordinem asserere debuerimus: hîc enim ab vltimis dispositionibus incipiens, tandem in Seraphim desiuit. Cæterùm, quidquid hac de re sit, vincat id quod antiquius est. Illud certè Sanctus hic affirmat, commune esse omni Hierarchiæ, quòd omnis Hierarchia vnam habeat virtutem. Definit itaque Hierarchiam partim secundùm propriam naturam, quoniam alia est Angeli, & alia hominis perfectio; partim etiam secundùm proportionem & ordinem cuique proprium: quoniam in cœlestibus alia est superioris & alia inferioris ordinis claritudo; in terrestribus verò alius est Episcopi & alius ordo Presbyterorum. Hierarchiam itaque initiari, & inferioribus suis insitam sibi diuinitus illustrationem communicare, atque etiam inferiores superioribus quidem obsequi, & inferiorum suorum duces existere, hæc virtus quædam est cuilibet Hierarchiæ communis. Cæterùm non commune, sed proprium cuilibet Hierarchiæ est, quòd cœlestis illa respectu nostri sit rerum incorporearum & intelligibilium (nam respectu Dei & illæ sunt intelligentes,) quocircà etiam earum Hierarchia intelligibilis ac supramundialis existit: nostra autem per symbola sensilia, scilicet Baptismatis, Synaxeos, Communionis, cæterisque variegata multiplicatur. Quantum enim quis adducitur ad vnum illud singulare, tantum accedit ad intellectionem; quantum verò ab eo discedit, in tantum multiplicatur seu distrahitur rebus sensibilibus, quas sentit. Alia iterùm est horum duorum differentia, quòd illi quidem, vt mentes, Deum & diuinam virtutem intelligant, in quantum scilicet iis fas est intelligere; nos autem ex sensilibus

A

silibus signis, quæ inquam in Ecclesiâ consectantur, ad Deum adducamur. Et vt verè dicam, vnum quidem est quod omnes appetunt, scilicet quoad scopum duarum Hierarchiarum, de quo hactenus agit, omnes vniformes sunt qui per spiritalem actionem vniuntur. Sicut enim nos vnimur, cùm adducimur, sic & Angeli diuini vniuntur, cum ad diuinas notiones adducuntur. Cùm enim vnum sit quod appetitur, non tamen vnimodè seu secundùm vnum eumdemque modum, qui id appetunt, afficiuntur, sed quilibet secundùm propriam dignitatem. Verùm hæc alibi dicta sunt: modò autem nostram Hierarchiam, & eius causam ac essentiam (quæ est virtus illa diuinissima) exponere conabor, inuocato Saluatore IESV.

§. 3. Hierarchiæ definitio.

Est Hierarchia, quemadmodum veneranda nostra traditio proponit, ea quæ vniuersim videntur aut dicuntur de propositis sacris rebus. Summam enim seu summarium, vocat totius complexionem: sicut recapitulationem dicimus, cùm paucis ea quæ antè dicta sunt repetuntur; quoniam omnium in se scientiam habebit, cùm Presbyterorum, tum Diaconorum cæterorúmque, vnde nimirum Hierarcha nominatur, vti colligere licet ex analogiâ nominis Hierarchiæ. Quemadmodum igitur hoc nomen de vniuersis & omnibus sacris ordinationibus dicitur, ita qui Hierarcham nominat, virum omni sacrâ cognitione præditum significat, in quo omnis quæ illi inest Hierarchia liquidò cognoscitur. Nisi enim ipse penitus & in omnibus peritus existeret, neque scientia etiam Hierarchiæ operaretur. Nemo igitur dicat: Ecquis tam perfectus est? Non enim proposuit hic Pater de hoc vel illo Hierarchâ dicere, sed simpliciter de Hierarchâ, qualis esse debeat sine defectu: ac siquis simpliciter de Grammatico loquens, ea recenseat quæ ad absolutum Grammaticum requiruntur, alioquin claudicaret Grammatica, nisi demonstraretur, qualis ipsa tandem sit. Huius Hierarchiæ principium est sancta ac beata Trinitas, quæ verè est, solâque semetipsam cognoscit, tanquam habens notionem propriæ existentiæ. Hæc autem vult ratione præditorum Angelorum & hominum salutem, estque deificatio saluandorum. Quemadmodum enim alia dicimus à metu seruari, id est, securitatem adipisci; & à cæde seruari, id est, vitam assequi; & à morbo seruari, id est, sanari: sic etiam in propositis seruari ab alienatione Dei, est adiungi Deo, adeoque deificatio. Omnimoda autem assimilatio & vnio ad Deum, vtique terminus ac finis est omnis Hierarchiæ, quæ ad Deum est dilectio: quæ & vnitiuè consummatur, secundùm diuinam & vnicam simplicitatem, secundùm quam Deus est omnimoda dilectio (& non huic quidem, illi verò non, sed quid vnum desiderabile existens, simul erga se habet desideria, pro merito studioque desiderantium, diuersa) quique hac prior est, omnimodus à contrariis recessus. Nisi enim ab omni materiali & sordidâ voluptate penitus expiati fuerimus, veri boni dilectio non erit in nobis. Quando autem à contrariis discesserimus, tum res ipsas, vt in se sunt, naturâ suâ cognoscemus; nempe præsentia hæc temporanea esse, quæ verò ibi sunt, æterna, nec decipimur circa boni apparentiam; siquidem illa non est notitia rerum quà res sunt; tunc enim ad ipsammet veritatem accedimus, atque vniformem perfectionem participamus. Quid porrò est vniformitas? Quando nimirum à rebus hisce sensibilibus & ærumnosis ad diuinam simplicitatem adducimur, qui est cibus beatæ visionis, vt quæ mentem re intellectâ nutrit, sicut alibi diximus. Et hæc est in Euangeliis illa diuina ac supermundialis mensa.

Hierarcha qualis esse debeat.

B

C

In quo sita sit vnio cum Deo.

D

§. 4. Ad quid Deus instituerit Hierarchiam.

Dicimus itaque, Deum dedisse Hierarchiam in salutem & deificationem eorum qui eius sunt participes, atque Angelis quidem spiritaliori modo & magis à materiâ remoto, nobis autem per symbola: siquidem homines extrinsecus à creaturæ contemplatione, verbisque doctrinalibus, aliisque symbolis seu signis, veram cognitionem hauriunt; Angeli verò intus secundùm spiritalem virtutem suam illustrantur, ac diuinâ voluntate insigniuntur, id est, ad diuinam imitationem, rerumque, quà res sunt, notionem efformantur. Cùm enim intelligens quidem sit id quod intelligit, intelligibile vero id quod intelligitur, cibus autem & quasi sustentatio intelligentis sit id quod intelligitur, meritò Deus, cùm mentes sint incorporeæ, ipsemet intelligens, & illis, quantum capere possunt, factus intelligibilis, intus ipsas illustrat. Quod itaque ipsi, tanquam immateriales, vnitè habent ac compactè, hoc nos sub diuiduorum symbolorum multitudine accipimus. Symbola porrò diuisa, vocat doctrinas Scripturæ multiformes. Si itaque, vt etiam antè diximus, essentia omnis Hierarchiæ Deus est, nostræ tamen propriæ, quasi proxima materia, sunt Oracula à Deo tradita, præsertim Apostolorum doctrinæ maximè venerandæ. Quod enim cœlesti Hierarchiæ est ipse Deus, immaterialiter, quoad fieri potest, ipsis vnitus, eamque perficiens, hoc nostræ Hierarchiæ sunt Scripturæ, per quas ad diuinam simplicitatem adducimur vel & traditiones illæ, quibus institutione magis à materiâ semotâ, ex sancti Spiritûs instinctu, Apostoli secundùm Scripturæ cognitionem, alij aliis, sermone quidem corporeo, quia per instrumenta corporea locuti sunt, magis tamen immateriali, quia sermone solo & non scripto, mysticè tradiderunt. Nequaquam autem hæc patulis intelligentiis tradiderunt, sed in symbolis quibusdam sacris, quæ nimirum in Ecclesiâ sanctâ celebrantur, cùm rationem habeant eo quod apparet subliniorem atque diuiniorem. Hoc autem fecerunt, & haudquaquam omnibus arcana reuelarunt, quia non omnis sanctus, neque omnium scientia est: *Vobis* enim, inquit Dominus Apostolis & successoribus sanctis, *datum est nosse mysteria regni Dei.*

E

Hierarchia nostra dirigitur Oraculis diuinis.

F

Marc. 4. 11.

§. 5.

Necessariò igitur sancti Apostoli ipsimet diuino munere pleni (per dilectionem enim deificati erant) & ad alios ab ipsâ bonitate missi, quin & ipsi iam Dij facti, successoribus istiusmodi deificationem minimè inuidentes, (aliena enim inuidia est à Deo) sensibilibus intellectilia, & materiaris immaterialia, & hominibus diuina, tam scripto quàm non scripto tradiderunt, non propter profanos tantùm (quid enim nobis & illis commune, qui ne symbolis quidem nudis digni sunt habiti?) verùm etiam ob aliam rationem, quòd nimirum congruenter nobis sensu viuentibus & sensitiuis Hierarchia subministretur. Non enim par est, vt hi qui sensu viuunt, nudas ipsas res diuinas frequentent, & intellectualiter iis coniungantur: idcirco per symbola iussi sumus initiari. Verumtamen ne ipsæ quidem symbolorum rationes omnibus sunt reuelatæ ac notæ, sed viris sanctis, quibus non licet eas exponere iis qui adhuc sunt Catechumeni; cùm scire debeant, conuenienter vnicuique, secundùm ordinem cœlestem stabilem & inconfusum, ad captum nostrum Hierarchiam ipsam ordinatam esse. Quapropter etiam tuis ipse professionibus persuasus es, ne illam alteri tradas, præterquam tui similibus sanctis; & ab eis petes cautionem, ipsos circa diuina tales fore, qualem ipse te circa eadem te fore recepisti, idque muneris tibi trado.

G

Mysteria solis sanctis communicanda.

H

CAPVT II.

De iis quæ in illuminatione seu Baptismo peraguntur.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primâ parte capitis ostendit, quo ordine perueniatur ad vitæ sanctitatem, & quomodo Baptismus sit quædam natiuitas spiritalis, atque principium operum supranaturalium; & simul monet, solos sanctos ad Sacramentorum aspectum esse admittendos.

Secunda parte describit solemnem ritum baptizandi, qui sic habet.

1. *Pontifex sacra promulgat Euangelia.*

2. *Religionis amator patrinum seu susceptorem quærit, à quo instructus ad Episcopum adducitur.*

3. *Hic benignè ipsum excipit.*

4. *Clerum conuocat ad agendas Deo gratias, & à patrino adductum solemni formul i interrogat.*

5. *Infidelitatem detestanti manum imponit, & inscribi iubet.*

6. *Factâ precatione baptizandus exuitur, & fiunt insufflationes.*

7. *Fit solemnis professio Fidei, & baptizatur.*

8. *Veste candida amictus traditur susceptori, & sacræ communionis particeps efficitur.*

Tertiâ parte subiungit contemplationem, in quâ.

1. *Ostendit, ritum hunc esse sanctum.*
2. *Cærimonias istas signare gratiam spiritalem.*
3. *Deum gratiam suam omnibus communicare.*
4. *Exponit quo ordine peruenìatur ad perfectionem.*
5. *Quid sibi velit adductio & inscriptio baptizandi, quid item abrenuntiatio.*
6. *Quid ad Orientem traductio.*
7. *Quid vnctio.*
8. *Quid in aquam immersio & emersio.*
9. *Quid candidum vestimentum.*
10. *Quid vnctio finalis.*
11. *Quid communio.*

§. 1. Sanctitas acquiritur mandatorum obseruatione. Ioan. 14. 23.

DIctum itaque à nobis est sanctè, sacri ordinis nostri scopum esse Dei, quoad eius fieri potest, assimilationem atque vnionem. Hanc autem, vt diuina Scripta tradunt, maximè obseruandorum dilectione mandatorum sacrisque fonctionibus duntaxat consequemur: *Qui enim, inquit, diligit me sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quodnam est igitur initium sacrosanctæ augustissimorum obseruationis mandatorum? Ea quæ ad cæterorum cùm sermonum tum operum sacrorum quàm expeditissimè nostras animales efformat affectiones, quæque nobis ad supercœlestis otij fruitionem vi in sternit, sacrosanctæ (inquam) ac diuinissimæ regenerationis nostræ traditio.

Baptismus dat initium sanctitatis.

Vt enim inclytus Præceptor noster ait, prima quidem mentis ad diuina motio, Dei est dilectio: sacræ vero dilectionis in sacrosanctâ diuinorum præceptorum obseruatione progressus primus, est ineffabilissima diuini nostri status fabricatio.

Quo ordine sanctificemur.

Cùm enim diuinus hic status sit quædam natiuitas diuina, nunquam sanè intellexerit, nedum fecerit, quidquam rerum diuinitus traditarum, cui ne ipse quidem status hic diuinitus afflatus sit. An non & nobis (humano modo loquimur) existentiâ primùm opus est, vt deinde quæ nostri fori sunt tractemus, cùm quod nullo modo est, neque motionem neque substantiam omnino habeat; quod autem quoquo pacto est, ea tantùm & agat & patiatur quæ naturæ statusque sunt sui? Atque hoc quidem, vt opinor, perspicuum est. Cæterùm diuina diuinæ generationis signa contemplemur.

Sacra nō nisi à dignis frequentanda.

At nemo mihi profanus spectatum veniat: neque enim debilibus pupillis sole irradiatis obtueri tutum, neque nobis superiora tentare innocuum sit; quandoquidem vera illa legalis Hierarchia, Oziam quidem sacris, Core verò se dignioribus Ingerentem, Nadab denique & Abiud suis muneribus non ritè functos, detestetur.

II. *Sacramentum illustrationis siue Baptismi.*

§. 1. Ritus collationis Baptismi.

Sacrorum Præsul, cùm omnes sigillatim homines ad Deum assimilatione saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire cupiat, prædicat omnibus ex veris Euangeliis, Deum ipsum terrigenis propriâ suâ naturalique bonitate propitium, ad nos pro humanitate summâ descendisse, vt sui vnione, in morem ignis, vnita sibi conformaret, quantum ad eorum conduceret deificationem. *Ioan. 1. 12.* *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.*

§. 2. Candidatus Religionis patrinum quærit. Officium patrini seu susceptoris.

Quisquis autem horum munerum verè supermundialium sanctè particeps esse cupit, accedens quempiam sacris initiatum, flagitat ab eo ad sacrorum Præsidem manuduci, nec non integrè cunctis sanctionibus obsequi pollicetur, rogátque, suæ cùm admissionis tum totius exinde vitæ curam suscipere ne recuset. Tum hunc, salutis quidem illius sanctè cupidum, sed rei celsitudinem humanæ fragilitati opponderantem, horror illicò anxietásque circumdant: verumtamen beneuolè tandem simul petitioni eius satis se facturum annuit, ipsúmque suscipiens ad summum ducit Sacerdotem.

§. 3. Quid à Sacerdote baptizaturo fieri soleat.

Is autem cum lætitiâ, non secùs atque humeris ouem, duos illos viros excipiens, spiritali primùm actione gratiarum, corporísque adoratione, vnicum, à quo vocanda vocantur, ac saluanda saluantur, beneficum principium veneratur.

§. 4.

Omnem deinde sacrum ordinem, cùm vt hominis saluti cooperentur atque congaudeant, tum vt diuinæ bonitati gratias agant, in sacrum locum cogens, initio quidem Hymnum aliquem è Scripturis vnà cum vniuerso Ecclesiæ Clero decantat; quo finito, vbi sacrum altare deosculatus est, ad virum, qui præsens est, accedit, & quid petitum venerit sciscitatur.

§. 5. Baptizādus abiurare debet infidelitatem.

Tum ipsum, iuxta instructionem fideiussoris, infidelitatem pristinam, verique boni ignorationem, nec non vitæ spiritalis priuationem detestantem, atque sanctâ eius intercessione Dei diuinorúmque compotem fieri postulantem, præmonet, integrè illi ad Deum accedendum esse, vtpote prorsus perfectum & immaculatum: propositâ diuinè viuendi normâ, nec non interrogatorum ex eâ victurus esset, assentienti manum capiti imponit, & consignans eum Sacerdotibus mandat, vt virum susceptorémque describant.

§. 6. Insufflationis & abrenuntiationis ritus.

Quibus adscriptis, sacram insit precationem: quâ vnà cum ipso ab vniuersâ congregatione completâ, illum discingit, & per ministros exuit. Sistens exinde ipsum ad Occidentem prospectantem, manúsque versus illam plagam auersas protrudentem, tertiò satanam insufflare iubet, atque insuper abrenuntiationis verba proferre: eique ter abrenuntiationis solemnibus verbis propositis, cùm eandem toties conceptis verbis pronuntiauit, ipsum ad Orientem transfert, & in cœlum intuentem, manúsque attollentem, Christo cunctísque sacris à Deo traditis Eloquiis iubet assentire.

§. 7. Ritus professionis.

Quo facto, trinam illi denuò præcipit professionem, tertioque professum benedicendo recipit, eique manum imponit. Dum verò ministri penitus eum exuunt, sacrum Vnctionis oleum adferūt Sacerdotes Pontifex vero trino signaculo inchoans Vnctionem, Sacerdotibus hominem tradit toto corpore inungendum, ipse autem ad adoptionis matrem [id est Fontem] vadit; cuius aquas postquam sacris inuocationibus sanctificauit, nec non tribus sacratissimi vnguenti Crucis formâ affusionibus, totidem sacri vnguenti appositionibus sacrosanctum Deo afflatorum Prophetarum diuinæ aspirationis Hymnum concinendo, consecrauit, adduci virum iubet; ac Sacerdote quopiam è scripto cùm ipsum tum susceptorem proclamante, initiandus Sacerdotum manibus in aquam ducitur ad manum Pontificis: qui supernè adstans, vbi Sacerdotes secundùm aquas, versus Pontificem initiandi nomen proclamarunt, ter eum immergit, sub ternam istam immersionem atque emersionem tres diuinæ Beatitudinis personas inuocando.

Ritus antiquus baptizādi solemniter.

Tunc excipientes eum cæteri Sacerdotes, tradunt susceptori seu admissionis auctori, & vbi vnà cum eo initiatum veste congruâ amiciuerunt, rursus illum ad Pontificem ducunt: qui diuinitus sacrato oleo virum consignans, Sacrosanctæ Eucharistiæ participem declarat.

His ritè peractis à suo ad secunda progressu, ad rerum iterùm præcipuarum exigitur contemplationem, ne vllo tempore vel modo quidpiam à suis institutis tractet

alienum,

alienum, sed assiduè perpetuóque diuini Spiritûs ductu à diuinis ad diuina transformetur.

III. Contemplatio.

§.1. Ritum hunc esse sanctum.

Hæc in sacris symbolis diuinæ generationis initiatio nihil indocti vel profani, quin nec sensiles figuras continet, sed Deo dignæ contemplationis ænigmata in naturalibus ad captum hominum speculis effigiata. Quid enim ei defuisse videatur, diuiniori etiam mysteriorum silentio suppressâ ratione, cùm diuinâ institutione satis probet accedentis, quam sanctè operatur, vitæ integritatem, & per vitam probam ac diuinam: vniuersæ simul malitiæ perpurgationem, naturali emundatione aquæ, corporaliùs ipsi denuntiet? Vt itaque symbolica initiationum traditio nihil hoc diuinius haberet, nequaquam, vt reor, expers esset sanctitatis, cùm & rectè viuendi disciplinam introducat, & omnimodam in vitiis transactæ vitæ emundationem, toto corpore aquâ penitus perpurgato, naturaliter insinuet.

Carimonia Baptismi significant expiationem.

§.2.

Verùm sit hæc quidem rudioribus introductio spiritalis, quæ & Sacramenta sancta atque vnitiua, vti fas est, à promiscuis distinguat, & singulis ordinibus accommodatam concinnet sublimationem: nos autem cùm, sacris ascensionibus Sacramentorum principia contemplantes, sacro eadem afflatu perceperimus, cognoscemus quorum characterum sint effigies, & quarum rerum occultarum imagines existant. Vt enim in Opere de Intelligibilibus ac sensibilibus perspicuè declaratum est, sensibilia Sacramenta, simulacra sunt intelligibilium, ad quæ manuducunt ac viam sternunt; intelligibilia verò, Sacramentorum sensibilium principium sunt atque scientia.

Sacramenta sunt signa sensilia gratia spiritualis.

§.3. Deus gratiam suam omnibus expandit, vt sol lumen.

Dicimus itaque, diuinæ beatitudinis bonitatem, eandem semper & eodem modo se habentem, beneficos lucis suæ radios cunctis oculis mentalibus abundanter expandisse; adeoque si spontanea mente præditorum arbitrij libertas spiritale lumen deserat, à naturâ sibi insitas luci excipiendæ vires amore praui præcludens, præsenti quidem luci se subducit, hæc tamen eam minimè destituit, sed vel conniuentem illuminat, atque auersanti benignè prorsus occurrit. Quòd si mediocri instructa videndi facultate terminos transilierit, radiisque visum superantibus temerè ausa fuerit obuerti, lux quidem nihil à se alienum faciet, verùm ipsa perfectis imperfectè se ingerens, aliena neutiquam assequetur, mediocritate porrò suâ insolenter superbiens, suâ culpâ frustrabitur. Benignè tamen, vt dixi, diuina lux mentalibus semper oculis patet, eiusdemque præsentis, & ad Deo dignam sui semper communicationem paratissimæ, copiam habere licet. Ad huius imitationem diuinus Antistes effingitur, lucidos diuinæ eruditionis radios super omnes luculenter explicans, & se accedentem Dei imitatione illuminandi promptissimus, nullâ vtens obiurgatione, vel dirâ propter priorem defectionem vel intemperantiam imprecatione, sed, exemplo Dei, ad se accedentibus suis semper illuminationibus Pontificaliter affulgens cum decore atque ordine, & pro cuiusque ad sacra capacitatis tatione.

Hierarcha quoque omnibus lumen Baptismi paratus est impertiri.

§.4. Quibus gradibus ad perfectionem veniatur.

Sed quoniam diuinum Numen sacræ disciplinæ principium existit, quâ sanctæ mentes in sui deueniunt cognitionem; quisquis ad insitum naturæ lumen recurrerit, principio quidem quis tandem ipse sit videbit, hocque lucis accessione munus sacrum referet: porrò qui propria sua rectè inflexis oculis considerarit, abditas quidem ignorantiæ sui tenebras eliminabit, perfectissimæ tamen Dei vnionis & participationis adhuc exors, eiusdem desiderio sponte non allicietur, sensim primùm à propriis ad potiora, & ex iis ad potissima, nec non perfectus iam in ordine, ad principalem Dei celsitudinem sacro quodam modo euehetur. Huiusce venusti sacrique ordinis argumentum est, accedentis verecundia, rerumque ad se spectantium cognitio, ad summum Sacerdotem viæ ducem nacta susceptorem. Sic adductum, diuina Beatitudo ad sui admittit communicationem, propriæque lucis, instar signi cuiusdam, ipsum participat, Deo intimum reddens, ac consortem munerum diuinorum, atque ordinis sacri; quorum sacra est tessera, summi Sacerdotis accedenti datum signaculum, nec non salutaris descriptio Sacerdotum, saluandis eum aggregans, atque sacris inserens monumentis vnà cum susceptore, tanquam saluiferæ ad veritatem viæ: illum quidem, amatorem sincerum ac comitem ductoris diuini; hunc verò, minimè errabundum diuinitùs traditis institutionibus sequendis manuductorem.

§.5. Quibus renuntiandum sit ad perfectionem aspiranti.

Cæterùm non licet summè contraria simul participare, neque communicationem aliquam cum vno habenti diuisas habere vitas, si vnius stabilem præferat participationem; sed exortem esse decet expertemque omnium vniformitatis diuisionum: id quod signorum traditio sacra innuit, dum accedentem priori quodammodò vitâ exuens, & ad extremos vsque affectus exspolians, nudum & discalceatum statuit versus Occidentem spectantem, nec non manuum reiectione tenebricosæ malitiæ communionem abnuentem, atque agnatum sibi dissimilitudinis statum quodammodò efflantem, totalesque profitentem deiformitati aduersantium abrenuntiationes. Sic omnino ipsum affectus iam expertem exortemque traducit ad Orientem, diuinæ lucis statum illi aspectumque, omnimodâ malitiæ fugâ, fore purum annuntians; ipsumque sacrosanctis, cum vno totali conspiratione, professionibus vniformem effectum, verè amanter suscipiens. Verùm, vt opinor, sacrorum peritis principiorum perspectum est, assiduis ad vnum connitendo adspirationibus, atque totalibus contrariorum mortificationibus & abolitionibus, res spiritales statûs deiformis immutabilitate potiri. Non enim ab omni dumtaxat malitiâ est recedendum, sed obdurandum viriliter, & imperterritè semper obsistendum ipsi noxiæ remissioni; nec à sacro est vnquam amore cessandum, sed continenter ac perpetuò pro viribus illi insistendum, ad perfectiorem diuini principatus sublimationem sanctè semper negotia sua dirigenti.

Quid traductio ad Orientem designet.

§.6. Quid Vnctio designet.

Horum autem exactas cernis in iis quæ Pontificaliter administrantur imagines: ipse siquidem Antistes deiformis sacram auspicatur Vnctionem, quam cæteri exinde Sacerdotes consummant, ad sacra per figuram hanc certamina initiatum excitantes sub Christo munerario constitutum, qui videlicet vt Deus certaminum exhibitor, vt sapiens legum præceptor, præmiorum denique victoribus conuenientium vt pulcher munerator existit. Et quod his diuinius est, cùm in ipsismet pugilibus vt bonus extiterit, sacramentaliter pro illorum libertate atque victoriâ, mortis ac corruptionis imperium debellando, in certamina quidem gaudens, vtpote diuina, initiatus ascendet, legibus autem sapientis insistet, iuxtáque illas inuiolatè certabit, illustrium præmiorum certâ spe fultus, sub bono certaminum exhibitore domino ac ductore constitutus; diuinisque insistendo vestigiis ipsius pugilum primatis per probitatem, ad imitationem Dei certaminibus deificationi suæ aduersantes spiritus atque suggestiones supplantando, commoritur Christo, [id est] mysticè loquendo, peccato, per Baptismum.

§.7. Quid aqua immersio & emersio.

Attento hîc animo perpende, Sacramenta quàm propriis inuoluta sint signis. Etenim cùm in nobis mors non sit, vt quibusdam placet, substantiæ abolitio, sed coniunctarum partium separatio, ad id quod nos latet abducens, animam quidem, quasi corpore perpetuò priuandam, corpus verò, velut humo abditum, aliâ quâpiam alteratione corporeâ, ex humanâ specie exterminandum; non impropriè totalis ista aquæ coopertio in mortis atque informis sepulturæ figuram accipiatur. Sacramentaliter itaque baptizatum symbolica disciplina mysticè docet, tribus illis in aquam immersionibus & emersionibus diuinam trium dierum ac noctium sepulturæ IESV vitæ auctoris mortem imitari, quatenus hominibus conceditur eius imitatio, in quo iuxta mysticam &

arcanam Scripturæ traditionem, princeps huius mundi non inuenit quidquam.

Candidis deinde vestimentis induunt initiatum: vitili enim ac deiformi prauorum affectuum vacuitate, nec non intentâ in vnum animi affectione, cùm id quod ornatu carebat ornatur, tum id quod deforme erat pulchrum efficitur, dum illustri omnino vitâ splendescit. Denique vnguenti illa consummans vnctio eum qui initiatur odoris suauitate perfundit: sacra enim diuinæ generationis initiatio, ea quæ initiata sunt diuino Spiritui coniungit. Portò illapsum illum, qui spiritalem istam odoris suauitatem adfert, cùm sit prorsus ineffabilis, spiritaliter relinquo cognoscendum iis qui secundùm mentem sanctâ & deificâ diuini spiritûs communione digni sunt habiti. Demum omnibus peractis, eum qui initiatus est ad sanctissimam Eucharistiam vocat, & mysteriorum perficiendi vim habentium communionem illi tradit.

SCHOLIA S. MAXIMI.

HANC AVTEM.] Scilicet cum Deo similitudinem & vnionem.

QVODNAM EST IGITVR INITIVM?] Diuinus, inquit, Baptismus ad Dei familiaritatem cœlestémque hæreditatem principium est & introductio. *Nisi* enim *quis renatus fuerit ex aquâ & spiritu, non* videbit *regnum Dei.* Vnde homo interior formatur ad meliorem ac salutarem habitudinem, & ad verborum operumque Dei institutionem.

EA QVÆ AD CÆTERORVM.] Tria quædam dicit requiri ad inchoanda mandata, nempe diuinorum Oraculorum susceptionem, diuinæ Fidei institutionem, & diuini Baptismatis regenerationem. Præclarè igitur probauit, primum & præcipuum mentis motum esse Dei dilectionem, & quòd huius dilectionis quasi quoddam principium sit diuina nostri fabricatio, hoc est regeneratio per Baptismum, secundùm quam diuinum statum inchoamus: siquidem ea quæ ex semine est nostri fabricatio, etsi sit ex conditore Deo, tamen naturalis est; ea verò quæ ex Baptismate existit, diuina: neque enim *ex sanguinibus, neque ex voluntate viri.* Quemadmodum igitur in naturali ortu oportet primùm existere in rerum naturâ, ac deinde agere congrua, & pati, homines nimirum quæ sibi sunt propria, & bruta similiter quæ sunt vtilia: sic etiam in diuina Baptismi regeneratione oportet primùm Deo existere, ac deinde dilectionem eius operari, vti & cætera quæ ad rectè viuendum pertinent.

VT ENIM INCLYTVS.] B. Hierotheum intelligit, vti sæpè in præcedentibus sermonibus declarauit.

PRIMA MOTIO.] Quisnam sit præcipuus mentis motus.

DIVINVS STATVS.] Id est Baptismi regeneratio.

INEFFABILISSIMA.] Scilicet illa per Baptismum reformatio & regeneratio, vt posteà exponit.

EXISTERE OPORTET.] Quia existentiam secundùm naturam sequitur operatio secundùm ipsam.

DIVINÆ REGENERATIONIS.] Id est Baptismi.

A SOLE FABRICATIS.] Splendoribus à solis emissis; significat autem radios.

OZIAM.] Nota quænam acciderint Oziæ, Core, & Nadab.

EVANGELIA.] Quænam sint vera Euangelia.

HVMANITATE.] Nota hic ea quæ sunt dispensationis.

CONFORMARE.] Scilicet per Fidem, vti posteà dicit.

QVI HORVM AMAT.] Eum intelligit qui recenter credit, & illustrari cupit. Initiatum verò vocat Christianum, & perfectè fidelem.

IPSE AVTEM INTEGRE.] Agit de dicto susceptore recèns baptizatorum.

OBSEQVI.] Quemadmodum in lege dictum: Secundùm omnia audiemus vocem Domini.

SVSCIPERE.] Agit de eo, qui rogatur vt ipsum suscipiat, vnde & susceptor appellatur.

SVMMVM SACERDOTEM.] Scilicet Episcopum.

DVORVM VIRORVM.] Quoniam ita construi debet hæc sententia: Duos viros, non secùs atque humeris ouem, excipiens (ita vt hi duo viri sint accedens & susceptor) ipsam quodammodò ouem perditam in Ecclesiam suscipit, dum susceptor eum ab errore conuertit: susceptor enim fidelis erat, nec illi opus erat admissione. Tum Episcopus Deo gratias agit. Si enim ita construatur, Duorum virorum suscipiens, planè erit solœcismus.

SPIRITALI SEV MENTALI.] Mentalem gratiarum actionem vocat tacitam & quæ mente fit; corpoream verò, capitis inclinationem, & Dei adorationem.

OMNEM SACRVM ORDINEM.] Id est vniuersum Clerum.

HYMNVM ALIQVEM.] Nota, ex omni Scripturâ Deo hymnum offerri posse, & non ex solo Dauide. Aliàs etiam hymnum aliquem vocat Canticum Mariæ sororis Moysis, *Cantemus Domino*: vel Psalmum Dauidis trigesimum tertium, aut eius partem, *Accedite ad eum, & illuminamini.*

INTEGRE ILLE ET.] Integram accessionem intelligit eam quæ fit ex toto corde.

MANDAT SACERDOTIBVS.] Nota, eum vocare Sacerdotes eos qui inferiores sunt Episcopis, id est Presbyteros ac Diaconos, quos hoc nomine etiam appellat: hi namque recèns baptizatorum nomina inscribebant.

VIRVM.] Nota hic etiam descriptionem baptizati ac susceptoris.

CONGREGATIONE COMPLETA.] Scilicet pronuntiando Amen.

ILLVM DISCINGIT.] Agit de iis, quæ in diuino Baptismate perficiuntur.

ET EXVIT.] Hic non omnem vestem exuit, sed vnicam vestem demittit, vti deinceps declarat; per Liturgos verò, id est Diaconos.

TRADVCIT AD ORIENTEM.] Hic introducit ipsum quasi precantem ac rogantem; vbi autem Occidentem spectabat, inducit ipsum tanquam opera tenebrarum detestantem. Nota, tum solos Diaconos detraxisse vestes baptizandi, Presbyteros verò reliqua perfecisse quæ nunc Diaconi faciunt, vt paulò antè intellexisti. In sequentibus verò etiam reperies, quòd Liturgos vocet Diaconos, & Presbyteros Sacerdotes.

MINISTRORVM.] Ministros vocat Diaconos.

MATREM ADOPTIONIS.] Matrem adoptionis vocat piscinam seu baptisterium.

SACRVM DEO AFFLATORVM.] Hæc oratio sic construenda est, Sacrum Hymnum aspirationis Deo afflatorum Prophetarum; vt sit hic sensus: Cæterùm Episcopus vbi recitauit Hymnum sancti Spiritus, qui diuinorum Prophetarum aspiratio est, virum suscipit. Non autem dixit sacrum Hymnum Prophetarum: neque enim Prophetæ omnes vnum atque idem Canticum recitarunt. Est autem Psalmus vigesimus octauus, *Vox Domini super aquas*, & *Alleluia.*

CONGRVA.] Id est candidâ.

DIVINITVS CONSECRATO.] In alio exemplari scribitur, *maximè Theologico.* Non oportet autem, inquit, eum, qui Ecclesiasticæ Hierarchiæ rationes legit, ab hoc Patre abalienari, si quædam ab ordine iam in Ecclesiis recepto diuersa commemoret; vti cùm hic, post vnguenti perfusionem, sanctæ Communionis participationem introducit. Verisimile enim est, hæc pro isto temporis statu congruisse, nunc autem accuratiùs fieri in perfecto diuinorum mysteriorum Missæ sacrificio, in quo etiam ij qui recèns illustrati sunt communicare debent.

Cùm autem dixit, eum ad rerum iterùm præcipuarum contemplationem excitari, vel precationem posteà fieri insinuauit, vel certè Pontificem ad Missæ sacrificium reuerti.

AD RERVM PRÆCIPVARVM EXIGITVR.] Quod ait

est

A est huiusmodi: Quomodo nimirum Episcopus, qui Dei omuium personam sustinet, vti Deos in suo illo vno codémque statu semper manens, & in ipso fixus nunquam se deserens, salutis omnium causâ prouidentiæ suæ progressionibus ad omnia bonitatis illustrationes extendit, omnibusque præsens est, à stabilitate suâ minimè discedens: sio etiam Episcopus, ad imitationem Dei, symbolicè, & prout potest, in suâ statione, id est in Ecclesiastico principato, permaneus, ad inferiora humanitaris prouidentiâ procedit, id est, descendit ad eum qui se conuertit, eumque docet, & vngit, & confirmat,& post Baptismum diuini muneris participem facit. Hæc autem omnia, tanquam ministerialia, inferiora sunt eius principatu. Inferiorum itaque omnium gubernatione adimpletâ rursum ad altare redit, symbolicè Deo insinuans, quod licet accedentis salutem promouendi studio ad inferiora progressus sit, officio tamen suo non defuerit, & in ipso, diuinæ scilicet contemplationis,fastigio perseuerarit: atque adeò à diuinis, id est, Sacramento recèns B baptizatis collato, ad diuina, id est, diuinæ contemplationis sublimitatem denuò reuertatur, diuini nempe Spiritûs instinctu ductus ac reductus. Hæc etiam paulo post in mysterij Communionis contemplatione commemorat.

III. §.1. A QVÆ.] Aquâ enim ea qoæ immunda sunt purgantur.

INSINVET.] Quoniam intelligentibus faciendæ sunt interpretationes; vulgus autem,quod *turbam* vocat, non capit istiusmodi mysteria.

§.2. VNITIVA A PROMISCVIS.]Vnitida vocat deiformia; promiscua vero,vulgaria& profana.

IN OPERE DE INTELLIGIBILIBVS.] Agit de libro quem scripsit de Intelligibilibus ac sensilibus, & quid contineat.

§.3. *Duo mala spiritu-um.* DICIMVS ITAQVE.] Contemplationes.

MENTALIBVS.] Duo narrat mala rerum intellectilium: vel enim omniuo diuinum lumen deserunt, amantes prauitatem; vel certè, inferiorem illustrationis mensuram ipsis datam contemnentes, temerè transgredi co- C nantur, & quod earum facultatem excedit comprehendere non valentes, iure merito indultâ sibi mensurâ frustrantur, diuino lumine semper in se immutato permanente.

ARBITRII LIBERTAS.] Nota, videndi intelligendique vim omnem, siue Angelorum siue etiam hominum, suæ libertatis esse ac potestatis; & quomodo deprauetur.

SE SVBDVCIT.] Quemadmodum συνηρμόσθαι est coaptatum esse, ita ἀνηρμόσθαι à congruentiâ & coniunctione defecisse. Interdum verò etiam hoc verbum significat suspensum esse.Hoc loco tamen in priori significatione acceptum est.

QVOD SI MEDIOCRI.] Id quod hîc dicitur, ex imagine lucis sensibilis, ad diuinarum intelligeotiarum mo- Eccl.3.22 dum accommodabis, cum etiam scriptum sit: *Altiora te ne quæsieris, sed quæ præcepta tibi sunt,illa cogita.* Modum enim hic vocat proportionem.

D IPSI QVIDEM IMPROPORTIONATIS.] Id est, ipsi non congruentibus, vt quæ facoltatem superent.

AD HANC DIVINVS.] Cuius typus sit Episcopus.

ACCEDENTIBVS.] Vnde clarum est, ipsum docere auditores.

§.4. COGNOSCENTES.] Nota, aliquem primum hoc munus ex diuinâ doctrinâ consequi, quod seipsum noscat, vt illud, quod in lege scriptum est, seruet: *Attende tibi ipsi.* Quemadmodum etiam diuus Basilius ait: *Quoniam eatenus Angelos imitantur, qui seipsos noscunt.*

AD SVI VENIVNT COGNITIONEM.] Ὀφθῆναι hîc idem significat quod perspectum seu cognitum esse; αὐτοπτεῖν autem idem est, ac se toto moueri ad videndum: sacrum vero donum vocat sui ipsius cognitionem.

HVIVS EST.] Explicatio, quid sit per sponsorem ad Hierarcham accedere.

CONSIGNATIO.]Quæ sit consignatio,& quæ descriptio.

ΠΡΟΣ ΑΥΤΩΙ.] Pro, cum ipso.

COMITEM.] Sequacem.

SED EXORTEM ESSE.] Vt qui nullam habeat affectionem ad vitam priorem, neque vniformitatis diuisionibus obnoxius existat. Vnitas enim in omnibus, quatenus vnitas est, sibi similis existit; multitudo autem, vt quæ in peccatorum diuisione fit, dissimilis.

EXVENS.] Cur exuatur.

EFFLANTEM.] Nota, quid significet Catechumenos insufflare diabolo.

ANNVNTIANS.] Symbolorum scilicet traditio.

CVM VNO TOTALI CONSPIRATIONE.] Totalem hanc cum vno conspirationem, intellige iuxta illud dictum Domini, *vt sint vnum*, id est, ad vnum id spectantes, quod nempe placitum est Deo. Intentionem autem vocat cogitationis ad Deum eleuationem,& à rebus terrestribus recessum.

IMMVTABILITATEM OBTINET.] Quomodo & vnde spiritales habitus fiant immutabiles.

OBDVRATVM ESSE,&c.]Minimè mollem, ineffœminatum,virilem, insuperabilem, nullâ remissione fractum. Sciendum id de viraginibus masculeis dictum esse.

HORVM AVTEM CERNIT.] Agit de vnctione.

AD QVÆ SVB CHRISTO MVNERARIO.] Huius loci constructio est per transgressionem, longâ collocutione interpositâ. Sic ergo construi debet: Per hæc sub Christo muoerario constitutis certamina quidem, vtpote diuina, lætus aggredietur, & quæ sequuntur.

CHRISTVS

vt Deus, præmia proponit;	vt sapiens, leges fert;	vt pulcher, certamina honestat;	vt bonus, vnà certat.

QVANDOQVIDEM VT DEVS.] Quod Christus Deus sit, contra Nestorianos.

DESCENDANS.] Agit de Baptismo.

PVGILVM PRIMATIS]Pugilum primatem vocat Dominum, qui solà bonitate suà cum mortis imperio dimicauit.

CERTAMINIBVS.] Scilicet per diuini vnguenti vnctionem.

ACTIONES.] Actiones vocat hîc peccata, turbulentasque cupiditates atque commotiones; substantias autem, dæmonum naturas, quæ istiusmodi agendi vim habent: improbæ enim actiones nequaquam in propriâ suâ substantiâ videntur.

QVONIAM MORS EST.] Quid sit mors; & vt nostri compositio sit quædam vnio.

AD OBSCVRVM QVID DVCENS.] Obscurum illud dixerunt quidam esse infernum, id est, hunc animæ à corpore recessum esse inuisibilem & obscurum, vtpote ad loca inuisibilia & quæ sub sensum non cadunt.

CORPORIS IMMVTATIONIBVS.]Sæpè enim corpus non solum in vermes redigitur,verùm etiam in alia quædam animalia. Obserua vero, vt istiusmodi mutationem ἀλλοίωσιν appellet; & mortem nostram non esse substantiæ nostræ abolitionem; & animam, cùm decessit à corpore, non apparere, neque circa corpus versari, vti quidam fabulantur; nec non in aquam immersionem, recte pro morte acceptam esse.

DIVINAM.] Diuinam mortem vocat triduanam Domini sepulturam: & dictum illud Domini, *Venit princeps mundi huius; & in me non inueniet quidquam*, ait esse Verbi. Principem autem mundi ac diabolicarum in hominibus voluntatum, dicit esse satanam, qui, secundum Apostolum, mortis imperium tenet, & in Christo nihil præuaricationis inuenit. *Peccatum* enim *non fecit* neque dolum, vt Isaias ait; atque adeò à morte superari non poterat, vt Petrus ait, sed, iuxta Dauidem, *factus est inter mortuos liber.*

Id qvod ornatv caret ornatvr.] Cùm, secundùm Apostolum, impura vita quædam tenebræ existant, maximo ornatu speciéque carent, cùm diuinæ prouidentiæ formâ destituantur virtutis; siquidem obscuratio quædam sunt & obstructio. Luce meritò illustratione ornatur, & formâ lucis accipit, quisquis ad Baptismum accedit, cùm, iuxta D. Ioannem, lucis filius, & Dei semen effectus sit. Informe autem hic appellauit id, quod in rebus deforme est, licet non omni prorsus formâ careat; quemadmodum sæpenumero id quod deforme est, informe dicimus.

Spiritaliter cognoscendvm.] Ego quidem arbitror, Magnum Dionysium modestiæ causâ hæc quasi ignorantem silentio pressisse: quod enim præcognitionis spiritu instructus fuerit, manifestum fit ex Epistolâ quam ad Ioannem Euangelistam dedit. Hoc itaque mihi significare videtur, quoniam Christi bonus odor sunt, qui diuino Spiritu afflati, ipsique per puritatem coniuncti, secundùm Apostolum, præsentiam eius sentiant, siue linguis loquendo, siue Prophetiæ donum habendo, siue curationes cæteráque faciendo, quæ in Actis & à diuinissimo Paulo declarantur. Aliter: Qui vt spiritales ea, quæ spiritus sunt, intelligunt, & cum spiritalibus rebus conferunt, diuinam spiritalémque odoris suauitatem sic intelligent; quoniam Paulus ait, omnes qui prædicant Euangelium Christi bonum odorem esse, vt qui ex vitâ fidei ducant ad vitam illam quæ per Baptismi fit remissionem, & Spiritus sancti donationem, quique regnum cœlorum indicent per opera diuina, quæ boni sint odoris spiritalis: vnde in Apocalypsi Ioannes iustorum deprecationes videt quasi phialas plenas odorum incensorum. Teter autem odor diaboli, sunt opera peccati, iuxta quod dictum est in Psalmis, *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ*, id est, peccati mei. Quapropter etiam Christus in Cantico *vnguentum effusum* appellatur; *odoratúsque est Dominus odorem suauitatis* in oblatione iusti Noë. Hinc etiam Euangelium, *alijs quidem odor mortis*, scilicet infidelibus & impiis. Odor rursum mortis, dum eorum opera reprehendit, & ad gehennam condemnat, quemadmodum etiam præstantissimum illud vnguentum, secundùm idem, homines suauiter afficit, & sues interimit, vt quæ summam odoris suauitatem non ferant. Hæc fusiùs dicis infrà Cap. 4. de Vnguento.

Ex Apostolicis Constitionibus.

Est itaque Baptismus quidem in mortem Domini datus, aqua vero pro sepulturâ, oleum pro Spiritu sancto, signaculum pro cruce, vnguentum est ratificatio professionis.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Qvodlibet mysterij caput tribus quibusdam rationibus distribuit. Primùm quidem tractat de ipso capite, quomodo & ad quid nobis prosit: deinde exponit, quomodo ab Hierarchâ mysterium consecretur; tertio subiungit contemplationem. Cùm itaque secundùm inferiorem hanc & carnalem generationem fieri solet, vt primùm accipiamus esse, atque ita deinde quidpiam agamus; idem quoque in diuinâ regeneratione vsu venit: quocircà primum tractat de diuino Baptismate. Dictum est itaque, scopum nostræ Hierarchiæ esse ad Deum assimilationem; hanc autem non aliter licet adspici quàm per Dei dilectionem, vti diuina & euangelica Eloquia tradunt. Cùm igitur ista dilectio constet obseruatione diuinorum mandatorum, quærit sibi ducem tam sancti operis, scilicet ad sanctam diuinorum mandatorum executionem, atque reperit non esse alium, præter illam ex aquâ & Spiritu regenerationem. Siquidem diuinus ille Baptismus, ad Dei familiaritatem cœlestémque hæreditatem principium est & introductio. *Nisi enim*, inquit, *quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu, non videbit regnum Dei*. Vnde homo * exterior formatur ad meliorem ac salutarem habitudinem, & ad verborum operumque Dei institutionem. Quomodo autem diuinus Baptismus naturales nostros habitus seu affectus efformat? Vtique vim quandam formatricem inserit figmento nostro, scilicet appetendi, sed cœlestia bona; mouendi, sed ad omne opus bonum; ratiocinandi seu cogitandi, sed quæ oculus non vidit, neque auris audiuit; concupiscendi, sed meliora; irascendi, sed inimico salutis nostræ, & cætera. Præclarè enim dixit inclytus Hierotheus, primum & eximium mentis motum esse Dei dilectionem. Huius autem dilectionis quasi quoddam principium est diuina nostri fabricatio, quæ nimirum fit per Baptismum, secundum quam diuinum statum inchoamus: siquidem ea quæ ex semine est nostri fabricatio, etsi sit ex conditore Deo, tamen naturalis est; ea verò quæ ex Baptismate existit, diuina. Neque enim *ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, nec ex voluntate carnis*. Quemadmodum igitur in naturali natiuitate oportet primum existere in rerum naturâ, ac deinde vicissim & agere & pati, homines quidem quæ sibi sunt propria, bruta vero quæ sunt conducibilia: sic etiam in diuinâ Baptismi regeneratione oportet primum Deo exsistere, ac deinde dilectionem eius operari, vti cætera quæ ad rectè viuendum spectant. Eius enim quod nequaquam est, neque motus est; quod autem quoque pacto est, siue quod solùm subsistit, operabitur omnino quæ sibi sunt accommoda, vt taliter aut tale quid exsistat, v. g. homo, qui simpliciter in rerum naturam prodiit. Quomodo igitur qui necdum operatur quidquam, potest eo peruenire vt talis sit, v. g. iustus, faciendo iustitiam; vel talis, aliud quid operando? Cæterùm cùm diuini Baptismatis symbola conspecturi simus, nemo profanus ad rerum dictarum spectaculum accedat: neque enim debiles oculos habentibus tutum est obtueri radios quos sol eiaculatur (id enim est, à sole fabricatis) cùm etiam in legis vmbris (quas etiam Hierarchiam appellas) Ozias leprâ correptus sit coram Deo adolens incensum; & Core terrâ absorptus est, sacris ipsi non conuenientibus se ingerens; & Nadab & Abiud, peregrino igne incensum adolentes, eodem quoque combusti sunt.

Ioan. 1. 13. Similitudo à naturali generatione.

Profani à sacris arcendi.

II. Mysterium.

§. 1. Hierarcha imitatione Dei vult omnes saluos fieri.

Hierarcha Deo similis effectus volens quoque saluari omnes, & ad agnitionem venire veritatis, clarâ voce prædicat Euangelia: quomodo nimirum Deus, ex propriâ motus bonitate, nobis semper propitius existens, eo vsque etiam, vt ad nos venire ac carnem assumere dignatus sit. Et sicut ignis frigidum nigrumque ferrum vnione suâ sibi simile reddit; sic etiam Deus per Fidem vnita sibi similia efficit, secundùm cuiusque ad deificationem aptitudinem, prout dilectus ille qui in pectore recubuit in diuinis Euangeliis declarauit: & quidem Sacerdos hæc & similia quotidie prædicat.

§. 2. Patrini electio & munus.

Porrò qui supermundialium participationem liberè amat, & non ex necessitate aliquâ coactus, susceptorem quærit, & inuenit, persuadet illi vt ad Hierarcham se manuducat: ipse autem recipit se illum secuturum, quemadmodum in Lege dictum est, Secundùm omnia audiemus vocem Domini. Hic primùm quidem audiens fideiussionem, & expendens hinc quidem rei celsitudinem, inde verò hominum mutabilitatem, horret ac refugit, considerans rei difficultatem (obserua autem, quomodo etiam hic cùm fidelis sit, proximi salutem amet, vti & Sacerdos, ad Dei similitudinem) nihilominùs secundùm boni Dei cunctos suscipientis similitudinem, promittit se petitioni satisfacturum, atque vnà cum illo Hierarcham adit.

§. 3. Quomodo Sacerdos baptizandum excipiat.

Hic verò cum lætitiâ viros istos, susceptorem inquam & accedentem, quasi ouem perditam in humeros accipiens, gratias agit Deo spiritali simul & corporali adoratione. Sed quomodo è duobus eum qui accedit suscipit? quia nimirum fideiussor quidem ipsum offert, ipse verò semetipsum sistit ac tradit, ita vt conciliatio etiam sit vtrorumque.

A
§. 4.

Vniuersum exinde Clerum (hos enim sacram appellat dispositionem) cùm vt cooperentur, tum vt congratulentur, conuocat, & è diuinis Scripturis Hymnum aliquem canit. Nota autem, ex omni sacrâ Scripturâ posse hymnum seu laudem offerri Deo, & non ex solo Psalterio; vel Canticum fortè Mariæ sororis Moysis, *Cantemus Domino*; vel Psalmum trigesimum tertium, aut eius partem, *Accedite ad eum, & illuminamini.* Et post hæc sacrum altare osculatus egreditur, & sciscitatur, vt ab eo intelligat, ecquid petitum veniat.

§. 5.

Ipso autem, iuxta præceptum susceptoris, priorem illam ac Dei exortem vitam deplorante, ac per eum Dei consortem fieri postulante, testatur ipsi qualis esse debeat accessio, nempe totalis, & ex tota animâ, & omnino perfecta, cùm is ad quem acceditur, prorsus quoque perfectus sit & immaculatus: tunc enim fortè non totalis esset dilectio, sicubi secundùm quid is, ad quem accessio fit, perfectus esset & immaculatus, quod non vacaret reprehensione. Ad hæc verò, postquam ipsum instruxit quomodo vitam agere ac instituere debeat, & interrogauit, post adstipulationem eius capiti manum imponit, subditisque sibi Sacerdotibus Diaconisque mandat, vt in sacras tabulas nomina referant tam accedentis quam susceptoris. Hunc autem existimo esse librum viuentium.

B

Cærimonia olim in Baptismo adhiberi solita.

§. 6.

Completâ deinde super ipso vnà cum aliis oratione, ipsum exuit, vnicâ nimirum, & non omni veste, exinde statuens eum ad Occidentem, ter iubet insufflare satanæ, & abrenuntiationem profiteri, ter & ipse contestatus, quoniam hoc facis. Deinde transfert ad Orientem, Deoque iubet consentire, protestatus & hîc triplici professione fidem.

§. 7.

Hac itaque prece factâ, ministri planè ipsum exuunt, vt sacro Oleo inungatur. Dum autem Sacerdotes eum inungunt, Pontifex ad adoptionis matrem siue Baptisterium accedit, ibidemque cùm aquam benedixit, atque recitauit sacrum Hymnum sancti Spiritus (qui sanctus Spiritus est diuinorum Prophetarum inspiratio) virum accipit. Non autem dixit, sacrum Hymnum diuinorum Prophetarum, neque enim Prophetæ omnes vnum atque idem Canticum recitarunt. Est autem Psalmus vigesimus octauus, *Vox Domini super aquas*, & *Alleluia.* Quibus omnibus super ipso ritè peractis, sacro Oleo inunctum, participem illum facit immortalium mysteriorum. Non oportet autem mirari, si sanctus hîc Pater quædam ab ordine iam in Ecclesiis recepto diuersa commemoret: verisimile enim est, hæc pro isto temporis statu congruisse, nunc autem accuratiùs fieri.

C

§. 8.

Hierarcha semper Deo immobilis fit.

His absolutis, Hierarcha denuò ad primam contemplationem, siue mysticam precationem, id est, Missæ sacrificium conuertitur: neque enim decet, vt quidquam à suis institutis tractet alienum. Declarat autem hic sermo, quòd Episcopus, qui Dei omnium personam sustinet, quemadmodum Deus in suo illo vno eodemque statu semper manens, & in ipso fixus nunquam se deserens, salutis omnium causâ prouidentiæ suæ progressionibus ad omnia bonitatis illustrationes extendit, omnibusque præsens est, a stabilitate suâ minimè discedens; sic etiam Episcopus, ad imitationem Dei symbolicè, & prout potest, in suâ statione, id est, in Ecclesiastico principatu permanens, ad inferiora humanitatis prouidentia procedit: & inferiorum gubernatione impletâ, rursum ad altare redit; symbolicè declarans, se inferiorum prouidentia motum, rebus diuinis ibidem peractis, à diuinis Sacramentis recèns baptizato collatis, ad diuinum institutum reuerti, vt appareat, ipsum à sancto Spiritu duci & reduci.

D

III. Contemplatio.

§. 1.

Baptismus sub conuenientibus signis institutus.

Hoc itaque est Sacramentum nostræ regenerationis, quod, etiam dum quis ad sensibilem imaginem attendit, nequaquam dixerit profanum aut absonum; habet enim etiam indicia sublimioris contemplationis. Quin imò nec omnino à naturalibus & humanis rationibus abhorret: nam etsi quando sublimis illa contemplandi ratio sileretur, vel sic tamen sensibiliter inquiri posset, secundum quid aberrare videatur, quoniam accedentis ab omni malitiâ emundationem operatur, non in humanæ sapientiæ persuasione, sed ex diuinis verbis, naturali aquæ emundatione, hunc abluit. Quo etsi nihil sublimius haberet (quod non est) nequaquam omnis expers esset sanctitatis; cum propter probæ vitæ disciplinam, tum propter naturalem aquæ emundationem.

E

§. 2.

Verùm sit hæc auditoribus introductio quædam spiritalis, quæ à promiscuis & profanis distinguat vniformia. Vniformia autem vocat diuina, tanquam sublimia solaque mente comprehensa. Ait autem *quodammodò*; quia licet non omnes perfecti, sed multi imperfecti sint, habent tamen etiam ipsi anagogen quandam virtuti suæ congruentem, quâ distinguantur ab omnino profanis & Baptismi irrisoribus. Cùm enim non omnes capiant contemplationes, oportet nos etiam interpretationes auditoribus accommodare, vt & ipsi pro modulo suo conuenienter ad virtutem intelligentiarum adducantur; nos verò, ascensiones sacras in corde statuentes, cognoscemus quorum characterum istiusmodi sint effigies.

F

§. 3.

Cæterùm aggreditur contemplationem: & cùm ostensurus sit, Hierarcham secundum Dei similitudinem omnibus salutem annuntiare, incipit dicere de Deo quæ decent. Ait itaque, quomodo Dei bonitas super omnes mentales oculos lucis suæ radios luculenter expandit. Cùm itaque omne quod intellectu præditum est liberum sit, si quis intellectum habens, propter talem libertatem vel omnino diuinum lumen deserat, amans prauitatem; vel certè secundariam illustrationis mensuram ipsi datam contemnens, ipsam transgredi conetur, vtque subtrahitur, & indultâ sibi mensurâ meritò frustratur, diuino lumine in se immutato permanente. Quemadmodum enim συνηρτῆσθαι significat coaptatum esse; sic etiam ἀπηρτῆσθαι excidisse à conformitate atque congruentiâ. Interdum verò etiam hoc verbum significat suspensum esse; hoc loco tamen in priori significatione acceptum est. Illucet itaque lux ipsi etiam conniuenti, neque deserit: neque etiam lux quidquam facit præter ea quæ lucis sunt propria, tametsi mens imperfectè accesserit. Benignè igitur diuina lux mentalibus semper oculis patet, licetque his lucem excipere quandocumque voluerint. Ad huius similitudinem etiam Episcopus doctrinæ radios expandit tam iis qui apti sunt ad eos excipiendos, quam iis qui non sunt apti, nullo odio diráve imprecatione propter priorem defectionem intemperantiamque vtens. Hæc autem dicit propter ea quæ superiùs dicta sunt: dixerat enim, duo esse mala intellectu præditorum propter propriam libertatem. Vel enim deserit quis diuinam lucem, vel sapit supra modulum suum, & quod non conuenit quærit.

Dei donum omnibus expansum instar solis.

G

§. 4.

Ordinatè procedendum in spiritalibus.

Rursus, cùm diuinum Numen sit origo rectæ ordinationis sacræ, secundùm quam etiam Angeli semetipsi norunt, nec inordinatè prosiliunt ad ea quæ non decent, primum munus ex diuinâ doctrinâ quis consequitur, quòd seipsum noscat, vt illud quod in Lege scriptum est seruet, Attende tibi ipsi, quemadmodum etiam Magnus Basilius ait: *Eatenus enim ad proprium naturæ lumen, siue contemplationem scientiámve recurrens, Angelos imitatur, qui seipsos noscunt.* Porrò qui seipsum oculis affectione vacuis considerarit, profundissima quidem ignorationis loca effugiet, non tamen per se, sed per ducem ac susceptorem desiderabit diuinam participationem. Et per doctrinam quidem ad sui notitiam, deueoit per semetipsum ad sui principium; per hoc autem, ad id quod illo prius est, & per illud ad primum adducetur. Hæc significat accedentis modestia reuerentiaque, & ad susceptorem accessio, cui vtique character imprimitur, tanquam signum partis hæreditatis in Christo, & inscriptio fit ad bonam memoriam ipsius ac susceptoris; ipsius quidem, tanquam veri bonorum amatoris; susceptoris verò, tanquam ductoris minimè errantis.

H

Incipiendum à sui consideratione.

§. 5.

Vestium depositio.

Deinde dicit de vestium depositione. Cùm enim non liceat alicui summè contrariorum participem existere,

Significat abiectionem vitiorum.

ſanitatis v. g. & morbi, & peccati ac virtutis, & ignorantiæ cognitioniſque Dei, diuiſam etiam neceſſe ſit habere vitam qui vtraque amplectitur, propterèaque liberum eſſe oporteat qui ad alteram vitam transfertur, nullum affectum retinendo prioris vitæ? idcircò qui adducitur nudus ſiſtitur. Adhæc verò, quoniam ab extremis minoribúſque prioris vitæ affectionibus abſolui debet, ad extremos vſque pedes totius corporis indumentis exuitur; ſpectat autem ad Occidentem, obſcurum illum locum, & tenebricoſam malitiam expellit, inſitùmque ſibi malignitatis habitum efflat, cúmque à corde ſuo eiicit. Atque hoc modo vniuerſali abrenuntiatione factâ ad Orientem traducitur, ad Solis iuſtitiæ ortum, & totalem ad vnum conuerſionem profitetur: cùm prætereà manifeſtum ſit, initiatum in contentione & agone verſari debere, vt immutabilitatem obtineat. *Declina*, enim inquit, *à malo, & fac bonum* & iterùm: *Beati immaculati in via, qui ambulant* bonum enim ſtare neſcit, neque facile eſt diuinum amorem cohibere.

Exſufflatio & renuntiatio quid. *1. Petr. 3. 11.* *Pſ. 118. 1.*

§. 6. Baptizatus ad certamen inſtruitur.

Vide, quomodo Olei inunctione initiatus ad certamina adducatur, ſub Chriſto muneratario conſtitutus. Conſtructio hæc eſt per hyperbaton, Certamina quide, vtpote diuina, lætus aggreditur. Intermediè autem, cùm muneratarium appellauerit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ac Deum, declarat, quomodo muneratius, quomodo legifer: quomodo pulchratum & immortalium coronatum ſit elargitor, quomodo etiam commilito ſit & veluti inunctor. Ieſus itaque Chriſtus tamquam Deus quidem (quod obſerua dictum contra Neſtorianos) præmiorum propoſitionem inſtituit; qui enim ſupereminet & potens eſt; is præmia proponit: tamquam ſapiens veró leges fert, ſapientis enim eſt leges ferre, vt ſi v. g. hoc modo vincere contigerit certantem, ita quoque coronam conſequatur, ſin ſecùs brauium quoque non adipiſcatur: tanquam pulcher autem pulchra præmia proponit *neque enim oculus vidit, neque auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus diligentibus ſe*: tanquam bonus verò fert auxilium & ſuppetias, ipſe enim eſt qui dicit, *Confidite, ego vici mundum.* Denuò igitur dicendum, eum qui ſecundùm hos ſub Chriſto munerario conſtitutus ad diuina certamina exutus fuerit, qui Legiſlatoris ſapientis ſanctionibus adhæſerit, à pulchro quoque pulchra præmia certò conſecuturum, & a bono adiutum, minimè deuictum iri. Primi enim athletarum Ieſu Chriſti Domini noſtri veſtigiis inſiſtens, qui ſola bonitate ſuà cum mortis imperio dimicauit, actiones ſubſtantiáſque deificationi ſuæ aduerſantes proſternens, Chriſto commorietur per triplicem immerſionem, quæ triduanæ ſepulturæ Domini figuram refert. Actiones autem vocat, peccata cupiditateſque turbulentas; ſubſtantias verò, dæmonum naturas, quæ iſtiuſmodi agendi vim habent: improbæ enim actiones nequaquam in propriâ ſuâ ſubſtantiâ videntur.

1. Cor. 2. 9. *Ioan. 16. 33.* *Cũ Chriſto certãdum & moriendum.*

§. 7.

Conſidera, quæſo, iſta Sacramenta, quantam cum ſymbolis ſuis proprietatem habeant. Cúm enim in nobis mors non ſit omnimoda ſubſtantiæ abolitio, vti quibuſdam placet, qui etiam animam mortalem eſſe, hominémque penitus ad nihilum redigi & corrumpi aſſerebant; ſed ſeparatio animæ à corpore, animam quidem ad id quod nobis obſcurum eſt ducens (iuxta quod etiam ille animæ à corpore diſceſſus ᾅδης ſeu infernus, id eſt, obſcurus dicitur) corpus verò vel terræ mandans, vel aliâ quapiam corporali immutatione abulens. Immutationes autem vocat illas quæ in vermes fiunt, vel ſimiles in alia animalcula corporis transformationes; quocircà etiam totalis iſta aquæ coopertio iſtiuſmodi perpetuam animæ corporiſque mortem ſignificat. Et quoniam tribus diebus ac tribus noctibus Ieſus, qui vitæ princeps eſt, in ventre terræ permanſit, per tres quidem immerſiones, tres noctes, per tres autem emerſiones, tres dies deſignantur.

Quid trina merſio.

§ 8.

Candidis deinde veſtimentis initiatus induitur, propter paſſionum ac ſordium vacuitatem, & cum vno lumine conuentionem, per quam ſordida & immunda informiſque vita quaſi diſparuit: Non enim ait, eum, qui omnino formæ expers eſt, per Baptiſmum exornari, & lucis formam accipere; & eum, qui initiatus eſt, lucis filium demonſtrari. Denique vnguenti illa conſummans vnctio eum qui initiatur odoris ſuauitate perfundit: vngitur per Baptiſmum Spiritui Dei principali, cuius vtique Spiritûs aduentus ineffabilem quandam odoris fragrantiam conciliat, ſecundùm quam Apoſtoli Chriſti bonus odor appellantur, quáque diuino Spiritu afflati, ipſique per puritatem coniuncti, præſentiam eius ſentiunt. Hoc vtique etiam declarat illa ſuaueolentia quam linguis exceperunt, donúmve propheticum quod habuerunt, virtúſve curationum, ac quodcumque aliud ſupra conditionem hominis agebant.

Quid vnctio.

CAPVT III.

De iis quæ in Synaxi perficiuntur.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primâ Capitis parte ait, Sacramentum Venerabilis Eucharistiæ eſſe cæterorum Sacramentorum conſummationem, & præ cæteris Synaxin *dici atque* Communionem, *quòd ſingulari ratione nos Deo coniungat vnitque.*

Secundâ parte deſcribit ritum & ordinem, quo antiquitus Sacramentum Eucharistiæ conſecrari & ſumi ſolebat, & quibus præſentibus & excluſis ſacrificium fiebat.

Tertia parte ſubiungit contemplationem, in qua myſticè explicat.

1. *Quid in Sacro ſibi velint ſacra cantica & lectiones; quid panis & calicis participatio.*
2. *Inuocat Venerabile Sacramentum.*
3. *Exponit, quomodo Deus in ſe immutatus, ſe omnibus communicet; & quomodo Pontifex Deum imitetur, inferioribus ſacra miniſtrando.*
4. *Quid ſacra Scriptura libris contineatur.*
5. *Quomodo Pſalmi & Scripturæ animum componant.*
6. *Qui, & quâ de cauſâ, a Venerabilis Sacramenti aſpectu & communione arceantur: & quis ordo inter illos.*
7. *In quo ſita ſit impuritas energumenorum & peccatorum, & quomodo, excluſis profanis, viri ſancti Venerabile Sacramentum laudent.*
8. *Quid pacis oſculum ſignificet.*
9. *Quid commemoratio Sanctorum.*
10. *Quid ablutio extremorum digitorum Sacerdotis. Quid eleuatio Venerabilis Sacramenti.*
11. *Deſcribit calamitates in quas homo incidit per peccatum, & quanta ſit Dei in reparando homine benignitas.*
12. *Sacrificium eſſe commemorationem Paſſionis Chriſti; & quis ſit finis ſacræ Communionis.*
13. *Quid diuiſio & diſtributio Sacramenti inſinuet.*
14. *Qualiter gratiæ agendæ poſt Communionem, & cur Sacerdos ſe ipſum communicet ante alios.*
15. *Finalis gratiarum actio.*

SEd euge, quoniam huius mentionem fecimus, câ prætermiſsâ nefas ſit aliam functionem Hierarchicam præ hac celebrare: nam, ex inclyti præceptoris noſtri ſententiâ, Sacramentum Sacramentorum exiſtit, oportetque ſacræ eius deſcriptionis interpretem ſecundùm Scripturas, ex diuinâ Hierarchicaque ſcientiâ, per Dei principalem ſpiritum ad ſacram eius adduci contemplationem.

Primùm itaque illud ſanctè videamus, quam ob cauſam id quod præcipuis quoque aliis Sacramentis commune eſt, huic per excellentiam præ cæteris ſit attributum vt ſingulariter Communio & Synaxis appelletur; cùm vnumquodque Sacramentum diuiſas quoque vitas noſtras ad vniformem colligat Deificationem, atque Deiformi diſſitorum coagmentatione cum illo vno communicet vniatque. Dicimus igitur, cæterorum Hierarchicorum ſymbolorum participationibus, ex diuinis huius perfectiuiſque muneribus accedere conſummatio-

Eucharistia Sacramentum cur Communio & Synaxis dicitur.

uem.

nem. Vix enim fas sit vllam Hierarchici muneris obitionem functionem, nisi diuinissima Eucharistia, cuiuslibet initij consecrationis, initiandi cum illo vno perficiat coniunctionem, diuinitúsque tradito consummantium mysteriorum dono diuinam ipsi conferat communionem. Quare, si quælibet Hierarchicarum consecrationum imperfecta manet, dum nostri cum illo vno communionem vnionémque non perficit, hoc ipso quo non perficitur perficiendi vim amittens; finis autem omnium est & caput, vt eum qui initiatur, præcipuorum Dei mysteriorum participem efficiat; iure merito Pontificalis scientia proprium illi à rerum veritate nomen adinuenit: ita quoque sacram diuinæ regenerationis initiationem, quòd primam lucem conferat, omniumque diuinarum illustrationum principium existat, ex effectu vero illustrationis nomine celebramus. Quamuis enim etiam aliis Hierarchicis functionibus commune sit, eos qui initiantur sacræ lucis consortes facere; attamen hæc illa est quæ primùm mihi visum impertiuit, perque illius lucem principaliorem ad cætera quoque sacra contuenda lumen accipio. His ita constitutis, consideremus & intueamur, more Hierarchico, quemlibet exactum SS. huius Sacramenti ritum & significationem.

Baptismus cur illuminatio dicatur præ cæteris Sacramentis.

II. Mysterium Synaxeos seu Communionis.

Ritus consecrandi Synaxim.

Pontifex precem sacram ad altare Dei celebraturus, ab eiusdem suffitione initium faciens, vniuersum circuit Chori ambitum; donec rursum ad altare diuinum rediens sacrum infit Psalmorum melos, omni ordine Ecclesiastico sacram ipsi psalmodiam succinente. Per ministros exinde consequenter sacrarum Scripturarum lectio recitatur: quâ finitâ, sacro ambitu arcentur Catechumeni, & cum iis energumeni ac pœnitentes, illis qui diuinorum aspectu & Communione digni sunt remanentibus. Porrò ministrorum quidem alij clausis Templi foribus assistunt, alij verò aliud quidpiam quod sit ordinis sui agunt. Qui autem in ministrorum ordine primas tenent, vnà cum Sacerdotibus diuino altari panem sacrum calicémque benedictionis imponunt, ab vniuersâ plenitudine Ecclesiæ communi hymnologiâ præmissâ. Ad hæc diuinus Pontifex sacram peragit precationem, sanctamque cunctis pacem apprecatur: & dum omnes inuicem amplexantur, mystica sacrorum voluminum recitatio finitur. Tum lotis aquâ manibus Pontificis ac Sacerdotum, Pontifex diuini altaris medio assistit, circunstantibus illi solis ministrorum primoribus vnà cum Sacerdotibus. Porrò vbi Pontifex sacrosancta Dei munera collaudauit, diuinissima consecrat mysteria, quæ etiam celebrata sub symbolis sacrosanctè propositis in adspectum ducit; exhibitisque diuinorum operum muneribus, ad sacrosanctam eorundem communicationem cùm ipsemet accedit, tum cæteros inuitat. Acceptâ denique datâque diuinâ Communione, in sacram desinit gratiarum actionem; populóque diuina tanquam symbola contuente, ipse semper Spiritu diuino, per beatas ac spiritales contemplationes, hierarchicè ad sacrosancta mysteriorum primordia in diuini status puritate ducitur.

III. Contemplatio.

§. 1.

Agedum ergo, probe fili, post figuras ordine sanctéque digestas, Deiformem primigeniorum veritatem iis qui adhuc initiantur declarabo, ad eorum animos congruè excitandos; ne diuersa illa symbolorum sacra compositio ipsis * insipida existat, si exteriorem tantùm apparatum præseferat. Ac sacratissima quidem Eloquiorum cantica & lectiones probæ ipsis in omnem vitæ disciplinam, & quæ hanc præcedit, omnimodam corruptæ prauitatis expiationem: diuinissima verò vnius eiusdémque cùm panis tum calicis communis ac pacifica participatio, diuinam iis morum conformitatem, tanquam connutritiis, præscribit; nec non cœnæ diuinissimæ atque archisymbolæ mysteriorum horum sacrosanctam introducit commemorationem: cuius etiam ipsemet symbolorum auctor iure meritissimo exortem facit eum, qui neque sanctè neque animo concordi sacram secum cœnam frequentarat; docens simul sanctè Deóque consentaneè synceri ad diuina animi accessionem, similitudinis quoque diuinæ participes efficere sic accedentes.

** insipida*

Quid sacra cantica & lectiones.

Quid panis & calicis participatio.

§. 2.

Cæterùm his, quæ adytorum vestibulis eleganter appicta rudiorum contemplationi satis sunt, relictis, ab effectis ad causas progrediemur, deinde sacram nostram Synaxim, atque consentaneam rerum spiritalium, IESV prælucente, contemplationem conspicabimur, beatam primitiuorum pulchritudinem præclarè prorsus eubrantem. Sed tu, ô diuinissimum ac sacrosanctum Sacramentum, circumpositâ tibi symbolicè ænigmatum operimenta reuelans, liquidò nobis manifesteris, mentalesque nostros obtutus singulari & apertâ luce adimpleto.

Precatio ad Venerabile Sacramentum.

§. 3.

Sancta itaque nobis penetranda censeo, vt, intelligentiâ primi simulacri spiritaliter detectâ, deiformem eius pulchritudinem intueamur, necnon Antistitem diuino prorsus modo videamus à diuino altari ad extremitates vsque templi cum odoris suauitate prodeuntem, adque illud ipsum perficiendi Sacri causâ reuertentem. Summa siquidem illa Deitas, quæ beatitudine cunctis antecellit, etsi diuinâ benignitate ad participum sui sacrorum prodeat communionem, nequaquam tamen à naturæ suæ stabili firmóque statu discedit; sed dum omnibus qui diuinam similitudinem præseferunt pro cuiusque captu collucet, secum verè manet, neque quidquam ab identitate suâ dimouetur: simili ratione diuinum illud Synaxeos Sacramentum, quamuis singulare habeat ac simplex compactúmque principium, quod symbolorum varietate benignè multiplicetur, & ad omnem Dei-principalem se extendat effigiationem; vniformiter tamen ad propriam se denuò colligit vnitatem, atque in vnum redigit eos qui ad se sanctè ducuntur. Pari prorsus eóque Deiformi modo diuinus Pontifex, etsi singularem diuini principatûs sui scientiam in subditos beneuolè deriuet, dum ænigmatum sacrorum varietatibus vtitur; rursus tamen, ceu absolutus à rebus inferioribus ac liber, ad proprium principium suum integrè reuertitur, spiritalique suo in vnum introitu perfecto, singulares istas Sacramentorum rationes purâ mente cernit, dum benigni humanique sui ad inferiora progressûs finem diuiniorem ad prima facit reuersionem.

Deus in se immutatus se aliis communicat.

Ita etiam Venerabile Sacramentum.

Ita quoque Pontifex suo modo.

§. 4.

Psalmorum porrò sacra modulatio, quæ mysteriis hierarchicis ferè omnibus quasi substantialis coniungitur, ab omnium sanctissimo nequaquam erat diuellenda: omnis namque sacræ Scripturæ textus vel conditam à Deo rerum substantiam ac dispositionem, vel legalem Hierarchiam ac politiam, vel hereditatum diuini populi distributiones ac possessiones, vel sacrorum Iudicum Regúmve sapientum atque Sacerdotum diuinorum prudentiam, vel priscorum virorum in tristium varietate ac multiplicitate casuum inconcussam tolerantiæ philosophiam, aut sapientes rerum gerendarum præceptiones, vel amorum cantica diuinorum, imaginésque diuinas, vel præsagas futurorum prædictiones, vel viriles IESU Dei operationes, eiusdémque Discipulorum diuinitus tradita & ad Deum imitandum conducentia vitæ instituta doctrinásque sacras, arcanámve illam mysticámque visionem Discipuli dilecti diuinique, atque supermundialem IESV Theologiam iis qui diuinitatis capaces sunt exposuit, sacritque cùm Sacramentorum tum ad Dei formam consequendam aptis institutionibus confirmauit. Sacra verò diuinorum carminum descriptio, cui cuncta Dei opera eloquiáque celebrare, nec non sacros virorum diuinorum cùm sermones tum actiones collaudare propositum est, generalem introducit rerum diuinarum cantum & expositionem, dum ad omnia sacri ordinis Sacramenta, siue suscipienda siue tradenda, aptum illis animum adfert qui ipsum diuinè ac sanctè recitant.

Quid scripturæ lectiones. Argumenta librorum sacræ scripturæ sunt: Genesis, Exodus, Leuiticus, Deuteronomion, Iosue, Iudicum, Regum, Paralipomenon, Iob, Prouerbia, Ecclesiastes, Cantica, Prophetæ, Euangelia, Acta Apostolorum, Apocalypsis.

§ 5. Psalmos & Scripturas animos componere.

Vbi ergo illa quæ res quasque sacras complectitur hymnorum modulatio animæ nostræ affectiones, ad ea sacra quæ paulò pòst celebranda sunt, ritè disposuit, diuinorumque carminum concentu cùm ad res diuinas, tum ad semetipsas mutuamque consensionem, ceu vnicâ concordique choreâ sacrorum coaptauit, ea quæ in spiritali Psalmorum modulatione concisa sunt & magis obumbrata, per plures & manifestiores figuras atque explicationes sacratissimis scripturisticarum compositionum lectionibus dilatantur. In his sacrarum rerum contemplator vniformem quandam atque singularem aduertet conspirationem, vtpote ab vno eodemque Dei-principali spiritu concitatam: vnde iure merito in orbe post antiquiorem illam traditionem, Testamentum nouum promulgatur, diuino scilicet Hierarchicoque ordine, meâ quidem sententiâ, per hoc declarante, vti vetus Testamentum futura prædixerit, nouum verò ipsamet diuina IESV opera exhibuerit; atque illud quidem quasi quibusdam imaginibus depinxerit veritatem, hoc verò præsentem demonstrarit, cùm prædictionum eius veritatem effectus huius comprobauit, diuinorúmque sermonum operatio diuina sit summa.

Nouum Testamentum quid.

§ 6. Qui & quales à Venerabili Sacramento arceantur, & quis ordo inter illos.

Qui quidem horum Sacramentorum penitus ignari sunt, illi ne imagines quidem cernunt, quòd omnium imprudenter salutarem diuinæ generationis disciplinam repudient, Eloquiisque sacris exitiosè prorsus obstrepant, *Vias tuas scire nolo.* Porrò Catechumenos & energumenos, eósque qui pœnitentiâ ducuntur, sacrosanctæ Hierarchiæ mos patitur quidem audire sacram psalmodiam, diuinámque sacrarum Scripturarum recitationem; verùm ad ea quæ deinceps sequuntur Sacrificia spectaculáque nequaquam hos conuocat, sed perfectos perfectorum oculos. Est enim Deiformis ille ordo sacer sanctæ plenus iustitiæ, nec non salubriter cuique consentaneam pro merito cuiusque rerum diuinarum tribuit participationem, & iuxta captum modúmque singulorum suo tempore sanctè concedit. Ac postremus quidem ordo Catechumenis tributus est, quòd exortes sint & ignari omnis Hierarchicæ perfectionis, neque dum per diuinam natiuitatem diuinum statum assecuti, paternis adhuc eloquiis foueantur, viuificisque formis ad beatum illum, qui ex diuinâ generatione proficiscitur, vitæ lucisque principem progressum, efformentur. Quemadmodum itaque carnales liberi, si imperfecti & informes, obstetricis curâ destituti, ante tempus excidant, vt abortiui & abortus, natiuitatis ac vitæ lucisque exortem in terram lapsum habituri sunt: neque quisquam qui rectè iudicabit id quod apparet intuendo, dixerit in lucem ipsos esse editos, quòd sint ab alui tenebris liberati, (dicet enim Medicina, perita corporum præses, lucem vim suam egerere in illa quæ lucis sunt capacia:) sic sacrorum sapiens disciplina primùm quidem ipsos introductorio formandi & viuificandi vim habentium eloquiorum cibo fouet, vbi verò statum eorum diuinæ regenerationi aptum absoluerit, tum demum iis salubriter ordine concedit rerum luciformium & perficientium communicationem: nunc verò velut ab imperfectis perfecta secernit, cùm decoris sacrorum tum Cathecumenorum educationis ac vitæ curam gerens, iuxta deiformem ordinis Hierarchici constitutionem.

Exemplum.

§ 7. Energumeni impuri.

Porrò energumenorum turba immunda quidem est & ipsa, verumtamen secundum locum superiorem à Catechumenorum extremitate obtinet. Neque enim penitus profano, diuinorúmque Sacramentorum prorsus exorti par & æquale duxerim id quod in aliquam sacratissimorum Sacramentorum partem venit, tametsi contrariis etiamnum illecebris perturbationibúsve implicetur; quamquam etiam ipsis rerum sacratissimarum aspectus communióque subtrahitur, & quidem iure merito. Nam si verum sit, diuinum prorsus virum diuinorum communione dignum, pro suo modulo ad deiformitatis fastigium perfectissimis perfectiuisque deificationibus euectum, ea quæ carnis sunt minimè curaturum citra naturæ necessitatem, idque, prout vsus fert, obiter, sed in sublimissimâ illâ quæ ipsi competit deificatione templum simul spiritûs Dei-principalis sectatoremque futurum, dum simile in simili fundat collocatque: profectò quisquis est eiusmodi, contrariis nunquam imaginationibus terroribúsque vexabitur, verùm irridebit eos, accedentesque profligabit ac persequetur, agetque magis quàm patietur, & pro affectûs sui impassibilitate atque constantiâ aliis quoque similium vexationum medicum se præbebit. Cæterùm opinor, imò verò compertum habeo, sincerissimum sacrorum Ordinum iudicium censere, præ istis detestabilissimâ obsidione teneri eos, qui, deiformem vitam deserentes, sententiis moribúsque perditis dæmonibus consentiunt, dum ea quidem quæ & verè sunt, & immortaliter possidentur, atque æternaliter delectant, per extremam sibique perniciosam dementiam auersantur; materialem verò pluribúsque perturbationibus obnoxiam immutationem, perditásque ac corruptrices voluptates, & instabilem, eámque alienam, neque verè existentem, sed apparentem delectationem ambiunt & consectantur. Hi ergo primi, & quidem magis propriè quàm illi, segregatiuâ ministri voce arceantur: neque enim fas sit eis cuiuslibet alterius rei sacræ participes euadere, præterquam Eloquiorum Dei, quorum magisterio ad meliorem frugem conuerti possint. Nam si supermundialis illa sacrorum diuinorum celebratio, etiamdum pœnitentes, tametsi quondam eius compotes, repellit, non nisi sanctissimo quoque admisso; quin etiam proclamat: Ego ad deiformitatis culmen propter suam imperfectionem non assurgentibus inuisibilis & incommunicabilis existo (arcet enim purissima vox ista quoque illos qui rebus diuinissimis dignè communicantibus coniungi non possunt) adeóque magis eorum, qui passionibus exagitantur, turba profana erit, & ab aspectu communionéque sacrorum aliena. Vbi demum diuino templo, sacrisque, quæ capacitatem eorum superant, exclusi sunt, illi qui nullis adhuc Sacramentis initiati omninóque rudes existunt, & cum iis apostatæ vitæ sanctioris, & his conformiter illi qui aduersariorum terroribus visisque præ ignauiâ facilè mouentur, quippe qui per constantem firmámque cum diuinis rebus consensionem necdum deiformis istius statûs habitudinem efficaciámque sint adepti; deinde cum his ij quoque qui contrariæ quidem illi vitæ nuntium miserunt, nondum tamen à vilis habitu amoréque diuino eóque purissimo purgati sunt, atque secundùm hos ij, qui non omnino vniformes, &, vt legis phrasi vtar, non omnino immaculati & incontaminati sunt. Tum denique sancti sacrorum administri spectatorésque studiosi, sacratissimam Hostiam sacro ritu contuentes, generali laudatione concelebrant beneficum munificúmque principium, à quo salutaria nobis exhibita sunt Sacramenta, quæ sacrosanctam illam initiatorum consummant deificationem. Hunc autem Hymnum alij Laudis canticum, alij Religionis symbolum appellant, alij denique, meâ quidem sententiâ diuiniùs, Hierarchicam Eucharistiam, siue sacro-principalem gratiarum actionem, vt quæ diuinitus ad nos dimananda sacra dona complectatur: videtur enim laudatarum omnium diuinarum operationum ratio nobis extitisse, cùm substantiam vitámque nostram beneficè sustentando, ac primitiuis pulchritudinibus deiformem nostri portionem efformando, atque ad diuinioris habitûs & anagoges, quâ sursum eleuemur, partem admittendo; tum prouidè curando, vt ex ingenitâ nobis per nostram ignauiam munerum orbitate diuinorum, propositis muneribus in pristinum statum reuocemur, perfectáque rerum nostratium assumptione, suarum nos participes efficiat, eáque ratione, Dei nobis diuinarúmque rerum communionem largiatur.

In hunc autem modum Deiprincipali benignitate sanctè collaudatâ, coopertus quidem diuinus ille Panis Calixque benedictionis proponitur: diuinissima verò

A

Quid pacis osculum.

salutario siue osculum, sacrarúmque tabularum mystica & supermundialis recitatio celebratur. Non enim possunt ad vnum colligi, atque vnius pacificæ vnionis participes existere, qui secum ipsi dissident. Nam si vnius contemplatione atque cognitione illustrati, ad vniformem quandam ac diuinam coniunctionem redigeremur, nequaquam in diuisas cupiditates dilabi nos pateremur, ex quibus istæ materiales plenæque passionum aduersus æquales exsistunt inimicitiæ. Hanc itaque (vti reor) vniformem atque indiuisam vitæ rationem sacra ista pacis conciliatio sancit, dum simile in simili collocat, & diuina singulariaque spectacula à diuiduis secernit.

§. 9. Commemoratio Sanctorum quid.

Sacrarum porrò tabularum quæ post pacem adhibetur recitatio, deprædicat eos qui sanctè vixerunt, atque ad probæ vitæ perfectionem constanter peruenerunt; nos quidem, eorum imitatione ad beatissimum illum statum quietemque desformem adhortando ac manuducendo, illos verò ceu viuentes celebrando, quippe, vt Theologia docet, nequaquam mortuos, sed ea morte ad vitam diuinissimam translatos. Aduerte autem, vt & sacris memorialibus inserantur, non quasi humano more memoria diuina, in eâ parte memoriæ quæ visa recipit, inesse declaret, sed vt quis dixerit pro Dei dignitate, secundùm eam quæ in Deo est rerum perfectarum ad deiformium pretiosam & immutabilem cognitionem. *Nouit enim*, (vt Eloquia testantur) *qui sunt eius*, &, *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius*, morte Sanctorum pro sanctâ consummatione acceptâ. Sed & illud quoque sanctè obserua, vt impositis diuino altari, sacris symbolis quibus Christus significatur ac sumitur, protinus adsit Sanctorum illa descriptio, quæ indiuiduam eorum coniunctionem vnionemque cum illo supermundialem sacramque insinuat.

B

2. Tim. 2. 19.
Psal. 115. 15.

§. 10. Extremitatum ablutio quid.
Ioan. 13. 10.

His autem eo quo dictum est ritu celebratis, adstans coram symbolis sanctissimis Pontifex aquâ manus abluit vnà cum Sacerdotum ordine venerando. Nam qui lotus est (vt Eloquia testantur) non opus habet aliâ quàm summitatum seu extremitatum suarum lotione, per quam vtique supremam mundiciam fiet, vt diuinissimo præditus habitu deiformitatis, dum ad sequentia quoque benignè procedit, liber futurus sit & expeditus, quippe prorsus vniformis, & ad vnum rursus vnitivè conuersus, immaculatam simul & intemeratam suam faciet conuersionem, tanquam qui deiformitatis suæ plenitudinem & integritatem seruet. Porrò sacrum lauacrum, vti diximus, in legali erat Hierarchiâ; modò autem Pontificis ac Sacerdotum illa manuum ablutio illud ipsum insinuat. Eos enim qui ad purissimum accedunt Sacrificium expiatos esse decet extremis etiam animæ phantasiis, & per similitudinem ipsi, quoad potest, appropinquare; clarioribus enim hoc modo Dei apparitionibus illustrabuntur, supermundialibus istis coruscationibus in consimilis speciei specula limpidiùs vberiusque iubar suum euibrantibus. Cæterùm Pontificis illa Sacerdotumque ablutio quæ summis extremisque digitis adhibetur, coram sacrosanctis istis symbolis instituitur, non secùs ac coram Christo, qui occultissimas quasque cogitationes intuetur: atque vbi suprema illa expiatio perspicacissimis istis scrutationibus, nec non iustissimis integerrimisque iudiciis est absoluta, tum iam diuinis rebus Pontifex coniungitur, sanctisque Dei operibus laudatis, diuinissima consecrat mysteria, & in aspectum ducit quæ celebrauit.

C

D

Cōsecratio & eleuatio.

§. 11.

Quænam porrò censeamus diuina in nos esse opera, deinceps pro virili exponendum est. Neque enim laudandis omnibus sufficio, imò ne clarè quidem cognoscendis aliisque tradendis; quæ autem à Præsulibus diuino numine afflatis conformiter Eloquiis laudantur ac celebrantur, eadem pro modulo nostro, sacri ordinis adspiratione imploratâ, proferemus. Naturam humanam, ab initio diuinis bonis imprudentiâ suâ spoliatam, vita passionibus obnoxia & tetræ mortis exitus excepit: quippe perniciosa ista veri boni desertio, sacræque in paradiso legis præuaricatio, eum qui blandè, mulcentibus & infestis aduersarij fraudibus illectus, vitale iugum excusserat, propensionibus suis, quæ diuinis bonis aduersantur, dimisit, vnde miserè æternitatem cum mortalitate commutauit; & qui originem à corruptibili generatione acceperat, ad interitum origini suo consentaneum iure merito properauit, nec non à vitâ diuinâ, quæ ipsum ad supera surrigebat, dilapsus, & ad extrema contraria iam præceps datus, variis perturbationibus obnoxiam nactus est immutationem. Cùm verò etiam à recto tramite ad Deum verum tendente deflecteret, atque exitiosis maleficisque turmis subditus teneretur, minimè aduertit se non diis & amicis, sed infestis hostibus fuisse obsecutum; quibus eo crudeliter pro immanitate suâ abutentibus, in stratûs internecionisque discrimen venerat. Verùm Dei principalis bonitatis infinita benignitas beneuolè per se nostri curam gerere non destitit, sed nostrorum omnium verè facta particeps, absque peccato humilitatique nostræ vnita, saluo proprietatum suarum statu, eoque prorsus inconfuso & inuiolato, cuius etiam nobis vtpote congeneris, consortium dedit, nosque bonorum suorum participes declarauit, apostaticæ nimirum turbæ imperio, quod aduersum nos habebat, iuxta traditionem arcanam, profligato, non viribus ceu præualens, sed, secundùm mysticum Eloquium, in iudicio & iustitiâ. Nostrum verò statum è diuerso clementer immutauit: nam mentis quidem nostræ obscuritatem beato diuinoque lumine repleuit, deformitatemque nostram deiformibus ornamentis illustrauit; animi autem domicilium cum perfectâ salute essentiæ naturæque nostræ, quæ fermè collapsa erat & conciderat, fœdissimis quibusque passionibus atque inquinamentis noxiis liberauit, commonstratâ nobis supermundialis anagogæ ac diuinæ vitæ normâ, per quam ad sacras eius similitudines, quoad eius fieri potest, euehamur.

Homo in quas ob præuaricationem calamitates inciderit.

B

Hebr. 4. 15.
Dei in homines benignitas.

F

§. 12.

Enimuerò quomodo nobis diuina ista imitatio aliter obueniat, nisi tam præstantium memoria beneficiorum Dei Sacerdotalibus prædicationibus atque mysteriis iugiter innouetur? Hoc itaque facimus, vt Eloquia iubent, in eius commemorationem. Quapropter diuinus quoque Præsul sacris altaribus assistens sancta diuinaque IESV opera collaudat, quæ ex diuinissimâ nostri prouidentiâ in salutem generis humani, sanctissimi Patris beneplacito, in Spiritu sancto, vt Eloquia testantur, consummauit. Porrò venerandâ spiritualique mysteriorum contemplatione, quam spiritalibus oculis conspexit, collaudatâ, ad eorundem sacrosanctum ex diuino instituto procedit consecrationem: quocircà reuerenter simul, & vt Pontificem decet, post sacras illas diuinorum operum laudes, de Sacrificio dignitatem suam superante se purgat, ad Christum priùs exclamando, Tu dixisti, *Hoc facite in meam commemorationem*. Postulans deinde hoc Sacrificio Dei imitatione dignus effici, nec non secundùm Christi similitudinem diuina celebrare, omninoque purè distribuere, eosque qui sacrorum funus sunt participes mysteriorum, iisdem dignè sanctèque communicare, diuinissima illa mysteria celebrat, & iam consecrata, sub symbolis propositis ritu sacro visenda proponit: siquidem operto indiuiduoque pane reuelato, & in multa diuiso, singularique calice omnibus impertito, vnitatem symbolicè multiplicat distribuitque, sacrosanctum in iis sacrificium consummando. Vnicum enim illud ac simplex arcanumque IESV Verbum diuinissimum per assumptionem humanitatis nostræ, in compositionem simul & aspectum, sine vllâ sui immutatione, pro suâ bonitate benignitateque processit, nostrique secum vnificam communionem beneficè excogitauit, ea quæ in nobis humilia sunt diuinissimis suis vniens excellentiis, vt & nos ipsi, tanquam membra corporis, per eiusdem immaculatæ ac diuinæ vitæ identitatem congruamus, ne corruptibilibus occati passionibus, diuinis istis sanissimisque membris incongrui vitæque incapaces existamus: oportet enim nos, si ad communionem eius adspiramus, diuinissimam eius in carne vitam contemplari, atque sanctam ipsius impeccantiam imitando, ad Deiformem & immaculatum statum contendere, hac namque ratione, prout nobis congruit, similitudinem suam communicabit.

Luc. 22. 19.
Sacrificium in memoriâ Christi passi.

G

Luc. 22. 19.

H

Sacra Cōmunio, eiusque finis ac significatio.

§. 13.

Hæc Pontifex rebus iis quæ sacrificantur insinuat,

dum obtecta munera in apertum producit, ipsorumque vnitatem in plura diuidit, & per summam rerum distur-batarum cum suscipientibus vnionem, earundem consortes reddit eos qui communicant. Describit enim in his sensibiliter, dum in aspectum ducit Iesum Christum, spiritalem nostram veluti in imagine vitam, ex abdito illo diuinitatis, per absolutam & inconfusam humanitatis nostræ assumptionem, benignè nostram speciem induentem, atque ad diuiduitatem nostram sine sui immutatione ex vnitate naturali prodeuntem, perque hanc beneficam clementiam, ad sui bonorúmque suorum participationem genus humanum inuitantem, dummodó diuinissimæ ipsius vitæ coniungamur, pro virili illam imitando: nam sic verè consortes Dei diuinarúmque rerum participes reddemur.

Sumptâ denique ac traditâ diuinissimâ Communione, vnà cum totius Ecclesiæ sacrâ plenitudine in sacram desinit gratiarum actionem. Cæterum, participatio communicationem, ipsáque perceptio mysteriorum eorundem distributionem mysticam antecedit: est enim iste generalis rerum ordo ac distinctio diuinarum, vt priùs ipsemet Antistes sacer communicet, ac donis iis, quæ per ipsum cæteris diuinitus distribuenda sunt, satietur, & deinde illa tradat aliis. Hinc qui diuinis magisteriis proteruè abutuntur, quòd iis neque viuendi ratione neque statu suo respondeant, tanquam sacrilegi & à sacris extorres omnino reputandi. Quemadmodum enim in coruscationibus solaribus tenuiores istæ limpidioresque substantiæ, dum influenti in ipsas radio primæ repletæ sunt, omne lumen sibi superfusum in subsequentes solis vice transfundunt; pari ratione, nequaquam debet temere ducem sese aliis diuini luminis offerre, qui non secundùm omnem statum suum deiformis maximè euaserit, diuinaque aspiratione atque sententiâ ad id idoneus sit comprobatus.

In his omnis ordo Sacerdotum Hierarchicè congregatus, diuinissimis mysteriis perceptis, cum gratiarum actione desinit, agnitis pro captu suo laudatisque diuinorum operum beneficiis. Qui enim rerum diuinarum expertes sunt & ignari, nequaquam ad gratias agendas conuertuntur, quamuis ex naturâ suâ dona illa diuinissima sint omni gratiarum actione dignissima. Cæterùm cùm (vti dixi) diuinis istis muneribus, propter suam ad deteriora propensionem, attendere non velint, infinitis diuinorum beneficiorum gratiis ingrati permanēt. *Gustate* (inquiunt Eloquia) *& videte:* quoniam qui sacrosanctâ diuinarum rerum disciplinâ initiantur, permagnificas ipsarum gratias agnoscent, atque diuinissimam earum celsitudinem ac magnitudinem in Communione sanctè considerantes, supercœlestia supremæ Deitatis beneficia grati collaudabunt.

SCHOLIA S. MAXIMI.

I. PRÆCEPTOREM SACRAMENTORVM.] Sanctum Hierotheum dicit.

SACRÆ EIVS DESCRIPTIONIS INTERPRETEM.] Nempe secundùm sacram descriptionem eorum quæ manifestè perficiuntur.

COMMVNE.] Ait hoc per præteritionem Verbi.

COMMVNIO ET.] De Communione.

PERFECTIO EX.] Quoniam nihil potest perfici sine communione.

IN CAPITE.] Id est, maximè necessariâ ratione.

IMPERFECTA QVIDEM.] Quoniam nulla Synaxis perficit sine communione.

ET CAPVT.] Atque hîc etiam caput pro necessario & præcipuo sumitur.

COGNOMEN IPSI.] Cur dicatur illustratio, idque iure merito.

EX EFFECTV.] Hoc etiam per omissionem Verbi substantiui accipitur.

II. PONTIFEX QVIDEM.] Hic ordo Patris huius temporibus seruabatur, scilicet in Ecclesiis vbi ad hoc locus erat accommodatus.

SACRORVM CODICVM.] Sacros codices vocat antiquum & nouum Testamentum.

ET CVM IIS ENERGVMENI.] Id est ab immundis spiritibus vexati.

PORRO MINISTRORVM.] Ministros vocat Diaconos, & eos qui modò Subdiaconi dicuntur.

SELECTI.] Id est, præcipui ac primi Diaconi; Sacerdotes autem sunt presbyteri.

PROPONVNT.] Hoc est secundùm consuetudinem quæ Romæ viget: illic enim septem soli Diaconi altari seruiunt, quos hîc arbitror Selectos appellari, alios verò aliud quoddam ministerium exercere. Hinc etiam nota Patris huius antiquitatem, vt vnà cum Diaconis Sacerdotes panem offerant. Hoc autem vbique fit, cùm pauci sunt Diaconi; Romæ verò omnino fieri arbitror, quòd soli septem Selecti altari ministrent: fortassis autem isti septem vitâ etiam præ aliis eximij sunt.

AB VNIVERSA.] Quoniam etiamtum fidei quoddam symbolum præmittebatur, vel potiùs doctrina ista quam tum acceperant, seu Fidei explanatio.

SACRARVM TABVLARVM.] Hîc apud nos non extant primæ istæ tabulæ: tempore autem huius Patris, post salutationem tabulæ recitabantur, quemadmodum fit in Oriente.

DIACONI PRÆCIPVI.] Quoniam primi tantùm Diaconi sacro altari assistebant, qui inter ipsos fortè vitâ præstabant.

ET IN ASPECTVM DVCIT.] Id est, manifestat ea quæ celebrantur, vt quòd hoc & illud Christi sit, & hoc atque illud Christi. Atque insuper etiam diuina munera ostendit ad remissionem esse peccatorum, & ad vitam conducere sempiternam, & similia mystica. Vox autem illa *sub aspectum* fortassis etiam hoc significat, tum aperiri detegique sancta dona post preces, manere autem obtecta vsque ad tempus Communionis. Aut forsitan intelligit eleuationem & exaltationem, quæ fit post diuini panis consecrationem, dum hunc Sacerdos extollit dicens, Sancta sanctis, quod magis congruit veritati, sicut in fine Capitis dictum reperies.

FIGVRAS ORDINE.] Figuras intelligit veritatum quæ nunc in Synaxi perficiuntur.

NE SYMBOLORVM.] Quoniam hæc symbola sunt, & non veritas.

AC SACRATISSIMA QVIDEM.] Quid sibi velint Psalmi ac Lectiones.

IN MEMORIAM.] Quia post cœnam *accipiens panem*, &c. & quoniam mors eius annuntiatur donec veniat, secundùm Apostolum, ipsumquemet Dominum dicentem, *Hoc facite in meam commemorationem*, & quæ sequuntur. Nota, mysticam Domini cœnam Archisymbolam vocari diuinorum quæ modò celebrantur mysteriorum, atque ei, qui indignè panem & calicem sumit, nihil prodesse sumptionem, sed potiùs, iuxta Apostolum, cessuram ipsi ad iudicium. Ex sequentibus autem rectè quis inferat, Christum post Iudæ à cœnâ egressionem discipulis suis mysterium tradidisse.

ANIMO CONCORDI SACRA.] Iudam intelligit. Vbi nota, etiam ipsum mystici panis ac calicis participem fuisse; mysteria verò Discipulis data esse post Iudæ, qui illis indignus erat, à cœnâ egressionem.

VT SECVNDVM AFFECTVM.] Secundùm affectum hic significat secundùm cognitionem, id est, vt animo ita constitutus sit, vt non secundùm corpus duntaxat, sed etiam per fidem ex affectu ac spiritali sensu accedat.

AB EFFECTIS.] Id est, ab iis quæ visibiliter geruntur, & ad inuisibilia mysticaque, quæ causæ sunt & exemplaria eorum quæ sub sensum cadunt. Porrò * causæ dicuntur eæ, quæ aliunde causam habent, vt quoquo modo sint: vel ab effectis ad causas, id est, à sensilibus symbolis ad intellectilia spiritaliaque, siue ab imperfectioribus ad perfectiora, velut à figuris ad imaginem & ab hac ad veritatem. Vmbra enim sunt illa, quæ sunt veteris Testamenti; imago ea, quæ noui; veritas, status rerum futurarum.

* Pach. effectus.

TVM

TVM SACRÆ.] Κἄτα accentu in penultimâ, significat vero etiam tunc.

§.3. Simulacra quid.

SIMVLACRORVM.] Simulacra autem vocat imagines rerum inuisibilium ac mysticarum, siue illa quæ symbolycè geruntur. Primum porrò horum Synaxeos Sacramentum appellauit, cuius intelligentiam, siue id quod per contemplationem significatur, postulat explanari.

ILLA ENIM QVÆ CVNCTIS ANTECELLIT.]Ecce vnum contemplandi modum Capitis præsentis.

Incensum quid.

NON EXTRA.] Nota, statum essentiæ immobilem existere, & Episcopum esse typum Dei. Nota item, ad tres modos reuocari illa quæ ad incensationem spectant, dum nempè Pontifex ab altari inchoat, & totum templum circuit, & denuò redit ad altare.

SIMILITER.] Alter modus.

PARI MOOO DIVINVS.] Tertins modus propositæ contemplationis, quomodo etiam in Episcopo ab vno multiplicetur, cùm Ipse tamen rebus sequioribus non detineatur, id est, deterioribus non communicet.

§.4. Psalmi cur in omnibus sacris adhibeantur.

PORRO PSALMORVM.] Quid Psalmi. Vbi obserua vocem *consubstantiata*, cui etiam *ferè* addidit: neque enim hæc per substantiam coniuncta sunt, sed eo quod ad vnum omnia scopum pertinent, id est ad hominum salutem. Vnde cùm dixit *consubstantiata*, statim subiunxit *ferè*, dictionis repugnantiam corrigendo. Paulò autem infrà ait vnam inspirationem, id est, conspirationem, quod indicat vnum esse omnium finem.

OMNIS NAMQVE SACRÆ.] Omnium librorum veteris testamenti per compendium commemoratio.

TRISTIVM.]Luctuosorum, vt in Iob.

AMORVM CANTICA.]De amore Canticorum.

AVT VIRILES.] Hîc introducit similiter ea quæ sunt noui Testamenti.

DILECTI ET.] Existimo ipsum dicere Apocalypsim Diui Ioannis Euangelistæ, aut eius potiùs Euangelium.

§.5.

CONIVNXERVNT.]Contraxerunt.

DIVINORVM AVTEM.] Psalmorum scopus est, inquit, laudare Deum, verosque Dei famulos ad eiusdem laudes excitandi & iis continendi vim habent; quæ, inquit, necessariò adhibetur omnibus iis quæ Ecclesiastico ritu geruntur, eo quod psallentibus constantem eorum quæ psalluntur memoriam ingeneret.

DIVINAS OPERATIONES.] Magnitudines.

DIVINORVMQVE CARMINVM.] Nota etiam, Psalmodiæ concentum esse, disciplinam concordiæ cum Deo secum semetipso.

EA QVÆ CONCISA SVNT.] Quoniam ea quæ concisa, hoc est, obscura sunt, explicantur iis symbolis quæ perficiuntur; hoc enim significat verbum illud *dilatantur*. Nota vero, Patrem dicere, ea quæ in Psalmis adumbratè dicuntur, in Scripturarum lectione dilatari.

IN HIS.] In his enim, nempe Scripturis, accuratus contemplator intelligit vnum eundemque spiritum omnes fuisse prolocutum.

PROMVLOATVR.] Tanquam quod per se vetus explanat.

VTI ILLVO QVIO OIXERIT, &c.] Ita nimirum vt vetus quidem Testamentum dixerit, nouum vero perfecerit.

THEOLOGIÆ.] Nota, vt veterem Scripturam vocauerit *Dei sermonem*, nouam vero *Dei operationem*.

§.6.

PENITVS HORVM.] Qui penitus, inquit, horum rudes ac ignari manere suâ sponte statuerunt.

DIVINÆ GENERATIONIS.] Id est sancti Baptismi.

PORRO CATECHVMENOS.] Agit de Catechumenis, & energumenis, & pœnitentibus, & quarum rerum participes existant.

AC POSTREMVS QVIDEM.] Quoniam Catechumeni postremi sunt.

EXORTES.] Expertes.

FORI.] Renascentes.

ABORTIVI.] Partus mortui.

PROFANVS QVIOAM AT HIC.] Seu Sacramenti expers. Nota, vt energumenis etiam annumeret eos, qui corporeis illecebris absque pœnitentiâ immorantur; v. g. scortatores, spectaculorum amatores, quique istiusmodi frequentant, quos diuinus Apostolus recensens subdit, *Cum huiusmodi nec cibum sumere.* Hæc etiam in sequentibus magis explanat. Sciendum autem, hîc non poni magnam vim in istiusmodi differentiâ distantiâve.

Libidinosi peior energumenis. 1.Cor. 5. 11.

§.7.

QVISQVIS EST EIVSMOOI.] Nota, virum Deo vnitum neqoaquam ab immundo spiritu exagitandum.

DETESTABILISSIMA OBSIOIONE.] Quoniam libidinosi deteriores sunt dæmoniacis.

QVÆ VERA SVNT.] Quoniam ea quæ verè sunt, virtutes intelligit.

MATERIALEM.] Quoniam etiam materia multipliciter immutatur.

Peccata nobis aliena sunt. 2.Tim.3. 21. Ps.18.14 Luc.16. 12.

IN ALIENIS.] Nota, nobis aliena esse quæ ad peccatum pertinent: non enim peccatum naturæ nostræ congruit, sed, iuxta Apostolum, promptitudo *ad omne opus bonum*; & iuxta illud in Psalmis, *Et ab alienis parce seruo tuo.* Hinc etiam intelliges id quod dictum est à Domino, *Si in alieno fideles inuenti non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis?* Ideircò etiam hæc aliena dicuntur non existere, quoniam ad naturam non spectant, sed adulterina sunt; agere verò secundum naturam, id verè nostrum est. Alio modo. Aliena dixit ea quæ mundi sunt, quòd nullius propriè sint, sed ab aliis ad alios transeant, aut etiam quod in his nequaquam omnino sita sit nostra viuendi ratio, sed aliam vitam spectet, cuius etiam gratiâ nati sumus.

MINISTRI.] Id est, ne quid energumeni patiantur, vt deinceps dicit.

QVI PASSIONIBVS EXAGITANTVR.] Argumentum manifestum est.

VBI OEMVM OIVINO.] Agit hîc de ordine eorum qui dimittuntur.

QVI NON SVNT INITIATI.] Vt Catechumeni, libidinosi.

QVI TERRORIBVS.] Et visionum illusionibus

PRÆ IGNAVIA.] Nota, vnde dicat fideles aliquos à dæmoniis vexari.

HABITV AMOREQVE.] Nempe per pœnitentiam.

OMNINO IMMACVLATI.] Fideles, qui cum Deo & inter se coniuncti sunt.

GENERALI.] Generale laudis canticum dixit, vel quod ab omnibus canitur, vel pro vniuersali quasi gratiâ offertur.

HVNC AVTEM HYMNVM.] Nota, vt hunc hymnum symbolum & professionem, & gratiarum actionem appellet.

VIOETVR ENIM MIHI.]Ad quem finem spectet symbolum.

*1.Cor.3. 21. * vestra.*

SVBSTANTIAM QVIOAM.] Id est, secundum sermonem Apostoli dicentis, *Omnia enim * nostra sunt.* Primigenias autem pulchritudines vocat eas, quæ in diuinâ naturâ conspiciuntur, quarum homines pro captu modoque suo Deus participes effecit; vel certe illud ad imaginem & similitudinem intelligit.

PRÆPARATIS.] Scilicet bonis, quæ ab eo nobis præparantur.

PERFECTA.] Nota, quid de Christo dicat, siue de perfectâ eius assumptione humanitatis, etiam contra Apollinarium.

§.8.

DIVINVS PANIS.] Nota, non solùm panem sanctum tectum proponi solitum, verùm etiam Calicem diuinum, quod modò non fit.

DIVINISSIMA VERO SALVTATIO.] Nota cur fieret salutatio.

CVPIOITATES EX.] Nota, cupiditates sensuales esse distractiuas, cum & à Deo & ab inuicem nos diuellant, fortassis etiam à nobis ipsis.

AOVERSVS ÆQVALES INIMICITIÆ.] Id est, cum similibus hominibus.

§.9.

TABVLARVM.] Cur post salutionem sanctorum nomina recitentur.

QVI SANCTE.] Nota, defunctorum solùm tunc solitam fieri commemorationem.

THEOLOGIA DOCET.] Hæc sunt ex Sapientiâ Salomonis; & nota, quoniam hic sanctus Pater etiam illâ vsus est.

AOVERTE AVTEM.] Hoc ait, quoniam quod in Prophetis dicitur meminisse coram Deo, non ita intelligendum, quasi Dei memoria renouetur in phantasiâ memoratiuâ, quod mentibus carni alligatis, id est nobis, vsu venit, sed quòd memoria Dei rectè dicatur Dei scientia, quâ cognoscit eos qui perfecti sunt, deiformes in se factos per vitam virtutibus illustrem, dignosque habitos vt perennis eorum memoria seu notitia habeatur.

SYMBOLIS.] Corporis & Sanguinis.

§.10.

AQVA.] Quid sibi velit illa manuum ablutio, & quando fiat.

Ioan. 13. 10.

DICIT, QVI LOTVS EST.] Nota, quomodo intelligat hic Pater sermonem Domini dicentis, *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet*. Constructio eorum quæ proponuntur, ad Verbum *insinuat* refertur, vt sit hic sensus, ac si dicat: Quòd quidem hoc ita sit, insinuat in legali quidem cultu lauacrum, in nostro autem manuum ablutio. Illud autem *liber & expeditus*, significat ipsum partis inferioris ductum ac propensionem mioimè secuturum. Alio modo. Constructionis huius lectio, quæ transgressione constat, sic copulabitur: Quòd nimirum, vt loquuntur Oracula, qui lotus est, non opus habeat aliâ expiatione quàm extremitatum ablutione: à quâ vtique summâ expiatione purum habitum consecutus, immaculatam & intemeratam faciet ad Deum conuersionem, & cùm ad inferiora boniformiter processerit, liber erit & expeditus, quippe simpliciter vniformis, & ad illud vnum denuò vnimodè conuersus.

NISI SVMMITATVM.] Quid sibi vult, lotum non indigere aliâ lotione præterquam extremitatum. Secunda verò vocat sensilia, quibus anima afficitur per imaginationem.

PORRO SACRVM.] Nota, quoniam in Lege non erat lauacrum: & quòd alium tractatum habuerit de Legali Hierarchiâ, qui non existat.

PONTIFICIS.] Nota diuinum afflatum Sacerdotis.

AD SACRIFICIVM EXPIATOS ESSE.] Diuino nempe Sacrificio.

SÆCVLORVM SPLENDOREM.] Specula vocat animas Sanctorum, vtpote diuinæ lucis capaces, & ad sortem meliorem comparatas.

PENETRARE CVPIENTIBVS.] Modò etiam Atticè loquens, vt Atheniensis, verbum hoc construxit, dicens, [illegible], masculinum pro feminino [illegible]; eodem modo fecit capite septimo de Cœlesti Hierarchiâ, vbi fusiùs Atticam illam loquendi formulam explicuimus. Quare hæc ibi lege.

CÆTERVM PONTIFICIS ILLA.] Nota, cur Pontifex in altari, siue in sanctis, id est, coram illis abluatur.

ET SVMMITATIS.] Scilicet summæ expiationis.

Olim hostia manebat diutius obiecta.

ET IN ASPECTVM.] Diuina dona tunc manebant diutiùs obtecta, nempe vsque ad tempus sanctæ Communionis, vti paulò pòst declarat. Certè hoc manifestum est, quòd Pontifex sanctum panem attollens ostendebat benedictionem seu Sacramentum, dicens, *Sancta sanctis.*

§.11.

QVÆNAM PORRO.] Vniuersas erga nos prouidentias pauci norunt, aut forsitan ne pauci quidem; & ad quid fiat oblatio.

OPITVLATOREM.] Auxiliarem.

HVMANAM.] De hominum lapsu.

PRÆVARICATIO.] Transgressio.

SVIS PROPENSIONIBVS.] Id est suæ libertati. Constructio respicit ea quæ superiùs dicta sunt; dixit enim, quoniam naturam humanam excipit vita plurimis passionibus obnoxia. Alia autem sunt intermedia ab [illegible] vsque ad [illegible].

ILLECEBROSIS.] Officiosis.

ORIGINEM.] Cùm scilicet status nostri originem è terrâ ducamus (corpus enim nostrum ex eâ constat) meritò post transgressionem, finem quoque origini consentaneum habemus in terram resoluti, cùm dictum sit: *Terra es, & in terram reuerteris.*

Gen. 3. 19.

FINEM.] Id est, mortem.

VITA QVÆ AD SVPERNA TENDEBAT.] Græcè ἀνάγωγον vitam vocat eam, quæ superna quærit, & ad Deum conuersa est.

MVLTIS PASSIONIBVS OBNOXIAM IMMVTATIONEM.] Quid corporibus sit immutatio, diximus in libro de Diuinis nominibus.

EXITIOSIS.] Ærumnosis.

IN STATVS PRIVATIONEM MISERE.] In statûs priuationem propter peccatum: nam peccator quodammodò non existit, malum enim caret existentiâ.

PER SE OPERANTEM NOSTRI.] Nota, dogmatum horum accurationem magno sententiarum pondere propositam, & omnes hæreticos expugnantem. Nam per se operantem fuisse erga nos Dei prouidentiam, declarat ipsum fuisse Dei Verbum, non autem alium in alio, vt quidam cum Nestorio insaniunt. Cæterùm nostrorum quoque omnium verè participem factam esse absque peccato, & Manichæos, & Eutychianos, & Apollinarios, & Acephalos, & vno nomine omoes hæreticos prosternit.

HABITV SEV STATV.] Habitum hîc non aliquam qualitatem immanentem intelligere oportet, sed consistentiam & permanentiam, seu constitutionem.

NON VIRIBVS.] Nota, Christum non robore satanam debellasse, sed iudicio & iustitiâ; vti Gregorius etiam Nyssenus in Catecheticâ oratione docet.

BEATO.] Diuite, copioso.

INFORMEM, PVLCHRITVDINIBVS.] Ita quoque diximus suprà, ipsum informem appellare caliginem ignorationis. Indicat autem nostram libertatem.

FOEOISSIMIS.] Coinquinatis.

§.12.

SEMPER HIERARCHICIS.] Diuinæ nempe bonitatis, vt Capitis initio dixit.

COLLAVDANS, ET.] Id est sanctorum donorum panem ac calicem benedicens. Obserua verò ipsum vbique vocare diuinum Sacrificium symbolicum, & sancta dona, symbola superiorum atque veriorum.

OPERTVM ENIM.] Sic etiam paulò antè dictum est, diuinum donum mansisse coopertum vsque ad tempus Communionis: nisi fortè opertum dicitur id, quod turbæ & iis qui foris stant, & simpliciter laicis occultum est.

VNICVM ENIM ILLVD AC SIMPLEX.] Quoniam animam spiritalem & corpus terrenum assumpsit. Nota verò, quomodo diuinæ naturæ participes efficiamur, cùm Christo vnimur. Obserua item ea quæ concernunt incarnationem, & quis apparuerit, & quæ sit panis fractio ac distributio.

PER SVMMAM.] Id est secundùm summam & perfectam vnionem, eamque substantialem, secundùm veram subsistentiam.

IMMACVLATÆ.] Innoxiæ.

OPORTET ENIM NOS.] Nota quis sit scopus Christianæ perfectionis.

§.13.

SVB ASPECTVM ADDVCENS.] Haud symbolicè hîc agit de Domino nostro Iesu Christo, quem etiam dixit esse vitam nostram spiritalem. Illud verò παντελῶς *perfectâ* additur, quoniam & animam intellectilem & terrenum corpus assumpsit. Et rectè dixit, *inconfusam humanitatis nostræ assumptionem*: manebat enim Deus, qui apparebat homo, seruatis vtriusque naturæ proprietatibus. Et nota hæc contra Apollinarios.

NOSTRAM SPECIEM INDVENTEM.] Id est, nostram speciem siue naturam assumentem.

PARTICIPES DEI.] Nota quomodo diuinæ naturæ participes reddimur, cùm Christo vnimur.

A §. 14.

IN GRATIARVM ACTIONEM.] Agit de gratiarum actione.

DISTRIBVTIONEM ANTECEDIT.] Communiter enim ponit ἐγῶῦ pro προηγεῖ, oportet enim primum Sacerdotem sumere, ac deinde distribuere. Sumptio igitur & communio eius qui obtulit, mysticam reliquorum distributionem antecedit.

DIVINIS MAGISTERIIS.] Qualem oporteat esse Sacerdotem.

QVI TEMERE ABVTVNTVR.] Id quod ait est huiusmodi: Quemadmodum Sacerdos qui non primus sumit illa quæ obtulit, profanus est; eodem modo qui alios docere præsumunt quæ ipsimet non faciunt, pariter profani sunt. Oportet enim primum facere, ac tum docere, iuxta dictum Domini, *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur.* (Matth. 5. 19.)

DIVINA SENTENTIA.] id est, diuinâ lege.

MINIME AVDENDVM.] Omnino metue.

B

APTATOREM EXHIBERE.] Id est concinnatorem. Lacedæmonij subiectarum ciuitatum gubernatorem ἁρμοστὴν seu aptatorem nominabant, quòd subditos aptaret, vt ex lege viuerent. Vnde etiam Athenienses similiter ἁρμοστῆρας appellabant eos, qui ad benè viuendum alios dirigebant, vti Plato Comicus in dramate Legatis declarat. Vnde hîc etiam Ecclesiæ Episcopum propriè ἁρμοστὴν appellauit.

QVONIAM QVI SANCTA.] Nota quid sit, *Gustate, & videte.* (Psal. 33. 9.)

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§. 1.

Age, quoniam huius Sacramenti, scilicet Synaxeos, mentionem fecimus, (hanc vero etiam Communionem vocat, eo quod dignis omnibus mysteria communicet) quam præterire, aut præ illâ aliud Sacramentum celebrare, nefas (nam eam inclytus Hierotheus Sacramentum Sacramentorum appellauit) oportet præ cæteris ipsâ hierographicè, id est, sacrâ quadam descriptione, eorum quæ lo câ peraguntur expressâ, ad quamlibet deinde eius contemplationem adduci. Et primum illud quærimus, quam ob causam id quod aliis quoque Sacramentis commune est, huic approprietur, voceturque propriè Communio & Synaxis, cùm quodlibet Sacramentum, siue Baptisma siue Ordinem dixeris, etiam illud vtique habeat, vt & congreget, & ad communionem vnionémque inducat: in omni namque Sacramento hæc initiatis conferuntur, v. g. in Baptismo, cùm hoc quoque Sacramentum diuisam hominis vitam, id est sæcularem, & in multa distractam, ad vniformem colligit deificationem, ac secundum hoc etiam Synaxis dici possit: & rursum, in istiusmodi collectione diuisorum sæculariumque motum ad vnum, scilicet Deum, communionem elargitur, atque adeò Communio non immeritò dici possit. Cur itaque præsens Sacramentum istiusmodi nomina propriè sibi vendicat? Dicimus, istorum Sacramentorum perfectionem ex huius muneribus existere: nam non licet aliquod Sacramentum Hierarchicum perficere, nisi videlicet diuinissima Eucharistia cum vno, id est Deo, coniunctionem operetur, hoc enim est præcipuum quod in singulis celebratur. Si itaque vnumquodque Sacramentum, hisce mysteriis frustratum, sit imperfectum, & nec propriè Sacramentum dicatur, neque cum vno illo communicet copulétve, meritò etiam huic soli proprium hoc nomen Synaxeos attribuitur. Synaxis porrò minimè intelligenda populi congregatio, prout aliqui nunc temporis vocem illam accipiunt, sed cum Deo coniunctio communioque. Idem quoque quis inueniat in diuini Baptismatis Sacramento: nam licet alia quoque Sacramenta illuminent, huic tamen propriè nomen hoc Illustrationis impositum est, quod omnium diuinarum illustrationum principium existat. Nam nisi quis diuino Baptismate fuerit initiatus, eiusdenque illustratione dignus sit habitus, non potest alterius cuiuspiam illustrationis particeps existere. His dictis, consideremus ipsum huius Sacramenti consecrationem, quomodo videlicet mysterium Synaxeos celebretur; deinde verò contemplationem eius indagemus.

C *Cur Eucharistia Synaxis dicta.*

D

Cur Baptismus illustratio dicatur.

E

II. Mysterium Synaxeos.

Ordo consecrandi Eucharistiam.

Hierarcha precem sacram (illam inquam solemnem) ad altare celebrans, & ab eiusdem suffitione initium faciens, vniuersum templi ambitum circuit, exinde rursum ad diuinum altare rediens, vnà cum aliis infit Psalmorum melos; posteà verò per Lectores (hos Liturgos vocat) diuinarum Scripturarum, vt Prophetiarum, Apostoli, & Euangelij diuini lectio recitatur: quâ finitâ Catechumeni arcentur, & ante hos energumeni, qui nimirum à dæmonibus infestantur, & pœnitentes, manent autem qui digni sunt. Porrò è Liturgis, Subdiaconibus inquam, alij quidem fores custodiunt, alij verò aliud quidpiam agunt: qui autem primarij sunt, scilicet Diaconi, vnà cum Sacerdotibus diuino altari panem sacrum & calicem benedictionis imponunt, & deinde communis hymnologia profertur; habebant enim etiam tum aliquod documentum ac Fidei institutionem. Adhæc, Pontifex sacram peragens precationem pacem apprecatur, dicendo scilicet, Pax omnibus; dumque illico se salutant, sacræ Tabulæ recitantur. Et postquam loti sunt, Hierarcha stans in medio selectos illos Diaconos sibi habet assistentes, hymnoque dicto diuinissima consecrat Sacramenta, & sub aspectum ducit ea quæ celebrata sunt, declarans ea Christi esse symbola, quoniam post cœnam *accepto pane*, & quæ sequuntur. Item, *Hoc facite in meam commemorationem.* (Luc 22. 19. Ibid.) Ostendit autem, id est, tunc detecta sancta dona post preces attollit seu eleuat, de cætero tecta manent vsque ad tempus sumptionis. Exinde communicat ipse, aliosque inuitat. Acceptâ denique datâque Communione, in gratiarum actionem desinit. Cumque plerique diuina tantum symbola contueantur, eo quod sublimius quid considerare nequeant; ipse tamen Hierarcha ad ipsamet prototypa, sacrum videlicet Corpus ac Sanguinem Domini, adducitur, credens, res propositas in illa sancto ac omnifico spiritu mutata esse.

F

G

III. Contemplatio.

§. 1.

Ad contemplationem modò transiens eorum quæ in Synaxi celebrantur, vti in Baptismatis Sacramento rudiores adhuc animas per sensilem signorum varietatem instituit, sic & hîc, ad commodam eorum qui adhuc perficiuntur & necdum perfecti sunt instructionem, similiter facit, id est, virtuti habitus ipsorum conuenientem. Variam autem vocat & compositam, propter symbola. Cùm enim contemplatio simplex sit & vnimoda, meritò symbola varietas sunt & compositio, qui enim symbolis intendunt, non habeot vnitam & simplicem cognitionem, sed alius aliter adducit, atque alius aliter allegorias tradit, prout vult. Quin imò sunt nonnulli, qui symbolis inhærentes, secundùm illa accipiunt ea quæ supra ipsa sunt, & falsum opinantur; secundum quam falsitatem etiam diuiduntur & multiplicantur. Hîc itaque Pater ait, ne diuersa illa symbolorum compositio insipida existat iis qui initiantur, si rerum sensilium tantùm esse videatur: Scripturarum enim lectiones vt etiam anagogen non haberent, probent tamen vitæ disciplinam & prauitatis innuunt expiationem. Communis autem vnius eiusdemque panis ac calicis participatio morum conformitatem præcipit: nam etiam Dominicæ cœnæ conuiuium ac conformitatem in memoriam reducit, quam & archisymbolam vocat, quasi primitus communicatam. Symbolum enim conuiuium dicitur, & cœna, quodque illic in commune confertur, vt etiam symbolum est id quod datur, & asymbolus est imperfectus seu inutilis: iuxta quod etiam ipsemet symbolorum auctor (siue communionis scilicet, siue eorum quæ in commune conferuntur, quidquid enim in commune confertur, Dei creatura est) iure meritissimo exortem facit & excludit Iudam, qui non sanctè cœnam frequentabat. Cùm enim

H

Symboli quid.

A

ipsi mysticum panem calicemque tradidisset, mysteria solis discipulis tradidit, postquam Iudas, quòd iis indignus esset, à cœnâ surrexisset. Vt quid itaque Iudam exortem facit diuinorum mysteriorum, cùm tamen vnà cœnarit? Vt ostenderet, non satis esse corporaliter tantùm adesse ac concœnare, (neque enim hoc perinde est ad Communionem) sed secundum mentem adesse oportet. Quoniam illa, quæ secundum habitum quasi ex scientiâ fit accessio, vera est, id est, vt quis animo sic constitutus sit, vt per Fidem ex affectu accedat, quod veram facit communionem: quod vtique Iudæ deerat, tametsi corpore præsens erat, atque vnà cœnabat.

Qualiter accedendum ad synaxim.

§.2. Cæterùm hæc, vt dixi, propter eos qui adhuc imperfecti sunt, & hinc ad sublimitatem contemplationis ascendere non valent, sensibiliùs dicta sint, ad conuenientem ipsorum animis erudiendis institutionem. Nos autem iis quæ præ foribus sunt relictis, ad ipsammet contemplationem ingrediamur, ab effectis ad causas, id est, ab iis quæ visibiliter geruntur ad inuisibilia mysticaque, quæ causæ sunt & exemplaria eorum quæ sub sensum cadunt. Porrò effectus dicuntur, ea quæ aliunde causam habent vt quoquo modo sint. Vel causas dicit eas, quæ quodammodo ad vltimum bonum spectant, & quarum gratiâ ac intuitu hos effectus, idque propter ipsas, perficimus. Sed ô diuinissimum ac sacrosanctum Sacramentum! ipsum etiam tanquam animatum alloquitur, idque meritò, cùm etiam Theologus ille Magnus Gregorius dicat, Sed ô Pascha magnum ac sanctum! nostrum enim Pascha, vti & hoc sanctum Sacramentum, ipsemet Dominus noster Iesus Christus est, ad quem hic sanctus sermonem habet, vt reuelet inuolucra, vnicoque lumine mentem impleat.

B

Quid effectus. Quid causa.

§.3. Primùm itaque, quandoquidem ingressi sumus, simulacrum detegendum est. Simulacra autem vocat imagines rerum mysticarum, sicut etiam in libro de Diuinis nominibus id planiùs accepimus. Primum porrò horum synaxeos Sacramentum appellauit, cuius sensum, siue id quod per contemplationem significatur, postulat explanari. Cùm igitur Episcopus sit typus Dei, videamus quomodo incipiat incensum adolere ab altari vsque ad extremitates templi, iterumque ad diuinum altare reuertatur. Itaque Dei bonitas à semetipsâ ad omnia quæ prouidentiâ reguntur procedit; sed propter hæc, secundùm essentiam suam, nunquam à propriâ statione recedit, cuius vtique essentiæ arcanum significat altare illud inaccessum, ad quod Episcopus reuertitur. Ad hunc itaque modum sese habet Synaxeos Sacramentum, quoniam hîc duplex est ratio anagoges. Estque hæc prima, Quòd licet diuinum Synaxeos Sacramentum & vnicum, & simplex, & compactum habeat principium, multiplicetur tamen pro symbolorum varietate; atque vniformiter iterùm ex his ad propriam colligatur vnitatem, vnificetque illos qui ad se sanctè accedunt. Secunda vero ratio est, Quòd diuinus Pontifex tametsi symbolis vtatur, & ab vnicâ scientiâ, propter subditorum prouidentiam, multiplicetur, nihilominus, ceu absolutus omnino à symbolorum multitudine, neque rebus sequioribus communicans, ad proprium principium reuertatur, & ad vnum spiritalem faciens introitum, cernat spiritaliter vniformes Sacramentorum rationes, dum sui ad inferiores progressûs finem, diuiniorem ad prima facit reuersionem.

C

Episcopus Dei imitatur ex officio.

D

§.4. Dicit hîc etiam, quid consona psalmodia significet. Obserua vero illud ὁμοούσια, consubstantiata, cui etiam Ferè addidit: neque enim hæc inter se per substantiam coniuncta sunt, sed eo quod ad vnum omnia scopum pertineant, id est, ad hominum salutem, dixit illud ὁμοουσιώδη, seu consubstantiata, vnde statim subiunxit Ferè, dictionis repugnantiam corrigendo. Paulò autem infrà ait vnam inspirationem, id est, vnam conspirationem, quod declarat vnum finem esse omnium. Quomodo itaque sacra Psalmodia propter mysteria dissideret, & non statim conueniret, quandoquidem omnia spectent ad vnum scopum, vnumque quid rerum ad salutem conducentium explanent? Obserua autem librorum omnium antiqui Testamenti quasi compendio commemorationem. Textus itaque qui conditam describit substantiam, est Genesis; qui legalem Hierarchiam, est Leuiticus & Deuteronomium; qui hæreditatum distributiones, est liber Numerorum, est & Regum Iudicumque liber. Priscos autem viros vocat Moysen, Iosuë, Eliam, & qui sequuntur: diuina verò Cantica appellat Psalterem, & imagines, Canticum Canticorum, vbi Christus sponsus & Ecclesia sponsa figuratur; futurorum prædictiones vocat Prophetias. Deinde Introducit ea quæ sunt noui Testamenti, vt humanas Iesu actiones, quas Deus existens, cùm in corpore versaretur, exercuit, Discipulorum Actus atque doctrinas; recenset enim quæ gesserunt atque docuerunt. Mysticam verò visionem existimo vocare Apocalypsin diui Ioannis Euangelistæ: porrò supermundialem Theologiam, eiusdē Euangelium.

Quid Psalmodia.

E

Quid libri veteris Testamenti.

§.5. Hæc vtique omnia sacræ Paginæ cum sanctis Sacramentis coniunxerunt: nihil enim omnino tacitè celebratur, neque aliter quàm per diuinos Hymnos & Psalmos. Itaque Psalmorum scopus est laudare Deum, virosque Deo gratos ad eiusdem laudes excitandi, & in iis conueniendi vim habent, quæ, Inquit, necessariò adhibetur omnibus iis quæ Hierarchicè geruntur, eo quod psallentibus constantem eorum quæ psalluntur memoriam ingeneret, & animales nostras affectiones congruè disponat ad mysteria, quæ paulo post sunt celebranda. Quin etiam psalmodiæ concentum accipe, ad eam quæ cum Deo & ad inuicem, & cum semetipso est concordiam edocendam. Hæc vbi peracta sunt, & hymnologia rectè nostras animas composuit, & veluti vnicâ concordique choreâ concordauit ineffabilem illam nostram spiritalem psalmodiam, quam & concisam & obumbratam dicit; illud quidem, tanquam spiritalem vnicamque, hoc verò, tanquam obscuram & secundùm animam pluribus imaginibus explicatam. Alia est enim figura psalmodiæ, & alia lectionis; quare etiam per lectiones istiusmodi hymnologia dilatatur. Rursus in hisce lectionibus qui ad sensum attendit, videbit quomodo ritè omnia & vt oportet ordinata sint, idque secundum inspirationem & instinctum diuini viuificique Spiritûs. Leguntur enim primum ea quæ sunt veteris Testamenti, deinde quæ sunt noui similiter: quoniam illud quidem de Christo disseruit, hoc verò ipsum exhibuit; atque illud quidem figuras descripsit, hoc vero manifestè veritatem demonstrauit: atque illud item Theologia vocari possit seu sermo de Deo, hic vero θεουργία seu opus Dei, quoniam ipsummet Deum in corpore exhibuit.

F

G

§.6. Qui quidem sacrarum harum lectionum turbarumque spiritalium penitus exortes sunt, ut ipsas quidem imagines contueantur: nam oculos semel ad lumen salutis occluserunt, Deoque ipsos vocanti obstrepunt, Vias tuas scire nolo. Turbas autem accipit, vel spiritale bellum fidelium quod habent cum aduersario vel propter illam populi in Sina Congregationem secundùm ordinem dignitatis; nam vltimi illorum voces ac tubas audiebant. Porrò tres ordines hos, Catechumenorum, & à spiritibus obsessorum, pœnitentiumque, sacra quidem sanctio permittit audire lectiones, verùm arcet à sequentibus mysteriis. Quin & ordo statûs eorum secundum iustitiam definitus est: atque vltimus quidem ordo attributus est Catechumenis, vtpote nullo adhuc Sacramento initiatis, & secundum Deum necdum perfectè natis. Quemadmodum enim in rebus corporeis accidit, vt imperfectos fœtus & abortiua nemo dixerit in lucem esse editos, eo quod imperfecti materno vtero exciderint (nam Physicus Medicusque dicent, lucem in iis nihil operari, cùm à naturâ habeat, vt operetur in iis quæ lucis sunt capacia) eodem modo in spiritalibus se res habet. Catechumeni enim adhuc Eloquiis informantur, neque dum perfectam formam acceperunt, sed perfecti erunt, quando diuino Baptismate fuerint regenerati; tunc autem iis, tanquam lucis excipiendæ capacibus, diuinorum mysteriorum lumina collucebunt; nunc verò arcentur, Hierarchiâ sacrorumque ordine sic prouidente, ne quibuslibet propaletur, etiam

H

Quid Catechumenis audire licitum, quid videre prohibitum.

A

Catechumenis, qui tempore opportuno, vbi per Baptisma renascuntur, vitam spiritalem diuinaque lumina recipiunt. Quare Catechumenorum ordo est postremus.

§.7. *Quid energumeni.*

Qui verò à spiritibus immundis agitantur, ordinis sunt secundi & anterioris, id est superioris. Siquidem hic ordo secundus est à Catechumenis, sed superior quoniam hi initiati sunt & minimè exortes Sacramenti, vt illi, tametsi & illis quoque, qui corporeis illecebris aut passionibus perturbationibusque irretiti sunt, diuina Communio subtrahitur, eumque ordinem rectè se habere à contrario confirmat. Nam si verum est, inquit, diuinum prorsus virum ea quæ carnis sunt minimè curaturum citra naturæ necessitatem, vt in comedendo, bibendo, dormiendo, & hæc obiter, sed templum sectatoremque spiritûs per omnia futurum; manifestum est, virum eiuscemodi, vtpote Deo vnitum, nequaquam ab immundo spiritu agitandum sed potiùs ipsum irrisurum & subacturum, insectaturumque, illaturumque potiùs aliquid quàm ab eo passurum; quin imò quoque aliis se medicum spiritalem exhibebit. Prætereà compertum habeo, sincerissimum sacrorum ordinum iudicium magis dæmoniacos existimare illos qui inertiâ diffluunt, quàm qui spiritibus succumbunt; siquidem qui tales sunt, propter turpissimam voluptatem, & eam quæ in alienis minimè est, sed esse videtur, felicitatem, vera bona prodegerunt. Aliena autem vocat quæ ad peccatum pertinent; non enim peccatum est quid naturale. Vel aliena dicit ea quæ mundi sunt, quòd nullius propriè sint propria, sed ab aliis ad alios transeant: aut etiam quòd in his nequaquam omnino posita sit nostra viuendi ratio, sed aliam vitam spectet, cuius etiam gratiâ nati sumus. Cùm itaque hi magis propriè spiritibus subiaceant, meritò à communione excluduntur: neque enim eis licet alterius cuiusquam participes esse præterquam lectionis Scripturarum, vt per eas reuertantur ad ea quibus exciderunt.

B *Spiritales dæmoniacis peiores corporalibus.*

Hæc autem omnia dicta sunt à viro sancto de iis qui passionibus obnoxij sunt, & adhuc manent impœnitentes, tanquam si à maiori inferens argumentaretur. Si enim, inquit, illos qui in ipsâ adhuc pœnitentiâ versantur sacrorum diuinorum celebratio repellat, eò quòd non omnino sanctissimi sint, nequaquam eos admittens, proclamando quodammodò se omnibus suâ communicatione indignis inuisibilem incommunicabilemque existere, multò magis ab eâ arcebuntur qui adhuc impœnitentes sunt. Vbi autem à diuino templo exclusi sunt Catechumeni, qui necdum Sacris initiati sunt, quique passionibus obnoxij sunt, & à diuinâ vitâ defecerunt; atque insuper etiam qui à spiritibus vexantur, & hanc pœnam subeunt, nec excusationem habent, quòd hæc inuiti sustineant, quoniam semetipsos spiritibus immundis tradiderunt, cùm nec intensionem neque firmitatem in diuinis obtineant. Deinde cum his quoque illi, quos erratorum quidem suorum pœnitet, & contrariæ vitæ nuntium miserunt, nondum tamen perfectè puri sunt, & secundùm hos ij qui non omnino immaculati sunt & intemerati, prout in Lege quoque ad sacrificium agnus requirebatur: opinor autem significari illos qui non sunt apti Sacerdotio; siquidem hi non stant foris, sed solùm, cùm non adstent altari, à diuino aspectu arcentur per velamina quæ in medio expanduntur. Tum demum sacratissimi spectatores Hostiam contemplantes vniuersale quoddam laudis concinunt, quod vel ab omnibus canitur, vel pro vniuersali quasi gratiâ offertur. Hunc Hymnum autem, alij quidem hymnologiam, alij Religionis symbolum appellant: alij verò diuiniùs, Hierarchicam eucharistiam vocant, vt quæ omnem pro omnibus erga nos bonis gratiarum actionem complectatur: continet enim illa sacra munera quæ diuinitus ad nos dimanant, rectèque pro omnibus gratiarum actio nuncupata est, quia quidquid ad salutem nostram spectat, operata est. Etenim primùm a bono Deo conditi, & primigeniis pulchritudinibus ad deiformitatem efformati sumus. Primigenia verò vocat ea quæ in diuinâ naturâ conspiciuntur, quorum homines pro captu modoque suo Deus participes effecit, & in paradiso ditiniori ad superna modo surrigebamur. Cæterùm cùm imprudentiâ nostrâ bonis illis excidissemus, præparatis hisce bonis ad pristinum nos statum reuocare minimè dubitauit. Præparata porrò vocat bona illa; quoniam cùm essemus peccatores, gratiâ saluati & ornati sumus, & omnimodâ assumptione, perfectæ inquam humanitatis propriorum nos bonorum participes effecit. Hoc est quod & Magnus Gregorius ait, *Assumpsit deterius, vt daret id quod est melius.*

C *Cur pœnitentes arceantur.*

D

Quid hymnologia eucharistica.

§.8. *Quid commemoratio & pacis osculum.*

Nota verò, vt summatim his complexus sit sacram omnem hymnologiam, secundùm quam benignitate Dei collaudatâ, propositis muneribus cooperti, salutatio ac tabularum recitatio finitur. Ac salutatio quidem designat, quomodo ad vnum aliquem statum per sacram Communionem adducendi sint illi qui vel secum ipsi, vel cum aliis in aliquo dissidebant. Nos itaque salutatio sibi inuicem coniungi significat. Quomodo autem secum? Quia nimirum ipse secum quilibet vnitur, & ad vnum affectum fertur, v. g. fraternam conspirationem. Nisi enim ad vnum quis sese colligat, vt talem aliquem affectum concipiat, numquam ipsum exprimet. Hæc autem geruntur, quasi minimè decorum sit, eos qui in altari congregati coniunguntur, iterùm dilabi in diuisas cupiditates, è quibus omnino perturbatæ contra naturam inimicitiæ suscitantur, aduersus autem æquales dicit, id est hominum aduersus homines. Illud autem ad id quod secundùm naturam est, id est ad bonum: humanum enim bonum omne est secundùm naturam, sicut malum contra naturam. Vel etiam æqualem vocat eiusdem naturæ hominem, siue proximum.

E

F

§.9.

Hanc itaque coniunctam vitam salutatio sarcit, dum simile in simili collocat, & diuina indiuiduaque à diuiduis humanisque secernit. Et sic quidem hasque ob causas fit salutatio; tabularum verò recitatio deprædicat eos qui sanctè vixerunt, quin imò etiam viuentes excitat ad eiuscemodi æmulationem: non enim Sanctos quasi mortuos habemus, sed vt viuentes vitam meliorem atque sempiternam. Accipit autem hoc ex Salomone dicente, *Iusti in perpetuum viuunt*, & ea sacris Euangeliis, *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet.* Non solùm itaque nos Sanctorum mentionem facimus, verùm etiam hos diuinæ memoriæ exhibemus. Post hæc quoque dicit, quomodo diuina fiat commemoratio: quod enim in Prophetis dicitur, Meminisse coram Domino, non ita intelligendum, quasi Dei memoria renouetur in phantasiâ memoratiuâ, quod mentibus carni alligatis, id est nobis, vsu venit; sed quòd memoria Dei rectè dicatur Dei scientiâ, quâ cognoscit eos qui perfecti sunt, deiformes in se factos per vitam virtutibus illustrem, dignosque habitos, vt perennis eorum memoria seu notitia haberetur, quemadmodum diuina quoque Oracula restantur, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum*, non in quantum simpliciter mors est, & animæ à corpore separatio, sed quatenus diuini viri in sanctitate consummantur: sicut etiam vnctionem pretiosam dicimus, non quòd per sa pretiosa sit, sed quòd pro religione applicata sit religionem prædicanti. Quin & hoc quoque Sanctorum cum Christo vnionem significat, quòd appositis muneribus pretiosis protinus quoque nomina recitentur.

G Sap. 5. 6. Ioan. 11. 25.

Psal. 115. 15.

H

His itaque peractis, adstans coram symbolis Hierarcha manus abluit, & vnà cum ipso omnes Sacerdotes. Lectio constructionis huius hyperbato seu transgressione constat; quòd nimirum qui lotus est, non opus habeat aliorum membrorum lotione, quàm summitatum seu extremitatum, à quâ vtique lotione purum habitum consecutus, immaculatam faciet ad Deum conuersionem, vti sacrum lauacrum, de quo in Lege dictum est, & hæc manuum lotio declarat. Hoc enim est quod insinuatur. Quemadmodum enim Lex habebat lauacrum, sic & hîc fit manuum ablutio. Hic Sanctus autem manuum lotionem adducit, quia hinc quoque summa extremitatum expiatio designatur: siquidem manus sunt corporis summitates, seu extremitates. Idcircò etiam dicit ipsum liberum futurum, id est expeditum, vt qui nullâ inferiori conuersatione & affectione detineatur. Extremis enim animæ phantasiis expiati clarioribus quoque Dei apparitionibus

§.10. *Quid lotio.* Ioan. 13. 10.

tionibus

tionibus gaudebunt, supermundialibus istis diuinisque coruscationibus in consimilis speciei specula, secundùm gratiam, lumen suum enibrantibus ([illegible] dicens pro [illegible], masculinum pro fœminino.) Specula autem appellat Sanctorum animas, vtpote diuinæ lucis capaces, & ad meliorem illam sortem comparatas. Loquens autem Atticè, vt Atheniensis verbum hoc construxit, dicens, coruscationibus splendorem suum euibrantibus; eodem modo fecit capite septimo Cœlestis Hierarchiæ, iuxta illud κλινῶν ἐπιθυμία, καὶ ψαλτήριον ἔχοντας. Cæterùm cur coram sacris symbolis illa Sacerdotum ablutio instituitur; quia nimirū coram Christo, qui occultissimas quasque humanas cogitationes intuetur, suprema illa expiatio perspicacissimis scrutationibus, exactissimisque & integerrimis iudiciis absoluitur: hoc modo enim Hierarcha diuinis rebus vnitus diuinissima consecrat mysteria. Quasdam autem diuinas in nos operationes dicimus, scilicet Iesu Christi Domini nostri circa nos prouidentias, quas in nostri generis salutem, beneplacito Patris, in Spiritu sancto perfecit. De his consequenter pro virili dicamus prout poterimus. Quæ verò à diuinis Hierarchis incruentam Hostiam sacrificantibus celebrentur, quoad possimus, proferemus.

§. 11. *Ordo perditionis & reparationis nostræ.*

Natura humana ab initio vt paradiso excidit, morti tradita est; consequenter etiam præuaricatio primum parentem nostrum diuinam voluntatem transgressum, deceptionibus erroris iisque quæ diuinis bonis aduersantur, vt morti & corruptioni, propriis suis propensionibus tradidit. Quid autem est, Propriis propensionibus? Cùm scilicet status nostri originem è terrâ ducamus (corpus enim nostrum ex eâ constat) meritò post transgressionem, finem quoque origine consentaneum habemus in terram resolui, cùm dictum sit, *Terra es, & in terram reuerteris.* Vel itaque propter id quod infertur, apponitur, Propriis propensionibus, vel etiam liberis ac spontaneis, & id quod infertur iterùm eodem modo intelligitur. Obserua verò quomodo dixerit, A vitâ quæ ad superna tendebat: ἀνάγωγος enim seu adducens vita quoque dicitur dissoluta & immorigera, quæ prauum ductum sequitur; hîc autem significat eam quæ superiora quærit, & ad Deum conuersa est. Hinc cùm natura à rectâ ad Deum viâ aberraret, minimè aduertit, se non diis & amicis, sed infestis hostibus fuisse obsecutam, quibus ipsâ crudeliter pro immanitate suâ abutentibus (quid enim mali non intulerunt?) in discrimen internecionis inciderat, quod etiam status priuationem vocat, scilicet mortem spiritalem. Verùm Deus noster propter infinitam suam bonitatem per se nostri curam gerere non destitit; quoniam nimirum ipsummet Dei Verbum ea quæ nostra sunt assumens absque peccato, quippe sine mutilatione manens omnino quod erat, nec à proprio statu deficiens (statum autem hîc non aliquam qualitatem immanentem vocat, sed naturalem suam permanentiam & constitutionem) sui nobis consortium tradidit, nec non virtutis apostaticæ aduersus nos impetum dissoluit (quam & multitudinem seu turbam vocat, non omnino propter numerum, sed quòd ab illo vnico, quique supra vnum est, Deo, quàm remotissimè defecerit) non in potentiâ Diuinitatis, sed in iudicio & iustitiâ. Cùm enim propter peccatum morti traditi essemus, inuentus est ipse Dominus impeccabilis, atque iure merito morte superior euasit. Et sicut ab vno primo Adamo ad omnes noxa venit, similiter ex vno quoque secundo Adam, Saluatore nostro Iesu Christo, ad omnes salus transiit. Hinc & naturam nostram immutauit, id quod obscurum erat lumine adimplens, & quod informe atque indecorum erat ornans, atque corpus animæ domicilium ab omni spurcitiâ corrumpente liberans: nobis quoque viam, quæ ad ipsum ducit ostendit, secundùm eam quæ possibilis est eius assimilationem.

Gen. 3. 9.

§. 12.

Cæterùm quomodo aliter diuina ista imitatio fieret, nisi innouatis semper istiusmodi sanctis Sacramentis? *Hoc* enim, inquit, *facite in meam commemorationem.* Obserua verò, quòd hic Sanctus mentem omnem mysticâ prece comprehendat. Deinde diuinus Hierarcha Saluatoris nostri Iesu Christi prouidentias collaudans, quas Patris beneplacito in Spiritu sancto consummauit, & intentis oculis spiritalem conuiuitus contemplationem, ad sacrorum symbolorum, panis, scilicet & calicis, consecrationem procedit. Explicans verò quomodo & hoc ex diuinâ traditione faciat, se purgando & ad ipsum exclamando, Tu enim dixisti, Hoc facite in meam commemorationem. Postulans deinde cùm communione tum eius distributione dignus effici, sub aspectum ducit ea quæ celebrauit, reuelans illum panem indiuisum, & in multa distribuens. Exinde quoque singularem illum calicem omnibus distribuit, secundùm modum quendam mysticum hoc faciens; nam vnum & simplex Dei Verbum per incarnationem, in compositionem simul & aspectum sine vllâ sui immutatione processit, humilia hæc nostra cum diuinissimis suis vniens excellentiis. Sic enim & nos ipsi vnimur, si tanquam membra illi secūdùm immaculatæ ac beatæ vitæ identitatem congruamus, ne idem nobis accidat, quod membro mortuo viuo corpori apposito. Quemadmodum enim illud incongruum omnino minimeque cohærens, vitæque expers existit, sic & nos, si ita mortui fuerimus, nonquam viuo Christo congruemus. oportet enim nos, si communionem eius appetamus, ad diuinissimam eius vitam collimare, & sic per eius assimilationem ad deiformem statum contendere, prout nobis congruit, similitudine eius nobis communicatâ.

Luc. 22. 9.

Ritus Consecrationis & Communionis.

§. 13.

Hæc Pontifex per ea quæ celebrantur insinuat, dum eadem reuelat, & diuidit, & Communionem distribuit: sensibiliter enim in symbolis ad viuum exprimit vitam nostram spiritalem, Dominum nostrum Iesum Christum, ex abdito illo diuino, scilicet immutabilis diuinitatis omnimodâ, veraque & perfectâ incarnatione ex nostrâ naturâ efformatum, & ad diuiduam, scilicet materiatam nostram naturam, immutabili ratione ex naturâ suâ vno, id est ipsâmet diuinitate prodeuntem, & humanam nostram humilitatem, ad bonorum suorum participationem inuitantem, dummodò & nos non inepti videamur ad eius, quoad fieri potest, similitudinem.

§. 14. *Quid Doctori cauendum.*

Hierarcha deinde communicans, communionemque distribuens, desinit in gratiarum actionem. Primùm autem ipse communicat, & sic distribuit: oportet enim primùm esse participem ac plenum bonorum, ac deinde sic distribuere; primùm illuminari, ac deinde illuminare. Quocircâ censemus illos malè agere, qui cùm non sint docti à Deo, docere præsumunt. Quemadmodum enim in solaribus radiis ac vitris se res habet, vt vitra cornuáve, vel aliæ res transparentes primùm lumen recipiant, ac deinde sic lumen ad alia transmittant; sic etiam in diuino lumine Doctoribusque primùm debet Doctor ipse luciformis existere, ac deinde ad alios doctrinâ suâ illustrandos accedere. Quomodo enim ante diuinam aspirationem iudiciumque idoneus comprobetur? Lacedæmonij verò exinde subiectarum ciuitatum gubernatorem ἁρμοστὴν seu aptatorem nominabant, quòd subditos aptaret vt ex lege viuerent. Vnde etiam Athenienses similiter ἁρμοστῆρας appellabant eos, qui ad benè viuendum alios dirigebant. Quare etiam hîc ἁρμοστὴν vocat Principem Ecclesiæ.

§. 15.

Cæterùm in his omnis sacrorum adornatio (adornationem autem vocat omnes ordines Ecclesiæ) diuinissimis mysteriis perceptis, cum gratiarum actione desinit, gratiam hanc agnoscens & collaudans: quoniam qui eam non agnouerunt, nequaquam gratias agunt, quamuis ex naturâ suâ dona illa sint omni gratiarum actione dignissima. Verùm, vt anteà dicebam, illi propter suam ad deteriora propensionem nolentes tantis muneribus attendere, infinitis illis gratiis ingrati permanserunt. Non eò autem hoc dicit, quòd si voluissent, assecuti fuissent; sed quòd ne primam quidem luminis ac doctrinæ gratiam attendere voluerint: vnde quoque fit vt muneribus istis priuentur, omnique alio beneficio ac boni Spiritûs gratiâ frustrentur. *Gustate* enim, inquit, *& videte.* Vnde qui gustant, Communionis huius magnitudinem considerantes, & quæ consecuti sunt expendentes, meritò etiam à gratiis agendis nunquam desisterent.

CAPVT

CAPVT IV.

De iis quæ in Vnguento fiunt ac perficiuntur.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primâ Parte dicit, Vnguenti mysterium affine esse Venerabili Eucharistiæ.

Secundâ Parte describit ritum consecrandi sacrum Vnguentum.

Tertiâ Parte subiungit contemplationem, in quâ mysticè explanat.

1. *Quid sibi velit Vnguenti obuelatio.*
2. *Ait Vnguentum, licet profanis tectum sit, sanctis tamen patere.*
3. *Sacrum Vnguentum habere vim consummandi; ibidémque exponit, quanta sit efficacitas canticorum spiritualium.*
4. *Quid Vnguenti compositio significet.*
5. *Ostendit, quod quantò quis Deo propinquior est, tantò etiam suauius ab ipso afficiatur.*
6. *Quid signent Seraphini qui Pontifici in confectione Vnguenti assistunt.*
7. *Quid eorundem multiplices facies & alæ designent.*
8. *Cur facies pedésque obtegant.*
9. *Quid sibi velit clamor vnius ad alterum.*
10. *Quid eorundem nominis interpretatio; & quomodo Vnguentum designet, Christum in se mutatum nos sanctificare; & cur Vnguentum in omni ferè consecratione adhibeatur.*
11. *Cur Vnguentum adhibeatur in Baptismo.*
12. *Cur altare Vnguento consecretur; & cur Vnguentum τελετὴ nuncupetur.*

Vnguenti mysterium Eucharistiæ affine.

TAnta sunt & tam præclara sanctissimæ Synaxeos spectacula spiritalia, quæ nostri cum vno illo, vti sæpè diximus, communionem atque coniunctionem præcipuo quodam ritu sacro perficiunt: verumtamen est & alia huic coordinata consecratio, quam Vnguenti mysterium præceptores nostri appellant. Huius itaque partibus iuxta sacras imagines ordine perspectis: hoc modo per easdem ad illud eius vnum Hierarchicis contemplationibus euehemur.

II. *Mysterium consecrationis Vnguenti.*

Ritus Vnguentum consecrandi.

Eodem modo quo in Synaxi ordines eorum, qui minùs perfecti sunt, excluduntur, præmissis videlicet, sacrâ per totum templum cum odoris fragrantiâ processione; Psalmorumque sacrâ modulatione, & diuinissimorum Eloquiorum promulgatione. Deinde Pontifex accepto Vnguento ponit illud supra diuinum altare, duodecim sacris alis obuelatum, cunctis sanctissimâ voce concinentibus illud diuinitus afflatorum Prophetarum Canticum afflationis; completaque super eo consecratoriâ precatione, in sanctissimis quibusque rerum sacrandarum consecrationibus eodem vtitur, ad omnem fermè Hierarchicam consecrationem.

III. *Contemplatio.*

Vnguenti obuelatio quid insinuet.

Ipsamet quidem introductoria perfectiuæ huius consecrationis anagoge per ea quæ diuino illo Vnguento consecrantur, vt opinor, insinuat, viris sanctis obuelandam esse mentis sanctitatem atque fragrantiam: cùm diuinitus viri sancti iubeantur, non ad vanam gloriam apparentes arcani Dei pulchras ac fragrantes habere similitudines. Siquidem arcana Dei decora, quorum suauitas intellectum superat, prorsus sunt intemerata, solisque viris spiritalibus spiritaliter apparent, quòd in animabus nostris exigant habere sibi conformes per virtutem & incorruptibiles imagines. Incircumscriptum enim illud virtutis deiformis simulacrum ritè imitandum est, vt spiritalis ac fragrans ipsum referat pulchritudo, séque formet & effingat ad pulcherrimam eius imitationem. Et sicut in imaginibus sensibilibus, si pictor ad primæuam speciem constanter intendat, nullâ re aliâ visibili distractus, neque secundùm quidpiam diuisus, illum ipsum qui depingendus est (si ita dicere liceat) quodammodò replicabit, atque ipsammet veritatem in similitudine, & archetypum in imagine exprimet, alterúmque in altero citra substantiæ differentiam referet: sic honesti amantibus in mente pictoribus, suaueolentis & arcanæ pulchritudinis intenta constánsque contemplatio infallibilem indet maximéque deiformem imaginationem. Meritò itaque diuini pictores, quando mentem suam ad supraessentialem illam fragrantem spiritalémque pulchritudinem constanter efformant, nullam virtutem earum quæ iis insunt agunt, vt ab hominibus, vti scriptum est, videantur, sed sanctè in Vnguento diuino, velut in imagine sacratissimâ, quæque Ecclesiæ mysteria velata contemplantur; atque adeò quidquid in virtute sacrum ac maximè deiforme est intra mentem suam, quæ ad imaginem & similitudinem Dei facta est, recondentes, ad primæuam dumtaxat speciem atque intelligentiam intuentur: neque enim solùm dissimilia non vident, sed ne ad eorum quidem aspectum pertrahuntur. Quamobrem, sicut eos decet, non ea quæ temerè videntur, sed quæ verè iusta sunt ac bona, diligunt: neque istam spectant gloriam, quæ sine ratione vulgò passim beata prædicatur, sed imitatione Dei bonum malúmve per se iudicantes, diuina quædam simulacra fiunt istius fragrantiæ diuinæ, quæ bonum in se odorem verè continens, ad illud, quod vulgò passim inæqualiter apparet, nunquam conuertitur, in veris suis imaginibus exprimens veritatem.

Exemplo pictorum [illegible] imitan[illegible]

Pura intentio.

Age iam deinceps, quoniam exteriorem ritûs verè pulchri venustatem aspeximus, diuiniorem eius pulchritudinem intueamur, eámque sublatis velamininibus per se contemplemur, clarè suum iubar illud beatum euibrantem, nosque illâ, quæ viris spiritalibus explorata est, odoris fragrantiâ replentem. Neque enim aspectabilis Vnguenti confectio iis qui Pontifici præstò sunt incommunicabilis aut inaspectabilis existit, sed è diuerso, dum ad ipsos vsque pertendit, ac sistit eam quæ vulgi captum superat contemplationem, ab iisdem reuerenter obtegitur, & à turbâ pontificio iure secernitur. Siquidem ille radius rerum sacratissimarum dum viris diuinis, tanquam intelligentibus, purè atque immediatè collucet, & conceptus eorum spiritales bono palàm imbuit odore, ad id quod humi serpit nequaquam similiter procedit; sed ab ipsis, vt pote arcanis spiritalis rei spectatoribus, sine ostensione, ne à dissimilibus quibusque violetur, pennaris inuolucris obducitur, quibus, ceu sacris signis, præclariores ordines subditorum pro capacitate suâ ad res sacras promouentur.

Vnguentum profanis [illegible] clausum [illegible] patere.

Est igitur, vt dixi, sacrosanctum hoc, quod à nobis modò laudatur mysterium, eius ordinis atque virtutis, vt Hierarchicas consummet functiones: quocircà quoque diuini præceptores nostri, tanquam eiusdem ordinis & operationis cum sacrosancto Synaxeos Sacramento iisdem imaginibus vt plurimùm, mysticisque distinctionibus ac sacris verbis descripserunt. Atque Pontificem quidem videre liceat eodem modo à diuiniore loco odoris suauitatem ad sequentia loca sacra diffundentem suóque ad eundem locum reditu docentem, quomodo diuinarum rerum participatio, dum in omnibus quidem sacris pro cuiusque meritis communicatur; nihilominùs in se neque loco mota, in diuini fundi proprietate, sine vllâ sui immutatione, consistat. Pari rursus modo cantica Scripturarum atque lectiones rudibus adhuc animis ad vitalem adoptionem obstetricantur, & eorum, qui à dæmonibus vexantur, sanctam promouent conuersionem, pauorémque contrarium & pellicatum abolent eorum qui à dæmone propter ignauiam arripiuntur, dum nimirum illis, ad illorum captum, status deiformis ac virtutis verticem proponunt: vnde fit, vt ipsi potiùs aduersis potestatibus terrori sint, atque cæteris quoque curandis præficiantur, ad Dei quidem imitatio-

Vnguentum vim habet consummandi.

Effectus Canticorum spiritalium.

nem

A

nem bonis proprijs stabiliti, aduersus autem terrores contrarios non tantum efficacitatem obtinentes, verum etiam largientes: iis vero qui ex iniquitatibus ad mentem sanctam redierunt, habitum quendam sanctum inferunt, ne iniquitate denuò capiantur; quibus autem ad omnimodam puritatem quidquam deest, illos perfectè expiant; sanctos vero ad imagines diuinas & earundem contuitum atque consortium promouent: pascunt itidem eos qui iam planè sancti sunt, beatis ac spiritalibus spectaculis eorum vniformitatem vno illo adimplentes & viuificantes.

§ 4.

Quid porrò? Nunquid etiam præsens quæ modo celebratur consecratio ordines illos, qui non planè mundi sunt, quorum anteà mentionem fecimus, inpromiscuè dimittit, eo modo quo fit in Synaxi, & in sacris tantum imaginibus cernitur, & à solis viris sanctissimis in Hierarchicis anagogiis immediatè conspicitur ac celebratur? Verùm hæc cùm à nobis sæpenumerò dicta sint, superuacaneum esse arbitror iisdem verbis repetere, quin potius ad ea quæ sequuntur transeundo, Pontificem videamus alis duodecim obuelatum Vnguentum sacrum tenentem, ac purissimum in eo Sacramentum consecrantem.

B

Quid Vnguenti compositio significet.

Dicimus igitur, Vnguenti compositionem collectionem quandam esse fragrantium materiarum, quæ in se affatim suaueolentes continet qualitates, cuius qui participes existunt, odoris suauitate afflantur, proportione fragrantis quæ illis inest participationis. Scimus autem, diuinissimum illum IESVM supra substantialiter fragrantem, spiritalibus distributionibus partem nostri spiritalem diuinâ voluptate recreare. Si enim rerum sensibilium suaueolentia nostrum, modò sanus & rei odoriferæ debitâ proportione accommodatus sit, olfactum benè afficit, & magnâ cum voluptate alit; eadem vtique ratione dicat aliquis, spiritales nostras facultates, si nullâ in malum propensione corruptæ fuerint, naturali quodam iudicij vigore, secundum diuinæ operationis modos, congruamque mentis ad Deum conuersionem, diuini odoris suauitate perfundi, atque sacrâ quadam voluptate & diuinissimo alimento satiari.

C

Ipsamet igitur Vnguenti mystica compositio, quasi in figuratione rerum infigurabilium, ipsummet IESVM nobis depingit esse fontem vberem, e quo diuinorum odorum suauitates hauriuntur, dum proportionibus diuino-principalibus in mentes maximè deiformes diuinissimos illos spiritus infundit, quibus suauiter affectæ, sacrisque perceptionibus plenæ, spiritali alimoniâ perfruuntur, dum suaueolentes istæ distributiones diuinâ largitione spiritalem animæ portionem subeunt.

§. 5. *Quantò quis Deo propinquior, tantò suauius ex ipso afficitur.*

Existimo autem esse perspicuum, superioribus essentiis, vtpote diuinioribus, fontalis fragrantiæ distributionem propinquiorem quodammodo existere, magisque se illis exprimere ac distribuere, partem earundem maximè deiformem virtutisque spiritalis capacissimam affatim mundando, ac multipliciter subeundo; ad inferiores autem, & qui non æquè capaces sunt, supremam illam contemplationem atque communionem reuerenter contrahendo, eiusdem participationem, instillationibus eorum captui accommodatis, diuinâ quadam proportione deriuare.

D

Ordo itaque Seraphim, qui sanctas illas nobis excellentiores essentias supra modum superat, in alis duodecim significatur, adstans IESV & prope ipsum collocatus, beatissimis eius contemplationibus, quantum fas est, vacans, & spiritalis distributionis in sanctissimis receptaculis sanctè plenus, &, vt sensibili modo dicam, multùm decantatam illam Dei laudem incessabili voce proclamans: sacra siquidem cœlestium spirituum cognitio & indefessa est, & diuinum habet amorem indeficientem, omnique malitiâ & obliuione superior existit, vnde clamor ille incessabilis, meo quidem iudicio, designat sempiternam eorum & immutabilem, cum omni contentione atque gratiarum actione, rerum diuinarum scientiam atque cognitionem.

§. 6. *Seraphim qui Pontifici assi-*

Incorporeas quidem proprietates Seraphim à Scripturis sanctè sensilibus figuris, quibus res intellectiles exprimunt depictas, in cœlestium Hierarchiarum descriptionibus præclarè, vti puto, spectauimus, tuisque spiritalibus oculis exhibuimus; sed quoniam etiamnum iis qui Pontifici reuerenter assistunt, illam ipsam sublimissimam distinctionem nobis repræsentant, breuiter iterùm immaterialibus oculis quàm maximè deiformem eorum splendorem contemplemur.

E

stūt quid repræsentent.

§ 7. *Quid facies eorū & quid alæ designent.*

Infinitæ quidem facies eorum multique pedes significant, vt opinor, vim proprietatemque eorum quâ multas diuinas cernunt illustrationes, bonorumque diuinorum intelligentiam, quæ sempiterno motu cietur, multaque peragrat: senas autem alas, quas Eloquia commemorant, non existimo sacrum numerum denotare, vt quibusdam placuit, sed ipsas virtutes supremæ illius quæ circa Deum versatur essentiæ seu distinctionis, primas & extremas, esse planè spiritales ac deiformes, superna petere, penitusque liberas existere ac supramundiales. Hanc ob causam sacratissima Scripturæ sapientia, dum alarum figuram depingit, ad eorum facies, mediaque corpora, ac pedes pennas adhibet, vt insinuet, eas penitus alatas esse, atque omni vi ad id quod veraciter existit sursum ferri.

F

§ 8. *Cur facies & pedes obtegant.*

Quòd si facies pedesque obtegunt, mediisque tantum alis volant, intellige, tam præstantem summarum naturarum ordinem reuereri ea quæ altiora profundioraque sunt, quàm vt intelligendo assequi possint, mediisque alis moderatè ad Dei contemplationem euehi, dum & diuinis lancibus vitam suam subiicit, & ab iis sanctè ad sui notitiam promouetur.

§. 9. *Quid clamor alterius ad alterum.*

Quod autem Scriptura dicat, Clamabat alter ad alterum, hoc existimo significare, quod diuinarum suarum visionum & intelligentiarum participationem sine inuidiâ sibi mutuò communicent. Quin etiam hoc memoratu dignum, quomodo in sacris Litteris sanctissimæ illæ naturæ perquam significanter Hebraïcâ voce Seraphim appellentur, quod nimirum per diuinam semperque mobilem vitam suam ignescant, & supra modum ferueant.

G

§. 10. *Seraphim significatio quid cum Vnguento.*

Si igitur, vt Hebraïcorum nominum interpretes affirmant, diuinissimi illi Seraphim Incensores & Calefactores à Scripturâ nominentur, quod id nomen statum eorum naturalem exprimat, vtique, iuxta symbolicam effigiationem, habent Vnguenti diuini vires illas, quæ sursum aguni ad ipsum exprimendum, & ad efficaciores vapores distribuendos incitant. Etenim essentia illa, cuius odoris suauitas mentem superat, ab igneis purissimisque mentibus ad sui manifestationem inuitari amat, diuinissimasque suas inspirationes luculentissimis distributionibus impertitur iis qui sic illam supramundialiter inuitarunt. Nequaquam igitur diuinissimus cœlestium essentiarum ordo ignorabat, IESVM diuinissimum sanctificationis ergo descendisse; verùm sciebat, ipsum, propter diuinam & ineffabilem bonitatem suam, sanctè se ad nostra demisisse, & ab ipsomet Patre Spirituque humano more sanctificatum cernens, proprium agnoscebat principium in iis quæ diuinitùs agebat secundùm essentiam inuariatum.

H

Vnguentū designat Christum in se inuariatū nos sanctificare.

Quare traditio sacrorum symbolorum, dum diuinum Vnguentum consecratur, Seraphim apponit, vt Christum denotet ac describat, in vniuersâ naturæ humanæ nostræ assumptione in se immoratum permansisse. Et quod diuinius est, ad omnem rei sacræ consecrationem diuino vtitur Vnguento, manifestè demonstrans, iuxta Scripturas, eum qui sanctificandum sanctificat, vt qui semper sibi ipsi similis, atque idem sit in omni diuinæ benignitatis operatione; quapropter etiam diuinæ regenerationis donum & gratia perficiens diuinissimi Vnguenti consecrationibus consummatur.

Vnguentū in omni ferè consecratione adhiberi.

Vnde, vt opinor, etiam in baptisterium expiatorium Vnguentum, aspersionibus in Crucis formam expressis, infundens Pontifex, mentalibus oculis sub aspectum ponit, vt ad mortem vsque IESVS in cruce pro diuinâ nostrâ regeneratione demersus, diuino illo & insuperabili descensu in morte suâ baptizatos, secundùm oraculum arcanum, ex antiquâ mortis corruptibilis deiectione benignè vindicarit, & ad diuinum æternumque statum innouarit.

§. 11.

Quin etiam ei qui sanctissimo diuinæ regenerationis

sacro

Cur in Baptismo Vnguentū adhibeatur.

sacro initiatus est, consummans illa vnctio diuini Spiritûs illapsum elargitur, sacrâ, vti reor, symbolorum fictione hoc sub oculos ponente, quomodo ab ipso, qui propter nos humano more spiritu Dei principali sanctificatus, essentiali diuinitatis suæ statu inuariato, diuinissimus ille Spiritus donetur.

§. 12. *Cur altare Vnguēto cōsecretur.*

Hoc etiam sanctè obserua, vt sacratissimorum illa lex mysteriorum purissimis Vnguenti sacratissimi affusionibus diuini quoque altaris consecrationem perficiat. Est vtique supracœlestis ac supersubstantialis hæc diuina operatio vniuersæ diuinitùs nobis præstitæ sanctificationis initium & essentia virtusque perfectiua. Etenim si Iesvs, qui est altare nostrum diuinissimum, diuina est diuinarum mentium consecratio, in quo, secundùm Scripturam, sanctificati, & mysticè in morem holocausti concremati, accessum obtinemus, supramundanis oculis diuinissimum illud altare intueamur (in quo ea quæ initianda sunt, consecrantur ac sanctificantur) ipsomet Vnguento diuinissimo initiatū: sanctificat enim semetipsum pro nobis sanctissimus ille Iesvs, nosque omni replet sanctitate, dum ea quæ in eo geruntur per dispensationem, ad nos, veluti à Deo genitos, beneficè dimanant. Vnde, vt opinor, iuxta sensum Hierarchicum qui à Deo traditus est, diuini isti sacri nostri ordinis duces sanctum hoc Vnguenti mysterium τελετὴν, id est consecrationem vocant, quòd reipsâ consecret atque consummet; vt si quis dixerit Dei consecrationem, vtroque sensu diuinam eius perfectionem prædicando. Est enim Dei consecratio, cùm quòd propter nos humanitùs sanctificetur, tum quòd diuinitùs cuncta, quæ consecranda sunt, ipse consecret, atque sanctificet. Porrò melos illud sacrum Prophetarum diuinitus afflatorum, aiunt hi qui Hebraïcè norunt, Dei laudem significare, siue *Laudate Dominum.* Cùm igitur sacra omnis Dei apparitio actioque in diuersâ Hierarchicorum symbolorum compositione sit descripta, necquaquam abs re fuerit, meminisse laudationis Prophetarum quam diuinitùs didicerunt: docet enim præclarè simul ac sanctè, diuina beneficia præcipuâ laude digna esse.

Vnguentum cur τελετὴ dictum.

SCHOLIA S. MAXIMI.

I. Hoc modo ad illvdvnvm.] Hoc est ad intelligibile & spiritale.

II. Cvm odoris fragrantia processione.] Id est, cùm Episcopus totum templum incensauerit.

Canticvm.] Scilicet Sanctus, vel Alleluia.

Et svper eo.] Per ipsum enim omne quod sanctum est consecratur.

III. §. 1. Sanctis.] Nota rationem verè diuinam: quoniam viros diuinos virtutis operationes à vanâ gloriâ abscondere oportet.

Simvlacrvm.] Imago.

Si fas est.] Si iustum.

In imagine.] Etsi imago inuariatam & omnino perfectam similitudinem habeat exemplaris, dissimilis tamen, inquit, est substantiâ; siquidem illa inanimis, hoc verò animatum est: & hoc quidem verum animal viuens, illa verò pictoris opus est ex cerâ, & coloribus. Cùm igitur in hoc differentia cernatur, identitas est in vtrisque similitudine diuersa.

Impressio.] Similitudo.

Merito.] Ad diuinam scilicet similitudinem.

Formant.] Faciunt.

Vt videantvr.] Nota quomodo intelligat, à nobis recta nostra facta minimè ostentanda esse.

Svnt boni odoris.] Id est Dei, hoc est enim suaueolentia: qui bonum per se faciens, ad omnes minimè conuertitur, id est, minimè curat, inani gloriâ ductus, eos qui aliquando non suscipiunt eius decreta, neque gloriam ab hominibus habere studet.

§. 2. *Episcopis sacra omnia patēt.*

Vtpote arcanis.] Sæpè in libro de Diuinis nominibus exposuimus quid sit intellectile, & quid intelligens. Hoc igitur etiam hîc dicit, sancto scilicet Episcopo, tanquam diuini luminis affini, Deum non per alterum præceptorem, sed per semetipsum contemplationis Vnctionisque mysterium reuelare: quocircà Episcopo non circumiacet velum in diuino Vnguento, sed reuelatâ facie, secundùm Apostolum, mysteria contemplatur. Nondum perfectis autem opus est signis, atque ideò sacris alis Vnguentum sacrum obtegitur per Episcopum, qui sequester est inter Deum & populum, & expositione suâ symbola reuelat. Episcopos autem vocat speculatores; quandoquidem etiam à Græcis Gentilibus sic nuncupabantur, qui ab omnibus præpositi erant, vt Deum de futuris interrogarent, & hostias pro ipsis offerrent, propitiúmque redderent. Ἀνόμαλος autem appellat minùs perfectos in populo, is enim ei mos est.

Qvibvs signis.] Nam per ænigmata, inquit, & symbola hi ordines ad eorum infirmitatis captum illustrantur.

§. 3. Hierarchicas.] Sacri enim Vnguenti effusio, non secùs ac sacri Corporis ac Sanguinis participatio, consecrat vniuersa.

Divinorvm.] Omnes enim odoris suauitate perfusi diuinæ mysticæque suaueolentiæ pro captu suo participes existunt.

Energvmenorvm.] Qui à dæmoniis vexantur, & ad libidinem conuersi sunt, de quibus etiam egit Capite præcedenti. Πτοίας autem vocat, quasi tumultum, metum, pauorem, dolum.

Is vero qvi ad mentem.] Dicit hoc propter pœnitentes.

Promovent.] Rectâ dispositâ consequentia, & ascensus sanctis consentaneus.

Vniformitatem.] Vniformitatem vocat ipsam mentem, quæ ad vnum scilicet Deum spectat, quam etiam cum illo ipso vno coniungi ait, & eiusdem vnione expleri.

§. 4. Qvid porro?] Lege hunc locum per interrogationem.

Si enim rervm.] Dicit suaueolentiam sensibilem nutrire sensum, eumque benè afficere.

Ivdicii vigore.] Iudicij vigorem vocat animæ iudicandi seu intelligendi vim, quam dicit nunquam diuinæ suaueolentiæ sensum percepturam, nisi à propensione ad malum fuerit expurgata.

Vberem.] Diuitem.

Svaviter affectæ.] Pro bono odore perfusæ.

§. 5. Illivs secvndvm mentem.] Illud *secundùm mentem* de Angelis intelligendum.

In alis dvodecim significatvr.] Cuius rei figura sint hæ duodecim alæ. Nota verò magnitudinem Seraphim.

Theologiam.] Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Omniqve malitia simvl.] Nota, quoniam hîc Pater dicit, supernas istas virtutes non solùm malitiæ, sed etiam obliuionis expertes esse.

Scientiam.] Rectè autem scientiæ cognitionem adiunxit; nam accurata cuiuslibet rei cognitio scientiam eius gignit.

§. 6. Has igitvr.] Quæ sit proprietas Seraphim, & vt hanc suprà exposuerit.

Svpercælestivm.] Intelligit in libro de Cœlesti Hierarchiâ.

Τὸ μὲν οὖν.] Contemplatio sanctorum Seraphim. Nota totum hunc locum, quomodo det nobis intelligenda quæ in Prophetis de supernis istis Virtutibus conscripta sunt.

§. 7. Sextvplicem positionem.] Sextuplicem positionem vocat sex alas.

Primas et medias.] Præcedenti libro dictum est, quomodo accipiendæ sint primæ, mediæ postremæque Virtutes intelligentium.

Effictionem.] Non enim veras alas habent.

Alarvm.] Nota autem, quomodo accipit ea quæ de alis Seraphim traduntur, & vt omnino volarent, quòd nihil haberent humile vel abiectum.

§. 8. Qvod si facies.] Nota pulcherrimam nouamque contemplationem, quare Seraphim facies pedesque tegant alis, & mediis volent.

§. 9. QVIA ETIAM HOC.] Intetpretatio Seraphim.

§. 10. STATVM NATVRALEM.] In libro de Cœlesti Hierarchiâ cap. 7. explicatum est, quid in Angelis sit habitus seu status naturalis.

NON IGNORABAT.] Quoniam etiam sancti Angeli sciebant ipsum Iesum, qui sanctificat, etiam sanctificatum fuisse, & quomodo, & quando.

DESCENDISSE.] Id est hominem factum esse.

A PATRE.] Hoc dicit, eò quòd vnica sit Sanctissimæ Trinitatis operatio. Obserua verò Magni Dionysij irrefragabilem in rectâ fide sententiam, & quomodo diuinitatis Domini Iesu eiusque carnis differentiam statuerit. Nam Iesus, qui vt Deus omnia sanctificat, vt homo etiam sanctificatus fuit à Patre & à semetipso, quia etiam Deus est, & à Spiritu sancto; scientibus quoque cœlestibus ordinibus principium, id est, auctorem suum & creatorem Iesum, quod etsi sanctificetur, nihilominùs vt sic etiam habeat naturæ immutabilitatem, quoniam Deus est. Nota verò, vt proprium suum principium agnouerit ex diuinâ suâ actione.

Quomodo Christus sanctificatus sanctificatur.

SERAPHIM APPONIT.] Nota, cur diuino Vnguento apponantur Seraphim illi sexaligeri. In se autem immutatum dixit, vel quòd per omnia naturæ nostræ similis factus est absque peccato, vel quòd non subiuerit mutationem, vel vicissitudinis obumbrationem secundùm Diuinitatem, cùm humanam naturam assumpsit. Nota autem, integram naturam humanam assumpsisse, contra illos, qui ipsum mentis expertem asserunt.

Heb. 2. 11. SANCTIFICANDVM.] Tum potiùs hoc modo legebatur in Epistolâ ad Hæbreos; *Qui enim sanctificat, & qui sanctificatur.*

VNGVENTVM.] Cur Vnguentum in Baptismo effundatur in formam crucis.

SVB ASPECTVM PONIT.] Pro, palam prædicat.

PRO DIVINA REGENERATIONE DEMERSVS.] Tertio enim die resurrexit, a morte minimè superatus.

INSVPERABILI.] Nam tertio die inuictus resurrexit.

EOS QVI IN MORTE.] Est enim occulta multis causa, cur Baptismus Christi detur, quoniam in morte eius baptizamur.

§. 11. HVMANO MORE.] Nota etiam hic, Christum & vt hominem accipere Spiritum sanctum cùm sanctificatur, & eundem dare vt Deum. Nota item eius essentialem diuinitatem, in quâ mansit immutatus.

STATV DIVINITATIS.] Si cùm in Angelis substantiales habitus audimus, non qualitates extrinsecùs per accidens aduenientes intelligimus, vt paulò antè dictum est, & in libro de Cœlesti Hierarchiâ cap. 7. exposuimus: multò magis in Deo, qui propriè suprà substantiam existit, habitum non qualitatem quampiam accipiemus, quæ compositis conueniat, sed ipsum statum essentialis diuinitatis, qui naturaliter ex se habeat omnia quæ sunt bonitatis. Interim verò notat etiam, diuinitatem hîc non esse ipsammet essentiam Dei, sed apparentiam quandam ipsius essentiæ.

Habitus quid in Deo.

§. 12. ALTARIS.] Quòd etiam altare Vnguento consecretur, & quare.

ALTARE IESVS.] Quoniam Iesus est altare. Et nota magnitudinem & altitudinem istius altaris, quod est Christus.

MYSTICE OMNINO CONCREMATI.] Innuitur finis Psalmi quinquagesimi.

VNGVENTI MYSTERIVM.] Quoniam Vnguenti mysterium appellatum est, & quare.

DIVINITVS CVNCTA.] Quod ait, est eiusmodi: Cùm omnis diuina apparitio & operatio per symbola exhibeatur, considera quid sequens illud Alleluia significet, quod symbolum est cantûs Prophetarum.

AIVNT HI QVI HEBRAICE.] Nota hoc contra Acephalos.

DEI APPARITIONIS ET.] Quis Psalmus recitetur; & manifestum, quòd vnus ex iis quibus inscriptum est Alleluia.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

TAnta sunt spectacula spiritalia sacræ Synaxeos. Nota verò, quòd Synaxim solam vocet Liturgiam, secundùm quam diuinis mysteriis communicant qui sunt digni: nam & hinc nomen accipit, non quòd populum congreget, vt aliquis putabit; sed propter illam cum vno cõmunionem, secundùm quam Saluatori Christo, tanquam membra capiti, coaptamur. Verumtamen est & aliud illi affine Sacramentum Vnguenti: nam & hoc quoque diuinâ consecratione consummatur. Huius itaque partibus, secundùm ordinem cuiusque, prout nimirum hæc & illa atque illa conficitur, (quas & imagines appellat) perspectis, sic ad illud eius vnum, scilicet intellectile ac spiritale, euehemur. Minimè verò, quandoquidem spiritale illud vnum vocat, sensibiles imagines appellat partes, vtpote sensibiliores, secundùm quas nostra cognitio diuiditur, & non partes quæ circa singula Sacramenta fiunt, vt suprà dicebamus.

Sacramentum Vnguenti affine Synaxi.

II. Mysterium.

Sicut dicebamus in Synaxi, Episcopum omnem Ecclesiam, ab altari inchoando & in altari desinendo, incensare, & Cantica Lectionésque recitari, ac Catechumenos dimitti, eodem quoque hîc modo ista fiunt. Deinde Pontifex accipiens Vnguentum, imponit illud diuino altari, duodecim sacris alis seu pennis obuelatum, omnibus Alleluia conclamantibus (hoc enim vocat Canticum sancti Spiritûs & aspirationis Prophetarum) completaque super eo oratione, posteà illo vtitur ad omnem propemodum Hierarchicam consecrationem.

III. Contemplatio.

Quemadmodum etiam anteà faciebat, & primùm proponebat introductoriam anagogen, ad institutionem eorum qui adhuc initiantur, nec ad sublimiorem contemplationem adduci possunt; sic etiam hîc facit. Hæc igitur, inquit, diuini Vnguenti obuelatio secundùm anagogen introductoriam, existimo significare, fragrantem omnem mentalem actionem esse obuelandam; siquidem hæc anagoge iubet, minimè ad inanem gloriam apparentes habere fragrantias spiritales, & occulti Dei similitudines. Puræ enim sunt à sæculo, solisque viris spiritalibus apparent illæ diuinæ ac fragrantes venustates, & requirunt vniformes homines, non qui secundum carnem viuant, sed qui in reconditis animis incorruptibiles gerant imagines, dum nimirum id quod imaginem Dei refert, manet immaculatum: nam virtutis Deiformis simulactum, illud incircumscriptum non aliter habebit, nisi idem ritè fuerit imitatus, & ad ipsum spiritalem suam & fragrantem pulchritudinem efformarit. Sicut enim in sensilibus imaginibus, si pictor ad primæuam speciem constanter intendat, nequaquam hinc inde distractus, accuratè exprimet id quod imitatur (hoc enim est illud *replicabit*; nam faciet aliud sicut illud citra substantiæ differentiam: siquidem id verè est animatum, hoc vero opus ad viuum expressum:) sic etiam pictoribus spiritalibus, archetypi & suaueolentis pulchritudinis intenta constansque contemplatio conferet illis infallibilem similitudinem. Rectè igitur pictores sancti, dum imaginem suam spiritalem non retrouersâ facie exprimunt, extraneam deceptionem minimè attendent. Diuinum itaque Vnguentum obuelatum habebunt tanquam imaginem ordinum Ecclesiasticorum, ne omne opus bonum ad inanem hominum gloriam ostentent: atque ideo quidquid in virtute sacrum est intra mentem recondentes, iuxta coopertum Vnguentum ad primæuam duntaxat intelligentiam intuentur. Neque enim inaspectabiles tantùm sunt multitudini, quam & inæqualem vocat ac dissimilem: nam qui æquales sunt, virtutem sibi mutuò communicabunt, neque sibi mutuo nocebunt, quoniam vtrique diuinam gloriam sectantur, & non hominum. Non itaque duntaxat inaspectabiles sunt multitudini, sed ne hi ipsi quidem illos videre volunt, non quòd illis non consulant, sed quòd nolint ab illis emolumentum aliquod accipere; vnde consequenter ex se

§. 1. Bona spiritalia non passim sunt propalanda.

non amant ea quæ apparent, sed quæ sunt (cùm enim ab aliis diffideant, quomodo quærunt apparere, cùm ea quæ apparent non sint omnino?) sed bonum quoque, quod à seipso non est, iudicantes, & sicut naturâ suâ se habet, simulacra quædam sunt diuinæ fragrantiæ, id est ipsius Dei, qui bonum per se faciens ad omnes minimè conuertitur, id est, minimè curat, inani gloriâ ductus, eos qui aliquando non suscipiunt eius decreta: non enim studet gloriam ab hominibus habere.

§.2. Cæterùm inquit, Cùm introductoriam contemplationem attulerimus, agedum deinceps diuiniorem sublimioremque eius pulchritudinem intueamur, ipsamque per se lucem spiritalem, sublatis velaminibus, contemplemur, & ipsius fragrantiâ repleamur. Neque enim Vnguenti confectio, quod à multitudine non videatur, idcirco etiam Hierarchæ, & iis qui cum ipso sunt, inspectabilis existet: sed cùm in his quidem excellat eius contemplatio, ipsimet illam tanquam pretiosam, & vulgi captum excedentem abscondunt, & à multitudine secernunt. Sæpè enim in libro de Diuinis nominibus explanauimus, quid sit intellectile & quid intelligens. Hoc igitur etiam hic dicit sanctis illis, qui Episcopo præsto sunt, tanquam intellectili luci cognatis (siquidem dici lucisque filij sunt) Deum non per alterius doctrinam, sed per semetipsum illos illustrando mysterium contemplationis reuelare; quocircà ipsis non circumiacet velum in diuino Vnguento, sed reuelatâ facie, secundùm Apostolum, mysteria contemplantur; non perfectis autem opus est signis. Idcircò ipsi sunt, qui Vnguentum sacris alis contegunt, & à multitudine secernunt.

Episcopi quales in officio.

Episcopos autem vocat speculatores, quandoquidem etiam à Græcis gentilibus sic nuncupabantur qui præpositi erant ab omnibus, vt de futuris Deum interrogarent, & hostias pro ipsis offerrent ac propitium redderent. *Ἀτελεῖς* autem vocat minùs perfectos in populo: is enim ei mos est. Neque enim, inquit, sic ad Sacerdotes sicut ad multitudinem obtectum & absconditum Sacramentum procedit; sed ab illis propter multitudinem occulitur, vt & ipsa pro captu statuque suo per ænigmata sursum adducatur.

§.3. *Quid incensatio signet.* Est igitur hæc sacra consecratio quoque vna ex Hierarchicis ordinibus atque virtutibus, quapropter etiam eiusdem rationis est cum Synaxeos Sacramento. Quin & hîc Pontificem quoque videas ab altari incensationem ordientem, & circumeundo in eodem rursum desinentem, hocce ritu docentem, diuinam illam participationem ad omnes promanantem, secundùm semetipsam imminutam permanere, neque quidquam à propriâ identitate desciscere.

Quid Psalmi, Hymni, &c. Similiter etiam Psalmodiæ Lectionesque sunt, quæ & imperfectis obstetricantur, & obsessos à spiritibus retrahunt, & aduersariam pressuram (hoc enim vocat pauorem & illecebras peccatorum) repellunt, insinuando ipsis, & modum ostendendo aduersarios superandi, vt & aliis imitando Deum medici existant, & non tantùm ipsi aduersus contrarios pauores ac timorem efficacitatem habeant, verùm etiam aliis conuersis ac pœnitentibus vim addant, ne denuò subigantur, eos autem, quibus ad omnimodam puritatem aliquid deest (quos nimirum anteà quoque laicos appellabamus) perfectè expient, sanctos denique pascant: idcircò enim communiter Psalmodiæ Lectionesque sunt.

§.4. Illud autem, *Quid porrò, nunquid etiam omnino puros*, interrogatiuè legendum, vt inferatur, Omnino, profectò; ait enim: Quid porrò? nunquid etiam hoc Sacramentum, eo modo quo in Sacramento Synaxeos illos qui non mundi sunt dimittit, & a solis omnino sanctis conspicitur? Vtique profectò. Impromiscuè autem dixit, ac si diceret: Idcircò dimittit eos qui non sunt mundi, vt merè ab iis qui puri sunt celebretur. Hæc sæpe à nobis dicta sunt, adeoque superuacaneum esse arbitror iterùm de his verba facere, cùm nedum viderimus, quomodo Pontifex Vnguentum sacrum teneat alis obuelatum.

Quid Vnguentum mysticè. Dicimus itaque, Vnguenti compositionem ex fragrantissimis materiis componi, cuius qui participes existunt, pro ratione participationis suauissimo odore reficiuntur. *Cant.1.* IESVS itaque diuinissimus, cuius nomen Vnguentum effusum est, tanquam supernaturaliter fragrans, sui participes diuinâ replet voluptate. Si enim sensibilium perceptio fragrantiarum benè afficit, si modò sanum olfactum obtinemus, eâdem vtique ratione dicet aliquis, spiritales nostras facultates, animæque iudicandi vires, diuini odoris suauitatem percipere, modo sint incorruptæ. Hæc itaque Vnguenti compositio ipsummet infigurabilem nobis in figurâ exhibet Dominum Christum; suaueolentiæ fontem, deiformibus animis diuinas odorum suauitates afflantem, quibus illæ mentes suauiter affectæ, fragranti istâ spiritali alimoniâ perfruuntur.

§.5. Dicens verò *mentes*, voce hac vniuersaliter tam de Angelis quàm de nobis acceptâ, modò quoque differentiam assignat, quoniam quidem illis multipliciter infunditur, quòd nimirum cœlestes istæ virtutes & propinquiores sint, & istiusmodi diuinæ participationis capaciores; hominibus verò, tanquam minùs capacibus, ad eorundem captum: id enim est, *proportione quadam distribuitur*. Ordo autem qui cœlestes Virtutes valdè superat (obserua verò quomodo hic Seraphim omnibus superiores dicat) in alis duodecim significatur.

Quid Seraphinum sexaligeri. Verùm hic non-nemo posset obiicere, non duodecim, sed sex alas tantùm singulis Scripturam attribuere, cùm nimirum Propheta dicat, *sex alæ vni, & sex alæ vni*, duosque coniunctos nominet. Supremus igitur ille ordo sanctorum Seraphim, qui prope Deum collocatus est, incessanter illud diuinæ laudis Canticum proclamat. Explicans verò quid sit *ἀεὶ γνώμη*, subdit: Quoniam diuina cognitio indefatigabilis est, & diuinum amorem habet indeficientem, omnique malitiâ & obliuione superior existit, ita vt præ malitiâ nunquam sponte sileat, neque per obliuionem inuitè. Rectè autem cognitioni scientiam subiunxit; nam accurata cuiuslibet rei cognitio scientiam eius gignit.

§.6. De sanctis quidem Seraphim, & quomodo in Scripturis effigiati spiritaliter explicentur, in libro de Cœlesti Hierarchiâ pertractauimus: sed quoniam illi quoque qui iuxta Pontificem consistunt, & Vnguentum sanctum obtegunt, eandem dispositionem repræsentant, breuiter quoque de illis aliquid dicamus.

§.7. Diuersæ quidem facies eorum, vt vnius quidem humana, alterius verò bouina, & alterius leonis, & alterius aquilæ, quodque alius aliter appareat, eorum videndi vim multiplicem declarat, omnis enim visio fit aliquali vultus detectione. Multi verò pedes denotant perpetuum eorum motum, vimque diuinæ cognitionis multa penetrantem; nam quòd multa norint, hoc propter pedes fit. Senarum verò alarum compositionem non existimo numerum demonstrare, quòd hic numerus perfectus sit, tanquam qui partibus suis constet (tria enim, & duo, & vnum, sunt iterùm sex, quæ sunt dimidium tertium, & sextum, vt aliis placuit, quin & nos ipsi in libro de Cœlesti Hierarchià id ità diximus explicari) sed quòd sex in tres dualitates diuidantur. Sunt enim in omnibus quoque simul cœlestibus Virtutibus, vti etiam in qualibet dispositione, primæ, & mediæ, & postremæ, hac de causâ sex circumponuntur, vt per duplices alas earundem ad supera ducendi vis significetur, non enim vna sufficit. Quin & hoc quoque primas, & medias, & postremas virtutes earum spiritales ad ipsum Deum adduci, & à terrenis absolui insinuat, vti vox *ἀπόλυτα* declarat; non quod ipsæ sex alæ dissolutæ sint, sed quod ab humi repentibus rebus absoluantur. Vt itaque diuina Scriptura penitus alatas esse insinuet, sursum & deorsum & in medio iis alas adhibet.

§.8. Verùm cur inferiores & superiores alæ succinguntur, mediæ verò extenduntur? quia nimirum ordo ille sublimiora profundioraque reueretur, sublimiora minimè quærendo, & profundiora non scrutando, media verò sibi commensa sectando, sursum fertur, diuinæ iustitiæ vitam suam submittens, & secundùm illam sua dirigens.

§.9. Quod autem alter ad alterum clamet, bonorum abundantem communicationem designat.

§.10. Cæterùm cùm Hebraicâ quoque dialecto Incensores & Calefacientes interpretentur, hinc significatur vis il-

§.9. QVIA ETIAM HOC.] Interpretatio Seraphim.

§.10. STATVM NATVRALEM.] In libro de Cœlesti Hierarchiâ cap. 7. explicatum est, quid in Angelis sit habitus seu status naturalis.

NON IGNORABAT.] Quoniam etiam sancti Angeli sciebant ipsum Iesum, qui sanctificat, etiam sanctificatum fuisse, & quomodo, & quando.

DESCENDISSE.] Id est hominem factum esse.

A PATRE.] Hoc dicit, eò quòd vnica sit Sanctissimæ Trinitatis operatio. Obserua verò Magni Dionysij irrefragabilem in rectâ fide sententiam, & quomodo diuinitatis Domini Iesu eiusque carnis differentiam seruarit. Nam Iesus, qui vt Deus omnia sanctificat, vt homo etiam sanctificatus fuit à Patre & à semetipso, quia etiam Deus est, & à Spiritu sancto; scientibus quoque cœlestibus ordinibus principium, id est, auctorem suum & creatorem Iesum, quod etsi sanctificetur, nihilominùs vt sic etiam habeat naturæ immutabilitatem, quoniam Deus est. Nota verò, vt proprium suum principium agnouerit ex diuinâ suâ actione.

Quomodo Christus sanctificatus & sanctificet.

SERAPHIM APPONIT.] Nota, cur diuino Vnguento apponantur Seraphim illi sexaligeri. In se autem immutatum dixit, vel quòd per omnia naturæ nostræ similis factus est absque peccato, vel quòd non subiuerit mutationem, vel vicissitudinis obumbrationem secundùm Diuinitatem, cùm humanam naturam assumpsit. Nota autem, integram naturam humanam assumpsisse, contra illos, qui ipsum mentis expertem asserunt.

SANCTIFICANDVM.] Tum potiùs hoc modo legebatur in Epistolâ ad Hæbreos, *Qui enim sanctificat, & qui sanctificatur.* (Heb. 2. 11.)

VNGVENTVM.] Cur Vnguentum in Baptismo effundatur in formam crucis.

SVB ASPECTVM PONIT.] Pro, palam prædicat.

PRO DIVINA REGENERATIONE DEMERSVS.] Tertio enim die resurrexit, a morte minimè superatus.

INSVPERABILI.] Nam tertio die inuictus resurrexit.

EOS QVI IN MORTE.] Est enim occulta multis causa, cur Baptismus Christi detur, quoniam in morte eius baptizamur.

§.11. HVMANO MORE.] Nota etiam hîc, Christum & vt hominem accipere Spiritum sanctum cùm sanctificatur, & eundem dare vt Deum. Nota item eius essentialem diuinitatem, in quâ mansit immutatus.

STATV DIVINITATIS.] Si cùm in Angelis substantiales habitus audimus, non qualitates extrinsecùs per accidens aduenientes intelligimus, vt paulò antè dictum est, & in libro de Cœlesti Hierarchiâ cap. 7. exposuimus: multò magis in Deo, qui propriè suprà substantiam existit, habitum non qualitatem quampiam accipiemus, quæ compositis conueniat, sed ipsum statum essentialis diuinitatis, qui naturaliter ex se habeat omnia quæ sunt bonitatis. Interim verò notat etiam, diuinitatem hîc non esse ipsammet essentiam Dei, sed apparentiam quandam ipsius essentiæ.

Habitus quid in Deo.

§.12. ALTARIS.] Quòd etiam altare Vnguento consecretur, & quare.

ALTARE IESVS.] Quoniam Iesus est altare. Et nota magnitudinem & altitudinem istius altaris, quod est Christus.

MYSTICE OMNINO CONCREMATI.] Innuitur finis Psalmi quinquagesimi.

VNGVENTI MYSTERIVM.] Quoniam Vnguenti mysterium appellatum est, & quare.

DIVINITVS CVNCTA.] Quod ait, est eiusmodi: Cùm omnis diuina apparitio & operatio per symbola exhibeatur, considera quid sequens illud Alleluia significet, quod symbolum est cantûs Prophetarum.

AIVNT HI QVI HEBRAICE.] Nota hoc contra Acephalos.

DEI APPARITIONIS ET.] Quis Psalmus recitetur; & manifestum, quòd vnus ex iis quibus inscriptum est Alleluia.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

TAnta sunt spectacula spiritalia sacræ Synaxeos. Nota verò, quòd Synaxim solam vocet Liturgiam, secundum quam diuinis mysteriis communicant qui sunt digni: nam & hinc nomen accipit, non quòd populum congreget, vt aliquis putabit; sed propter illam cum vno cõmunionem, secundùm quam Saluatori Christo, tanquam membra capiti, coaptamur. Verumtamen est & aliud illi affine Sacramentum Vnguenti: nam & hoc quoque diuinâ consecratione conficitur. Huius itaque partibus, secundùm ordinem cuiusque, prout nimirum hæc & illa atque illa conficitur, (quas & imagines appellat) perspectis, sic ad illud eius vnum, scilicet intellectile ac spiritale, euehemur. Minimè verò, quandoquidem spiritale illud vnum vocat, sensibiles imagines appellat partes, vtpote sensibiliores, secundùm quas nostra cognitio diuiditur, & non partes quæ circa singula Sacramenta fiunt, vt suprà dicebamus.

Sacramentum Vnguenti affine Synaxi.

II. Mysterium.

Sicut dicebamus in Synaxi, Episcopum omnem Ecclesiam, ab altari inchoando & in altari desinendo, incensare, & Cantica Lectionesque recitari, ac Catechumenos dimitti, eodem quoque hic modo ista fiunt. Deinde Pontifex accipiens Vnguentum, imponit illud diuino altari, duodecim sacris alis seu pennis obuelatum, omnibus Alleluia conclamantibus (hoc enim vocat Canticum sancti Spiritûs & aspirationis Prophetarum) completaque super eo oratione, posteà illo vtitur ad omnem propemodum Hierarchicam consecrationem.

III. Contemplatio.

Quemadmodum etiam anteà faciebat, & primùm proponebat introductoriam anagogen, ad institutionem eorum qui adhuc initiantur, nec ad sublimiorem contemplationem adduci possunt; sic etiam hîc facit. Hæc igitur, inquit, diuini Vnguenti obuelatio secundùm anagogen introductoriam, existimo significare, fragrantem omnem mentalem actionem esse obuelandam; siquidem hæc anagoge iubet, minimè ad inanem gloriam apparentes habere fragrantias spiritales, & occultæ Dei similitudines. Puræ enim sunt a sæculo, solisque viris spiritalibus apparent illæ diuinæ ac fragrantes venustates, & requirunt vniformes homines, non qui secundum carnem viuant, sed qui in reconditis animis incorruptibiles gerant imagines, dum nimirum id quod imaginem Dei refert, manet immaculatum: nam virtutis Deiformis simulacrum, illud incircumscriptum non aliter habebit, nisi idem ritè fuerit imitatus, & ad ipsum spiritalem suam & fragrantem pulchritudinem efformarit. Sicut enim in sensilibus imaginibus, si pictor ad primæuam speciem constanter intendat, nequaquam hinc inde distractus, accuratè exprimet id quod imitatur (hoc enim est illud *replicabit*; nam faciet aliud sicut illud citra substantiæ differentiam: siquidem id verè est animatum, hoc vero opus ad viuum expressum:) sic etiam pictoribus spiritalibus, archetypi & suaueolentis pulchritudinis intenta constansque contemplatio conferet illis infallibilem similitudinem. Rectè igitur pictores sancti, dum imaginem suam spiritalem non retrouersâ facie exprimunt, extraneam deceptionem minimè attendent. Diuinum itaque Vnguentum obuelatum habebunt tanquam imaginem ordinum Ecclesiasticorum, ne omne opus bonum ad inanem hominum gloriam ostentent: atque ideo quidquid in virtute sacrum est intra mentem recondentes, iuxta coopertum Vnguentum ad primæuam duntaxat intelligentiam intuentur. Neque enim inaspectabiles tantùm sunt multitudini, quam & inæqualem vocat ac dissimilem: nam qui æquales sunt, virtutem sibi mutuò communicabunt, neque sibi mutuò nocebunt, quoniam vtrique diuinam gloriam sectantur, & non hominum. Non itaque duntaxat inaspectabiles sunt multitudini, sed ne hi ipsi quidem illos videre volunt, non quòd illis non consulant, sed quòd nolint ab illis emolumentum aliquod accipere; vnde consequenter ex se

§.1. Bona spiritalia non passim sunt propalanda.

non

non amant ea quæ apparent, sed quæ sunt (cùm enim ab aliis dissideant, quomodo quærunt apparere, cùm ea quæ apparent non sint omnino?) sed bonum quoque, quod à seipso non est, iudicantes, & sicut naturâ suâ se habet, simulacra quædam sunt diuinæ fragrantiæ, id est ipsius Dei, qui bonum per se faciens ad omnes minimè conuertitur, id est, minimè curat, inani gloriâ ductus, eos qui aliquando non suscipiunt eius decreta: non enim studet gloriam ab hominibus habere.

§. 2. Cæterùm inquit, Cùm introductoriam contemplationem attulerimus, agedum deinceps diuiniorem sublimioremque eius pulchritudinem intueamur, ipsamque per se lucem spiritalem, sublatis velaminibus, contemplemur, & ipsius fragrantiâ repleamur. Neque enim Vnguenti confectio, quod à multitudine non videatur, idcirco etiam Hierarchæ, & iis qui cum ipso sunt, inspectabilis existet: sed cùm in his quidem excellat eius contemplatio, ipsimet illam tanquam pretiosam, & vulgi captum excedentem abscondunt, & à multitudine secernunt. Sæpè enim in libro de Diuinis nominibus explanauimus, quid sit intellectile & quid intelligens. Hoc igitur etiam hic dicit sanctis illis, qui Episcopo præsto sunt, tanquam intellectili luci cognatis (siquidem diei lucisque filij sunt) Deum non per alterius doctrinam, sed per semetipsum illos illustrando mysterium contemplationis reuelare; quocirca ipsis non circumiacet velum in diuino Vnguento, sed reuelatâ facie, secundùm Apostolum, mysteria contemplantur; non perfectis autem opus est signis. Idcircò ipsi sunt, qui Vnguentum sacris alis contegunt, & à multitudine secernunt. Episcopos autem vocat speculatores, quandoquidem etiam à Græcis gentilibus sic nuncupabantur qui præpositi erant ab omnibus, vt de futuris Deum interrogarent, & hostias pro ipsis offerrent ac propitium redderent. *Ἀτελεῖς* autem vocat minùs perfectos in populo: is enim ei mos est. Neque enim, inquit, sic ad Sacerdotes sicut ad multitudinem obtectum & absconditum Sacramentum procedit; sed ab illis propter multitudinem occulitur, vt & ipsa pro captu statuque suo per ænigmata sursum adducatur.

Episcopi quales in officio.

§. 3. Est igitur hæc sacra consecratio quoque vna ex Hierarchicis ordinibus atque virtutibus, quapropter etiam eiusdem rationis est cum Synaxeos Sacramento. Quin & hic Pontificem quoque videas ab altari incensationem ordientem, & circumeundo in eodem rursum desinentem, hocce ritu docentem, diuinam illam participationem ad omnes promanantem, secundùm semetipsam imminutam permanere, neque quidquam à propriâ identitate desciscere. Similiter etiam Psalmodiæ Lectionesque fiunt, quæ & imperfectis obstetricantur, & obsessos à spiritibus retrahunt, & aduersariam pressuram (hoc enim vocat pauorem & illecebras peccatorum) repellunt, insinuando ipsis, & modum ostendendo aduersarios superandi, vt & aliis imitando Deum medici existant, & non tantùm ipsi aduersus contrarios pauores ac timorem efficacitatem habeant, verùm etiam aliis conuersis ac pœnitentibus vim addant, ne denuò subigantur, eos autem, quibus ad omnimodam puritatem aliquid deest (quos nimirum anteà quoque laicos appellabamus) perfectè expient, sanctos denique pascant: idcircò enim communiter Psalmodiæ Lectionesque fiunt.

Quid incensatio signet.

Quid Psalmi, Hymni, &c.

§. 4. Illud autem, *Quid porrò, nunquid etiam omnino puros*, interrogatiuè legendum, vt inferatur, Omnino, profectò; ait enim: Quid porrò? nunquid etiam hoc Sacramentum, eo modo quo in Sacramento Synaxeos illos qui non mundi sunt dimittit, & à solis omnino sanctis conspicitur? Vtique profectò. Impromiscuè autem dixit, ac si diceret: Idcircò dimittit eos qui non sunt mundi, vt merè ab iis qui puri sunt celebretur. Hæc sæpè à nobis dicta sunt, adeoque superuacaneum esse arbitror iterùm de his verba facere, cùm necdum viderimus, quomodo Pontifex Vnguentum sacrum teneat alis obuelatum. Dicimus itaque, Vnguenti compositionem ex fragrantissimis materiis componi, cuius qui participes existunt, pro ratione participationis suauissimo odore reficiuntur. IESVS itaque diuinissimus, cuius nomen Vnguentum effusum est, tanquam supernaturaliter fragrans, sui participes diuinâ replet voluptate. Si enim sensibilium perceptio fragrantiarum benè afficit, si modò sanum olfactum obtinemus, eâdem vtique ratione dicet aliquis, spiritales nostras facultates, animæque iudicandi vires, diuini odoris suauitatem percipere, modo sint incorruptæ. Hæc itaque Vnguenti compositio ipsummet infigurabilem nobis in figurâ exhibet Dominum Christum, suaueolentiæ fontem, deiformibus animis diuinas odorum suauitates afflantem, quibus illæ mentes suauiter affectæ, fragranti istâ spiritali alimoniâ perfruumur.

Quid Vnguentum mysticè.

Cant. 1.

§. 5. Dicens verò *mentes*, voce hac vniuersaliter tam de Angelis quàm de nobis acceptâ, modò quoque differentiam assignat, quoniam quidem illis multipliciter infunditur, quòd nimirum cœlestes istæ virtutes & propinquiores sint, & istiusmodi diuinæ participationis capaciores; hominibus verò, tanquam minùs capacibus, ad eorundem captum: id enim est, *proportione quadam distribuitur.* Ordo autem qui cœlestes Virtutes valdè superat (obserua verò quomodo hic Seraphim omnibus superiores dicat) in alis duodecim significatur. Verùm hîc non-nemo posset obiicere, non duodecim, sed sex alas tantùm singulis Scripturam attribuere, cùm nimirum Propheta dicat, *sex alæ vni, & sex alæ vni*, duosque coniunctos nominet. Supremus igitur ille ordo sanctorum Seraphim, qui propè Deum collocatus est, incessanter illud diuinæ laudis Canticum proclamat. Explicans verò quid sit *ἀσίγητον*, subdit: Quoniam diuina cognitio indefatigabilis est, & diuinum amorem habet indeficientem, omnique malitiâ & obliuione superior existit, ita vt præ malitiâ nunquam sponte sileat, neque per obliuionem inuitè. Rectè autem cognitioni scientiam subiunxit; nam accurata cuiuslibet rei cognitio scientiam eius gignit.

Quid Seraphim sexaligeri.

§. 6. De sanctis quidem Seraphim, & quomodo in Scripturis effigiati spiritaliter explicentur, in libro de Cœlesti Hierarchiâ pertractauimus: sed quoniam illi quoque qui iuxta Pontificem consistunt, & Vnguentum sanctum obtegunt, eandem dispositionem repræsentant, breuiter quoque de illis aliquid dicamus.

§. 7. Diuersæ quidem facies eorum, vt vnius quidem humana, alterius verò bouina, & alterius leonis, & alterius aquilæ, quodque alius aliter appareat, eorum videndi vim multiplicem declarat, omnis enim visio fit aliquali vultus detectione. Multi verò pedes denotant perpetuum eorum motum, vimque diuinæ cognitionis multa penetrantem; nam quòd multa norint, hoc propter pedes fit. Senarum verò alarum compositionem non existimo numerum demonstrare, quòd hic numerus perfectus sit, tanquam qui partibus suis constet (tria enim, & duo, & vnum, sunt iterùm sex, quæ sunt dimidium tertium, & sextum, vt aliis placuit, quin & nos ipsi in libro de Cœlesti Hierarchiâ id ità diximus explicari) sed quòd sex in tres dualitates diuidantur. Sunt enim in omnibus quoque simul cœlestibus Virtutibus, vti etiam in qualibet dispositione, primæ, & mediæ, & postremæ, hac de causâ sex circumponuntur, vt per duplices alas earundem ad supera ducendi vis significetur, non enim vna sufficit. Quin & hoc quoque primas, & medias, & postremas virtutes earum spiritales ad ipsum Deum adduci, & à terrenis absolui insinuat, vti vox *ἀπόλυτα* declarat; non quod ipsæ sex alæ dissolutæ sint, sed quod ab humi repentibus rebus absoluantur. Vt itaque diuina Scriptura penitus alatas esse insinuet, sursum & deorsum & in medio iis alas adhibet.

§. 8. Verùm cur inferiores & superiores alæ succinguntur, mediæ verò extenduntur? quia nimirum ordo ille sublimiora profundioraque reueretur, sublimiora minimè quærendo, & profundiora non scrutando, media verò sibi commensa sectando, sursum fertur, diuinæ iustitiæ vitam suam submittens, & secundùm illam sua dirigens.

§. 9. Quod autem alter ad alterum clamet, notionum abundantem communicationem designat.

§. 10. Cæterùm cùm Hebraicâ quoque dialecto Incensores & Calefacientes interpretentur, hinc significatur vis il-

lorum sursum attollendi per Vnguenti spiritales distributiones: siquidem omnis fragrantia calore ignis dissoluta vapores excitat; nam suprema illa fragransque natura ab igniris purissimisque mentibus ad spiritalis suæ adspirationis diffusionem amat prouocari, vnde etiam illas reddit participes gaudij super vno peccatore pœnitentiam agente. Nequaquam itaque Angeli ignorabant ipsum IESVM qui sanctificat, aliquando etiam, cùm secundùm quod homo est baptizaretur, sanctificatum esse. Nota verò verborum accurationem, quomodo quoque carnis differentiam seruarit. Nam IESVS, qui vt Deus omnia sanctificat, vt homo quoque sanctificatus fuit à Patre, & a semetipso, quatenus quoque Deus est, & à Spiritu sancto, scientibus quoque cœlestibus ordinibus proprium principium, id est auctorem suum & creatorem IESVM, quod etsi sanctificetur, tamen etiam sic habet naturæ immutabilitatem, quoniam Deus est. Sanctè enim sciunt ipsum esse incarnatum: verbum enim ὑφὲν, seu *condescendentem*, designat incarnatum. Et si sanctificatur, vtique secundùm humanitatem sanctificatur, idcircò additur: Et sanctificatur pretiosum Vnguentum quod Christi Domini symbolum est, & Seraphim circunstant. Dixit autem inuariatum, vel quod per omnia naturæ nostræ similis factus est absque peccato, vel quod non subiuerit mutationem vel vicissitudinis obumbrationem secundùm diuinitatem, cùm humanam naturam assumpsit. Et quod diuinius est, quod Hierarchia ad omnem sacram consecrationem diuinum Vnguentum adhibet, manifestè demonstrans, IESVM sanctificatum sanctificare. Quapropter quoque gratia Baptismatis (hæc enim est secundùm Deum generatio) consummatur à Pontifice per Vnguentum in crucis formam baptisterio infusum, dum spiritaliter exhibet ipsummet Vnguentum spiritale, scilicet Dominum ad mortem vsque demersum: siquidem lauacrum hoc mortem significat; & illum qui inuicto suo descensu, quo à morte superari non potuit, in morte suâ baptizatos attraxit. Arcanum porrò vocat oraculum, quia multitudini occulta erat ratio Baptismatis Christi.

§ 11. Quin etiam ipsimet baptizato Vnguenti vnctio sancti Spiritûs illapsum elargitur, dum hoc modo per Vnguenti vnctionem Spiritus sanctus descendere significatur. Vnguentum autem Christus est, quoniam ab ipso quoque humanitûs, à Spiritu sancto sanctificato Spiritus sanctus tanquam ipsius Spiritus donatur. Quemadmodum autem cùm in Angelis substantiales habitus audimus, non qualitates extrinsecus per accidens aduenientes intelligimus, multo magis id de Deo cogitabimus: neque enim habitum pro qualitate accidentali accipiens, sed habitum essentialem Diuinitatis, qui naturaliter ex se habeat omnia quæ sunt bonitatis, quandoquidem ipsa quoque Deitas hic non est ipsamet essentia Dei, sed apparentia quædam ipsius essentiæ.

§ 12. *Quod altaris vnctio emmes.* Considera denuò aliud, vt etiam ipsimet ipsummet altare diuinum pretioso illo Vnguento consecremus. Est autem hæc contemplatio sublimis & supernaturalis, & origo omnis sanctificationis, virtusque perfectiua; quoniam ipsum quoque altare diuinissimum est Dominus noster Iesus Christus, in quo omnis mens diuina sanctificatur. *Tunc* enim, inquit Dauid, *imponemus super altare tuum vitulos*, diuinas nimirum mentes intelligens. Quemadmodum enim vitulus olim sanctificabatur, ita etiam diuinæ mentes, mysticè in holocausti morem penitus concrematæ, consecrantur Deo, in quo accessum habemus: quoniam adductio viuarum victimarum dicitur is in quo sanctificantur vniuersa. Quâ ratione ipsum hoc altare per diuinum Vnguentum sanctificatur? Vtique manifestum est, quòd sicut pro nobis baptizatur, cùm ipse nullo modo sit coinquinatus, sed vt nos à sordibus mundaret; necnon patitur & moritur pro nobis, cùm ipse non peccasset, sed vt nos à peccatis liberaret: sic vtique etiam sanctificat ipse semetipsum pro nobis, Vnguentum scilicet altare; ac deinceps istiusmodi sanctificatio transit ad nos, qui ipsi per diuinum Baptismum agnati sumus. Quocircà istiusmodi sanctificationem & Vnguenti consecrationem à reipsâ τελετὴν appellant: anteà enim dicebamus, mysterium baptismi & mysterium Synaxeos, hîc verò mysterium consecrationis Vnguenti. Si itaque diceremus mysterium Vnguenti, diceremus vtique mysterium Christi, Vnguentum enim Christus; sed dicimus mysterium consecrationis Vnguenti: ac si quis dicat, mysterium consecrationis Dei. Cùm verò consecratio tam consecrantis quàm consecrati dicatur, vtroque sensu hanc vocem accipimus, cùm pro eo quòd humano more à nobis consecratur, cum pro eo quòd omnia quæ consecrantur sanctificat. Porrò melos illud sacrum Prophetis diuinâ Spiritûs inspiratione afflatum, scilicet Alleluia, qui Hebraicè periti sunt, aiunt significare laudem Dei. Omni itaque consecratione perfectâ, haud abs re est meminisse Dei. Hoc autem dicit, quia Alleluia canitur in Vnguenti consecratione.

CAPVT V.

De sacrorum Ordinum consecrationibus.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primâ Parte huius Capitis ostendit.

1. *Quàm sit Hierarchia nostra benè ordinata.*
2. *Quæ sit consecratio spirituum cœlestium, & quibus data sit legalis Hierarchia, & quâ de causâ, & vbi data sit: atque, nostram Hierarchiam mediam esse inter legalem ac cœlestem.*
3. *Tres esse functiones Hierarchiæ, scilicet expiare, illuminare, perficere.*
4. *Ordines inferiores à superioribus ad Deum adduci.*
5. *Pontificem esse primum in ordine Hierarchico, & ab eo sacram omnem potestatem ad inferiores deriuari.*
6. *Quid sit munus Pontificum, Sacerdotum, Diaconorum.*
7. *Superiores inferiorum facultates habere, & functiones eorum exercere posse, non contra.*

Secundâ Parte tradit ritum consecrandi Episcopum, Sacerdotem, Diaconum.

Tertia Parte proponit contemplationem, in quâ explicat.

1. *Quæ sint cuique ordini communia, & quæ particularia.*
2. *Quid sibi velit accessus ad altare & genuflexio.*
3. *Quid manus impositio.*
4. *Quid crucis signatio.*
5. *Quid nominum promulgatio, & quomodo nemo sit ad sacra promouendus, nisi à Deo electus.*
6. *Quid insuper finalis salutatio.*
7. *Cur capiti Pontificis Scriptura liber imponatur.*
8. *Quid sibi velit genuflexio siue vnius siue vtriusque poplitis.*

§ 1. *Hierarchia nostra quàm sit ordinata.* HÆc quidem diuinissima est Vnguenti consecratio: modò tempus est, post diuinas istas functiones, ipsosmet sacros Ordines exponendi, eorundemque distributiones, ac virtutes, & actiones atque perfectiones, tresque Ordines maiores qui sub iis continentur; vt ostendatur Hierarchiæ nostræ descriptio, quidquid inordinatum & incompositum atque confusum est, nullâ cum eo mixtione factâ, segregare & ablegare, decorem verò atque ordinem ac majestatem in proportionibus sanctorum Ordinum suorum exhibere. Ac triplicem quidem omnis Hierarchiæ diuisionem in Hierarchiis iis, quas pridem celebrauimus, congruè satis, vti reor, exposuimus, cùm diximus, Hierarchicam rationem omnem in diuina mysteria seu sacra diuidi, & in eos qui ea tenent enuntiantque aliis, atque in eos qui ab illis initiantur.

§ 2. *Quæ sit consecratio spirituum cœlestium.* Itaque sanctissimæ quidem supercœlestium essentiarum Hierarchiæ pro consecratione est intelligentia illa quàm maximè à materiâ semota, quâ se Deumque norût, atque deiformitatis integer, quantusque possibilis est,

diuinæ

diuinæ imitationis status. Illuminatores verò & ad istiusmodi sacrosanctam imitationem duces sunt primæ istæ substantiæ quæ circa Deum versantur; hæ enim in inferiores sacros Ordines benignè, pro cuiusqoe captu, continuò deificas scientias deriuans, quas ipsis impertiuit per se perfectus ac sapientificus ille diuinarum mentium diuinus Principatus. Porrò primis istis essentiis subditæ distinctiones, vtpote quæ per illas sanctè ad deificam diuini principatus illustrationem adducuntur, vocantur, & sunt verè Ordines initiati. Secundùm illam autem cœlestem mondoque superiorem Hierarchiam diuinitas in nos beneficè sacratissima sua munera depromens, iis quidem qni infantes erant, vt Scriptura testatur, legalem indulsit Hierarchiam, sub exilibus oimirum veritatum imaginibus atque simulactis, quæ ab exemplaribus plurimum dissidebant, obscurisque ænigmatibus & figuris, quæ opertam nec ita facilem diiudicatu intelligentiam habebant, lumen iis proportionatum, tanquam imbecillioribus oculis, innocuè affundens. Huius autem legalis Hierarchiæ mysterium introductio quædam fuit ad cultum spiritalem. Duces eius extiterunt ij qui sacri illius tabernaculi ritum à Moyse, primo legis Pontificum Doctore ac duce, didicerant; qui ad sacrum illud tabernaculum institutionis causâ Hierarchiam legis describenś, ad exemplaris, quòd illi in monte Sinà monstratum fuerat, imaginem & imitationem omnia, quæ in lege sanctè fiebant, reuocabat. Perficiebantur autem ij, qoi à legalibus signis secundùm captum suum ad perfectiorem disciplinam promouebantur. Perfectiorem verò mysteriorum disciplinam sacra Scriptura nostram vocat Hierarchiam, cùm hanc illius consummationem sacrumque finem nominat. Est autem eadem etiam cœlestis & legalis communione quadam mediæ conditionis suæ, quâ communicat extremis, cum illâ nimirum in spiritalibus contemplationibus, cum hac verò sensibilium varietate signorum, per quæ etiam ad diuinum numen adducitur. Porrò triplicem etiam habet sacri Ordinis distributionem, quatenus diuiditur in sanctissimas mysteriorum cærimonias, atque in deiformes sacrorum administros, & in illos qui ab his ad sacra cuique congruentia promouentur. Quælibet autem ex tribus Hierarchiæ nostræ partitionibus ad legalis & eius, quæ nostrâ hac diuinior est, Hierarchiæ similitudinem, prima, & media, & extrema statuitur, cùm sanctæ proportionis, tum venustissimæ suoque ordini congruæ, ac cuncta connectentis societatis virtute subnixa.

Legalis Hierarchia quibus data sit. — *Ad quid & ubi data sit.* — *Hierarchia nostra est media inter legalem & cœlestem.*

§. 3. Tres sunt hierarchica sunctiones.

Sanctissima itaque mysteriomm consecrario primam quidem virtutem deiformem habet, quâ profanos sacris expiat; mediam verò, quâ iam expiatos illuminando initiat; postremam denique, & summam præcedentium, quâ sacris initiatos propriarum consecrationum scientiâ consummat ac perficit. Porrò sacrorum ministrorum distinctio virtute primâ per mysteria profanus expiat; mediâ verò expiatos illuminat, postremâ denique eaque supremâ sacrorum ministrorum virtute eos, qui diuini luminis participes facti sunt, perfectâ visarum illustrationum scientiâ absoluit. Eorum verò qui initiantur vis prima est, quæ expiatur; media post expiationem, quæ illustratur, & ad quorundam Sacramentorum conspectum admittitur; postrema denique cæterisque diuinior, ea quæ sacrarum quas percipit illustrationum consummante scientiâ collustratur. Triplex itaque virtus mysteriorum sanctæ consecrationis celebrata est, cùm ex Scripturis ostenderimus, sacram quidem Dei regenerationem esse simul expiationé & splendorem illustrantem; mysterium autem Synaxeos & Vnguenti, cognitionem esse atque scientiam quæ diuina opera consummat, per quam sacrosanctè ad diuinum principatum & vnitica adductio beatissima fit communio. Nunc autem deinceps exponenda est distinctio Sacerdotum, quæ in ordinem expiantem, illustrantem, perficientémque diuiditur.

§. 4. Inferiores à superioribus ad Deum adduci.

Lex quidem hæc est sacrosancta summæ Deitatis, vt per prima quæ sequuntur, ad diuinissimam eius lucem adducantur. An non sensibiles quoque substantias elementorum cernimus primùm ad ea, quæ ipsis magis cognata sunt, accedere, ac per illa deinde efficacitatem ad alia deriuare? Meritò igitur omnis cùm inuisibilis tum visibilis distinctionis initium ac sedes ad eos, qui deiformiores sunt, deificos suos radios permittit peruenire, atque per illos, vtpote limpidiores spiritus, & ad participandum traducendumque lumen magis idoneos, inferioribus pro illorum capacitate illucescit, & apparet. Istorum igitur est, qui primi Deum cernunt, sequentibus sine inuidiâ, pro modulo cuiusque, sibi sacrosanctè perspecta diuina spectacula insinuare: docere etiam ea quæ Hierarchiæ propria sunt, eorum est, qoi cùm perficiente scientiâ diuina quæque sacri sui ordinis mysteria probè sunt edocti, consummatamque docendi alios virtutem acceperunt: Sacramenta vero pro dignitate tradere illorum est, qui scitè atque integrè Sacerdotalis initiationis participes existunt.

§. 5. Pontifex est primus in ordine Hierarchico.

Pontificum itaque diuinus ordo primus est eorum ordinum qui Deum vident, idemque & summus & vltimus, quippe in quo & absoluitur & expletur omnis Hierarchiæ nostræ distinctio. Vt enim Hierarchiam omnem videmus in IESVM desinere, sic vnamquamque in suum diuinum Pontificem. Porrò virtus ordinis Hierarchici in sacris omnibus distinctionibus capitur, & per omnes sacros ordines Hierarchiæ propriæ mysteria perficit; verùm huic excellenter præ cæteris ordinibus in sui ministerium diuina lex officia diuiniora distribuit, quæ nimirum sunt imagines præcipuæ perficientis virtutis Dei, quibus diuinissima quæque symbula sacræque distinctiones omnes consummantur. Licet enim à Sacerdotibus veneranda quædam Sacramenta conficiantur, nunquam tamen Sacerdos diuinam illam regenerationem sine diuinissimo illo Vnguento consummabit, neque diuinæ communionis mysteria consecrabit, nisi communionis Sacramenta diuinissimo altari fuerint imposita; quin ne Sacerdos quidem erit, nisi pontificiis initiationibus ad sortem istam fuerit promotus. Quapropter lex diuina Hierarchicorum ordinum sanctificationem, & Vnguenti diuini consecrationem, sacramque altaris benedictionem perficientibus diuinorum Pontificum virtutibus singulariter attribuit.

Ab eo sacram omnem potestatem in inferiore deriuari.

§. 6. Quid sit munus Episcopi, Sacerdotum, Diaconorum.

Est igitur Pontificatûs seu Episcopatûs ordo, qoi consummante virtute fultus, perficientia quæque sacri ordinis munia præeminenter consummat, atque sacrorum disciplinis interpretando tradit & edocet, quænam ipsis sacræ competant habitudines atque virtutes. Sacerdotum autem ordo, qui illuminat, ad sacra mysteria contuenda initiatos manuducit diuinorum ordini Pontificum subiectus, cum quo propria sua celebrat officia, atque in iis quidem quæ facit diuina opera sanctissimis signis & Sacramentis ostendit, spectatoresque eos qui accedunt efficit, & in sanctorum mysteriorum societatem communionemque admittit, sed ad Pontificem remittit eos qui disciplinam expetunt mysteriorum quæ videtunt. Verùm ordo ministrorum seu Diaconorum est, qui expiat & dissimilia discernit, antequam ad Sacerdotum sacra veniant; accedentes etiam lustrat, vt eos à contrariis immunes reddat, atque sacrorum mysteriorum spectaculo & communione dignos. Itaque in sacrâ Dei regeneratione Diaconi eum, qui ad illam accedit, antiquâ veste exuunt atque discalceant, & ad Occidentem abrenuntiandi causâ sistunt, rursusque traducunt ad Orientem (sunt enim purgantis ordinis atque virtutis) hortantes eos qui accedunt, vt prioris vitæ indumenta penitus deponant; et torisque pristini tenebris patefactis, docent eos vt obscuris rebus ablegatis, sese transferant ad ea quæ illuminant. Diaconorum itaque ordo est expiatorius, ad præclara Sacerdorum sacra ducens eos qui expiati sunt, atque expiat imperfectos, quos etiam fouet purgantibus Eloquiorum illustrationibus atque doctrinis; & præterea profanos à Sacerdotibus arcet, propter quod Pontificio instituto sacris quoque foribus præficitur, vt significetur, eorum qui ad sacra veniunt accessum omnimodis illustrationibus esse expiandum, quandoquidem ad aspectum communionemque sacrorum

A

lorum sursum attollendi per Vnguenti spiritales distributiones: siquidem omnis fragrantia calore ignis dissoluta vapores excitat; nam suprema illa fragransque natura ab ignitis purissimisque mentibus ad spiritalis suæ adspirationis diffusionem amat prouocari, vnde etiam illas reddit participes gaudij super vno peccatore pœnitentiam agente. Nequaquam itaque Angeli ignorabant ipsum IESVM qui sanctificat, aliquando etiam, cùm secundùm quod homo est baptizaretur, sanctificatum esse. Nota verò verborum accurationem, quomodo quoque carnis differentiam seruarit. Nam IESVS, qui vt Deus omnia sanctificat, vt homo quoque sanctificatus fuit à Patre, & à semetipso, quatenus quoque Deus est, & à Spiritu sancto, scientibus quoque cœlestibus ordinibus proprium principium, id est auctorem suum & creatorem IESVM, quod etsi sanctificetur, tamen etiam sic habet naturæ immutabilitatem, quoniam Deus est. Sanctè enim sciunt ipsum esse incarnatum: verbum enim [illegible], seu *condescendentem*, designat incarnatum. Et si sanctificatur, vtique secundùm humanitatem sanctificatur, idcircò additur: Et sanctificatur pretiosum Vnguentum quod Christi Domini symbolum est, & Seraphim circunstant. Dixit autem inuariatum, vel quod per omnia naturæ nostræ similis factus est absque peccato, vel quod non subiuerit mutationem vel vicissitudinis obumbrationem secundùm diuinitatem, cùm humanam naturam assumpsit. Et quod diuinius est, quod Hierarchia ad omnem sacram consecrationem diuinum Vnguentum adhibet, manifestè demonstrans, IESVM sanctificatum sanctificare. Quapropter quoque gratia Baptismatis (hæc enim est secundùm Deum generatio) consummatur à Pontifice per Vnguentum in crucis formam baptisterio infusum, dum spiritaliter exhibet ipsummet Vnguentum spiritale, scilicet Dominum ad mortem vsque demersum: siquidem lauacrum hoc mortem significat; & illum qui inuicto suo descensu, quo à morte superari non potuit, in morte suâ baptizatos attraxit. Arcanum porrò vocat oraculum, quia multitudini occulta erat ratio Baptismatis Christi.

Quomodo Christus sanctificatus.

B

C

§. 11.

Quin etiam ipsimet baptizato Vnguenti vnctio sancti Spiritûs illapsum elargitur, dum hoc modo per Vnguenti vnctionem Spiritus sanctus descendere significatur. Vnguentum autem Christus est, quoniam ab ipso quoque humanitùs, à Spiritu sancto sanctificato Spiritus sanctus tanquam ipsius Spiritus donatur. Quemadmodum autem cùm in Angelis substantiales habitus audimus, non qualitates extrinsecus per accidens aduenientes intelligimus, multò magis id de Deo cogitabimus: neque enim habitum pro qualitate accidentali accipiens, sed habitum essentialem Diuinitatis, qui naturaliter ex se habeat omnia quæ sunt bonitatis, quandoquidem ipsa quoque Deitas hic non est ipsamet essentia Dei, sed apparentia quædam ipsius essentiæ.

§. 12. *Quid altaris inunctio denotet.*

D

Ps. 50. 21.

Considera denuò aliud, vt etiam ipsimet ipsummet altare diuinum pretioso illo Vnguento consecremus. Est autem hæc contemplatio sublimis & supernaturalis, & origo omnis sanctificationis, virtusque perfectiua; quoniam ipsum quoque altare diuinissimum est Dominus noster Iesus Christus, in quo omnis mens diuina sanctificatur. *Tunc* enim, inquit Dauid, *imponemus super altare tuum vitulos*, diuinas nimirum mentes intelligens. Quemadmodum enim vitulus olim sanctificabatur, ita etiam diuinæ mentes, mysticè in holocausti morem penitus concrematæ, consecrantur Deo, in quo accessum habemus: quoniam adductio viuarum victimarum dicitur is in quo sanctificantur vniuersa. Quâ ratione ipsum hoc altare per diuinum Vnguentum sanctificatur? Vtique manifestum est, quòd sicut pro nobis baptizatur, cùm ipse nullo modo sit coinquinatus, sed vt nos à sordibus mundaret; necnon patitur & moritur pro nobis, cùm ipse non peccasset, sed vt nos à peccatis liberaret: sic vtique etiam sanctificat ipse semetipsum pro nobis, Vnguentum scilicet altare; ac deinceps istiusmodi sanctificatio transit ad nos, qui ipsi per diuinum Baptismum agnati sumus. Quocirca istiusmodi sanctificationem & Vnguenti consecrationem à reipsâ [illegible] appellant: anteà enim dicebamus, mysterium baptismi & mysterium Synaxeos, hîc verò mysterium consecrationis Vnguenti. Si itaque diceremus mysterium Vnguenti, diceremus vtique mysterium Christi, Vnguentum enim Christus; sed dicimus mysterium consecrationis Vnguenti: ac si quis dicat, mysterium consecrationis Dei. Cùm verò consecratio tam consecrantis quàm consecrati dicatur, vtroque sensu hanc vocem accipimus, cùm pro eo quòd humano more à nobis consecratur, tum pro eo quòd omnia quæ consecrantur sanctificat. Porrò melos illud sacrum Prophetis diuinâ Spiritûs inspiratione afflatum, scilicet Alleluia, qui Hebraïcè periti sunt, aiunt significare laudem Dei. Omni itaque consecratione perfectâ, haud abs re est meminisse Dei. Hoc autem dicit, quia Alleluia canitur in Vnguenti consecratione.

E

F

CAPVT V.

De sacrorum Ordinum consecrationibus.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primâ Parte huius Capitis ostendit.

1. *Quàm sit Hierarchia nostra benè ordinata.*
2. *Quæ sit consecratio spirituum cœlestium, & quibus data sit legalis Hierarchia, & quâ de causâ, & vbi data sit: atque, nostram Hierarchiam mediam esse inter legalem ac cœlestem.*
3. *Tres esse functiones Hierarchiæ, scilicet expiare, illuminare, perficere.*
4. *Ordines inferiores à superioribus ad Deum adduci.*
5. *Pontificem esse primum in ordine Hierarchico, & ab eo sacram omnem potestatem ad inferiores deriuari.*
6. *Quid sit munus Pontificum, Sacerdotum, Diaconorum.*
7. *Superiores inferiorum facultates habere, & functiones eorum exercere posse, non contrà.*

Secundâ Parte tradit ritum consecrandi Episcopum, Sacerdotem, Diaconum.

Tertiâ Parte proponit contemplationem, in quâ explicat.

1. *Quæ sint cuique ordini communia, & quæ particularia.*
2. *Quid sibi velit accessus ad altare & genuflexio.*
3. *Quid manus impositio.*
4. *Quid crucis signatio.*
5. *Quid nominum promulgatio, & quomodo nemo sit ad sacra promouendus, nisi à Deo electus.*
6. *Quid insinuet finalis salutatio.*
7. *Cur capiti Pontificis Scripturæ liber imponatur.*
8. *Quid sibi velit genuflexio siue vnius siue vtriusque poplitis.*

G

H

§. 1. *Hierarchia nostra quàm sit ordinata.*

HÆc quidem diuinissima est Vnguenti consecratio: modò tempus est, post diuinas istas functiones, ipsosmet sacros Ordines exponendi, eorundemque distributiones, ac virtutes, & actiones atque perfectiones, tresque Ordines maiores qui sub iis continentur; vt ostendatur Hierarchiæ nostræ descriptio, quidquid inordinatum & incompositum atque confusum est, nullâ cum eo mixtione factâ, segregare & ablegare, decorem verò atque ordinem ac majestatem in proportionibus sanctorum Ordinum suorum exhibere. Ac triplicem quidem omnis Hierarchiæ diuisionem in Hierarchiis iis, quas pridem celebrauimus, congruè satis, vti reor, exposuimus, cùm diximus, Hierarchicam rationem omnem in diuina mysteria seu sacra diuidi, & in eos qui ea tenent enuntiantque aliis, atque in eos qui ab illis initiantur.

§. 2. *Quæ sit consecratio spirituum cælestium.*

Itaque sanctissimæ quidem supercœlestium essentiarum Hierarchiæ pro consecratione est intelligentia illa quàm maximè à materiâ semota, quâ se Deumque nouit, atque deiformitatis integer, quantusque possibilis est,

diuinæ imitationis status. Illuminatores verò & ad istiusmodi sacrosanctam imitationem duces sunt primæ istæ substantiæ quæ circa Deum versantur; hæ enim in inferiores sacros Ordines benignè, pro cuiusque captu, continuò deificas scientias deriuant, quas ipsis impertiuit per se perfectus ac sapientificus ille diuinarum mentium diuinus Principatus. Porrò primis istis essentiis subditæ distinctiones, vtpote quæ per illas sanctè ad deificam diuini principatus illustrationem adducuntur, vocantur, & sunt verè Ordines initiati. Secundùm illam autem cœlestem mundoque superiorem Hierarchiam diuinitas in nos beneficè sacratissima sua munera depromens, iis quidem qui infantes erant, vt Scriptura testatur, legalem indulsit Hierarchiam, sub exilibus nimirum veritatum imaginibus atque simulacris, quæ ab exemplaribus plurimum dissidebant, obscurisque ænigmatibus & figuris, quæ opertam nec ita facilem diiudicatu intelligentiam habebant, lumen iis proportionatum, tanquam imbecillioribus oculis, innocuè affundens. Huius autem legalis Hierarchiæ mysterium introductio quædam fuit ad cultum spiritalem. Duces eius extiterunt ij qui sacri illius tabernaculi ritum à Moyse, primo legis Pontificum Doctore ac duce, didicerant; qui ad sacrum illud tabernaculum institutionis causâ Hierarchiam legis describens, ad exemplaris, quòd illi in monte Sinà monstratum fuerat, imaginem & imitationem omnia, quæ in lege sanctè fiebant, reuocabat. Perficiebantur autem ij, qui à legalibus signis secundùm captum suum ad perfectiorem disciplinam promouebantur. Perfectiorem verò mysteriorum disciplinam sacra Scriptura nostram vocat Hierarchiam, cùm hanc illius consummationem sacrumque finem nominat. Est autem eadem etiam cœlestis & legalis communione quadam mediæ conditionis suæ, quâ communicat extremis, cum illâ nimirum in spiritalibus contemplationibus, cum hac verò sensibilium varietate signorum, per quæ etiam ad diuinum numen adducitur. Porrò triplicem etiam habet sacri Ordinis distributionem, quatenus diuiditur in sanctissimas mysteriorum cærimonias, atque in deiformes sacrorum administros, & in illos qui ab his ad sacra cuique congruentia promouentur. Quælibet autem ex tribus Hierarchiæ nostræ partitionibus ad legalis & eius, quæ nostrâ hac diuinior est, Hierarchiæ similitudinem, prima, & media, & extrema statuitur, cùm sanctæ proportionis, tum venustissimæ suoque ordini congruæ, ac cuncta connectentis societatis virtute subnixa.

Legalis Hierarchia quibus data sit.

Ad quid & vbi data sit.

Hierarchia nostra est media inter legalem & cœlestem.

§. 3. Tres sunt hierarchica fūctiones.

Sanctissima itaque mysteriorum consecratio primam quidem virtutem deiformem habet, quâ profanos sacris expiat; mediam verò, quâ iam expiatos illuminando initiat; postremam denique, & summam præcedentium, quâ sacris initiatos propriarum consecrationum scientiâ consummat ac perficit. Porrò sacrorum ministrorum distinctio virtute primâ per mysteria profanos expiat; mediâ verò expiatos illuminat, postremâ denique eaque supremâ sacrorum ministrorum virtute eos, qui diuini luminis participes facti sunt, perfectâ visarum illustrationum scientiâ absoluit. Eorum verò qui initiantur vis prima est, quæ expiatur; media post expiationem, quæ illustratur, & ad quorundam Sacramentorum conspectum admittitur; postrema denique cæterisque diuinior, ea quæ sacrarum quas percipit illustrationum consummante scientiâ collustratur. Triplex itaque virtus mysteriorum sanctæ consecrationis celebrata est, cùm ex Scripturis ostenderimus, sacram quidem Dei regenerationem esse simul expiationē & splendorem illustrantem; mysterium autem Synaxeos & Vnguenti, cognitionem esse atque scientiam quæ diuina opera consummat, per quam sacrosanctè ad diuinum principatum & vnifica adductio & beatissima fit communio. Nunc autem deinceps exponend[illegible] st distinctio Sacerdotum, quæ in ordinem e[illegible]piat[illegible]em, illustrantem, perficientémque diuiditur.

§. 4. Inferiores à superioribus ad

Lex quidem hæc est [illegible] [illegible]ancta summæ Deitatis, vt per prima quæ sequuntur, ad diuinissimam eius lucem adducantur. Atu non [illegible] quoque substantias elementorum cernimus primùm ad ea, quæ ipsis magis cognata sunt, accedere, ac per illa deinde efficacitatem ad alia deriuare? Meritò igitur omnis cùm inuisibilium visibilis distinctionis initium ac sedes ad eos, qui deiformiores sunt, deificos suos radios permittit peruenire, atque per illos, vtpote limpidiores spiritus, & ad participandum traducendumque lumen magis idoneos, inferioribus pro illorum capacitate illucescit, & apparet. Istorum igitur est, qui primi Deum cernunt, sequentibus sine inuidiâ, pro modulo cuiusque, sibi sacrosancte perspecta diuina spectacula insinuare: docere etiam e[a] quæ Hierarchiæ propria sunt, eorum est, qui cùm perficiente scientiâ diuina quæque sacri sui ordinis mysteria probè sunt edocti, consummatamque docendi alios virtutem acceperunt: Sacramenta verò pro dignitate tradere illorum est, qui scitè atque integrè Sacerdotalis initiationis participes existunt.

Deum adduci.

Pontificum itaque diuinus ordo primus est eorum ordinum qui Deum vident, idemque & summus & vltimus, quippe in quo & absoluitur & expletur omnis Hierarchiæ nostræ distinctio. Vt enim Hierarchiam omnem videmus in IESVM desinere, sic vnamquamque in suum diuinum Pontificem. Porrò virtus ordinis Hierarchici in sacris omnibus distinctionibus capitur, & per omnes sacros ordines Hierarchiæ propriæ mysteria perficit; verùm huic excellenter præ cæteris ordinibus in sui ministerium diuina lex officia diuiniora distribuit, quæ nimirum sunt imagines præcipuæ perficientis virtutis Dei, quibus diuinissima quæque symbola sacræque distinctiones omnes consummantur. Licet enim à Sacerdotibus veneranda quædam Sacramenta conficiantur, nunquam tamen Sacerdos diuinam illam regenerationem sine diuinissimo illo Vnguento consummabit, neque diuinæ communionis mysteria consecrabit, nisi communionis Sacramenta diuinissimo altari fuerint imposita; quin ne Sacerdos quidem erit, nisi pontificiis initiationibus ad sortem istam fuerit promotus. Quapropter lex diuina Hierarchicorum ordinum sanctificationem, & Vnguenti diuini consecrationem, sacramque altaris benedictionem perficientibus diuinorum Pontificum virtutibus singulariter attribuit.

§. 5. Pontifex est primus in ordine Hierarchico.

Ab eo Sacramentum potestas omnis in inferiores deriuari

Est igitur Pontificatûs seu Episcopatûs ordo, qui consummante virtute fultus, perficientia quæque sacri ordinis munia præeminenter consummat, atque sacrorum disciplinas interpretando tradit & edocet, quænam ipsis sacræ competant habitudines atque virtutes. Sacerdotum autem ordo, qui illuminat, ad sacra mysteria contuenda initiatos manuducit diuinorum ordini Pontificum subiectus, cum quo propria sua celebrat officia, atque in iis quidem quæ facit diuina opera sanctissimis signis & Sacramentis ostendit, spectatoresque eos qui accedunt efficit, & in sanctorum mysteriorum societatem communionemque admittit, sed ad Pontificem remittit eos qui disciplinam expetunt mysteriorum quæ viderunt. Verùm ordo ministrorum seu Diaconorum est, qui expiat & dissimilia discernit, antequam ad Sacerdotum sacra veniant; accedentes etiam lustrat, vt eos à contrariis immunes reddat, atque sacrorum mysteriorum spectaculo & communione dignos. Itaque in sacrâ Dei regeneratione Diaconi eum, qui ad illam accedit, antiquâ veste exuunt atque discalceant, & ad Occidentem abrenuntiandi causâ sistunt, rursusque traducunt ad Orientem (sunt enim purgantis ordinis atque virtutis) horantes eos qui accedunt, vt prioris vitæ indumenta penitus deponant; et tortisque pristini tenebris patefactis, docent eos vt obscuris rebus ablegatis, sese transferant ad ea quæ illuminant. Diaconorum itaque ordo est expiatorius, ad præclara Sacerdotum sacra ducens eos qui expiati sunt, atque expiat imperfectos, quos etiam fouet purgantibus Eloquiorum illustrationibus atque doctrinis; & præterea profanos à Sacerdotibus arcet, propter quod Pontificio instituto sacris quoque foribus præficitur, vt significetur, eorum qui ad sacra veniunt accessum omnimodis illustrationibus esse expiandum, quandoquidem ad aspectum communionemque sacrorum

§. 6. Quid sit munus & officiū Sacerdotum, Diaconorum

introducendi munus expiatoriis virtutibus sit commissum, à quibus alij, qui ab omni maculâ mundati sunt, intromittantur.

§. 7. Superiores inferiorū facultates habere & functiones exercere posse, non contrà.

Demonstratum est igitur, Pontificum quidem ordinem perficiendi vim habere, ac re ipsâ perficere; Sacerdotum autem illuminandi vim habere, atque illuminare; ministrorum verò expiandi ac discernendi facultatem obtinere. Siquidem ordo pontificius non perficiendi tantùm, sed & illuminandi simul atque expiandi vim habet; ac potestas Sacerdotum, præter illuminandi facultatem, expiandi quoque continet scientiam: verùm inferiores ad superiorum functiones transilire nequaquam possunt, quare nefas sit eos ad tantam protervuiam deuenire. Virtutes autem quæ diuiniores sunt, præter facultates proprias, inferiorum quoque sacras scientias perfectione suâ continent. Quoniam tamen Ecclesiasticæ descriptiones diuinarum imagines sunt actionum, quod ornati distinctique diuinarum actionum ordinis certas ratasque illustrationes in se exhibent, in primas, & medias, nouissimasque sacras functiones atque ordines in Hierarchicis distinctionibus sunt distributæ, quod, vti dixi, diuinarum actionum ordinem atque distinctionem in semetipsis exhibent. Cùm enim illa summa Deitas mentes eas, quibus se insinuat, primùm expiet, ac deinde illuminet, atque illustratas demum ad deiformem quandam promoueat perfectionem, rectè sacer Ordo, qui diuinis præest imaginibus, in diuersos semetipsum ordines virtutesque distinguit; apertè demonstrans, diuinas illas præcipuas actiones in sanctissimis purissimisque ordinibus constanter distinctéque consistere. Sed quoniam Sacerdotum ordines ac munia, virtutesque eorum & actiones pro virili exposuimus, sacratissimas etiam eorum consecrationes, quoad possumus, consideremus.

II. *Mysterium consecrationis sacrorum Ordinum.*

Ritus consecrandi Episcopi. Sacerdotem. Diaconi.

Pontifex quidem qui ad Pontificiam consecrationem est euectus, vtroque genu flexo ante altare, supra caput habet Scripturas à Deo traditas, manumque Pontificis, atque hoc modo à Pontifice, qui ipsum consecrat, sanctissimis apprecationibus consecratur. Sacerdos verò vtroque poplite ante altare flexo, in capite habet dextram Pontificis, & hoc modo ab illo Pontifice, qui illum consecrat, sanctis inuocationibus consecratur. Porrò Diaconus vnum genu flectens ante diuinum altare, supra caput habet dextram Pontificis ipsum consecrantis, & ab eo consecratur inuocationibus ad ministrorum consecrationem accommodatis. Vnicuique autem eorum signum Crucis à consecrante Pontifice imprimitur, & singulis sancta prædicatio perficiensque salutatio adhibetur, cunctis præsentibus Ecclesiasticis, vnà cum Pontifice consecrante, consalutantibus illum qui in aliquem dictorum Ordinum sacrorum est cooptatus.

III. *Contemplatio.*

§. 1. Quæ sint cuiqui ordini communia, quæ particularia.

Communia quidem sunt & Pontificibus, & Sacerdotibus, & ministris cùm consecrantur, accessus ad diuinum altare, genuum flexio, pontificiæ manus impositio, crucis impressio, prædicatio, perficiens salutatio: præcipua verò & Episcopis propria est Scripturarum supra caput impositio, quod inferiores ordines non habent; Sacerdotibus autem vtriusque pedis inclinatio, quo caret consecratio ministrorum; ministri enim, vt dictum est, alterum tantùm genu flectunt.

§. 2.

Itaque accessus ille ad diuinum altare genuumque flexio insinuat omnibus iis qui sacris Ordinibus initiantur, vitam propriam Deo, consecrationis auctori, penitus subiiciendam, nec non spiritalem integritatem omnino putam purgatamque atque vniformem offerendam esse, vt, quantum fieri potest, digna sit diuino templo & altari eius, qui sanctiori ratione deiformes mentes consecrat.

§. 3.

Pontificis autem manus impositio designat Hierarchicam protectionem, quâ, tanquam sanctos filios, paterno affectu fouet, & statum virtutemque sacri Ordinis impertitur, aduersariasque potestates procul ab illis abigit: simulque docet, sic consecratos obire sacras omnes ordinis functiones, tanquam qui sub Deo illas obeant, quem in omni re suarum actionum ducem habent.

E

Quid manûs impositio.

§. 4. Quid Crucis signatio.

Porrò signum Crucis, designat omnium simul carnalium cupiditatum cessationem, diuinæque vitæ imitationem, dum constanter intuentur ad Dei-virilem IESV vitam ad crucem vsque & mortem, cum summâ prorsus ac diuinâ impeccabilitate transactam, qui piè viuentes, tanquam sibi conformes, ad imaginem impeccabilitatis suæ formâ crucis insignit.

§. 5. Quid nominum promulgatio. Nemo ad sacra promouendus nisi à Deo illustratus.

Sacram verò ordinationum & eorum qui initiantur promulgationem Pontifex proclamat, mysterio declarante, Deo charum sacrorum ordinum collatorem interpretem esse diuinæ electionis, cumque non priuatâ gratiâ eos qui initiantur ad sacrum Ordinem promouere, sed afflatu Dei regi in omnibus Hierarchicis ordinationibus. Hoc modo Moyses, cùm esset legalium collator cærimoniarum, fratrem suum Aaron, quantumuis Deo charum sacerdotioque dignum, non priùs ad sacerdotalem Ordinem promouit, quàm ad id diuinitùs excitatus sub summo consecratore Deo sacerdotalem consecrationem pontificaliter celebraret. Quin immo diuinus ille ac primus ordinis nostri collator (hoc enim munus sibi IESVS benignissimus in nostri gratiam assumpsit) non semetipse clarificauit, vt Eloquia testantur, sed qui locutus est ad eum, *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Quapropter etiam ipse dum ad Ordinem sacerdotij, discipulos promouebat, tametsi vt Deus consecrationis auctor existeret, simul tamen ad sanctissimum suum Patrem & Spiritum Dei principalem præcipuum sacrosanctæ consecrationis munus referebat, præcipiens discipulis, vt Eloquia testantur, *ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit per os meum; quia vos baptizabimini Spiritu sancto.* Quin & Princeps Apostolorum, vnà dum coæquali sibi ac pontificali decade, ad sacrum illum duodenarium Discipulorum numerum implendum congregatus, summæ diuinitati electionis munus reuerenter cessit, cùm ait, *Ostende quem elegeris*; eumque quem diuina sors designauerat sacro illi duodenario Hetarchico annumerauit. Cùm autem de diuinâ illâ sorte, quæ diuinitùs super Matthiam cecidit, alij ab aliis, meo quidem iudicio, non rectè diuersa senserint, meam ipse sententiam exponam. Mihi enim videtur Scriptura sortem appellare diuinum illud munus, quo declarabatur choro Hierarchico, quisnam diuino suffragio electus erat: siquidem diuinus Pontifex nequaquam motu proprio sacros Ordines conferre debet, sed, vt decet Pontificem, eosdem instinctu Dei diuinitùs celebrare.

Heb. 5. Psal. 109. 4.

Act. 1. 4.

G

Ibid. 24.

Ibid. 26.

§. 6. Quid sibi velit finalis salutatio.

Porrò illa salutatio quæ sub finem sacrarum ordinationum adhibetur, sacri quidpiam innuit. Cuncti enim qui adstant ex sacris Ordinibus, ipseque qui consecrauit Pontifex, ita consecratum salutant. Cùm enim mens sancta sacrosanctis habitibus & virtutibus, diuinaque vocatione ac sanctimonia ad sacri Ordinis consecrationem peruenerit, tum amabilis exsistit æqualibus sanctissimisque Ordinibus, & ad maximè deiformem prouecta pulchritudinem amat & ipsa mentes sui similes, & ab iisdem sanctè redamatur. Hinc sancta illa mutua consalutatio in sacris Ordinibus celebratur, quæ mentium æqualium sacrosanctam insinuat communionem, amabilemque mutuam lætitiam, quippe quæ deiformem maximè venustatem totius sacri Ordinis conseruat.

H

§. 7. Cur capiti Pontificis Scriptura libri imponatur.

Atque hæc quidem, vt dixi, communia sunt vniuersæ sacrorum Ordinum collationi. Habet verò Pontifex peculiarem illam sacratissimam Eloquiorum supra caput impositionem. Cùm enim perfectiua quæque sacri Ordinis vis atque scientia diuinis Pontificibus à diuino-principali ordinumque originali bonitate concedatur, meritò Pontificum capitibus Eloquia diuinitùs tradita imponuntur, quæ continent exponuntque scitè omnem Theologiam, Deique cùm operationem tum apparitionem,

A partitionem; sacrumq́ue sermonem & actionem; vnoque verbo, diuina omnia sacraque opera ac verba, quæ à benefico diuino principatu sacro nostro Ordini indulta, ita vt Pontifex deiformis omnis quidem virtutis Hierarchicæ planè particeps existat, omnium verò sacro principalium Eloquiorum & operationum veritatem diuinitusq́ue traditam scientiam non tantùm per illustrationem accepturus sit, verùm etiam in alios, pro cuiusque ad res sacras capacitate, transfusurus, nec non perfectissima quæque totius pontificatûs munia diuinissimis scientiis & sublimissimis anagogis pontificaliter celebraturus. Sacerdotibus autem vtriusque pedis inclinatio peculiaris est, præ ordine ministrorum, qui vnum tantum genu flectit, atque hoc situ corporis à Pontifice consecratur.

§.8. *Quid genuflexio vnius vel vtriusque poplitis.*

Ac flexio quidem designat subiectum accessum eius qui accedit, & subiicit Deo id quod sancte offertur. Quoniam verò tres sunt sacris operantium, vti sæpè diximus, distinctiones, quæ per totidem sanctissimos ritus ac virtutes, tribus eorum qui initiantur ordinibus præsunt, atque salutarem eorum sub diuinum iugum promo-

B uent accessum, rectè ministrorum Ordo, vt qui tantùm vim expiandi habeat, solummodò eorum qui expiantur accessum procurat, eumque diuino altari sistit; in quo omnium mentes quæ expiantur supra mundanam rationem consecrantur. Sacerdotes verò vtrumque genuflectunt, quòd ij, qui ab iis sanctè promouentur, non solùm expientur, verùm etiam præclarissimis eorum sacrificiis, vitâ iam anagogicè perpurgatâ, ad contemplandi statum ac veritatem sacerdotaliter perficiantur. Pontifex autem vtrumque genu flectens supra caput habet à Deo traditas Scripturas, eosque, quos ministerialis virtus expiauit, & sacerdotalis functio illuminauit, ad eorum quæ conspexerunt sacrorum pro modulo cuiusque scientiam pontificio munere prouehit, perficitque eos qui promouentur, vt pro captu suo toti Deo consecrentur.

SCHOLIA S. MAXIMI.

C §.1. DISTRIBVTIONES.] Distributiones seu sortitiones vocat, quia quilibet ordo Ecclesiasticus separatè habet Ecclesiastica ministeria, sorte velut sibi attributa, quæ præterire nequit: munus enim Diaconi manifestum est, & similiter aliorum. Virtutes autem & actiones in his vno eodemque sensu accipere liceat, cùm idem declarent: siquidem dicuntur doctrinaliter expiandi & illuminandi vim & efficaciam obtinere, qui hæc facere permittuntur. Liceat id quoque aliter distinguere, ac virtutes quidem accipere pro donis spiritalibus ac meritis, actiones verò pro ministeriis: perfectiones enim manifestum est quòd in constitutionibus seu ordinationibus accipiemus.

AC TRIPLICEM QVIDEM.] Deinceps explicat quæ sit triplex diuisio, & quis sit ternio superiorum ordinum, de quibus etiam paulò antè disseruit primo capite huius Libri. Et nota, quoniam etiam in Ecclesiasticâ Hierarchiâ sit triplex diuisio, & qualis.

D Sancta nostra traditio diuiditur

in mysterium, hoc enim est Sacramentum, | in initiantem, | in initiatos.

§.2. SANCTISSIMA QVIDEM.] Quænam in cœlis Hierarchia sit, & cœlestis Hierarchiæ imitationem esse Dei pro cuiusque viribus cognitionem habitumque. Huius autem Mystæ sunt primi illi ordines qui versantur circa Deum; inferiores verò ordines sunt illi, qui ab ipsis initiantur & erudiuntur.

SECVNDVM ILLAM.] Quæ sit Hierarchia secundùm duos populos.

LEGALEM.] De legali Hierarchiâ.

NEC ITA FACILEM DIIVDICATV.] Nota, cum non ita captu & diiudicatu facilem dicere legalium ordinum contemplationem & allegoriam.

HVIVS AVTEM LEGALIS.] Quænam esset legalis initiatio.

INITIATORE AC DVCE.] Moyse videlicet.

E SANCTE DESCRIBENS.] Iuxta quod dictum est, *Vide facias iuxta figuram ostensam tibi in monte.* (Exod. 40.)

PERFECTIOREM.] Agit de nouâ Hierarchiâ quæ est in Ecclesiâ, quoniam hæc impletio est legalium, iuxta quod Apostolus in Epistolâ suâ ad Hebræos, & ipse Dominus ait, *Non veni soluere legem, sed adimplere.* (Matth. 17.)

MEDIO.] Nota, quomodo Ecclesiastica Hierarchia media sit inter cælestem & legalem, & quomodo vtrique communicet; illi quidem spiritu, huic verò literâ, id est symbolis.

TRIPLICEM.] Quomodo triplex sit ordinum diuisio.

DEIFORMES SACRORVM.] Id est in sacram cognitionem, & magistros & discipulos.

QVA NOSTRA HAC.] Id est Angelorum.

Diuiditur initiandi sacra functio

in expiationem, | eruditionem, | perfectionem.

F Sacrorum ministrorum distinctio

in expiationem profanorum, | in illustrationem expiatorum, | in perfectionem illuminatorum.

Initiatorum potestas

in eos qui expiantur, | in eos qui illustrantur, | in eos qui perficiuntur.

§.3. VIRTVTEM SACRAM.] In his obserua, distinctè declaratam esse triplicem Hierarchiæ diuisionem.

SACRORVM AVTEM MINISTRORVM.] De iis qui initiant.

EXPIAT.] Quid sit expiare, & quid illustrare, & quid perficere tradit in libro de Cœlesti Hierarchiâ cap. 3. circa finem, quod & hic prosequitur.

PERFECTIONIBVS.] [Ait] primam [distinctionem] profanos expiare; mediam, alios docere; postremam verò, solummodò perfici.

PRIMA QVIDEM.] Scilicet ternio inferiorum ordinum.

TRIPLEX.] Quæ vis triplex Sacerdotum.

G SYNAXEOS.] Subaudi celebrata, seu demonstrata est.

NVNC AVTEM.] Diuinis etiam Scripturis expiamur & illustramur ad sacram Dei generationem: Synaxeos verò & Vnguenti sacramento scienter perficimur. Nota etiam hîc, similiter declaratam esse triplicem diuisionem.

Diuiditur Ecclesiasticus ordo

in expiantem, | illuminantem, | perficientem.

§.4. AN NON SENSIBILES QVOQVE.] Vt in vitro quod solem recipit, de quo etiam superiùs egit; atque vt in igne aut lumine perspicere licet, dum hoc quidem per tenuia pellucidaque corpora ea quoque quæ crassiora & obscuriora sunt collustrat; ignis verò ad materiam facile combustibilem accedens, per hanc etiam combustioni minùs aptas exurit.

ILLVCESCIT.] Efficacia scilicet Episcopi.

ISTORVM IGITVR EST.] Ex communi sumendum est verbum ἐςὶ, in omnibus enim, quæ hoc loco sunt, subauditur.

H QVI DEVM CERNVNT, &c.] Nota, Pontificem primùm diuinâ visione illustrari, deinde illam inferioribus communicare, ac denique perficere illos quibus impertit illustrationem.

§.5. PRIMVS QVIDEM EST.] Notandum, quomodo idem ordo sit primus & postremus.

Quod Pontificis sit munus propriû.

HIERARCHICI AVTEM.] Agit de potestate Ordinum Sic autem intelligenda sunt quæ proponuntur, quòd nimirum omnia, quæ sacro ritu peraguntur, ad Pontificem referantur, tanquam qui illa per sacros suos ordines operetur, quibus hæc peragendi contulit potestatem: attamen præcipuè Pontifici ipsi per se, & non per Vicarios, competit Vnguenti sanctificatio, & altaris consecratio, & Ecclesiasticorum ordinatio; quæ etiam perfectionis effectrices diuinæ potestatis imagines appellauit: *Ordinatiue* autem ordines vniuersos, vti mox exponit.

HÆ AVTEM SVNT.] Quæ nimirum sanctum panem in Corpus Christi consecrant, vti & calicem in sacrum Sanguinem, & aquam in sanctam expiationem, & eum

qui non est illustratus in adoptionem, cætera omnia similiter.

LICET ENIM A SACERDOTIBVS.] Nota presbyteria (quos & Sacerdotes vocat) non esse consecrandum & conficiendum Vnguentum, quin nec altare dedicandum, tametsi in eo offerant, vti nec ordinandum. Hæc enim solus Pontifex facit, sine quibus Presbyter neque baptizabit, neque offeret; vbi autem hæc priùs ab Episcopo fuerint consecrata, tum demum Sacrum faciet.

SANCTIFICATIONEM.] Siue ordinationem.

SINGVLARITER.] Peculiariter.

SCIENTIAA.] pontificibus competere facultatem docendi mysteria.

SACERDOTVM AVTEM.] Quis sit ordo Sacerdotum seu Presbyterorum.

IPSE FACIT.] Ordo scilicet Sacerdotum.

MINISTRORVM VERO.] Qui sit ordo ministrorum, id est Diaconorum.

EXPIAT.] Quomodo Diaconi expient.

ITAQVE IN SACRA.] Contemplatio expiationis. Nota autem, Diaconorum munus esse, baptizandos exuere & discingere, sistereque ad Occidentem, atque iterùm reducere ad Orientem.

PROPTER QVOD SACRIS.] Nota tum Diaconos fores custodisse, nunc autem id faciunt Subdiaconi.

DEMONSTRATVM EST IGITVR.] Recapitulatio.

PONTIFICVM NEMPE.] Episcopum posse etiam obire munia inferiorum, & primos secundorum atque sequentium; sed non contrà, secundos illa quæ sunt primorum.

PROTERVIAM VSVRPARE.] Nemo enim sibi arrogare debet ea quæ maiorum sunt.

IMAGINES ECCLESIASTICÆ.] Cuius rei typi sint ordines Ecclesiastici, qui ea quæ Dei sunt inter homines gerunt.

CVM ENIM.] De cœlestibus ordinibus, quomodo à Deo ordinemur.

PONTIFEX QVIDEM.] Ordinatio Episcopi, Presbyteri, & Diaconi.

VTROQVE GENV.] Modò aliter consecratur.

VNVM GENV.] Incertum est, vtrum genu intelligat.

SIGILLATIM.] Nota, eum qui ordinatur, ab omnibus qui in sacrario sunt salutari debere.

PRÆDICATIO.] *Ἀνάῤῥησις* est quodammodò prædicatio ex nomine: Episcopus enim qui ordinat, consignans illum, ait: *Hic N. ex Presbytero signatur in Episcopum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Similiter etiam in Episcopi & Diaconi ordinatione.

GENVFLEXIO.] *T[illegible]* genuflexio, *ἀνάῤῥησις* autem est id quod nunc vocant acclamationem seu promulgationem.

RECITATIO.] Denuntiatio est, vt cùm dicit, v. g. in Episcopi ordinatione, *super hoc sancto Patre*; in Presbyteri autem, *super hoc Presbytero*; in Diaconi verò, *super hoc fratre nostro Diacono.* Hic autem recitationem vocat, quando in ipsâ ordinatione pronuntiat, *Diuina gratia hunc, qui ordinatur, ad hunc Ordinem promouet.*

ITAQVE.] Contemplatio.

IN VIRILEM.] Nota virilem Iesu vitam, & diuinam impeccabilitatem.

PROMVLGATIONEM.] Quæ sit promulgatio.

NEQVE FRATREM] Pulchrum est, & perquam necessarium ac tutum, vt nec fratrem quidem quis ordinet sine voluntate Dei.

ORDINVM COLLATOR.] Christus quantum homo etiam Pontifex fuit. quod nota contra Acephalos & Nestorianos.

QVAPROPTER ETIAM IPSE.] Nota quando Discipuli ordinati sint Sacerdotes; & Iesum, etsi Deus erat, non tamen ipsum eos ordinasse, sed promisisse se missurum à Patre Spiritum sanctum, quando velut igneæ linguæ ipsis apparuerunt. *Sacrorum* verò *auctorem* vocat Dominum secundùm Diuinitatem.

DISCIPVLORVM.] Sanctus Petrus scilicet cum cæteris, quando Mathiam in Apostolum elegit.

DE DIVINA AVTEM.] Nota quid dicat de sorte quæ Mathiæ obtigit, & quid hanc esse intelligat.

VIDETVR MIHI SCRIPTVRA.] Quod in Actis Apostolorum de his refert in quibusdam libris repetiri in hæc verba, *Et dederunt eis sortes.* in aliquibus verò, *Et dederunt eorum sortes.* Illud quidem *αὐτοῖς* facit pro eo quod à D. Dionysio iam dictum est, quasi sors signum aliquod designaret, quòd ex reuelatione v. g. vel Spiritûs sancti inspiratione caderet super eum qui sortiebatur. Vnde de Iscariote etiam Magnus Petrus ait: *Qui sortitus erat sortem ministerij huius.* Quamquam consueta nobis sors à Christo non fuit adhibita dum Apostolos elegit. *Actor. 1. 17.*

PONTIFEX VERO.] De Episcopo, cur ei soli sancta Euangelia imponantur.

DEIQVE CVM OPERATIONEM, TVM APPARITIONEM.] Subaudiendum *quæ existunt*, frequens enim illi est constructio per verbi omissionem. Obserua verò, quantas diuinas prærogatiuas Episcopus participet.

SACRORVM ELOQVIORVM.] Id est interpretationum.

SACERDOTIBVS AVTEM.] De Presbyteris.

AC FLEXIO QVIDEM.] Quid flexio declaret.

TRES SACRIS OPERANTIVM.] Id est Pontificum, Sacerdotum, & Ministrorum.

TRIBVS EORVM QVI INITIANTVR.] Id ex expiatorum, illustratorum, & contemplatione perfectorum.

MINISTERIALIS ORDO.] De Diacono vnum genu flectente.

SACERDOTES VERO.] Quid sibi velit quòd Sacedotes vtrumque genu flectant.

VTRVMQVE GENV.] Quid designet Pontificis vtriusque poplitis inflexio, & cur Scripturæ capiti eius imponantur.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ

HÆc de diuino mysticoque Vnguento; cæterùm modò tempus est exponendi ipsosmet sacros Ordines, ac sortitiones seu distributiones. Hac autem voce vtitur, quia quilibet ordo Ecclesiasticus separatim habet Ecclesiastica ministeria sorte quodammodò sibi attributa, quæ præterire nequit. Virtutes autem & actiones vno eodemque sensu accipere liceat, cùm idem valeant: siquidem dicendi sunt doctrinaliter capiandi & illuminandi vim & efficaciam obtinere. Primùm enim possumus, ac deinde agimus. Liceat quoque aliter distinguere, ac virtutes quidem accipere pro donis spiritalibus ac meritis; actiones verò pro ministeriis; perfectiones autem manifestum est, quòd in constitutionibus seu ordinationibus accipiemus. Sic enim in nostrâ quoque Hierarchiâ quidquid incompositum & inornatum est, purè segregabitur, rectus autem ordo & ornatus demonstrabitur. Quoniam verò in omni Hierarchiâ triplex est distinctio, sicut pulchrè, vt existimo, iam pridem ostendimus: siquidem omnis functio Hierarchica diuiditur in ipsas initiationes & Mystas, & eos qui initiantur. *Hierarchia triplex distinctio.*

Itaque cælestis quidem Hierarchia pro initiatione habet quàm maximè immaterialem rerum diuinarum intelligentiam, quantusque dari potest, diuinæ imitationis statum, pro Mystis verò primas illas essentias: hæ enim ad inferiores diuina munera beneficè deriuant; inferiores autem virtutes sunt illæ quæ initiantur & consecrantur. Post cœlestem verò illam, nostram hanc Hierarchiam diuina bonitas constituens, quandoquidem infantes eramus, legalem Hierarchiam indulsit, imbecillioribus nostris oculis lumen illis proportionatum per obscuras quasdam imagines affundens, quæ non ita diiudicatu facilem intelligentiam habebant. Quoniam verò dixit, omnem Hierarchiam habere initiationem, & Mystas, & initiatos, ad legalem cultum veniens istiusmodi triadem ostendere cupit. Initiatio itaque huic est, à typis ad spiritalem cultum traductio, quemadmodum etiam Theologus ille Gregorius asseuerat: manuductores, verò ad hanc, siue Mystæ sunt, qui à Moyse, primo Doctore ac Ductore, edocti sunt tabernaculum illud non manu factum, secundum quod illam legalem Hierarchiam describens, legalia illa figuras seu imaginea appellabat; audiuit enim. *Quid legalis Hierarchia.*

Omnia

Exod. 25. 40.

Omnia facies *secundùm exemplar quod tibi monstratum est in monte.* Initiati verò erant, qui ab hac ad perfectiorem disciplinam traducebantur, quam & impletionem primæ sacramque sortem Scripturæ vocant, secundùm

Matth. 5. 17.

quòd etiam Dominus adimpletor legis, & non solutor dicitur, quemadmodum etiam pictor, qui dum vmbræ imaginis sæpè colores addit, dicetur illam adimplere, & nequaquam soluere. Si verò Paulo credendum est ad Hebræos scribenti, medium quid inter cœlestem illum & legalem cultum nostra est Hierarchia; quæ cum cœlesti quidem communicat, quòd spiritalibus vtatur contemplationibus; cum legali verò, quòd vt illa quoque sensilibus signis variegetur.

Nostra Hierarchia media qualis.

§. 3.

Habet autem etiam ipsa triplicem hanc Hierarchicam distinctionem, diuisa in mysteria, & in diuinorum mysteriorum administros ac Sacerdotes, & in tertios illos qui ab his ad sacra promouentur. Quælibet autem horum functio denuò tripliciter diuiditur. Ioitiarionum itaque prima est expiatio, secunda, expiatorum illuminatio, & tertia, quæ priores complet perfectio. Item ordo initiantium primùm expiat, deinde illuminat, ac posteà perficit. Diaconi expiant, Sacerdotes illuminaot, Episcopi perficiunt. Eorum autem qui initiantur, primi expiantur per catechesin, secundi illumioantur per Baptismum, & tertij perficiuntur cùm perfectiuam scientiam accipiunt eorum quæ in Baptismo conspexerunt, diuinæ Eucharistiæ participes effecti. Triplex itaque Sacramentorum sacra functio celebratur: nam diuinus Baptismus ostensus est esse expiatio & illuminatio, Communionis autem participatio & Vnguenti mysterium notiones sunt perfectiuæ cognitionis atque scientiæ, quâ sacrosanctè diuina Communio celebratur.

§. 4.

Nunc autem de Ecclesiastico Ordine dicendum est, qui cùm etiam trifariàm, in expiationem, illuminationem, perfectionem diuidatur, lex hæc sacrosancta est omnis Hierarchiæ, vt per prima secunda adducantur. An non etiam illud in rebus sensibilibus & aspectabilibus videmus? (hæc enim elementa vocat) vt in vitro perspicere licet, quod solem recipit, atque hoc modo illuminat, & in igne, qui priùs ad materiam, quæ facilè comburi potest, accedit, & per hanc etiam minùs aptas ad eum recipiendum naturas exurit. Idcircò quoque omnis rectæ ordinationis, siue cœlestem siue nostram dixeris, principium ac sedes in primos ordines diuinos suos radios emittit, atque per hos quoque inferioribus collucet.

§. 5. Subordinatio qualis in Hierarchiâ.

Horum primorum est, posterioribus sine inuidiâ communicare illa quorum ipsi sunt participes. Itaque diuinus ordo Pontificum idem est & primus & supremus, & vltimus: primus, quoniam ex eo cæteris quæ propria sunt donantur; vltimus, quoniam in ipsum omnis Ecclesiasticus ordo desinit. Quemadmodum enim Hierarchia omnis in Saluatore nostro Iesu Christo consummatur, vt qui primus Hierarcha est; sic etiam quælibet Hierarchia in proprium suum Hierarcham refertur, vt qui omnia per ordines sibi subditus operetur, quibus præbuit potestatem hæc agendi (ἱεράτας enim vocat omnes ordines, vti paulò pòst explicat) attamen præcipuè Pontifici, vt ipsemet peragat, & non per aliorum ministerium, attributa est Vnguenti sanctificatio, & altaris consecratio, & Ecclesiasticorum ordinatio, quæ etiam perfectionis effectrices imagines diuinæ potestatis vocauit: hæ enim sunt quæ diuinissima quæque symbola perficiunt. Nisi enim sit Vnguentum, nisi sit summus Sacerdos, nihil etiam quod sit muneris Sacerdotalis perficietur. Deinde, ac si quis obiiceret, quomodo etiam Baptisma per Sacerdotes conferri possit, ait, neque hoc etiam perfectè per se Sacerdotem operari; nam & Antistite opus erit, vt vnguento inungat baptizatum: siquidem hæc antiqua erat consuetudo. Quomodo autem etiam diuina Communio fiet non existente altari? Vbi erit Sacerdos, nisi Episcopus ipsum ordinauerit? Rectè itaque diximus, tria hæc mysteria virtutes esse perfectiuas, & singulariter Episcopo attribui, id est particulariter, & semel simpliciter, non autem secundùm quid ac partialiter.

§. 6.

Quoniam diuisit Ecclesiasticum ordinem in perficientem, in illuminantem, in expiantem, modò tradit quid cuique ordini sit proprium. Ordo itaque Episcopalis perficiendi vi pollet, & perficiens & perfectus, ac disciplinas, habitúsque, ac virtutes sacrorum conferens. Ordo verò Sacerdotum, siue Presbyterorum, illuminandi munus obtinet, ad sacrorum conspectum manuducens eos qui initiantur, dum sacris quidem ipse operatur, & per manus Sacerdotum propria diuinitatis opera exhibet, verùm eos qui diuinarum rerum scientiam adipiscendi desiderio tenentur, ad Episcopum transmittit. Ministrorum verò, id est Diaconorum, ordo est expiatorius, & discretor bonarum & malarum, siue personarum siue rerum; discernunt enim etiam tam personas accedentium quàm virtutes rerum, & qualia bona sint & qualia praua. Vnde & ipsi quoque vetus vestimentum deponunt, quod veteris malitiæ symbolum refert, abluuntque & sistunt, & adducunt eum qui ad Baptismum accedit; siquidem hæc omnia virtutis & ordinis suot expiantis. Docent enim illos vt rebus obscuris renuntiantes, ad ea quæ illuminaot adducantur. Adducit itaque expiatos, expiat imperfectos, fouet institutionibus, secernit sacros à profanis, fores custodit. Diaconi enim tunc fores habebant, nunc verò eas tenent Subdiaconi. Lex itaque Ecclesiastica Diaconos foribus præficit, insinuans qualis & quali futurus sit ad sacra introitus, & virtutibus istis expiatricibus, ipsis, inquam, Diaconis ad sacrorum aspectum introducendi munus committens, & per eosdem admittens illos, quos ipsi sacrorum aspectu dignos iudicauerint.

§. 7.

Summatim verò omnia repetendo ait, Pontificem quidem perficere, Sacerdotem autem illuminare, Diaconum verò expiare, ac segregare fidelem ab infideli, & dignum ab indigno, quod proprium est Subdiaconorum. Interim Episcopus etiam potest obire munera inferiorum, non tamen Sacerdos ea quæ sunt Episcoporum; ex quo significatur, quomodo nemo debeat maiora se præsumere seu attentare. Cæterùm virtutes quidem illæ superiores ea quæ inferiorum sunt habent, & Episcopus potest omnia. Quoniam tamen Ecclesiasticæ descriptiones diuinarum imagines sunt actionum, io illis ipsis quoque rectus ordo distinctióque ostenditur. Denique refert, quomodo hæc nostratia quoque secundùm ordinem diuinum fiant. Quippe cùm illa summa Deitas mentes eas quibus se insinuat, siue Angelicas siue humanas, primùm expiet, deinde illuminet, atque exinde perficiat, ordo hic etiam semper est inuiolatus, & in omnibus seruatur, nec vnquam inuertitur aut in alium transmutatur. Quomodo enim illuminabitur is qui non est expiatus? & quomodo perficietur qui non est illuminatos? Idcircò cùm Hierarchia nostra sciat, istiusmodi ordinem esse inuariatum, semetipsam distinguit in diuersos ordines ac virtutes; &, quod potissimum est, per semetipsam exequens, illuminandi & expiandi munus cæteris secundùm cuiusque ordinem commisit. Sed quoniam de his satis dictum est, age, sacratissimas etiam eorum consecrationes consideremus.

II. Mysterium.

Ritus conferendi ordines.

Hierarcha quidem seu Episcopus cùm ad ordines suscipiendos adducitur, vtrumque genu flectens, supra caput habet diuina sacráque Euangelia, & manum consecraotis, ac sanctissimis precibus consecratur. Sacerdos autem vtrumque etiam ipse genu flectit, & in capite habet dextram consecrantis, atque ita etiam ipse sanctificantibus precibus sanctificatur. Diaconus verò vnum genu flectens, super caput habet & ipse dextram consecrantis, & consecratur inuocationibus ministrorum, quæ videlicet in eorundem consecratione adhiberi solent, Hierarchâ quoque precibus extrinsecus annuente. His tribus itaque commune est, ante diuinum altare ordinari, & formâ crucis signari, & nomen recitari, & in fine salutari. Obserua verò quòd dicat, omnes qui in sacratio sunt ordinatum salutare.

III. Con

III. Contemplatio.

§.1. Aggrediens eorum qui consecrantur contemplationem, primùm ea quæ tribus Ordinibus communia, quæque cuilibet propria sunt, recenset. Communia igitur sunt, ordinatio ad diuinum altare, formæ crucis signatio, & nominis recitatio, & finalis salutatio. Propria verò est Episcopis sacri Euangelij impositio, Sacerdotibus vtriusque pedis inclinatio, Diaconis alterutrius inflexio.

§.2. *Quid cæremonia consecrationis mysticè insinuet.* Dicimus itaque primùm de communi illâ ad altare sacrum adductione ac flexione, insinuari per hoc omnes illos consecrationis auctori Deo ex integro vitam suam consecrare, eamque, quoad fieri potest, conformem esse debere sanctissimo illi altari, Saluatori (scilicet) Christo ac Domino, qui consecrat mentes deiformes.

§.3. Manûs autem impositio partim quidem designat diuinam protectionem, quæ ad se accedentes tanquam filios paternè protegit; partim verò docet ita consecratos, tanquam sub Deo sacram suam functionem obire debere. Nam manus symbolum est operationis.

§.4. Porrò signum crucis designat omnium carnalium cupiditatum cessationem, diuinæque vitæ imitationem eius qui ad crucem & mortem venit. Episcopus autem nomen illius qui ordinatur proclamat, quoniam Deo charus ordinum collator tantùm explicat diuinam electionem, quia non fauore, sed à Deo motus, ipsum elegit. Hæc enim promulgatio, manifestatio est diuinæ voluntatis.

§.5. *Non ordinandi nisi à Deo delecti.* Hoc modo etiam legalis ordinum collator Moyses fratrem suum Aaron, quamuis eum sciret isto munere dignum, nequaquam elegit, donec diuinitus ad hoc moueretur. Sed quid illum memoro? cùm ipsemet primus ordinum collator ac viuificator IESVS ad Patrem clamet, *Pater, clarifica Filium tuum*, confirmationem quodammodò inde accipiens, tametsi Deus esset ac Dominus, & in verâ gloriâ simul cum Patre & Spiritu sancto esse nosceretur. Si verò credimus ea quæ Prophetæ locuti sunt verba esse Dei, sicut verè sunt, & à Deo proferuntur; illud, *Tu es Sacerdos in æternum*, & quæ sequuntur, nequaquam omnino Dauidis esse dicimus, sed dictum Dei: accipitur autem de Patre Filio suo testimonium perhibente sacerdotij illius æterni secundùm ordinem Melchisedech. (*Psal. 109. 4.*) Et discipulos, tametsi Deus esset, non à semetipso propriè ordinauit, sed promisit se missurum iis à Patre Spiritum sanctum. Quin & ipsemet Princeps Apostolorum, vnà cum decade Discipulorum, quando duodenarium illum implere volebat, nequaquam à semetipso ordinabat quemcumque vellet, sed dicebat, *Ostende quem elegeris*; (*Act. 1. 24.*) & illum accipiebat quem Spiritus sanctus ostenderat, Matthiam inquam. (*sors quid.*) De diuinâ verò sorte in Actis alij quidem alia tradiderunt, interim tamen non sanctè istiusmodi sortes acciperemus, quales sæpè etiam Ethnici ponebant, sicut apud Homerum, iaciebat Gerenius Eques Nestor. Ego autem dico, sortem fuisse signum aliquod reuelationis aut afflationis sanctissimi Spiritûs, quod cadebat super eum qui sortiebatur. Vnde etiam de Iscariotâ maximus ille Petrus ait, *Et acceperat nobiscum sortem ministerij huius*; (*Act. 1. 17.*) quamquam vsitata vulgò sors non fuit adhibita à Domino cùm Apostolos elegit. Denique ad propositum dicimus, Episcopum à sanctissimo Spiritu motum electiones facere debere.

§.6. *Quid salutatio signet.* Porrò omnes, etiam ipsemet ordinum collator, ordinatum salutant; quoniam cùm hoc modo mens sancta, diuinâ vocatione & Ecclesiasticis instructa virtutibus ad sacerdotium accedit (& obserua, quod sicut primùm mens diuinis donis illustratur, sic etiam prima consecrationem suscipit, tanquam diuinum quoddam munus, & homine sublimius) amabilis existit æqualibus, dum amat & amatur: hinc enim æqualium illa communicatio amabilis, mutuáque lætitia insinuatur. Simile enim simili gaudet.

§.7. Imponitur autem Euangelium illi qui in Episcopum consecratur; quia omnis ipsi potestas & scientia traditur, ipsique, tanquam vniuersæ potestatis Hierarchicæ ex integro participi, insunt quæcumque sacro quolibet siue verbo siue opere continentur; vt qui non in semetipso tantùm illustratus sit, verùm etiam aliis istiusmodi dona largiatur.

§.8. *Quid genu flexio, libri impositio, &c.* Quid autem sibi vult, quòd Episcopus vtrumque genu flectens, simul in capite diuinum habet Euangelium, Sacerdos verò vtrumque etiam genu flectit, verùm Diaconus alterum dumtaxat? Comprehensim dico, quòd cùm tres sint virtutes perfectioni seruientes, scilicet expians, illuminans, & consummans, & Diaconus quidem primam habeat, Sacerdos autem præter hanc, etiam illuminantem, Episcopus verò vnà cum his obtineat consummantem: idcircò Diaconus, tanquam qui explantem solam habet, alterum genu flectit; Sacerdos verò, vt qui cum hac etiam illuminantem teneat, vtrumque genu flectit; denique Episcopus flectit & ipse vtrumque genu, vt qui expiandi & illuminandi vi polleat: adhæc verò, cùm etiam perficiendi vi præditus sit, & à diuinis Euangeliis perfectionem conferat, idcircò ipsi quoque sacrum Euangelium imponitur. Cæterùm vniuersim illa pedum inclinatio declarat, quòd etsi ductores sint, hic quidem ad expiationem, ille verò ad expiationem simul & illuminationem, denique alius præterea ad perfectionem, attamen subiecti sint Deo, ipsique subiiciant eum quem adducunt.

CAPVT VI.

I. De Ordinibus qui initiantur.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primâ parte capitis dicit.

1. *Quinam ordines expientur.*
2. *Quinam illuminentur.*

Secundâ parte tradit quo ritu Monachi consecrentur.

Tertiâ parte subiungit contemplationem; in quâ exponit.

1. *Cur Monachi non flexis genibus, sed stantes consecrentur.*
2. *Quid sibi velit eorum renuntiatio.*
3. *Quid Crucis signatio.*
4. *Quid prioris vestis depositio.*
5. *Quid sacra Communio.*
6. *Explicat quânam ratione cælestes ordines expientur.*

ATque hi quidem sunt sacri ordines eorumque distributiones, ac virtutes & operationes atque consecrationes: triplex modò genus ordinum initiandorum superest exponendum.

§.1. *Quinam ordines expientur.* Dicimus igitur, ordines illos qui expiantur, esse turbas illas quæ à sacris functionibus & consecrationibus segregantur, quarum superiùs mentionem fecimus: quorum alius quidem à sacris arcetur, quòd adhuc à ministris ad vitalem partum verbis obstetricantibus foueatur atque efformetur; alter verò, quòd etiamnum ad eam, à quâ defecit, vitæ sanctimoniam adhortatoriâ sermonum bonorum disciplinâ reuocetur; alius autem, quòd adhuc contrariis pauoribus ignauiter terreatur, atque potentibus Eloquiis corroboretur; alius verò quòd adhuc ab operibus peruersis ad sacras actiones traducatur; alius, quòd iam traductus quidem sit, sed nondum constantiam in diuinis immutabilibúsque scientiis sit consecutus. Hi enim sunt ordines qui curâ ministrorum & purgandi vi expiantur, quos ad hoc ministri sacris suis virtutibus prouehunt, vt perfectè purgati, ad illuminantem illustrissimorum sacrificiorum contemplationem & communionem traducantur.

Medius

A

§. 2. Quisnam ordo illuminetur.

Medius autem ordo est is qui sacrorum quorundam aspectu gaudet, atque eorundem pro modulo suo in omni puritate particeps existit, qui luminis accipiendi gratiâ Sacerdotum curæ est commissus. Perspicuum est enim, vt arbitror, hunc ab omni labe nefariâ expiatum, & castam atque immobilem mentis suæ sedem adeptum, ad contemplandi scientiam atque virtutem Sacerdotum operâ promoueri, diuinissimísque, quibus illi fas est, Sacramentis communicare, in quorum contemplationibus communionibúsque omni sacro gaudio repletur, & ad diuinum eorundem scientiæ amorem per anagogicas virtutes pro virili suo subuolat. Hunc ego sanctæ plebis ordinem appello, quippe qui per omnem expiationem eò peruenit, vt sacrosancto præstantissimorum Sacramentorum aspectu & communione, quantum fas est, dignus sit habitus.

§. 3. Quisnam ordo perficiatur.

B

Summus verò eorum omnium qui perficiuntur est ordo sacer Monachorum, cùm & omni piaculo, totâ vi, omníque actionum suarum sanctimoniâ sit expiatus, & omnis mysterij, quod quidem ei fas sit aspicere, spectator particépsque sit factus, traditúsque perficienti Pontificum ordini, cuius diuinis illustrationibus pontificiisque institutis sacrorum ad se spectantium mysteriorum consecrationes eruditus, ab eorundem sacrâ scientiâ ad perfectissimam pro suo modulo perfectionem euehatur. Hinc sancti præceptores nostri diuinis eos appellationibus sunt prosecuti; alij quidem Therapeutas [seu cultores] alij verò Monachos, cùm à sincero Dei famulatu atque cultu, tum ab indiuiduâ & singulari vitâ denominantes, quippe quæ sanctis rerum diuiduarum coniunctionibus ipsos ad deiformem quandam vnitatem Deoque gratam perfectionem adducat: quâ de causâ quoque Lex sancta perficientem eis gratiam indulsit, eísque consecrantem quandam adhibet inuocationem, non quidem Pontificiam, ea enim in solis sacris Ordinibus adhibetur, sed consecratoriam aliquam, quæ à sanctis Sacerdotibus in Hierarchicâ initiatione secundo loco adhibetur.

C

II. Mysterium Monasticæ consecrationis.

Ritus cõsecrandi Monachos.

Sacerdos quidem stat ante altare, Monasticam sanctè recitans inuocationem; is autem qui consecratur stat post Sacerdotem, nec vtrumque neque etiam alterum genu flectit, nec supra caput habet Scripturas à Deo traditas, sed tantùm adstat Sacerdoti supra illum mysticam inuocationem prosequenti. Quâ finitâ, Sacerdos ad eum accedens, rogat ipsum primùm, an omnibus rebus diuiduis renunciet, non solùm vitis, verùm etiam imaginationibus. Deinde exponit illi vitam perfectissimam, contestans illum debere mediam viuendi rationem superare. Quæ vbi omnia is qui initiatur constanter professus est, Sacerdos eum signo crucis consignatum tondet, tres personas diuinæ beatitudinis inuocando, omnísque veste detractâ, eum aliâ induit, & cum aliis viris sanctis adstantibus ipsum salutans, participem facit diuinorum mysteriorum.

D

III. Contemplatio.

§. 1. Cur Monachi stantes consecrentur.

Quòd neutrum genu inflectat, neque capiti impositas habeat diuinitus traditas scripturas, sed assistat Sacerdoti precationem recitanti, declarat, ordinis Monastici non esse, alios adducere, sed penes semetipsum manentem in solitario sacróque statu Sacerdotales ordines sequi, & ab iis, tanquam asseclam eorum, ad diuinam sacrorum quæ illum attingunt scientiam facilè traduci.

§. 2. Quid renuntiatio eorum significet.

Porrò diuisarum non solùm vitarum, verùm etiam cogitationum renuntiatio, perfectissimam illam Monachorum philosophiam declarat, quæ ex vnificorum mandatorum scientiâ constatur. Est enim, vt dixi, non medij ordinis eorum qui initiati sunt Baptismo, sed celsioris omnibus ordinibus. Quamobrem multa ex iis, quæ à medio ordine sine reprehensione fiunt, Monachis istis singularibus omnino interdicta sunt, quippe qui cum vno conjungi debeant, & cum sacrâ monade copulari, & ad Sacerdotalem, quantum fas est, vitam efformari, tanquam qui præ cæteris initiatis cum hoc ordine in plurimis conueniunt, maiorémque affinitatem habent.

E

§. 3. Quid Cruci signatio.

Signum verò figuræ Crucis, vti dictum est, designat omnium carnalium desideriorum priuationem. Tonsura porrò capillorum, vitam omnino indicat nullatenus fucatam, neque figuris fictis adscititiisve, quibus mentis deformitas tegatur, calamistratam, sed per se ipsam non humanis ornamentis, sed singularibus ac vnificis virtutibus ad diuinam penitus conformitatem euectam.

§. 4. Quid prioris vestis depositio.

Prioris autem vestis detractio, & alterius assumptio, significat à mediâ sanctâ vitâ ad perfectiorem traductionem, sicut in diuinâ illâ regeneratione vestis immutatio declarabat expiatæ vitæ ad contemplandi & intelligendi statum transmigrationem & euectionem. Quòd iâ modò quoque tam Sacerdos quam adstantes omnes viri sancti initiatum consalutent, ex hoc sanctam intellige virorum Deiformium societatem, amicè sibi mutuò diuinâ cum lætitiâ congratulantium.

F

§. 5. Quid sacra Communio.

Sub finem denique Sacerdos initiatum inuitat ad præcipuam illam Dei communionem, sanctè per hoc indicans, eum qui initiatus est, si verè ad Monasticum illud singulare institutum peruenerit, non solùm eorum quæ ad ipsum pertinent sacrorum spectatorem fore, nec eâ dumtaxat ratione quâ medius ordo ad sanctissimorum Sacramentorum communionem accessurum; verùm etiam diuinâ illorum quæ percepit Sacramentorum cognitione fretum, alio modo quàm sanctus populus ad diuinæ Communionis participationem promouendum. Hanc vtique ob causam, sacris etiam Ordinibus, sub finem eorundem sanctissimæ consecrationis, diuinissimæ Eucharistiæ Communio traditur à Pontifice qui illos consecrauit; non idcircò solùm, quòd diuinorum perceptio mysteriorum sit summa quædam cuiuslibet Hierarchicæ participationis, verùm etiam, vt omnes sacri Ordines ipsius quod communicatur diuinissimi muneris, pro captu suo participes existant, ad suæ deificationis promotionem atque perfectionem. Conclusum igitur à nobis, quòd sanctæ quidem initiationes sint expiatio, & illuminatio, & perfectio; ministri verò sint ordinis expiatorij, Sacerdotes illustrantis, Pontifices denique deiformes consummantis. Ordo autem qui expiatur sacrorum aspectu atque communione frustratur, quod adhuc expiationi vacet. Ordo autem cui sacrorum aspectus indulgetur, pius est populus. Ordo autem perfectus est singularium Monachorum. Ita enim Hierarchia nostra ordinibus à Deo traditis sanctè digesta, conformis est cœlestibus Hierarchiis, dum deiformes notas signáque Deum exprimentia pro viribus conseruat.

G

§. 6. Quænam sint cœlestibus ordinibus expiationes.

Sed obiicies, in cœlestibus Hierarchiis non esse ordines qui expientur (nefas enim & falsum est dicere, cœlestem quampiam distinctionem esse sceleri obnoxiam) ego verò, nisi à sanctissimâ prorsus mente aberrem, omnino affirmarim, cœlestes essentias esse penitus immaculatas, atque supramundiali modo omnem habere puritatem. Nam si quæ in vitium prolapsa sit, continuò etiam à cœlesti illâ purissimaque diuinarum mentium harmoniâ defecit, & ad obscuram apostaticæ turbæ ruinam pertinet. Sanctè tamen etiam fateri liceat, in cœlesti Hierarchiâ, rerum, quas hactenus ignorarunt, illustrationem inferioribus naturis esse quandam velut expiationem, quâ & ad perfectiorem rerum diuinarum scientiam adducuntur, & à rerum, quarum hactenus scientia caruerunt, ignoratione quodammodò purgantur, dum à primis & diuinioribus essentiis ad sublimiores clarioresque diuinarum contemplationum illustrationes promouentur: atque ita in cœlesti Hierarchiâ etiam ordines sint qui illustrantur & qui perficiuntur, sicut qui purgant, & qui illustrant, & qui perficiunt; sic vt naturæ, quæ supremæ ac cæteris diuiniores, subordinatas sibi sacras ac cœlestes adornationes ab omni quidem ignoratione (modis scilicet cœlestibus istis Hierarchiis accommodatis) purgent, impleant

H

verò

verò ipsas diuinissimis illustrationibus, perficiantque liquidissimâ diuinarum intelligentiarum scientiâ. Etenim iam a nobis dictum est, & ab Eloquiis diuinis pronuntiatum, non easdem esse omnes cœlestes descriptiones, neque pares in omnibus istis sacris diuinarum illustrationum scientiis, sed ex Deo quidem immediatè primas, per illas autem rursum ex Deo inferiores, pro ipsarum modulo & captu lucidissimis diuini radij splendoribus illuminati.

SCHOLIA S. MAXIMI.

I. §. 1.

TRIPLEX GENVS INITIANDORVM.] Tres Ordines esse qui initiantur.

DICIMVS IGITVR.] Quinam expientur, & quomodo.

TVRBAS ILLAS QVÆ SEGREGANTVR.] Id est Catechumeni, pœnitentes, & dæmoniaci. Porrò differentiam pœnitentium explicat in sequentibus.

ALIVS QVIDEM QVOD.] De iis qui post Baptisma peccarunt.

ALIVS VERO QVOD ETIAMNVM.] De iis qui à dæmone vexantur, & afflantur.

ALIVS AVTEM QVOD.] De hæreticis vel libidinosis.

ALIVS QVOD IAM TRADVCTVS.] De iis qui necdum perfectè conuersi sunt à libidine ad sanctitatem, vel de Catechumenis.

§. 2.

MEDIVS AVTEM ORDO.] Fidelis populus.

EXPIATVS AB OMNI.] vniuersâ populi expiatione.

Ordines qui expiantur diuiduntur

in eos qui è templis eiiciuntur,	in fidelem populum,	in Monachos seu cultores.

Quæ sit plebs sancta.

SANCTÆ PLEBIS.] Nota, ipsum medium ordinem vocare plebem suam, siue illos qui in ordine laico integritatem & innocentiam conseruant; Monachos autem, seu cultores, omnium supremum ordinem appellare.

MONACHORVM.] Termini statûs Monastici.

§. 3.

ALII QVIDEM THERAPEVTAS.] Cur Monachi Therapeutæ dicti sint.

ET SINGVLARI.] Quid indiuidua singularisque vita.

SANCTIS RERVM DIVIDVARVM.] Diuidua vocat sæcularia.

DEIFORMEM VNITATEM.] Quomodo consectetur Monachus, & cur propriam consecrationem & inuocationem & statum habeat.

II.

SACERDOS QVIDEM.] Nota quoniam dicat Sacerdos & non Pontifex: & vt, iuxta Patris huius sententiam, non Episcopus, sed solus presbyter Monachi habitum conferre debeat.

DIVIDVIS.] Temporalibus & multùm distrahentibus, vt mercimoniis aliisque contractibus. *Imaginationibus,* id est meris cupiditatibus, & perturbationum imaginibus.

DETONDET.] Quomodo Monachus tondeatur.

TRIPLICEM.] Nota triplicem subsistentiam.

III. §. 1.

ORDINEM MONASTICVM.] Vnde Monachus dicatur, & quis sit status atque institutum Monachorum.

§. 2. *Errores & infanda libidines Lampetianorum, &c.*

RENVNTIATIO.] Quænam sit renuntiatio.

QVAMOBREM MVLTA.] Nota contra Lampetianos siue Messalianos aut Adelphianos, vel, quod idem valet, Marcianistas, qui vbi triennium solum se strenuè exercuerunt, posteà per reliquum vitæ suæ tempus sibi adeò sunt dissimiles, vt absque verecundiâ quamlibet committant absurditatem: stupris enim & libidinibus, ingluuie mutuisque nuptiis, atque vno nomine omni lasciuiæ genere inuoluti, se istiusmodi absque vllo affectu inordinato prodigiosè patrare asserunt; cùm sensu spoliari istiusmodi laborent passione, & sine dolore, tum à se ipsis tum à dæmonibus qui in illis habitant, ista patiantur, phreneticorum instar potiùs gaudeant quàm doleant.

INTERDICTA SVNT.] Nota multa Monachis esse prohibita, quorum facultas & potestas laicis, est; vt sunt, nuptiás, militiam & commercia frequentare & similia, quæ in laico non damnantur.

§. 3.

TONSVRA CAPILLORVM.] Quæ sit illa tonsura.

PRIORIS AVTEM.] Quid sibi velit mutatio vestis eius.

ET OMNES.] Quid salutatio.

§. 4.

AD PRÆCIPVAM ILLAM DEI.] Cur statim communicent.

§. 5.

AD COMMVNIONEM.] Cur ij, qui ordinantur, statim communicent.

COMMVNIO TRADITVR.] Omnes enim eodem modo post ordinationem diuinis mysteriis reficiuntur, quod cum Deo familiaritatem vnionemque designat.

INITIATIONES, EXPIATIO.] Quid initiationes significent.

ORDO.] Ecce etiam hîc clariùs Pater docuit, qui sint superiores ordines, quorum suprà fecit mentionem.

§. 6.

SED OBIICIES.] Non esse in cælo qui expietur: & de Angelis.

Angelos esse puros & sanctos.

CÆTERVM QVAMPIAM.] Nota, nullam esse labem in cœlestibus Virtutibus, vt Origenes arbitratur cum sectatoribus suis, qui tradunt, quemlibet ex cœlestibus ordinibus, iuxta proportionem præuaricationis suæ, talem vel talem denominationem atque ordinem sortitum, & tenuioribus quibusdam corporibus illigatum esse in castigationem suæ ad malum peruersionis: verùm mentes sunt sanctissimæ & prorsus incorporeæ, quales à principio fuerant creatæ. Porrò cœlestes illas virtutes incorporeas existere, præclarè in præcedentibus intellexisti. Aliter: Verùm nulla mens cœlestis vmquam post lapsum dæmonum peccato capta fuit; hoc enim neque ex diuinâ Scripturâ cognouimus, neque aliquis ex Patribus diuinâ sapientiâ claris id asseruit. Hic autem sanctus hoc ait per concessionem: ac si quis dicat, sanctissimos quidem eos esse & immaculatos, nec expiationis indigere. Verumtamen vt demus, in quopiam eorum labem aliquam extitisse, hoc ipso vtique ad contrarias virtutes prouehebat, ita vt eodem modo reliquis sua salua constaret integritas, & similiter nullius egerent expiationis. Et hoc ita se habere, clarè docuit. Cùm enim obiectioni suam eamque veram sententiam opposuisset, subiunxit illud, *Nam si quæ;* pro, Quòd si quis etiam det aliquam peruersam esse, illa certè ex harum choro decidit, quod ego quidem, inquit, non dico, sed è diuerso, eas sanctissimas semper permanere, alioquin à supposito aberrarem. Ne quis igitur Origenistarum putet hunc sermonem suæ perfidiæ suffragari, dicens, semper lapsum, & reuocationem atque immutationem mentium cœlestium existere, vt Origenes libro 1. de Principiis in hunc modum tradit: Omnis igitur, vt arbitror, ratio docet, omne id quod rationis particeps existit, ab omni eo, quod rationale est, oriri posse. Et post pauca subiungit, dicens: Post finem omnium denuò fluxus & lapsus existit. Euagrius autem secundæ Centuriæ cap 78. ait: Quilibet ordo cœlestium Virtutum, vel totus ex inferioribus, vel totus ex superioribus, vel ex superioribus & inferioribus constat. Capite item 19. quintæ Centuriæ dicit hoc modo: Ex Angelico Archangelicoque ordine animalis ordo existit, ex animali autem dæmoniacus & humanus; ex humano autem rursus Angeli dæmonesque fiunt,

Origenistarum deliramenta refutantur.

INFERIORIBVS.] Quænam sit cœlestium expiatio & & ordinatio. Aliter: Quòd cœlestium virtutum expiatio sit ad perfectiorem cognitionem illustratio. Et nota, quòd proficiant in cognitione, & vt dæmones non dicat expiari, propter eos qui tradunt, ipsos in istâ, quam comminiscuntur, reformatione vnà cum sanctis salutem adeptutos.

SIC ET QVI ILLVSTRANTVR.] Nota, quantum ad Angelos, quomodo illustrentur ac perficiantur.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

I. § 1.

AGgressurus mysterium Monasticæ consecrationis, cùm etiam Monachi vnus ordo sint eorum qui consectantur, tres illos sacros ordines recenset, scilicet Episcoporum, Sacerdotum & Diaconorum, quorum cuilibet virtus conueniens & operatio est attributa, expiandi inquam, illuminandi, & perficiendi; nisi enim virtute præstarent, nil efficerent. Agit etiam de ordinibus qui

conse

consectantur, vt sunt isti qui expiantur, illuminantur, perficiuntur; siquidem sunt etiam Carechumenorum, & obsessorum, & impotentium & pœnitentium turbæ, sic enim eas liceat appellare, respectu numeri innoxiomm, quoniam malum est frequentius, & bonum rarius. Vel potiùs dicendum, quòd cùm ad Deum accedentes, tanquam illi vni coniunctos, etiam vniformes vocet, meritò qui ab vno illo distant turbæ seu multitudines appellentur, quantoque magis distant, tantò magis multiplicentur; licet secundùm numerum non extendantur, sed pauci sint & numeratu faciles. Eorum itaque qui expiantur ordines distinguens, Catechumenos quidem ait foueri à Diaconis, & ad vitalem partum per lauacrum efformari; passionibus verò obnoxios reuocari ait per Oraculorum lectionem; eos verò qui contrariis pauoribus vexantur, confirmari; pœnitentes à malis reduci, & qui non omnino purisunt hoc accipere, ne in deteriora relabantur. Subdistinguendum verò illud ὄπω δὲ, *sed nondum*, & subintelligendum, perfectè expiati; sic enim sensus magis integer erit.

§.2. Locutus verò de ordinibus qui expiantur, quos à Diaconis foueri dixit, & ad luminis susceptionem præparati, modò agit de ordine illorum qui illuminantur, quem & medium appellat scilicet inter expiationem & perfectionem; & speculatiuum vocat, tanquam diuinâ contemplatione & aspectu dignum habitum: intelligit autem eos, qui in sacro populo integri & irreprehensibiles existunt; hi enim expiati accedunt ad ea quæ illuminant. Etenim manifestum est, ordinem illum omni iam maculâ expiatum, & mentis motum ab omni perturbatione cohibentem, ad contemplatiuum habitum adduci, atque ipsismet symbolis cùm contemplando tum participando communicare, & per anagogen ad diuinum eorundem amorem subuolare. Quantum enim symbola explicantur, & quod arcanum est cernitur, tantundem eorundem particeps diuino quodam & arcano amore flagrat. Dixit de ordinibus qui expiantur & qui illuminantur, quando quidem post hos sit ordo eorum qui perficiuntur. Multi autem modi sunt quibus perficiuntur: nam & in Baptismo aliqui perficiuntur, & in sacrorum mysteriorum participatione, & in sacrorum Ordinum susceptione, & in Monastico statu, qui sunt omnes sub ordine illorum qui perficiuntur.

§.3. Cùm autem de aliis anteà egerit, modò tractat de Monasticâ consecratione, quam & sublimiorem vocat, non comparatione illorum Sacramentorum quæ sola consecratione perficiuntur; vbi enim esset virtus Baptismatis, vbi Sacerdotij eminens ille status, quòd hæc sublimior dicatur? Non itaque comparatione illorum qui solâ consecratione perficiuntur sublimior est, sed respectu ritûs illustrationis, hæc est sublimior. Siquidem hæc tanquam medium, scilicet eorum qui illuminantur, ordinem transcendens, tres etiam in se proprietates continet, expiandi, illuminandi, & perficiendi, sicut est superiùs explicatum. Non dico respectu personarum consecratarum: nam qui Baptismate initiati sunt, medij sunt ordinis, & pars sacræ plebis; quibus etiam multa permittuntur, nempe nuptias celebrare, militare, huius vitæ negotia tractare. Qui verò Sacerdotio ornati sunt, nec ipsi quoque ab omnibus abstinere ac cessare debent: nam Sacerdotes alios perficiunt, & hanc ob causam multa agunt. Qui verò Monasticum institutum sectantur, omnino mortui esse debent, crucifigendo carnem cum passionibus & concupiscentiis, & viuendo solùm Deo & sibi ipsis: hæc enim est totalis expiatio & omnimoda puritas actionum propriarum. Hoc vtique non dico, quasi viri sancti scopus eò non spectet; sed cùm aliud sit τελεῖσθ, seu initiari, & aliud τελειοῦσθ, seu perfici ac consecrari (nam initiari est siue per expiationem siue per illuminationem, perfici verò est per solam propriè dictam perfectionem) præfert Monachos illis qui simpliciter initiati sunt, expiatis scilicet & illuminatis; quoniam & ipsi initiati sunt præstantiore quàm Catechumeni expiatione,

Quid proprium sit Monachorum.

atque insuper illuminatorum ordinem præcedunt, quem & medium appellat, videlicet laicorum. Cùm verò nomen initiationis quid vniuersalius sit quàm nomen perfectionis, idcircò non ita rectè possumus cum eo conferre Monachorum consecrationem. Cæterùm quoniam Monachorum ordo, propter omnimodam sanctitatem, & expiationem & illuminationem complectitur, ostenditur habere expiationem, per quam etiam illuminatorum proprietatem obtinet, imò etiam eorum qui in spiritu perficiuntur? illuminatorum quidem, quoniam, quantum fas est, omnis actionis sacræ per spiritalem contemplationem & communionem particeps existit; perfectorum verò, quia virtutes Hierarchicas amplectens, iisdemque exornata, ad scientiæ sacræ perfectionem pro captu adducitur: ita vt iure merito istiusmodi viuendi institutum sublime quid habeat, cùm in se tres initiatorum ordines complectatur. Hinc diuini præceptores nostri diuinis nominibus eos honorarunt, alij quidem cultores, alij verò Monachos appellando. Cultores quidem, vt qui diuinum Numen sincerè colerent; Monachos verò, vt qui ad indiuiduam & singularem vitam aspirarent, quæ nimirum illos vnificet, & vniformem adferat cognitionem, hanc enim monadem vocat (scientia enim vnita est, sicut ignorantia est multitudo rerum in multa diuersaque distractarum) vnificat autem quodammodò, dum scilicet sacris rerum diuisarum collectionibus se perficit. Porrò diuisa hic dicuntur symbola illa, vt sunt, cucullus, scapulare, cilicium, atra vestis, & similia, quorum quodlibet sublimem habet & singularem intelligentiam; atque hoc sibi vult vox illa σύμπηξιν, seu collectio. Alij verò diuisa vocant illa quæ ad hanc vitam spectant, & collectionem, perfectum & omnimodum ab his recessum. Propter istiusmodi perfectionem ordo iste Ecclesiasticâ quoque consecratione dignus est habitus, & precum inuocatione, ita vt non ipsi tantùm se habitu isto induant, sed manibus Sacerdotum, & inuocatione diuinâ istiusmodi consecratio celebretur, non tamen manibus Episcoporum (nam hoc in solis sacris ordinationibus fit) sed manibus Sacerdotum, & secundâ post Ecclesiasticos Ordines consecratione. Itaque, secundùm huius sancti Patris verba, non debet Episcopus dare habitum Monasticum, sed solus Sacerdos.

Quibus nominibus Monachi vocētur.

II. Mysterium.

Sacerdos, non Episcopus, stat ante diuinum altare celebrans orationem; is autem qui consecratur stat post Sacerdotem, nec vtrumque vt Sacerdos, neque alterum, vt Diaconus, genu flectit, neque vt Episcopus diuinum ac sanctum Euangelium supra caput habet, sed tantùm adstat Sacerdoti supra ipsum mysticam inuocationem recitanti. Eâ verò finitâ, Sacerdos ad eum accedens rogat ipsum primùm, an omnibus rebus diuiduis & vitia variis renuntiet, scilicet mercaturis, negotiis, contractibus, & similibus; item omnibus phantasiis seu imaginationibus rerum similium, vt ne de iis quidem cogitare, sed, tanquam mortuus, ab iis omnibus penitus abstinere velit. Deinde docet Monastici instituti accurationem, contestans illum debere mediam viuendi rationem superare. Quæ vbi omnia is qui initiatur continenter professus est, Sacerdos eum, veluti iam à negotiorum multitudine liberum, signo crucis consignans tondet in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti; & detractis vestimentis, nigrâ eum veste induit, & cum aliis viris sanctis adstantibus ipsum salutans, participem facit diuinæ communionis.

Ritus Monachi consecrātur.

III. Contemplatio.

Quandoquidem pedum inclinatio subditam significabat adductionem, siue per vnicam expiationem; siue per duas, eam ipsam & illuminationem; innuebat verò quòd Deo subditi initiantes, ipsimet initiationis Princi-

Nomen Monachi vnde desumptũ, & quid insinuet.

pi Deo initiandum adducerent. Hic autem, cùm à nemine adducatur, sed ipse per se à mediâ viuendi ratione ad sublimiorem ac præstantiorem, & à sacro statu ad sacrum statum transeat, vt hic Pater declarat, is qui initiatur neutrum genu flectit, quoniam in sacro solitarioque ordine consistit. Obserua etiam aliam Monastici ordinis definitionem, & quid sit μοναχικὸν ad μοναδικὸν. Anteà enim dicebamus, quòd qui cùm à diuiduis, scilicet sæcularibus perturbationibus, ad collectionem quandam & deiformem vnitatem redigeretur, per hoc nomen Monachi sortiretur: nunc autem aliam quoque damus rationem, ex eo quòd solus per semetipsum adducatur, & per se Μοναδικῶς seu solitariè consistat post Sacerdotem, tanquam assecla qui ad sacrorum scientiam humiliter adspirat. Vnde τὸ Μοναδικὸν dicitur propriè ordine, Μοναχικὸν verò de statu. Monadicus nimirum seu solitarius status dicitur, quia solus secundùm monadem consistit, Monachicus seu Monasticus ordo, quia simpliciter & vniformiter, & non dupliciter, vel tripliciter, vel multipliciter instituitur ac gubernatur. Hoc etiam illa vestis atra quæ circumponitur significat: siquidem colores alij in alios facilè mutantur, & omnes in nigrum, sed niger color in alium nunquam mutari potest.

§.2.

Quid proprium sit Monachorum.

Diuisarum autem ac sæcularium vitarum atque insuper imaginationum renontiatio perfectissimam declarat Philosophiam: quoniam à diuiduis recedens, vnicis illis Christi Domini mandatis vnificatur. Neque enim est medij ordinis initiatorum, scilicet illuminatorum & sacrorum laicorum: multa enim Monachi facere prohibentur, quorum facultas & potestas laicis est, vt sunt, nuptias, militiam & commercia frequentare, & similia quæ in laico non damnantur. Vbi nota, dictum quoddam vtile contra Lampetianos siue Massalianos, aut Adelphianos, vel, quod idem valet, Marcianistas, qui triennium solum tribuunt competenti sanctificationi, ac posteà permissam existimant esse omnem lasciuiam, cùm sensu spoliati istiusmodi laborent passione. Verùm Monachi præ cæteris debent ad Sacerdotalem viuendi rationem efformari, quippe qui præ cæteris initiatis cum isto ordine maiorem habeant affinitatem, vti suprà diximus, nequaquam factâ comparatione cum initiatis iis qui supremâ consecratione initiati sunt, id est perfectis (perfecti enim sunt qui per Baptismum, qui per Vnctionem, qui per Communionem, qui per Ordinationem sunt consummati) sed cum iis qui initiantur, id est qui expiantur, docentur, illuminantur. Quoniam omnis quidem qui perficitur initiatur, non omnis autem qui initiatur etiam perficitur.

§.3.

Quid cæremonia Monasticæ consecrationis insinuāt.

Signum verò figuræ crucis designat cessationem carnalium desideriorum; tonsura, vitam puram & minimè fucatam, à superuacaneis enim expiatur, ita vt non liceat adscititium comæ ornamentum assumere, sed venustatem maximè deiformem, mentalem scilicet & vnitam.

§.4.

Vestes insinuant viuendi rationes: illa quidem quæ deponitur, priorem illam laicam, illa verò quæ assumitur, perfectiorem hanc & meliorem, sicut etiam in Baptismo vestis illa permutatio designabat eius, qui per institutionem expiatus fuerat, vitam ad contemplandi & illuminandi statum traduci. Omittenda hîc prima illa catechumenorum denudatio, siquidem illa sordium externorum & erroris depositionem exhibet; quocircà fit eminus, & extra sacrum templum. Cæterùm agnosce hîc societatem illam ac diuinam lætitiam per osculum seu amplexum designatam.

§.5.

Sub finem denique communicat is qui recèns initiatus est, quoniam medium illum ordinem, sacri scilicet populi) quem à diuinis mysteriis aspiciendis contuentem seu contemplantem vocat) excedit; nam & sacræ cognitionis particeps existit, &, quantum fas est, ad Sacerdotalem scientiam accedit. Quapropter videmus etiam in sacris Ordinibus, sub finem eorundem sanctissimæ consecrationis Communionem quoque tradi, non idcircò solùm, quòd diuinorum perceptio mysteriorum sit summa quædam cuiuslibet Hierarchicæ participationis, verùm etiam vt sacri Ordines ipsius quod communicatur diuinissimi muneris pro captu suo participes existant, ad sui ad supera traductionem. In hoc autem differt à priori, quòd idcircò dicat eos sacris his mysteriis communicare, eò quòd hæc summa sint vniuersæ ipsorum sacræ functionis, ita vt sine sacrâ istâ Communione illorum functio nequeat consummari; hîc autem ait, Communionem frequentari per modum muneris, videlicet sacri laboris eorum ac diuinæ seruitutis. Secundùm hæc itaque Monachus qui consecratus est, diuinis illis mysteriis communicat, vel vt sacram Communionem habeat per modum summarij omnium ad se spectantium, vel per modum diuini doni percipiat, eò quòd istiusmodi viuendi rationem sit amplexus. Concludit itaque, quomodo sacræ cærimoniæ sint expiatio, & illuminatio, & perfectio, & ordines; ac Diaconorum quidem ordo sit expiatorius, Sacerdorum verò illuminatorius, Episcoporum autem perfectiuus, & τελούμενοι sint illi qui expiantur, præter quos etiam diuini aspectûs & communionis exortes sunt Catechumeni; qui verò sacrorum aspectu fruuntur, sunt populus, perfecti, sunt Monachi: sic enim Hierarchia nostra, secundùm istiusmodi terniones, cœlesti conformis est, quantum in hominibus fieri potest deiformes quasdam notas conseruans.

§.6.

Quomodo cælestes Spiritus expientur, cùm omnino puri sint.

Sed obiicies, quòd cùm hæc nostra ad Hierarchiam istam componatur debere etiam ibi esse ordines expiantes, qui vtique non sunt: neque enim fas sit dicere, cœlestem Hierarchiam esse sceleri obnoxiam. Ego quidem istiusmodi sermonibus assentior, quoniam omnino puri sunt & intemerati; & si qui, nimirum satanas & socij eius, prauitate capti sunt, illi ab ordine Angelico exciderunt, & in tetro lapsu permanserunt. Alij autem tempora præteriti plusquamperfecti verbi *exciderat*, & imperfecti, *ferebatur*, in propriâ significatione accipientes, atque illud ἐξωθεῖν expendentes, sic interpretantur dicti huius ignorantiam, & adhæc deinde propriam suam inferunt explicationem. Si quis enim, inquiunt, prauitate captus exciderat, & ad obscuram ruinam ferebatur! ac si, inquiunt, dicat, Si quis vitio captus sit, non admittet expiationem, sed ad ruinam adducetur, sicut in satanâ contigit; quasi verò talis aliquis iam dari possit. Hoc itaque sensu id accipientes interpretantur, dicentes: Verùm nullus eorum, post dæmonum lapsum, vitio captus est vnquam; hoc enim neque ex diuinâ Scripturâ cognouimus, neque quisquam è Patribus diuinâ sapientiâ conspicuis id dixit. Sic autem Sanctus per concessionem hoc ait; ac si aliquis dicat, sanctissimos quidem eos esse & immaculatos, nec expiationis indigere: sed si demus in aliquo eorum labem fuisse, planè ad contrarias virtutes se conferebat, ita vt reliquæ sine labe eodem modo se habeant, & similiter non opus habeant expiatione. Et se hoc dicere, manifestè declarauit: ad obiectionem enim suam dicens sententiam, & veram pronuntians, quòd nimirum omnino sancti & immaculati existerent, subiunxit illud, Si enim quis, pro, Quòd si quis etiam det aliquem peruersum fuisse, confestim ex hoc choro decidit; quod ita non est, sed contrarium, quoniam omnino sancti semper permanserunt; nam à supposito aberrarem si hoc dicerem. Ne quis igitur Origenistarum putet, hunc sermonem suæ peruersæ fidei sententiam defendere, secundùm Origenem dicens, semper lapsum, & reuocationem atque immutationem mentium cœlestium existere; quoniam dicimus in cœlestibus virtutibus esse expiationem, quando ab iis quæ ignorabant ad diuiniorem scientiam euehuntur atque illustrantur: nam ab ignorantiâ quodammodò expiantur, dum à superioribus illis diuinis essentiis ad clarissimas istas coruscationes adducuntur, Hæc ratione ibi ordines sunt qui expiantur, & illustrantur, & perficiuntur, qui videlicet inferiores sunt: & rursum, qui expiant, & illuminant, & perficiunt, scilicet superiores. Etenim iam & à nobis traditum in libro de Cœlesti Hierarchiâ, & in diuinâ Scripturâ pronuntiatum est, non easdem, quoad illuminationes

esse

esse omnes cœlestes dispositiones; sed primæ quidem immediatè à Deo illuminantur, secundæ verò mediantibus illis, & posteriores per præcedentes; & sic etiam ibi ordo manet inconfusus.

CAPVT VII.

I. *De iis quæ fiunt circa defunctos.*

SYNOPSIS CAPITIS.

Primâ parte huius capitis tradit.

1. *Sanctos ex hac vitâ lætos decedere futuræ beatitudinis spe plenos; & eorum corpora in resurrectione futura gloriosa.*

2. *Recenset diuersorum errores circa mortuos, & assignat rationem, cur tristes moriantur ij qui malè vixerunt.*

3. *In morte sanctorum fideles etiam lætari.*

Secundâ parte describit ritum sepeliendi mortuos, siue Ecclesiasticos, siue sæculares fideles.

Tertiâ parte subiungit contemplationem, in quâ exponit.

1. *Quid sibi velit fidelium sepultura.*
2. *Quid Cantica & Lectiones.*
3. *Cur ad sepulturam admittantur ordines qui vacant expiationi, exclusis solis Catechumenis.*
4. *Quid sibi velint preces Antistitis super defuncto, & cur illum salutet.*
5. *Quales promissiones factæ sint defunctis piis; & quid sinus Abrahæ significet.*
6. *Cur pro defunctis oretur; & quibus defunctis preces prosint.*
7. *Ait Antistitem, tanquam Dei interpretem, defuncto promissa à Deo præmia addicere: & ibidem explicat, quam habeat potestatem ligandi & soluendi.*
8. *Cur defunctus inungatur.*
9. *Agit de loco sepulturæ; & exponit quid sibi velit illa finalis affusio Vnguenti.*
10. *Ait inuocationes consecrationis non esse propalandas.*
11. *Disputat, cur infantes adhuc rationis incapaces baptizentur.*

§. 1. Sanctos ob futuræ beatitudinis spem lætos decedere.

His ita constitutis, necessariò etiam dicendum arbitror de his quæ circa defunctos à nobis sanctè fiunt. Neque enim hoc sacris profanisque commune est, sed sicut diuersa est vtrorumque vitæ forma, sic dum ad mortem pergunt hi quidem qui sanctam vitam traduxerunt, ad veras Dei promissiones intuentes, quarum veritatem quodammodò in resurrectione iam conspexerunt, cum firmâ & verâ spe, gaudioque diuino ad mortis terminum, tanquam ad finem certaminum, perficiuntur; quod certò sciant, sua omnia, propter futuram suam resurrectionem, in tuto fore in illâ perfectâ æternáque vitâ & beatitudine. Nam sanctæ quidem animæ cùm in hac vitâ degentes adhuc peruerti possint, in regeneratione illâ ad statum immutabilem Deoque maximè conformem transferentur. Puta verò illa corpora, quæ sanctis animabus copulata cum iisdem simul & ambularunt, & descripta sunt, atque vnà certarunt, pro diuinis sudoribus, in animarum secundùm diuinam vitam firmitate, sibi quoque propriam resurrectionem sortientur: sanctis enim animabus copulata, quibus in hac vitâ coniuncta fuerant, vt quæ iam Christi membra facta sint, deiformem & incorruptam, atque immortalem beatámque requiem consequentur. Hinc fit, vt sanctorum obdormitio sit in lætitiâ certisque spebus, dum ad certaminum diuinorum finem venit.

Corpora sanctorũ gloriosa resurrectura.

§. 2. Diuersorũ errores circa mortuos.

Profanorum autem alij quidem sine ratione putant, corpora nostra penitus aboleri; alij verò censent, corporeum hoc cum propriis suis animabus coniugium repudio semel dirimendum, tanquam illis in deiformi vitâ beatáque requie parum consentaneum, nequaquam intelligentes, neque scientiâ diuinâ eruditi, nos iam deiformem in Christo vitam inchoasse. Alij autem animabus aliorum corporum coniugia attribuunt, in quo, meâ quidem sententiâ, quantum in ipsis est, iniuriam irrogant corporibus quæ cum diuinis animabus collaborarunt, eadémque sacris suis præmiis defraudant, cùm diuinum cursum consummarint. Alij porrò, nescio quo pacto ad terrenas cogitationes dilapsi, dixerunt, præsenti vitæ similem beatis promissam esse sanctissimam beatissimamque sortem, cibósque vitæ variabili proprios iis qui Angelis æquales sunt, nefariè applicuerunt. Sed absit, vt vnquam sanctus vir quispiam in istiusmodi errores incidat: verùm illi sancti, qui se totos Christiformem sortem percepturos cognouerunt, vbi ad huius vitæ finem accesserint, viam suam ad incorruptionem, quasi iam propinquiorem factam, intuentes, summi Dei munera collaudant, diuinâque voluptate adimplentur, non iam ampliùs peruerti metuentes, sed probe cognoscentes, se bona parta firmiter perpetuóque possessuros. Verùm qui iniquitatibus nefariisque sceleribus sunt cooperti, siquidem aliquam sacram hauserint instructionem, eáque ex animo perniciosè abiectâ ad corruptrices voluptates sponte suâ deuoluti fuerint, cùm iam ad vitæ finem peruenerint, non iam eis Lex diuina æquè despicabilis apparebit, sed perniciosas passionum suarum voluptates aliis longè oculis aspicientes, sanctámque vitam, quam imprudenter neglexerunt, beatam prædicantes, miseri & inuiti ex hac vitâ decedunt, propter vitam suam pessimam nullâ sanctâ spe fulti.

Fideles qui malè vixerunt cur tristes moriantur.

§. 3. In morte sanctorũ lætantur etiam fideles.

Quoniam autem in sanctorum obdormitionibus nihil horum accidit, is qui properat ad finem certaminum suorum sanctâ quadam lætitiâ completur, magnáque cum iucunditate sacræ regenerationis iter ingreditur. Propinqui autem eius qui defunctus est, pro iure diuinæ propinquitatis ac morum similitudine, beatũ ipsum, vti verè est, prædicant, quòd ad optatum victoriæ brauiũ peruenerit, auctoríque victoriæ cantica gratiarum soluunt, atque sibi similem sortem optant: denique, assumentes ipsum, ad Antistitem portant quasi sacris coronis munerandum, qui libenter eum suscipit, eáque iusta peragit, quæ diuino instituto exhibentur iis qui sanctè obdormierunt.

II. *Mysterium Super his qui sanctè obdormierunt.*

Ritus sepeliendi mortuos tam Ecclesiasticos quam laicos.

Coacto cœtu sacro, diuinus Antistes, si quidem in sacris fuerat qui obdormiuit, ante diuinum altare illum inclinans, insit orationem ad Deum & gratiarum actionem; sin autem sanctis Monachis sanctóve populo annumeratus fuerat, ad venerandum sacrarium ante Sacerdotum introitum collocat. Præsul deinde peragit ad Deum precem & gratiarum actionem; deinceps verò Diaconi, verissimis de resurrectione promissis, quæ diuinis Scripturis inserta sunt, recitatis, iisdem consona atque æquiualentia Psalmorum cantica concinunt: tum Archidiaconus Catechumenos dimittit, sanctósque iam defunctos commemorat, quibus recèns vitâ functum consimili commemoratione censet aggregandum, hortatúrque omnes, illi vt beatum in Christo finem petant: tum accedens diuinus Antistes precem super eo sacratissimam peragit, quâ finitâ, ipsemet Antistes defunctum salutat, & cum illo præsentes omnes. Quo peracto, Antistes defunctum oleo perfundit, & pro omnibus prece factâ, honorato loco corpus collocat vnà cum æqualibus aliis corporibus sanctis.

III. *Contemplatio.*

Quid innuet sepultura.

Hæc quidem si aspexerint profani, vel à nobis fieri inaudiuerint, profusè, vt existimo, ridebunt, & erroris nostri ipsos miserebit. Verùm non est quòd hoc miremur: nisi enim crediderint, iuxta Scripturam, non intelligent. Nos interim, intelligentiis eorum quæ geruntur perceptis,

A

præirio duce Iesu dicamus, non abs te Præsulem, eum qui defunctus est in chorum ordinis sui introducere ac recondere; nam sanctè declarat, omnes in regeneratione sortes istas obtenturos, ad quas hîc vitam propriam direxerint. Vt puta, si quis hic vitam sortitus sit sanctissimam, eámque duxerit deiformem, in quantum nempe Deum imitari quis potest, in futuro sæculo diuino beatóque otio fruetur; sin remissiorem quidem illâ deiformi, simul tamen sanctam vitam quis egerit, paria & ipse meritis suis præmia referet. Diuinus itaque Antistes pro diuinâ hac iustitiâ gratias agens rem sacram peragit, atque venerandum laudat Dei principatum, quòd iniquum tyrannicúmque imperium, quo omnes premebamur, exterminarit, & nos ad iustissima sua iudicia transtulerit.

§ 2. *Quid cantica & lectiones.*

Cantica porrò diuinarum promissionum ac lectiones explicant nobis sedes illas beatissimas, ad quas ij, qui diuinâ perfectione præditi sunt, promouebuntur; & quæ eum, qui sanctè vitâ functus est, excipiunt, viuentes autem ad similem vitæ finem adhortantur.

B

§ 3. *In sepulturis cur non dimittantur nisi Catechumeni.*

Cæterùm obserua, quomodo non omnes qui expiationi vacant ordines pro more iam dimittantur, sed soli Catechumeni à sacro choro arceantur, quòd nimirum hic ordo sacri omnis mysterij sit expers, neque fas sit illi quidquam, siue paruum siue magnum, eorum quæ sanctè peraguntur aspicere; quippe qui necdum eius virtutis particeps existat, quæ assurgit ad diuina contuenda, quam solummodò indulget sacra illa regeneratio, quæ primam lucem confert. Cæteri autem ordines qui expiantur, iam pridem quidem sacris sunt instituti, sed quòd stultè in deteriora relapsi sint, cùm ad anteriora vitæ suæ rationes extendere debuissent, præcipuis quidem sacris illis diuinis, quæ sub sacrosanctis signis latitant, interdicuntur, & ab eorundem aspectu ac communione meritò arcentur: siquidem damnum referrent, si iisdem indignè communicarent, & ad maiorem rerum diuinarum suique contemptum deuenirent. Non incongruè autem admittuntur ad ea quæ hic geruntur, vt perspicuè discant & aduertant mortis incertitudinem & sanctorum præmia quæ in Scripturis veris celebrantur, quæque illis eorúmque similibus impuris hominibus supplicia infinita intententur: è quibus vtique spectaculis fortè fructum capient, dum cernent, eum qui sanctè obiit ministrorum prædicatione celebrari, vt verè consortem sanctorum qui à sæculo sunt, ipsique fortassis consimili desiderio flagrabunt, & ministrorum disciplinâ docebuntur, quam verè beata sit in Christo consummatio.

C

§ 4. *Quid sibi velint preces Antistitis super defuncto. Quid salutatio.*

Deinde accedens Antistes precem sacram super defuncto peragit: quâ finitâ, ipsemet Antistes eum salutat, ordinéque deinceps suo omnes qui adsunt. Rogat itaque precatione illâ diuinam bonitatem, vt defuncto peccata omnia dimittat, quæ per humanam infirmitatem contracta sunt, eumque in lucem sanctam ac viuorum regionem transferat, & collocet in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob, in loco à quo dolor & tristitia gemitúsque aufugiunt.

D

§ 5. *Quanta sint promissa sanctis defunctis.*

Hæc vtique perspicua, vt arbitror, beatissima sanctorum præmia sunt. Ecquid enim perfectæ immortalitati omni tristitiâ carenti, lucéque plenissimæ conferri valeat? præterquam quòd promissiones istæ mente qualibet sublimiores, vel maximè ad captum nostrum accommodatis rationibus expressæ, earundem tamen appellationes à reali ipsarum veritate plurimùm deficiant. Siquidem Scriptura hæc omnino vera est, *Quoniam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis adscendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Sinus autem, meâ quidem sententiâ, sunt beatorum Patriarcharum cæterorúmque Sanctorum diuinissimæ beatissimæque quietis sedes, quæ viros omnes deiformes excipiunt in suâ insenescibili beatissimáque consummatione.

1. Cor. 2. 9.

Quid sinus Abrahæ.

§ 6. *Cur pro defunctis preces fiant.*

Fortassis autem ita quidem inquies rectè à nobis dici, dubitare tamen te, cuius rei gratiâ diuinam clementiam Antistes deprecetur, poscens defuncto dari veniam peccatorum, & æqualem deiformibus viris lucidissimam sortem. Nam si quilibet à diuinâ Iustitiâ recipiat retributionem eorum quæ in vitâ præsenti siue benè siue malè gessit, defunctus autem in hac vitâ suas compleuit actiones, quænam Antistitis deprecatio ipsum ad aliam, quàm in hac vitâ meritus est, quietis retributionem transferre possit? Equidem probè scio, Scripturis consentiens, cuilibet pro meritis sortem reddendam esse. Conclusit enim, inquit, Dominus apud se, & referet vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Iustorum autem preces etiam in hac vitâ, nedum post mortem, iis solis prodesse qui sanctis precibus digni sunt, veræ nos Eloquiorum traditiones docent. Nunquid Saul à Samuele adiutus fuit? aut Hebræorum populo prophetica precatio quidem profuit? Etenim ac si quis, Sole sanis oculis lucem suam largiente, solaris lucis particeps fieri petat, erutis sibi oculis; sic ex impossibili & inani spe pendet, quisquis Sanctorum preces flagitat, dum ipsis connaturales exterminat actiones, diuina munera negligens, & à clarissimis beneficiísque Dei mandatis recedens. Hoc autem Scripturis consonè affirmo, perutiles esse in hac vitâ Sanctorum preces, modò quis sacrorum munerum desiderio incensus, & ad ea suscipienda piè affectus, tenuitatis suæ conscius, virum aliquem sanctum adeat, ac petat vt se adiuuet, ac Deum pro se roget, quâ ratione sanè maximum ex eo referet emolumentum: potietur enim petitis donis diuinissimis, religiosâ suâ conscientiâ, sanctorum reuerentiâ, & laudabili eorum quæ petit desiderio, & consentaneâ ac deiformi affectione ipsi suffragantibus. Etenim diuinis id decretis stabilitum est, vt diuina munera iis, qui eorundem participatione digni sunt, eo quo Deum decet ordine distribuantur ab illis qui iisdem distribuendis sunt præfecti. Hunc itaque sacrum ordinem si quis violauerit, & infelici elatione seductus, dignum se putauerit diuinâ familiaritate, Sanctósque despexerit, is certè, siquidem indignas Deo ac profanas res postulauerit, intentóque caruerit rerum diuinarum desiderio ipsi consentaneo, propter imperitam suam petitionem, per se nihil eorum quæ petit impetrabit. De dictâ porrò precatione, quam Antistes super defuncto facit, diuinorum nostrorum præceptorum traductam ad nos traditionem exponere necesse est.

E

2. Cor. 5. 10.

F

Quibus preces prosint.

G

§ 7. *Antistes vt interpres Dei promissa præmia defunctis postulat.*

Diuinus itaque Antistes, vt Eloquia testantur, interpres est diuinorum iudiciorum; angelus enim Domini omnipotentis est Dei: quapropter ex Scripturis diuinitùs traditis accepit, quomodo iis, qui sanctè viuunt, pro cuiusque meritis diuina clarissimáque vita ab æquissimis istis lancibus retribuatur, diuinâ nimirum clementiâ, pro bonitate suâ, maculas ex humanâ fragilitate contractas dissimulante, quòd nemo, vt Eloquia tradunt, mundus sit à sorde. Hæc itaque promissa nouit Antistes ex verissimis Scripturis; quare petit illa compleri, indulgerique iis qui piè vixerint sacra præmia, simulque semetipse benignè conformans ad imitationem Dei, non secùs aliis quàm sibi ipsi dona poscens ac gratias: sciens item promissiones Dei esse infallibiles, præsentibus etiam apertè declarat, illa quæ ab eo iure sacto postulantur, prorsus euentura illis, qui secundùm Deum vitam consummarint. Etenim Antistes, cùm sit præcipuus diuinæ iustitiæ præco, nunquam postularet ea quæ non essent Deo quàm gratissima, & iuxta promissiones eius deiformiter concedenda. Quamobrem defunctis improbis nequaquam istiusmodi precatur, non solùm quòd interpretis officium in hoc violaret, atque præsumptuosè sibi quidquam munerum pontificalium arrogaret, ab auctore mysteriorum minimè motus; verùm etiam quòd impiâ petitione frustraretur, & à iusto prorsus Eloquio, etiam ipse meritò audiens, *Petitis, & non accipitis, quia malè petitis.* Postulat itaque sanctus Antistes ea quæ sunt diuinitùs promissa, & accepta sunt Deo, omninóque largienda: & affectum benignitatis suæ clementissimo Deo ac præsentibus omnibus apertè declarans, quænam bona sancti adepturi sint insinuat. Eodem modo Antistites habent potestatem segregandi, tanquam interpretes diuinarum iustificationum; non quòd

H

Iac. 4. 3.

Quæ sit potestas data Sacerdotibus ligandi & soluendi.

irrationa

irrationabilibus moribus sapientissima diuinitas seruiliter (vt honestè dixerim) obsequatur, sed quòd ipsimet spiritu mysteriorum principali, à quo ad interpretandum mouentur à Deo, pro meritis iudicatos fecerint. *Accipite* enim, inquit, *Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quin & ei, qui diuinas reuelationes à supremo Patre didicerat, dicitur, *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Ita vt ille, omnisque Pontifex illi similis, iuxta reuelationes paternarum iustificationum sibi indultas, quasi interpres ac portitor Deo charos admittat, & impios excludat. Neque enim sanctam illam Dei professionem, vt Eloquia testantur, motu proprio, carnéve aut sanguine reuelantibus, sed à Deo spiritaliter illum imbuente perdoctus, pronuntiauit. Quare sanctis Antistitibus tam segregandi quàm aliis sacris facultatibus vtendum, prout ipsis diuinorum auctor mysteriorum diuinitùs inspirarit. Pontifices autem ita cæteris sunt obseruandi in iis quæ vt Pontifices gerunt, tanquam ipsi à Deo moneantur. *Qui* enim, inquit, *vos spernit, me spernit.*

Joan. 20. 22. — Matt. 16. 19. — Luc. 10. 16.

§. 8. Sed iam ad ea, quæ dictam precationem subsequuntur, veniamus. Vbi Pontifex eam finiuit, ipsemet defunctum salutat, ac deinde omnes qui adsunt: omnibus enim viris deiformibus admodum gratus est, & honore dignus, quisquis diuinam vitam transegit. Post salutationem verò Pontifex defuncto oleum affundit. Memineris hic, vt in primâ illâ regeneratione sacrâ ante sanctum Baptismum, post antiquarum vestium depositionem, ille qui initiatur, in primâ sancti symboli participatione, sacti Chrismatis oleo inungatur; & hîc demum in fine omnium defuncto itidem oleum affunditur. Et tunc quidem olei inunctio baptizandum ad sacra certamina euocabat; nunc autem affusum oleum declarat, eum qui defunctus est iisdem sacris certaminibus exactis functum esse.

Cur defunctus inungatur.

§. 9. *De loco sepulturæ.* His peractis, Pontifex defuncti corpus honesto loco recondit vnà cum cæteris eiusdem ordinis corporibus sacris. Si enim is qui defunctus animâ simul & corpore sanctam vitam egit, corpus etiam vnà cum animâ sanctâ simul in honore erit ac pretio, quòd sacris sudoribus vnà concertauerit. Diuina itaque institia animæ & corpori condigna præmia largitur, tanquam comiti & consorti siue diuinæ siue contrariæ vitæ. Idcircò etiam sanctorum sacra functio diuinas vtrique participationes elargitur; animæ quidem, in purissimâ contemplatione & rerum perfectarum scientia; corpori verò sacratissimum Vnguentum quasi in imagine per sacratissima diuinæ communicationis symbola totum hominem sanctificans, & integram salutem eius operans, nec non denuntians per vniuersales lustrationes perfectissimam ei fore resurrectionem.

Quid affusio Vnguenti designet.

§. 10. *Inuocationes consecratoriæ non esse propalandas.* Inuocationes porrò consecratorias nefas est scripto interpre[illegible]ri, & arcanum earum sensum, virtutésque quas in iis Deus operatur, è secreto in publicum efferre: sed, vt nost[illegible] sacrosancta traditio docet, vbi eas secretioribus instructionibus hauseris, atque ad habitum sacratiorem atque capaciorem intelligentiam, diuino amore sacrisque actionibus consummatus, euaseris, diuinâ luce collustratus ad supremam earum scientiam subuehêris.

§. 11. *Quòd infantes rationis adhuc impotes baptizentur.* Quòd autem infantes quoque, qui per ætatem nequeunt intelligere, diuinæ regenerationis sanctissimorúmque diuinæ communionis mysteriorum participes fiant, videtur, vt inquis, hominibus profanis non immeritò risu dignum, quòd Pontifices eos erudiant qui nequeunt audire, sanctásque traditiones non intelligentibus frustrà tradant; neque minùs ridiculum est, quòd alij pro iis abrenuntiationes sacrásque professiones pronuntient. Verùm non oportet tam sanctam prudentiam errantibus indignari, sed religiosè ad eorum institutionem cum charitate rationem reddere, & obiectiones eorum soluere; atque illud insuper secundùm sacram sanctionem addere, quomodo diuina omnia nequaquam nostrâ intelligentiâ commensuranda sint, sed plurima quæ nos latent causas habere Deo dignas, quas nos quidem ignoremus, verùm ab ordinibus nobis præstantioribus perspicuè cognoscantur. Plurima item latent supremas illas sublimissimásque substantias, quæ soli sapientissimæ sapientificæque diuinitati nota sunt. Verumtamen hac de re id quoque dicimus, quòd deiformes præceptores nostri ab antiquâ traditione acceptum nobis transcripserunt. Aiunt enim, quod & verum est, Infantes, si in lege sacrâ instituantur, ad sanctum animi statum peruenturos esse omni errore liberos, & sine vllo impuræ vitæ periculo. Hoc enim cùm in mentem venisset diuinis nostris institutoribus, placuit admitti pueros hoc sancto modo, vt oblati paruuli parentes naturales filium vni ex fidelibus tradant, qui præclarè in diuinis rebus puerum erudiat, sub cuius deinceps curâ sit, tanquam sub Patre diuino, sanctæque salutis susceptore. Hunc itaque Antistes, sanctè promittentem se puerum ad sanctam vitam informaturum, iubet profiteri abrenuntiationes sacrásque professiones; non enim, vt illi subsannatores aiunt, alium pro alio rebus diuinis imbuit: neque enim sponsor dicit, Ego pro puero abrenuntiationes facio, sacrásve professiones, sed hoc modo puerum asserit renuntiare ac profiteri; ac si dicat: Profiteor me huic puero, cùm per ætatem intelligere sacra poterit, diuinis meis institutionibus persuasurum, vt aduersariis nuntium omnino remittat, & diuina promissa profiteatur, & exoluat. Nihil ergo, vt opinor, absurdum est, si ad diuinum institutum puer adducitor, cùm ducem ac sponsorem habeat qui eum & diuinarum rerum scientiâ imbuat, & ab aduersariis tutum custodiat. Porrò Pontifex puerum consortem facit sacrorum mysteriorum, vt in eis educetur, neque agat vitam aliam, quàm eam quæ diuina semper spectet, & huiusmodi sanctâ communione proficiat, atque in his sacrum habitum possideat, & à susceptore deiformi studiosè promoueatur.

Ista, mi fili, tanta tamque præclara Hierarchiæ nostræ spectacula mihi manifestata, sed aliis fortasse mentibus perspicacioribus, non solùm hæc, verùm etiam alia multò illustriora atque deiformiora perspecta sunt. Quin & tibi quoque, vt opinor, clariores diuinioresque pulchritudines collucebunt, si iis gradibus, quos dixi, ad sublimiorem radium conscendas. Communica igitur & tu mihi perfectiorem illustrationem, meísque oculis exhibe præstantiores formas, quæ vnius speciem magis exprimant: confido enim, me iis, quæ commemorata sunt, insitas tibi diuini ignis scintillas excitaturum.

SCHOLIA S. MAXIMI.

I. §. 1. SIC DVM AD.] Quoniam non ad eadem loca referuntur omnes qui moriuntur, & de resurrectione.

IN VNIVERSALI RESVRRECTIONE.] Scilicet cum corpore.

NAM HÆ QVIDEM.] De iustis agit.

PVRA VERO ILLA.] Agit de corporum resurrectione.

Eorum qui sentiunt quidem esse resurrectionem & iudicium.

alij quidem dicunt, animam cum iisdem corporibus resurgere, vt Christiani,	alij autem sine corpore,	alij verò cum aliis corporibus nouis, & vitam habere qualem nunc.

Defunctorum.

alij quidem sancti,	alij verò profani.

VNITA ENIM.] Animas cum corporibus vniri.

§. 2. *Gentilium deliramenta circa defunctos.* PROFANORVM AVTEM.] De morte peccatorum, & quid Gentiles existiment fieri post mortem, quorum opiniones exponit. Horum quidem aliqui magis à ratione remoti, ne quidem animam fatentur esse immortalem (inter quos etiam est Bias non ille Prieneus,

ſed quidam alius) ſed cenſent eam mortalem eſſe, & reſolui non ſecùs atque corpus, & in nihilum redigi. Alij verò his vtique prudentiores, qui etiam de immortalitate animæ philoſophantur, vt Plato ac ſimiles, aiunt quidem, corpus poſt mortem nequaquam ſobſtiturum, ſed nec in æternum ad ſubſiſtentiam ſuam reuerſurum. Hoc enim eſt quod dicit ἀνέπαξ, id eſt, non amplius extiturum; quandoquidem indignum eſſe aiunt, vt materiale corpus animæ immateriali ſit coæuum, animam verò ſolam eſſe immortalem. Hæc etiam hæretici diuerſimodè tradunt, vt Simonis Magi, & Menandri, & Valentini, & Marcionis, & Manetis diſcipuli, quique etiamnum Origenis fabellas (neque enim doctrinæ ſunt) conſectantur. Vide autem quibus velint annumerari, & quàm abſonas opiniones irreprehenſibili Chriſtianorum Fidei affingant iſti Deo hominibuſque prudentibus inuiſi.

Alii vero corporeum.] Hoc eſt animarum tantùm fieri reſurrectionem abſque corporibus.

Quod iam coeptum est.] Quod Apoſtolus ait, pignus & probationem vniuerſalis in corpore futuræ reſurrectionis Dominum noſtrum Ieſum extitiſſe, & quòd in ipſo modò abſcondita ſit vita noſtra in Deo appaitura in regeneratione.

Quid hæretici circa defunctos.

Animabus coniugia.] Hæretici aliqui tum fuerunt, vt Simon Magus eiuſque ſectatores, qui dicebant, corpus tunc æthereum animis futurum. Cæterùm ſciendum eſt, Origenem quoque idem in quodam libro ſuo dicere, quod tamen alibi prorſus negat, docens, omnem corpoream naturam in nihilum abire. Lege S. Methodij martyris, & Olimpij Adrianopolitani Epiſcopi Liciæ, nec non Antipatri Boſtiorum Epiſcopi libros, quos in eum de reſurrectione conſcripſerunt; & diſces fabuloſum eius ac monſtroſum deliramentum.

Beatissimamque.] Hæc ait inſinuans, vt opinor, Papiam Hierapolis Aſiæ Epiſcopum, qui D. Ioannis Euangeliſtæ temporibus floruit. Hic enim Papias lib. 4. Dominicarum ſuarum explanationum ſcripſit, fore in reſurrectione voluptates quæ percipiuntur ex cibis: in quod quidem dogma poſtmodum Apollinarius credidit, quod aliqui vocant annum millenarium. Quomodo igitur ſcripta S. Dionyſij poſſint eſſe Apollinarij, vti Aliqui delirant, cùm hæc Apollinarium refutent? Quin & Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus libro 5. aduerſus Hæreſes idem tradit, vbi prædictum Papiam dictis ſuis teſtem adhibet.

Vel ad finem.] Horribilia valdéque metuenda ſunt nouiſſima peccatorum.

Aliis oculis.] Alios oculos vocat mentis quæ deinceps purior exiſtit, & inferos contemplatur, & conuertitur ad gehennæ expectationem, quam priùs non crediderat; & idcircò ægrè ſuſtinet ac dolet mortem, cogitans ne aliquando vera ſint inferorum ſupplicia; atque adcò etiam peccatores in corpore ſuſcitandos eſſe.

II. Coacto.] De iis qui in Eccleſiaſtico ordine moriuntur.

Siquidem in sacris.] De Monachis iuſtis & laicis.

In divinis.] Nota, quid legatur & quid canatur pro Monachis & laicis defunctis. Ait quidem, Diaconos ſeu Miniſtros de reſurrectionis promiſſionibus minimè fallacibus cantiones quaſdam canere, quæ prædictis lectionibus conſentiunt & æquiualent.

III. §. 1. Iesu illustrante.] Loca defunctorum eſſe ſecundùm vitam eorum.

Pro divina hac.] Quoniam iuſtitiæ eſt, dare locum vitæ reſpondentem.

Precem sacram.] Ad quid precatio.

§. 2. Porro divinarum.] Ad quid cantus & lectiones. Nota autem, qualis fuerit olim ſeries & ordo in mortuis.

§. 3. Cæterum observa ut nunc.] A ſepulturâ defunctorum neque Energumenos neque pœnitentes excludi, ſed ſolùm Catechumenos, & quare.

Catechumeni.] Nullum quidem è myſteriis noſtris paruum eſt, ſed magna ſunt omnia, licet ad inuicem collata, magnitudine diuerſa ſint: nam reſpectu eorum quæ ſuprà defunctis fiunt, maxima & incomparabilia cenſenda ſunt diuinorum lauacrorum, & illuſtrationum, communionúmque myſteriis, ideò parua dixit ea quæ ſuprà defunctis fiunt, verumtamen neque his adhuc digni ſunt Catechumeni.

Læduntur enim.] Hæc conſonant iis quæ ab Apoſtulo in Epiſtolâ primâ ad Corinthios de indignè communicantibus ſcripta ſunt: hîc autem etiam ait illos diuina myſteria contemptui habere.

§. 4. Precatio quidem.] Nota quid precetur.

Humanam infirmitatem.] Hoc eſt parua peccata.

§. 5. Ad captum nostrum accommodatis rationibus.] Dixit proportionatis ſignificationibus, id eſt, quæ dictionibus & nominibus nobis notis & aſſuetis, & intelligentiam noſtram non excedentibus ſignificantur.

§. 6. *Scripturam loqui ad captum nostrum.*

Actiones suas.] Id eſt, quatenus intelligere valemus etiam ex nobis notis dictionibus & nominibus illas, quæ ibi ſunt, delicias Deus nominauit, cùm dixit, non eſſe illic dolorem aut morbum, aut laborem aut gemitum, ſed lumen: ſed bona quæ ibi ſunt, non ſunt eiuſmodi, ſed nobis adhuc omnino ignota & incomprehenſibilia: vtpote quæ oculus non vidit, &c. ex iis verò quæ nouimus, dat exempla beatitatis. Nota autem, quomodo accipiat illud, In ſinu Abrahæ, Iſaac, & Iacob.

Cuius rei gratia.] Quærit de prece iſtâ quæ fit ab Epiſcopo pro iis qui defuncti ſunt in peccatis.

Iustorum preces.] Nota, ſolis Dei miſericordiâ dignis prodeſſe preces iuſtorum, ſiue viuant ſiue mortui ſint, non tamen peccatoribus & iuſtè condemnatis, tam hîc quàm poſt mortem.

Nunquid a Samuele.] Neque enim Saüli peſſimo exiſtenti profuit Samuel cùm orauit, neque Hebræis peccantibus Moyſes. Dixit enim Dominus illi, *Noli orare pro populo iſto.*

Cur precatio non proſit peccanti.

Sole lucem suam.] Vide ne fortè eum dicere putes, ſolem donare lumina ſua; quomodo enim, cùm inanimis ſit, poſſit dare munus? donum enim eſt munus libertatis; ſed veluti per morum quandam fictionem id dicit. Sicut enim ſi quis ſupponat ſolem dicere, Ego valentibus oculis lumen dono; poſtmodum aliquis laborans oculis dixerit, Da etiam mihi radium, valeo enim, is vtique acceptâ luce etiam id quod cernebat amittet: eodem etiam modo peccator affectus eſt, cùm viri iuſti preces efflagitat. Peccator enim dum cœcutit patitur, dúmque radium orationis viri illius iuſti excipit, non permittit illum ſecundùm naturam ſuam operari & illuminare, ſed illi tenebras offundit, quòd neque per vitam puram Dei donis attendat, & à mandatis eius, quæ illuminandi vim obtinent, recedat atque deflectat. Qui enim peccat legem Dei reſpuit, neque quidquam à iuſti prece lucri capiet. Se autem hæc de ſole intelligere, ſignificat 4.cap.lib. de Diuinis nominibus.

Utiles.] Quomodo & quando proſit iuſti oratio tantùm viuenti; & reſpondet, quando eum pœniteret, ſecundùm Apoſtolum, *Flere cum flentibus*; & quando Scripturam illam implet, *Multum valet deprecatio iuſti* operans per pœnitentiam deprecantis, ſcilicet per orationem. Nam ſi vnus ædificet, nempe iuſtus, vnus deſtruat, v.g. peccator, opus manet imperfectum, quemadmodum legimus in exemplo de Saüle & Samuele.

Rom. 12. 15. Iac. 5. 16. Eccl. 34. 28.

Pie affectus.] Affectionem autem piam hîc vocat propriæ vitæ ad virtutem diſpoſitionem; auxiliarem verò dixit pro adiutore.

Colloquium.] Non ſimpliciter itaque ad diuinum alloquium accedere, & per ſe optima quæque ac ſalutaria poſtulare prohibet hîc Pater, cùm ſciat Apoſtolum præcipere, vt ſine intermiſſione oremus, ſed ne quis, opinione quâdam prauâ ſeductus, ſanctos deſpiciat, & eorum preces nihili faciat.

1. Theſ. 5. 17.

De dicta porro.] Ab hoc loco incipit exponere quomodo oratio defuncto prosit. Et nota, illud dubium ab ipso quæsitum esse.

§.7.

Dissimulante.] Qualia peccata nostra dissimulet propter orationem ac preces Sacerdotis.

Petit avtem illa.]Quid petat Sacerdos.

Præsentibvs.] Hoc est iustis ac piis.

Secvndvm divinam vitam.] Hoc est, quæcunque legitimè ac cõsentaneè iustus Episcopus postulabit accipiet, sed pro iustis, dictum enim est S. Petro, *Quæcunque ligaueris super terram*, & quæ sequuntur. Episcopi autem sunt ad imitationem S. Petri, vt paulò post ait. Nota verò Hierarchiæ magnitudinem, & sublimitatem, & puritatem.

Matt. 16. 19.

Qvamobrem improbis.] Nota quod hæc peccatoribus non apprecetur.

Mysteriorvm avctore.] Hoc est diuino Spiritu.

Petitis et.] Sententia illa sumpta est ex Epistolâ Iacobi, docens nos, pro homine negotióve malo minimè orandum esse.

Segregandi facvltates obtinent.] Agit de excommunicationibus & segregationibus quæ ab Episcopo fiunt; ait enim, ipsis à Deo concessas esse facultates discernendi ac approbandi iudicia, quibus peccatores à iustis secernant, vel contrà.

Irrationabilibvs motibvs.] Nota, quòd si Episcopus præter Dei finem aliquid secernat, diuinum iudicium ipsi minimè suffragari; quoniam secundùm Dei iudicium, & non pro voluntate propriâ, debet hæc irrogare.

Spiritvs.] Nota, quid Apostolis post resurrectionem per insufflationem Domini datus ipsis Spiritus sanctus contulerit.

Illvminato.] Sancto Petro.

Vt ille omnisqve.] Quomodo accipienda sit illa sententia Euangelij, *Quodcunque ligaueris*, &c.

Matt. 16. 19.

Et sanctam illam.] Intelligit sanctam illam Dei confessionem, *Tu es Christus filius Dei viui*, quod notandum est contra Basilianos & Nestorianos, & Paulianistas & similes.

Matt. 16. 16.

Provt.] Quatenus.

Hierarchice.] Secorissimè in his dixit hierarchicè seu sacro-principaliter.

§.8.

In prima illa regeneratione.] Quoniam in iis qui baptizantur primum est sacrum oleum, in defunctis autem est postremum.

Et tvm qvidem.] Propter quid iounctio olei adhibeatur iis qui baptizantur, & propter quid defunctis.

§.9.

Cvm svis.] Quoniam cuilibet animæ suum proprium est corpus, cum quo etiam refert retributiones, quocircà etiam vtraque de sanctificationibus participant. Subaudiendum vero illud, *vtrisque donatur*.

Divinæ commvnicationis.] Diuinum scilicet decretum.

Totvm hominem.] Nota, totum hominem vocare eum qui ex animâ spiritali corporéque constat, vti declarat illud, *in purâ contemplatione atque scientiâ*, totalem autem salutem, intelligit animæ ac corporis. Porrò hæc idcircò notanda sunt, vt quando in aliis suis libris supra-substantialem illum Iesvm nobis integrè consubstantiatum esse dixit, intelligas, ipsum assumpsisse humanitatem ex animâ spiritali corporéque constantem.

§.10.

Consecratorias invocationes.] Consecratorias inuocationes vocat preces istas quæ in ordinatione adhibentur. Nota verò, cur has, scilicet sacras inuocationes atque operationes, siluerit.

Efferre.] Publicare.

§.11.

Infantes necdvm.] Nota quid dicat Pater de infantibus baptizandis. Hæc autem sancto Timotheo scripsit, tanquam interroganti; ita vt manifestum sit, ipsum priora quoque aliosque libros suos ad eos qui ipsum rogabant scripsisse.

Sacras traditiones.] Quoniam etiam tunc non deerant qui mysteria nostra irridebant, vt ea, quæ sunt de infantibus baptizandis, pro quibus, quod loqui nequeant, sponsores abrenuntiant, & profitentur. Quod scomma refutat, adiungens, Non omnia omnibus nota esse. Obserua verò, etiam Angelos plurima ignorare.

Qvæ cognoscvntvr.] Cognitas, seu quæ cognoscuntur.

Aivnt enim qvod.] Nota, vt illud de infantibus à prædecessoribus suis acceperit.

Institvtoribvs.] Institutores seu duces suos vocat Apostolos.

Bono, divina.] Nota, cui infans post Baptismum à parentibus tradatur, nempe susceptori rerum diuinarum perito, vt sanctè educetur.

Dvcam.] Nota, ipsum susceptorem vocare ducem seu præceptorem.

Existentem.] Scilicet vitam.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

1. §.1.

His igitur definitis, necessariò etiam dicendum de defunctis: neque enim id commune habent Christiani, (quos hîc sacros vocat) cum externis gentilibus, qui profani sunt: sed sicut inter vitam eorum multum interest (cùm illi quidem secundùm Christum viuant corpus mortificando; hi vero secundum carnis concupiscentias vitam instituant) sic & finis eorum diuersus. Siquidem sancti ad spes futuras attendentes, ad mortis terminum veniunt tanquam ad finem certaminum, virtutis coronam recepturi in totali suâ resurrectione, scilicet vnà cum corpore; sanctæ enim animæ cùm hîc peruerti possint, in resurrectione immutabilitatem consequentur; corpora vero, quæ hîc animabus copulata vnà cum iis mala pertulerunt, propriam quoque resurrectionem sortientur, animabus suis, quibus in hac vitâ coniuncta fuerant, reunita: assequentur autem deiformem gloriam tanquam membra Dei.

§.2. *Variorũ de morte tuis sententia.*

Profanorum vero aliqui quidem sine ratione putant, non solum corporum non futuram resurrectionem, verum etiam ipsasmet animas penitus aboleri, seu in nihilum abire. Alij vero his vtique prudentiores, vt Plato, aiunt, corpus quidem post mortem nequaquam substiturum, sed nec in æternum ad subsistentiam suam reuersurum. Hoc enim est quod dicit ἀνάπαυξ. Indignum enim esse aiunt, vt materiale corpus animæ immateriali sit coæuum, animam vero solam esse immortalem. Idem etiam Simonis discipuli asserebant, non cogitantes, necdum edocti à magno Apostolo Paulo dicente, pignus & probationem vniuersalis in corpore futuræ resurrectionis Dominum nostrum Iesum Christum extitisse; & quòd in ipso modo abscondita sit vita nostra in Deo, reuelanda in regeneratione. Alij vero dicebant, corpus tunc aëreum animis futurum (si modo futurum sit) & non resurrecturum illud ipsum quod modo gerimus, corporibus quæ vnà decertarunt iniuriam irrogantes. Alij porrò, nescio quo pacto ad terrenas cogitationes prouocati, scripserunt ibi cibos potusque sensiles futuros. Insinuari aiunt per hoc Papiam, Hierapolis Asiæ Episcopum, qui D. Ioannis Euangelistæ temporibus floruit. Hic enim Papias libro quarto Dominicarum suarum explanationum scripsit, fore in resurrectione voluptates quæ percipiuntur ex cibis; in quod quidem dogma postmodum Apollinarius credidit. Quomodo igitur Apollinarij erunt scripta sancti Dionysij, secundum nugas aliquorum, quæ Apollinarium refutant? Sed nemo virorum proborum ad istiusmodi absurditates adducetur, verum credentes se Christiformem sortem adepturos, mutationem mortis minimè formidabunt, probè scientes se bona parta stabiliter possessuros. Peccatores verò si quidem sacram hauserint institutionem, eaque neglectâ, ad concupiscentias suâ sponte deuoluti sint, cùm ad vitæ finem peruenerint, non iam legem Diuinam æquè vt priùs despicabilem existimant; sed aliis longè oculis spiritalibus ea quæ ibi sunt considerantes, & quibus bonis exciderint expendentes, beatos quidem prædicant eos qui illa adepti sunt, miseri autem & inuiti ex hac vita decedunt

Iustorum & peccatorum mortis disparitas.

propter vitam suam pessimam, nullâ salutis spe fulti.

§. 3. Cùm in sanctorum obdormitionibus nihil botum accidat (is quidem qui ad vitæ finem properat, gaudet se ad sanctam regenerationem peruenire) defuncti autem familiares, spiritales potiùs quàm carnales (hoc enim est pro iure diuinæ propinquitatis) beatum ipsum prædicant, & similem finem beatissimum ipsi quoque consequi exoptant. Portant autem ipsum ad Episcopum, quasi coronis munerandum; hic vero ipsum excipiens ei iusta persoluit.

II. *Mysterium.*

Ritus sepeliendi defunctos.

Episcopus Clerum congregans, siquidem in Sacris fuerat qui obdormiuit, ante diuinum altare ipsum inclinans, infit precationes & gratiarum actionem: preces quidem, super ignorantias defuncti; gratiarum verò actionem, quia [Christus] mortis stimulum hebetauit, atque ita eius auxilio fretus boni quidpiam agere potuit. Sin autem sanctis Monachis sanctóve populo aggregatus erat, iuxta sacrarium collocat. Illud autem, ad Sacerdotum ingressum, significat illum coram psallentibus iacere debere. Præsul deinde benedictionem pronuntiat, deinceps vero Diaconi ea quæ conueniunt sanctè concinunt: illa enim sunt æquiualentia & synonyma, quæ nimirum congruunt defunctis. Tum Archidiaconus catechumenos dimittit, sanctorumque iam defunctorum nomina recenset, quibus præsentem defunctum eadem commemoratione aggregare dignatur, hortatúrque omnes, ipsi vt beatum in Christo finem petant. Tum accedens Antistes, precem faciam super defuncto peragit, eumque salutat, & cum ipso cæteri. Postea affundit ipsi sacrum Oleum, & impertiens absolutionem, quæ communis oratio vocatur, loco honorato corpus collocat vnà cum æqualibus aliis corporibus sanctis.

III. *Contemplatio.*

§. 1. *Quid ceremoniæ sepulturæ significent: & qui ab iis arceantur, & qui non.*

Hæc quidem si aspexerint gentiles, vel à nobis fieri inaudiuerint, profusè ridebunt: nos autem lucis datorem IESVM inuocantes dicimus, ritè Præsulem eum qui defunctus est loco digno collocare; nempe illum qui in Sacris est, ante altare; Monachum vero vel laicum, in sacrario. Declarat enim, secundum hanc vitam & quæ gesta sunt, ibi sortem retribui: vt si quis hîc deiformis extiterit, in futuro quoque sæculo in diuinis erit delectationibus; sin hîc nonnihil studium remiserit, pro meritis ibi quoque sortes accipiet. Antistes itaque pro diuinâ iustitiâ hac, nec non de tyranni imperio profligato gratias agit, quodque mors non iam ampliùs mors sit, sed vita.

§. 2. Porrò cantica & lectiones exponunt illas æternas mansiones, quæ defunctos quidem excipiunt, viuentes autem ad similem vitæ finem adhortantur.

§. 3. Cæterùm obserua, quomodo non omnes qui expiationi vacant ordines iam dimittantur, vt sunt passionibus obnoxiorum & pœnitentium, sed soli catechumeni; quoniam hi nullo Sacramento sunt initiati, & omnis aspectûs sacri expertes. Nullum autem è mysteriis nostris parui faciendum est, quoniam magna sunt omnia, licet ad inuicem collata diuersa sint. Maxima enim & incomparabilia sunt, quæcunque diuina sunt. Cæteri autem ordines, vt energumeni & pœnitentes, adstant quidem tanquam Sacramento initiati, verumtamen, cùm imprudenter in malum relapsi sunt, à diuinorum mysteriorum aspectibus diuinaque communione arcebuntur. *Qui* enim *indignè manducat & bibit, iudicium sibi manducat & bibit*, sicut in primâ suâ ad Corinthios Apostolus ait. Non incongruè autem admittuntur ad ea quæ hîc geruntur, vt discant mortis incertitudinem, & præmia iustorum ac peccatorum pœnas. Adsunt itaque, vt hinc aliquid vtilitatis ferant, & illos fortè similium desiderium excitabit.

§. 4. *Quid præcibus supra mortuum.* Deinde tractat etiam de salutatione & oratione: & oratio quidem precatio est pro defuncto, vt constituatur in sinu Patriarcharum, in loco à quo tristitia omnis abest.

§. 5. Quemadmodum enim ab iis quæ nobis ineunda sunt, vt regno, cœnâ, luce, gloriâ, splendore, quæ ibi sunt bona designantur, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit; sic etiam quæ ibi molesta sunt, ab hisce molestiis denominata sunt, tenebræ & stridor dentium, & dolor, & tristitia, & singultus: hæc enim sunt analogæ significationes, quæ à veritate bonorum ac molestiarum istarum omnino discrepant. Sinus autem Patriarcharum cæterorumque Sanctorum sunt beatissimæ mansiones, quæ, vt opinor, à sinuosis maris gremiis ac portubus nauium desumuntur, vel etiam à sinu vestium.

Quid sinus Abrahæ, & vnde dictus.

Quemadmodum enim qui in maris tempestate versantur, ad marinos sinus attendunt, in quibus & quietiori aurâ fruuntur, & ab agitationibus quiescunt: ita quoque qui in hac vitâ tempestatibus iactati sunt, in sinibus istis conquiescunt, modo scilicet è periculis animam suam vindicarint. Sin verò sinus etiam à vestibus nostris accipi diximus, iuxta illud, vt nos foueat sinus Abrahæ, conuenienter hoc quoque explicari possit, quod nimirum Abraham primus ad Dei notitiam adductus sit, & Deo familiaris extiterit: vel quod Pater multarum gentium appellatus sit, earum scilicet quæ secundùm Christum sunt; vel propter Patriarchæ hospitalitatem, ista facientis in hâc vitâ, propter quæ mundi conditor ac iudex iustos cœlorum regno honorabit.

§. 6. Sed hæc fortassis quidem satis demonstrata sint; dubitabis tamen de prece Antistitis, quam facit pro iis qui in peccatis defuncti sunt quomodo nimirum iustitia Domini saluanda sit, si exauditis precibus saluet eum qui mortuus est in peccatis. Ego autem, inquit, iustam quidem pro factis suis (hanc enim retributionem vocat) sortem quemlibet habiturum probè scio, Scripturis consentiens, & subiungit statim testimonia Scripturæ. Solis autem misericordias Dei merentibus, siue viuis siue defunctis, non vero iis qui damnati meruerunt, iustorum preces prodesse, Scripta diuina docent.

Preces quibus prosint.

Quid enim Sauli profuit Samueli? Et quid Iudæis Ieremiæ precatio contulit? ad quem dixit Dominus: Ne ores pro populo hoc. Etenim vt siquis sole lucente, sibi ipsi oculos eruens, lucis eius particeps fieri petat; sic ex impossibili spe pendet, quisquis Sanctorum preces flagitat dum mandata Dei non seruat, neque mentis oculos apertos habet, &, iuxta Psalmistam, deficientes in salutare Dei. (Ps. 118. 123.) Ne existimes autem, solem dare lumina sua, (quomodo enim, cùm inanimis sit, possit dare munus?) sed veluti per morum quandam fictionem id dicit. Sicut enim si quis supponat solem dicere, Ego valentibus oculis lumen dono; posteà aliquis laborans oculis dixerit, Da etiam mihi radium, valeo enim, dico id huic non tantùm non profuturum, quinetiam id quod videbat amittet: eodem etiam modo qui damnari metuit peccator affectus est, cùm iustorum preces efflagitat, & ipse se non conuertit. Et hoc est quod à Scripturâ dicitur, *Multum valet deprecatio iusti* * à Spiritu agitata; de iusto enim hoc dicitur. (Iac. 5. 16. * Græcè ἐνεργουμένη, vulg. assidua.) De illo autem, pro quo fit deprecatio, Scripturis quoque consonè dico, petuiles esse Sanctorum preces, dummodò quis sacrorum munerum desiderio accensus, & ad eadem piè sit affectus (propriæ enim vitæ ad virtutem affectionem vocauit habitudinem, quæ ex cuiuslibet conscientiâ existit), ad virum aliquem iustum accedens petat, vt Deum pro se roget, sibique conciliet, quâ ratione sanè maximum ex eo referet emolumentum: voti enim compos fiet, cùm propter conscientiam religiosam, tum propter sanctorum reuerentiam, tum propter piæ petitionis affectum; hoc enim ita conuenit, quoniam bona adamauit, & quæsiuit. Etenim diuinis id decretis stabilitum est, vt eorum participatione dignis, donentur per eos qui digni sunt eâdem distribuere. Quemadmodum enim postulantem diiudicat, num dono dignus sit; sic etiam precantem scrutabitur, num & ipse dignus sit tale illi munus impetrare. Non temerè itaque qui cupit ad diuinum consortium accedere, & à Deo optima quæque postulare prohibetur,

cùm

A

cùm sciat magnum Apostolum præcipere vt incessanter oremus; sed absurdum simul & illicitum esse, si quis opinione suâ seductus supra sanctos sapere velit, & pro rebus malis preces fundere. Quando autem nulla adest elatio, tunc non refugimus communes preces; tum vt discamus quæ petere debeamus, tum verò etiam quomodo preces instituamus. Frustramur enim votis, vel quia nescimus quomodo oratio sit intendenda, ista enim est postulationis inscitia; vel quia res indignas postulamus. Sed dicet aliquis, Quid opus est institutione, vt cognoscamus quænam sint indignæ postulationes & quænam dignæ, Domino dicente, *Petite primùm regnum Dei, & cætera omnia adiicientur vobis?* Dicimus idcircò multa nobis esse ignota quæ sint indigna: nam cupiditate decipimur, & peccatis sæpenumerò circumuenimur; sæpenumerò etiam rogamus, & bona indignè postulamus, nescientes, aduersa, quæ permissu Dei obueniunt, magis prodesse. Quomodo enim Israël in Ægyptum transmigrasset, & terram promissionis hæreditasset, nisi Deus Iosephi preces exaudiens, incolumen patri filium seruasset?

Quænam peccata in oratione, quæ non.

Matth. 6. 33.

B

§. 7.

Verùm his in communi de oratione dictis, necessariò etiam dicendum de prece quam super defuncto recitat Antistes. Diuinus igitur Antistes interpres est diuinarum iustificationum: idcircò enim Angelus Domini omnipotentis à sancto Michæâ dicitur, vt qui Dei iustificationes annunciet ac manifestet. Didicit vtique ex Scripturis, iustis quidem iusto Dei iudicio lucidissimam diuinamque vitam tribui, diuinâ bonitate ac benignitate contractas ex humanâ fragilitate maculas clementer dissimulante, cùm nemo sit (vt inquit) mundus à sorde. Hæc Antistes promissa esse nouit. Postulat igitur, vt fidelium ex infirmitate contractæ maculæ dissimulentur, & sacræ retributiones conferantur; simulque Deum imitando, dona quæ aliis conferenda sunt tanquam sibi indulgenda postulans (hoc est enim Deum imitari, proximum diligere sicut seipsum) simul vero etiam tanquam interpres Dei sciens & aliis manifestans, tanquam Angelus id quod petitur, vtpote iustum, prorsus euenturum significat, neque enim ab initio petebat nisi quæ Deo erant quàm gratissima. Quocircà quidem pro sanctis sic facit, sed pro improbis infidelibus, sicut etiam in progressu significabit, quando dicit, videbitur hoc profanis probabili risu dignum. Profanis itaque hæc minimè apprecatur, non solùm quia, si ista peteret, minimè bonus interpres esset spiritûs; vt illa peteret, ad quæ ab auctore mysteriorum diuino scilicet Spiritu minimè moueretur; verùm etiam quod petitione suâ tanquam indigna frustraretur, hoc enim indicat vox [illegible], siue impia, id est indigna. Audiet enim etiam ipse à iusto Eloquio: *Petitis, & non accipitis.* Est autem hæc sententia ex Epistolâ Iacobi. Quod vtique dicit, vel quia iustè dictum, vel quia à iusto prolatum. Iacobus enim Ioblias, quasi iustus, cognominatus est. Postulat itaque sanctus Antistes illa quæ omnino danda sunt, ostendens hinc, Deo quidem, habitum suum quo Deum imitatur; præsentibus vero, præmia quæ sanctos manent. Sic etiam Hierarchæ habent virtutes segregandi, id est segregationes, non quod irrationabilibus motibus eorum, vt honestè dicam, diuinitas obsequatur, sed quod ipsimet à Spiritu sancto moti damnatos segregent. Accipite enim, inquit, Spiritum sanctum, qui videlicet vos moueat ad ligandum & soluendum. Et iterùm sic Petro Dominus ait, *Quodcunque ligaueris super terram*, & quæ sequuntur; quando diuinis reuelationibus à Patre qui in cœlis est illustrabatur, ita vt beato Petro, & omni post ipsum Pontifici, secundùm reuelationes ipsi cœlitus à Deo factas, & approbandi & segregandi potestas sit. Quomodo autem reuelationes ipsi factæ in cæteris quoque Pontificibus erunt, ita vt per hos etiam hæc operentur, nisi per traditionem & mutuam successionem, & manifestationem? Quantò enim reuelationes in pluribus multiplicantur, tantò magis manifestantur. Etenim sacram illam Dei professionem, *Tu es Christus filius Dei viui*, non à semetipso, neque à carne & sanguine, sed Deo ipsum hoc docente ac

C

Iac. 4. 3.

D

Potestas ligãdi & absoluẽdi in Pontificibus.

Matt. 16. 19.

mouente, pronuntiabat. Similiter itaque Pontifices Ecclesiasticis potestatibus vti debent. Attica est syntaxis & vetusta constructio, quâ propositiones accusandi casibus efferuntur, sic nimirum, ac si moueret eos Deus, cæteris autem ita Pontifices obseruandi sunt (nam & hoc eodem modo construitur) tanquam qui à Deo moueantur: ad eos enim est sermo Christi Domini, *Qui vos spernit, me spernit.*

E

Luc. 10. 16.

§. 8.

Quid inunctio finalis.

Cæterùm ad textum redeuntes, dicimus, finitâ precatione omnes defunctum salutare; acceptus enim & honore dignus est quisquis sanctè vixit. Posteà Pontifex defuncto oleum affundit. Diximus autem in iis quæ de illuminatione dicta sunt, quomodo initiandus primùm oleo inungeretur post vestium depositionem; sic & hîc in fine, & quidem non immeritò. Cùm enim ij qui ad certamina instruuntur inunguntur, vti & ij qui à certando cessant, & sudores absterserunt; meritò etiam in his, ibi quidem in principio, is qui certamina suscipit, hic vero in fine omnium, tanquam qui à certando desistit, inungitur.

F

§. 9.

His peractis, Pontifex defuncti corpus honesto loco recondit cum aliis corporibus sacris. Cùm enim is qui defunctus est, animâ simul & corpore constans, sanctam vitam egerit, cur animâ in bonis commorante corpus negligeretur, & non honestè deponeretur? Etenim à iusto Iudice condigna retributio animæ vnà cum corpore donabitur, siue bonorum siue malorum. Idcirco etiam sacra lex vtraque sanctificat, tam corpus quàm animam: animam quidem, in spiritalibus contemplationibus atque scientiâ eorum quæ celebrantur; corpus verò, diuino Vnguento. Quin & sanctissimis symbolis diuinæ participationis totum hominem sanctificat, atque totalem eius, animæ scilicet & corporis, salutem operatur, nec non hoc modo perfectissimam illi quoque resurrectionem annuntiat.

§. 10.

Inuocationes porrò ordinationis nefas est interpretari, seu explicando publicare, cùm mysticæ sint & arcanæ: non oportet autem in commune efferre virtutes Spiritûs sancti, quæ per preces initiatis conferuntur. Sed tu, vbi eas iuxta diuinam traditionem mysticè hauseris, & ad diuiniorem habitum traductus fueris, earum quoque scientiam Hierarchicâ illustratione consequêris: hæc enim est omnium mysteriorum princeps ac dux.

G

§. 11.

Quid Baptismus paruulorum.

Considera etiam hic quid dicat sanctus Pater de Baptismo paruulorum. Illud autem, *Videtur quidem, vt ais*, manifestum facit, eum hæc & alia S. Timotheo tanquam interroganti scripsisse. Videbitur itaque profanis non immeritò risu dignum, quod infantes doceat qui necdum audire possunt; atque insuper mouebit hoc eos ad nostra mysteria explodenda, quod alij pro aliis abrenuntiationes ac professiones pronuntient. Verùm non oportet Hierarchas ac prudentes indignari illis qui errant, sed religiosè rationem reddere; nec non addere, rationes in his quasdam esse quæ nostram superent intelligentiam, quarum aliquarum notitia tamen Angelos non latet, quarundam vero etiam ipsos fugit, & soli Deo cognitæ sunt. Verumtamen, in quantum à præceptoribus nostris accepimus, qui antiquâ traditione docti erant, dicimus, infantes, si in lege sacrâ instituantur, ad sanctum animi statum esse peruenturos, ita vt donum intelligant quod acceperunt. Hoc itaque, illos aliquando ad perfectam ætatem ac statum peruenturos, cùm præceptoribus nostris in mentem venisset (vbi nota constructionem Atticam [illegible], pro Genitiuo [illegible]) placuit admitti pueros; verumtamen sic, vt naturales eorum parentes filium fideli alicui pædagogo ac susceptori concredant, à quo in diuinis instituatur. Ab hoc itaque Antistes exigit professiones: non, vt illi aiunt, alium pro alio diuinis imbuens, sed promissiones huius excipiens, tempore nimirum opportuno, paruulo huic omnem mysterij doctrinam tribuendam esse; ita vt ipse propriâ suâ sponte rebus contrariis renuntiaturus, ac fidem professurus, atque insuper re ipsâ professiones à susceptore pro se factas adimpleturus sit. Nihil itaque absurdi est, si hæc super puero peragantur, cùm ducem ac sponsorem habeat, qui diuinis ipsum erudiat.

H

diat. Puerum autem mysteriorum consortem facit, vt in iis magis educetur, neque ampliùs secundùm carnem vitam ducat, sed diuina contemplantem & in iis sub sponsoris disciplinâ proficiat. Hæc tanta vniformia seu diuina nostræ Hierarchiæ spectacula mihi manifestata sunt; sed & tibi, vt opinor, omnino illustrato nostris hisce rationibus, quasi gradibus quibusdam, ad sublimiorem illustrationem ascendenti: hanc & tu mihi communica, & spiritalibus meis oculis exhibe venustiores illas pulchritudines quas contemplari poteris. Confido enim me nostris hisce sermonibus insitas tibi diuini ignis (diuinæ scilicet cognitionis illustrantis) scintillas suscitaturum.

S. DIONYSII AREOPAGITÆ de Diuinis nominibus.

INTERPRETE BALTHAZARE Corderio Societatis Iesu Doctore Theologo.

CAPVT PRIMVM.

Sympresbytero Timotheo Dionysius Presbyter.

Quis libri finis, & quæ de Diuinis nominibus prodita sint.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Docet, omnem de Deo doctrinam ex Scripturis petendum esse, & ex rebus sensibilibus non posse cognosci quid sint res spiritales, multo minus Deum.*
2. *De Deo nihil præsumendum dicere nisi ex Scripturis, in quibus Deus sui cognitionem nobis pro captu nostro communicat.*
3. *Hinc infert, arcanum Dei non temerè scrutandum esse, sed ex Scripturis Deum esse laudandum; & simul pandit, quid ex ipsis de Deo discamus.*
4. *Tradit, nomina diuina vt plurimum à diuinis prouidentiis atque emanationibus desumi, & nos in hac vita Deum in ænigmate cognoscere, in cælis vero clarè Deum videri vt in se est, quomodo iam eum concipere non possumus, sed nec statum Beatorum.*
5. *Ait tamen, Deum ab omni & à nullâ re celebrandum esse, per positionem scilicet & ablationem.*
6. *Deum simul & ἀνώνυμον & πολυώνυμον esse.*
7. *Quo sensu Deus omni nomine careat, & omni nomine appelletur.*
8. *Deum non solùm à prouidentiis, sed etiam ab apparitionibus diuersimodè nuncupari.*

§. 1. MODO, vir beate, post Theologicas informationes ad Diuinorum nominum explicationē pro virili me conferam. Sit autem etiamnum nobis Oraculorum sacra lex proposita, vt veritatem ostendamus eorum quæ de Deo dicuntur, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione virtutis*, quam Spiritus Theologis inspirauit, quâ rebus ineffabilibus & ignotis modo ineffabili ignotóque coniungimur, secundùm eam vnionem, quæ vim omnem ac potentiam nostræ aut ratiocinationis aut intellectionis excedit. Vniuersè igitur audendum non est, neque dicere neque cogitare quidquam de supersubstantiali & abditâ Deitate, præter ea quæ nobis in sacris Oraculis sunt indicata diuinitùs. Nam supernaturalitatis ipsius indemonstrabilitas, quæ supra omnem rationem, & mentem, & essentiam est, ipsa est cui supernaturalem scientiam tribuere nos oportet; tantùm ad inaccessum illud lumen aspirando, quantum se insinuauerit diuinorum ille radius Oraculorum, quo eminentioribus istis rerum diuinarum splendoribus sobrietate quâdam ac sanctitate contemperamur. Etenim si quid sapientissimæ verissimæque Theologiæ credendum est, pro singularum captu mentium diuina reuelantur spectanturque, dum summa Dei bonitas, iustitiâ salutari, rebus mensuratis immensitatem suam diuino quodam decore, quod comprehendi nequeat, commensurat. Sicut enim ea quæ sub intelligentiam cadunt per ea quæ sub sensum cadunt comprehendere & contemplari non possumus, neque per ea quæ typis & signis informantur, ea quæ simplicia sunt & typis non signantur, neque per figuras corporum incorporea, quæ neque sensum tactûs subire, neque figuram & formam capere possunt: eâdem planè ratione veritatis supra substantias est illa suprasubstantialis infinitas; & supra mentes illa supra mentem vnitas; & omnibus ratiocinationibus inscrutabile est illud supra ratiocinationem vnum; omnique verbo ineffabile est illud supra verbum bonum; vnitas effectrix vniuersæ vnitatis, & substantia supra substantiam, & mens non cadens sub intelligentiam, ratio non effabilis, ratione, intelligentiâ, nomineque vacans, nullius rei similitudinem habens: quæ quidem causa est vt omnia sint, ipsa vero non est, vt quæ quiescit extra omnia quæ sunt, quemadmodum etiam ipsa de se propriè sciréque hæc effari potest.

1. Cor. 2. 4.

Per sensibilia res spiritales cognosci non posse.

Deum excedere omnē intelligētiā.

§. 2. De hac igitur, vt dictum est, supersubstantiali ac reconditâ diuinitate non est præsumendum dicere, sed neque cogitare quidpiam, præter ea quæ nobis diuinitùs sacris sunt Eloquiis enuntiata: nam vt ipsa de se in sacris Litteris benignè tradidit, eius quid sit scientia & contemplatio, est omnibus inaccessa substantiis, tanquam ab omnibus superessentialiter excepta. Multos quoque Theologos inuenias, non modo illam, quod visum nostrum captumque fugiat, laudasse; verùm etiam quod indagari nequeat & inuestigari, nullo scilicet extante vestigio quod ducat ad eius secretissimam infinitatem. Sed neque tamen eorum quæ sunt quidquam eius omnino boni exsors existit, quia radium illum supersubstantialem sibi perseueranter insitum cuilibet rei congruis illuminationibus clementer attemperat, nec non ad quantam fas est contemplationem ac communionem similitudinemque sanctas mentes euehit, quæ ad ipsum, quoad possunt, conniturtur, dummodo non sublimius, quàm pro eorum captu diuina fert illustratio, insolenter aliquid præsumant, nec in præceps peruersâ propensione labantur, at constanter & inreflexis oculis illucenti radio obtueantur, nec non amore indultis sibi collustrationibus commensio, cum sacrâ quâdam reuerentiâ modestè sanctéque sursum euolent.

De Deo nihil dicendū nisi ex Scripturis.

Deus se nobis pro captu nostro communicat.

§. 3. Eas ergo diuinas lances, quæ sanctas omnes ordinum cælestium distinctiones moderantur, imitantes, summæ quidem Diuinitatis arcanum illud, quod omnem intelligentiam substantiamque transcendit, à scrutatione vacuis, sacrisque mentis venerationibus, ineffabilia vero modesto quodam silentio prosequentes, fulgoribus, qui nobis è sanctis Eloquiis affulgent, attendamus, quorum deinde luce ad diuinos hymnos excitemur, quibus supermundialiter illuminamur, sacrisque laudum canticis formamur ad diuina lumina, quæ in iis ad captum nostrum conceduntur, contuenda, beneficumque principium omnis illustrationis, prout ipsum de se in Eloquiis expressit, collaudandum. Vt quod omnium sit causa & origo, essentiaque ac vita, & à se dilapsorum reuocatio ac resurrectio, diuinam vero in semetipsis imaginem obliterantium renouatio ac reformatio, nec non impuro motu nutantium firmamentum, ac stantium securitas, ad se tendentium manuductio, illuminatorum illustratio, perfectorum principium perficiens, deificatorum summa diuinitas, simplificatorum simplicitas, vnitorum vnitas, omnis principij superessentialiter superoriginale principium, atque abditi illius secreti, quoad fas est, benefica communicatio, &, simpliciter dicendo, vita viuentium, essentia entium, omnis vitæ & essentiæ principium ac causa propter suam bonitatem, quâ & vniuersa producit vt sint, & continet ne pereant.

Arcanū Dei non scrutandū, sed ex Scripturis ad Dei laudes mens excitāda.

Quænam ex Scripturis de Deo discamus.

Hæc

A

§.4. *Nomina diuina plerumque ex emanationibus sumi.*

Hæc ex Scripturis diuinis didicimus; &, vt ita dicam, omnem ferè sacram Scripturam reperies, ad declarandum nobis Deum, & ad laudandum eum, diuina nomina formare secundùm diuinæ bonitatis emanationes. Hinc in omni fermè Theologicâ tractatione diuinitatem ipsam sanctè collaudatam cernimus, vt monadem quidem ac vnitatem, propter supernaturalis indiuidui sui simplicitatem, ex quâ, ceu vnificâ virtute, quid vnum existimus, atque diuiduis nostris diuersitatibus supermundanè coagmentatis, ad monadem quandam deiformem, ac Deum imitantem vnionem redigimur: vt Trinitatem verò, propter superessentialis fœcunditatis in tribus personis manifestationem, ex quâ paternitas omnis in cœlo & in terrâ est, & nominatur: vt rerum verò causam, quòd omnia per bonitatem eius rerum effectricem, sint producta, vt sapientem quoque ac pulchram, quòd res omnes, dum naturam suam seruant incorruptam, diuinæ omnis harmoniæ sacræque pulchritudinis sint plenæ: singulari autem amore humanum genus complectentem, quòd se nobis verè integrè in vnâ personâ suâ communicarit, reuocans ad se sibique iungens humanam humilitatem, ex quâ simplex IESVS ineffabili modo constitit, ac qui æternus est temporalem sumpsit accessionem, nec non ad intima naturæ nostræ descendit, qui vniuersum totius naturæ ordinem superessentialiter transcendit; seruatis tamen proprietatibus suis prorsus integris & inconfusis. Hæc aliaque quælibet deifica lumina, quæ Scripturis consona, sancti nostri præceptores arcanâ nobis interpretatione tradiderunt, nos quoque hausimus: nunc quidem pro captu nostro, dum velaminibus quibusdam sacris Eloquiorum & Hierarchicarum traditionum benignitas, signis sensilibus res spiritales, substantiisque res supersubstantiales abdit, formasque figurasque rebus formâ figuraque carentibus circumdat, nec non supernaturalem, & quæ figuras respuit, simplicitatem diuiduorum signorum varietate multiplicat & effingit. At quando incorruptibiles & immortales euaserimus, Christiformem beatissimamque sortem adepti, tum *semper* (vti scriptum est) *cum Domino erimus*, visibilis quidem ipsiusmet Dei apparitionis castissimis contemplationibus pleni, cuius lucidissimis splendoribus, non secùs ac Discipuli in diuinissimâ Transfiguratione, irradiabimur; intelligibilis verò eius illustrationis participes secundùm mentem passionibus materiaque carentem, radiorum lucidissimorum incognitis beatissimisque coruscationibus, ad diuiniorem supercœlestium intelligentiarum imitationem, vnione quâdam intelligentiam superante ipsi coniungemur: nam, vt Eloquiorum veritas habet, *Æquales Angelis erimus & filij Dei, quando erimus filij resurrectionis.* Modò autem, vt valemus, ad diuina capienda signis vtimur, quibus scilicet ad simplicem & vnicam illam intelligibilium spectaculorum veritatem pro captu nostro adducimur, & post omnem nostram rerum deiformium intelligentiam, sedantes nostras intellectiles operationes, in superessentialem istum radium, quantum fas est, intendimus, in quo cuncti fines omnium cognitionum ineffabili modo præextiterunt, quemque nec mente concipere, nec oratione proloqui valemus, neque visu quomodolibet intueri, eò quòd sit omnibus exemptus, & eminenter ignotus, vt qui simul omnes omnium cognitionum essentialium, virtutumque terminationes superessentialiter in semetipso anticiparit, cunctis cœlestibus intelligentiis eminentior incomprehensâ virtute collocatus. Etenim cùm notiones omnes sint entitatum, & ad entitates terminentur, is qui omni entitate sublimior est, omnem quoque effugit cognitionem.

B

Modò Deum cognoscimus in ænigmate, in cœlo autem facie ad faciem.

C

1. Thess. 4.16.

Luc. 20. 36.

D

Modò Deum vt in se est concipere non valemus.

§.5. Cæterùm si sermonem omnem cognitionemque transcendat, supraque mentem sit & essentiam, vt qui omnia suo ambitu contineat ac complectatur, & anticipet, quin & omnem captum superet, cùm neque sub sensum cadat, neque eius sit imaginatio, nec opinatio, neque nomen, neque sermo, neque tactus, neque notitia, quomodo de Diuinis nominibus à nobis sermo concinnabitur, cùm diuinitatem illam vti essentiâ, sic & nomine quouis atque appellatione potiorem esse declarauerimus? Vtique, vt diximus quando Theologicas descriptiones exposuimus, vnum illud, ignotum supra substantiam, seipso bonum, quod est, trinam inquam vnitatem, simul Deum simul bonum neque verbis eloqui, neque cogitando assequi valemus: quin & sacrarum quoque virtutum cum plusquam ignotâ illâ prælucidaque bonitate coniunctiones, quæ Angelis, conueniunt, siue immissiones, siue susceptiones appellandæ sint, & ineffabiles sunt, & ignotæ, solisque illis insunt, qui præter Angelicam cognitionem, vnà cum Angelis eas acceperunt. Mentes itaque deiformes ad Angelorum, quantum fas est, imitationem hacce ratione Deo vnitæ (siquidem per omnem mentalis operationis vacationem eiuscemodi deificatarum mentium ad supremum Dei lumen vnio existit) laudant ipsum propriissimè ex rerum omnium ablatione, hoc ex beatissimâ illâ cum Deo vnione supra naturam verè per illuminationem eruditæ, vt Deus omnium quidem rerum causa sit, ipse verò nihil earum existat, sed ab omnibus sit superessentialiter exemptus. Illam igitur diuinam supra quàm substantiam, quodcunque est illa supra quàm essentia bonitatis, quæ supra bonitatem est, neque tanquam rationem aut potentiam, neque tanquam mentem, aut substantiam, aut vitam laudibus celebrare fas est vlli qui veritatis, quæ supra omnem veritatem est, sit studiosus: quin imò laudare eam oportet, tanquam ab omni habitu, motu, vitâ, imaginatione, opinione, nomine, sermone, cogitatione, intelligentiâ, substantiâ, statu, fundatione, vnione, fine, immensitate, denique ab omnibus quæcumque sunt, superlatè abstractam. Quoniam verò vt ipsa bonitas, eo ipso quòd est, omnium causa est, prouidentia Dei eorum qui Dij dicuntur Principis, quæ omnium bonorum principium est, ab omnibus effectis laudanda est; quia & circum ipsam sunt omnia, & propter ipsam, & ipsa est ante omnia, & in ipsâ omnia consistunt, & esse eam producit omnia, & facit vt existant, eamque omnia appetunt; spiritalia quidem ac rationalia scienter, hisce inferiora, sensiliter, cætera verò vel per motum vitalem, vel substantialem, vel habitudinalem aptitudinem.

E

Non solum Deum non capimus, sed nec status Beatorũ.

Deus propriè laudatur per omnium negationem.

F

Deus a nullâ & ab omni re celebrandus.

G

§.6. *Deus simul ἀνώνυμος & πολυώνυμος.*

Hoc igitur cùm scirent Theologi, Deum laudant & tanquam nomine carentem, & ab omni nomine. Tanquam nomine carentem, vt cùm aiunt, Deum ipsum in vnâ ex mysticis visionibus symbolicæ apparitionis Dei increpasse eum qui dixerat: *Quod est nomen tuum?* & tanquam ab omni diuino nomine abducentem, dixisse: *Quare interrogas de meo nomine? & hoc est admirabile.* An non est hoc verè nomen admirabile, quod est supra omne nomẽ, quod caret nomine, quod est collocatum super *omne nomen, quod nominatur siue in hoc sæculo, siue in futuro?* Multorum verò nominum faciunt, vt cum ipsum Deum introducunt dicentem, *Ego sum qui sum*, vita, lux, Deus, veritas; & cùm sapientes ipsum Deum omnium effectorem ab omnibus effectis laudant, vt bonum, vt pulchrum, vt sapientem, vt dilectum, vt Deum deorum, vt Dominum dominorum, vt Sanctum sanctorum, vt æternum, vt eum qui est, vt auctorem sæculorum, vt largitorem vitæ, vt sapientiam, vt mentem, vt Verbum, vt cognitorem, vt superlatè habentem omnes thesauros omnis scientiæ, vt potentiam, vt potentem, vt Regem regum, vt antiquum dierum, vt non senescentem & immutabilem, vt salutem, vt iustitiam, vt sanctificationem, vt redemptionem, vt magnitudine omnia superantem, & vt in aurâ tenui. Atqui & in mentibus eum esse dicunt, & in animis & corporibus, & in cœlo & in terra, & simul in eodem eundem, in mundo, circa mundum, super mundum, supracœlestem, suprasubstantiam, solem, stellam, ignem, aquam, spiritum, rorem, nubem, per se lapidem, petram, omnia quæ sunt, & nihil eorum quæ sunt.

Gen. 32. 29.

Iudicum 13.18.

Ephes. 1. 21.

Exod. 3. 14.

H

§.7. *Quomodo Deus nomine careat, &*

Sic igitur ei qui omnium rerum causa est, & supra omnia, congruit carere nomine, & congruunt rursus omnia rerum omnium nomina, vt sit perfectè regnum vniuersitatis rerum, & circa ipsum sint omnia, ex ipso, tanquam ex causâ, principio, & fine cuncta pendeant,

&

A 1. Cor. 15.28.

& ipse sit, vt ait Scriptura, *omnia in omnibus*, vereque laudetur, vt omnia procreans, inchoans, perficiens, continensque, custodia ac domicilium, eademque ad se conuertens, atque hæc coniunctè, inuictè, excellenter: non enim solùm est causa continendi omnia, vitæque ac perfectionis, ita vt ab hac solâ, aut ab aliâ prouidentiâ, bonitas, quæ omne nomen superat, nominetur; sed vniuersa simpliciter & incircumscriptè in se anticipauit perfectis bonitatis ipsius vnicæ & omnium effectricis prouidentiæ, & ab omnibus rebus aptè laudatur, & nominatur.

§ 8. *Deus non solùm à prouidentiis, sed etiam ab apparitionibus diuersimodè nominari.*

Siquidem Theologi non hæc solùm diuina nomina celebrant, quæ à prouidentiis vniuersalibus aut particularibus, aut ab iis quæ prouidentiam capiunt ducuntur, sed etiam à quibusdam diuinis visis, quæ aliquando in sacris templis, aut fortè alibi, magistros mysteriorum vel Prophetas illuminarunt, ob multiplicem causam & vim nominant bonitatem diuinam, quæ omne nomen omnemque splendorem superat, formasque ei figurasque humanas, aut igneas, aut electri inducunt; & oculos eius, atque aures, capillos, facies, manus, scapulas, alas, brachia, posteriora, & pedes laudant; tum coronas, sedes, pocula, & crateras, & quædam alia ei affingunt, de quibus in symbolicâ Theologiâ pro virili parte dicemus: modò autem omnibus quæ huius instituti sunt ex Eloquiis diuinis collectis, iis quæ dicta sunt quasi regulâ quam intueamur vtentes, ad spiritalia Dei nomina referenda veniamus; &, quòd in omni Theologiâ lex semper præcipit, deiformes (vt propriè dicam) contemplationes diuinâ mente intueamur; & sacras aures sacris diuinorum nominum interpretationibus adhibeamus, sanctis sancta, vt diuina Scripta tradunt, proponentes, à profanorum irrisionibus illusionibusque illa vindicemus, quin imò illos ipsos, si qui sint homines istiusmodi, à bello; quod hac ex parte cum Deo gerunt, reuocemus. Hæc tibi seruanda sunt, optime Timothee, iuxta sacratissimam sanctionem, ne res diuinas coram profanis efferas, aut euulges. Mihi autem det Deus, vt diuinitatis, quæ vocari nominarique non potest, multa variaque nomina pro Dei dignitate celebrem, & non auferat sermonem verum ab ore meo.

B

C

SCHOLIA S. MAXIMI.

AREOPAGITÆ.] Quoniam titulos, quos sancti olim gentiles adhuc existentes habuerant, etiam post conuersionem ad Christum sine rubore sibi adscribebant. Ecce enim Areopagitam semet ipse appellauit, vti etiam D. Iustinus libro suo contra Gentiles titulum dedit *Iustini Philosophi.*

COMPRESBYTERO.] Quia Presbyteri nomen etiam Episcopum significat, nam Episcopus quoque Presbyter est. Atque hoc significatur etiam in Actis sanctorum Apostolorum, vbi Paulus Asiaticas componit Ecclesias.

Act. 20.

§. 1. D

THEOLOGICAS.] Nota, quendam alium tractatum ab hoc Patre esse elaboratum, instar cuiusdam introductionis, & elementariæ præmeditationis siue commentationis eorum quæ de Deo sparsim in Scripturis dicta sunt, post quem, secundùm ordinem, præsens hic Liber ab ipso est compositus.

Ratio humana est egena.

NON IN PERSVASIBILIBVS.] Humana sapientia ex rebus sensibilibus persuasibilitates demonstrationum emendicat: ingens enim ratiocinandi penuria etiam à Geometriâ sumit argumenta. Porrò in incorporeis, vel potiùs in supra quàm incorporeis, & in iis quæ omnem superant substantiam, quomodo aliquis sine explicatione quidpiam ratiocinando cognoscat, nisi vix summo mentis vigore Dei ignorationem, quid tandem ipsa sit, per puram religionem ineffabiliter cognoscere poterit.

COGITARE ALIQVID DE SVPERESSENTIALI.] Deus est superessentialis, tanquam qui supra omnem essentiam conspicitur, siue intellectilem, siue intelligentem, multò magis sensilem.

SVPERESSENTIALITATIS.] Si essentia dicatur ab *esse*, *esse* autem iosciat sensum cuiusdam deriuationis, vtique essentia non propriè de Deo dici poterit: quoniam Deus omnem superat essentiam, cùm nihil sit eorum quæ sunt, sed supra illa quæ sunt, vtpote ex quo existunt. Diuinitas autem solius Dei omnibus occulta, virtus est diuinoprincipalis, quæ imperat iis qui dij dicuntur, siue Angelis, siue hominibus sanctis; quatenus etiam conditrix est eorum qui participatione dij fiunt, ipsa quæ verè ex se & sine causâ est per se diuinitas.

E *Deus est supra essentiam.*

CVI SVPERESSENTIALIS.] Soli enim ipsimet diuinitati sua secundùm se, qualiter naturâ sint, nota sunt.

RADIVS ORACVLORVM.] Rectè dixit *radius*, & non *Sol.* Quemadmodum enim in solem intendere, nequimus, sed forrassis in aliquos eius radios, ita Deum ipsum intelligere non valemus.

Diuina sobriè indaganda.

MODERATIONE CIRCA DIVINA.] Haud enim præsumendum est quidquam de Deo loqui, sed sobriâ quâdam ratione prosequendum id quod ad Dei cultum spectat, solùm illa proferendo & interpretando quæ in Scripturâ veluti oraculo tradita sunt, sicut paulò antè dixit.

F Ephes. 4. 7.

VERISSIMÆ THEOLOGIÆ.] Vide quomodo veram Theologiam vocet D. Pauli Scripturam: ipse enim est qui dicit, secundùm mensuram virtutis cuiusque à Deo donari manifestè illustrationem, sicut etiam Dominus perfectioribus discipulis declarat dicens, *Vobis datum est nosse mysteria regni*; veluti perfectiùs iis quæ de Deo dicuntur attendentibus. Porrò Magnus Dionysius non solùm ait hoc dici de hominibus, verùm etiam de Angelis, quos, iuxta quosdam profanos Philosophos, mentes appellare solet: quæ superiorum ordinum mentes dictæ sunt, vtpotè cùm se totis substantialiter mentes existerent cuncta intelligentes, quæ vnitè à Deo in ipsas continuò deriuantur, vnde etiam totæ totaliter oculatæ in sanctissimis Cherubinis describuntur.

Matth. 13. 11. *Angeli cur mentes dicti.*

DIVINA REVELANTVR.] Nota, etiam Angelos iuxta capacitatem suam diuinâ cognitione illustrari.

Cur Deus diuersimodè cunctos illuminet.

IVSTITIA SALVTARI.] Idcircò, inquit, Deus vnicuique iuxta virtutem suam reuelat, non quòd iis lumen maius inuideat, sed vt in distributione diuinæ cognitionis æquitatem seruet: proprium siquidem iustitiæ est, cuique pro merito mensuram tribuere. Itaque immensa quidem est Dei cognitio, sed mensuris nobis opus est: nam si absque mensurâ nobis reuelaretur, haudquaquam seruari possemus, sicut neque oculus corporeus, si totum solem excipiat

G

IMMENSITATEM SVAM DIVINO QVODAM DECORE.] Immensitatem modò vocat ipsam Diuinitatem, eiusdemque, quoad fieri potest, illustrationem.

Quomodo Deus sit incomprehensibilis.

SICVT ENIM COMPRENENDI NEQVEVNT.] Docet hîc, quomodo Deus non possit intelligentiâ comprehendi: etenim si res simplices & infiguratæ, tametsi substantiæ sint, non subiiciuntur sensibus corporeis, vt Angeli, & animæ; quantò magis eos excellit Deus, qui non est substantia, sed supra substantiam; neque simplex, sed supra simplicitatem; neque intellectus, sed supra intellectum; neque vnitas, sed supra vnitatem; nec vllo termino circumscriptus, sed infinitate suâ ab omnibus solutus? Cùm igitur audis in Scripturis formam Dei, & speciem, & faciem, intellige per anagogen, id est, eleuatè, & supra corpora, vt Deo dignum est. Cùm verò vnitatem audis, ne intelligas quasi varia quædam ad vnionem concurrant: non enim de his nunc sermo fit sed de Deo, qui nec est principium numerorum, neque compositus, sed supra simplices substantias vnitas.

H *Quomodo forma & similia de Deo intelligenda.*

EFFECTRIX VNITATIS.] Hinc postquam ea quæ de Deo sunt, ex omnibus quæ in rerum naturâ sunt exemit, deinde, sequens linguæ nostræ modum (non enim supra hunc ferri possumus) ex illis ipsis Deum laudat, è quibus eum exemit; & vnitatem vocat, sed vnificam vnitatum, id est effectricem simplicium substantiarum, vtpote Angelorum & animarum; & mentem non intellectilem, id est, quæ à nullâ mente intelligitur. Si enim simile à simili cognoscitur; oporteret, si mens esset, à mentibus cognosci. *At quis cognouit mentem Domini?* Est igitur mens supra mentem, & nomen supra omne

Rom. 11. 34.

nomen.

A Exod. 6. 3.

nomen. *Et nomen*, inquit, *meum non manifestaui eis.* Quamobrem omnibus est sine nomine. Imò nec ens est: etenim si ea quæ sunt ex nihilo creat, non sanè ex iis est quæ sunt, sed supra ea quæ sunt. Quòd si dicit, *Ego sum qui sum*, intellige vt decet, esse scilicet sine principio & sine fine, quin etiam inscrutabilem.

Exod. 3. 14.

§. 2.

EIVS QVID SIT SCIENTIA.] Solus enim Deus ipse sua cognoscit, scienter & propriè seipsum, prout est, cognoscens; cæteris verò omnibus secundùm se ignotus est quid sit, & qualis sit: *Nemo enim nouit Patrem nisi Filius, & Filium nisi Pater.* Nam Pater cognoscens suam venerandam imaginem, id est Filium, seipsum cognoscit, eodem modo sanctum Spiritum: *Nemo enim nouit, quæ sunt Dei, nisi Spiritus qui est ex Deo.* Omnia igitur quæ Beatus hic vir de Deo contemplatur, de venerandâ Trinitate intelligit.

Matt. 11. 27.

Apoc. 19. 12.

B

Deus quomodo omnia continens sit extra omnia.

INFINITATEM.] Id quòd limitatum est, vtique etiam comprehenditur ab eo à quo limitatur. Quod si vero Deus est omnium locus, non corporaliter, sed effectiuè (nam & terram & omnia ipse implet, & extra hæc cœlum existit) patet ipsum esse infinitatem, id est potentiam nullo modo limitatam.

NON TAMEN INCOMMVNICABILIS EST.] Id est, omnia eius communionem & salutarem prouidentiam participant.

SVPERSVBSTANTIALEM.] Quâ ratione modo Diuinitatem vocat substantiam modo vero suprasubstantiam? Quemadmodum mentem supra mentem, & nomen super omne nomen; sic etiam substantiam supra substantiam appellat.

In quantum ad Dei notitiam sit aspirandum.

INTENDENTES.] Iis enim quæ ad captum nostrum Deus accommodauit, his mentem nostram conuenit applicare, & nihil vltra nostram infirmitatem inquirere: vt quoniam bonus, quoniam creator, quoniam benignus, & cætera. Quænam autem sit substantia Dei, ne curiosiùs scruteris.

C

SVPRA VIRES INSOLENTER ALIQVID PRÆSVMVNT.] Rectè addit ἀδυνάτως, id est, *impotenter*: etsi enim quispiam attentarit, minimè assequitur, sed tantum intellectûs oculis hebetatis, etiam à vero lumine excidit, non secùs ac qui integrum solem oculo corporeo excipere contendit. Hoc cùm diuinæ ac intellectiles illæ Virtutes insinuare vellent, Cherubim & Seraphim, facies tegunt, declarantes se non inhærere contemplationi sublimiori quàm ipsis concessa sit; atque hoc est illud, *Deum nemo vidit vnquam.* Et proinde Theologi gloriam Dei non vero Deum vidisse aiunt.

Ioan. 1. 18.

§. 3.

QVOD QVIDEM MENTEM SVPERAT.] Ex his licet clarè colligere vesaniam Arij & Eunomij, qui de ineffabili & suprasubstantiali Vnigeniti substantiâ disputare præsumpserunt.

Θεαρχία quid.

SVMMÆ DIVINITATIS.] Summam diuinitatem vbique vocat reginam omnium Trinitatem, quia nimirum iis, qui etiam Dij appellantur, imperat, Angelis, inquam, & Sanctis, sicut anteà dicebamus. Arcanum autem vocat innominabilis illius substantiæ incomprehensibilitatem, de quâ mox dicit, *modesto quodam silentio*; & superiùs, *quoad fas est*, &, *prout sacra decet.*

D

BENEFICVMQVE PRINCIPIVM.] Secundùm quid Deus sit principium omnis illustrationis, & quæ sint luminis apparitiones ac reformationes.

RESVRRECTIO.] Hoc ipsum est quod Simeon dicebat, quando Christum cernebat, *Hic positus est in ruinam, & resurrectionem multorum in Israël.* Ruinam quidem eius quod in nobis deterius est resurrectionem vero eius quod præstantius existit.

Luc. 2. 34.

ILLVMINATORVM ILLVSTRATIO.] Gradatim quasi ad maiora progrediens, ait primùm eos qui illuminantur, deinde illos qui perficiuntur. Perfici autem est, ad perfectionem duci per profectum in bonâ vitâ post Baptismum, vt quis dicere possit: *Cursum consummaui, fidem seruaui.* Cùm igitur adoranda Trinitas istiusmodi & vniuersæ perfectionis principium existat, iure merito principium perficiens intelligitur. Qui itaque profectu perficiuntur, omnino deificantur, diuinæ naturæ participes effecti, quorum proportione quadam diuinitatis principium est ipse Deus, cùm sit principium quoddam eorum qui Dij facti sunt. Post hunc igitur adscensum proficiunt ad simplicitatem, per resurrectionem æquales Angelis effecti, & non ampliùs habentes corpus animale, vt ait Apostolus, id est, quod per animam consistit & mouetur, sed spiritale, dum nimirum per sanctissimum Spiritum, copiosè in ipsos effusum, à multipliciter compositâ rationum sensuumque varietate liberantur; vnde etiam ad simplicitatis vnitatem, vti prædiximus, adducuntur: nam etiam alibi dicit: *Quoniam credentium erat cor & anima vna.*

E 2. Tim. 4. 7.

1. Cor. 15.

Act. 4. 32.

VIVENTIVM VITA.] Per se Deus non intelligitur, sed, cùm omnium rerum causa sit atque principium, simplicium est simplicitas, & vita viuentium, & substantiarum supersubstantialis, bonorumque simpliciter omnium largitor existit.

F

§. 4.

EXPLANATORIE.] Explanatores seu interpretes propriè dicebantur, qui ineffabilia mysteria symbolicè exponunt.

Quid monas in Deo.

VT MONADEM QVIDEM.] Hic declarat quid potissimùm sibi velint monas & vnitas, cùm de Deo dicuntur; atque hoc à Theologis dici, vt indiuiduitatem Dei repræsentent. Quod enim mole & quantitatibus distinctum est, hoc instar corporis in partes diuiditur; quod autem parte caret, id etiam non apparet, quinimò est supra omnem incorporeitatem. Cæterùm quia Deus cùm cogitasset, voluntate produxit omnia, non tanquam mens aliqua in cogitationes diuisa multiplicatus fuit, sed potiùs, inquit, mansit in vnitate, & in eâ manens impartibiliter & non dispertitè produxit, & producit omnia in creaturâ. Nam vsque modo Deus operatur, sicut in Euangeliis dicitur. Singulari ergo modo simplificatus est, qui omnem simplicitatem indiuisim excedit.

Ioan. 5. 17

G

Inferiora ad superiora conuerti.

ATQVE DIVIDVIS.] In supramundialibus & hoc modo qui videtur, infera conuersa sunt ad superiora, & res corporea sita est in viuente: siquidem *in manu eius sunt omnes fines terræ*, imò etiam cœli: In quo enim, inquit, sunt omnia. In nostro autem hoc mortali contrarium dictis accidit: nam anima conuertitur ad spiritum, in quo sensus ac ratiocinationes fundantur, quibus in speculatione rationes inuestigamus: qui Spiritus, secundum Apostolum, nouit quæ sunt in homine. Anima igitur ad hunc spiritum conuersa, conuertitur etiam ad sensus qui in ipso sunt, & per eos ad corpus: & in mente cogitationes quasi diuiduntur, & discriminatim in diuersitates prodeunt à primis cogitationibus ad sequentes, in bonas siue malas. Dicit ergo, nos, in Deum intendendo, ab vnitate illâ quid vnum indistinctum fieri, discriminibus nostris quæ multis partibus constabant, ex diuisione in complexionem coactis, & supermundialiter vnificatis, id est, non sensili, sed intellectuali modo, cùm ab eorum coniunctione minimè abhorreamus, sed vniformiter quid vnum effecti simus, sicut & ipse vnum est, quemadmodum in Euangeliis ait.

Ps. 94. 4.

1. Cor. 2. 11.

H

VT TRINITATEM VERO.] Nota, Trinitatem tribus personis subsistentem; & Patris fœcunditatem vocare incomprehensibilem eius progressum ad Filij & Spiritus sancti per semetipsum manifestationem. Rectè porrò ait, *vt Trinitatem*: quoniam non tam numerus quàm gloria recensebatur. Dominus enim Deus Dominus vnus est.

Ioan. 17. 21.

EX QVA OMNIS PATERNITAS.] Affinitates intelligendæ sunt ordines eiusdem seriei tanquam sibi inuicem coniuncti Cherubim, Seraphim, Principatus, Potestates. In nobis vero etiam spiritales quodammodò cognationes & complexiones, quales v.g. cognationes etiam Moyses significauit.

QVOD OMNIA QVÆ SVNT.] Omnes creaturæ

Dei bonæ & valdè pulchræ factæ sunt, & sunt, in quantum manent in naturali ordine, in quo productæ fuerunt: peruersio autem, quæ contra naturam est, siue in Angelis siue in animis, siue in quibuscunque corporibus existat, pulchritudinem destruit, & ab hac deficiendo turpitudinem operatur.

Vna persona Trinitatis incarnata est.

VERA INTEGRE.] Pulchrè hîc explicat mysterium incarnationis, quoniam vna persona Trinitatis passa est. Nota verò, vnam illam personam nobiscum integrè communicasse, quodque dixerit, ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, cùm simplex existeret, deinde compositum, humanam extremitatem ad se reuocasse. Rectè igitur dicimus, vnam personam sanctissimæ Trinitatis crucifixam esse, quod est contra Nestorianos & Acephalos. Ecce enim inquit, Vna personarum se nobiscum integrè communicauit; vti Apostolus ait: *In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Quod autem dicit *integrè*, est etiam contra Apollinarium, significat enim, ipsum assumpsisse hominem perfectum.

Coloss. 2. 9.

ET SVMPSIT ACCESSIONEM.] Quod hîc Pater dixerit *accessionem*, arbitror ipsum significare spatium temporis quod Dominus in carne conuersatus fuit.

ET INCONFVSE.] Mansit enim Verbum idem Deus sine confusione factum quod non erat. Nota etiam, iam inde ab Apostolorum tempore prædicatum fuisse inconfusum.

ALIAQVE QVÆLIBET DEIFICA.] Deifica lumina vocat doctrinas Sanctorum, quippe quæ notitiæ lumen impertiunt, eosque qui credunt Deos efficiunt.

Apostoli quid per traditionem docuerunt.

PRÆCEPTORVM ARCANA.] Nota, vt de rebus sublimibus, & vulgi captum excedentibus, nempe de Theologiâ [id est sanctissimâ Trinitate] vel de viuificâ Dei dispensatione [id est incarnatione] arcanâ traditione egerint Apostoli, mysticè ista perfectis reuelando; & vt ab Apostolis promanarit id quod dixit *inconfusè & immutabiliter, & totius hominis.* Quare & Apostolus ad Thessalonicenses scribens, ait oportere ipsos seruare quæ audiuerant, *siue per sermonem, siue per epistolam.* Et rursus ad Timotheum, dicens, depositum dedisse in mysterio, quod hic interpretando dixit.

2. Thess. 2. 14. 1. Tim. 3. 9.

Traditio est eiusdē auctoritatis cum Scripturâ.

VELAMINIBVS QVIBVSDAM SACRIS.] Nota, sacram Scripturam eiusdem ordinis censendam esse cum traditionibus Episcoporum, quos Hierarchas appellare solet, tanquam principes Sacerdotum, id est Presbyterorum, & Diaconorum, & Ostiariorum, vti Hierarchia nostra tradit: vnde fit, vt eorum interpretationibus circa dogmata fidem habeamus, dum ex Scripturis, ad intelligentiam & doctrinam nostram, rebus supernaturalibus res crassiores circumponuntur; vt in Deo quidem, cùm apparet tanquam ignis, & velut senex in Daniele, & quasi vir luctans cum Iacob, & similia; in Angelis vero, v.g. Cherubim, in formâ ferarum, & alij in ordine virorum aut iuuenum.

DIVISORVM SIGNORVM.] Quia nimirum Scriptura Deum humano more describit, dum ei pedes & manus faciémque circumponit.

QVANDO INCORRVPTIBILES.] Quoniam Sancti in resurrectione cum incorruptione & immortalitate Christiformem statum consequentur, lucentes supra solem, non secùs ac Dominus, quando in monte fuit transfiguratus, vti Apostolus de sanctis ait; quoniam tunc erunt qualis & ipse est, ipsosque tum semper cum Domino futuros.

1. Thess. 4. 15.

Duplex Dei apparitio qualis.

VISIBILIS IPSIVSMET DEI APPARITIONIS.] Nota quoniam diuinum eius corpus vocet visibilem Dei apparitionem, ita vt eadem sententia quadret in Nestorianos & Acephalos, & eos, qui putant Dominum neque modo esse, neque vnquam futurum cum carne: atque vnam esse visibilem Dei apparitionem, scilicet carnem eius animatam, alteram vero spiritalem, quæ tum perfectiùs à nobis secundum mentem participabitur. Vnde ad Deum conuersi, inde perfectè illustrati vniformiter quid vnum euademus, à diuersitatibus nostris, quæ ex compositione oriuntur, id est à mundanis cupiditatibus sensibusque, liberati.

IN DIVINIORI IMITATIONE.] Diuiniorem imitationem vocauit accuratiorem & perfectiorem, significans per hoc, quomodo etiamnum Angelis digna Beatorum vita in Dei laude, & carnalium contemptu, etsi non omnimodè, versetur; ideoque etiam hæc imitatio moderatior est: tum autem in his apparebit id quod perfectum est.

INTELLIGIBILIVM SPECTACVLORVM.] Quoniam ex symbolis intuemur res illas spiritales quæ Angelos concernunt. De Angelis enim agit, vti declarat, cùm eos deiformes nominat. Suprà vero in libro de Cœlesti Hierarchiâ exponit symbola quæ ipsos tangunt, modo vero etiam addit ea quæ ad Deum spectant.

Quomodo Deus cognoscatur per cessationem.

SEDANTES.] Intellexit cessationem intelligentis operationis, naturæ diuinæ incomprehensibilitatem insinuans: huius enim nihil est quod mentis notione percipitur. Vel [sedantes] quasi ad aliquam quæ in confesso est, atque perspicuam comprobationem intelligentiam sistentes circa Dei incomprehensibilitatem, quæ intellectûs cessatione percipitur.

Quomodo res futuræ sint in Deo. 1. Pet. 1. 20.

INEFFABILI MODO PRÆEXTITERVNT.] Illud *præextiterunt* conandum est intelligere; omnia enim opera sequentia declarat. Hinc vtique intelligitur quomodo Apostolus ait, in Deo nos esse ante mundi constitutionem. Sciendum itaque, productionem omnium, secundùm causam & principium ab eo dependere: quoniam cùm res omnes per ipsum existunt, fit etiam probabile, eas, cùm futuræ erant, per eius inconceptibilem voluntatem in ipso quoque anteconstitisse, vtpote sciente & quod producet, & quando producet. Ante sæcula igitur in ipso præcognita anteconstiterunt: priusquam enim spiritalia producerentur, quæ sunt sæcula, & ante omnem aliam creaturam, futura ipsi erant cognita, iuxta quod dictum est: *Qui nosti omnia antequam fiant.* Et iterùm: *Antequam formarem te in vtero noui te.*

Dan. 13. 42. Ier. 1. 5.

QVI NEC COGITARI POTEST.] Ita quoque Gregorius Theologus explicans vulgatum illud, Deum intelligere, quidem impossibile; eloqui autem, impossibilius.

Quomodo Deus sit terminus omnis cognitionis.

ET VNIVERSORVM.] Cùm dixisset *terminationes essentialium cognitionum atque virtutum*, sermonem eundem repetiit, quem paulò antè dixerat, *omnes omnium cognitionum terminationes.* Aut igitur per vtramque vocem supponit, quod etiam antè positum fuerat, in Deo omnem cognitionem otiari, & omnis suæ motionis finem obtinere, propter naturæ diuinæ incomprehensibilitatem, quæ ab æterno & non in tempore, circa ipsam cernitur: vel potiùs est finis & terminatio seu consummatio omnis essentialis cognitionis. Hæ sunt essentiæ & virtutes circa quas versantur cognitiones, quas essentias ac virtutes omnes simul, & non sigillatim, sed confertim in Deo antè constitisse ait, secundum ineffabilem præcognitionis eius rationem, quâ cognoscit quodlibet eorum quæ producuntur, qualem naturam ac virtutem habiturum sit, quippe cuius essentia superessentialis est, notionémque transcendit. Sciendum porrò, aliud esse essentiam, & aliud virtutem: illa enim est eorum quæ per se subsistunt; hæc vero eorum quæ aliis insunt.

ETENIM CVM NOTIONES.] Explanatio illorum quæ dicta sunt. Rectè autem dixit: *Etenim cum notiones* circa substantias & res existentes versentur; Deus autem cum neque in substantiâ, neque quidquam rerum existentium sit, meritò etiam cognitionem excedit.

§. 5. Quotuplex sit phātasia.

NEQVE IMAGINATIO.] Aliud est imaginatio, & aliud notio siue intellectio: à diuersis enim potentiis oriuntur, & peculiariter cientur; siquidem intellectio est operatio & effectio, imaginatio vero est passio, & rei cuiusdam sensilis aut quasi sensilis enuntiatiua figuratio. Et sensus quidem promiscuâ quadam efformatione res apprehendit; at intellectus alio quodam, & non eo quo sensus modo res attingit seu percipit. Siquidem

siue

siue res corporea sit siue spiritalis circa quam sensus versantur, vti antè diximus, passibilis & formatiuus eorum motus existit; at discernendi percipiendique facultas, animæ seu menti tribuenda est. Hæc itaque, vti & imaginandi facultas, ad perceptiuam animæ vim contrahi debet: facultas enim imaginandi in tres partes diuiditur, in primam nempe illam, quæ figurat ea quæ sensibus percipiuntur; in secundam vero eam, quæ vestigiis à sensibus relictis confusas quasdam & instabiles imagines efformat, quam propriè imaginatiuam vocant; in tertiam denique eam, in quâ consistit voluptas omnis eius quod secundum imaginationem bonum, vel secundum dolorem malum apparet. Nulla igitur imaginatio, vti dictum est, in Deo locum habet; quoniam absolutè supra omnia existit, eminétque. Opinio autem est, talis quædam ex probabili secundùm æstimationem coniectura.

Neqve tactvs.] Tactum modo vocat intellectualem comprehensionem: nam dum rebus spiritalibus & immateriatis mentem scienter applicamus, videmur quodammodo illas tangere, & mente sentire quales existant, non secùs ac tactu res sensiles; Deum autem ne quidem mente contingimus.

Sine nomine et svpra nomen.] Innominabilem vocat, tanquam qui nullâ notione compellari valeat: ipse enim *vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*, vt ante tot annos Cyrum, & Iosiam.

Rom. 4. 17.

Sed vt.] Desideratus ille liber de Theologicâ hypotyposi.

Simvl Devm.] Quomodo sanctissimam Trinitatem simul Deum nominet.

Conivnctiones qvæ Angelis convenivnt.] Cùm dixisset Deum inexcogitabilem nobis & inexplicabilem existere, à minori deinde confirmat id quod de Deo dixerat. Si enim ignota nobis sint ea quæ Angelos concernunt, quid de Deo cogitandum? Ait itaque, Angelicas creationes quasi quasdam immissiones esse bonitatis Dei. Per immissionem autem intelligenda est Dei motio indiuisim diuisa in rerum productarum vnitatem, id est, in cuiuslibet rei intellectilis productionem. Possumus autem hinc etiam intelligere modos vniendi cum Deo, in quantum Angelis competit vniri Deo, secundum quam cum Deo vnionem aut incumbunt pro suâ dignitate bonitati Dei, aut ab eo bonitatis eius reuelationem excipiunt: atque ita non nobis solùm, sed inferioribus quoque Angelis ignoti sunt; à solis autem supremis Angelis cognoscuntur, vtpote dignis dicto illo modo vnionum. Porrò in libro de Cœlesti Hierarchiâ istos etiam ordines Angelicos recenset.

Quid sint immissiones Angelica.

Hinc deiformes.] Mentes deiformes, quas Angelos imitando, quantum assequi possunt, ad sanctarum Virtutum vnionem adduci asserit (has Virtutes priùs Angelos appellauit) Theologi nostri intelligendi sunt, Prophetæ inquam & Apostoli. Quod enim hoc non de Angelis accipiendum sit, patet, quod dicat *Angelos imitando*: Angelus enim non imitatur Angelum, sed qui illo inferior est. Cùm autem Theologus mentes vocat, intelligit illos, quoad fieri potest, Angelorum imitatione cum Deo coniungi, dum per omnis sæcularis operationis cessationem Deo vniuntur. In rebus enim spiritalibus manifestum est, motum omnem, omnémque operationem, & quietem omnem ad perfectionem illam vnificantem manuducere; quoniam circa res æternas & incorporeas vacationes istæ ac tranquillitates, operationumque cessationes iuxta naturam suam efficiunt, vt perturbatio cesset, & in vnitate perfectio obtineatur.

Quæ sint mentes deiformes.

Cessationem.] Impossibile enim est vniri Deo, & aliquo modo euadere in Deum, nisi quis à materialibus operationibus tum secundum sensum tum secundum mentem cessarit.

Rervm ablatione.] Rerum omnium ablationem vocat, quando cum nullâ re diuinam naturam comparamus. Quinimò ait, quòd neque corpus sit, neque habitus, neque virtus, & cætera omnia, sicut in sequentibus significauit.

Ipse vero nihil.] Deum nihil esse, sic intelligendum est, vt nihil sit eorum quæ sunt; superat enim omnia quæ sunt, cùm sit rerum omnium causa: vnde etiam Deus à Theologis & vbique & nullibi esse dicitur. Cùm itaque nullibi sit, omnia quidem per ipsum, & in ipso, vt qui nihil sit omnium; & in ipso rursum, vt qui sit vbique: cætera vero omnia per ipsum, quia ipse nusquam, & vniuersa quidem implet, vt qui vbique sit, secundùm Prophetam, nusquam vero, secundum alium dicentem: *Aut quis locus requietionis meæ?* Si enim tantùm erat vbique, ipse profectò erat omnia, & in omnibus localiter: atque adeo etiam nihil, tanquam qui sit supra ea quæ sunt.

Quomodò Deus nihil & omnia, nullibi & vbique.

Act. 7. 49.

Tanqvam ab omni habitv.] Habitus quidem est qualitas immanens; motus autem est id quod opponitur quieti, quæ oppositio in pluribus consistit; vita vero, quod hæc ostendit efficacia: imaginatio est id quod in intellectu species efformat; opinio autem est persuasa coniectura. Differt porrò intellectio ab intellectu; quia hic est in facultate intelligendi animæ, illa vero ipsum intelligendi motum significat. Hæc autem omnia, quæque his annumerata sunt, non sunt substantia, sed circa substantiam considerantur, vnde etiam à substantiâ distinxit.

Quid sit habitus, motus, &c.

Svmmæ deitatis providentia.] Ex his soluuntur fatuæ opiniones eorum qui ausi sunt dicere, insitam esse Deo naturâ quadam vim creandi, sicut insitum est araneolis texere: demonstrat enim, propter solam bonitatem producere Deum omnia. Quamobrem non audent Theologi laudare Deum ab iis quæ ipsius sunt, id est à naturâ & essentiâ eius (hæc enim ignota sunt) sed ab emanatione, quæ est prouidentia eius in ea quæ ab ipso auctore effecta sunt. Hanc diuinam prouidentiam, quâ omnibus Deus prouidet, laudibus celebrant. Omnia enim diuinam appetunt prouidentiam, per quam sunt, & consistunt; intelligentia quidem & rationalia scienter; intelligentia vero dicuntur, quæ idcirco quod mentes sint, intelligibilia quæ ipsis inferiora sunt, intelligunt: intelligibile enim est id quod intelligitur, & quasi cibus est intelligentis. Quæ igitur, quatenus intelligentia sunt, vt mentes intelligunt, eadem cum sint rationalia, quæ scienter Dei prouidentiam considerant, pro captu suo Deum appetunt: quæ vero inferiora sunt intelligentibus, & sunt animæ sensiles, ferarum, inquam, atque omnium animatorum quidem corporum, sed irrationalium, quorum anima ex elementis & materiali igne constat, in spiritu materiali suum esse habent; hæc solo sensu impulsa dum esuriunt, & sitiunt, meritò quoque modo sensili desiderant eum qui ipsis aliquid præbeat, iuxta illud, *Omnia à te exspectant, vt des illis escam ipsorum in tempore opportuno.* Similia quoque multa in Iob & Daniele reperies. Porrò alia, quæ solum Vegetantem seu vitalem sine sensu & animâ motum habent, sicut omnes plantæ & herbæ; quibus solummodò est spiritus vitalis, & substantia sine sensu, vt omnes arbores, quæ, iuxta quod dictum est, cum arescunt, vegetante spiritu priuantur, quo ad accretionem & germinationem impellebantur. Quocircà etiam hæc suo modo videntur appetere diuinam prouidentiam, vt consistant, & floreant, vnde etiam hæc assumuntur in Psalmo centesimo quadragesimo octauo, ad Deum pro ipsorum consistentià laudandum. Quare etiam ineffabilem illam participant prouidentiam, sed per solam vitam, etsi absque animâ & sensu, & secundum aptitudinem habitualem, quæ quædam proprietas est potentiæ: habitus enim dicitur qualitas immanens, secundùm quam affectionem ac virtutem aliquid dicitur quale. Cùm igitur secundùm hunc habitum solùm, ad accretionem ac motum substantialiter & habitualiter vegetantem vitam participent, dicuntur etiam diuinam bonitatem appetere, sed inanimatè & insensiliter.

Quomodo omnia sint à Dei prouidentiâ.

Psal. 144. 15.

Intelligentia qvidem.] *Intelligentia*

A

quidem vocat naturam Angelicam, *rationalia* verò humanam, his autem inferiora *irrationalem*, quæ tantùm sentiendi vi pollet: quocircà dixit *sensiliter*, id est, modo sensili: reliqua vero, vt plantæ, & omnia inanima & immobilia, illa quidem air secundùm vitalem motum, id est, altricem & auctricem, hæc enim etiam insunt plantis; inanima autem, eo quod omnino in se esse habeant; hoc enim appellauit substautialem & habitualem aptitudinem.

§.6.

VT ÆTERNVM.] Vide quàm perspicuè ex effectis & creaturis supremum omnium laudent. Æternum quidem dicit sæculorum conditorem, & qui reapse est æternitas; siquidem ipse semper existit, vnde & æternitas appellatur; æternum autem non est ipsamet æternitas, sed id quod æternitatis est particeps. Atqui Isaias ait, *Deus sempiternus, qui creauit terminos terræ:* Deus autem non est posterior æternitate vt eius particeps existat, sed creator sæculorum.

Isa.40.28.

B

VT NON SENESCENTEM.] Iuxta illud, *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

Ps 101.28.

VT IN AVRA TENVS.] Hoc est quod dicitur in libris Regum, *Non in commotione Dominus*, neque in nube aduênit Dominus vt Eliæ loqueretur, *sed in sibilo auræ tenuis vocat Dominus.* Hoc verò declarat ipsum dicere, Deum omnibus incomprehensum etiam in corpore existere: spiritus enim & ab omnibus participatur, & est in omnibus, neque ab vllo comprehenditur, prout etiam in Euangeliis ipse Dominus ait: *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.*

3.Reg.19.12.

Ioan.4.24.

§.7.

ET NOMINE CARERE.] Ait nomine carere, quia ipse est omnia, & nihil eorum quæ sunt; sed omnia ex ipso sunt, prout ipse se explicat.

VT PRINCIPIO.] *Principio* quidem, vt quod esse præbeat, *fine* vero, vt quod in esse conseruet.

OMNIA IN OMNIBVS.] Omnia autem quæ sunt, quia ex ipso sunt omnia.

C

VT DOMICILIVM.] Appellat ipsum omnium domicilium, vt qui sit sanctorum omnium habitatio, sicut ipse Dominus ait, *Manete in me.* Nam sumus velut templum eius, iuxta illud, *Inhabitabo in illis, & inambulabo:* ita etiam ipse domus nostra est. Rectè autem statim subiunxit *vnite.* Cùm enim dixisset ipsum esse omnia, & in ipso omnia; ne quis mentem ad compositionem inducens à vero aberret, existimaret omnia in Deo aceruatim circumferri, aut Deum secundùm compositionem esse vniuersa, illicò istiusmodi absurditati occurrit, dicendo *vnitè*, id est in propriâ vnitate, quin potiùs supra vnitatem superlocatum manentem, sine vllâ cum rebus partitione ac mixtione, esse omnia & in omnibus. Quin imò est omnibus incomprehensè, id est à nullo comprehensus, vel corporaliter circumscriptus, sed potiùs exemptus: nam est extra omnia, nullibi existens, cùm ex ipso sint omnia, & ipse in omnibus; ex ipso siquidem vniuersa consistunt.

Ioan.15.4.

2 Cor.6.16.

SED VNIVERSA SIMPLICITER.] Id est sine compositione: cum nullâ enim re compositus fuit, aut corporaliter vnitus, nisi tempore Incarnationis.

D

DIVINIS VISIS.] Quoniam visa vocat Dei in symbolis reuelationes. Nota etiam quomodo id dicat.

§.8.

IN SACRIS TEMPLIS.] Gentiles [illegible] vocabant deorum suorum delubra. Hic sanctus vtique declarat in his illud Isaiæ, vbi videtur dicere, ipsum in templo vidisse diuinam illam Seraphinorum visionem. Quæ verò dicuntur, dicta sunt propter visionem Ezechielis in Babylone, & propter alias quasdam visiones.

ET SEDES.] Thronos.

SYMBOLICA THEOLOGIA.] Promittit se aliud opus scripturum, quod vocat Symbolicam Theologiam.

HIERARCHICVS.] Nota, maximè decere Sacerdotes diuinam Scripturam contemplari.

DEIFORMES.] Id est, qui Dij apparent.

ET SACRAS AVRES.] Præcipitur Sanctis vt sacras aures adhibeant, id est auditum pium, & sanctis dignum.

E

PROFANORVM.] Id est nondum initiatorum. Qui enim risu & subsannatione diuinos sermones vel interpretationes excipit, tanquam hostis Dei iudicandus est. Scribit autem Apostolus ad Timotheum, non disserendum esse de talibus cum iis qui sermonem in veritate non suscipiunt.

2.Tim.3.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Timotheus quis fuerit.

PRæsentem librum Magnus Dionysius scribit ad sanctum Timotheum, Magni Pauli discipulum, Ephesi Episcopum ab Ipso constitutum. Qui, quòd tum in Ioniâ Philosophorum hæreses pullularent, multæque Dialecticæ argutationes ei ab illis obiicerentur; cùm probè nosset, Magnum Dionysium non externâ minùs quàm diuinâ sacrâque sapientiâ præditum, vt qui Magni Pauli discipulus extiterat, & diuinis scriptis multùm vacauerat, petit ab eo proposita edoceri, quod & fit. Vocat itaque ipsum Magnus Dionysius Compresbyterum, id est Coëpiscopum, sicut semetipsum vocat Presbyterum, id est Episcopum. Sic enim etiam in Actis sanctorum Apostolorum declaratur, vbi Magnus Christi Apostolus Paulus Asiæ Ecclesiis nonnulla præscribit. Cùm autem hic tractatus sit de Diuinis nominibus, sciendum, vniuersim & in omnibus nomina non significare substantias, & quidquid sit, hoc enim est definitionis; sed nomen etymologia quædam est ex iis quæ rei nominatæ adsunt, v. g. ἄνθρωπος, id est homo, ab ἄνω ἀθρεῖν, id est, ab eo quòd sursum tueatur vel aspiciat, nomen accipit. Hoc igitur quid sit esse diuini Numinis, etiam ipsismet Angelis est inscrutabile. Quòd autem ex quibusdam effectis suis (Deus v. g. bonus, Saluator, quam Theologiam affirmantem vocant) vti & illam quæ ex rebus nostris sumitur negantem dicunt, vt quòd sit incomprehensus, expers formæ, immortalis) quòd ex hisce, inquam, denominetur, nequaquam ab ipsius sanctimoniâ abhorret: non enim naturam eius multiplicamus, quod fieri non potest; sed quemadmodum ex sacris quibusdam quasi compositis Dei descriptionibus ad simplicitatis eius aliqualem cognitionem promouemur, sic etiam ex istiusmodi nominibus, & eorundem vsurpatione, ad id quod innominabile est adducimur. Hinc si quis aliquid de Deo dixerit, est supra id quod dicit; omni enim nominabili nomine est eminentius. Idcircò in his excogitata est à Theologis loquendi formula per præpositionem ὑπὲρ, & αὐτό: atque ita dicitur Deus supraquam bonus, & per se bonus, & supraquam infinitus, & per se infinitus. Illud quidem dicitur, quoniam supra ea quæ dicuntur incomparabiliter eminet; hoc verò, quia propriè & primariò, & non secundùm participationem vel habitudinem vel comparationem est: nam nomen vel corpus vel rem significat, supra hæc autem diuinum Numen incomprehensibiliter & eminenter existit.

F

Nomen quid significet.

Deus vnde nominatur.

G

Particula super, & per se, quã vim habeant.

§.1.

H

Nunc autem, ô beate, secundùm gratiam & participationem eius, qui beatus, & nequaquam fato motríve subiectus est, Dei, Timothee, post Theologicas informationes, & præintroductiones. Alius enim ante hunc à sancto hoc elaboratus est, tractatus, elementaris eorum quæ de Deo in Scripturis dicta sunt, post quem, secundum ordinem, præsens hic liber est compositus. Post illum itaque ad diuinorum nominum explicationem transibo. Ἀνάπτυξιν, id est explicationem, igitur vocauit διασάφησιν, id est declarationem, quod hæc diuina nomina quid profundius contineant quàm id quod apparet. Sit autem etiam hic ante io confesso, nos eorum quæ de Deo dicuntur veritatem minimè tradere, & astringere humanæ sapientiæ persuasioni atque sermoni; incomprehensibilis enim est, & super omnia quæ existunt, ita vt ex his nunquam colligi possit: nam humana sapientia ex rebus sensibilibus demonstrationes emendicat. Quòd si etiam dixeris, ipsam immediatam esse propositionem quæ per se credibilis sit, &

Deus incomprehensibilis quomodo cognosci debeat.

ex

ex partialibus sensibus menti applicetur, quomodo de iis quæ omnem superant essentiam ratiocinari quis poterit, nisi saltem summo mentis vigore per puram religionem modo inexplicabili illa valeat assequi cogitando? Non sic itaque veritatem in humanæ sapientiæ persuasibilitate inuestigamus, sed in ostensione virtutis Theologorum, quâ rebus ineffabilibus & ignotis spiritali modo coniungimur, hoc enim est Ineffabili & Ignoto. Nam si quis aliquid proferat docendo; & discendo cognoscat, nequaquam id iis quæ de Deo sunt notionibus conueniet, nisi spiritales nostræ facultates roborentur diuinis rationibus à Spiritu sancto motis, quibus ad talem ineffabilem coniunctionem disponantur, secundùm excellentiorem rationalis & intellectualis nostræ virtutis, iuxta quam aliquid effari & concipere valeamus; atque operationis vnionem, secundùm quam dicimus vel intelligimus. Hoc autem est, quòd similis sit, nosse simile. Nostratia itaque rationali methodo atque scientiâ noscimus, dicentes, nos intelligendi vi & operatione, secundùm conuenientem eius quod cognoscitur proportionem intelligere, & quodammodò rebus ipsis coniungi & vniri. Quemadmodum enim in sensu vsu venit, vt, tunc sentiamus, quando sensibili sensus coniungitur; sic etiam in intellectione se res habet: nam etiam intelligibili intellectus vnitur, quando illud apprehendit. Et hæc quidem quoad alia, quoad Deum verò, cùm nihil habeamus Deo magis affine quàm mentem ac rationem, rursum ea quæ harum potissima sunt & quasi flores, hæc etiam purgata accipiuntur, ita vt & mens quidem quodammodò cognoscat, ratio verò enunciet quæ supra nos sunt.

Nihil nisi ex Scripturis de Deo dicendum.

Nihil igitur omnino præsumendum dicere vel cogitare de eâ, quæ supra omnem essentiam, tam sensilem quàm intellectualem, etiam naturâ suâ abdita est, Deitate, præter illa, quæ ex sacris diuinisque Oraculis sunt manifestata, quibus etiam quodammodò mens nostra ratioque delectatur: nam & sermonem & intellectum & essentiam excedit superessentialitatis eius ignoratio, cui soli superessentialis scientia tribuenda est. Obserua verò etiam scientiam ignorationis, & non tantùm cognitionis: non solùm enim non capimus scitè quid Deus sit (nam hoc est impossibile) sed etiam quid non sit, scimus tamen Deum non esse aliquid rerum existentium.

Nos non scire quid Deus sit, & quid non sit.

Quomodo autem, & quâ de causâ non nouimus id quod exactæ scientiæ est in rebus nostris? Quando quid est scitè nouimus, tunc etiam quid non est scitè nouimus. Si enim causam scimus cur homo sit rationalis, quòd nimirum ratione vtitur, cùm hoc sit medium & causa, per illud ipsum medium nouimus etiam causam cur homo non sit irrationalis. Quoniam verò de Deo quid sit, dari notio non potest, eius etiam quid non sit, ignorationis scientia supernaturalis Deo quoque tribuenda est. Tantum ergo ad superiora suspiciamus, quantum se nobis insinuauerit sacrorum ille radius Oraculorum (non enim quantum potest, sed quantum satis est, Deum ex Scripturis discimus) quo eminentioribus istis rerum diuinarum splendoribus sobrietate quadam ac reuerentiâ contemplemur. Etenim si quid sapientissimæ Magni Pauli Theologiæ credendum est, (ipse enim est qui dicit, secundùm mensuram virtutis cuiusque à Deo donari illustrationem) hoc dicimus, quoniam pro singularum captu mentium siue humanarum, vt quæ primùm illustrationem accipiant, siue Angelorum, quos mentes appellare solet, vt qui omnino essentialiter mens existant, & omnia intelligant vnitè quæ à Deo in ipsos continuè deriuantur, pro cuiusque, inquam, captu diuina reuelantur: non quòd Deus iis lumen maius inuideat, sed vt in distributione diuinæ cognitionis æquitatem seruet. Proprium siquidem iustitiæ est, cuique pro merito mensuram tribuere. Itaque immensa quidem est Dei cognitio, sed mensuris nobis opus est. Nam si absque mensurâ nobis reuelaretur, minimè seruari possemus; sicut neque oculus corporeus, si totum solem excipiat. Summa itaque Dei bonitas siue iustitiæ decorem, siue nos ipsos seruare volens, vti Deum decet (nam Deo conuenit saluare, & non inuidere) à rebus mensuratis & comprehensis suam immensitatem, vtpote incomprehensibilem, subducit, dum diuinæ cognitionis incomprehensibilitatem per proportionem quandam tribuit.

Eph. 4. 7.

Deus suî cognitionem nobis ad capacitatem nostram accommodat.

Sicut enim imperceptibiles sunt & inuisibiles rebus sensitiuis intellectuales, & fictis compositisque simplices & incompositæ, & per figuras efformatis infiguratæ, secundùm eandem rationem etiam res diuinæ incomprehensibiles existunt. Si enim res simplices & infiguratæ, licet substantiæ quædam sint, minimè sub sensum cadunt, vt Angeli & animæ, quantò magis Deus supereminet, quia non substantia, sed supra substantiam & infinitus existit, neque mens est, sed supra mentem vnitas? Vnitatem verò audiens, ne quis cogitet diuersorum quorundam ad vnitionem concursum: non enim de talibus modò sermo est, sed de Deo prorsus incomposito, & supra ea quæ vnius substantiæ sunt vnito. Nam quid vno magis simplex, & vnius substantiæ est? tamen Dei vnitas supereminenter supra id ipsum est, & omnibus mentibus inconceptibile est illud vnum quod ibi mentem superat. Hic enim intelligentia nostra variatur, dum, demonstrationes & propositiones aliquas excipiens, multiplicatur. Quando autem ex his colligit conclusionem, ex iis quæ proposita sunt comperit vnum quiddam aliud consequi. Illud autem vnum quod supra mentem est, non est tale quid, sed inconceptibile, & quod ratiocinatio non attingit: quippe quod bonum est, supra rationem, omni etiam verbo ineffabile est.

Qualis vnitas Deo competat.

Cæterùm cùm ea quæ sunt Dei, à rebus omnibus existentibus excepit, linguæ nostræ modulum sequens, (neque enim hunc excedere valemus) ex iis ipsis rebus, à quibus Deum excepit, ipsum laudat. Et ait ipsum esse vnitatem, sed effectricem vniuersæ vnitatis, id est creatorem simplicium substantiarum, vt Angelorum, animarum: & mentem, sed non intellectilem, id est, quæ à nullâ mente intelligitur. Si enim simile à simili cognoscitur, si mens esset, oporteret vt à mentibus cognosceretur. *at quis cognouit mentem Domini?* Est igitur mens supra mentem, & nomen supra omne nomen. *Et nomen,* inquit, *meum non manifestaui eis.* quamobrem omnibus est sine nomine. Quòd si dicit, *Ego sum qui sum*, intelligitur vt decet, esse scilicet sine principio & sine fine, & vt ipsa Diuinitas de se ipsâ dicit; soli enim Diuinitati ipsi per se natura sua nota est, & sola se scitè ac propriè nouit. *Nemo enim nouit Patrem nisi Filius, & Filium nisi Pater.* Idem est de sancto Spiritu: nemo enim nouit ea quæ sunt Dei, nisi Spiritus qui ex Deo est.

Deus sine cognitu & sine nomine.

Rom. 11. 34.
Exo. 6. 3.
Exod. 3. 14.
Matth. 11. 27.

§. 2.

De hac igitur superessentiali: nam essentia dicitur ab esse; ipsum autem esse, cùm productionis alicuius sensum insinuet, non dicitur propriè essentia, sed superessentialis. De hac igitur superessentiali ac recondita diuinitate non præsumendum dicere, sed ne cogitare quidquam, præter ea quæ sacris sunt Eloquiis enunciata. Nam vt ipsa de se in Euangeliis tradidit (quando Dominus dixit, *Nemo nouit Patrem nisi Filius; & nemo nouit quæ sunt Dei, nisi Spiritus qui est ex Deo*, benignè vlius cohibere nostram præposteram scrutationem) eius scientia & contemplatio omnibus est inaccessa substantiis, vtpote omnia excedens. Multos quoque Theologos inuenias illam non modo inuisibilem, incomprehensibilemque dixisse (hæc enim Dei laus est, quando quis decenter de Deo loquitur; sicut è diuerso blasphemia, quando quis indecenter) verùm etiam inscrutabilem & inuestigabilem: quoniam arcanum eius, est eius infinitas. Et non tantùm non comprehenditur propter infinitatem (quod enim terminatum est, comprehenditur ab eo à quo terminatur: Deus autem est locus omnium non corporaliter, sed effectiuè; nam cœlum & terram & omnia ipse implet,) quin imò nullum extat vestigium eorum qui ad eius secretissimam infinitatem penetrarint. Huc autem dicis, non quasi aliqui quidem eò penetrarint, eorum verò vestigia non videantur; sed quòd neque eò peruenerint, neque vestigia aliquorum appareant, quomodo enim videri possint vestigia eorum qui non transiuerunt?

Matth. 11. 27.
1 Cor. 2. 11.
Apoc. 13. 11.

Deus inscrutabilis.

Etsi autem quis audiat hanc esse Incomprehensibilem,

A

Quomodo se Deus nobis ad captũ nostrum accommodet.

non tamen eius bonitas vlli omnino est prorsus incommunicabilis, sed diuinum radium in semetipso stabiliter firmatum (neque enim à proprietate suâ quidquam recedit) proportionatis cuilibet rei illustrationibus per bonitatem benignè distributum secundùm modum & ordinem cuiusque naturæ expandit. Quod enim dumtaxat est, propriè participat essentiam in quantum est; quod autem viuit, propriè vitam in quantum viuit; quod ratione menteque præditum est, propriè id ipsum in quantum ratione menteque pollet. Quin etiam ad quantum fas est sui contemplationem, ex quâ communio similitudoque existunt, sanctos Angelos excitat, dum ad bonum illud pro viribus conituntur, modò non sublimiùs, quàm pro eorum captu diuina fert illustratio, insolenter aliquid præsumant, nec in præceps peruersâ propensione labantur, sed, quoad possunt, constanter & irreflexis oculis illucenti radio obtueantur, nec non, amore indultis sibi collustrationibus commenso, cum sacrâ quadam reuerentiâ modestè sancteque sursum euolent.

B

Reuerenter ad notitiam tendendum.

Rectè addit τὸ ἀδυνατὸ, id est impotenter: etsi enim quispiam tentarit, minimè assequitur, sed tantùm intellectûs oculis obscuratis, etiam à vero lumine excidit, non secùs ac qui integrum solem oculo corporeo excipere contendit. Hoc cùm diuinæ Virtutes insinuare vellent, Cherubim & Seraphim, facies tegunt, declarantes, se non inhærere contemplationi sublimiori quàm ipsis concessa sit. Atque hoc est *Deum nemo vidit vnquam.* Vnde qui diuina sapiunt, gloriam Dei, non autem ipsum Deum visum asserunt.

Ioan. 1. 18.

§. 3. Has ergo diuinas lances imitantes (id est diuinam æquitatem seu iustitiam salutarem, quoniam illustrationes secundùm modum conuenientem fiunt) per quas nimirum lances Angelicæ etiam virtutes, secundùm conuenientes ipsis illustrationes, gubernantur: siquidem quod mentem essentiamque superat omnium qui dij appellantur, Angelorum inquam & Sanctorum, imperatricis ac regiæ Trinitatis, arcanum illud incomprehensibile à scrutatione vacuis mentis venerationibus, ineffabilia verò modesto quodam silentio prosequentes, fulgoribus, quæ nobis è sanctis Eloquiis affulgent, attendamus, & à Scripturis illustrati, ad diuinas laudes, siue diuina nomina, dirigamur. Verùm non ita dirigimur & efformamur, vt irrationabiliter & imperitè sequamur, & obscurè quodammodò ac sine lumine, sed ita vt illa videndo commensa quoque nobis lumina præbeantur, quibus instructi, principium & causam omnis illustrationis collaudemus.

C

Deus nobis & lumen, & intelligentia, & salus, & omnia.

Quomodo autem sit principium & causa, ipse Dominus in sacris Euangelijs ait: *Ego sum vita & resurrectio.* Vita, eorum qui diuinam imaginem in se aboleuerunt; quod enim interitus est corporibus, hoc animis diuinæ imaginis abolitio: resurrectio, eorum qui exciderunt. Adhæc verò impuro motu nutantium, ita vt à Dei vestigiis semitisque ferè exciderint, sacrum firmamentum, quoniam oratio ista prorsus impura est, contraria autem contrariis curantur. Adhæc stantium securitas; *In Deo* enim, inquit Dauid, *faciam virtutem.* Et ad se per contemplationem tendentium manuductio: nam ipsis adhuc clamantibus dicit, Ecce adsum. Et post adductionem illuminatorum illustratio, & basis perfectorum, ac principium profectûs eorum, & deificatorum principium diuinitatis. Atque insuper à materiali multiplicitate recedentium, ac simplificatorum simplicitas, & vnitorum, ac propriè vnitatem recipientium vnitas; omnis principij principium, atque abditi illius per bonitatem communicatio, vita viuentium, essentia entium, principium & causa entium, propter bonitatem, quâ & producit, & conseruat vniuersa.

Ioan. 11. 25.

D

Psal. 59. 14.

§. 4. Hæc ex Scripturis diuinis didicimus. Et omnem reperies Theologorum laudem, Dei nomina ad diuinas operationes referre, non ad ipsius naturam, quòd id laudi & interpretationi eius conducat; interpretes enim dicuntur, qui ineffabilia mysteria symbolicè exponunt. Hinc in omnibus fermè diuinis Scripturis Deum sanctè collaudatum reperimus vt monadem quidem, & vnitatem, quoniam monas incomposita est & indiuidua, vnitas autem vnitiua est, & vnita, & vnifica, vt repræsentet Dei indiuiduitatem.

Deus qualis

E

monas & vnitas sit.

Quod enim mole & quantitatibus distinctum est, hoc instar corporis in partes diuiditur; quod autem parte caret, id etiam non apparet, quin imò est supra omnem incorporeitatem. Cæterùm cùm etiam cogitando Deus voluntate suâ fecit cuncta subsistere, non tanquam mens aliqua in cognitiones diuisa multiplicatus fuit, sed postquam in se mansit ac manet in vnitate absque partitione atque diuisione, creaturas omnes & subsistere fecit, & sustentat: nam *vsque modò operatur.* Singulari ergo modo simplificatus est, qui omnem simplicitatem indiuisim excedit; inde enim nobis vnio obtingit.

Ioan. 5. 17.

Quomodo vnificemur.

Ephes. 4. 5.

Quomodo autem vnimur, cùm partialibus constemus diuersitatibus, secundùm quas quilibet ab altero differt? *Sed vna Fides, & vnum Baptisma*, & Christus non diuiditur, iuxta Magnum Apostolum. Coniungimur itaque in deiformi vnitate, ipsi quoque, prout decet, instar Dei simplices & partium expertes effecti, & ad vnionem Deum imitantem reuocati, id est, vnificamur & vnificamus: hoc enim est Deum imitari, iuxta quod etiam pacifici filij Dei appellantur, quoniam Deum imitantur. Itaque vel multi ita per pacem vnimur, vel qui in se vnus est hocce modo vnitur.

F

Matth. 5. 9.

Quemadmodum enim in supramundialibus, & hoc mundo qui videtur, inferiora conuersa sunt ad superiora, & res corporea sita est in viuente, siquidem *in manu eius omnes fines terræ* imò etiam cœli, (in quo, enim inquit, sunt omnia) sic etiam in proposito nostro vsu venit: nam anima conuertitur ad spiritum, in quo sensus ac ratiocinationes fundantur, quibus in speculatione rationes indagamus; qui spiritus nouit quæ sint in homine.

Psal. 94. 4.

1. Cor. 2. 11.

Anima igitur ad hunc spiritum conuersa, vti & ad sensus qui in ipso sunt, & per eos ad corpus, intellectiles operationes diuisas habet in diuersas, & discriminatim prodeuntes à primis cogitationibus ad sequentes, siue bonas siue malas. Dicit ergo, nos in Deum intendendo ab vnitate illâ quid vnum indistinctum fieri, discriminibus nostris, quæ multis partibus constabant, ex diuisione in complexionem coactis, & supermundialiter vnificatis, id est, non sensili sed intellectuali modò; cùm ab eorum coniunctione minimè abhorreamus, sed vniformiter quid vnum effecti simus, sicut & ipse vnum est, quemadmodum in sacris Euangeliis testatur.

G

Ioan. 17. 22.

A Deo omnis paternitas.

Rursus Trinitatem, vtpote in tribus personis subsistentem, & propter incomprehensibilem paternam processionem principio carentem, ad productionem Filij & Spiritûs sancti, *ex quâ omnis paternitas in cœlo*, id est ordines cœlestes, *& in terra*, scilicet spiritales cognationes & complexiones, moyses enim πατριὰς vocat cognationes seu affinitates, *est & nominatur.*

Ephes. 3. 15.

Deus rerum causa, &c.

Vt rerum causam, quoniam etiam omnia ex Patre per Filium in Spiritu sancto facta sunt, & essentiam acceperunt, non propter necessitatem, sed propter bonitatem. Vt sapientem quoque ac pulchram, quoniam omnes creaturæ Dei bonæ valdè factæ sunt, & sunt. Nisi itaque creator erat sapiens, quomodo factæ sunt? & nisi erat pulcher, quomodo ipsæ pulchræ sunt? in tantum autem pulchræ sunt, in quantum manent in naturali ordine in quo productæ sunt. Peruersio autem, quæ contra naturam est, siue in Angelis, siue in animis, siue in quibuscunque corporibus existat, pulchritudinem destruit, & ab hac deficiendo turpitudinem operatur.

H

Deus singulariter hominũ amator.

Singulari verò amore humanum genus complectentem, quoniam in veritate vna Trinitatis persona incarnata est, & perfectum hominem assumpsit (hoc enim denotat vox integrè) nobisque se communicauit, reuocans ad se sibique iungens humanam exinanitionem, ex quâ humanâ exinanitione diuinitate simplex IESVS est compositus, & naturâ duplex extitit; ac qui æternus est temporalem sumpsit accessionem, scilicet in carne conuersationem; nec non in naturâ nostrâ extitit secundùm hypostasim ipsi vnitus, qui vniuersum naturæ ordinem diuinitate transcendit immutabiliter & inconfusè incarnatus. Et quascunque alias doctrinas Scripturis consonè, præceptorum no-

Multa traditionibus accepta sūt.

strorum

A

strorum arcana traditio in mysterio (hoc enim est [illegible] (nobis indulsit) vbi nota, Apostolos perfectis per sermonem multa mysteria reuelando tradidisse; quare & Apostolus ad Thessalonicenses scribens ait, oportere ipsos seruare quæ audiuerant *siue per sermonem, siue per epistolam*: & Timotheo dicit, se depositum dedisse in mysterio) has & nos quoque hausimus: nunc quidem etiam huius vitæ tempore, intelligentiæ nostræ viribus accommodatè, per velamina Scripturarum, vt cùm dicitur, Deus quidem, velut ignis, & tanquam senex, & sicut luctans cum Iacob, & similia; Angeli verò, velut formæ ferarum, iuuenesque, & cæteræ figuræ. Hæc enim sunt velamina, quòd non possimus immediatè rebus ipsis coniungi, adeoque velaminibus quibusdam opus habeamus, quæ sunt prædicta. His itaque humano more nobis indultis, atque insuper traditionibus, erudimur. Vbi nota, sanctos quoque multa non scripto didicisse. Quænam autem est humanitas Scripturarum? Quòd nimirum secundùm diuinam dilectionem, vt res spiritalis & incomprehensibilis, à nobis caperetur, sensilibus signis vsa sit, tanquam quibusdam velamentis, & res infiguratas figurarit, simplicesque diuiduorum signorum varietate depinxerit: vt quando nimirum Scriptura Deum humanâ voce loquentem, pedes & manus faciemque illi circumponens, multiplicat & effingit id quod naturâ suâ vnum est, per symbola variegans & efformans. Et nunc quidem sic; at in resurrectione, quando Christiformem statum consequemur (hoc enim denotat vox [illegible]) *semper cum Domino erimus*, vt ait Apostolus, visibili quidem ipsiusmet Dei apparitione pleni, quoniam ipsius animatæ carni, quam assumpsit, indiuulsa lux inest; quæ lucidissimis coruscationibus nobis resplendebit, quemadmodum apparuit in Transfiguratione; intelligibilis verò illius illustrationis participes, quæ est etiam supra mentem & secundùm mentem vnio) secundùm mentem enim illam participabimus) tum perfectiùs, quando ad Deum conuersi, inde perfectè illustrabimur, vniformiter quid vnum erimus, à diuersitatibus nostris quæ ex compositione oriuntur, id est à mundanis cupiditatibus sensibusque liberati; hoc enim est mens impassibilis & immateriata. Quomodo autem participabimus? iactibus incognitis radiorum. Quantum enim accedemus, in tantum nobis incognitum erit; & quantum nos contemplationi vacabimus, tantum etiam infinitatis eius pelagus dilatabitur, ad diuiniorem Angelorum imitationem, id est accuratiorem: significans per hoc, quomodo etiamnum Angelis digna beatorum vita in Dei laude, & carnalium contemptu, etsi non omnimodò, versetur; ideoque etiam hæc imitatio moderatior est, tum autem imitatio diuinior existet. Nam, iuxta sacra Euangelia, *æquales Angelis erimus, & filij Dei*, quippe filij resurrectionis appellabimur. Qui *enim morti Domini complantati sunt, consortes quoque gloriæ erunt*, quemadmodum etiam Dominus ait: *Vado ad Patrem* meum, & Patrem vestrum. Verùm hæc post resurrectionem: nunc verò propriis symbolis vtamur (in Deo scilicet) & figuris, & nominibus. Verumtamen in illis nequaquam immoremur, sed contendamus, quoad possumus, ad simplicem & vnitam veritatem. Simplicem quidem, quoniam indiuisa est & vniformis: vnitam verò, quia singularis seu vnica est. Etsi diuersimodè symbolis multiplicetur, post diuinorum etiam notitiam Angelorum, tranquillantes ac sistentes intellectiles nostras operationes diuino radio, quantum fas est, attendimus. *Tranquillantes* autem seu sistentes dixit, secundùm duas explicandi rationes; vel quòd vsque ad Angelica spectacula sistimus intelligentiam, quasi in Deo omnis notio deficiat, vt qui nihil sit eorum quod mentis notione percipitur, tantùm autem supra notionem diuinus radius nobis per bonitatem affulgeat: vel *tranquillantes*, quasi ad aliquam quæ in confesso est, seu perspicuam comprobationem, intelligentiam sistentes, scilicet circa Dei incomprehensibilitatem, quæ intellectûs cessatione percipitur; in quo nimirum diuino radio omnes fines sunt omnium cognitionum: non enim ex parte, sed confertim, & simul præextitit. Et hinc intelligitur, quomodo Apostolus ait, in Deo nos esse *ante mundi constitutionem*. Sciendum itaque, productionem vniuersorum secundùm causam & principium ab eo pendere, quandoquidem res omnes per ipsum existant, probabiliter etiam ea, cùm futura erant, in ipso quoque antè constitisse; vtpote sciente, & quòd producet, & quando producet, vti dictum est; cùm omnia cognoscat ante illorum generationem. Hunc vtique radium neque mente concipere nec oratione proloqui valemus, neque alio quocunque modo contueri, quòd sit omnibus exemptus, & omnem quidem notionis & essentiæ & virtutis terminationem anticipet, supra omnes verò cœlestes intelligentias collocetur. Et vide quomodo id probet. Quoniam cognitiones aliquorum sunt cognitiones, verbi gratiâ rerum; & si aliqua definiuntur nota, quæ & ipsa res sunt. Quod igitur omni essentiâ rebusque omnibus eminentius est, vtique ab omni quoque cognitione eximitur. Sciendum porrò, aliud esse essentiam, & aliud virtutem: illa enim est eorum quæ per se subsistunt, hæc verò eorum quæ aliis insunt.

Cùm dixisset diuinitatem omnem essentiam & cognitionem superare, petit quomodo igitur nominari possit (nomina enim rerum subiectarum sunt declaratiua) & quomodo de diuinis Nominibus à nobis sermo concinnabitur, si, vti dictum est, & omnem sermonem & omnem notionem excedat? & si sit supra mentem & essentiam, quomodo mens eam attinget, aut apprehendet? Hæc enim vt creatrix omnia complectitur, quia cœlum & terram implet; & comprehendit, in quantum prouidet, in ipsâ enim omnia consistunt; & anticipat, quia rationes omnium, vel potiùs fines omnium notionum in ipsâ præexistunt. Est autem omnibus non simpliciter omnino & propriè, sed per se omnino, & per se propriè, & per se penitus incomprehensibilis. Nam quod per se infinitum est, etiam per se omnino incomprehensibile existit: & quale est subiectum, talis etiam est proprietas. Neque etiam sub sensum cadit, quoniam non est sensile; neque eius est imaginatio, quæ videlicet fit sensilis alicuius enuntiatiua figuratio, fit enim imaginatio ex reliquiis quibusdam ex sensationibus remanentibus, non habens solidas in aliquo imagines. Quomodo igitur imaginatione exprimi possit quod cerni nequit? Neque etiam eius est opinio, quæ quasi ex coniecturâ aliquâ secundùm æstimationem probabili formari possit: siquidem opinio est magis limitata quàm imaginatio, estque mentis ad vnum quid applicatio; quoniam hæc etiam sine ratiocinatione rerum terminos apprehendit, sicut intellectus per simplicem apprehensionem, cùm imaginatio infinitam & indeterminatam habeat multitudinem, sed neque etiam potest opinio ea quæ supra captum sunt apprehendere. Neque etiam sub nomen cadit: quomodo enim nominabitur quod superat omne nomen? Neque sub sermonem: quomodo enim quod ineffabile est enuntiari possit? Neque sub tactum, intellectilem videlicet, id est mentis: qui enim intelligibilibus & immaterialibus rebus mente incumbunt, videntur quodammodò ipsa tangere intelligendo qualia sint, non secùs ac sensilia per tactum sensilem, Deum tamen ne quidem mente contingimus. Cùm itaque quatuor animæ virtutes, quæ cognoscendi vi pollent, recensuerit, scilicet sensum, imaginationem, opinionem, mentem, addit & reliquam scientiam, scilicet sententiam; scientia enim fit per aliquas præexistentes notiones. Qualis autem Dei notio præexistat? quare neque sub scientiam cadit. Quomodo igitur nominari possit, cùm & innominabilis sit, neque vllâ notione compellari valeat: neque tantùm innominabilis, sed & supra omne nomen sit? Quod enim dicebamus, quando Theologicas informationes exponebamus, trinam illam vnitatem & simul bonum, & simul Deum, quid naturâ suâ sit, neque verbis exprimi, neque cogitando capi posse. Et quid dico Deum in

1. Thess. 2.14.

Modò cognitio nostra est sub velamine & symbolis.

B

Post resurrectionem erit clara visio Dei.

1. Thess. 4.16.

C

Luc. 20. 6.

Rom. 6.

Ioan. 16.

D

A

excogitabilem nobis & inexplicabilem existere? quin & cœlestium quoque virtutum dignæ Angelis vniones, secundùm quas Deo coniunguntur quantum Angelos vniri Deo conuenit. Hæ, siue immissiones siue susceptiones diuinæ bonitatis appellandæ sint, ineffabiles & ignotæ existunt. Per immissionem autem intelligenda est Dei * volitio indiuisim diuisa in rerum productarum vnitatem, id est in cuiuslibet productionem.

** motio.*

Verùm cùm susceptiones non eodem sensu accipiantur quo immissiones, aliter intelligendum est hoc dictum de Angelis, præsertim cùm immissiones & susceptiones Angelorum ad Deum seferantur.

Quid sit immissio, quid susceptio.

Immissio quidem est, secundùm quam incumbunt pro suâ dignitate bonitati Dei: susceptio verò est ipsa reuelatio diuinæ bonitatis quæ ipsis exhibetur. Hæ itaque non solùm nobis sunt ignotæ, vti reuerà sunt, sed etiam Angelis inferioribus: à solis autem supremis cognoscuntur, vtpote dignis præstantioribus vnitionibus.

B

Hisce diuinis vnionibus ad Angelorum imitationem vnitæ sunt mentes illæ deiformes Theologorum ac Prophetarum, cumque talis eis vnio obtigerit, vtique cessant secundùm omnem intellectualem operationem: non enim in motione Deus, sed magis in silentio & quiete diuina cognitio instillatur.

Deus in silentio magis cognoscitur.

Et qui deificati sunt propter puritatem, propriissimè Deum laudant ex ablatione, quam & negantem Theologiam vocant; quia noo corpus, non habitus, non virtus, cæteraque rationalia, existit, sicut in sequentibus declarat, hoc ex istiusmodi ineffabili vnione supernaturaliter illustrati, ipsum quidem rerum omniom esse causam, nihil aotem earum existere: non tamen quasi nihil omnino peoitus existat sed quòd ab omnibus superessentialiter exemptus sit. Psopriissimam porrò dicit hanc ex ablatione ad differentiam istius affirmantis: quid enim oon sit, scimus, sed quid existat, ignoramus.

Scimus quid Deus non sit, non autē quid sit.

C

Illam igitur supraquam essentiam, & supraquam existentiam, supraquam bonitatis, quoniam & supra bonitatem, & supra esse, & supra ipsam existentiam existit. Hæc enim omnia productionis significationem habent, Deus autem est supra omnem productionem. Deus itaque quid sit nemini illorum qui veræ veritatis amatores existunt, prædicare fas est: neque vt rationem, neque vt virtutem, neque vt alia, quæ sunt recensita; sed est super hæc omnia, & per excellentiam exemptus, & ab omni habitu, & ab omni motu, & ab omnibus quæ circa hæc versantur.

Nihil propriè de Deo prædicari.

Quid sit habitus, motus, vita, imaginatio, opinio, sententia, intellectio, statio, quies.

Siquidem habitus est qualitas immanens: motus autem est id quod opponitur quieti; quæ oppositio in pluribus consistit: motus enim elicit, vita verò hæc ostendit efficacia: imaginatio est id quod in intellectu species efformat: opinio autem est persuasa coniectusa: sententia est scientificus animi habitus: intellectio est mentis operatio: statio est quidem etiam quies quæ motui opponitur verumtamen quoque idem est quod stabilitas, pro quâ ex Græcorum vsu accipitur. Illi enim statuebant, & quibusdam ritibus confirmabant eos qui olim apud eos dij habebantur.

D

Quid sit vnio, terminus, instans.

Εvωσις seu vnio est mentis attactus, & quasi cognitio: terminus, quod non vt pars est io terminato; vt terminus lineæ est punctum; & terminus temporis est nunc, seu instans; instans autem est io tempore, & non tanquam pars temporis: nam pars temposis tempus existit. infinitas est infiniti coëxtensio. Hæc omnia non sunt essentia, sed circa essentiam videntur. Super Hanc autem ipsam essentiam rursum Deus eminet, & supra essentiam est, & supra Deum. Quoniam ipse quidem est essentia bonitatis, & non simplici ratione bonitas; creata vero omnia quæ sunt, etiam ipsius sui esse causam habent Deum, in hoc ipso esse, quod diuinum numen eminenter habet tanquam essentia bonitaris, per quam vtique bonitatem etiam omne quod est produxit. Atque hinc soluuntur fatuæ opiniones eorum qui ausi sunt dicere, insitam esse Deo naturâ quadam vim creandi, sicut insitum est araneolis texere: per solam enim bonitatem ineffabili voluntate Deus produxit creaturas.

Deus laudandus ex effectis.

Cùm itaque, quòd etiam in ipso sint per suum esse, causa rerum sit Deus, eius prouidentia, cùm nulla sit causa sublimior à quâ laudari possit, ex effectis laudanda est.

E

Quam ob causam; quia & circum ipsam sunt omnia, tanquam circum causam, & conditricem, & principium, ac si quis explicationis gratiâ dicat, sicut circumferentia circum centrum, & propter hanc, tanquam finem omnium, & ipsa est ante vniuersa. Principium enim & finis omnium est Deus, verumtamen supereminenser & effectiuè; siquidem non cum ipso, sed in ipso cuncta consistunt; & eo quòd Deus est, omnium quoque productio & subsistentia existit.

Quomodo Deū omnia appetant.

Hunc omnia appetunt; spiritalia quidem, vt Angeli & rationalia, vt homines, per cognitionem diuinæ prouidentiæ pro captu suo Deum appetunt. Quæ verò his inferiora sunt, scilicet irrationalia, quorum irrationalis m anima ex elementis & materiali igne constat, in spiritu materiali habent esse: hæc solùm ex sensu compulsa ad esuriendum & sitiendum, meritò desiderant sensili modo eum qui præbeat, iuxta illud, *Omnia à te expectant, vt des illis escam ipsorum in tempore opportuno*, Porrò alia, quæ solum vitalem sine sensu motum habent, sicut plantæ & herbæ, quæ vitalem spiritum solùm consistentem habent, & suam essentiam sine sensu, quæ vtique frequenter arescunt, naturali spiritu priuata, quo ad accretionem & germinationem impelluntur.

Psal. 144. 15.

F

Appetunt etiam hæc diuinam prouidentiam, vt consistant, & floreant, vnde etiam hæc assumuntur in Psalm. 148. ad laudandum Deum propter ipsorum consistentiam. Inanima verò, eò quòd omnino in se esse habeant; vel tale aut tale esse: hoc enim appellauit substantialem ac habitualem aptitudinem: qualis est lapidi motus deorsum, & igni sursum, & aquæ omnem admittere figuram.

§. 6.

Deus quomodo innominabilis.

Hoc scientes Theologi. Quale illud? quòd nimirum impossibile sit, ex priori aliquâ causâ notionéve Deum collaudase, sed tantùm ex effectis, & tanquam nomine carentem laudant, quod ab omnibus exemptus sit; & rursum, ex omni nomine, quod etiam omnes effectus ex hac causâ sint. Innominabilem quidem, vt in libro Iudicum reperitur, cuidam interroganti dicere: *Quare interrogas nomen meum, & hoc est mirabile?* Quomodo mirabile sit explicans, ait; quoniam *super omne nomen* & superat *omne nomen quod nominatur* siue *in hoc sæculo*, siue *in futuro*.

Iud. 13. 18.
Phil. 2. 9.
Ephes. 1. 21.

G

Quomodo Deus multinominis.

Multinomium verò, vt quando etiam ipsum inducunt dicentem, vt in Sina: *Ego sum qui sum*; & alibi, vita, lumen, Deus, veritas, sicut in Euangeliis, *Ego sum vita & veritas*: & rursum, *Ego sum lux mundi*: & in oraculo ad Iacob, *Ego sum Deus patris tui*. Et rursum ipsimet Theologi prædicant ex effectis sæcularem: nam conditorem sæculorum sæcularem vocant: sæculare autem est id quod sæculi particeps est. Atque Isaias ait: *Deus sempiternus* [seu sæcularis] *qui creauit terminos terræ*. Deus autem non est posterior sæculo, vt eius etiam particeps sit, sed conditor sæculorum. Senij expertem dicit, secundùm illud, *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*. & iterùm; vt magnitudine omnia superantem: cœlum enim & terram implet; & vt in aurâ tenui, iuxta quod dicitur in libris Regum: *Sed sibilus auræ tenuis, & ibi Dominus*.

Exod. 3. 14.
Ioan. 14. 6.
Ioan. 8. 12.
Gen. 28. 13.
Isai. 40. 28.
Psal. 101. 28.

H

3. Reg. 19.
2. Cor. 6. 16.
Ioan. 1. 10.

Atqui & in mentibus eum esse dicunt, & in animis, & in cospotibus, iuxta illud, *Et inhabitabo in illis, & inambulabo*, & in vniuerso; & eundem simul in mundo, vt quando in mundo esse dicitur; & circa mundum, vt quando in omni; & supra mundum, vt quando ab vniuerso comprehendi posse negatus; & supra cœlestem, supra substantialem, iuxta illud, Supra cœlum gloria Domini; & iterùm solem iustitiæ, & similia; & lapidem ex monte abscissum, & petram scandali, & ex effectis, omoia quæ sunt, & nihil eorum quæ sunt.

§. 7.

Deus omnia in omnibus.

Sic igitur ei qui omnium rerum causa est, & super omnia, congruit carere nomine, in quantum super omnia est, & nihil horum. Et rursus ei congruunt omnia rerum nomina, in quantum est causa omnium, omniaque ipsum pro suo capto participant, vt sit perfectè regnum vniuersorum, dignitate quidem omnibus antecellens, & à nemine nomen accipiens; prouidentiâ verò complexuque suo in illis existens, & ab illis nominatum.

Omnia enim ab ipso pendent, tanquam à causâ quidem & principio, omnibus essentiam suppeditante; tanquam à fine verò, vt qui illorum esse continet. Et ipse est, vt ait Scriptura, *omnia in omnibus*, qui cuncta facit subsistere, tanquam principium & finis: non quasi alius quidem incipiat, ipsa verò perficiat, vel quasi ipsa det initium, & ad alium remittat, qui perficiat. Ipsamet est quæ continet & custodit, quasi domicilium exsistens, & sacrum habitaculum. Est hæc phrasis Græcanica; conuertit enim ad se creaturam, dicens: *Manete in me*, & iterùm: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet.* Quemadmodum enim sumus velut templum eius, iuxta illud, *Inhabitabo in illis, & inambulabo*: ita etiam ipse domus nostra est. Rectè autem statim subiunxit *vnitè*. Cùm enim dixisset ipsum esse omnia, & in ipso omnia; ne quis existimaret omnia in Deo aceruatim circumferri, atque inde in corporeas quasdam diuisas & compositas opiniones incideret, suspicionem hanc corrigens, ait *vnitè*, quasi non partim, & in propriâ vnitate, quin potiùs suprà vnitatem permanens est omnium domicilium; quin etiam *incomprehensè*, id est à nemine comprehensus aut circumscriptus, vel potiùs *eximiè*, nam est extra omnia. Siquidem non tantùm causa est complexionis eorum quæ simpliciter sunt, vel vitæ viuentium, vel perfectionis spiritalium ac rationalium essentiarum, quasi extra has maneat, vt ab his solis nominetur, continens v. g. vita, & perfectio; vel ab aliâ prouidentiâ, v. g. creator, cuncta cernens, hominum amator, omnipotens, & cætera; quæ nomina partim à causâ, partim à prouidentiâ desumuntur: sed quòd vniuersa simpliciter, & incompositè, & indefinitè, & inuictè in semetipso non solùm contineat, verùm etiam anticipârit, bonitatibus ipsius omnium effectricis prouidentiæ. Hæc enim est quæ *vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Congruè igitur vicissim quoque ex rebus omnibus laudatur, ac nominatur lux, aqua, ignis, ros, nubes, & cætera.

[1. Cor. 15. 28.] [Ioan. 15. 4.] [Ioan. 6. 57.] [2. Cor. 6. 16.] [Rom. 4. 17.]

§ 8. *Quæ sint Dei nomina prouidentialia.*

Atqui Theologi non hæc solùm diuina nomina celebrant, quæ ab vniuersalibus rerum prouisarum prouidentiis ducuntur, vt rex, creator, omnipotens; hæc enim nomina sunt diuinæ prouidentiæ in genere. Et rursum quæ à particularibus prouidentiis sumuntur, vt Deus deorum, & Dominus dominorum, & Rex regum: hæc enim nomina particularium sunt prouidentiarum, & quorundam. Non igitur ab his dumtaxat diuina nomina laudant, sed etiam à quibusdam diuinis visis, quæ v. g. aliquando in sacris templis symbolicè reuelata sunt, id est in templis apparuerunt: ἀδυτα enim Gentiles vocabant deorum suorum delubra. Nominant itaque supraquam lucidam bonitatem, & humanas figuras, siue igneas, siue electrinas ei circumponunt, sicut in Ezechiele reperitur. Et rursus humana membra referunt, vt in Psalmis aliisque Scripturis: iuxta illud, *Oculi eius super pauperem respiciunt*, & illud: *In aures Domini sabaoth*, & illud: *Capilli eius quasi lana*, & illud: *Facies Domini super facientes mala*, & illud: *Manus tuæ fecerunt me*, & illud: *Scapulis suis obumbrabit tibi*, &: *Sub vmbra alarum tuarum proteges me*, & illud: *Brachium tuum seruauit eos*, & posteriora Domini, quibus Moyses dignus est habitus, &: *Audierunt vocem Domini deambulantis in paradiso.* Rursus coronas circumponunt, iuxta illud, *Benedic corona benignitatis suæ*; & sedes, iuxta illud, *Thronus tuus Deus in sæculum sæculi*; & calices, iuxta illud, *Calix Domini in manu eius*; & crateras, iuxta illud, *Miscuit crateram suam*, de quibus dicendum in symbolicâ Theologiâ. Nunc autem quæ præsentis instituti sunt colligentes, & ea quæ dicta sunt quasi regulam proponentes, Deum ex iis quæ sunt, & affirmatiuè & negatiuè nominamus. Affirmatiuè quidem, tanquam causam ex effectis; negatiuè verò, vt qui nihil sit eorum quæ sunt. Ad declarationem spiritalium Dei nominum veniamus. Et cùm in omni Theologiâ nobis lex sacra præcipiat, sanctè videnda, sanctè proferenda, sanctè audienda esse sacra; sic deiformes contemplationes diuinâ mente intueamur, & sacras aures sacris diuinorum nominum interpretationibus adhibeamus, Eloquia sancta sanctis auribus instillantes, & à profanis irrisionibus & illusionibus vindicantes eos, quos Gentiles illi crassi & carnales, dum audirent, irridebant. Quin imò, cùm quoddam aduersus Deum bellum censeatur, si res diuinæ cum illusionibus & despectibus audiantur, si fieri possit, eos qui sunt tales, ab hoc cum Deo bello reuocemus. Hæc itaque tibi seruanda sunt, optimè Timothee: habes enim Apostolum admonitorem, quomodo non oporteat incapacibus de rebus istiusmodi in veritate verbum loqui. Mihi autem det Deus, innominabilis diuinitatis nomina diuina, quæ ex bonis eius operibus sumuntur, Deo dignè eloqui ac recensere. Omnia autem opera Dei bona sunt, & propter bonitatem fiunt, etsi aliqua nobis non sint delectabilia; quoniam in iis quibus peccamus iustè punimur, quod vtique est summæ Dei bonitatis, cùm ipsa pœna sit benignitatis, secundùm D. Gregorium: & non auferat Dominus sermonem veritatis ab ore meo; vti Dauid Rex & Propheta canit.

[Psal. 10. 5.] [Iacob. 5. 4.] [Dan. 7. 9.] [Psal. 33. 17.] [Iob 10. 8.] [Psal. 90. 4.] [Psal. 16. 8.] [Psal. 88.] [Exod. 33. 23.] [Gen. 3. 8.] [Psal. 64. 12.] [Hebr. 1. 8.] [Psal. 74. 9.] [Prou. 9.]

CAPVT II.

De copulatâ distinctáque Theologiâ, & quæ sit diuina vnio & distinctio.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Docet, nomen boni, pulchri, veri, sapientis, & similia, de totâ Trinitate æqualiter prædicari; quia ratione naturæ, quæ in tribus Personis eadem est, Deo conueniunt: & non solum attributa essentialia, sed etiam emanationes ad extra sic prædicari.

2. Illa quæ in Scripturis de Deo copulatim, id est ratione essentiæ, prædicantur, non esse distinguenda; & quæ distinctè siue personaliter dicuntur, non esse confundenda.

3. Exponit quænam sint illa quæ copulatim & quæ item distinctè prædicentur.

4. Ait, vniones in Deo vocari attributa essentialia, distinctiones vero dici emanationes; & exemplo ob oculos ponit, quomodo tres diuinæ Personæ se totis sine confusione vnitæ sint.

5. Docet, Personas diuinas solâ relatione inter se distingui, & Deum totum participabilem esse, & totum non participabilem; explicat rem exemplo.

6. Occurrit obiectioni, & ostendit exemplo sigilli, Deum ex parte suâ non inæqualiter participari, sed ex defectu participantium id euenire. Et simul docet, opera Christi non esse communia Trinitati, quia eius Incarnatio non est communis toti Trinitati, sed singularis personæ Verbi.

7. Tradit nos res diuinas solum à posteriori ex participationibus cognoscere.

8. Docet, quomodo ex Deo sit omnis paternitas & filiatio; & quomodo effectus sint causis suis similes, non contra causa effectis.

9. Quomodo ratio mysterij Incarnationis omnibus ignota fuerit.

10. Ex S. Hierotheo ostendit, quomodo IESV *diuinitas sit omnia in omnibus, & supra omnia; & quomodo* CHRISTVS *naturam nostram supra naturam participarit.*

11. Deum dici multiplicari dum res diuersas producit, cum tamen in rebus omnibus vnum esse.

§. 1. *Nomen boni, & similia, toti Trinitati competere.* [Matt. 19. 17.]

IPsamet bonitas à sacris Litteris celebratur, totam essentiam diuinam, quidquid tandem sit, definiuisse atque explanasse. Quid enim aliud ex Eloquiis sacris cognoscimus, cùm ipsummet Deum tradunt se designando dixisse, *Quid me interrogas de bono? Nemo bonus, nisi solus Deus.* Hoc aliis etiam locis à nobis expensum demonstratum est, omnia nomina diuina Deum decentia non in parte, sed in totâ & perfectâ, & integrâ & plenâ diuinitate à Scripturis sanctis laudari, & ipsa omnia imparticipatè, absolutè, sine obseruatione vllius differentiæ,

A

vniuersè, ad omnem vniuersitatem, ex toto perfectæ, & totius diuinitatis referri. Siquidem, vt in Theologicis informationibus meminimus, oisi quis de totâ diuinitate dicat hoc dictum esse, næ audet ille temerè Voitatem, quæ supraquam vna & simplex est, distrahere & vituperare. Dicendum est igitur, de totâ Deitate hoc accipi oportere: etenim & Verbum ipsum, quod oaturâ bonum est, ait: *Ego bonus sum*; & quidam Propheta diuino Numine afflatus laudat Spiritum bonuro. Et rursum illud, *Ego sum qui sum*, nisi de totâ concedant diuinitate pronuntiatum, sed secundùm vnam dumtaxat partem descriptam contenderint, quomodo illud intelligent, *Hæc dicit qui est, qui erat, qui venturus est, omnipotens*; & illud, *Tu autem idem ipse es*; & illud, *Spiritus veritatis qui est, qui à Patre procedit?* Et nisi diuinitatem totam dicant esse vitam, quomodo verum est sacrum verbum quod ait, *Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & Filius quos vult viuificat* & illud, *Spiritus est qui viuificat?* Quoniam quoque dominatum totius mundi tota diuinitas obtinet, de Deo quidem qui Deum genuit, vel de Deo Filio ne dici quidem possit, vt opinor, quot Scripturæ sanctæ locis in Patre & Filio oomen Dominus celebretur: atqui Spiritus quoque Dominus est. Pulchrum etiam & sapiens de totâ diuinitate prædicatur, vti & lux, & id quod Deum efficit, & causa, & quæcunque tandem sunt totius diuinitatis, ad omnem diuinam laodem sacræ Litteræ transferunt: summatim quidem, cùm dicunt, Omnia ex Deo; fusiùs verò, vt cùm quidam ait, *Omnia per ipsum & in ipso facta sunt*; &, *in ipso cuncta consistunt*; &, *Emittes spiritum tuum, & creabuntur*. Et, vt compendio quis dicat, ipsummet Dei Verbum ait: *Ego & Pater vnum sumus*; *& quæcunque habet Pater mea sunt, & omnia mea tua sunt, & omnia tua mea sunt*. Et rursum quæ sunt Patris & sua, spiritui diuino principali per communicationem vnionemque attribuit, vtpura diuinas operationes, venerationem, scaturientem & nunquam deficientem causam, atque distributionem donorum quæ bonum decent. Ac neminem quidem arbitror eoturo, qui Scripturis haudquaquam peruersis sunt imbuti, negaturum, omnia quæ Deo ratione perfectæ deitatis competunt, toti inesse diuinitati. Cùm igitur hæc in præsentiarum quidem breuiter & ex parte, alibi verò, quantum saos est, sacrorum Eloquiorum testimonio probauerimus ac distinxerimus, quodcunque tandem integrum Dei nomen explicare aggrediemur, ad totam diuinitatem pertinere putandum est.

Matt. 20. 15. Psal. 142. 10. Exod. 3. 14. Apoc. 1. 4 Psal. 101. 28. Ioan. 15. 26. Ioan. 5. 21. B Ioan. 6. 64. Rom. 11. 35. Psal. 103. 30 Ioan. 10. 30. Ioan. 17.

Non solũ attributa essentialia, sed emanationes ad extra de totâ Trinitate prædicari.

C

§. 2.

Si quis autem obiecerit, nos isto modo contra distinctionem diuinitati competentem, confusionem quandam introducere, næ is, nostro iudicio, eiuscemodi obiectionis veritatem probare nunquam poterit. Nam si talis sit qui omnino sacris Litteris resistat, à Philosophiâ quoque nostrâ procul admodum aberit: & oisi illi curæ sit diuinarum sacrarum Litterarum sapientia, quomodo nobis curæ erit vt ipsum ad scientiam Theologicam roanuducamus? Sin Eloquiorum veritati attendat, nos istâ quoque regulâ lucéque freti, ad reddendam pro viribus rationem sine tergiuersatione properabimus, dicentes, Theologiam quidem nonnulla copulatim tradere, quædam verò distinctè; neque fas esse copulata disiungere, oec distincta confundere, sed Scripturis insistendo pro virili ad diuioos esse splendores aspirandum: quooiam inde diuinas explanationes, ceu quandam veritatis regulam pulcherrimam, accipimus, dum quæ ibi sunt recondita, nihil addendo, nihil minuendo, nihil peruertendo, in nobismetipsis conseruare nitimur, atque ipsi interim Eloquiorum custodiâ conseruamur, nec non ab iisdem ad eorum obseruatores defendendos vires accipimus.

D

Scripturas quædam copulatim, quædam distinctè de Deo prædicare.

§. 3.

Quænam copulatim dicantur, & quæ discretè.

Nomina itaque copulata in vnum in totâ diuinitate, vt in Theologicis informationibus prolixè ex Scripturis sacris demonstrauimus, sunt, supraquam bonus, supraquam Deus, supraquam substantia, supraquam viuens, supraquam sapiens, & quæcunque sunt ablationis secundùm exuperantiam; cum quibus numerantur omnia quæ ad rationem causæ pertinent, bonum, pulchrum, existens, viuificum, sapiens, & quæcunque sunt ex donis eius quæ bonitatem eius decent, à quibus omnium bonorum causa nomioatur. Discreta verò sunt Patris supra-substantiale nomen, & res, & Filij, & Spiritus sancti, nullâ in his factâ reciprocatione, nec vllâ prorsus communitate introductâ. Est præterea discreta ac distincta, perfecta, sicut in nobis, & immutabilis IESV essentia, & quæcunque sunt mysteria substantialia humanitatis eius.

E

§. 4.

Arbitror autem expedire, vt nonnihil altiùs resumendo perfectissimus ille diuinæ vnionis ac distinctionis roodus explanetur, quo nobis oratio omnis ita sit aperta, vt varietatem quidem omnem & obscuritatem repudiet, distinctè autero ac planè, ordinéque quæ propria sunt, quoad eius fieri potest, definiat. Theologicæ nostræ traditionis Auctores (vt alibi dixi) Diuinas quidem vniones vocant abditas istas collocationes plusquam ioeffabilis & supra modum ignotæ mansionis, quæ ousquam sese prodit; distinctiones verò, beneficas Dei emanatiooes & manifestationes: assignántque, Scripturis sacris insistendo, nonnulla dictæ vnioni propria, vicissimque distinctioni, proprias item suas copulationes ac disiunctiones: verbi gratiâ, in diuinâ voione seu supersubstantialitate, copulaturo quidem vnitatis principi Trinitati ac commune est, superessentialis existentia, & supraquamdiuina diuinitas, supraquam bona bonitas, summa omnium eius quæ supra omnia est totius proprietatis identitas: vnitas supra principium vnitatis, ineffabilitas, multiuocatio, indemonstrabilitas, omnimoda intelligibilitas, omnium positio, omnium ablatio, supra omnem positionem & ablationem; diuinarum personarum in seipsis, si ita loqui fas est, mutua mansio, & collocatio, in totum supraquam copulata in vnum, & non confusa in parte vllâ: sicut lumina lampadum (vt exemplis sub sensum cadentibus & familiaribus vtar) quæ sunt in vnâ domo, & tota sunt in se totis vicissim, non permixta, ac per se existunt perfectè inter se mutuo sigillatim distincta, coniuncta in vnum discretè, & discreta coniunctim. Siquidem in domo cernimus, in quâ multæ lampades existunt, in vnum quoddam lumen cunctarum lumina coalescere, splendorémque vnum indiscretum indiuiduúmque proferre; neque quisquam, vt arbitror, potest vnius lampadis lumen ab aliarum ex aëre cuncta lumina continente secernere, atque alterum absque altero videre, quod tota totis sine confusione contemperata sint. Quin imò si quis vnam lampadem educat è dnmo, simul exibit totum proprium lumen, nihil quidquam cæterorum luminum in se ipsâ simul trahens, nec aliquid sui illis relinquens: erat enim illorum, vt dixi, tototum ad tota perfecta coniunctio, mera penitus & nullâ ex parte confusa, idque cùm esset lumen in corpore, id est aëre, & ex materiato igne penderet. Quare supersubstantialem illam vnionem longè præstantiorem dicimus, non modò iis quæ in corporibus existunt vnionibus, verùm etiam illis quæ in animabus ipsis mentibúsque contingunt, quas inconfusâ & supermundiali ratione obtinent, dum lumina ista deiformia supercœlestiáque, proportionatâ sibi participatione per vnionem quandam omnibus eminentiorem, se totis tota participant.

Vniones in Deo vocari attributa essentialia, distinctiones verò, nomina ab emanationibus desumpta.

F

Quomodo tres personæ se totis sine cõfusione vnitæ & vnũ sint.

G

Exemplũ.

H

§. 5.

Quin etiam est in superessentialibus Dei noroinibus distinctio, quâ non tantùm (vt dixi) secundùm ipsam vnionem quælibet præcipuarum personaruro impermixta atque inconfusa ponitur, verùro etiam ea quæ supersubstantialis illius diuinæ generationis sunt, inter se minimè reciprocantur. Adeò vt solus Pater foos sit in supersubstantiali Deitate, atque ita Pater non sit Filius, neque Filius sit Pater, sed cuique diuinaturo Personarum propriæ suæ laudes inuiolatæ conseruentur. Hæ quidem sunt vniones & distinctiones in illâ ineffabili vnione & essentiâ. Quòd si verò etiam diuina distinctio sit emanatio Deum deceos diuinæ vnionis, quæ supraquam vnitè bonitate Dei multiplicatur: distinctione quidero diuioâ vnitæ sunt incomprehensibiles istæ communicationes, substantificationes, viuificationes, sapientificationes,

Diuinæ personæ sunt distinctæ solâ relatione.

aliáque

A

aliáque istiusmodi omnium effectricis bonitatis munera, secundùm quæ ex participationibus & participibus laudantur ea quæ imparticipatè participantur. Et hoc commune & copulatum & vnum est toti diuinitati, participari scilicet ipsam ab vnoquoque participantium, & à nullo nullâ parte: sicut punctum centri in medio circuli & ab omnibus lineis rectis, quæ sunt in circulo circumpositæ, participatur; & sicut multæ figuræ sigilli expressæ archetypum sigillum participant, & in vnaquaque figurâ sigilli expressâ totum & idem sigillum est, & in nullâ figurâ secundùm vllam partem. Vincit autem hæc exempla, diuinitatis, quæ omnium causa est, imparticipabilitas; quoniam eius nulla est tactio, neque alia cum participantibus mixtionis communio.

B

At dicet aliquis, sigillum in totis expressis figuris non esse totum & idem. Verùm huius rei non sigillum causa est (totum enim sese illud atque idem vnicuique communicat) sed participantium differentia, vnîus, totîus, eiusdemque primitiuæ formæ dissimiles reddit effigies: vt si verbi gratiâ subiecta sint mollia, formatúque facilia, leuiáque & infigurata, nec reluctantia, nec dura, neque fluxa, & inconstantia figuram nitidam & apertam, ac permanentem habitura sunt: sin autem aliquid dictæ aptitudini defuerit, ea vtique causa erit, cur figura minùs expressa sit & clara, cæteráque accidant quæ ex participandi ineptitudine solent euenire. Porrò in beneficâ nostri reparatione munus hoc à Deitate distinctum est, quòd propter nos ex nobis Verbum, quòd supra substantiam est, integram verámque nostram substantiam assumpserit, eáque gesserit tuleritque, quæ humanæ ipsius actionis præcipua sunt & singularia. Hæc enim nullâ ratione communia sunt Patris ac Spiritûs, nisi fortè quis dicat, consilij benigni atque humani communitate, & secundùm omnem illam eminentem atque ineffabilem diuinam operationem, quam, apud nos existens, is qui immutabilis erat, exercuit, in quantum Deus & Dei Verbum. Nos quoque similiter res diuinas sermone coniungere distinguereque satagimus, prout ipsæ nimirum in se vel vnitæ sunt vel distinctæ.

C

§.7.

Sed harum vnionum ac distinctionum quascumque in Eloquiis rationes Deo consentaneas reperimus, in Institutionibus Theologicis, seorsum de singulis differentes, vti potuimus, explicuimus, partim quidem eas verâ ratione enodando, & exponendo, atque ita purum ac tranquillum animum perquam lucidis Eloquiorum contemplationibus admouendo; partim verò, ceu mysticis, ex diuinâ traditione supra intellectûs operationem intendendo. Diuina enim omnia, etiam illa quæ nobis apparuerunt, solis participationibus cognoscuntur: porrò ipsa, cuiusmodi in suo principio suáque sede propriâ existant, nullus sensus attingit, nulla natura nulláque cognitio penetrat. Veluti cùm arcanum illud superessentiale, vel Deum, vel vitam, vel substantiam, vel lucem, vel Verbum appellamus, nihil aliud quàm vel deificas, vel substantificas, vel viuificas, vel sapientificas virtutes intelligimus, quæ ab eo in nos dimanant; ipsum autem omnium mentis operationum cessatione contingimus, cùm nullam cernamus diuinitatis effectionem, nullam vitam, aut essentiam, quæ planè similis sit causæ illi, quæ cunctis per omnem excellentiam antecellit. Rursum, a Scripturis sacris accepimus, Patrem quidem esse originem in diuinis, Iesum verò & Spiritum sanctum, quasi Dei prolem, vel, si dictu fas sit, quasi germina diuina, floresve ac lumina supersubstantialia existere: quonam autem pacto sese habeant, neque eloqui neque intelligere valemus.

D

§.8.

Cæterùm hactenus omnis intellectûs nostri studium eò tendit, vt intelligat, quomodo diuina omnis paternitas & filiatio, ex supra eminenti omnium Patriarchatu filijque Principatu, tam nobis quàm supracœlestibus virtutibus indulta sit, ex quâ fit, vt etiam dij Deorúmque filij ac patres sint ac nominentur mentes deiformes, quibus eiuscemodi paternitas ac filiatio spiritaliter confertur, modo scilicet incorporeo à materiâ segregato, intellectilique, quo tamen Spiritus diuinus, vt supra omnem quæ concipi potest materiæ vacuitatem ac deificationem constitutus, eminentior existit, vti & Pater Filiúsque, ab omni simili paternitate ac filiatione diuinâ eminenter exempti. Non enim est perfecta & absoluta similitudo eorum quæ effecta sunt, & causarum: quin potiùs habent quidem effecta causarum, quoad fieri potest, imagines; ipsæ verò causæ ex effectis exemptæ sunt, & pro ratione principatus sui supra locatæ ac fundatæ. Et vt nostratibus exemplis vtar, voluptates ac dolores efficere dicuntur, vt homines lætentur vel doleant, tamen ipsæ nec lætantur, nec dolent: ignis etiam cùm calefaciat & comburat, non tamen comburi & calefieri dicitur. Et si quis vitam ipsam viuere, aut illuminari lucem dixerit, meâ quidem sententiâ, non omnino rectè locutus fuerit, nisi fortè hæc alio modo dicat, quod nimirum abundantiùs, & secundùm essentiam, ea quæ sunt effectuum priùs sint causæ.

E

Effectus similes esse causis, non contrà.

Exemplā.

§.9.

F

Modus incarnationis omnibus ignotus est.

Quin etiam, id quod est omnium quæ de Deo dicuntur clarissimum, diuina ipsius IESV e naturâ nostrâ formatio, & ineffabilis est sermone omni, nullique nota intelligentiæ, etiam ipsi antiquissimorum Angelorum primati. Atque eum quidem viri formam & substantiam assumpsisse, mysticè accepimus; sed ignoratur, quomodo ex Virginis sanguine aliâ quàm naturæ lege sit efformatus, quóve pacto siccis pedibus, quæ corporis molem & materiæ pondus haberent; liquidam perambulauerit fluxámque substantiam, aliáque perfecerit quæ supernaturalem IESV naturam indicant. Verùm hæc à nobis etiam alibi satis explicata, & ab inclyto præceptore nostro supra naturæ modum valdè celebrata sunt in Theologicis ipsius elementis, quæ ille partim à Theologis sanctis accepit, partim etiam ex solerti Scripturarum indagatione longo exercitio ac tempore comprehendit, partim etiam diuiniore quadam inspiratione hausit, ista non discendo tantùm, verùm etiam diuina patiendo assecutus, nec non eorum (si dictu fas sit) compassione, ad illam quæ doceri nequit fidem mysticam atque vnionem informatus. Atque vt plurima, eáque beatissima, præclaræ illius mentis documenta paucis subiiciamus, hæc de IESV in Theologicis elementis à se collectis ait.

G

SANCTISSIMI HIEROTHEI verba ex Theologicis elementis.

§.10.

Quomodo Iesu diuinitas sit omnia in omnibus, & super omnia.

Causa omnium, & quæ omnia implet, est IESV diuinitas, quæ seruat partes toti consentientes; & neque pars neque totum est, & est totum & pars, quatenus omne & totum & partem in seipsâ comprehendit & suprahabet, & antehabet. Perfecta quidem est in imperfectis, tanquam principalis causa perfectionis; imperfecta autem in perfectis, tanquam supraquam perfecta & antepetfecta: forma formæ effectrix in iis quæ carent formâ, tanquam principalis causa formæ; sine forma in ipsis formis, vtpote supra formam substantia totis substantiis insistens impollutè, & ab omni substantiâ supra substantiam abstracta; tota principia & ordines definiens supra omne principium & omnem ordinem collocata. Rerum est mensura, sæculúmque, & supra sæculum, & ante sæculum: plena est in iis quæ egent; in iis quæ plena sunt, exuberat; ineffabilis est & inexplicabilis, supra sensum, supra vitam, supra substantiam, supernaturaliter habet supernaturalitatem, & supersubstantialiter substantiam excedit. Vnde, quoniam ad nostram vsque naturam ex humani generis amore se demisit, nostrámque vere substantiam assumpsit, summusque ille Deus appellatus est homo (propitiationis profectò illa sunt omnem intellectum orationemque superantis, quæ modo prædicamus) in his quoque naturam substantiámque superat, quod non tantùm sine sui immutatione naturæve confusione nobis sese communicarit, nihil in exuberanti suâ plenitudine ex ineffabili exinanitione perpessus, verùm etiam, quod nouis omnibus magis nouum accidit, ea quæ naturæ nostræ sunt, supra naturæ ordinem, substantiámque, supra substantiæ modum partici-

H

Christus naturam nostram supernaturaliter participasse.

parit,

parit, nostra omnia ex nobis & supra nos excellenter habens.

§. 11.

Sed de his satis; modò sermonis nostri scopum prosequamur, communia & vnita diuinæ distinctionis nomina, prout possumus, explicando. Atque vt planè de omnibus deinceps explicemus, distinctionem diuinam esse dicimus, quemadmodum dictum est, benignissimas Dei emanationes. Dum enim rebus omnibus vbertim bonorum omnium consortia impertit & infundit, tum coniunctè quidem distinguitur, amplificatur autem vnicè, multiplexque fit ex vno, nec ab vnitate discedit: vtputa, quoniam Deus superessentialiter est essentia, cunctásque producit essentias, secundùm illud vnum quod est multiplicari dicitur, dum multas ex se producit entitates; verumtamen in se ipse manet in multiplicatione vnus, & in emanatione vnitus, atque in distinctione perfectus, quòd sit ab essentiis omnibus superessentialiter exemptus, tam singulari productione omnium quàm indiminutâ suarum indeficientium profusione communicationum. Quin etiam cùm quid vnum ipse sit, omníque parti & toti, & vni & multitudini, vnius sui consortium largiatur, vel vt sic etiam supra substantiam existit vnus, cùm neque pars sit multitudinis, neque ex partibus totum: nam hoc modo non est quid vnum, neque sic vnum participat, habétve vnitatem; sed longè ab his aliâ ratione quid vnum est, supra vnum, quod rebus vnum est, & multitudo indiuidua, inexplebilis superplenitudo, omne vnum multitudinemque producens ac perficiens atque complectens. Rursus dum eius deificentiâ deiformi pro cuiusque virtute plures dij fiunt, videtur quidem dicitúrque vnius Dei diuisio multiplicatióque, verumtamen ipse est principium istiusmodi diuinitatis & eminenter Deus, & superessentialiter vnus Deus, indiuisus in diuiduis, in se vnus, & in multis istis neque mixtus neque multiplicatus. Quòd cùm supernaturaliter intellexisset communis noster ac præceptoris nostri ad diuinam illustrationem manuductor, qui multùm in diuinis rebus exercitatus est, & lux est mundi, hæc in Epistolis suis diuino Numine afflatus scribit: *Nam etsi sunt qui dicantur dij siue in cælo, siue in terrâ (siquidem sunt dij multi, & domini multi) nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipso; & vnus Dominus* IESVS CHRISTVS, *per quem omnia, & nos per ipsum.* Etenim in diuinis rebus vniones superant distinctiones & antecedunt, nihilóque minùs tamen etiam coniunctæ sunt post vnius non abeuntem singularémque distinctionem. Has itaque communes vnitásque totius diuinitatis distinctiones, siue beneficas emanationes, ex nominibus diuinis, quæ illas in Eloquiis declarant, pro virili nostrâ parte celebrare conabimur; si hoc primum, vti dictum est, constitutum fuerit, beneficum omne nomen Dei, cuicunque diuinarum personarum impositum fuerit, sine discrimine in totâ ipsâ diuinâ Trinitate accipi.

Deus dicitur multiplicari cùm multas res producit.

Quomodo Deus in rebus omnibus vnus sit.

1. Cor. 8. 5.

SCHOLIA S. MAXIMI.

§. 1.

DIVINAM.] Ex hoc capite maximè refelluntur Ariani & Eunomiani, qui inæqualitatem asserunt, vti etiam Nestoriani & Acephali. Totam autem diuinam essentiam vocat sanctæ & solius adorandæ Trinitatis Deitatem, quæ in tribus personis agnoscitur; solet enim totam Deitatem vocare venerandam Trinitatem. Hæc enim etiam declarauit quid sit tota Deitas, quando semetipsam cum definitione, id est distinctione personarum, reuelauit, atque viris sanctis personarum proprietates explanando, manifestauit esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: siquidem hi tres vna totáque ac sola Deitas existunt. Sciendum autem, non propriè in Deo dici existentiam: nam est præexistentia, id est etiam ante ipsammet existentiam. Quoniam autem omnis existentia ex ipso est, ex iis, quæ per ipsum apparent, appellatur, vt etiam supra hæc esse intelligatur.

Trinitatem vocat etiam diuinitatem.

DEFINIENS.] Id est declarans, & ostendens.

SVMMAM DEITATEM.] Nota, vt etiam vocem humanitus prolatam attribuat diuinitati, propter personæ vnitatem.

NON PARTIALITER.] Rectè [dixit] *non partialiter:* omnes enim operationes laudesque Dei haud vni solique diuinæ Trinitatis personæ seorsim tribuuntur, sed communes sunt Trinitati, si solam incarnationem excipias; hæc enim sola Filij est, vti posteà dicit. Solæ autem characteristicæ trium personarum proprietates singulariter ac propriè cuilibet personæ insunt, v. g. Patri esse Patrem, & nulli alteri, similiter de Filio ac Spiritu sancto.

Quid tribus personis commune, & quid proprium sit.

ET TOTIVS.] Nota, totius diuinitatis Trinitatem significari.

NISI DE TOTA.] Nota, eum, qui dicit diuinas appellationes minimè esse communes, impiè scindere vnitatem adorandæ Trinitatis.

HÆC DICIT QVI EST.] Notandum est, S. Dionysium admittere Apocalypsim sancti Ioannis Euangelistæ, illic enim hæc sententia reperitur. Porrò diuinum Euangelistam in Patmo commorantem, vbi & Apocalypsim vidit, à S. Dionysio cognitum fuisse, disces inferiùs ex Epistolâ decima, quam ad ipsummet S. Euangelistam & Theologum Ioannem conscripsit.

PROPHETARVM.] Dauid est qui dicit hoc.

QVI EST, QVI A PATRE.] Considera, quomodo sententiam hanc citet: non enim iam ita habetur [in textu.]

SVMMAM DEITATEM.] In aliis codicibus habetur, *vitam Dei principalem.*

DE DEO, QVI DEVM GENVIT.] Nota, eum Patrem appellare Deitatem, *quæ Deum genuit*, & Vnigenitum, *filialem diuinitatem.*

FVSIVS.] Pro planiùs.

Rom. 11.

OMNIA PER IPSVM.] Nota, quòd dum dicit *omnia ex Deo esse*, totam diuinitatem comprehensiuè significet, id est, sanctam Trinitatem: quando autem dicit, *Omnia per ipsum & in ipso facta sunt*, id de personis fusè significat. Hoc enim omnes de creante Verbo acceperunt.

ET IPSIVS.] Scilicet Verbi.

COMMVNICATIVE, ET VNITE.] Nota, sanctæ Trinitatis attributa per communicationem vnita esse.

DIVINAS OPERATIONES.] Vti illud, *Ego in Spiritu Dei eijcio dæmonia. Venerationem*, iuxta illud, *Qui blasphemauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei. Distributionem donorum siue gratiarum*, dum ait, *Accipietis virtutem Spiritus sancti in vos.*

Luc. 11. 20. Luc. 12. 10. Act. 1. 8.

FONTANAM SEV SCATVRIENTEM.] Dictum est in Psalmis, *Quoniam apud te est fons vitæ*; & in Ieremiâ, *Me dereliquerunt fontem aquæ vitæ.* Deus igitur dicitur fons, velut quidam parens & principium atque causa eorum omnium quæ apparuerunt, & deuenerunt ad essentiam. Quæ enim quidam vocare consueuerunt vniuersalia, id est genera, vel tota, vel continentia, vtpote quæ complectantur partes emanationum eius, horum Scripturæ sanctæ dicunt esse causam & fontem. Propter effectionem igitur inexhaustam eorum quæ per Spiritum sanctum exitiunt, & quia Spiritus sanctus causa est omnium, vt in Sapientiâ dictum est, consentanee ipsam per se causam fontanam esse diuine philosophatur. Illud autem, non exhausiti creationem, inde intellige, vbi ait: *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Similiter Spiritus sanctus cum Patre & Filio sine intermissione operatur, dictum est enim: *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur.*

Psal. 35. 10. Ierem. 2. 13. *Deus fons omnium.* Sap. 1. & 7. Ioan. 5. 17. Psal. 103. 30.

HAVD PERVERSIS INTELLIGENTIIS.] Rectè dixit *haud peruersis*, quandoquidem etiam hæretici legunt Scripturas, & in ipsis educantur, attamen seipsos peruertunt.

§. 2.

DISTINCTIONIS DEO DIGNÆ.] Deo dignam distinctionem in sanctâ Trinitate vocauit inconfusam notitiam personarum, atque, non incumbendum persuadendis iis quæ diuinam Scripturam non admittunt: nam communiter de sanctâ Trinitate tanquam de Deo loqui, minimè est inducere confusionem personarum.

AD THEOLOGICAM.] Theologicam scientiam superiùs,

Scientia quid.

deDeo differens, non dixit ipsam scientiam esse; hic verò ea quæ concernunt Theologiam, dicit esse scientiam. Est autem scientia recta opinio ratiocinatione vincta, siue vera in intellectu ratio, quæ non excidit; nec non accurata rei cognitio ac demonstratio, cuius etiam dicitur scientia rationem veritatis & opinionem rectam proponere, ita vt non habeat opus adiectione confirmationis à simili.

DIVINAS EXPLANATIONES.] Ἐκφαντορίας vocat disciplinas illas quæ mysteria expoount.

IN SEIPSIS SINE ADDITIONE.] In sermone de Deo Scripturam oon leuiter esse percurrendam.

Quæ sint excellentis ablationis.

ET QVÆ PER EXVPERANTIAM.] Per ablationem mente Superiorem Dei laudes prædicat: ex iis enim quæ in ipso minimè cernuntur modo sublimissimo adoratur, veluti vt immortalis, vt interminabilis, & inaspectabilis, & nullius indigus, & quæcunque sunt istiusmodi; sunt enim hæc etiam Trinitati communia. Porrò *quæ ad rationem causæ pertinent*, sunt illa quæ in creatione ab ipso, tanquam vniuersi boni auctore, promanarunt, iuxta quod scriptum est, eius esse omne bonum.

PATRIS.] Subaudiendum suprasubstantiale nomen, vt in Patre, sic & in Filio, & Spiritu sancto. In distinctis autem sanctæ Trinitatis, verbi gratiâ nominibus, nullam dicit esse reciprocationem aut communionem: neque enim Pater religiosè vocaretur Filius, neque Filius Pater, atque idem est de Spiritu sancto.

IESV SECVNDVM NOS.] Nota, solius Dei Verbi esse Incarnationem. Ait autem ipsam prorsus perfectam, contra Apollinarem, vtpote quæ animâ spiritali nostróque corpore constet: hoc enim declarat id quod dicit, *secundum nos*, quod etiam est contra Eutychianos. Contra Nestorium verò facit quod dicit, *immutabilem Iesu*, tanquam Dei secundùm nos existentiam. Atque quod ait, substantialia esse humanitatis mysteria, famem, lassitudinem, & super aquas incedere, clausisque foribus ad discipulos ingredi, & suscitare mortuos, atque ipsam denique passionem, cæteráque similia.

SVBSTANTIALIA MYSTERIA.] Nota, substantialia dixisse illa quæ sunt Incarnationis, vt nimirum refellat opinionem illam imaginariam.

TRADITIONIS SACRÆ AVCTORES.] Ἱεροφάνται vocantur qui sacris imbuti sunt.

OCCVLTÆ ET NVSQVAM PRODEVNTIS.] Occultas vnitiones vocat, incomprehensibiles illas diuinæ essentiæ notiones: nemo enim vnquam cognoscet quænam sit essentia sanctæ Trinitatis.

* Vnde patet, S. Maximũ fuisse in errore illo communi Græcorum, pu[...]antium, Spiritum sanctum à solo Patre procedere.

DISTINCTIONES.] Distinctiones vocat, per se subsistentes illas adorandas existentias, id est Filij ex Patre ineffabilem splendorem, & S. Spiritûs * ex Patre inconceptibilem processionem.

SVPRA VNITATEM PRINCIPALEM.] Vnio supra vnitatem principalem significat indiuisum illud & simplex diuinæ naturæ, quod omnium rerum vnitatem excedit.

INEFFABILIS.] Ineffabilem dixit, propter innominabilem essentiam; *multarum* verò *vocum*, quia pro beneficiorum varietate variè nominatur.

Quali ignoratione Deus cognoscatur.

EX OMNI INTELLECTILIS.] Dicendum quomodo Deus ignotus, & ex omni cognoscibilis sit, & quomodo sine notione eius notitiam consequamur: per ignorationem ergo Deus cognoscitur. Ignorationem autem non eam accipias quæ ex inscitiâ oritur, nam hæc existit quædam animæ caligo; neque etiam cognoscentem, quoniam qui incognoscibilis est, minimè cognoscitur (nam hæc quoque species est quædam cognitionis) sed secundùm illam ignorationem, secundùm quam simplificati supra notiones (quæ multiplicatæ diuiduntur, rursumque colliguntur quòd non sit vnitas) omnémque Dei cognitionem transcendentes, simplices efficimur. Cæterùm manemus ambigui propter statum vnionis, & firmiter in vnione consistentes, ignoramus nos non percepisse, id est, nihil aliud scientes nos velut rudes ignoramus: tamen ea ignoramus, quæ ab omni creaturâ religiosè ignorantur. In hac enim ignoratione constituti, efficimur forma eius quod ante omnia existit: negligentes quidem formas omnes ac notiones, in silentio autem omni sermone præstantiori consistimus, hoc ipso, quòd ne hoc ipsum quidem cognoscimus, nos ignorare. Postmodum iterùm à multo silentio conuersi, & cognoscentes nos ignorare, cæterùm abstinemus ab eius quod cognosci nequit inquisitione. Rursum verò Deus ex omni intellectilis dicitur, quoniam ex amicis suis muneribus ac prouidentiis, nec non ex creaturis existere cognoscitur: ex illis quidem, Saluator; ex his verò, creator. Positionem autem seu affirmationem vocat existentiam, tanquam ex ipso Deo qui est omnium existentia.

Quæ sit positio in Deo.

Philosophi enim positionem vocant formas illas quæ materiæ imprimuntur; ablationem verò, quando qualitates à formis auferuntur, veluti à terrâ grauitas, ab aquâ humiditas. Deus igitur, qui hæc omnia transformat, omnium est *positio* & *ablatio*. Omnium quidem positio, vt qui omnia ponit, & facit, atque, vt consistant, disponit: in ipso enim cuncta consistunt.

Quomodo Deus sit omnium ablatio.

Est autem omnium *ablatio*, vt qui ipsammet rerum positionem ac creationem componit atque concinnat, nec non aufert à rebus positis ea quæ illarum naturæ aduersantur. Cum enim in confesso sit, ea quæ generantur omnino etiam corrumpi, ipse autem abundantiâ bonitatis quorundam quoque auferat corruptibilitatem, vt Angelorum atque animarum; quorundam verò corruptibilitatem transferat ad incorruptionem, vt corpora nostra in resurrectione, manifestum est, ipsum nobis hæc existentem supra positionem quoque esse, & ablationem, cùm sit fundamentum ac radix omnium, non quoad locum, sed quantum ad causam. Neque ipse etiam est *ablatio* eorum quæ habet: nam ipse per se habet immortalitatem, & incomprehensibilitatem, & incognoscibilitatem, aliáque similia; non quasi non sit contrarium, sed iuxta proprietatem quandam omnibus ineffabilem. Nam exemptus est ab omnibus tanquam ab iis segregatus, & à nullo cognoscitur, vel omnino comprehenditur, vt qui semetipsum propter infinitatem subducat. Aduerte autem illud, in ipsis vicissim esse secundùm mansionem & collationem diuinarum personarum, iuxta illud, *Ego in Patre, & Pater in me est*, sic & de Spiritu sancto Apostolus ait.

Qualis sit vnitas sanctæ Trinitatis.

QVARE SVPER SVBSTANTIALEM ILLAM.] Vniones corporum, quæ elementaliter considerantur, atque alio quodam modo permiscentur, virtutibus & æqualitatibus permutantur: & horum vnio aliquid efficit, quod simplicium naturæ minimè congruit; similiter quoque facultates animales pro diuersitate motus sui diuersimodæ existunt. Quin & Angelorum cum diuinis illustrationibus vnitiones pro ordinum suorum parte ac proportione fiunt. Diuinitas verò sanctæ Trinitatis, & quidquid eius est, nullo dictorum modo dissecta, aut à se diuersa, meritò censetur esse supra istiusmodi vnitiones.

ET SVPERCOELESTIA LVMINARIA.] Nota, ipsum animas mentésque omnes supercœlestia quædam luminaria vocare, ac dicere, viuentes omnes essentias vniri, quemadmodum dictum est in exemplo multorum luminarium in vnâ domo sibi inuicem impermixtè atque inconfusè vnitorum, quòd nimirum deiformes sint, & pro captu suo supraquam vnitæ istius vnionis diuinæ participes existant, quas scilicet vniones habent res incorporeæ, quæ se mutuò penetrant absque confusione.

SVPERESSENTIALIS ILLIVS DEI FOECVNDITATIS.] Nota, ipsum Patrem vocare superessentialem Dei fœcunditatem ac fontem, neque hæc nomina reciprocari.

De emanationibus ad intra [...]

VNIONES ET DISTINCTIONES.] De inexplicabili Trinitatis emanatione vsque ad tres personas nunc theologizat, quod Deus & Pater sine tempore, conuenienter Deo & amanter motus, processit ad distinctionem personarum, absque imminutione & partitione in se toto manens, proprio suo splendore supraquam vnitè & supraquam simpliciter emisso, vt existeret tanquam imago viua; & Spiritu sancto ex Patre venerande & supraquam

perenniter procedente, sicut Dominus docet. *[Ioan. 5.]* Dei autem bonitate, causa & origo omnium in tribus personis diuinis multiplicata est. Hæc etiam Gregorius Theologus in libris contra Eunomium dicit. Est verò etiam alio modo distinctio diuina, emanatio Dei ob nimiam bonitatem ad multiformem creationem aspectabilem & non aspectabilem. Porrò trisuppositatæ ac distinctæ vnitati communes sunt creatrices istæ prouidentiæ ac bonitates. *[Quomodo diuinitas participetur à creaturis.]* Omnium enim Regina Trinitas, ab iis quæ participare eam possunt, participatur incomprehensè & imparticipatè: idem enim vtrumque declarat. Participatur enim Deus non comprehensè, neque loco participante restrictus, neque sensibiliter participatus; sed potiùs totus in cuiusque participatione existens, & ab omnibus exemptus. Sicut magnam vocem emissam omnes qui adsunt participant, vnusquisque pro suis viribus, & vir, & puer, & bruta animantia; verùm alij quidem valentiùs, alij verò obtusiùs, secundùm vim & facultatem audiendi. Et est quidem vox participabilis, & in se ipsâ non participabilis manet.

Ex participationibus et participiavs.] Secundùm substantiam quidem diuinitas neque participatur, neque intelligitur; participabilis verò est, quatenus ab eâ exsistunt omnia, & ab eâ continentur & conseruantur, vt sint.

In vnaquaque expressione.] Exemplo declarat, quomodo Deus imparticipatè participetur. *[§ 6.]*

Non est sigillvm.] Obiectio & solutio ex exemplo sigilli.

Effigies.] Græcè ἀπεμάγματα, hîc vocat expressiones.

Nec relvctantia.] Veluti lapides & ligna; aut è diuerso, quæ sunt substantiæ fluxæ, quorum nullum admittit annuli sigillum.

Distinctvm est avtem.] Nota, Verbi Incarnationem à sanctâ Trinitate omnino ac verè distinctam esse.

Nostræ.] Hoc loco iterùm de dispensatione seu Incarnatione tractans, eam soli Deo Verbo attribuit, sine vllâ Patris & Spiritûs sancti communicatione, nisi secundùm voluntatem. Nota verò accuratam dispensationis enarrationem: quoniam Deus Verbum suprasubstantiale substantiam immutabiliter assumpsit, permansit enim Deus, &, vti nos, ex nobis substantiam integrè accepit, id est, corpus & animam rationalem verè habuit. Item: Deus Verbum est id quod patiebatur, scilicet secundùm carnem, & humana simul ac diuina erat eius operatio, quoad omnia quæ concernunt dispensationem. His autem Pater & Spiritus non communicarunt, nisi ex beneplacito volendo Incarnationem, & in diuinis signis Deo Filio cooperando. Nota verò hæc maximè contra Nesturiaoos & Acephalus atque Phantasiastas.

Qvi immvtabilis erat.] Quomodo dicit Verbum pati? sicut etiam illud, *Manus nostræ contrectauerunt*, de Verbo vitæ exposuimus. *[1. Ioan. 1. 1.]*

His avtem velvt mysticis.] Secundùm virtutem quæ inest pani & calici. *[§ 7.]*

Svpra intellectvs operationem.] Sensum eorum quæ de Deo traduntur sacra quidem mens explicat, siue interpretatur illa mens quæ penitus vacat diuinis, neque rebus terrenis ac turbulentis implicatur. *[Deum in silentio maximè cognosci.]* Ipsis porrò diuinia non aliter intendit, quàm per omnem cessationem motus qui ad intelligendas res facit: hoc enim declarat illud quod dixit, *supra mentis operationem*, id est, quando vndique Dei incomprehensibilitate comprehenditur, tunc assequitur quod quærebat.

Solis participationibvs.] Subaudiendum est *nomina*, vocat autem *participationes* ipsammet donationem eorum quæ ex Deo participamus.

Arcanvm.] Quoniam nomen *Deus* non declarat essentiam, neque quid sit Deus, sed aliquod eius in nos beneficium: nam ex participatione munerum nobis à Deo collatorum appellationes Dei fingimus, hoc ipsum autem, quid sit Deua, omnibus inconceptibile existit: etenim diuina existentia ita dignè quodammodò laudabitur, quando ab operatione omni validissimâ & intelligente absoluta in sancto nos silentio excipiet, dum mentem in iis quæ inde promanant donis adiicimus: quoniam voluntate suâ res producit, dum nos constanter in mentis quadam indifferentiâ persistimus, quàm paulò antè vocauit cognitionem in ignoratione.

Rvrsvm qvidem esse originem sev fontem.] *[Quomodo Pater sit fons, Filius & Spiritus sanctus velut germina diuinitatis.]* Nota hæc veneranda, sactóque pauore digna purissimæ Trinitatis nomina: quoniam Pater est *diuinitas fontalis*, Filius verò sanctúsque Spiritus sunt quædam germina ac flores & lumina superessentialia. Potiùs autem ait germina dictum esse in Scripturâ, ex visione oliuarum Zachariæ inter Prophetas vndecimi: Septuaginta enim habent *duos ramos oliuæ*; alij verò interpretes *spicas & germina*. *[Zach. 4. 3.]* Lumina verò, ex [Epistolâ Iacobi] vbi de Patre luminum mentionem facit; & vbi dicitur lumen de lumine. *[Iac. 1. 17.]* Per πατέρα hic quodammodò intelligit paternitatem; vnde subiungit *filiationem*: Apostolus enim ait, *Ex quo omnis paternitas in cælo & in terrâ nominatur*. *[Ephes. 3. 15.]* Patres enim esse & filios nominari supernè defluxit, ex Patre quidem eius qui secundùm naturam Filius est, Patre verò omnium per creationem & doctrinam. Vnde etiam incorporei ac spiritales deorum patres & filij secundùm doctrinam & præeminentiam in Angelis ac iustis existunt, vti etiam Apostolus declarat, omnibus nempe patribus istis principium dante Patre illo qui verè Pater est, quatenus iis tale munus impertit; & omnibus filiis principium dante Filio illo, ex cuius participatione tales existunt, iuxta quod ipse dicit, *Manifestaui nomen tuum hominibus*, *[Ioan. 17. 6.]* quòd nimirum vocetur Pater is qui habet Filium hæc loquentem.

Effectis.] *[§ 8. Non est similitudo causarum & effectuū.]* Effecta sunt omnia creata siue in cœlo siue in terrâ; causæ verò sunt ea quæ supereminent, id est tres personæ sanctissimæ Trinitatis. Manifestum igitur est, nullam esse horum inter se similitudinem causarum scilicet & effectorum. Rectè autem subiunxit *possibiles*, non enim possunt omnes.

Et vivere si qvis dixerit.] Quoniam ea quæ causarum sunt, priùs abundanter & essentialiter iis insunt. Quare non rectè dicimus, diuinitatem viuere ac illustrari; hæc enim nobis causa est viuendi atque illustrandi. Essentialiter ergo priùs insunt diuinitati, quæ nobis per gratiam, hoc enim significat illud, *per participationem*. Dicit enim Apostolus, *Gratiâ estis saluati*. *[Ephes. 2. 5.]* Et nos quidem saluari dicimur, ipse autem noster Saluator est, & iterùm: Nam *de plenitudine eius nos omnes accepimus*. *[Ioan. 1. 16.]*

Qvinetiam id qvod est vniversæ Theologiæ.] *[§ 9.]* Theologiam vocat ea quæ spectant ad humanitatis assumptionem; & ex naturâ nostrâ Deiformationem appellat ipsam Domini Iesv Incarnationem. Hæc autem maximè faciunt contra Nestorianos, eò quòd dicat, ipsum virilem substantiam assumpsisse. Considera verò, quòd Domini Iesv corpus è virgineo sanguine efformatum fuisse dicat. Obserua autem quomodo dicat, Angelos quosdam esse antiquissimos, & quendam illorum esse primum. *[Qui Angeli sint antiquissimi.]* Porrò Angelos antiquissimos recenset D. Ioannes in Apocalypsi. Et in Tobiâ legimus septem esse primos; vti & apud Clementem libro quinto Hypotyposeon. Solet autem antiquissimos Angelos vocare supremos illos tres ordines, Thronos, Seraphim, Cherubim, quemadmodum in libro de Cœlesti Hierarchiâ frequenter declarat. Hîc autem dicit ne primum quidem Angelorum assecutum fuisse modum Incarnationis.

Et ab inclyto.] Glorioso.

Præceptore.] Præceptorem suum sanctum Hierotheum insinuat, vti mox declarat; siquidem post S. Paulum ab hoc adiutus est. *[S. Hierotheus diuina patiens.]* Dicit autem ipsum, vtpote diuina patientem, ita fuisse inspiratum. Quid autem sibi vult illud, *Non tantùm discens, sed & patiens*, dicitur quidem in Epistolâ ad Hebræos: *Didicit ex iis quæ passus est obedientiam*. *[Heb. 5. 8.]* Qui enim patitur, experientiâ capit id quod docetur: veluti qui verberatur, magis eo qui tantùm

audiuit, quin imò etiam eo qui aliquando verberatus fuit, qualia iste labor sit intelligit, magísque, quantus is dolor sit poterit explicare: ita quoque qui per reuelationem docetur, diuina diuiniùs interpretabitur. Porrò diuina pati, est quid eiusmodi. Dictum est ab Apostolo, Consepeliamur Christo, vt cum illo resurgamus, ac conregnemus. Qui autem seipsum ac carnem suam crucifigit, is stigmata Christi in proprio corpore circumfert; meritò igitur conregnat Christo, audétque diuina eius mysteria contemplari; cùm etiam S. Hierotheus dicatur non solùm didicisse, sed etiam passus esse diuina, atque is qui per reuelationem diuina docetur, extra semetipsum constituatur, ac rectè dicatur pati vtilem hanc passionem, vt fiat Dei domicilium. Alio modo. Ipsum diuina passum ait, vt qui non doctrinaliter per sermonem doctrinam eorum hauserat, sed diuinâ illustratione expressam & veluti insignitam in mente supernaturalem habebat cognitionem. Istiusmodi autem rerum diuinarum eruditionem, compassionem appellauit siue consensionem.

Rom. 6. 4.
Galat. 6. 17.

§. 10. *Deus omnia in omnibus, & nihil eorum.*

Cavsa omnivm.] Diuina hæc verba ostendunt, quomodo & Filius omnia in omnibus, & caput omnium sit, secundùm Apostolum: quoniam, inquit, omnium est plenitudo & compago, quæ seriem creaturarum adstringit, scilicet partes toti, tanquam qui sit omnia. Quare velut vniuersi coagmentator meritò etiam pars est, quoniam omnis pars est pars totius; & neque totum est neque pars, vt qui nihil horum sit, sed supra omnem essentiam existat. Partes autem vniuersi mundi sunt, quæ secundùm speciem videntur, aër, terra, plantæ, & cætera; estque veluti perfecta aliqua, quæ eius dicitur, diuinitas respectu nostri, qui sumus imperfecti, iuxta illud Matthæi, *Perfecti estote, quia ego perfectus sum.* Respectu autem perfectorum Angelorum, non perfectus, sed supraquam perfectus est. Filius etiam est auctor perfectionis, tanquam omnis perfectionis principium, quoniam etiam ante perfectus est. Ita etiam dicitur forma in informibus & incorporeis, tanquam creator & principium omnis formæ. Respectu autem harum formarum sine formâ est, & supra formam; quoniam tam formæ quàm exemplaria ipso sunt inferiora.

Matth. 5. 48.

Definiens.] Pro distinguens, & sine confusione conseruans.

Et mensvra est.] Est mensura rerum, quoniam in ipso vniuersa terminantur. Vt sæculum iure meritissimo dicatur: nam si sæculum appellatur, quasi semper existens, ipse est qui semper existit, iuxta quod dictum est, *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*, & iterum: *Qui numerat multitudinem stellarum, & qui mensus est cœlum palmo, & terram pugillo.* Conditor autem sæculorum, in quantum est creator Angelorum, dicitur etiam immortalitas, extensio, vita sempiterna, æternitas (non verò tempus) interminata, & qui semper erit. Non itaque dicitur sæculum secundùm illud tempus quod finem habet, sed secundùm id quod semper est, vsque in sæcula illa quæ finem non habent.

Psal. 101. 28.
Hebr. 1. 12.
Psal. 146. 4.
Isa. 40. 12.

Plena est in iis qvæ egent.] Id quod superiùs dixerat, Imperfecta verò in perfectis, hîc dicit, Exuberans in iis quæ plena sunt; quare etiam imperfecta sic intelligi debet, vt sit eminenter perfecta in perfectis.

Et vsqve ad natvram.] Vides quomodo dicat, quoniam etiam ad naturam venit (naturam scilicet nostram intellige) & naturam non rectè de Deo dici. Ecce enim quomodo dicat, quoniam vsque ad naturam descendit, id est, eò vsque vilitatis, atque eius, quod ipse non habebat, peruenit. Vbi nota significantiam verborum.

Sine immvtatione.] Nota, vt sine immutatione, & absque confusione, & sine passione nobiscum communicauerit, & in naturalibus nostris supra naturam permanserit, & in substantialibus supra substantiam, nostráque supra nos habuerit; veluti ortum ex Virgine, impeccabilitatem, in potestate Dei loqui, atque agere vniuersa, ambulare supra aquas, & similia. Obserua itaque, neminem tam diuinè loqui contra Nestorianos & Acephalos & Phantasiastas.

Commvnia et.] Communia & vnita sanctæ Trinitatis nomina sunt, quibus velut ea donis in res inferiores collatis nominantur; quæ dona distinctiones, & quasi multiplicationes appellat.

§. 11.

Mvltiplicatvr avtem vnice.] Contra Phantasiastas dicitur, id quod vnum est multiplicari; quia ex ipso ac per ipsum, & in ipso cuncta condita sunt, & ipse est caput omnium quæ sunt, & ipse omnes substantias produxit. Rectè igitur, propter ea quæ ab ipso effecta sunt, multiplicari dicitur; quandoquidem etiam omnibus quæ Patri subiecta sunt, ipsemet in iis quæ per ipsum facta sunt, Patri subiici perhibetur, iuxta illud Apostoli, *Tunc & ipse Filius subiectus erit.* Et cùm talis esset, mansit *vnus* in multiplicatione productionis vniuersorum, & idem in indeficiente munerum suorum profusione, cùm in vniuerso pars esset, & nihil vniuersi existeret: est enim superessentialis, & nobis incomprehensus. Id ipsum autem infrà exponit.

Quomodo Deus multiplicetur in donis suis.

1. Cor. 15. 28.

Et singvlari.] Singularem vocat vniuersorum productionem, significans, simul ac Deus voluit res omnes, non autem paulatim & per partes, creatas fuisse, siue in lucem prodiisse. Non imminutam verò communicationem dicit; quia scilicet Deus dum cuncta creat, nihil bonorum suorum imminuit.

Intelligens commvnis noster.] Communis præceptor ac manuductor, scilicet Apostolus Paulus: per ipsum enim factus est fidelis, vti legimus in Actis. Notandum etiam, S. Hierotheum à sancto Paulo edoctum fuisse.

S. Paulus S. Dionysij præceptor.

Nam etsi sint qvi dicantvr.] Illud, etsi dij multi sint ac domini, tamen vnus est verè Deus ac Pater, & vnus verè Dominus Iesvs, designare causam omnium ac creatricem diuinitatem, secundùm impartitam & indiuisam communicationem nominis propriæ diuinitatis ac dominationis, eos, qui dij ac domini dicuntur, produxisse, minimè tamen in partes deitatem, deitate discissâ, sicut aurum in multos nummos, neque multis diis eius diuinitatem complentibus, quemadmodum multæ species vnum mundum; sed multiplicari dicitur Deus secundùm quamlibet res producendi voluntatem, prouidis processibus multiplicatus, manet tamen in se quid vnum absque diuisione. Quemadmodum sol multos radios emittens, & in suâ vnitate permanens, siquidem etiam de Sole iustitiæ dictum est, quòd in dies distribuatur, & minimè consumatur. Rectè autem dicitur, etiam in diuinis vniones validiores esse distinctionibus: neque enim oportet prudentem auditorem, cùm de Deo audit vnitatem, in ipso infirmitatem, neque simplicitatem quasi imbecillitatem suspicari. Nihil enim de Deo à nobis propriè pronuntiatur, quod illius proprietatem assequatur, neque secundùm priuationem, vt immortalis, & similia; neque secundùm positionem, vt vita, verbi gratiâ & vnum; sed illud vnum tanquam cum omnibus incomparabile dicendum est, quod eodem modo se habet etiam in suppositis iis, quæ à propriâ cæterorum vnitate non exeunt. Idem enim manet, etsi voluntas in reliquorum productione diuidi videatur. Omni igitur distinctione, quâ scilicet omnia in lucem prodeunt, tanquam causa præuia valentior est indiuisa Dei vnitas. E diuerso se res habet in sensilibus: nulla enim est in ipsis vnitas, sed præexistentes elementorum distinctiones, dum concurrunt & vniuntur, alias ex compositione vniones efficiunt. In diuinis verò non sic: nam præexistens in iis vnio posteriores distinctiones voluntate operatur.

Quomodo Deus vnus sit.

Etiam post vnivs.] Vniones quidem in diuinis ait, propter ea quæ nimirum singulariter ac solitarie considerantur in diuinitate, sine quibus vtique priùs contracta erat proprietatibus, id est, paternitate, filiatione, & ex Patre Spiritûs processione: distinctiones verò, quia multa sunt quæ diuina dona participant. Vniones itaque prædominantur ac præualent: neque enim vna deitas & dominatio ex pluribus conflata est, sed ex huius singularitate ista, quæ in illis existit, multitudo consideratur.

A

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§. 1. *Quæ sit vnita & quæ distincta Theologia.*

HOc præsens caput est de vnitâ distinctâque Theologiâ. Cùm enim hic Sanctus de diuinis nominibus loqui proposuerit, diuina vero nomina, quædam in communi tribus personis diuinis conueniant, quædam etiam vni ex personis illis in patriculari; idcirco illa quidem nomina quæ in communi diuinæ naturæ congruunt, vnitam inscribit Theologiam, quæ vero cuilibet personæ in particulari competunt, distinctam. Et rursus diuinam vnionem vocat occultam & incomprehensibilem diuinæ naturæ cognitionem (nam essentiam incomprehensibilis Trinitatis, quid sit, nemo cognoscet vnquam) diuinam vero distinctionem, subsistentes existentias adorandas, id est, filij quidem ex Patre splẽdorem ineffabilem, sancti vero Spiritûs ex Patre inconceptibilem processionem, diuinam totam existentiam, vel potiùs propriè non existentiam, sed superexistentiam: sed quoniam omnis existentia ex ipsâ est, ex effectis creaturis existentia nominatur. Hanc itaque diuinam totam existentiam, id est vnicam & solam Deitatem (sic enim appellare consueuit sanctæ atque solùm adorandæ Trinitatis in tribus personis agnitam Deitatem) hanc, inquam, ipsam per se bonitatem esse, in Euangeliis nobis declarasse Dominus prædicatur, id est, cum omni religione ac diuinitate agnoscitur: nam ipsemet Deus Dominus explicando dixit cuidam interroganti, *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi solus Deus.* Verùm hoc aliis etiam locis à nobis expositum, istiusmodi nomina non partialiter de vnâ ex personis diuinis dici, sed de totâ plenâque deitate; nec non omnia hæc nomina communia ipsi attribui imparticipatè, id est, non participata secundum attributionem, sicut vna persona, sed ad vnamquamque & ad tres in communi, absolutè, id est sine vllâ restrictione ad vnam personam, vel sine hac ad aliam, sed sine reseruatione, vti ad vnamquamque, sic etiam ad tres in communi; & vniuersim, tam ad vnamquamque quàm vniuersè ad omnem vniuersitatem diuinitatis referri. Siquidem, vt alibi meminimus, qui hæc diuina nomina negat esse communia, distrahit omnino impiè vnitatem adorandæ Trinitatis. Dicendum itaque, in Euangeliis vocem illam *bonus* de tribus diuinis personis accipiendam esse: nam bonum Verbum ait, *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* & rursum apud Dauidem in Psalmis dicentem reperitur, *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam*, & iterùm, id quod ad Moysem dictum est: *Ego sum qui sum.* Si id nonnulli vni personæ adscribere velint, quomodo intelligent, quæ in Apocalypsi Ioannis Euangelistæ de Patre dicta sunt, *Qui est, qui erat, qui venturus est?* de Filio vero in Dauide, *Tu autem idem ipse es?* de sancto quoque Spiritu in Euangeliis, *Spiritus veritatis qui est, qui a Patre procedit?* Et obserua, quomodo hæc dicat vsurpari; nunc enim non ita fertur. Et rursum de vitâ, nisi hæc de tribus personis dicta sint, quomodo in diuinis Euangeliis reperitur, quòd, *sicut Pater suscitat mortuos & viuificat, sic & Filius quos vult viuificat?* Et illud, *Spiritus est qui viuificat?* Quod autem nomen Dominus etiam commune sit, de Deo quidem qui Deum genuit, siue Patre, & de Deo qui genitus est, siue Filio, vix dici possit quoties dicatur. Quin etiam Spiritus sanctus Dominus est: similiter quoque pulchrum, & sapiens, & lumen, & Deificum, & causa. Omnia, inquam, hæc nomina summatim de totâ Deitate prædicantur; iuxta illud, Omnia ex Deo sunt, & diffusiùs etiam de singulis personis, vt cùm de Deo quidem Filio dicit, *Omnia per ipsum & in ipso facta sunt, & in ipso cuncta consistunt*, hunc enim omnes referunt ad Verbum quod creat. De Spiritu autem: *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur.* Et vt compendio quis dicat, ipsemet Dominus dixit: *Omnia quæ habet Pater mea sunt, & omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.* Verumtamen hæc etiam sanctissimo Spiritui per communicationem vnionemque attribuit. Quænam hæc? Diuinas operationes, id est miracula, iuxta illud, *Si ego in * spiritu Dei eycio dæmonia.* Venerationem, iuxta illud, *Qui vero blasphemauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei.* Fontem & distributionem gratiarum, iuxta illud, *Accipietis virtutem ex alto*, superueniente Spiritu sancto. Ac nemine m existimo eorum qui Scripturis haudquaquam peruersè sunt imburi, negaturum, quin istiusmodi nomina, tam in communi quàm in particulari, secundùm rationem & causam insint omnibus personis diuinis, ita vt quælibet sit perfectus Deus, & rursum omnes tres sint vnus perfectus Deus. Cùm igitur hæc in præsentiarum quidem breuiter, alibi vero satis definita sint, quodcunque tandem integrum & commune Dei nomen (excepto scilicet proprio & personali) explicare aggrediemur, in communi accipiendum est.

Marc. 10. 18. — B — C — *Matt. 20. 15.* — *Ps. 142. 10.* — *Exod. 3. 14.* — *Apoc. 1. 4.* — *Ps. 101. 28.* — *Ioan. 15. 26.* — D — *Ioan. 5. 21.* — *Ioan. 6. 64.* — *Rom. 11. 36.* — *Ps. 103. 30.* — *Ioan. 16. 15.* — *Ioan. 17. 10.*

E — *Luc. 11. 20.* — ** digito* — *Marc. 3. 29.* — *Act. 1. 8.*

§. 2.

Si quis autem obiecerit, nos hoc modo confusionem introducere, & Deo competentem personarum distinctionem confundere, quod v. g. nomen Filij Dei de totâ diuinitate prædicemus, nos putamus ipsũ non satis probare posse, se nobis hæc secundum veritatem obiicere. Nam si talis sit qui omnino sacris Litteris resistat, à Philosophiâ quoque nostrâ procul admodum aberit: & nisi ipsi curæ sint Scripturæ sacræ, quomodo nobis curæ erit vt ipsum ad scientiam manuducamus? Sin Eloquiorum veritatem admittat, nos Scripturas tanquam regulam lucemque adhibentes, respondebimus ipsi, quod Theologia nonnulla quidem nomina vnitè tradat, vt *Deus, bonus*, & similia; nonnulla vero distinctè seu diuisim, vt *Pater, Filius, Spiritus, genitum, ingenitum, procedens*: & nefas sit vel vnita distinguere, vel distincta confundere, sed Scripturis insistendo, ad diuinas esse illustrationes suspiciendum, quoniam inde diuinas explanationes accipientes, conamur easdem tanquam canonem seu regulam obseruare, nihil addendo, nihil demendo, hoc enim proprium est regulæ: & quod magis est, dum quidem illas inuiolatas custodimus, Scripturarum ipsi custodiâ seruamur; dum vero ita seruamur, potentiores euadimus ad easdem custodiendas.

F — *Scripturam esse veritatis regulam.*

G

§. 3. *Quæ in Deo vnitè dicantur, & quæ diuisim.*

Nomina igitur vnita, scilicet totius deitatis, trinæ vnitatis, sicut alibi diximus, sunt supraquam bonum, & cætera, quibus præpositio *supra* præponitur, quæ vocat ablationis secundùm exsuperantiam; siquidem etiam ablatiuum est nomen Immortale & Increatum, sed secundum affirmationem. Ablatiuum etiam est Supraquam-bonum; non enim simpliciter bonum & sapiens, sed supra hæc, & sine comparatione, & idcirco superlatiuè ablationem continent: quibus annumerantur omnia quæ ad rationem causæ pertinent; nam bonum, & pulchrum, & ens, quoniam Deus ea quæ sunt pulchra, & existunt, & bona sunt, suppeditauit, ex effectis hæc nomina sortitur; quæ sunt vnita. Discreta verò sunt nomen superessentiale Patris, nomen superessentiale Filij, nomen superessentiale Spiritûs sancti; ex his enim nulla fit reciprocatio, vel communicatio. Pater enim Deus, non tamen Deus solùm Pater; & Filius Deus, non tamen Deus solus Filius; similiter etiam de sancto & viuifico Spiritu. Inuenitur etiam alia quædam distincta Theologia, quæ propria est Domino nostro IESV CHRISTO ac Deo, scilicet perfecta eius secundùm nos existentia, siquidem assumpsit carnem animatam ac intellectûs participem: & immutabilis; quod enim erat immutabiliter manens, id quod non erat assumpsit, nempe filium hominis, principij temporisque subiectionem, aliaque quæ humana sunt, cæteraque mysteria humanitatis eius, esuriem, sitim, laborem, & cætera quæ dicit essentialia, vt excludat apparentiam imaginariam.

H

§. 4.

Expedit vtique, nonnihil altiùs sumendo, perfectissimum illum diuinæ vnionis ac distinctionis modum explanari, quò nobis oratio sit aperta, obscuritatem quidem fugiens, hæc vero, quoad fieri potest, clarè definiens. Sacri enim Doctores, vt in aliis etiam dixi, diuinas quidem vniones vocant notiones illas diuinæ & incomprehensibilis essentiæ; ipsam autem essentiam incomprehensibilis Trinitatis, quid sit, nemo cognoscet

A

vnquam distinctiones verò diuinas, per se subsistentes existentias venerandas, id est, Filij quidem ex Patre ineffabilem splendorem, & sancti Spiritûs ex Patre inconceptibilem processionem; illas, inquam, vocant vniones, quoniam identitatem vnius naturæ declarant; has verò distinctiones, quoniam distinctionem personarum exponunt. Tradúntque istiusmodi viri sancti, quædam esse vnionis propria, videlicet bonitatem, sapientiam, immortalitatem; atque item quædam propria distinctionis, vt Patris quidem, esse ingenitum; Filij verò, genitum; & Spiritûs sancti, processionem. Quædam item sunt propriæ vnitates, & quædam propriæ distinctiones: verbi gratiâ commune quidem est Filio & Spiritui sancto, ex Patre esse; proprium verò, quòd ille per generationem, hic per processionem. Et rursus, commune quidem Patri & Filio, quòd Spiritus sanctus sit Patris & Filij: proprium verò, quòd sit Patris Spiritus, tanquam ex Patre procedens; * Filij verò Spiritus, tanquam consubstantialis ac proprius ipsius. Et has vocat vniones & distinctiones distinctionis proprias. Deinde dicit, quænam sint diuinæ vniones, siue quæ communes sunt essentiæ diuinæ, nimirum superessentialis existentia, & superessentialis deitas, & supraquam bona bonitas: quoniam supra ea, supra quę Deus esse dicitur, incomparabiliter superior est; quod asserens, per exuberantem negationem dixit. Identitas omnibus superior, omnia superantis totius Dei proprietatis, scilicet boni, & sapientis, & similium; hæc enim sunt Dei proprietas, videlicet per excessum ad creaturas. Super omnem vnitatem quæ in rebus est, indiuisus & simplex, ineffabilis, & multis vocibus expressus: tum quia innominabilis est, tum quia pro beneficiorum diuersitate diuersimodè nominatur. Ignoratio, & ex omni intellectilis; in ignoratione enim Deus cognoscitur. Ignorationem autem non eam accipias quæ ex inscitiâ oritur (nam hæc animæ quædam est tenebricositas) neque etiam cognoscentem (quoniam qui incognoscibilis est minimè cognoscitur) nam hæc quoque species est cognoscitius: sed secundùm illam ignorationem, secundùm quam simplificati, supra notiones omnémque Dei cogitationem transcendentes, simplices efficimur. Dum existimamus autem nos comprehendisse, etiam manemus ambigui, propter statum vnionis; & firmiter in vnione consistentes, ignoramus nos non percepisse, id est, nihil aliud scientes, nos velut rudes ignoramus. Tamen quæ ab omni creaturâ religiosè ignorantur, ignoramus. In hac enim ignoratione constituti, efficimur forma eius quod ante omnia existit, negligentes quidem formas omnes ac notiones, in silentio autem sermone omni præstantiori constituti, hoc ipso, quòd ne hoc ipsum quidem cognoscimus nos ignorare; postmodum iterùm à muto silentio conuersi, & cognoscentes nos ignorare, abstinemus cæterùm ab eius quod cognosci nequit inquisitione. Rursum verò Deus ex omni intellectilis dicitur; quoniam ex amicis suis muneribus & * intelligentiis, nec non ex creaturis existere cognoscitur, ex illis quidem Saluator, ex his verò creator. Positionem autem seu affirmationem vocat existentiam, tanquam ex ipso Deo, qui est omnium existentia. Philosophi enim θέσιν, seu positionem, vocant formas illas quæ materiæ imprimuntur; ablationem verò, quando qualitates à formis auferuntur, veluti à terrâ siccitas & grauitas, tunc enim fortassis aqua erit. Deus igitur qui hæc omnia transformat, omnium est positio & ablatio. Omnium quidem positio, vt qui omnia ponit & facit, atque vt consistant disponit: in ipso enim cuncta consistunt. Est autem omnium ablatio, vt qui ipsammet rerum positionem ac creationem componit atque concinnat, nec non aufert à rebus positis quæ illarum naturæ aduersantur. Cùm enim in confesso sit, ea quæ generantur omnino etiam corrumpi, ipse autem abundantiâ bonitatis quorundam quoque auferat corruptibilitatem, vt Angelorum atque animarum; quorundam verò corruptibilitatem transferat ad incorruptionem, vt corpora nostra in resurrectione: manifestum est ipsum nobis hæc existentem, supra positionem quoque esse & ablationem, cùm sit fundamentum ac radix omnium, non quoad locum, sed quantum ad causam. Neque ipsę etiam est ablatio eorum quæ habet: nam Ipse per se habet immortalitatem, & incomprehensibilitatem, & incognoscibilitatem, aliáque similia; non quasi non sit contrarium, sed iuxta proprietatem quandam omnibus ineffabilem: nam exemptus est ab omnibus, & à nullo cognoscitur, vel omnino comprehenditur, vt qui semetipsum propter infinitatem subducat. Rursum est diuinarum quoque in se inuicem personarum mansio & collocatio: sunt enim vnum, & vnum, & vnum, & tria vnum. Quid autem est mansio & collocatio, vt illud, *Ego in Patre, & Pater in me est?* ita etiam de Spiritu sancto Apostolus ait. Hæc mansio non est in parte confusa, sicut sensibile exemplum declarat. Quemadmodum enim si in aliquâ domo tres cerei accendantur, subiectis quidem diuersi erunt, sed lumine vnito sibi inuicem communicabunt; neque quisquam potest commune lumen discernere, quodnam sit huius, & quod alterius luminaris. Hæc vbi dixit, transfert sermonem ad mysterium dispensationis, & Euangelicum illud dictum explanans, *Ego à Patre exiui, & ad Patrem meum vado*, ait. Vt si quis vnam facem accensam è domo educi intelligit, nihil aliorum luminum secum trahentem vel de suo cæteris relinquentem, lumen eductum subducendo; sic etiam intellige in dispensatione Incarnationis. Quippe Filius à Patre veniens, & in hoc mundo conuersatus non eduxit secum Patrem, neque Spiritum, neque quidquam sibi proprium iis reliquit, sed hanc egressam à sui ipsius mansione fecit indiuulsum. Cæterùm vniones corporum quæ elementaliter considerantur, atque alio quodam modo permiscentur, virtutibus & qualitatibus permutantur; similiter quoque facultates animales suam habent differentiam: quin & Angelorum cum diuinis illustrationibus vnitiones pro ordinum propriorum parte ac proportione fiunt. Diuinitas verò sanctæ Trinitatis, & quidquid eius est, nullo dictorum modo dissecta, aut à se diuersa, meritò censetur esse supra istas vniones. Supercollocatur enim vnio supersubstantialis non tantùm corporeis, verùm etiam iis quæ in animabus, quin & in ipsismet Angelis contingunt, quas vtique diuinas vniones illa luminaria supercœlestia, scilicet Angeli, impermixtè, inconfusè, & supermundialiter tota se totis obtinent: non enim præter his illustratio conceditur, sed omnino integrè, tametsi quoque pro captu suo duntaxat vniantur. Quemadmodum sole omnino perfectè illucescente quilibet pro captu suo lumen participat, ita etiam in Angelis contingit, dum secundùm proportionem suam diuinæ illius & supereminentis vnionis participes existunt. Est etiam distinctio in diuinis, non ea tantùm quam priùs diximus, quòd inconfusè in tres personas indiuidua simplexque natura diuina diuidatur; verùm etiam Patris notio, scilicet actiua Dei generatio, cum aliis non conuertatur. Pater enim solus fons est superessentialis deitatis, qualibet diuinarum personarum proprietatis suæ laudes religiosè conseruantibus. Ecce etiam aliam distinctionem, secundùm quam Pater ab effectis Filij & Spiritus sancti distinguitur. Hæ quidem sunt vniones & distinctiones in illâ ineffabili vnione naturali.

Est etiam secundùm aliam rationem diuina distinctio, illa Dei propter abundantiam bonitatis emanatio ad multiplices tam inuisibilis quàm visibilis creaturæ formas. Porrò prouidentiæ benignitatéque creationis, trinæ vnitati sunt communes. Ne itaque cùm audies distinctionem, existimaueris, vni quoque personæ alicui seorsim competere creationem prouidentiámve; sed distinctiones appellauit emanationes creationis ac prouidentiæ, tanquam effusiones bonitatis à beatâ & inconfusâ Trinitate distinctas, secundùm quas à participatis, scilicet donis, & participantibus, scilicet effectis, laudantur ea quæ imparticipatè participantur. Imparticipatè autem participatur Deus, qui naturâ suâ in tribus subsistit personis:

Margin notes:

** Nota.*

B — *locum hunc redolere errorem Græcorũ, dicentiũ, Spiritum sanctum à solo Patre procedere; quod & definiuerunt in Pseudosynodo ab annis illis octingentis, sub Photio Patriarchâ Constantinopolitano celebratâ: in quo errore etiamnum cum Rhutenis & Moscis perseuerant.* — C

Quali ignoratione Deus cognoscatur.

** Maximus, prouidentiis.* — D

Qua sit positio in Deo.

Quomodo Deus sit omnium ablatio.

Ioan. 10. 38.

Exemplo sensili declaratur circuminsessio diuinarum personarum. — F

Ioan. 16. 28.

G

H

§. 5. Emanationes totæ Trinitati communes.

siquidem hoc toti diuinitati commune est, omnem ipsam totam à quolibet participantium participari, & non in parte, tametsi participantia secundùm propriam facultatem eam participent, quemadmodum validâ voce excitatâ, præsentes omnes pro facultate suâ eandem percipiunt, & vir, & puer, & bruta; sed illi quidem valentiùs, hi verò remissiùs, secundùm facultatis audiendi efficaciam. Atque communicabilis est vox, & in se ipsâ incommunicabilis manens. Vel, iuxta exempla proposita, sicut lineæ rectæ à circumferentiâ centro circuli incidentes, illud integrè participant, & non ex parte, quoniam punctum, quod & centrum est, parte caret, & sicut ea quæ expressa sunt totaliter, & non ex parte sigillum participant. Dum autem exempla profert, declarat diuinitatis imparticipabilitatem hæc ipsa superare; quoniam neque tactus eius est, sicut in puncto; neque alia quæuis mixta communio cum participante, vt in sigillo: nam diuinitas secundùm substantiam non participans, in quantum ex eâ sunt omnia, & ab ipsâ in suo esse continentur.

[§ 6. *Vnde proueniat inæqualis repræsentatio sigilli.*]

At dicet aliquis, sigillum in totis expressis figuris non esse idem; quandoque enim exactè expressum est, quandoque verò mediocriter: atque sanctus Pater id soluens, magis ea quæ dicuntur confirmat, quoniam sigillum idem est, sed diuersitas communicantium, vnius ac eiusdem primitiuæ formæ, dissimiles reddit effigies: vt si simplicia, formatúque facilia, vel etiam mollia, aliisque figuris ac formis carentia, quæ neque dura sunt, neque reluctantia, vt exsiccata cera; neque iterùm fluxa, vt cera præ calore liquefacta, nitidam figuram habitura sunt: sin autem aliquid defuerit, hoc causa erit vel obscuritatis, vel fallitatis, vel alterius defectus, quæ propter ineptitudinem participantium accidunt. Obscura etiam aliam diuinam distinctionem Verbi incarnati tam in agendo quàm patiendo mirabilia & obstupenda, quæ, in quantum homo, & egit & pertulit: his enim & Pater & Spiritus non communicarunt, nisi fortè quis dixerit, secundùm benignum beneplacitum ac voluntatem, & in diuinis signis Filio cooperando. Nos itaque similiter res diuinas sermone coniungere distinguereque satagimus, prout verè ac naturâ suâ vnitæ sunt ac distinctæ.

[§ 7. *Deum in silentio maximè cognosci.*]

Sed harum vnionum ac distinctionum quascunque in sacris Litteris rationes Deo consentaneas reperimus, alibi seorsum explicuimus, partim quidem eas enucleando, ac purum tranquillúmque animum perquam lucidis Scripturarum contemplationibus, admouendo (sic enim eas mens sacra explicat & interpretatur) partim verò, ceu mysticis, supra mentis etiam operationem vniri, silentio scilicet, & incomprehensibili modo honorem exhibentes. Mens enim sacra non aliter iis intendit quàm per omnem cessationem motus, qui ad intelligendas res facit: hoc enim declarat illud quod dixit, supra mentis operationem, id est, quando vndique Dei incomprehensibilitate comprehenditur, tunc assequitur quod quærebat. Nam omnia diuina nomina, & quæcunque nobis apparuerunt, solis participationibus cognoscuntur, secundùm quas impermixtè Deum participamus: nam ex participationibus quæ à Deo nobis donantur, Dei quoque nomina componimus. Porrò quales ipsæmet res diuinæ sint secundùm naturam suam, omnem mentem & essentiam excedit: velut cùm arcanum illud superessentiale Deum nominamus, vel vitam, vel alia, nihil aliud intelligimus, quàm vel benignas in nos virtutes, secundùm quas deificamur, vel substantificamur, vel viuificamur, atque alia similiter. Ipsa verò diuina supraquam existentia sic quodammodò laudabitur, quando ab efficaciâ omni validissimâ & intelligente absoluta suscipiet nos in sancto silentio, mentem iis quæ illinc promanant donis adiicientes: hæc enim est cognitio in ignoratione, in quâ nullam cernimus vel deificationem, vel vitam, vel substantiam quæ planè similis sit causæ isti, quæ cunctis per omnem excellentiam antecellit. Veneranda sacróque pauore digna sunt sanctæ Trinitatis nomina: quoniam Pater est diuinitas fontalis, Filius verò sanctúsque Spiritus sunt quædam germina ac flores, ac lumina superessentialia. Germina, quidem, ex visione oliuarum Zachariæ: lumina verò, ex Epistolâ Iacobi fratris Domini, qui de Patre luminum mentionem facit. Hæc itaque nomina à Scripturis sacris accepimus: quonam autem pacto sese habeant, neque eloqui neque intelligere valemus.

[Zach. 4. 3. Iac. 1. 17.]

[§ 8. *Quomodo in Deo sit omnis paternitas & filiatio, &c.*]

Cæterùm hactenus omne mentis nostræ studium hoc spectat, quomodo ex hac paternitate ac filiatione omnis paternitas in cœlo & in terrâ nominetur; ex quâ fit, vt spiritaliter ac doctrinaliter etiam dij & deorum patres, diuini ac sancti viri, & deorum filij qui in sacrâ Doctrinâ proficiunt, nuncupentur. Quid autem est spiritaliter? id est incorporeè & immaterialiter, ac intellectualiter, viris nimirum sanctis ex sancto quidem Spiritu diuino, qui est supra omnem immaterialitatem ac deificationem, diuinitatem hanc ac spiritalitatem accipientibus; ex Patre verò ac Filio, qui per excellentiam omnem paternitatem ac filiationem superant, istiusmodi statum participantibus. Non enim est perfecta similitudo effectis creatis ad causas, diuinas inquam personas: sed habent quidem creaturæ, quoad fieri potest, imagines Dei; ipsæ verò causæ penitus ab effectis creatis exemptæ sunt. Et, vt terrenis exemplis vtar, voluptates ac dolores efficere dicuntur, vt homines lætentur vel tristentur, tamen ipsæ voluptates non dicuntur lætari, nec dolores tristantur. Et ignis calefacit, & adurit, tamen non calefit, nec aduritur. Iccircò etsi quis vitam viuere, & per se vitam dixerit, & illuminari id quod per se lumen est, nequaquam propriè locutus fuerit, secundùm rectam veritatis rationem; nisi fortè hæc alio modo dicat, quòd nimirum abundantiùs, & secundùm essentiam; non autem secundùm participationem, præ effectis hæc insint causis.

[§ 9. *Mysterium incarnationis esse ineffabile.*]

Quin etiam quod est vniuersæ Theologiæ manifestissimum Iesu humanitatis mysterium (quoniam enim manifestè ac verè nobiscum communicauit) tamen id ipsum etiam ineffabile est sermoni omni, & omni menti inconceptibile, etiam primo & antiquissimo Angelo, scilicet sublimissimo primóque ordini, hoc enim Ioannes ille Theologus in Apocalypsi de antiquioribus iis Angelis tradit. Atque eum quidem carnem assumpsisse, mysticè accepimus, sed quomodo ex virgineis sanguinibus aliâ quàm naturæ lege sit efformatus, aliáque omnia quæ ad naturæ Iesu explicationem spectant, quomodo in duabus naturis cognitus, & prout hominem se gesserit, & supra hominem opera ediderit, longè altioris & præstantioris sermonis res est, quàm nostra ratio aut facultas ferat. Adhæc itaque, si ineffabilia sunt diuina, vt quæ sublimiorem habeant Theologiam, quid dicet quis de beatâ Trinitate? Verùm hæc à nobis etiam alibi dicta sunt, & ab inclyto præceptore nostro beato Hierotheo, quem post sanctum Paulum habuit præceptorem: quæ ille, siue à Scripturis sacris acceperat, siue ex earundem indagatione fuerat contemplatus, & exercitio vsúque plurimo, siue etiam diuiniori aliquâ insinuatione doctus erat, non solùm discens, sed & patiens diuina, vt qui non doctrinaliter per verba doctrinam eorum hauserat, sed diuinâ illustratione exceptam, & velnti insignitam, in mente supernaturalem habebat cognitionem. Hanc autem rerum diuinarum eruditionem *συγκατάθεσιν* seu consensionem appellauit. Atque, vt plurima eáque beatissima illius documenta transeamus, paucis subiiciamus ea quæ de Domino nostro IESV CHRISTO ac Deo in Theologicis elementis tradit.

HIEROTHEI.

[§ 10. *Quomodo Iesus sit omnia in omnibus.*]

Deinde verò ad verbum exposuit scriptum quoddam sancti Hierothei, in quo beatus ille ait, ostendendo, quomodo & Filius omnia in omnibus & caput omnium sit, secundùm Apostolum; quoniam omnium est plenitudo & compago, & continuat ac adstringit partes toto, & neque pars est neque totum, quia his superior est: attamen & totum est, & pars, tanquam

cotinens vniuersa, & suprahabet naturâ, & antehabet vt causa; & perfectus est in imperfectis nobis, & imperfectus in perfectis Angelis, tanquam supraquam perfectus, & antè perfectus, & nullam habens comparationem perfectionis ad illos; & forma rerum informium, tanquam creator & principium omnis formæ, & sine formâ respectu rerum infoimatarum, vtpote supra formam. Substantia cunctas substantias peruadens suâ prouidentiâ, & naturâ suâ rursus ab omni substantiâ exempta, cuncta principia ordinesque definiens, supra omne principium ordinemque collocamus. Et rerum est mensura, quoniam in ipso vniuersa terminantur; & sæculum & supra sæculum, tanquam auctor sæculorum; quasi perfectus in imperfectis, & in perfectis imperfectus, quippe supraquam perfectus; tanquam plenus in indigentibus, & supraquam plenus in plenis, & quæcunque supra hæc sunt, ne singula recenseamus. Hinc quoniam etiam nobiscum in carne & sanguine communicauit, & verè substantiam nostram assumpsit, & homo dictus est, rursus etiam in iis habet perfecta quædam vestigia diuinitatis: non solùm quod diuinitas sine vllâ immutatione nobiscum communicarit, nihilque à viliori humanitate passa sit; verùm etiam, quod nouis omnibus maximè nouum est, in naturalibus nostris supernaturalis extiterit, ambulans, sed supra aquam fluxam; comedens, sed tot millia satians, omnia nostra ex nobis & supra nos excellenter habens.

§. IX. Sed de his satis; modo sermonis nostri scopum prosequamur, communia & vnita sanctæ Trinitatis nomina, quæ diuinæ sunt distinctionis, vtpote donorum diuinorum quæ à Deo distinguuntur, exponentes. Et vt clarè definiamus, distinctionem diuinam esse dicimus, Deum decentes, vti dictum est, donationes: dum enim rebus omnibus bonorum consortia impertit, tum vnitè quidem, id est ex vnius naturæ proprietate in sua munera distinguitur, multiplicata verò in beneficia particularia rursum vnitur; quoniam ex vno Deo omnia sunt beneficia. Et dona quidem in singulis multiplicantur, manent autem in vno sine egressione, ac si in vno qui est illa quis videat; quoniam Deus est is qui est, sed superessentialiter; & producit ea quæ sunt; dumque iis tribuit esse, multiplicatur id quod vnum est in iis quæ multa sunt: nihilominùs tamen in istiusmodi multiplicatione manet in se quid vnum, & in singulorum distinctione plenum, quoniam est ab omnibus rebus exemptum, tam singulari productione omnium (scilicet simul volendo, & non paulatim ac per partes & minutâ fusione,) quia Deus dum res creat, nihil imminuit bona sua, sed quid vnum existit, ac virtutem vnitam distribuit cuilibet parti siue mundi, siue animalis. Nam pars quælibet quid vnum est etiam toti (quia totum est quid vnum) etiam vni atomo, ac multitudini siue multis, quæ sunt quid vnum specie, sicut multi homines sunt quid vnum naturâ. Cùm itaque his omnibus impertiat vnitatem, dum ea ex principialibus elementis, quæ ipsemet condidit, componit, & singula composito quid vnum facit; similiter iterùm quid vnum est, nequaquam creationibus in multitudinem diuisus, quemadmodum vna eademque ars alicuius, quæ virtute multa arte facta componens, & rebus immaterialibus præfecta, rursum in semetipsâ vna simplexque manet, cùm neque pars sit artefactorum, neque quid totum ex iis conflatum. Quomodo enim ars pars esse possit eorum quæ arte consistunt, cùm ipsa singulis præsideat? quomodo autem totum ex his sit, & quæ prior est ex posterioribus, & causa ex effectis existat? Vnde etiam concluditur; Deum non esse istiusmodi vnum quid, quale in nobis est: in nobis enim id quod vnum est, vel totum vel pars est; Deus autem est supra ista, neque participat de vno, quomodo enimnam sic iterùm aliud quiddam vnum prius erit, cuius particeps erit Deus: quoniam id quod participatur, prius est iis quæ participant. Neque etiam quid vnum est tanquam per accidens, vel etiam vt proprietas essentialis; hæc enim illud vnum habet quod essentia & ens; Deus autem supra essentiam est & supra ens. His omnibus itaque modo longè sublimiori Deus quid vnum est, supra vnum quod est in rebus: quin etiam multitudo est, cùm in optima quæque munera prouidentiasque multiplicetur, minimè diuisus, sed ex integro singulis obtingat, tametsi pro facultate quæque suâ ipsum participent. Quocircà est inexhaustus, & superplenus: si enim diuideretur, impleretur, cùm omne tam vnum quàm multitudinem producat, perficiat, & contineat, multis tam Angelis quàm hominibus ex ipsius deificatione diis factis, iuxta cuiusque deiformem facultatem quam à Deo accipiunt. Hinc itaque, dum quemlibet deificat, videtur quodammodo distingui & multiplicari Deus: nihilominùs Archideus vnus est Deus, indiuiduus in diuiduis, vnitus in semetipso, supra omnem vnionem; & impermixtus manet multis, neque multiplicatur, sicut lumen solis dum multos illuminat, manet vnum, & non multiplicatur. Quod cùm egregiè noster communis noster, meus inquam & præceptoris mei Magni Hierothei præceptor, qui sicut est Doctor mundi, sic & lux mundi, & discipulus eius qui verè lux est mundi, Magnus inquam Paulus, diuinitus hæc ait: *Etsi sint dij multi, & Domini multi* secundum gratiam, vt Angeli diuini, virique sancti; *nobis tamen* verè *vnus* est *Deus* Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, qui secundum indiuisam & indistinctam communicationem nominis propriæ diuinitatis, & dominationis, multis se communicat, minimè tamen in partes deitatum deitate discissâ; sicut aurum in nummos; neque multis diis eius diuinitatem complentibus, quemadmodum multæ species vnum mundum; sed multiplicari dicitur Deus secundùm quamlibet res producendi voluntatem, prouidis processibus multiplicatus, manet tamen in se quid vnum absque diuisione. Idcirco etiam in diuinis vniones superant distinctiones, quæ scilicet vnicè & solitariè spectantur: non enim vna Deitas & potestas ex multis conflata est, sed ex huius singularitate, quæ in illis est, multitudo consideratur. Et hæc quidem quoad diuina; in nostris autem rebus contrarium accidit: nulla enim in ipsis propriè est vnitas, sed præexistentes elementorum distinctiones, dum concurrunt & vniuntur, alias ex compositione vniones efficiunt. In diuinis vero & vnum præexistit, & post illam in beneficia distinctionem, iterùm manet vnum & supraquam vnum. Has etiam nos communes totius deitatis, & vnitas distinctiones ac beneficentias è diuinis nominibus iuxta Scripturas laudare conabimur, modo id antè cognitum sit, quod si quod nomen ponatur etiam cuiuslibet personæ, sine proprietatibus, v. g. paternitatis, filiationis, processionis, quibus ad certam aliquam contrahitur, in totâ ipsâ diuinitate accipiendum esse.

Quomodo Deus dicatur multiplicari in donis suis.

Quomodo Deus in rebus omnibus vnus sit.

1. Cor. 8.

CAPVT III.

Quæ sit vis orationis, & de beato Hierotheo, de religione & conscriptione Theologicâ.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Docet, ad Deum accedendum esse per orationem; non quia Deus à nobis abest, sed vt nos Deo mente & spiritu præsentes simus. In oratione enim non tam Deus nobis, quàm nos Deo cogitatione appropinquamus.*

2. *Reddit rationem, cur post sanctum Hierotheum hosce libros Theologicos conscripserit, & simul describit laudes Hierothei, & quomodo vnà cum Petro & Iacobo interfuerint obdormitioni sanctissimæ Virginis Mariæ, quidque ibidem egerint.*

3. *Declarat, quàm submissè de se ipse scriptisque suis sentiat.*

§. I. AC primum, si videtur, perfectum, & quod omnes Dei emanationes manifestat, boni nomen expendamus, inuocatâ Trinitate, quæ boni principium est, &

A *Oratio nos ad Deum subleuat.*

bonum superat, & optimas quasque suas prouidentias explanat. Oportet enim nos primum orationibus ad ipsam, vt ad boni principium, adduci, ac deinde magis ipsi propinquantes, edoceri optima quæque munera quæ penes ipsam sunt collocata: nam ipsa quidem præsens adest omnibus, non autem illi adsunt omnia. Sed cùm eam sanctis precationibus, & mente tranquillâ, & ad diuinam vnionem accommodatâ deprecamur, tum demum nos etiam ei præsentes sumus, ipsa enim nec in loco ita est, vt vsquam absit, vel ex aliis ad alia migret. Quin imò dicere, in omnibus rebus ipsam esse, quid minus est eius infinitate, quæ & excedit & continet vniuersa. Nos ipsos itaque orationibus ad sublimiorem diuinorum benignorumque radiorum contuitum comparemus: quemadmodum si lucidissimam catenam è summo cœlo suspensam, & huc vsque demissam, manibus alternis in anteriora protensis continenter arriperemus, attrahere quidem ipsam videremur, re autem verâ, non illam ipsi deduceremus, vt quæ supernè & infernè præsens esset, sed ipsimet magis ad sublimiores radiorum illustrium fulgores eueheremur. Aut sicut si nauim ingressi, rudentes ex petrâ quâdam ad nos vsque porrectos auxilij causâ teneremus, non ad nos petram, sed nos ipsos reuerà nauimque ad petram traduceremus. Quemadmodum etiam rursus, si quis stans in naui maritimum saxum impellat, ne quidquam saxum illud fixum & immobile mouebit, sed se ipse ab illo repellet; quantoque vehementiùs illud impulerit, tantò longiùs ab eo remouebitur. Quapropter ante omnia, maximè in Theologiâ, ab oratione auspicandum est, non vt vbique & nusquam præsentem virtutem attrahamus, sed vt diuinis commemorationibus inuocationibusque nos ipsos illi dedamus atque vniamus.

Nota, Deum etiam esse extra vniuersa. In oratione nō tam Deū nobis B *quàm nos Deo appropinquare.*

§. 2. *Cur Dionysius post S. Hierotheum libros hos scripserit.* C

Atque hîc fortasse nobis non immerito reddenda ratio sit, cur cùm eximius præceptor noster Hierotheus Theologica principia accuratè collegerit, nos, quasi illa non sufficerent, & alios, & hunc præsentem tractatum Theologicum conscripserimus. Profectò si consequenter ille omnes tractatus Theologicos ordine digestos edere voluisset, & vel breuissimis expositionibus totius Theologiæ summam explanasset, nunquam ea nos insania stoliditásve cepisset, vt illo vel liquidiùs vel diuiniùs res istas Theologicas nos penetrare posse putaremus; aut eadem bis repetendo, superfluo cassoque labore nos vellemus fatigare, tantámque amico & præceptori nostro iniuriam irrogare, vt præstantissimam eius, à quo post diuinum Paulum imbuti sumus, scientiam & expositionem nobis per plagium vsurparemus. Sed quoniam ille res diuinas verè grauiter explicans, compendio nobis subtiles aliquot definitiones tradidit, quæ in vnum multa conglomerant, iussus sum, vnà cum collegis meis, qui animabus adhuc rudioribus imbuendis vacant, subtiles istas ac singulares conclusiones, in quibus maximè spiritalis tanti viri virtus enituit, sermone magis ad captum nostrum accommodato explanare atque digerere; quin & ipse tu quoque nos frequenter ad hoc hortatus es, ipsumque librum vt perquam sublimem nobis remisisti. Quapropter nos quoque, ceu perfectorum seniliumque sensuum magistrum, alterásque Scripturas, quæ diuinitùs afflatorum scripta proximè assequantur, iis qui sublimiora capiunt illum assignamus; nos vero nostri similibus ad captum nostrum res diuinas explanabimus. Si enim solidus cibus perfectorum est, eo etiam alios pascere quantæ sit perfectionis? Meritò itaque dicimus, ad spiritalium Eloquiorum intuitionem, & subtilem eorundem eruditionem, virtute senili opus esse; sermonum vero introductoriorum, ceu inferioris notæ, scientiam ac disciplinam initiantibus atque initiatis conuenire. Atqui & hoc à nobis perquam studiosè obseruatum est, ne quidquam eorum, quæ diuinus ille præceptor planè nobis expressit, vllo modo attingeremus; ne secundò eadem repeteremus quæ ad Scripturam aliquam elucidandam ipse tradiderat: nam etiam apud ipsos diuino Spiritu plenos Antistites nostros (cùm & nos, vt nosti, & ipse plurimique sanctorum fratrum nostrorum, ad corpus il-

S. Dionysij de Hierotheo testimonium laudabile.

D

lud, quod dedit principium vitæ, Deumque susceperat, contuendum venissemus; aderat autem & frater Domini Iacobus, & Petrus suprema ista atque antiquissima summitas Theologorum, placuissetque post contuitum Antistitibus omnibus, pro virili cuique suo, infinitâ potentiâ præditam diuinæ imbecillitatis bonitatem collaudare) ipse post Theologos, vt nosti, cæteris omnibus sacris laudatoribus antecellebat, totus excedens, totus se deserens, rerumque quas laudabat consortium patiens; denique ab omnibus, à quibus audiebatur ac videbatur, tam à notis quàm ignotis, diuino numine afflatus diuinusque planè laudator censebatur. Sed quid tibi, quænam ibi diuinissimè dicta sunt, refero? Etenim, nisi me mei capiat obliuio, memini me sæpiùs diuinarum istarum laudationum partes aliquas abs te accepisse; tantæ tibi curæ fuit, ne vnquam perfunctoriè diuina prosequereris.

E *S. Dionysius cum Hierotheo & Petro & Iacobo quid egerint circa defunctæ Deiparæ corpus.*

§. 3. F

Verùm vt ista mystica, quippe vulgo non promulganda, tibique notissima, missa faciamus; quando iam tempus erat, quamplurimis hominibus fidem nostram promulgandi, & quotquot adduci possent, ad sacram disciplinam nostram attrahendi, non paucos hoc in munere Doctores sanctos superabat cùm vsu temporis, tum mentis puritate, tum acumine demonstrationum, cæterisque sacris institutis, adeò vt nunquam tanto soli conati simus obtueri. Ita enim nobis conscij sumus, imò scimus, nos rebus diuinis intelligendis minimè sufficere, nedum, quod ineffabiles sint, vt cognitæ essent eloquendis. Cùm autem in Theologicâ veritate explanandâ à virorum diuinorum facultate procul absimus, eo etiam præ religionis abundantiâ deducti sumus, vt de diuinâ Philosophiâ nihil audire vel loqui præsumeremus, nisi intellexissemus, non esse rerum diuinarum, quam assequi possumus, negligendam scientiam. Atque id non solùm naturalia mentium desideria, quæ amanter semper, quantum fas est, ad diuinarum rerum contemplationem excitantur, verùm ipsa quoque præstantissima legum diuinarum institutio persuadet; quæ, vt ea quæ supra nos sunt, meritáque nostra excedunt, & captum superant curiosiùs inuestigare vetat; ita iubet omnia, quæ permissa nobis & indulta sunt, assiduè addiscere, benigneque aliis communicare. His itaque adducti, neque labore neque ignauiâ à licitâ rerum diuinarum scrutatione deterriti, ne pro modulo nostro illos, quibus sublimiora nobis contemplandi facultas deest, adminiculo destitutos pateremur, ad scribendum animum appulimus, nihil quidem noui afferre præsumentes, sed minutioribus duntaxat quibusdam singularum partium obseruationibus, ea quæ verè Hierotheo subtili sanè compendio tradita sunt, distinguentes atque explanantes.

Humilis Dionysij de se opinio.

G

SCHOLIA S. MAXIMI.

§. 1.

QVÆ BONI PRINCIPIVM EST.] Id est, Auctor omnis bonitatis.

NON TAMEN OMNIA.] Quomodo non omnia præsentia sint Deo, & ipse dicit, & ex oraculo illo diuino cognosces: *Accedite ad me, & ego accedam ad vos*, dicit Dominus.

H

NOS IGITVR IPSOS.] Nota, vt oratio nos ad Deum euehat, non ipsum ad nos deducat. Obserua vero hic etiam pulcherrima exempla.

LVCIDISSIMAM CATENAM.] Pulchrè nostram precationem cœlesti cuidam catenæ assimilauit: qui enim cœli fastigium adire cupit, quasi manibus quibusdam catenam hanc prehensat.

RVDENTES.] Funes.

VBIQVE.] Quomodo Deus vbique & nusquam præsens sit, superiùs à nobis dictum est in expositione, cuius initium est, Positionem vocant Philosophi. Sicut ergo qui sensim semetipsum à terrâ eleuans videtur quidam manibus catenam illam ad se trahere; ipse vero potiùs in altum tollitur sensim ascendendo: sic qui intense orat, per opera, quæ manus vocat, sensim cùm operando tum precando mentem suam applicat ad Deum. Sin verò manus à catenâ remittimus, & sursum ferri minimè satagi-

mus, ex alto decidimus. Simile est in naui, vt cognoscamus mentem nostram nauem esse, quæ vitæ huius ventis agitatur; mare vero hanc vitam multis tempestatibus refertam; petram vero Christum, quem dum apprehendimus, inconcussi permanemus, ad ipsum vitam nostram dirigentes.

INCLYTI.] Illustris.

INCASSVM LOQVI.] Frustrà loqui.

IMBVTI SVMVS.] Elementaliter instituti sumus, ait, pro fructum cepimus. Est vero sciendum, post D. Paulum à S. Hierotheo ipsum fuisse institutum. Suffurari ait, pro clàm & per plagium sibi vsurpare.

GRAVITER.] Grauiter fortè sumpsit pro peritè & intelligenter: compendiosas autem definitiones vocat, quæ breuem quandam continent contemplationem: hoc enim significauit, cùm dixit singulares; conglobationes autem vocat expositiones illas, quæ fiunt paucis verbis.

AD CAPTVM NOSTRVM.] Hoc est, prout à me explicari poterit, & vt ipse cohortatus es, & prout præceptores, quotquot apud nos sunt, exposuerunt. Hæc constructio est per transgressionem.

ALTERAS SCRIPTVRAS.] Nota, S. Hierothei commentarios velut alteram quandam scripturam censendos esse.

INTVITIONEM.] Minimè tectam & perspicuam cognitionem intelligit.

SENILI.] Quoniam Sacerdotum omnium senilis dignitas perfectior & ad docendum accommodatior est. Quid porrò sibi velit illud *senilis*, intelliges ex Isaiâ dicente, Non senior, non Angelus, sed *ipse* Dominus *veniet, & saluabit* nos; & ex Apocalypsi B. Ioannis, qui circa ineffabile illud solium Dei vnigeniti quatuor seniores se vidisse asserit.

PRINCIPIVM VITÆ.] Fortè illud erat B. Deiparæ corpus, quod principium vitæ ac Dei tabernaculum appellat. Nota verò & illud, *Frater Domini Iacobus*, nempe cum Petro & Iacobo Apostolis diuinus hic vir aderat.

THEOLOGORVM.] De sanctis Apostolis loquitur.

Quæ sint mysteria diuinæ imbecillitatis in Christo.

DIVINÆ IMBECILLITATIS.] Diuinam imbecillitatem hic vocat, voluntariam condescensionem Filij Dei vsque ad corpus absque peccato. Cùm enim peccatum prorsus ignoraret, dignatus est pro nobis, propria non deserens, sine peccato fieri peccatum, vt nos peccato mancipatos, per nostri adoptionem, quæ per ipsum facta est, in pristinam assereret libertatem. Nam cùm dites esset diuinitate, locupletante nos inopiâ fit pauper, excellenti quodam modo carnem nostram assumens, vt nos diuinitate eius ditaremur: & cùm in formâ Dei ac secundum essentiam existeret, propter effusam bonitatem serui formam induit. Cùm simplex Verbum existeret, factus est immutabiliter subsistens. His adde omnem illam pauperem secundum carnem eius vitæ rationem, præsepe, fugam in Ægyptum, promiscuam illam cum meretricibus ac publicanis conuersationem, pauperrimorum piscatorum delectum, tecti carentiam, totam eius secundum carnem abiectam & plebeiam, nullisque commoditatibus instructam viuendi rationem, & infamem in cruce mortem, *Maledictus* enim *omnis qui pendet in ligno*; illam cum sceleſtis latronibus computationem, fixuras clauorum, lateris per lanceam transfixionem, alapas, sputa, acetum, fel, spineam coronam, illusiones, irrisiones, genuflexiones, simplices exequias, & sepulturam. Hæc veluti stultitia & imbecillitas Dei, ratione incarnationis incomparabiliter sapientior & fortior est hominibus, propter plusquam potentissimam sapientissimamque victoriam de fortiore relatam, quæ tacito silentio clarissimè per opera toto orbe incessanter deprædicatur. Etsi enim, iuxta diuum Paulum, *crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute*. Ibidem pulchrè dixit illud *diuinæ imbecillitatis*: nam propter spontaneam ad nos condescensionem, omnia sustinuit *vsque ad mortem, mortem autem crucis*; & infirmitates nostras ipse tulit, & propter nos excruciatus est, & liuore eius sanati sumus. Quin & passio illius propria perhibetur, iuxta vocem Petri dicentis, *Christo igitur passo* pro nobis *in carne*. item: *Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Vnde etiam Dominicîdæ Iudæi appellantur.

DIVINVS LAVDATOR.] Quia nimirum Psalmos modulatos & Cantica recitabant, qui tunc beato Hierotheo aderant, vti declarant quoque voces istæ ὑμνολογεῖν & ὑμνῳδεῖν: & quia quæ sublimia sunt & mystica, vulgo seruanda sunt arcana, explicare autem decet ea, multitudinemque docere, quæ & fieri & facilè demonstrari possunt.

RERVM DIVINARVM.] Scripturarum scilicet, & contemplationum.

PRÆ ABVNDANTIA RELIGIONIS.] Quoniam religiosum est, diuiniora non scrutari.

INTELLEXISSEMVS.] Nota concessam rerum diuinarum notitiam minimè negligendam, sed etiam aliis communicandam esse; mentesque naturali cupiditate trahi ad indultam rerum admirabilium contemplationem.

QVÆ SVPRA NOS.] Quoniam non oportet ea quæ supra nos sunt curiosiùs inquirere, neque tamen diuinam negligere cognitionem, sed, quoad possumus, cum aliis communicare; dictum est enim: *Altiora te ne quæsieris, sed quæ præcepta sunt tibi, illa cogita.*

IVBET.] Secundum Apostolum, *Hæc commenda fidelibus hominibus.*

HIS ITAQVE ETIAM NOS.] Nota, vnde ad scribendum processerit.

HIEROTHEO.] Quoniam in iis, quæ adducenda sunt, Hierotheia verba interpretatur.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

PRimum, si placet, id quod vniuersa Dei beneficia manifestat, scilicet boni nomen, expendamus, inuocatá sanctâ Trinitate, quæ omnis boni principium est, & omnes suas prouidentias benignè explanat. Oportet itaque nos orationibus addoctos, vel potiùs appropinquantes, iuxta illud, *Accedite ad me, & ego accedam ad vos*, dicit Dominus, edoceri eius munera, vel potiùs pati magis ea dum discimus: etenim ipsa quidem adest omnibus, non autem ipsi adsunt omnia, quæcunque videlicet rerum terrenarum affectione & cogitationum perturbatione procul recedunt; quando vero precatione & tranquillâ mente idonei euadimus ad diuinam vnionem, tunc etiam nos ipsi adsumus. Confirmans autem ipsam omnibus adesse, ait: Ipsa enim nec in loco ita est, vt vsquam absit, vel ex aliis ad alia migret. Quæ enim in loco sunt, continentur; locus enim terminus est eius quod continet contentum. Quin imò dicere, in omnibus rebus ipsam esse, multum deficit ab eius infinitate quâ cuncta complectitur: non enim tantum est in omnibus, verum etiam continet vniuersa; neque tantum continet, verum etiam complexum omnem infinitum excedit. Incumbamus itaque orationibus, non vt Deum deducamus, sed vt ipsi potiùs ad Deum adducamur. Et adducit primum exemplum Gentile ex Homero; pulcherrimè autem id rebus diuinis accommodat: tradit enim ipse, catenam auream è cœlo dependisse. Sicut ergo catenâ sic constitutâ, qui sensim semetipsum à terrâ eleuans, alternis quidem apprehensionibus videtur illam catenam ad se trahere, ipse vero potiùs in altum tollitur sensim ascendendo: sic qui intensè orat, per opera, quæ manus vocat, sensim & operando & precando mentem suam applicat ad Deum. Sin vero manus, iam in altum adducti, à catenâ soluimus, ex alto decidimus: nam dum adducimur, etiam Deo adhærere debemus. Simile est in naui, vt cognoscamus mentem nostram nauem esse, quæ vitæ huius ventis agitatur; mare vero hanc vitam multis tempestatibus refertam, petram vero Christum, quem dum apprehendimus, inconcussi permanemus, ad ipsum tam vitam quàm viuendi rationem dirigentes. Quapropter ante omne opus, præsertim ante omnem de Deo sermonem, ab oratione inchoandum est, non vt ad nos attrahamus virtutem illam, quæ vbique & nusquam præsens est (adest enim vbique, quia penetrat vniuersa, nusquam vero adest, quoniam nullus locus dignus est eius

Per orationẽ accedi ad Deum.

requiete) sed vt nos ipsi excitemus, Deoque coniungamus diuinis commemorationibus & inuocationibus.

§. 2. *Cur S. Dionysius post Hierotheum scripserit.*

Atque hic fortasse nobis reddenda ratio sit, cur, cùm inclytus Hierotheus Theologica principia collegerit, nos, quasi illa non sufficerent, vti alia opuscula, sic & præsentem hunc tractatum Theologicum conscripserimus. Etenim si ille de his enucleatiùs disserere voluisset, nunquam ea nos insania stoliditásve cepisset, vt illo doctiùs nos de diuinis loqui posse putaremus, atque adeò bis eadem repetendo, & amico simul & præceptori hanc iniutiam faceremus, vt, cùm eius post B. Paulum discipuli fuerimus, eius scripta nobis per plagium vsurparemus: sed quoniam ille grauiter & scitè de his loquens, compendio & summatim doctrinas suas tradidit, iubens nos, aliosque rudiorum adhuc animorum præceptores, sigillatim, quoad fieri potest, explanare ac distinguere compendiosas illas breuesque enarrationes vnitæ illius ac spiritualissimæ virtutis; quin & ipse tu quoque frequenter nos ad hoc adhortatus es, & librum eius nobis remisisti. Quapropter nos quoque sanctum Hierotheum, tanquam perfectarum mentium præceptorem, perfectis assignamus, & ipsius dicta tanquam altera Oracula, secundùm diuina sacraque Apostolorum scripta, æstimamus; nos vero nostri similibus imperfectis res diuinas explicabimus, nobis præceptoribus non absimiles discipulos habentes. Quantæ vero ipse est perfectionis, cùm etiam alios solido cibo nutriat, cùm nos etiam perfecti appellemur, si istiusmodi solido cibo vesci nobis licuerit? Meritò itaque dicimus, ad ipsam per se intuitionem, & non reuelatam manifestioremque intelligentiam, & summariam doctrinam senili facultate opus esse, explanationem autem & explicationem nobis vt inferioribus conuenire. Obseruatum itaque à nobis, vt quæcunque clarè à diuo Hierotheo distincta sunt ne quidem omnino attingeremus, ne quodammodo idem iterato dicere videremur, quæ vero ipse compendiosè tradidit (hoc enim excipiendum est) minutioribus intelligentiis explanaremus: nam hoc est quod quæritur, vt in fine orationis addidit. Nunc vero viri laudes aggrediens, quanam ratione, & qualia ab ipso sanctæ Deiparæ obdormitionis tempore laudata sint, ostendit artificiosè ipsa loquendi formula, orationis ea compositionem effugere, & ait: Cùm Patribus illis diuino Spiritu afflatis (& nos ipsi adessemus) tempore obdormitionis sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ placuissetque post conuiuium sanctis Antistitibus pro virili cuique suo, infinitâ potentiâ præditam diuinæ imbecillitatis bonitatem collaudare, id est, voluntariam condescensionem Dei vsque ad corpus absque peccato, cæteros Sacerdotes superabat Magnus Hierotheus, totus quodammodo à corpore abductus, totus extra se positus in hymnis ac laudibus, rerumque quas laudabat consortium patiens, ab omnibus tam notis quàm ignotis diuino Numine afflatus censebatur. Vel itaque hoc dicit, ab omnibus tam iis qui ipsum nouerant, quàm qui non nouerant; vel potiùs, non dixit quod noscebatur, sed non cognoscebatur: siquidem ab illis, inquit, noscebatur, qui videlicet nouerant eorum quæ dicebantur valorem; non cognoscebatur autem ab illis, qui istarum laudum celsitudinem attingere non valebant. Videbatur itaque diuino Numine afflatus & illis & his. Illis quidem, tanquam consciis ac scientibus ipsum esse talem; his vero, tanquam non intelligentibus quæ dicebantur, atque adeo existimabant, illa diuina quædam esse quæ vulgi captum superarent, & diuinis tantum eorumque similibus viris digna forent. Diuinarum porrò laudum istarum partem aliquam me abs te audiuisse memini: tantam diuinorum curam geris, vt nunquam illa perfunctoriè percurras.

Quid Apostoli fecerint sub mortem D. Virginis.

Hierothei ecstasis.

§. 3. Atque vt multa omittamus quæ vulgo sunt arcana, tibique nota, vel ideo nota quia arcana mysticaque, vel tibi nota tanquam supra vulgus existenti, ac diuino, hoc in præsentiarum dicimus. Quomodo, cùm multos vellet instruere, & quotquot poterat ad Dei cultum traducere, plurimis modis superasse plurimos præceptores sacros, à quibus vt diuinus Magister celebrabatur, adeo vt nunquam tanto soli conati simus obtueri. Agit de illius compositionibus ac scriptis, vnde dicit, ita nobis conscij sumus, quoniam iuxta tritum illud, *Nosce te ipsum*, ita de nobis sentimus, ac sine diuinis quidem intelligẽdis, ne dicam eloquendis, sufficere possimus. Multum vero à sanctorum virorum habitu atque scientiâ distamus; quin eo præ nimiâ religione adducti sumus, vt de diuinis nihil omnino audire vel loqui auderemus, non tantum de iis quæ ignoramus, verum etiam de iis quæ exactè noscimus, nisi nobis persuasum esset, haud æquum esse, rerum diuinarum, quam quilibet cum diuinâ gratiâ assequi potest, scientiam negligere; vti manifestum fit ex eo qui talentum non expenderat. Quin id ipsum nobis quoque persuadent, pulchrum nempe esse cum aliis scientiam suam communicare, naturalia diuinorum Angelorum desideria, dum conuenientem semper diuinam contemplationem desiderant; nec non etiam diuinarum Scripturarum ordinatio, dum prohibet quidem ea quæ supra nos sunt curiosiùs inquirere, sicuti Sapientia Sirach suadet: *Altiora te ne quæsieris, & profundiora te ne* scruteris. Præcipit vero, vt discamus ea quæ possumus, vt diuinus iubet Apostolus dicens, *Et quæ audisti à me, hæc commenda fidelibus hominibus.* Istiusmodi monitis morem gerentes, quoad possibilem diuinorum inuentionem animum non despondentes, sed & illos qui nostro modulo ac facultate sublimiora capere possunt, auxilio destitui non ferentes, cùm aliqui ex hac humi reptante doctrinâ nostrâ, studio ac meditatione suâ, possent ad sublimiorem aliquam notitiam ascendere, nos ipsos ope diuinâ excitauimus, & animum ad scribendum appulimus, nihil quidem noui ac peregrini afferre & explicare præsumentes, sed minutioribus dumtaxat quæstionibus ea, quæ summarim à sancto diuinoque viro (id est à verè Hierotheo) dicta sunt, exponentes, & pluribus plana facientes.

Humilis Dionysij de se opinio.

Eccli. 3. 22.

2. Tim. 2. 2.

CAPVT IV.

De bono, luce, pulchro, amorè, ecstasi, zelo; & quòd malum neque ens sit, neque ex entibus, neque in entibus.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Docet, bonitatem esse primum Dei attributum, & diuinâ bonitate cuncta consistere.*

2. *A bonitate esse Angelorum ordines ac functiones; item animas earumque facultates; similiter res animatas & inanimatas.*

3. *Bonitatem esse super omnia, atque illa ipsa quæ non sunt vocare vt sint.*

4. *Bonitatem hanc esse causam quòd sint cœli, atque illorum motus; Solem autem esse imaginem diuinæ bonitatis, & ad se cuncta conuertere.*

5. *Docet, cur Deus lumen appelletur.*

6. *Deum esse lumen intellectile, & quanta sit eius excellentia & vis.*

7. *Tradit, quomodo Deus dicatur pulcher & pulchritudo, & vnde ac quâ ratione sic appelletur; & quomodo anticipet rerum omnium pulchritudinem vt causa, & ex hac eius pulchritudine omnes existant congruentia.*

8. *Spiritus Cœlestes triplici motu cieri.*

9. *Iisdem motibus pro captu suo nostros animos moueri.*

10. *Omnia per pulchrum & bonum conseruari, omniaque pulchrum & bonum appetere.*

11. *Nomen amoris etiam in Scripturis vsurpari, & non tam verborum quàm significationum rationem habendam esse.*

12. *Scripturas aliquando nomen amoris nomini dilectionis anteferre, & vulgus nomen amoris spiritalis non capere.*

13. *Amorem ecstaticum esse & zelotem.*

A

14. Quomodo Deus sit amor & dilectio, & amabilis & dilectus; & qualis sit diuini amoris circulus.

15. Ex Hierotheo docet, quomodo omnis amor sit vnitiuus.

16. Distribuit ordines amoris.

17. Ostendit, quomodo diuinus amor ex Deo, per Deum, in Deum reuoluatur.

18. Obiicit, cur Dæmones non expetant pulchrum & bonum, & petit quid sit malum, & vnde.

19. Respondet, malum non esse ex bono, & quidquid est bonum esse, virtutem autem vitio contrariari.

20. Malum quà malum ad nihil vtile esse; & quidquid existit secundum boni participationem, esse id quod existit: & vitia præ se ferre quandam boni speciem sub quâ appetuntur: & malum purum non existere, sed bono mixtum.

21. Malum non esse in rebus, & dualitatem non principiare, sed vnitatem & bonum esse pacificum: malum autem nec ex Deo nec in Deo esse.

22. In Angelis quoque non esse malum.

B

23. Quin nec dæmones naturâ suâ malos esse, sed per defectum Angelicorum bonorum; illos autem non perdidisse vires naturales.

24. An, & quid in animis malum sit, disserit.

25. Nec in brutis ait quidem malum esse.

26. Nec in rerum naturâ.

27. Nec in corporibus.

28. Nec in materiâ primâ.

29. Sed nec priuationem per se esse malam.

30. Exponit, quid sit bonum & malum, & vnde.

31. Bonorum causam ait esse vnam, malorum vero multas; & ex bono & propter bonum esse omnia.

32. Malum tantum esse per accidens; & simul tradit, quid sit malum, & quid possit.

33. Discutit, quomodo existante prouidentiâ sint aliqua mala; & ostendit prouidentiam rerum naturas seruare inuiolatas.

34. Ait malum non esse rem aliquam, neque potentiam, sed defectum.

35. Insectatur peccatum quale sit, & quid in peccato pœnâ dignum.

C

§. 1. Bonitas primum Dei attributũ.

AGe ergo, iam ad ipsum nomen boni progrediamur, quod exemptè ab omnibus diuinitati supra diuinitatem attribuunt Theologi, vocantes, vt arbitror, bonitatem ipsam essentiam diuinam, diuinitatis * originem: & quia sic essentiâ suâ bonus est Deus, vt, tanquam substantiale bonum, bonitatem in omnia porrigat. Quemadmodum enim Sol ille noster non cogitatione aut voluntate, sed eo ipso quod est, illuminat vniuersa quæ quoquo modo lucis eius sunt capacia: sic etiam ipsum bonum (quod non secùs præstat soli quàm primæua species imagini obscuræ) ipsamet substantiâ suâ, rebus omnibus, pro cuiusque captu, totius bonitatis suæ radios affundit. His constiterunt omnes intellectiles ac intelligentes substantiæ, & virtutes, & operationes; horum virtutes sunt, vitamque habent sempiternam & indeficientem, ab omni corruptione ac morte, & materiâ generationeque liberæ, nec non ab instabili fluxaque, quæ in diuersa diuersimodè fertur permutatione semotæ, & tanquam incorporeæ & immateriales intelliguntur, & vt mentes supermundialiter intelligunt, atque propriis rerum rationibus illustrantur, rursumque in ea quæ illis cognata sunt sua munera deriuant. Mansionem quoque à bonitate habent: quin & earum firmitas hinc, & stabilitas, & conseruatio, bonorumque pabulum pendet; & dum illam appetunt, tam vt sint, quàm vt benè sint, obtinent, nec non illi, quantum fas est, conformantur, atque boni speciem præ se ferunt, & iuxta legis dictamen, inferiores suos donorum ex summo bono promanantium participes reddunt.

** Scilicet creatæ seu participatæ.*

Bonitate Dei omnia consistunt.

D

§. 2. A bonitate est ordinatio Angelorum.

Inde illis ordines supermundiales, earum inter se coniunctiones, mutuæ susceptiones, inconfusæ distinctiones, virtutes istæ quibus inferiores adducuntur ad superiores, prouidentiæ superiorum circa inferiores, cuiuslibet virtutũ suarum conseruationes, & immutabiles in semetipsas reuolutiones, eadem atque summa summi boni desideria, & quæcũque alia in Tractatu de Proprietatibus atque ordinibus Angelorum à nobis sunt commemorata; quin imò etiam quæ ad cœlestem Hierarchiam spectant, vt Angelicæ lustrationes, supermundanæ illuminationes totiusque Angelicæ perfectionis consummatio, ex vniuersali causâ fontalique bonitate proficiscuntur, ex quâ etiam ipsamet forma bonitatis ipsis data est, concessumque, vt latentem in se bonitatem valeant enuntiare, sintque Angeli velut interpretes diuini silentij, & tanquam clara lumina, quæ in adytis latentem indicant. Præterea post sacras istas sanctasque mentes, animæ quoque ac quælibet animarum bona sunt per bonitatem illam, quæ omne bonum superat: inde prouenit, illas intellectu præditas esse, vitam habere substantialem, corruptionis expertem, vt esse habeant cum Angelis commune, possintque ad eorum viuendi rationem aspirare, quorum ductu optimo ad bonorum omnium summum bonum promoueantur, atque ex eodem promanantium illuminationum pro captu suo participes euadant, deníque boniformis, quantam possunt, sortem accipiant, & quæcunque alia in tractatu de Animâ sunt à nobis enumerata. Porrò, si de animabus quoque ratione carentibus animalibúsve loquendum, quæ vel aërem tranant, terrámve permeant, aut humi repant, vel in aquis vitam agunt, aut amphibia sunt, vel sub terrâ recondita, atque in cauernâ viuunt, vel quæcunque simpliciter animâ sensili vitâque præstant, hæc vtique omnia etiam per eandem bonitatem & animantur, & viuificantur. Plantæ similiter omnes ex eodem bono nutritiuam motabilemque vitam habent; denique substantia quæcunque animâ vitâque caret, per illud ipsum bonum existit, à quo & statum suum substantialem obtinuit.

E

Similiter eorũ functiones.

A summo bono sunt animæ earũque facultates,

F

Similiter animalia & inanimata.

§. 3. Bonũ est super omnia, & vocat etiam ea

G

quæ non sunt vt sint.

Quòd si autem supra res omnes sit (vti verè est) bonum ipsum, & quod informe est, format; & in ipso solo id quod substantiâ caret, substantiæ est excellentia; quod inanime est, vita est præstantissima; & quod mentis expers est, suprema est sapientia; & quæcunque in bono sunt, rerum sunt informium supereminentis efformationis; &, si dictu fas sit, illud ipsum quod non est, illius quod supra res omnes est, boni desiderio tenetur, quin etiam in bono verè supersubstantiali per omnium ablationem esse contendit.

§. 4. Bonũ est causa quòd sint cœli & motus eorum.

Sed, quod in medio prætetlapsum nos effugerat, cœlestium etiam principiorum & subterminationum causa est bonum, item substantiæ huius cœlestis quæ non augetur neque minuitur, & penitus non variatur, & motuum cœlestis curriculi vastissimi, non sonantium, si ita loqui oportet, & ordinum stellarum, & pulchritudinum, & luminum, & infixionum earum, & multiplicis cursûs vagantis quorumdam siderum, & duorum luminarium, quæ Scriptura vocat magna, circuitûs, & eodem, vnde profecta sunt, reuersionis, quibus apud nos dies & noctes distinguuntur; & menses atque anni definiti ipsos motus temporis, & eorum quæ in tempore sunt, circulo confectos distinguunt, numerant, ordinant, & continent. Quid autem dicatur de ipsomet radio solis? à summo enim bono lumen proficiscitur, & imago bonitatis est: quamobrem nomine luminis bonum laudatur, tanquam appareat primum exemplar in imagine. Sicut enim bonitas diuinitatis quæ supra omnia est, à supremis & prouectissimis substantiis vsque ad extremas peruadit, & adhuc supra omnes est, ita vt neque superiores vsque ad illius excellentiam pertingant, nec inferiores eius ambitum pertranseant; quin potiùs omnia quæ illuminari possunt illuminat, & creat, & vitam dat, & continet, & perficit, & mensura est eorum quæ sunt, & æuum, & numerus, & ordo, & complexus, & causa, atque finis; sic etiam ingens iste, & totus splendidus ac semper lucens Sol imago expressa est diuinæ bonitatis, quatenus tenuissimum quid illius boni in eo procul resonat, & omnia quæ eum participare possunt illustrat, & lumen habet suprà extensum, quod in vniuersum mundum qui cernitur, tum superiorem, tum inferiorem, splendore radiorum suorum multiplicat: & si

Gen. 1.

Est & causa luminis, & rerum omnium.

H

Sol est imago diuinæ bonitatis.

quid

A

Sol omnia illuminat & perficit.

quid eum non participat, non est in causâ imbecillitas aut tenuitas facultatis illuminandi, sed potiùs rem ipsam non esse expeditam ad participationem luminis, quia non sit idonea ad admittendum illud. Ac reuerà multa sic sunt, quæ radius solis prætergressus, illa quæ vltrà sunt illuminat; & nihil est eorum quæ cerni possunt, quò non pertingat sol ingenti vi splendoris sui. Quin etiam ad ortum corporum sub sensum cadentium confert, & ea mouet ad vitam, nutrit, auget, perficit, & purgat, ac renouat; & mensura est ac numerus tempestatum ac dierum, & omnis nostri temporis. Hoc enim est illud lumen, tametsi tunc non erat figuratum, quod dixit diuinus Moyses distinxisse illud primum dierum nostrorum triduum. Atque vt omnia bonitas ad se conuertit, primaque, quæ dispersa sunt, colligit, tanquam vnifica diuinitas & principium vnitatis, omniaque ipsam vt principium, vt complexum, vt finem appetunt; bonumque illud est (vt Scriptura sacra testatur) ex quo omnia constiterunt, & veluti à perfectissimâ causâ producta sunt, & in quâ consistunt vniuersa, tanquam in fundo cuncta continente custodita, contentaque; & ad quod omnia, tanquam ad finem quæque suum, conuertuntur, quodque appetunt vniuersa, spiritalia quidem ratione que vtentia scienter, sensilia vero sensiliter; quæ autem sensûs sunt expertia, innato motu vitalis appetitionis, & quæ vitâ carent, ac tantummodo existunt, vi quadam ad solius essentiæ participationem propensa sunt.

Bonũ est cõgregatiuum, & ad se omnia conuertit.

B

Sic etiam lux.

Eâdem clarissimæ similitudinis ratione lux quoque colligit conuertitque ad se omnia quæ videntur, quæ mouentur, quæ illustrantur, quæ calescunt, quæque vniuersim radiis eius perstringuntur: vnde ἥλιος seu sol, nomen habet, quod omnia faciat ἀολλῆ, id est, omnia seruet salua, & congreget dispersa. Et omnia quæ sentiendi vim habent eum appetunt, vel vt videant, vel vt moueantur, & illuminentur, & calescant, & denique vt contineantur, & conseruentur à luce. Non hoc dico, vt Antiquitas existimabat, quod sol sit Deus, & auctor vniuersi, qui hunc mundum, quem cernimus, propriè gubernet, sed potiùs, quòd *inuisibilia Dei, à creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.*

C

Rom. 1. 20.

§. 5. Verùm de his in symbolicâ Theologiâ. Nunc autem intellectile boni à luce nomen nobis celebrandum est, & dicendum, quòd is qui bonus est, lux intellectilis dicitur, quia omnem mentem supracœlestem implet lumine intellectili; omnem autem ignorantiam & errorem ex omnibus animis, in quibus est, eiicit, & ipsis omnibus lumen sanctum impertit, eorumque oculos mentales à caligine ex ignorantiâ circumfusâ repurgat, & liberat; & excitat, atque aperit multâ grauitate tenebrarum compressos & clausos: datque primùm quidem mediocrem splendorem, deinde, tanquam degustato lumine, & oculis iam magis post degustationem lumen appetentibus, magis se impertit, & copiosiùs fulget, quia dilexerunt multum; ac semper eas vlteriùs prouchit pro portione studij earum ad aspiciendum sursum.

Cur Deus lumẽ appelletur.

Luc. 15.

D

§. 6.

Deus lumẽ intellectile; eiusq; præstantia ac vis.

Lumen igitur intellectile dicitur illud bonum quod est supra omne lumen, tanquam fons radiorum & effusio luminis inundans omnem mentem supramundanam, & circum mundanam, & mundanam ex plenitudine suâ illuminans, & totas earum facultates intelligendi renouans, & omnes continens, quatenus supra omnes tenditur; & omnibus antecellens, quatenus supra omnes stat, atque simpliciter omnem principatum illuminandi, tanquam princeps luminis, & supraquam lumen in se comprehensum habet, & supraquam habet, & præhabet, atque omnia ratione & mente vtentia congregat, & in vnum copulat. Etenim sicut ignorantia errantes dirimit; sic aduentus luminis congregat & copulat illuminatos, perficitque eos, & ad id quod verè est conuertit, à multis opinationibus eos reuocans, ac varios aspectus, vel, vt magis propriè dicam, varia in vnam veram & puram ac simplicem cognitionem contrahit, & vno lumine vnifico implet.

§. 7. Hoc item bonum laudatur à sacris Theologis vt pulchrum & vt pulchritudo, & vt dilectio & vt dilectum, & quæcunque alia sunt diuina nomina, quibus ipse speciosus decor & effector pulchritudinis decenter nominatur. Pulchrum autem & pulchritudo non sunt distinguenda in causâ quæ vniuersa in vno complexa est: hæc enim in omnibus rebus, in participationes & in participantia diuidentes pulchrum quidem dicimus, quod pulchritudinis particeps est; pulchritudinem verò, participationem causæ omnia pulchra efficientis. Ipsum autem pulchrum superessentiale pulchritudo quidem appellatur, propter illam pulchritudinem quam rebus omnibus pro cuiusque modulo communicat, in quantum est causa omnis pulchritudinis ac venustatis, dum rebus omnibus pulchrificas fontalis sui radij distributiones locis in morem afflat, omniaque ad se καλεῖ, id est vocat (vnde & κάλλος, id est pulchritudo, dicitur) & tota in totis quasi in se colligit. Pulchrum verò vocatur, quod ex omni parte pulchrum sit & plus quàm pulchrum, & tanquam semper existens, secundùm eadem & eodem modo pulchrum, neque factum, neque destructum, neque augescens, neque decrescens, nec ex parte vnâ pulchrum, & ex aliâ turpe, neque aliàs quidem pulchrum, aliàs verò non; neque ad hoc pulchrum, & ad illud inconcinnum; neque hic quidem ita, alibi verò aliter, nec vt aliis formosum, aliis verò deforme; sed vt ipsum secundùm se, atque secum vniforme, semper existens pulchrum, atque fontanam vniuersi pulchri pulchritudinem in seipso eminenter anticipans, præhabensque. In ipsâ enim naturâ simplici ac supernaturali pulchrorum vniuersorum omnis pulchritudo, & omne pulchrum vniformiter secundùm causam præexistit. Ex hoc ipso pulchro rebus omnibus obtingit, vt sint singula secundùm propriam rationem pulchra; & propter pulchrum sunt omnes congruentiæ, & amicitiæ, & communicationes; & per pulchrum cuncta coniunguntur; atque pulchrum est omnium principium, vt causa efficiens, & mouens, & vniuersa propriæ pulchritudinis amore continens; & vt finis omnium, atque id quod appetitur tanquam causa finalis (nam pulchri gratiâ cuncta fiunt) & exemplaris, quia secundùm illud omnia definiuntur, quamobrem idem est pulchrum atque bonum, quoniam omnia secundum omnem causam pulchrum & bonum appetunt; & nihil est in rerum naturâ, quin pulchrum & bonum participet. Audebo etiam hoc dicere, quod non est, pulchrum & bonum participare: tunc enim est ipsum pulchrum & bonum, quando in Deo laudatur supra substantiam, auferendo vniuersa. Denique hoc vnum bonum & pulchrum singulariter est omnium multorum pulchrorum & bonorum causa. Ex hoc rerum omnium substantiales existentiæ, vniones, distinctiones, identitates, diuersitates, fœdera contrariorum, rerum vnitarum impermixtiones, prouidentiæ superiorum, mutua consortia rerum quæ sunt eiusdem ordinis, conuersiones inferiorum, omniumque suimetipsorum conseruatrices immutabilesque mansiones ac firmitates. Et rursus omnium in omnibus pro cuiusque proprietate communiones, & congruentiæ, inconfusæque amicitiæ, & consensiones vniuersi, nec non rerum in hoc vniuerso contemperationes, indissolubilesque complexus, & eorum quæ fiunt perpetuæ successiones, status omnes, motusque mentium, animorum, corporum: status enim est omnibus atque motus, quòd omni statu motuque superius extans, rem quamlibet in propriâ ratione firmat, & ad propriam dirigit motionem.

E

Deus eti[am] dicitur pulcher & pulchritud[o]

Vnde & quâ ratione sic appelletur.

F

Deus an[]ticipat verã omniũ pulchritudinem vt causa.

G

Ex hac pulchritudine sunt omnes congruẽtia[e]

H

§. 8. Denique diuinæ mentes dicuntur moueri, circulariter quidem, dum principio fineque carentibus pulchri bonique splendoribus vniuntur; directè autem, quando ad inferiorum prouidentiam procedunt, rectè omnia dirigendo, obliquè verò, dum inferioribus consulentes in eodem statu perpetuò manent, circum bonum & pulchrum, eiusdem status causam, semper se versantes.

Spiritu[s] cælestes[] triplici motu m[o]uentur.

§. 9. Animi autem motus orbicularis est eius ab extraneis in semetipsum introitus, spiritaliumque ipsius facultatum vnimoda inflexio, quæ quasi in circulo fixum & ab omni errore liberum motum ei tribuit, & à multis rebus

Simil[itudo] & ani[mi] nostri.

extraneis

extraneis ipsum conuertit ac colligit primùm ad se, deinde, quasi iam vniusmodi effectum, coniunctis vno modo facultatibus coniungit, atque ita demum ad pulchrum ac bonum manuducit, quod supra omnia quæ sunt & vnum & idem, & sine principio & sine fine est. Obliquè verò cietur animus, quando pro captu suo notionibus diuinis illustratur, non spiritali quidem vnito modo, sed cogitando & discurrendo quasi permixtis fluxísque actionibus. Directè verò mouetur, quando non ad seipsum ingreditur, neque singulari motu spiritali fertur (nam hic motus circularis est, vt dixi) sed ad ea quæ ipsi vicina sunt progreditur, & à rebus externis, non secùs ac signis quibusdam variis ac multiplicibus, ad simplices & vnitas contemplationes reuocatur.

§. 10. *Omnia sunt & conseruantur per pulchrũ & bonũ.*

Horum igitur trium, vti & sensilium, in hac rerum vniuersitate motionum, statuumque ac firmitatem causa, & conseruatio, & finis, est bonum illud pulchrum, quod est supra statum omnem ac motum, per quod, & ex quo, & ad quem, & cuius gratiâ, status omnis ac motus existit. Etenim ex ipso, & per ipsum, & substantia, & vita omnis, & mentis & animæ, atque vniuersæ naturæ paruitates, æqualitates, magnitudines, mensuræ omnium, & rerum proportiones, & concentus, & concretiones, tota, partes, omne vnum, & multitudo, coniunctionés partium, omnis multitudinis copulationes, perfectiones totorum, quale, quantum, quàm magnum aut paruum, infinitum, comparationes, separationes, omnis infinitas, omnis finis, definitiones, ordines, excellentiæ, elementa, formæ, omnis substantia, omnis facultas siue potestas, omnis actio, omnis habitus, omnis sensus, omnis ratio, omnis intelligentia, omnis tactus, omnis scientia, omnis copulatio, & simpliciter, omne quod ex pulchro & bono existit, & in pulchro & bono est, & ad pulchrum & bonum conuertitur; & quæcunque sunt & fiunt, propter pulchrum & bonum sunt & fiunt, & cuncta in ipsum intuentur, & ab ipso mouentur & conseruantur, & ipsius gratiâ, & propter ipsum, & in ipso omne principium exemplare, finale, efficiens, formale, materiale, & denique omne principium, omnis conseruatio, omnis finis: &, vt summatim dicam, omnia quæ sunt, ex pulchro & bono existunt, & omnia quæ non sunt, in pulchro & bono sunt suprasubstantialiter, & est omnium principium supraquam principale, & finis supraquam perfectus; *quoniam ex ipso, & per ipsum*, & ad ipsum *omnia*, sicut ait Scriptura. Vniuersis igitur pulchrum & bonum desiderabile & amabile est, & ab vniuersis diligitur; & propter ipsum, & ipsius causâ, & inferiora amant superiora, conuertendo se ad ea; & quæ sunt eiusdem ordinis amant similia, communicando; & maiora minora, prouidendo eis; & singula seipsa, conseruando se; & omnia, pulchrum & bonum expetendo, faciunt & volunt, quæcunque faciunt & volunt. Quin & hoc verè audemus dicere, quòd ipse qui est omnium causa, propter excellentiam bonitatis omnia amat, omnia facit, omnia perficit, omnia continet, omnia conuertit ad se; & est diuinus amor bonus boni propter bonum. Ipse enim amor diuinus, qui bonitatem in iis quæ sunt operatur, quia priùs exstitit in bono superlatè, non siuit ipsum in se sine fœtu manere, sed potiùs mouit eum ad operandum secundùm excellentiam virtutis suæ omnium rerum effectricis.

Rom. 11. 36. *Omniá pulchrũ & bonum appetunt.*

§. 11. *Nomen amoris etiam in Scripturis celebrari.*

Neque verò nos quisquam putet contra Scripturæ auctoritatem amoris nomen celebrare. Est enim à ratione alienum, vt opinor, & absurdum, non vim ipsam instituti attendere, sed verba: neque hoc proprium est eorum qui res diuinas intelligere cupiunt, sed sonos exiles aucupantur, eosdemque extrinsecus aure tenus admittunt, neque scire volunt, quid huiuscemodi dictio significet, & quonam modo aliis etiam verbis æquipollentibus & explanatoriis sit exponenda, sed addicti sunt elementis ac lineis quæ intelligi non possunt, syllabisque & verbis incognitis, quæ illorum intellectum minimè feriunt, sed extrà circum labra & aures eorum perstrepunt, quasi non liceat quatuor per bis duo significare, aut simplices lineas per lineas rectas, aut maternum solum per patriam, aut aliud quodlibet per id quod in plurimis orationis partibus æquiualet: cùm recta ratio doceat, elementis, syllabis, dictionibus, scriptis, verbisque nos vti propter sensus, adeò vt cùm anima nostra intelligendi facultatibus fertur in ea quæ intellectu percipiuntur, tum frustrà sensus vnà cum sensilibus adhibeantur, sicut etiam vires intelligendi, quando anima iam deiformis effecta per ignotam vnionem, lucis inaccessæ radiis exocularis quasi iactibus se ingerit. Quando autem mens per sensilia studet ad contemplatrices illas intelligentias excitari, præstantissimæ omnium sunt perspicacissimæ sensuum traiectiones, vt apertissimi sermones ac clarissimæ visiones; quippe, quando illa quæ sensibus obiecta sunt minimè liquent, tum vtique sensus res sensiles menti porrigere minimè possunt. Sed ne hæc dicere videamur, vt diuina scripta immutemus, audiant illa qui nomen amoris criminantur: Ama illam, inquit, & custodiet te: sepi illam, & extollet te: honora eam, vt complectatur te: & quæcunque alia in amatoriis de Deo sermonibus celebrantur.

Non tam habenda ratio verborũ quàm significationum.

Prou. 4.

§. 12. *Scripturas sapè nomen amoris præferre nomini dilectionis.*

Sap. 8. 2.

Atqui visum est quibusdam nostris sacrarum Scripturarum tractatoribus, nomen amoris diuinius esse quàm nomen dilectionis. Scribit enim diuinus Ignatius, Meus amor crucifixus est. Et in iis quæ aditum ad Scripturam præparant, quendam inuenies de diuinâ Sapientiâ dicentem *Amator factus sum formæ illius.* Quare ne propter hoc nomen amoris metuamus, nec vllus de hoc nomine sermo nos moueat, aut terreat. Mihi enim videtur Theologi existimasse quidem commune nomen esse amoris & dilectionis, sed attribuisse diuinis Scripturis verum amorem propter huiusmodi hominum turpem mentis anticipationem. Cùm enim verus amor non à nobis solùm, sed ab ipsis sanctis Scripturis, vt Deum decet, laudetur, vulgus hominum, cùm non percepisset illam vniformitatem quam diuinum nomen amoris significat, conuenienter sibi ad amorem patibilem & corporeum atque distractum delapsum est, qui non est verus amor, sed imago, vel potiùs lapsus à vero amore: multitudo enim non potest cogitatione capere illud singulare diuini & vnius amoris; quamobrem tanquam nomen, quod vulgo videtur diuinius, ponitur in diuinâ Sapientiâ, vt vulgus ad cognitionem veri amoris eleuetur & erigatur, & ab eâ, quam illi inesse concipit, indecentiâ liberetur: & in nobis tutius, vbi sæpenumerò aliquid absurdum homines terræ affixi cogitare possent, ponitur nomen quod honestius videtur: Cecidit, ait quidam, dilectio tua in me, sicut dilectio mulierum, quoniam sacri Theologi nomen dilectionis & amoris adhibent secundùm diuinas elocutiones, vt eandem vim habeant apud eos qui diuina rectè audiunt. Estque hoc virtutis cuiusdam vnificæ ac collectiuæ excellenterque contemperantis, quæ in pulchro & bono per pulchrum & bonum præexistit, & ex pulchro & bono propter pulchrum & bonum emanat, continétque quidem æqualia per mutuam connexionem, superiora verò ad inferiorum mouet prouidentiam, inferiora porrò per conuersionem quandam superioribus inserit.

Vulgus sensuale non capit nomen amoris spiritalis.

2. Reg. 1.

§. 13. *Amor est ecstaticus.*

Est prætereà diuinus amor ecstaticus, qui non sinit esse suos eos qui sunt amatores, sed eorum quos amant. Atq; hoc declarāt quidem superiora, quæ inferiorum fiunt, per eundem prouidentiam, & quæ eiusdem generis sunt, per mutuam cohærētiam; & inferiora, per diuiniorem ad superiora conuersionem. Vnde diuinus Paulus diuino isto amore captus, & virtutis ecstaticæ particeps factus, diuino ore ait: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus*, tanquam verus amator, & qui excessit è se Deo, & non iam vitam suam, sed amati tāquam vehementer dilectam viuens. Audiendum est hoc etiã pro veritate dicere, quòd ipsemet omnium auctor, pulchro & bono omniũ amore, propter excellentiam summam amatoriæ bonitatis extra se per prouidentias omnium rerum existit, & bonitate atque dilectione & amore veluti delinitur, & oblectatur: & cùm sit supra omnia, & ex omnibus exemptus, ad omnia dimittitur secundùm potestatem suprasubstantialem, quâ extra se non egrediendo exit. Hanc ob causam periti rerum diuinarum zelotem illum nuncupant, quòd magno & benigno rerum amore teneatur,

Galat. 2. 20.

Amor Zelotes.

easque ad ipsius amatorij desiderij zelum prouocet, atque adeò semetipse quodammodo zelotem præstet, vt cui res desiderabiles sint zelo dignæ, & vt qui rerum, quibus prouidet, zelo afficiatur. Denique omnino pulchrum est & bonum, quidquid amabile est & amor, & in pulchro bonoque præcollocatur, & propter pulchrum & bonum est, & fit.

§. 14. *Quomodo Deus sit amor & dilectio, & amabilis & dilectus.*

Quid porrò tandem significare volunt Theologi, cùm aliquando quidem Deum vocant amorem & dilectionem, quandoque verò amabilem & dilectum? Illius quidem [scilicet amoris & dilectionis] auctor, & tanquam productor ac generator est, hoc autem [id est amabilis & dilectus] ipse est. Illo quidem [id est amore & dilectione] mouetur, hoc autem [id est vt amabilis & dilectus] mouet; quia se ipse adducit, & sibi adducit, & mouet. Hac autem ratione dilectum & amabilem eum vocant, tanquam pulchrum & bonum; amorem verò rursus & dilectionem, tanquam vim motricem, & sursum trahentem ad se, qui solus est ipsum per se pulchrum & bonum, & tanquam manifestationem sui ipsius per seipsum, & vt benignum processum eximiæ illius vnionis, & amatoriam motionem, simplicem, per se mobilem, per se operantem, præexistentem in bono, & ex bono in ea quæ sunt redundantem, ac rursus ad bonum reuertentem. Quâ in re & fine & principio se carere diuinus amor excellenter ostendit, tanquam sempiternus circulus, propter bonum, ex bono, in bono, & ad bonum indeclinabili conuersione circumiens, in eodem, & secundùm idem, & procedens semper, & manens, & remeans. Hæc etiam inclytus noster in sacris initiator diuino Spiritu afflatus in amatoriis suis Hymnis exposuit, quos non abs re fuerit commemorare, & quasi sacrum quoddam caput huic nostro sermoni de amore attexere.

Circulus amoris diuini.

Hierothei sanctissimi viri verba ex Hymnis amatoriis.

§. 15. *Amor vim coniungendi habet.*

Amorem siue diuinum, siue Angelicum, siue spiritualem, siue animalem, siue naturalem dixerimus, vim quandam siue potestatem copulantem & commiscentem intelligamus, superiora quidem mouentem ad prouidentiam inferiorum; ea verò quæ sunt eiusdem ordinis, ad mutuam communicationem, & nouissimè ea quæ sunt inferiora, ad conuertendum se ad præstantiora & præposita.

Eiusdem verba ex iisdem Hymnis amatoriis.

§. 16. *Distributio amoris.*

Quoniam ex vno amores multos ordinauimus, ordine recensendo quales mundialium amorum notiones ac virtutes existerent, quibus, iuxta rationem assignatam, spiritalium & intellectu præditorum amorum ordines distinctionesque præcellunt, inter quos illi qui seipsis intellectiles ac diuini, bonis qui illic verè sunt amoribus præfecti, & à nobis propriè laudati sunt. Modò iterùm altiùs repetentes, omnes in vnum coniunctumque amorem, & eorum omnium parentem colligamus simul, & conferamus ex multis primùm in duas eorum amatorias omnino vires contrahentes, quibus omnibus præstat & antecellit incomprehensa illa omnis amoris causa, quòd sit omnibus superior, & ad eam pro cuiusque captu rerum omnium totalis amor tendat.

Eiusdem ex iisdem Hymnis amatoriis.

§. 17. *Diuinus amor ex Deo, per Deum in Deum reuoluitur.*

Age verò, his iterùm in vnum collectis, dicamus, vnam esse simplicem virtutem, per se mouentem ad amatoriam quandam mixtionem ex bono vsque ad extremum eorum quæ existunt, & ab illo rursus consequenter per omnia ad bonum, ex seipsâ, per seipsum, & in seipsâ seipsam reuoluentem, & ad seipsam semper eodem modo reuertentem.

§. 18. *Obiectio. Cur dæmones nō expetant hoc pulchrum & bonum.*

Atqui aliquis obiiciat: Si pulchrum & bonum omnibus amabile & desiderabile atque dilectum sit (desiderat enim illud etiam id quod non existit, vt dictum est, & aliquo modo in ipso esse contendit; quoniam ipsum est quod formam rebus formâ carentibus tribuit, & in ipso etiam id quod non est, supra essentiam dicitur, & est) quomodo turba dæmonum non expetit hoc pulchrum & bonum, sed affixa materiæ, atque ab illo statu, quem Angeli in boni appetitione obtinent, prolapsa, causa est malorum omnium tam sibi quàm aliis, quæ peruerti deprauarique dicuntur? aut quomodo genus dæmonum, ex omnino bono productum, boni formâ caret? vel quomodo bonum ex bono factum mutatum est? & quid est quod illud deprauauit? & quidnam etiam malum est? & ex quo principio constitit? & quânam in re existit? & quomodo bonus illud producere voluit? quomodo item volens potuit? Quòd si malum existat ex aliâ causâ, quænam alia rerum causa est, præter bonum? quomodo verò etiam extante prouidentiâ est malum aut omnino factum, aut non penitus sublatum? quomodo etiam eorum quæ sunt quidpiam præ bono illud expetit?

Quid malum, & unde.

§. 19. *Malum non esse ex bono.*

Hæc fortasse dixerit qui ista ignorabit, nos autem eum rogabimus, vt attendat veritati, idque primùm dicere non verebimur, malum non esse ex bono; ac si ex bono est, non esse malum, neque enim ignis est refrigerare, neque boni facere non bona. Si etiam ea quæ sunt, omnia ex bono sunt (natura enim boni est, producere & conseruare, mali autem, corrumpere ac perdere) nihil eorum quæ sunt ex malo est, ac ne ipsum quidem malum erit, siquidem etiam sibi malum esset. Quod nisi ita sit, malum omnino malum non erit, sed habet quandam boni, secundùm quam omnino est, partem. Et si ea quæ sunt, pulchrum bonumque appetunt, & quæcunque agunt, propter id quod bonum videtur, faciunt, omnisque rerum intentio cùm principium tum finem bonum spectat (nihil enim, mali naturam spectãdo, facit ea quæ facit) quonam pacto erit malum in rerum naturâ, vel omnino existat eiuscemodi boni appetitu destitutum? Enimuerò si res omnes ex bono sint, bonumque sit supra res ipsas, id quod non est, iam in bono est, malum verò nequaquam est; alioquin non est planè malum, nec id quod non est, nihil enim erit id quod omnino non est, nisi secundùm modum quendam supra essentialem in bono esse dicatur. Bonum igitur erit, & eo quod omnino est, & eo quod non est, multò prius & superiùs locatum. Malum autem nec in iis est quæ sunt, nec in iis quæ non sunt, sed eo etiam quod non est, remotius est à bono, tanquam alienum ac minus ens. Vnde igitur est malum? dicet aliquis. Si enim malum non est, virtus & vitium idem sunt (proportione scilicet totius ad totum, & partia ad partem) aut saltem id quod virtuti repugnat non erit malum. Atqui contraria sunt temperantia & intemperantia, iustitia & iniustitia. Neque verò dico illas esse contrarias, in quantum prodeunt à iusto & iniusto, & à temperante atque intemperante, verùm etiam priùs quàm viri probi ab improbo discrepantia foris appareat, iam in ipso animo à virtutibus vitia discrepant, & à ratione dissident perturbationes; quapropter necessariò concedendum est, malum aliquod esse bono contrarium. Neque enim sibi bonum contrarium est, sed vt ab vno principio vnaque causâ profectum communione, coniunctione, amicitiâque gaudet. Neque etiam minus bonum maiori aduersatur: quia neque id quod minùs calidum aut frigidum est, magis calido frigidóve contrariatur. Est igitur in rerum naturâ, estque aliquid, & opponitur atque aduersatur bono malum. Et esto corruptio sit rerum, non tamen hoc penitus exterminat malum è rerum naturâ, sed erit illud etiam aliquid, & ad rerum conferet generationem. An non frequenter vnius corruptio alterius est generatio? Atqui malum hoc modo ad vniuersi plenitudinem conducet, ac per se faciet, vt rerum vniuersitas non sit imperfecta.

Quidquid est, bonū est.

Virtutem & vitium, bonum & malum contrariari.

§. 20. *Malum quà malū ad nihil vtile esse.*

Ad hæc autem vera ratio respondebit, malum quà malum nihil conferre ad essentiam aut rerum generationem, sed, quantum in ipso est, rerum substantiam tantùm deprauare atque abolere. Si quis autem dixerit, hoc ipso rerum generationi subseruire, dum alterius corruptione præstat alteri genituram; respondendum vtique, non

quatenus corrumpit perficere generationem, quia qua tenus corrumpit malum est, nam vt sic tantùm destruit ac deprauat, cùm generatio & essentia per bonum fiant: atque adeò malum ex se qoidem erit corruptio, subseruit autem generationi per id quod bonum est, adeoque quà malum neque res est, neque res producit, sed per bonum & res est & bonum, producitque bona. Quin imò non erit quidem idem eâdem ex parte & bonum & malum, neque eadem potentia sub eâdem ratione corruptio & generatio, neque ipsa vis, aut ipsa corruptio: ipsum enim malum neque est, neque bonum est, neque generandi vim habet, neque res, neque bona facit; bonum autem quibuscunque perfectè inest, eadem & perfecta & simplicia atque integra bona reddit, quæ verò minùs ipsum participant, imperfecta bona sunt & permixta, propter boni priuationem. Sed malum penitus non est, neque bonum neque beneficum est; verùm id quod magis vel minùs appropinquat bono, pro suâ portione bonum erit: nam perfecta bonitas, quæ per omnia se diffundit, non solùm ad illas optimas, quæ ipsi vicinæ sunt, essentias dimanat, sed ad extremas vsque protenditur, aliis quidem se totâ præsens, aliis autem inferiori modo, atque aliis infimo, pro captu scilicet singulorum. Eorum autem quæ existunt, alia quidem bonum planè participant, alia autem eò magis minúsve priuata sunt; alia verò tenuiorem quandam boni præsentiam sortiuntur, aliis denique boni vltimum vestigium obtingit. Nisi enim bonum pro cuiusque captu singulis adesset, vtique antiquissima diuinissimáque essent, quæ nouissimorum modo ordinem tenent. Quonam autem pacto fieri poterat, vt vniformiter omnia bonum participarent, cùm quælibet ad omnimodam boni participationem minimè sint accommodata? Nunc autem hæc est potentiæ boni præstans magnitudo, vt ea quoque quæ sunt illius expertia, quin & ipsam sui priuationem corroboret, ad ipsum omnino participandum. Quòd si confidentiùs verum proferre liceat, illa etiam quæ illi contraria sunt, eius vi & sunt & repugnare possunt; aut potiùs, vt summatim dicam, ea quæ sunt omnia, in quantum sunt, & bona & ex bono sunt, in quantum autem bono priuata sunt, neque bona sunt, neque existunt. In cæteris nempe qualitatibus, velut in calore vel frigore, illa quæ calefacta fuerunt superesse quoque possunt, postquam calor ea deseruit, plurimæque res existunt cùm vitæ tùm mentis expertes; quin & ipse Deus, à substantiâ secretus, suprasubstantialiter tamen existit. Et simpliciter in omnibus aliis, siue habitus amissus sit, siue penitus non fuerit, res tamen ipsæ sunt, & constare possuut; quod autem booo prorsus priuatum est, id nusquam vllo pacto vel fuit, vel est, vel erit, vel esse potest. Veluti intemperans etsi per concupiscentiam irrationabilem bono priuatus sit, catenus tamen non est, neque quidquam concupiscit, sed simul boni particeps existit secundùm exilem quandam partem amicitiæ & coniunctionis. Ira etiam boni particeps hoc ipso quod mouetur, cupitque ea quæ mala videntur, ad id quod boni speciem præ se fert dirigere & conuertere. Quin & is quoque qui deterrimam vitam expetit, vt qui omnino vitam cupiat, & quidem optimam ipsi visam, eo ipso appetitu, vt vitæ appetitu, qui & optimam vitam spectat, booi particeps existit. Denique si boooum penitus sustuleris, neque essentia erit, neque vita, neque appetitus, neque motus, neque quidquam aliud. Itaque, quòd etiam ex corruptione fiat generatio, non est mali vis, sed minoris boni præsentiæ: sicut morbus defectus qoidem est constitutionis, sed non vniuersæ; nam si tota desit constitutio, neque morbus ipse subsistet, morbus autem manet & existit, in quantum & statum habet, & minimam constitutionem, in quâ quodammodo cohæret. Quod enim omnis boni expers est, id neque aliquid est, neque in iis quæ sunt existit: quod autem mixtum est, id propter bonum est in rebus, & in tantum in rebus existit, & est, in quantum boni est particeps. Quin imò ea quæ sunt omnia, in tantum magis minúsve erunt, in quantum ad boni consortium accedunt: nam quod ad ipsum statum attinet, si neutiquam vsquámve sit, nec erit quidem. Quod autem partim quidem est, partim autem non est, id, quatenus ab eo quod semper est deflexit, non est; in quantum verò statûs est particeps, catenus est, atque status eius statûsque priuatio & obtinetur, & conseruatur. Malum etiam, quod omni ex parte à bono defecit, neque inter ea quæ magis neque inter ea quæ minùs bona sunt erit. Quod autem partim quidem bonum, partim verò non bonum est, id alicui quidem bono aduersatur, non tamen toti bono, adeoque tenetur aliquâ boni communione, atque hoc modo bonum sui etiam priuationi statum omnino dat per sui communicationem: nam bonu penitus exterminato, neque omnino quidquam bonum erit, neque mixtum, neque ipsum malum. Si enim malum sit quoddam bonum imperfectum, propter omnimodam boni absentiam tam imperfectum quàm perfectum bonum aberit; tumque solum erit & apparebit malum, quādo aliis quidem malum est, quibus est cōtrarium, ab aliis autem tanquam bonis segregatum est. Nequeunt enim eadem secundum eadem inter se in omnibus repugnare. Malum itaque non est res aliqua.

Malum quà malum penitus non esse.

Quidquid est, secūdùm boni participationem est id quod est.

Vitia etiā præ se ferre quādam boni speciem, sub quâ appetuntur.

Malum non existit purū, sed bono mixtum.

Quin ne rebus quidem inest malum. Nam si res omnes sint ex bono, omnibus inest bonum, omniaque cōtinet: malum vtiq; vel non erit in rebus, vel in bono erit; atque in bonu non erit (neq; enim in igne frigus est) nec deprauari poterit id quod etiam malum bonum reddit. Quòd si erit, quomodo erit in bono malum? Si quidē ex eo est: absurdum id est, nec fieri potest: *non enim potest* (vt Scripturæ veritas testatur) *arbor bona malos fructus facere*; nec contrà. Si ex eo non est, perspicuum est id profectum esse ab alio principio atque causâ: nam aut malum ex bono erit, aut bonum ex malo, vel si id fieri non potest, ex alio principio & causâ existet tam bonum quàm malū. Nulla enim dualitas principiat, sed vnitas erit principium omnis dualitatis. Atqui absurdum quoque est, ex vno & eodem duo prorsus contraria proficisci & existere, idemque principiū nec simplex nec vnum esse, sed diuisum ac duplex, & sibi ipsi cōtrarium ac repugnans. Neque vero duo rerum principia contraria, quæ sibi mutuò & vniuerso insint, pugnare quoque possint: si enim hoc detur, ne Deus quidem ipse incolumis erit vacuusq; molestiâ, siquidem sit aliquid quod eum offendat, deinde cuncta erunt inordinata semperq; pugnantia: atqui bonum cum rebus omnibus amicitiam iungit, ideoq; vt ipsa pax, pacisque conciliatrix, à Theologis sanctis laudatur. Itaque bona omnia sibi inuicem amica sunt & consona, tanquam ab vnâ vitâ propagata, & ad vnum bonum coordinata placidaque, atque similia, & inter se affabilia: non igitur in Deo malum est, neque malum est quid diuinum. Sed nec ex Deo malum est: aut enim bonus non est, vel bona facit, bonaque producit; & non aliquando quidem & aliqua, aliquando verò non, & non omnia: isto enim pacto mutatio in eum cadet atque cōmutatio, etiam circa id quod omnium diuinissimū est, id est, causam. Quòd si verò in Deo bonum sit ipsa substantia, si permutetur ex bono Deus, aliquando quidem erit, aliquando verò non erit. Si autem participatione bonum habeat, habebit vtique ex alio, atq; aliàs id habebit, aliàs non habebit. Malum igitur nec ex Deo, nec in Deo, neque omnino, neque certo tempore.

§. 21. Malum nō esse in rebus.

Matth. 7. 18.

Dualitas non principiat, sed vnitas.

Bonū est pacificū.

Malum nec ex Deo, nec in Deo.

Quin ne in Angelis quidem inest malum. Si enim bonus Angelus diuinam enuntiat bonitatem, id ipsum existens secundùm participationem secundo ordine, quod secundùm causam est id quod enuntiatur primo, certè Angelus est imago Dei, & arcani luminis declaratio, speculum purum, clarissimum, integrum, immaculatum, intaminatum, totam in se recipiens (si dictu fas est) pulchritudinē boniformis deiformitatis, liquidoque (quoad fieri potest) in semetipso resplendere faciens secretissimi illius silentij bonitatem, atque adeò neque Angelis inest malū; at quod peccatores puniāt, mali sunt. Eâdem profectò ratione correctores delinquentium mali erunt, sicut & Sacerdotes, qui profanum à mysteriis diuinis arcent. Atqui non malum est puniri, sed supplicij reum fieri; vti etiam aliquem à Sacris propter demerita excludi minimè malum est, sed sceleribus coinquinari, & sacratissimis mysteriis indignum reddi, pessimum.

§. 22. Malum etiam nō est in Angelis

A

§. 23 *Dæmones quoque non sunt naturâ suâ mali.*

Sed neque dæmones naturâ suâ mali sunt: nam si naturâ mali forent, neque ex bono essent, neque in naturâ rerum existerent, neque etiam ex bonis mutati, si naturâ semperque mali erant. Deinde, num sibi mali sunt, an aliis? Si sibi, etiam seipsi perimunt; sin aliis, quomodo interimunt, aut quid interimunt? essentiámne, an potentiam, an actionem? Si essentiam, primum quidem non contra naturam id facient: quæ enim naturâ suâ interire possunt, ea non interimunt, sed ea quæ corruptioni sunt obnoxia. Deinde ne id quidem omnibus & omnino malum est; nec verò quidquam eorum quæ sunt interit, quatenus essentia est & natura, sed defectu naturalis ordinis, congruentiæ & compositionis ratio debilitatur, cùm in eodem statu manere deberet. Imbecillitas autem non est perfecta: nam si omnino perfecta foret, & corruptionem ipsam & subiectum eius è medio tolleret, essetque talis corruptio sui quoque ipsius interitus, ideoque etiam vt talis non esset malum, sed deficiens bonum: nam quod omnino expers boni est, ne quidem res erit, eademque ratio de corruptelâ potentiæ & actionis. Prætereà, quomodo dæmones, qui effecti sunt à Deo, mali sunt? Bonum enim bona profert & stabilit. Verùm dicet aliquis, eos malos appellari non secundùm quod sunt (ex bono enim sunt, bonámque sortiti essentiam) sed ex eo quod non sunt, quia *non custodierunt* (vt Eloquia testantur) *principatum suum.* In quo enim, dic amabo, dæmones deprauatos dicimus, nisi quòd diuina bona velle & perficere destiterunt? alioquin si naturâ mali essent dæmones, semper fuissent mali: atqui malum instabile est. Si itaque semper eodem modo se habent, non sunt mali: nam eodem modo semper se habere, proprium est boni. Si autem non semper mali, neque naturâ mali sunt, sed defectu Angelicorum bonorum. Neque verò penitus expertes boni sunt, quatenus sunt, viuunt, intelligunt, illísque omnino inest quidam motus desiderij: praui autem dicuntur, quatenus in naturali actione sunt imbecilles. Deprauatio igitur eis malum est, rerúmque illis conuenientium defectio frustratioque, atque imperfectio & impotentia; facultatísque in eis perfectionem conseruantis infirmitas, & abactio, & dilapsio. Quid verò prætereà malum in dæmonibus? Furor irrationalis, concupiscentia demens, imaginatio præceps. Verùm ista tametsi dæmonibus insint, non tamen omnibus, neque omnino etiam ipsa per se mala sunt. Etenim in aliis animalibus istiusmodi affectio, sed eiusdem priuatio potiùs interitus existit animalium, & malum; ipsa verò affectio per suam habitudinem seruat, ac constituit naturam animalis dum ista habet. Non itaque genus dæmonum existit malum, quatenus naturæ suæ respondet, sed quatenus repugnat. Neque totum bonum, quod illis concessum est, penitus euersum est, sed ipsimet à toto bono, quod iis traditum erat, exciderunt. Neque dicimus, Angelicas dotes, quas acceperant, penitus vnquam fuisse immutatas, sed etiamnum integras esse planéque conspicuas, quamuis eas ipsi minimè cernant, quòd videndi vires obstruxerint, quibus bona sua possent intueri. Quare quod sint, & ex bono sunt, & boni, & pulchrum bonumque appetunt, dum & esse, & viuere, & intelligere quæ sunt desiderant: atque bonorum ipsis congruentium priuatione, & declinatione, atque prolapsione mali nominantur; suntque mali secundùm id quod non sunt, dumque id quod non est appetunt, malum appetunt.

B

Iudæ 6.

Dæmones mali sunt per defectũ Angelicorũ bonorum.

C

Dæmones nõ perdidisse vires naturales.

D

§. 24. *An, & quid in animis malũ sit.*

Verùm animas quis malas dixerit: Si quidem idcircò, quòd malis prouidè salubriterque adsint, iam hoc non malum est, sed bonum, & ex bono, malumque bonum facientis. Sin dixerimus animas deprauari, quo deprauentur? nisi bonarum affectionum actionumque defectu, quodque imbecillitate suâ deuient & aberrent à fine. Quin & aerem hunc, qui nobis circumfunditur, luminis defectione atque absentiâ dicimus obscurari, cùm lux ipsa semper lux sit, quæ etiam tenebras illustrat. Quare nec in dæmonibus, nec in nobis ita malum est, quasi malum sit res aliqua, sed vt defectus & carentia perfectionis bonorum propriorum.

E

§. 25 *Nec in brutis malũ.*

Verùm nec in animalibus brutis malum est. Nam si furorem, & concupiscentiam, cæteraque quæ dicuntur, sed non sunt simpliciter suaptè naturâ mala sustuleris, leo quidem fortitudine superbiaque deperditâ, leo esse desinet; canis quoque si blandus fiat omnibus, non erit canis, cùm vigilare canis proprium sit, & domesticos admittere, externosque repellere. Itaque naturæ incorruptio nequaquam malum est, sed eius corruptio, & imbecillitas, & defectio cùm naturalium affectionum, tum actionum atque virtutum. Quòd si res omnes in tempore per generationem suam habeant perfectionem, imperfectio iam non erit in naturâ vniuersâ.

§. 26. *Nec in naturâ malũ.*

Sed neque in totâ naturâ malum est. Si enim omnes rationes naturales sunt a naturâ vniuersali, nihil iam est illi contrarium; singulari verò naturæ aliud quidem secundùm naturam erit, aliud verò non erit secundùm naturam. Alij enim aliud est contra naturam, quodque huic naturale, illi contra naturam est. Naturæ verò vitium est, id quod naturæ contrarium est, eamque priuat suis naturalibus. Non est itaque natura mala, sed hoc naturæ malum est, quòd eam impotem reddit explendi ea quæ sunt naturæ propria.

F

§. 27. *Nec in corporibus malũ est.*

Verùm nec in corporibus malum est. Fœditas enim & morbus defectus quidam formæ est, ordinisque priuatio; illud autem non vsquequaque malum est, sed minùs pulchrum: nam si omnimoda pulchritudinis & formæ ordinisque resolutio fiat, ipsum quoque corpus interibit. Quòd autem corpus animæ non sit causa malitiæ, vel ex eo constat, quoniam etiam sine corpore malitia possit alicui adhærere, vt in dæmonibus patet: siquidem id æquè spiritibus atque animabus quam corporibus malum est, si infirmentur, & de bonorum suorum statu deturbentur.

§. 28. *Neque in materiâ malũ est.*

Sed neque tritum illud, in materiâ malum, vt aiunt, quatenus materia est: nam & ipsa pulchritudinis & ornatûs formæque fit particeps. Si autem seorsum ab his suaptè naturâ materia qualitatem nullam speciemque obtinet, quonam pacto materia quidquam agat, quæ nec id ipsum à se habet, vt pati possit? Prætereà, quonam modo materia malum sit? Si enim neutiquam nusquámve est, neque bonum neque malum est: sin verò quomodocumque est, omniaque quæ sunt ex bono sunt, vtique etiam ipsa ex bono erit, atque ita vel bonum malum efficit, vel certè malum, quatenus ex bono est, bonum erit, nisi fortè malum bonum faciat, adeoque bonum, quatenus ex malo est, malum sit. Vel iterum, duo sunt principia, quæ ipsamet ab vno aliquo alio capite dependent. Iam verò, si materiam ad vniuersi consummationem necessariam fuisse dicant, quomodo materia malum sit? aliud enim malum esse, aliud necessarium. Quomodo autem bonus aliquid ex malo gignat? aut quomodo malum sit id quod bono necessarium est? nempe malum boni naturam fugit. Quomodo vero materia naturam gignit ac nutrit, si mala est? malum enim, quâ parte malum est, nihil gignit aut nutrit, efficitve aut saluat. Quòd si dicant, eam quidem in animabus malitiam non progignere, sed ad malitiam eas instigare, quonam modo id verum erit? cùm ex iis plurimæ bonum spectent. Atqui, quonam pacto id fieri potuisset, si ad malum eas materia prorsus inclinaret? Quamobrem malum in animabus non existit ex materiâ, sed ex inordinato quodam & peccante motu. Quòd si dicant, eas omnino sequi materiam, atque materiam illam instabilem iis esse necessariam, qui in semetipsis consistere non possunt; quanam ratione malum sit necessarium? vel quomodo id quod necessarium est sit malum?

G

H

§. 29. *Neq; priuatio per se mala.*

Sed neque dicimus, priuationem vi suâ bono repugnare: nam omnimoda quidem priuatio prorsus impotens est, partialis verò non secundùm quod priuatio est vim habet, sed secundùm quod non est omnimoda priuatio. Si enim sit priuatio boni partialis, nondum malum est; & si facta sit, iam etiam mali natura discessit.

§. 30. *Bonum quid & malũ, & vnde.*

Sed vt summatim dicam, bonum ex vnâ integráque causâ existit, malum autem ex multis partialibusque de-

fectibus. Cognouit Deus malum vt bonum, & penes ipsum malorum causæ virtutes sunt beneficæ. Quòd si malum æternum est, & creat, & potest, & est, & agit, vnde ei hæc omnia? num ex bono? an bono ex malo? an verò vtrique ex causâ aliâ? Omne quod secundùm naturam est, ex definitâ causâ nascitur: malum autem si causæ sit ac definitionis expers, non est secundùm naturam; neque enim est in rerum naturâ, quod contra naturam est, neque in arte ratio est inscitiæ. Num ergo anima malorum causa sit, sicut ignis v. g. caloris, atque omnia, quibus appropinquat, malitiâ replet? an verò bona quidem animæ natura, sed in actionibus suis aliàs quidem sic, aliàs verò aliter se habet? Si naturâ sua status etiam eius malus est, vnde statum habuit? an ex causâ bonâ, quæ effectrix est rerum omnium? Sed si ex eâ, quomodo malum est secundùm essentiam? omnes enim eius effectus boni sunt. Sin per actiones, neque hoc est immutabile, alioquin vnde virtutes illi, nisi boniformis facta sit? Reliquum est igitur, malum esse debilitatem quandam, defectionemque à bono.

B

§. 31. *Bonorum causa vna, malorum multa.*

Bonorum causa vna est. Si bono malum est contrarium, malorum causæ multæ sunt: non tamen efficientes sunt malorum rationes ac facultates, sed impotentia, & infirmitas, & incongrua quædam permistio rerum dissimilium. Mala nec immobilia sunt, neque semper eodem modo se habent, sed infinita & indeterminata, in aliis atque aliis, iisque infinitis, diuersimodè vagantur. Malorum etiam omnium principium atque finis bonum est: boni enim causâ sunt omnia, & quæ bona sunt & quæ mala; quippe cùm hæc quoque boni desiderio agamus (nemo enim proposito sibi malo facit, quæ facit) quapropter neque substantiâ malum nititur, sed substantiæ simulacro, dum boni & non sui ipsius gratiâ geritur.

Ex bono & propter bonum sunt omnia.

§. 32. *Malū est per accidens.*

Malo status tribuendus est per accidens, & propter aliud, & non ex proprio principio; vt, quod dum fit, rectum quidem esse videatur, quia boni gratiâ fit, reuerâ autem rectum non sit, quandoquidem id bonum opinemur, quod bonum non est. Ostensum est, aliud esse quod experitur, & aliud quod agitur. Malum itaque deflectit à viâ præter intentionem, præter naturam, præter causam, præter principium, præter finem, extra terminum, extra voluntatem, extra substantiam. Malum ergo priuatio est, & defectus, & infirmitas, & inconcinnitas, & error, & frustratio scopi, pulchritudinis, vitæ, intellectûs, rationis, perfectionis, fundamenti, causæ; est interminatum, sterile, iners, imbecillum, confusum, dissimile, infinitum, tenebrosum, statu caret, ipsumque nullo pacto, ac nusquam, & nihil existit. Quomodo ergo malum omnino possit aliquid permixtione boni: quod enim boni prorsus expers est, neque est quidquam, neque quidquam potest. Etenim si bonum est id quod est, & appetendum, & validum, & efficax, quomodo quidquam possit id quod bono contrarium est, cùm & essentiâ careat, & voluntate, & potentiâ, & actione? Non omnibus omnia & omnino eadem secundùm idem mala sunt. Dæmoni malum est, quòd à bonâ mente deflexerit; animo, quòd à ratione; corpori, quod à naturâ.

C

Malum quid, & quid possit.

D

§. 33. *Quomodo extante prouidentiâ sint mala.*

Quomodo extante prouidentiâ mala sunt omnino? Malum quà malum neque res, neque in rebus est. Nulla etiam res prouidentiam effugit. Neque enim est malum quod non sit admixtum bono. Quod si nulla res sit expers boni, malum autem sit defectus boni, cùm nulla res omnino priuata sit bono, in rebus omnibus diuina quoque prouidentia est, nec res vlla prouidentiam diuinam effugit: quin etiam iis qui mali euaserunt, ad ipsorum aut aliorum priuatam vel communem vtilitatem, prouidentia benignè vtitur, proprieque singulis rebus consulit. Quamobrem vanum sermonem plurimorum nequaquam approbamus, qui aiunt, diuinam prouidentiam nos vel inuitos ad virtutem debere impellere: nam non est prouidentiæ, naturam violare. Quapropter tanquam prouidentia, quæ naturæ cuiusque conseruatrix sit, libero motu præditis, vt liberè se mouentibus, & vniuersis ac singulis, modo quodam vniuerso ac cuilibet proprio prospicit, inquantum eorum, quibus prouidetur, natura capit, vniuersæ atque omnigenæ prouidentiæ beneficia, quæ cuique pro captu suo dantur.

Prouidētia seruat naturas rerum inuiolatas.

E

§. 34. *Malum nō est res, nec à potestate, sed ab imbecillitate.*

Non igitur malum est res aliqua, neque in rebus malum existit. Nusquam enim malum est quà malum, nec quod malum fit, hoc à potestate proficiscitur, sed ab imbecillitate. Ac dæmonibus, id quidem quod sunt, & ex bono est, & bonum; malum, quod illis ex lapsu à propriis bonis accidit, est eiusdem status habitûsque mutatio, & accommodatæ eis Angelis dignæ perfectionis imbecillitas. Expetunt etiam bonum, in quantum est esse, & viuere, & intelligere desiderant; & in quantum non expetūt bonum, id quod non est expetunt: atqui non est hoc appetitus, sed veræ appetitionis defectio.

§. 35. *Inscientia peccantium quid.*

Inscientiâ verò peccantes Scriptura vocat eos, qui circa eam, quæ latere non potest, boni cognitionem aut actionem imbecilles sunt, quique sciunt voluntatem, & non faciunt, qui audiuerunt quidem, sed infirmi sunt in fide vel operatione boni; quin etiam aliqui nolunt intelligere vt benè faciant, ex peruersione vel debilitate voluntatis. Atque vniuersim malum (vt sæpe diximus) infirmitas est & imbecillitas, & defectus inscientiæ, siue liquidæ cognitionis, siue fidei, siue [illegible], siue desiderij, siue operationis boni. Atqui dixerit non nemo, infirmitatem minimè supplicium mereri, sed è diuerso venia dignam esse; si quidem facultas non suppeteret, rectè vtique id diceretur: sin autem ex bono sit posse, quod, iuxta Scripturam, omnibus omnino conuenientia largitur, ex bona bonorum propriorum habitudine defectio, & peruersio, & fuga, prolapsioque laudanda non sunt. Verùm hæc in [illegible] de iusto diuinoque iudicio satis à nobis pro virili exposita; in quo facto [illegible] veritas Eloquiorum sophisticas rationes, quæ iniustitiam mendaciumque Deo impingunt, tanquam planè impias & stolidas elisit. Iam verò pro modulo nostro satis laudatum est bonum, in quantum verè admirandum, vt principium & finis omnium, vt rerum omnium complexus, vt informans res non existentes, vt causa bonorum omnium, vt nullius mali causa, vt prouidentia & bonitas absoluta, quæque omnia, tam quæ sunt quàm quæ non sunt, superat, & mala, si ipse priuationem, bona efficit, vt omnibus expetendum, amandum & diligendum, & quæ alia in superioribus verax, vti reor, oratio demonstrauit.

F

[illegible]

G

SCHOLIA S. MAXIMI.

§. 1.

AGE ERGO.] Agedum itaque.

ATTRIBVVNT.] Ἀγ... accipiendum est pro *attribuunt*: illud autem, ab omnibus manifestari diuinam bonitatem, significat, omnia ex ipsâ, vt essent, producta fuisse.

TANQVAM SVBSTANTIALE.] Quoniam diuinum Numen est ipsummet bonum substantiale, atque res omnes bonitatem participant, nec secùs ac creaturæ solem.

H

Deus substantia [illegible] bonus.

QVEMADMODVM SOL ILLE NOSTER.] Nemo suspicetur, iudicare Magnum Dionysium de Deo omnino ad exemplum solis: quin potiùs id sic intelligendum est: sicut sol, cùm non sit aliud præterquam lumen, non habet lumen aduentitium & coniunctum, vt accidens; neque tanquam sit animal, velut præditus anima, voluntate benefaciendi intus lumen accipit, & in omnia dispertit (potiùs enim contrà, neque animatus est, neque voluntatem benefaciendi habet, caret enim ratione, nec aliunde lumen accipit; est enim hoc ipsum lumen, & illuminat) sic in Deo intelligere oportet, quòd Deus scilicet non habet bonum coniunctum, tanquam qualitatem quandam, sicut nos habemus virtutes, quin potiùs substantiâ ipsius boni ipse Deus est, sicut lumen substantia solis; & tanquam qui est id ipsum bonum, fulgorem bonitatis in omnia porrigit, benefaciendo iis qui illuminantur. Vnde ait, exemplum solis quasi obscuram quandam & vix apparentem imaginem habere primi illius exemplaris, quod prorsus incommunicabile existit:

A

nam si imagines haberent veritatem, iam non essent similitudines, sed formæ primigeniæ.

Quid sit intellectile, & quid intelligens.

INTELLECTILES AC INTELLIGENTES.] Propriè loquendo, aliud est *intellectile*, & aliud *intelligens*. Nam res intellectilis est veluti alimentum quoddam intelligentis; quoniam id quod intelligitur, seu res intellectilis, quid nobilius est, & anteà intelligitur, quàm id quod intelligit, id est intelligens. Superiores igitur & Deo vicini ordines propriè dicendi sunt intellectiles; inferiores verò, intelligentes, vt qui intelligant superiores. Non ideò tamen, quòd intellectiles dicantur qui intelliguntur, censendum est ipsos non intelligere: intelligunt enim ipsi, quia omnes sunt mentes & substantiæ vitæ à mente supremâ creatæ, imò & operationes illic per se subsistentes sunt, atque substantiæ. Omnis enim motus ac status illic saltem per se subsistentes sunt, & virtutes viuentes ac superiores, quàm vt in eas cadant variationes eorum quæ fluxa & corporea sunt. Quare intelliguntur quidem vt immateriales, intelligunt verò res ipsas vt incorporei ac supermundiales, rerum rationibus supernè illustrati, ipsásque mysticè ad inferiores Angelos intellectiliter ac reuelatè traiicientes. Quin etiam aliter potes intelligere virtutes & operationes. Virtutes quidem, quòd cùm necdum omnia creata essent, virtute tamen omnia in Deo præextiterint, quæ ab eo in lucem producenda erant: operationes verò, quando iam creatura ad effectum adducta est. Obserua verò, quomodo illud *fluxæ mutationis* explicuerim; quoniam & Angeli mutabiles existunt, scilicet secundùm propositum, non secundùm substantiam, vti diabolus testatur, & ordo eius, è cœlo delapsus, sicuti habemus etiam in Iob.

B

Angeli quomodo mutabiles.

A CORRVPTIONE ET MORTE.] Hæc enim corporum sunt propria.

PROPRIIS RATIONIBVS ILLVSTRANTVR.] Quoniam incorporea cœlestiáque intelliguntur & intelligunt.

C

ET CVSTODIA ET MANSIO.] Mansio & domicilium inter se collata idem significant. Philo Iudæus in Sermone de flammeâ rhomphæâ & Cherubim sic ait: Mansio autem partium mundi, cùm stet firmiter, *ἑστία* ab antiquis per rectam coniecturam nominata est. Hoc autem etiam superiùs tradit circa finem primi capitis §. 6.

Quid sit ἑστία.

§. 2. Quomodo Angeli se habeant adinuicē.

INDE ILLIS.] Nota hîc de Angelis, quoniam immateriales sunt, & se mutuò penetrant, & ab inuicem sine confusione recedunt, & veluti gradus quidam sunt ac ordines primi ac secundi: & quoniam diuinæ mentes illic circum semetipsas voluuntur non corporeâ quadam volutatione, sed supermundiali ac spiritali, & quali mens volui solet, dum ex se ipsâ ad considerandum progreditur, & ad semetipsam reuertitur, non verò extra seipsam diuulsa abit (hoc etiam insinuant rotæ istæ oculatæ apud Ezechielem) & quoniam circa diuinum amorem identidem ac summè versantur. Identitas autem intelligi debet minimè deficiens à Deo coniunctio; summitas verò, intelligentiæ ipsarum & substantiæ, profectus, quo quodammodò in Deos euaserunt. Per mutuas autem intellectilium vniones intellige Deo dignum, quo se mutuò prosequuntur, amorem, qui, cùm diuinus sit & vnificus, ipsos coniungit, non aceruatim comportans, sed amabiliter constringens. Nam cùm ea quæ sunt & intelliguntur, vti & illa quæ sensu percipiuntur, æquiuocè dicantur, alia quidem sunt vnita & à se mutuò dependentia, alià verò diuisa & coaceruata. Ac intelligibilium quidem vnita sunt, veluti animal, lumen, & mundus intelligibilis, & similia: diuisa verò & apposita sunt, velut exercitus & ordo particularis Angelorum, & familia, & chorus. In sensilibus autem vnio est animal, arbor, mundus: diuisio verò secundùm coaceruationem, grex, populus, aceruus, chorus.

D

IN LIBRO DE ANGELICIS.] En & alius tractatus Dionysij desideratur, de Angelicis proprietatibus ordinibusque.

E

ANGELICÆ.] Angelicas seu Angelis conuenientes expiationes ait, sicut illam Isaiæ & Ezechielis in excessu mentis caput libri deuorantis. Porrò Angelicæ perfectionis consummationem vocat, velut in Daniele & Angelo, qui ipsi visionem interpretabatur; & in Pastore qui Hermam initiabat, sicut ibidem legimus in libro qui Pastor inscribitur. Quin & ipsemet in libro de Cœlesti Hierarchiâ tradit, quomodo Angeli expientur ac perficiantur.

Angeli expiationes quales.

SINTQVE ANGELI.] Cur Angeli vocentur, & quomodo etiam ipsi lumina sint.

ANIMÆ.] Nota, quasdam animas post Angelos esse ipsis inferiores, attamen immortales, vtpote creatas vitas substantiales; easque, quæ vitam Angelicam instituunt, ab Angelis manu duci, vti etiam in Pastore legimus.

F

SVMMVM BONVM.] Nota, vt iustorum animæ ad summum bonum omnium bonorum adducantur, & illustrationis eius participes effectæ, pro aliis confidenter orent.

IN TRACTATV DE ANIMA.] Desideratur etiam liber de Animâ.

DE ANIMABVS RATIONE CARENTIBVS.] Intelligit animas irrationales ac sensitiuas; & obserua, quid aliud esse animam, & aliud vitam.

QVÆ AMPHIBIA SVNT.] Ea quæ serpunt vocat amphibia, vt ranæ, cancri; subfossa verò sunt talpæ, & similia. Nota verò, post Angelos esse animas ipsis inferiores, easque immortales esse, vtpote creatas vitas substantiales; & animas, quæ Angelicam vitam agunt, ab Angelis manuduci, sicut etiam superiùs dictum est.

AB IPSO HABITVM SVBSTANTIALEM.] Anteà quoque diximus, habitum esse qualitatem immanentem. Quæcunque igitur vitâ & animâ carent, sic à Dei bonitate producta sunt, vt qualitatibus suis substantialiter affecta sint, vt lapides diuersi & terra atque mineralia quadam vtili qualitate præstant, & quæcunque alia, siue medicinæ, siue nostris vsibus deseruiant. Hæc vtique non extrinsecus habitum obtinent, sed in substantiâ suâ diuinitùs istam qualitatem acceperunt.

G

§. 3. Quid in Deo sint priuationes.

QVOD SI AVTEM SVPER RES OMNES.] Aduerte, quomodo priuationes in Deo sint excellentiæ positionum effectrices, vt expers formæ, expers substantiæ, expers vitæ, expers mentis: hæc enim videntur significare aliquid, quod non existit, tamen in Deo, qui superessentialiter omnium rerum negatione existit: (nihil enim est eorum quæ sunt;) eminenter intelliguntur. Illud verò in sequentibus perfectiùs exponit.

ET ILLVD IPSVM QVOD NON EST.] Quomodo id quod non est bonum appetat. Si enim non existit, quomodo appetit? Respondemus, eum per id quod non est malum intellexisse, prout infrà demonstrat; quoniam etiam id, quod malum dicitur, fit propter bonum.

§. 4.

ET CÆLESTIVM.] Dei bonitatem ait esse causam cœlestium principiorum ac terminationum: nam Deus hæc omnia bonitatis quadam abundantiâ creauit. Principia verò cœlestia & terminationes intelligenda, tanquam ex puncto seu centro voluntatis Dei rotunda cœlorum fabricatio subsistens: circularis enim figura ex se ipsâ incipiens, in se ipsam terminatur. Cœlestem verò substantiam neque augeri neque minui ait, vt perfectè & sufficienter finem suum assecutam, ideoque immutabilem ipsam dixit ex quo facta est, non peruersam. Porrò perfectum est id quod nec augetur, nec minuitur. Cæterùm subterminationes hæc vocauit, & non terminationes, quia nimirum motus iste est circularis, neque propriè terminum habet, sed quasi terminum, dum in id ipsum, sicut ab aliquo principio ad aliquem quasi terminum, fertur, verbi gratiâ, Orientem. Obserua verò, quoniam cœlos sine strepitu & insensibiliter moueri asserit. Illud autem, *Quarundam stellarum multiplex motus quo transferuntur*, de Planetis dicit. Vbi etiam obserua, eum sensisse illos solos moueri. Et ibidem nota, vnde numeri temporarij sumantur.

H

DESTIN

Deus in omnibus rebus est illimitatus.

DISTINGVNT.] Perfectè definiunt.

DIVINITATIS OMNIA SVPERANTIS.] Hoc etiam in superioribus annotaui, Deum nempe in omnibus existere, & nihil esse omnium. Hic autem quid amplius ait, ipsum videlicet substantias omnes superare, quod inferiùs dicit: *quoniam quoque illa quæ non sunt implet.* Vide autem quomodo dicat, vt *neque superiores vsque ad illius excellentiam pertingant, nec inferiores eius ambitum pertranseant*, id est, diuinitatem neque principium neque finem habere, cùm cœlestes ac superiores virtutes hanc minimè comprehendant; non quòd sit quidem, sed nequeat comprehendi (nolo sic intelligas) sed quòd ipsa neque hoc sit. Ista est enim cognitio in ignoratione: quoniam cùm euasimus sublimiores, & per amorem Dei cum superis virtutibus coniungimur, cognoscimus nos eum omnibus diuinam naturam ignorare.

ET ILLVSTRAT.] Id est ea quæ pro modulo suo integritatem eius capiunt, propter quod etiam mensura rerum dicitur; vel quia principium finémque omnium cognoscit, tanquam creator omnium; sic enim inferiùs seipsum explicat.

ET ORDO.] Idcircò Deus ordo dicitur, vel quia omnia bono ordine creauit, vel quia fide apprehenditur ab iis qui ad ipsum accedunt, neque multitudine obruens infirmiores, neque dum inferioribus condescendit, à sanctioribus recedens, sed, iuxta vasis mei capacitatem, in me scaturire faciens bonitatem.

Similitudo à sole.

IVXTA MVLTESIMAM RESONANTIAM.] Quemadmodum sol sensibilis omnia quæ cernuntur illuminat, & quæcunque lucem eius non participant, propter propriam suam capacitatem ipsius expertia existunt; sic etiam in Deo, omnes, quicunque volunt, ab ipso sanctificantur. Pulchrè autem D. Dionysius statim correxit ea quæ minùs consentaneè de sole dicta videbantur. Quandoquidem enim dixerat, solem hunc inanimem claram esse imaginem bonitatis Dei, creaturam creatoris imaginem appellando, primò quidem mox adiunxit, *secundum multesimam resonantiam*, in sequenti porrò capite illud ipsum perfectiùs exponit. Quid autem sit *multesima resonantia*, dicendum est. Quemadmodum enim si quis magnâ vociferatione aliquid dicat, qui adstant, & benè clamorem & quod dictum est percipiunt; qui autem distant, quò magis distant, minùs audiunt, qui verò longè sunt, tenuissimum sonum audiunt sine significatione vocis. Sic cogitandum est de lumine solis, si cum diuino conferatur, vt nimirum incomparabilis intersit differentia.

QVIN ETIAM AD GENERATIONEM.] Ne putes solem auctorem esse generationis, aut vitæ, aut accretionis, aut perfectionis rei alicuius, sicut neque aliud aliquod elementum quantumuis necessarium, vt aqua: siquidem & absque sole & aquâ esse possumus, licet non perfectè, attamen longo tempore. Cæterùm Deus cùm sciret frigus esse omnino sterile, moderatum autem calorem generationi conducere, atque stirpes & semina indigere caloris, vti etiam corpora omnia quæ vitam habent siue sensilem siue vegetantem; multa item mundari debere, vt nimirum candida fiant, velut vestimenta, aliáque; item semina illa quæ refrixerant esse renouanda; idcircò solem naturæ fecit eiusmodi, vt dicta omnia creaturis opera præstet, cùm tamen non ex voluntate ac virtute propriâ talem vim acceperit. Hoc denique dixit S. Dionysius, vt qui semetipsum ampliùs explicaret infrà in fine capitis quinti & sexti. Securè hæc intellige, non ambiguè.

MENSVRA EST.] Sol dicitur mensura & numerus tempestatum; quoniam diem inchoat, dies autem reuolutus *tempus* efficit. Idcircò vocatus est mensura, veluti vitam nostram metiens, ait enim, totius nostri temporis.

HOC ENIM EST ILLVD LVMEN.] Nota, solem adhuc informem tres istos dies, qui creationem eius præcesserunt, illuminasse; & lucem illam primigeniam quarto die in solem fuisse transformatam; atque illud triduum ipsum intellexisse, vti etiam in Hexaëmero Magnus Basilius disertè docet. Denique non te fugiat, illa, quæ antè dicta sunt, non de sole, sed de luce istâ primigeniâ, quæ in solem transfigurata est, dici.

TANQVAM PRINCIPIVM VNITATIS]. Id est principium & causa veræ vnitatis seu similitudinis.

Quomodo omnia Deum appetant.

QVODQVE APPETVNT VNIVERSA.] Vide quomodo res omnes diuidat quæ sunt circum Regem omnium, quem etiam appetunt vniuersæ. Primùm itaque recenset intellectilia, deinde rationalia. Intellectilia itaque sunt ea, quæ non sunt corporibus permixta, verbi gratiâ virtutes omnes supermundiales; rationalia verò sunt animæ humanæ, quæ propensionem habent ad corpus, qualis est homo sensualis. Si enim interior homo, id est animus, secundùm Apostolum, solus operatur, non omnem erga corpus affectum habens, tunc est homo intelligens. Neque iam rationalis appelletur, sicut omne animal, quod ex corpore & animâ rationali constat. Porrò intelligentia rationaliáque dicit Deum appetere scienter, vt quæ à naturâ hunc appetitum habeant, Regem omnium cognoscendi, atque bonitatem eius participandi, eò quòd sint animæ cognitionis rationísque particeps, rectè dicitur etiam boni appetitus. Verùm bruta animantia, secundùm eandem vim sensitiuam, vitam appetunt, atque adeò etiam bonum. Insensibilia verò, vt plantæ, quæ & animâ vitâque carent, naturaliter quidem bonum appetunt, non quidem vt ipsum cognoscant, sed vt persistant naturali suâ permansione contenta.

Sol unde ἥλιος dictus.

OMNIA ΑΟΛΛΗ FACIT.] Ἀολλῆ, id est congregata: quoniam sol ἥλιος appellatur, quòd omnia ἀολλῆ seu congregari faciat, & dispersa congreget, & docet solem non esse Deum etsi multa dixerimus quæ illi contraria videantur, quæ facilè detorquentur.

IVXTA ANTIQVITATIS.] Secundùm antiquitatis sermonem, aut quod Gentiles fuerint D. Dionysius & D. Timotheus, sicut in Actis sanctorum Apostolorum declaratur; aut stultum gentilem sermonem dicit Solem enim veterem seu antiquum appellabant, vt in Comœdiâ dictum est.

§. 5. Psal. 33. 6.

REPVRGARE.] Dictum est enim, *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.*

QVONIAM DILEXERVNT MVLTVM.] Multum enim diligenti multum etiam dabitur, alteri autem minùs, iuxta mensuram dilectionis: quoniam superiùs dixit, Deum esse ordinem ac mensuram nostram.

§. 6. Quanam sint mentes supramũdana, circamũdana, & mũdana.

ET SVPRAMVNDANAM.] Mentem supramundanam dixit, ac si essent supremæ quædam sanctæ mentes Angelicorum ordinum supra mundos vniuersos; aliquæ autem circa mundum versarentur, id est, circa ministerium mundorum occuparentur, in ipsorum administrationem constitutæ ab iis qui mundi rectores appellantur; aliquæ verò mentes in mundo versarentur hominum atque Angelorum nationibus præfectorum, & præsidum ciuitatum, atque in Ecclesiis & sanctis, sicut in Apocalypsi D. Ioannes ait, nec non in cæteris mundi constitutionibus: quin & Psalmista canit, *Immittet Angelus Domini.* Supermundialis est, spiritalis; circamundialis, animalis; mundialis, carnalis. Aliter. Supermundialis est qui Theologiam docet, circamundialis, qui naturalem contemplationem, mundialis, qui practicam virtutem tradit.

Psal. 33. 8.

OMNIA CONGREGANS.] Simul omnia faciens, & fouens, & augens atque commutans.

DIRIMIT.] ignorantia enim à Deo dirimit, sicut lumen magis colligit & conuertit, vt dixit superiùs.

OPINATIONIBVS.] Simulacrorum & multorum deorum ipsorum.

VISA.] Visa vocat, commenticias cogitationes circa sensilia vel quasi sensilia.

§. 7. Cant. 1. Psal. 44. 3. Deus quomodo pulcher & pulchritudo.

ET VT PVLCHRVM.] Pulcher dicitur Deus in Cantico canticorum, quo etiam modo pulchritudo dicitur Et Dauid, *Speciosus forma præ filiis hominum.* Pulchrum autem dicitur etiam id quod pulchritudinem participat. Nota, quomodo distinguatur in rebus pulchrum & pulchritudo in participantia & participata, in Deo autem

non ſic. Pulchritudo namque dicitur, quia tribuit omnibus pulchritudinem, & quia omnia ad ſe vocat; pulchrum verò, tanquam ſemper exiſtens, vtpote nunquam decreſcens, nec augeſcens.

Secvndvm se vniforme.] Vniforme quoddam pulchrum eſt Deus, quoniam neque in habitus diuiditur & pulchrificas differentias, neque quoad aliquos quidem pulcher eſt, quoad alios non; ſed immutabiliter ipſum pulchrum ſine principio ac diſſolutione, atque defectione, eodem modo ſemper exiſtens: ideóque in ſemetipſo dicitur anticipate pulchritudinem, tanquam qui etiam ante creaturas fons ſit & principium cauſáque pulchri; vnde quoque excellenter continet pulchritudinem. Etſi enim multa ſint pulchra, tamen ex ipſo pulchra ſunt, neque ſicut ipſe pulchra. Quî ſic? quoniam ipſe pulchrum eſt, ſiue cauſa, iſta vero pulchra ſunt per cauſam & participationem: nam Deus eſt quid pulchrum vniforme, quoniam ex ipſo quæ poſt ipſum pulchra ſunt, & quaſi in qualitate obtinent pulchritudinem.

Geneſ. 1. Zach. 9. 17. Ex Deo omne pulchrũ.

Ex hoc ipso pvlchro.] Illud, *Ecce omnia pulchra valdè*; & illud Zachariæ, *Omne ſi quid pulchrum illius*, ex hoc pulchro, quod cauſâ caret, prodiit. Huius enim pulchri cauſâ elementorum connexiones, quas coaptationes vocant, fiunt, rerúmque benè ordinatæ colligationes perdurant, quæ dicuntur amicitiæ ac communiones, ratione quidem præditorum ad Deum aſpirationes, quemadmodum Eccleſia primogenitorum in cælo & in terrâ; in brutis autem gregales ſocietates, in inanimis verò mutuæ quædam, quibus colligantur, ſympathiæ. Omnia itaque cum pulchro vniuntur per participationem ad auctorem conuerſa.

Quomodo Deus ſit rerum principiũ, & mediũ, & finis.

Et finis omnivm.] Dicitur Deus finis omnium tanquam omnia continens, & veluti cuncta in ſecuritate complectens, & in quantum eius cauſâ producta ſunt vniuerſa, & nullius alterius indiguerunt vt perficerentur. Vnde ſicut principium omnium, vt cauſa, dicitur, ſic etiam *medium* dicitur veluti perdurationem in conſiſtendo concedens; & *finis*, quatenus omnia in eius voluntate terminantur, ad quem etiam conuertuntur, ſecundùm quod ipſum etiam finalem cauſam vocat, tanquam principium & finem, iuxta D. Ioannem in Apocalypſi; & exemplarem, quâ omnium futurorum prædefinitiones in ſeipſo præconcepit etiam ante ipſorum productionem, vt ait Apoſtolus, *Quos & prædeſtinauit*, & quæ ſequuntur. Hæc enim exemplaria ſanctus Dionyſius intellexit, quibus futura præſcienter ex ipſo, priùs quàm producerentur, id eſt, diſtinguerentur, prædefinita erant per vnicam illam prænotionem, quâ Deus cuncta complectitur. Hæc etiam reperies ſequenti capite quinto. Nota autem, eum dicere idem eſſe pulchrum ac bonum.

Apoc. 1. 8. Rom. 8. 30.

Quomodo id quod non eſt Dei particeps.

Qvod etiam id qvod non est.] Quomodo poſſit id quod non eſt boni, particeps exiſtere? Si enim non ſubſiſtit, neque appetitum habet, neque cum re quapiam communicat. Dicendum itaque, diuinum hunc virum diuerſimodè intelligere illud *quod non eſt*: aliquando enim ipſam diuinitatem ita vocat, vt quæ nulla ſit rerum; quandoque verò materiam. Solet etiam malum ſic appellare, ſecundùm diuerſos ſenſus. Licet itaque dicere, materiam boni participem eſſe, quatenus transformatur, & à priſtinâ informitate liberatur; aut malum de bono participare, provt voluntate bunâ vult eſſe illud quod videtur malum, & quia ſemper vult eſſe malum. Omne autem quod eſſe appetit, bonum appetit. Superiùs autem ante duas paginas ait, Deum eſſe ſupra ea quæ ſunt. Rectè igitur dicat aliquis, Deum eſſe ſupra ea quæ ſunt, & id quod non eſt boni particeps exiſtere, cùm ſit ſupra ea quæ ſunt, & nihil ſit eorum quæ ſunt. Neceſſariò nota vt dicat, id quod non eſt inueniri pulchrum & bonum, quando de Deo pronuntiatur: Deus enim dicitur & quod eſt & quod non eſt, cùm nihil ſit eorum quæ ſunt, ſed ſupra omnia modo ignoto eminet. Nihil enim eſt quod ſciat, ſecundùm quid Deus ſit nihil.

Quid ſint ſubſtantiales exiſtentiæ.

Svbstantiales existentiæ.] Rectè [dicit] *ſubſtantiales*: nam exiſtentiæ ſecundùm ſeipſas ſuperiores ſunt ſubſtantiis. Nunc autem, quia de creaturis loquitur, meritò dictioni *exiſtentia* appoſuit *ſubſtantiales*.

Quid vniones.

Vniones autem dicuntur, non quòd ſimul aceruatim quid vnum efficiant, ſed quòd Deus eſſet fons illorum atque principium, & ex ipſo producta ſint ea quæ ſubſiſtunt ſecundùm ſubſiſtentiam, ita vt etiam ad diſtinctiones ſuppoſitorum appareant. *Identitates* autem ſunt virtutes adductrices & vnitrices rerum intelligibilium ad Deum, vti & ſimilitudines, quando quidem & ex ipſo ſint eique inhæreant. *Diuerſitates* verò ſunt quaſi partita quædam multiplicatio diuinæ voluntatis ad inferiora & viſibilia procedentis. *Diſſimilitudines* verò, quoniam id quod creatur ſecundùm omnia diuerſum eſt à creatore, nec vllo modo ſimile. *Communiones* verò ſunt contrariorum elementorum temperationes, omnia enim corpora ex quatuor conſtant elementis. *Cohærentia* autem ſunt mundorum cùm viſibilis tum intelligibilis ſubordinatæ conſtitutiones, ex vnâ ſubſtantiâ materiæ in ſolidis corporibus multiplicatæ, atque inſtar catenæ ſibi mutuò connexæ, ex quibus cogitationes cæteráque exiſtunt. *Impermixtiones* verò ſunt rerum vnitarum, ſicut in humani generis communitate & cuiuſque hominis proprietate: communi enim eſſentiæ ratione omnes vniti ſumus, vniuſcuiuſque verò proprietate minimè commiſcemur.

Quid identitates. Quid diuerſitates, &c.

Quotuplex ſit ſtatus ac motus mētium.

Statvs omnes.] Dicit tres eſſe ſtatus ac motus, quos etiam recenſet, mentium, & animarum, & corporum. Hæc vtique commodè intelligenda ſunt. Mentes quidem ſtant & mouentur, quemadmodum Iſaias & Ezechiel de Seraphim ac Cherubim teſtantur, quoniam aſcendunt & deſcendunt, vti Moyſes ait: nam quòd indeſinenter verſentur circa Deum, atque ſuâ in ipſum intentione firmentur, etſi delegentur atque deſcendant ad inferiora, vt ope indigentibus prouideant, hoc ipſum eſt firmiter in Dei viciniâ ſtare, & ad benefica miniſteria moueri. Quin etiam mouentur, quando conſiderant ſuperiora, ſtantque, dum ab inferioribus intelliguntur, tanquam intellectiles manentes in propriâ identitate: nam ſunt cuſtodiæ ſuæ ac manſiones, atque in ſeipſis habitant, & ad ſe conuertuntur, neque diſtrahuntur ad ea quæ à Dei cultu aliena ſunt. Cùm itaque inferiora omnia conuertantur ad ſuperiora, motus autem mentium & animarum orbiculares ſint ac circulares, vti quoque teſtatur Ezechiel; quoniam à ſeipſis progrediuntur & in ſe reuertuntur, abſque eo quòd à ſeipſis recedant. Et hæc quidem in incorporeis: in corporibus verò ſtatus ac motus intelligetur, dum materia quidem manet in ſubiecto, mouetur autem in mutationibus iſtis quæ ex ipſá fiunt in corporibus ſiue animatis ſiue inanimis.

§. 8.

Circvlariter qvidem.] Nota, quomodo cœleſtia moueantur circulariter, & rectà, & obliquè, & quomodo intelligatur.

Diuinæ mentes mouentur

vel circulariter, vel rectà, vel obliquè.

§. 9.

Quis ſit motus animarum.

Animi avtem motvs.] Cùm, vti quoque ſuprà notauimus, intelligentia ſint ea quæ intelligunt, intellectilia verò quæ intelliguntur, alimentum autem intelligentium ſunt intellectilia; meritò in animo intelligente facultates eius aſſignat, vtpote qui ſolummodò intelligat ſuperiora, ipſe autem à nullo intelligitur, omniúmque intellectilium poſtremus eſt. Porrò animæ facultates conducunt ad ſenſationes.

Obliqvè.] Hinc vides quanta ſit differentia animæ ab intellectilibus: hæc enim intellectualiter & vnitè, hoc eſt, per ſimplicem apprehenſionem intelligit ſuperiores diuinas illuſtrationes, quæ pro illorum captu reuelantur; anima verò per ratiocinationem ac euagationem, id eſt, ad particularia diſtracta, ex communicatione diſcens intelligit. Mens enim, cùm ad ratiocinandum deſcendit, quodammodò diuiditur, & pluribus exemplaribus ſeu ſpeciebus indiget, dum ratio modum inquirit, vt exprimat quod intellexit. Itaque anima commixtim & tranſcurſim operatur, etiam quando intellectualiter intelligit, ſiquidem hoc animæ proprium eſt: etiam

quando

quando extra se ad sublimiora manuducitur; ex alienis enim ascendit.

Animæ rationales mouentur

aut circulariter, aut obliquè, aut rectà.

§. 10. Quis sit motus sensiliũ.

HORVM IGITVR, VTI ET SENSILIVM.] Considera, vt etiam dicat sensilium tres esse motus, scilicet circularem, & obliquum, & rectum. Ex iis autem quæ de animâ dicta sunt, adducimur, vt intelligamus circularem quidem illum, quando sensilia secundùm proprias suas facultates ac qualitates operantur, vt cùm ignis calefacit, aqua refrigerat, & cætera similiter. Obliquum autem illum, quando fit per transmutationem, vt piscium & auium ex aquâ, & virgæ Moysis in serpentem, & similium. Rectum denique, quando rursum ad propria principia reuertuntur, v.g. cùm post dissolutionem eorum quæ facta fuerant, in elementa denuò resoluuntur.

AC MOTVM.] Motum crediderit quis esse sensilium alterationem & corruptionem: cùm enim status significet horum generationem, manifestum fit, motum declarare contrarium. Obserua igitur, ea quæ alterantur ac corrumpuntur, & ex ipso & per ipsum & ad ipsum respicere.

PROPTER QVOD OMNIS STATVS.] Propter quod, nempe bonum ac pulchrum.

Ex bono est omnis vnitas & multitudo.

OMNE VNVM ET MVLTITVDO.] Quomodo intelligetur illud, Omne vnum & multitudo? Suppone, mundum vniuersum magnam esse arborem, quæ in suis partibus animatis, velut stipibus & caudicibus, & in partium partibus, veluti ramis, surculis & foliis, aliquo modo viuat: nam si horum quodlibet quasi animal in se perfectum accipias, quod in toto vnionem & ordinem seruet iuxta quem arbor ipsa secundùm se & cum partibus suis viuat, pariter quoque viuunt, intelligentia quidem intellectualiter ac rationaliter, bruta verò sensiliter, inanima verò spiritúque carentia vegetanter & habitualiter. Et cùm per se, vt dixi, vnumquodque viuens viuat, & cùm toto partes moueantur, cognosces etiam simul omnium partium in vno toto compagem atque coniunctum, qui, vti diximus, etiam in multitudine pro cuiusque viuentis vtilitate atque proprietate existat. Et rursus, cùm omnia sint ex vno ac solo Deo, meritò etiam propter colligationem atque congruentiam quid vnum appellantur, nec non multa, propter speciem multiplicem singulorum.

DEFINITIONES.] Definitiones sunt sermones qui singularum rerum naturam explicant, atque genus & differentiam & speciem declarant.

Ex Deo est omnis causa.

PRINCIPIVM EXEMPLARE.] Exemplaris causa, siue principium, est id secundùm quod aliquid fit: hoc autem est idea, quæ intellectio per se perfecta, æterna, æterni Dei; vel exemplar æternum, quod inest naturæ, secundùm quod omnia fiunt: ideæ enim & exemplaria sunt incorporea. Finalis autem causa, seu principium, est, cuius gratiâ aliquid perficitur; vel, finalis causa est, quæ ab effectu separari nequit, aut ex quâ existente aliquid fit, vt vniuersorum materia; Deus autem hanc etiam produxit. Causa verò efficiens est, quæ ab effectu separata est, vt Deus, & omnis à quo aliquid fit.

Quomodo priuationes sint in Deo.

ET OMNIA QVÆ NON SVNT.] Quomodo quæ non sunt sint in bono, sic intellige. Quoniam priuationes in ipso sunt supra substantiam: neque enim priuationem dixerim esse substantiam, vt quòd sit sine principio, incorruptibilis, Immortalis, & quæ sunt eiusmodi; neque enim ita Deus, cùm hisce prior sit: quoniam ex ipso cognitum quid hæc sint. Imò ne quidem quid Deus sit noscimus, vel quomodo ineffabilis & incomprehensibilis existat: non enim hæc sunt eius principium, sed ex ipso. Ipse igitur etiam ipsius nihili est auctor, cùm sint omnia ipso posteriora secundùm causam existendi & non existendi: nam ipsum nihil, est priuatio; habet enim suum esse, hoc ipso quòd nihil sit eorum quæ sunt: & non existendo est, eo quòd suo modo sit, & supraquam sit, & omnia sit tanquam creator, & nihil sit tanquam transcendens, quin imò etiam supraquam transcendens, & supra substantiam existens. Lege etiam in priori paginâ meam de non ente annotationem.

ET INFERIORA SVPERIORA.] Superiùs etiam capite primo quid simile annotaui, nempe inferiora semper ad superiora conuerti, vt quæ ab ipsis contineantur ac conseruentur. Et quæ sunt eiusdem ordinis, sui similia, cum iis communicando, & simpliciter omnia se mutuò & seipsa amant, & Deus amat omnia, vt omnia bona reddat.

Bonus amor haudquaquã sterilis est.

IPSE ENIM BONITER.] Mirificè dicit, quòd bonus amor, qui ante omnia in bono existit, non remansit sine fœtu, sed potiùs bonum amorem nobis peperit, per quem pulchrum & bonum expetimus: diuinum enim Numen & operatur, & generat, iuxta illud Scripturæ, *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Obserua hinc diuinum motum: amor enim bonorum effector mouit Deum ad prouidendum nobis, & vt nos constitueret; vt cùm moueretur produceret, & non remaneret expers fœtûs. Ex hoc intelliges etiam illud, Monade quidem motâ, & quæ deinceps à Gregorio Theologo dicta sunt in Oratione primâ de Filio.

Ioan. 5. 17.

GENERANDI EXCELLENTIAM.] Id est, creaturam produxit, vt circa ipsam amabilem suum motum declararet.

§. 11.

NEQVE VERO NOS QVISQVAM PVTET.] Nota, dissentanea nomina non esse vsurpanda, nisi in diuinâ Scripturâ reperiantur, prout etiam modò de amore dicit: nec tam ipsas dictiones quàm earum institutionis scopum attendendum esse; diuinè enim has ipsas explicat.

PER ALIA ÆQVIVALENTIA.] Quoniam non prohibemur, quò minùs aliquas dictiones per æquiualentes efferamus.

Quid in verbis spectandum sit.

OPORTET SCIRE.] Considera hanc lectionem, cur nempe syllabis & dictionibus vtamur. Sensus autem hic est, q. d. Quando sermonem mouemus de re humanâ quapiam, tum dictionibus & scripturis & verbis opus habemus, ad id quod dicitur declarandum. Si autem anima à semetipsâ ad intellectilia mouetur in rectis operationibus, tum superfluï sunt sensus vnà cum sensilibus, nam sublimia imaginatur. Quando verò deiformis facta fuerit, sensim proficiens per eleuationes, atque per ignotam vnionem intellectiones suas habuerit in lumine inaccesso, tum etiam superfluæ sunt intelligibiles operationes, non secùs ac sensus; quia nimirum anima hisce sublimiora meditatur, cùm deinceps Deo coniungitur. Quando autem terrestria imaginatur, & circa rem sensilem quampiam moueri satagit, tunc sermones clariores, & quæ in rebus visibilibus maximè perspicua sunt, seligere oportet.

SICVT ETIAM INTELLIGENDI FACVLTATES.] Obserua, aliud esse mentem, & aliud animam. Intelligendi facultates hic vocat intellectiones istas quæ inferiores sunt, mentémque distrahunt. Quando igitur anima voluerit ad Deum aspirare, & pro viribus ipsi vniri, oculum quidem suum, id est, mentem, debet à particularibus auertere, & ad vniuersaliora transmittere. Portò particularia, vti diximus, intellectiones: tunc enim mens tota facta, & introrsum versa, denique ad vnitatem simplicitatemque redacta, in diuinos istos radios intendere poterit, per laudabilem scilicet ignorationem, non verò istam quæ ex inscitiâ nascitur, sed quæ agnoscit se incomprehensibilia Dei minimè capere. Cognoscet autem diuinis fluens coruscationibus non per oculos sensiles (neque enim istis apprehenditur) sed excocolatis mentis constitutionibus.

PERSPICACISSIMÆ SENSVVM.] Explicat quæ sint perspicacissimæ sensuum traiectiones, atque, illas esse apertissimos sermones, & clarissimas visiones.

RECTI POTERVNT.] Nempe sensus.

§. 12.

ATQVI VISVM EST QVIBVSDAM.] Quòd etiam dilectio amorem designet, & nomen amoris sit quid diuinius.

AVDIANT.] Nota etiam, tum fuisse aliquos qui nomina carpebant, quos ex diuinâ Scripturâ refutat.

DIVVS

DIVVS IGNATIVS.] Etiam ex hoc nonnulli putant, se se opportunè librum hunc refellere, ac si non esset D. Dionysij, quia dicunt, Ignatium esse ipso posteriorem, quomodo autem possit quis meminisse posteriorum? Verùm hoc totum fictum est, quantumuis id ipsis videatur: nam S. Paulus, qui Dionysium baptizauit, tempore posterior fuit sancto Petro, post quem Ignatius fit Episcopus Antiochiæ, Petro Romam profecto; sanctus verò Paulus multo tempore superuixit, qui Dionysium baptizauit, & Dionysius post ipsum vixit. Porro Ioannes Euangelista sub Domitiano exulat in Patmo, cui Dionysius rescribit; Ignatius autem ante Domitianum patitur, ita vt Dionysio sit antiquior.

AMOR MEVS.] Quærendum, quomodo, Ignatio cum Onesimo, Timothei postero, disputante, & ad Romanos scribente, *Amor meus crucifixus est*, Dionysius modò Timotheo scribens huius meminerit, ac si Ignatius anteà scripsisset, & non potiùs olim ab aliquo litterato extrinsecos appositum, ad perfectiorem eorum, quæ de diuino amore à S. Dionysio dicta sunt, confirmationem, posteà per ignorantiam textui insertum sit, quod in multis sæpè accidisse nouimus; siquidem sine hac parte etiam corpus orationis integrum constituitur. Vel fortè illud erat dictum illi familiare, sicut etiam vox *deifer* frequenter ab ipso dicta scriptáque. Cuius rei argumentum est, quòd non habeatur hic, *scribit verò quibusdam*, id est, *Romanis*, sed simpliciter, *scribit verò diuus Ignatius*.

IN PRÆVIIS INTRODVCTIONIBVS.] Sciendum, quòd præuias introductiones diuinæ Scripturæ vocet libros Salomonis, ex quo ista desumpta sunt.

DIVINIS POTIVS.] Cur diuinis potiùs attribuant Theologi verum amorem.

VVLGVS.] Nota, pro captu vulgi etiam dictionibus vtendum esse. Dicit autem quid amor efficiat, agitque de duobus amoribus, nempe diuino & diuisibili seu corporeo.

DVBIVS.] Nempe vt obnoxium cauillationi.

CECIDIT AIT QVIDAM.] Ait hoc Dauid de Ionathâ lib. 1. Regum.

PONITVR A SACRIS.] Quia dilectio & amor æquiualent; & quæ sit amoris efficacia.

CONTEMPERANTIS.] Id est, sibi mutuò commiscentis ea quæ amant.

PROPTER PVLCHRVM.] Quod etiam superiùs dixit: quoniam diuinus amor præexistens in bono peperit in nobis amorem, quo bonum appetimus.

§. 13. Psal. 115. 11.

ECSTATICVS.] De excessu amoris etiam Dauid ait, *Ego dixi in excessu meo.*

QVI EXCESSIT.] Nota quomodo intelligatur illud, *Qui excessit Deo.*

AVDENDVM.] Quoniam etiam Deus amat vniuersa.

HANC OB CAVSAM ETIAM ZELOTEM ILLVM.] Quo sensu Deus dicatur zelotes, tanquam amator salutis omnium.

§. 14.

QVID PORRO TANDEM.] Dilectionis quidem & amoris ipsum, nempe Deum, auctorem ac genitorem ait: ipse enim ista, quæ in ipso erant, foras produxit, scilicet creaturas, atque hac ratione dicitur, *Deus charitas est:* & in Cantico similiter charitas, seu dilectio, appellatur; item dulcedo & desiderium, quod est amor; ipse autem est id quod verè diligibile & amabile existit. Quatenus ergo diligibilis, amor ex ipso promanat, ipse huius genitor moueri perhibetur; quatenus autem est id quod verè amabile & diligibile existit, mouet ea quæ ad ipsum respiciunt, & quibus pro captu suo inest vis appetendi.

1. Ioan. 4. 16.

AMABILEM ET DILECTVM.] Considera, Deum habere vim adducendi ac mouendi ad amatoriam in spiritu coniunctionem, id est, ipsummet mediatorem ac conciliatorem esse amoris, quo à suis creaturis adamatur. Dicit autem habere vim mouendi, vt qui singula moueat secundùm propriam rationem, vt ad ipsum conuertantur. Porrò nomen illud productionis [seu prostitutionis] etsi apud prosanos rem impuram significet, attamen hîc dicit intercessionẽ istam, quæ cum Deo cõciliat vnionem.

ET ZELO QVIDEM MOVETVR.] Obserua hîc diuinam motionem, quâ mouetur, & sui est promotor ac motor Deus.

Amor eximius & circularis.

ET EXIMIÆ.] Vnio charitatis cum Deo excedit ac superat omnem vnionem: eximiam itaque vocat sublimiorem. Porrò dicit, hunc amorem diuinum principio fineque carere, vtpote ex bono prodeuntem, & ad bonum se conuertentem secundùm figuram circularem; quemadmodum neque linea circuli cognosci potest vnde inceperit, vel vbi desierit. Etenim ex ipso boni desiderium, & ad ipsum iterùm tendit. In ipso verò est & manet amor connaturalis bonitatis, & eorum quæ ad bonum tendunt.

AMATORIAM MOTIONEM.] Quoniam amatoria motio boni præexistens in bono, cùm simplex ac per se mobilis existat, & ex bono promanet, rursum ad illud reuertitur principio fineque carens, quod nostrum erga Deum desiderium declarat. Nota verò, ipsum deinceps dicere, perpetuum esse circulum in bono, dum nempe ad intellectilia sensiliáque procedit, atque iterùm ad se reuertitur, & neque stat neque cessat.

§. 15.

AMOREM.] Obserua, quàm præclarè magnus Hierotheus de laudabili amore disserat, primùm quidem diuinum ipsum asserens; quoniam Deus ipse primus auctor est amoris, idque per excellentiam, & sine causâ. Si enim amor ipse charitas est, vti prædictum, scriptum sit autem, *Quoniam Deus charitas est*; manifestum est, Deum esse omnium amorem seu charitatem vnificantem, siquidem Deus charitas existit. Isthinc igitur per transgressionem progreditur ad Angelos, vnde ipsum quoque Angelicum dicit, vbi maximè quis reperiat diuinum illum amorem vnitatis: nihil enim apud ipsos dissonum aut seditiosum. Deinde post Angelos, intelligentem quoque amorem commemorat, id est, qui inest viris diuinis Ecclesiæ, ad quos Paulus ait, vt idem dicant, &c. & Dominus: *Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* Et hæc quidem de veris Christianis; posteà verò etiam de aliis hominibus, in quibus lex amicitiæ locum habet. Animas autem rationales anteà vocauit, ipsas sic ex diuinâ mente appellans. Animalem verò amorem nuncupauit brutorum illam sensilem, vtpote amentem amicitiam: nam ex hac amatoriâ virtute & volucres gregatim volant, vt cygni, & anseres, & grues, & corui, & quæ sunt similia; ac terrestria quidem, cuiusmodi sunt cerui, boues, & similia; & natatilia, vt thynni, & mugiles, & quæ sunt eiusmodi: quæ verò non sunt gregalia, hinc etiam ad parium societatem incitantur. Porrò amorem naturalem vocat illum rerum animatarum sensúque carentium, quo habituali quadam aptitudine seu qualitate creatorem suum amant, propterea quòd ab ipso producta sint: nam secundùm vitalem ac naturalem suum motum etiam ipsamet ad Deum conuertuntur.

1. Ioan. 4. 8.

Ioan. 17. 22.

§. 16.

QVONIAM EX VNO.] Diximus etiam superiùs, intelligentia esse illa quæ intelligunt; intellectilia verò ista quæ intelliguntur, & intelligentia ab intellectilibus absque controuersiâ superari: vnde etiam illa quæ intelliguntur; cibus sunt intelligentium. Itaque intelligentia amant intellectilia, tanquam ad ipsa conuersa, & quasi transcendentia; intellectilia verò etiam amant intelligentia, sed prouisiuè illis vtilia communicando: in confesso igitur est, amores istiusmodi superare sensitiuos. Cæterùm hæc intelligibilia & intelligentia dici puto, quòd ex participatione veri boni talia facta sint: ipsi autem amores per se intellectiles diuini sunt, id est ipsius Dei. Sicut enim aliud est bonum quod alicui bonum est, & aliud est bonum simpliciter; sic etiam aliud est intelligibile alicui, vt quod ab illo intelligitur, & aliud, quod simpliciter est intelligibile, non vt tempus aut locus (hæc enim etiam intelligibilia sunt, cùm non sint sensibilia) sed quòd sit intellectus intelligibilium, & operatio, & viuens, & vita. Quæ enim deinceps intelligibilia sunt, id vel ex inquisitione & sequelâ propositionum inueniunt, vel ex reuelatione habent.

INCOMPREHENSA ILLA CAVSA.] Incomprehensam intelligit absolutam, cuius cum vniuerso nulla sit connexio seu proprietas naturalis.

A

§. 17

Quomodo Deus totalis & partialis amor ſit.

OMNIVM TOTALIS AMOR.] Cùm dixit totalem amorem, declarat quoque particulares, dicendo Deum eſſe totalem, & particularem, vt cauſam, & omnibus pro cuiuſque captu præbentem amatorium veluti humorem. Quomodo igitur Deus totum & pars ſine egreſſu ſibi præſens eſſe poſſit, ex ſeminandi ratione patet. Quando enim ſemen abſque interruptione ſimul in matricem deciderit, quidam embryo formatur; ſi verò ſemen in varias matricis cellulas diuidatur, quælibet pars integrum format embryonem. Erit autem ſeminis pars vna naſus, altera oculus, & ſic deinceps, omniáque perfecta. Simile quidpiam conſiderandum etiam per proportionem de mente illâ perfectiſſimâ: nam tota efficacia complectitur etiam partes. Quælibet autem pars perfecta eſt, atque alia quidem eſt ipſa iuſtitia, alia verò ipſa fortitudo, &c. ſic etiam neque inter ſe confunduntur, ſed quælibet diſtincta eſt, neque cum inordinatione habent indiſtinctionem, cùm ſingulæ ipſarum participent quantum poſſunt: ſingulæ namque ſpecies participant iuxta propriam capacitatem; ſic etiam Deus cùm totalis tum partialis amor eſt.

B

§. 18.

Quomodo etiam id quod non eſt bonum appetat.

DESIDERAT ENIM ILLVD.] Quoniam dixerat, illud etiam quod non eſt, aliquo modo bonum appetere, & in ipſo eſſe velle, quod ſuprà quoque paucas ante paginas ipſum dixiſſe reperies, quamuis etiam ex Gentilium doctrinis declaretur. Quare cùm aduerſus Gentiles & Manichæos, peruerſi dogmatis patronos, potiſſimùm id militet, fuſiùs explicandum eſt, quid dicatur non ens, & cur pium ac neceſſarium ſit, vnicum rerum principium adſtruere, ſanum enim eſt ita ſentire. Nam id ipſum eſt Deus: quoniam ſi diuerſa ſint principia, vtique erunt multitudine infinita. Si igitur principium vnicum Deus, ita, quod verè eſt, etiam ipſum bonum eſt. Ratio autem quædam inueniet quæ neceſſariò dictis contraria ſint: vbi enim principium, erit quoque neceſſariò extremum; & ſi ſit ens, erit quoque non ens; & ſi ſit bonum, erit quoque malum. Sed quoniam entia ſunt eſſentiæ & formæ, non ens informe eſſet, & eſſentiâ careret, cùm ſolâ ratione concipiatur. Veteres itaque illud non ens, non ſolùm informem materiam, verùm etiam extremam turpitudinem appellabant. Materia autem dicitur non ens, non quòd omnino nihil ſit, ſed quòd non exiſtat: verum enim ens & bonum Deus eſt, à quo etiam materia ex non entibus producta fuit, ſed non, vt aliqui opinati ſunt, ſine formâ & figurâ; ideóque materia non eſt principium ſenſilium, ſed potiùs eorum complementum & extremum quid ac fundamentum entium: quare neque Dei imago eſt, vt rationalia, neque veri entis ſimulacrum. Et quod ſenſibile eſt, cùm ſit intelligibilis mundi ſimulacrum verè ſenſu perceptum, non ſine materiâ eſt; ſed, cùm quid præſtantius ſit materiâ, formam quoquo modo participat. Nunquam igitur oſtendetur materia ſine formâ & qualitatibus. Quando enim fuit ignis ſine calore aut lumine, ac ſplendido colore, vel aqua ſine frigore & humiditate, & cæruleo colore, & ſimiliter terra & aër? idcircò etiam dixi, materiam ab intellectu concipi vt formâ, qualitate, ac figurâ deſtitutam. Quando enim viſibilia & inuiſibilia de non entibus fiebant, nequaquam à Deo producebantur ex informi quapiam materiâ præexiſtente, quæ deinceps exornata ſit, vti diuinus ille Moyſes docet. Itaque materia in Deo eſt, cùm ab ipſo producta ſit; in ipſo autem vt bono, quod cuncta complectitur, ſupra ſubſtantiam intelligitur. Hæc ſparſim in iis quæ dicenda ſunt inuenies.

C

Quomodo materia ſit non ens.

D

QVOMODO TVRBA DÆMONVM.] Deinde diſcutit quæſtiones dicendo, ſi omnia ex bono, vnde mala, & vnde Angeli facti dæmones? Hæc omnia contra Manichæos.

BONI FORMA CARET.] Pulchrè & accuratè poſuit in Angelis formam boni. Cùm enim Deus eſſentialiter ipſum bonum exiſtat; illa verò, quæ poſt ipſum ſunt, tanquam ex participatione & extrinſecus eius deſiderio bona facta ſunt, meritò boniformia dicuntur, & non reapſe bona.

Vnde exiſtat malum.

ET QVOMODO BONVS.] Obſerua, quomodo has propoſitiones per modum quæſtionis introducat, cùm contineant obiectiones aduerſariorum, velut Manichæorum, ſimul tamen indicans diuini huius viri ſcopum eſſe rectum. Ait enim, ex quo principio productum ſit malum, & vtrùm ex aliâ cauſâ, & quæcunque obiiciant aduerſarij; deinde, quomodo bonus ipſum malum producere voluerit, quomodo etiam extante prouidentiâ ſit malum: ex his demonſtrans, ſi malum omnino productum fuerit, ex bono fuiſſe, atque ſolam prouidentiam vniuerſa gubernare, ita vt hinc ſequatur, vnum bonum eſſe rerum principium. Hæc autem in propoſitionibus iſtis diuinus vir examinauit: quæ & progrediens liquidò reſoluit, demonſtrando malum neque exiſtentiam habere, neque in rerum naturâ cenſeri, ſed, cùm boni priuatione fiat, neque exiſtere, neque tanquam non ens concipi: atque hoc inſinuare illud quod in Pſalmo trigeſimo ſexto dicitur: *Vidi impium ſuperexaltatum ſicut cedros Libani, & tranſiui, & ecce non erat, & quæſiui eum*, id eſt locum eius, *& non eſt inuentus*, hoc enim declarat, malum, etſi valdè extollatur, tamen non eſſe, neque locum ſuum, id eſt veſtigium, relicturum: ſimul enim vt apparuit diſſolutum eſt, cùm non habeat ſubſiſtentiam. Noli itaque putare, ipſum dicere aliquid contrarium.

E

Pſal 36. 35. & 36.

F

§. 19.

MALVM NON EST EX BONO.] Nota, quàm mirificè ex variis argumentis nectat ſolutionem.

RERVM SCOPVS.] Etenim & ille qui iraſcitur, vel excandeſcit (videtur autem exempli loco adferri) ſi ille, cui iraſcitur, malum quodpiam admittat, dum eum in contrarium, hoc eſt ad bonum, reducere ſtudet, iſtiuſmodi motione vtitur.

Vnde malum ſit fuſiùs inquiritur.

ET SI RES OMNES.] Superiùs dicebamus, ſi Deus tanquam principio carens, & omnium cauſa ſupra ſubſtantiam eſſe dicitur, eius oppoſitum, v. g. extremum entium, & eſſentiæ carentia, id eſt materia, vt ſuperſubſtantialis Dei, etiam non ens appellatur, & in Deo dicitur per bonitatem eius facta; etſi, propter mixtionem cum ſenſilibus, neque quid omninò malum nec omnino bonum ſit, vti inſtabilitas iſta declarat: malum enim habet in inſtabilitate, boni verò particulam, quòd & à Deo producta ſit, atque in Deo ſit. Quod autem per ſe malum eſt (non dico malitia, quæ quaſi forma quædam ac qualitas naturæ rationali adeſt, & abeſt, ſed ipſum ſimpliciter malum) neque in rebus quoquo modo bonum appetentibus exiſtit, neque in non entibus, id eſt in materialibus, quatenus in eo, qui ſupra ſubſtantiam eſt, intelliguntur. Quin etiam non ente, id eſt materiâ, magis à bono diſtat malum, atque adeò etiam ex hac parte magis caret eſſentiâ quàm materia, eò quòd omnino non ſit. Illud igitur, quod ſimpliciter per ſe malum eſt, nequaquam eſt, malum autem materiæ eſt per defectum bonitatis, in quantum & inſenſibilis & informis conſpicitur: vnde etiam intelliges illud dictum Abdiæ Prophetæ, *Et erunt quaſi non ſint*, agit enim de peccatoribus.

G

Abd. 16.

H

VNDE IGITVR EST MALVM?] Proponens hîc obiectionem, fuſè deducit oppugnationem tanquam probabili nixam argumento. Niſi enim conceſſerimus aliquid eſſe bono contrarium, ſcilicet malum, non apparebit bonum virtus, ſed promiſcuè omnia erunt indiſtincta, quoniam neque virtus laude neque contrarium vituperio afficietur: ſicut ſi non ſit lex, neque peccatum erit. Nunc autem obiiciens ait: Si non dederimus malum eſſe bono contrarium, bonum erit ſibi ipſi contrarium in iis qui defectu boni peccant; imò ante operationem virtutis viri virtute præditi, aduertimus in animâ ipſius à virtute peccata diſtingui. Quando enim pars animæ rationalis propria operatur, à nullo bonum impeditur; quando verò irrationalis animæ portio, quæ cum materiâ corporéque miſcetur, præualuerit, tum pars rationalis officio ſuo fungi prohibetur. Quare pars irrationalis ex materiæ mixtione inficitur, rationalis verò non quidem ex materiæ commixtione, ſed ad eandem propenſione vitiatur, irrationali nempe parti cedendo, neque ipſam cohibendo; non ſecùs atque oculus, dum tenebræ exi-

ſtunt,

ſtunt, prohibetur videre. Hoc itaque non demonſtrat, an exiſtat id quod per ſe malum eſt: non enim id quod alicui malum eſt, iam per ſe malum eſt. Sed eſt malitia etiam, quæ quædam ſpecies mali ſit, & accidens: fit enim acceſſionibus, vt tale quid vel tale conſtituatur, v. g. inquitas quidem animæ eſt malitia. Et rurſum, iniquitatis ſpecies ſunt iuxta materiam quæ appetitur: alia enim circa pecunias, altera verò circa honores accidit. Quin & malorum ſpecies ſecundùm acceſſiones fiunt, & ab animæ partibus exiſtunt: metus quidem & audacia ab iracibili, intemperantia autem & ſtoliditas à concupiſcibili. Imò etiam ab operationibus malorum ſpecies exſiſtunt: metus enim veluti defectus eſt animoſitatis in aggrediendo, audacia verò exceſſus animoſitatis in aggrediendo, intemperantia autem in patiendo. Perſpicuum itaque eſt, quomodo in animâ, etiam ante operationes, tam in rationali quàm in irrationali animæ parte à virtutibus peccata diſtinguantur. Quæ autem ad irrationalem partem ſpectant, aliam legem nobis exhibent, quæ menti aduerſatur, vti docet Apoſtolus; & niſi compeſcatur, captiuat rationem, quemadmodum demonſtrauimus.

Rom. 7. 23.

A RATIONE.] Pro, à rationali animæ portione.

ET SI CORRVPTIO SIT RERVM.] Pro, ſi in rebus corruptio cernatur, ſiue, ſi res aliquæ ſint obnoxiæ corruptioni; ex hoc vtique oſtenditur quòd ſit malum, nam hoc ſignificat illud, *Non exterminat.*

AN NON FREQVENTER.] Hæc adhuc ad obiectionem ſpectant, quomodo nimirum potiùs in rebus ſit, & exiſtat malum. Etſi enim malum ſit quædam rerum corruptio, non tamen eſt ipſa corruptio; nam aliud quid eſt, quando confert ad generationem: ſic ouum quidem corrumpitur, ſed in auem transformatur; & faba, quæ ſubigitur, & in terrâ occulitur, dum in ſpeciem embryonis efformatur; & corpora noſtra in vermes, vti & alia animalia, & infinita ſimilia: ſic ex equis veſpæ, de tauris apes generantur.

ET ERIT MALVM.] Solutio propoſitarum obiectionum. Si corruptio ſit malum, corruptio autem & malum corrumpant, quomodo erit ipſum malum, quod ſeipſum perimit? Nam ſi malum ſit in materiâ, manifeſtum ſit, hoc eſſe magis corruptibile; atqui eſt materia, adeóque ſeipſum perimit: quoniam idcircò etiam materia dicitur expers eſſentiæ, tanquam quæ ipſa in ſe ſit corruptibilis, neque ſemper exiſtat; quin & informis dicitur, vt Dei formæ opponatur, quemadmodum Moyſes creatorem vocauit Verbum. Denique materia dicitur non ens, vt opponatur diuinæ ſecundùm eſſentiam exiſtentiæ.

§. 20.

QVA MALVM.] Illud *quà malum*, idem eſt quod *quatenus malum.*

QVIN IMO.] Nota, vt etiam in diuinis ſermonibus licita ſit exactior traditio, quæ ratiocinatione comparatur. Ecce enim, vti vides, poſt prioris ſententiæ expoſitionem certiora tradit ratiocinando.

In quibus ſint bona ſimplicia, in quibus mixta.

ET SIMPLICIA ET PERFECTA.] Simplicia quidem bona & omnino perfecta ſupermundialibus iſtis ſpiritibus, vtpote incorporeis, ex bono inſeruntur, mixta verò bona in rationalium corporibus cernuntur, id eſt in nobis; dum pars quidem animæ rationis expers per corpus efformatum, iuxta quod dictum eſt, materiæ ſit particeps, pars autem rationalis vergit ad id quod alienum eſt à ratione, & quandoque illi indulget, adeóque in materiam propendet. Cæterùm ipſum per ſe malum concipiendum eſt per ſe interminatum, per ſe immenſum, per ſe informe, per ſe eſſentialiter malum, non autem per alterum malum, hoc enim forma eſt, & accidens malitiæ. Ergo malum oportet quid iſtiuſmodi eſſe, vti dixi; quemadmodum Deus omnium per ſe finis, per ſe menſura, per ſe formam tribuens, & per ſe bonum eſſentiale eſt. Non loquor modò de bono per aliud, hoc enim accidens eſt. Quomodo igitur erit eſſentiale malum, & per aliud, cùm omnia quæ ſunt mixtim inficiantur, & in bono exiſtant, quoniam nullum bonum eſt protſus incommunicabile? Itaque malum non apparet in aliquâ exiſtentiâ, ſed in irreptione, in boni priuatione.

AD EXTREMAS VSQVE PORTENDITVR.] Per extremum intelligenda ſunt materialia, corporea, & terreſtria. Quemadmodum enim Deus rerum omnium principium exſiſtit, vti antè diximus; ita poſtremum omnium eſt feculenta hæc & craſſa materiæ pars atque terreſtris, quæ idcircò, tanquam quid extremum, Dei ſcabellum nuncupatur, attamen ipſius quoque bonitatis particeps exiſtit, quod ipſum poſtremo loco geſtet: ait enim Sapientia, *Terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem*, quòd nimirum pars animæ rationis expers, cum materiali corpore commixta rationali, nonnunquam parti animæ dominetur.

Iſa. 66. 1.

Sap. 9. 15.

ADEST BONVM.] Quantò enim res creatæ magis craſſum magiſque materiale quid ſubeunt, tantò minùs ſecundùm priuationem & defectum boni participes exiſtunt, vt fit in obſcuro & extremo cuiuſpiam vocis ſibilo. Sicut enim diximus, ſuppone aliquem altè vociferati, ac vicinos quidem audituque valentes totam vocem excipere, & id quod dictum eſt intelligere; remotos autem pro ratâ diſtantiæ portione; remotiſſimos verò obſcuriſſimè tanquam ſibilum quendam vltimum vocis quodammodò percipere.

ET IPSAM SVI PRIVATIONEM.] Quod nimirum non penitus bono priuatum eſt, ſed ex parte, illud etiam id ipſum quod bono priuatum eſt, facit ſubſiſtere per hoc, quòd aliquid omnino boni participet: non enim partialis, ſed omnimodus boni defectus malum eſt.

ILLA ETIAM QVÆ ILLI CONTRARIA SVNT.] Obſerua quomodo dicat, ea quoque, quæ cum boni virtute pugnant, per ipſum ſubſiſtere ac conſeruari. Num igitur Deus auctor malorum eſt? Abſit. Deus enim, vt principium omnium & creator, ob bonitatis exceſſum & ineffabilem charitatem, peccatores quoque ſuſtinet, vt & clementiam ſuam & liberum arbitrium figmenti ſui declaret, dictum eſt enim, *Charitas omnia ſuſtinet*: & iterùm, *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper malos & innulos.*

1. Cor. 13. 7. Matth. 5. 45.

QVOD AVTEM OMNIMODE.] Propoſitum ipſi eſt demonſtrare, non eſſe ſubſtantiam id quod ſimpliciter per ſe malum eſt, atque, nihil in rebus ac creaturis omnino expers eſſe bonitatis: illa enim, quæ omnino boni ſunt expertia, tanquam quæ à bono minimè producta ſint, etiam non exiſtunt. Quis enim alius opifex ſit? Sed neque quidquam ſubſiſtere poteſt, quod habitum ſeu boni qualitatem per accidens non participet: multa ſiquidem, congenito ſibi habitu ſeu qualitate deſtituta, conſiſtunt, veluti ferrum ignitum, & ſummi caloris particeps, extincto calore manet id quod erat: & aqua ſecundùm ſe quidem dicitur eſſe elementum expers qualitatis, dum verò terram tranſit, inde qualificatur, & ſimul vt transfuſa eſt, vacat qualitate, & adhuc conſiſtit. Eodem modo niuoſa frigidáque, ceſſante frigore, adhuc conſiſtunt. Quin etiam res vitæ expertes, vt arbores, & lapides, & ſtellæ, & quæ mente carent, vt pecora, nihilominùs ſubſiſtunt. Quin & Deus, quod ſupra ſubſtantiam ſit, à ſubſtantiâ eximitur, attamen & eſt, & antè eſt. Non licet autem ſic de bono dicere: nam niſi qualitatem boni participet, non poteſt ſubſiſtere: *In ipſo enim viuimus, & ſumus*, vti ait Apoſtolus. Quid ergo? intemperánſne, dum intemperans eſt, bono priuatur? & tamen ſubſiſtit. Et ait quidem ipſum, ſecundùm quod intemperans eſt, vti bono priuatus eſt, ita neque ſit propriè. Quin nec res aliquas cupit: quid enim eſt ipſa per ſe intemperantia, ſine certa ſpecie intemperantiæ? Tamen quoniam ipſe cenſet bonum aliquod in falsâ opinione obtinere, atque in amicitiâ cum aliquo ſimul cum ipſo corruptio, etſi pernicioſa eſſe videatur amicitia, tamen eſt obſcurum quoddam diuini amoris veſtigium, & ſpecie boni imaginationem ferit. Neque enim ignorandum eſt, quòd cùm rationalis pars animæ ab irrationali ſuperatur, propria quidem munia obire impediatur, ita tamen tandem cum irrationali conſentit, vt neque impetus illius cohibeat, neque comprobet actiones. Nam falſæ opiniones non ſunt ſententiæ partis rationalis, neque falſæ intellectiones ſunt rationalis partis intellectiones: falſæ enim, non ſunt propriè intellectiones. Hinc

Nihil eſſe boni expers.

Act. 17. 28.

Malum ſub ſpecie boni placet.

etiam iracundus quandoque errantes erumpit, non tamen expers est boni, cùm iudicet, in eius qui punitur correctione iram adhibendam esse. Sic etiam obscœnus, dum voluptatem finem esse bonum opinatur. Ex hoc vtique, etiam qui Deum oppugnant, à bono permittuntur, quia absolutè sunt. Id enim quod non prorsus vacat bono, sed ex parte boni consistentiâ priuatum est, facit, vt aliquid absolutè boni particeps existat: neque enim partialis, sed omnimodus boni defectus est malus; quoniam non quod ex parte, sed quod penitus bono priuatum est, illud neque erat, neque est, neque erit, neque esse potest.

Neque quidquam concupiscit.] Quoniam intemperans, etsi secundùm quod intemperans est, neque sit, neque rem aliquam concupiscat, attamen ipsâ coniunctionis atque amicitiæ specie bonum aliquod obscurè participat.

Ad id quod boni speciem præ se fert.] Nota, quoniam is qui irâ abutitur, particeps esse boni dicitur, in quantum mouetur ad corrigenda illa quæ videntur mala. Sic & is qui deterrimam vitam expetit, boni particeps existit, in quantum cupit vitam optimam ipsi visam; & qui malum aggreditur, in quantum videtur bellè agere, boni fit particeps.

Malum est defectus.

Sicut etiam morbus.] Clarum est, morbum esse defectum sanitatis, & excessum quendam corporum materialium, qui neque modum neque ordinem seruet, sed per materiæ cuiusdam intemperiem, ea quæ rectum temperamentum constituunt, interturbando morbum generat. Eatenus ergo morbus est in corpore, quatenus aliquantulum ordo deficit, & corpus consistit. Nam si omnimodus esset mensuræ excessus, ipsum corpus, id est, materiatum ordinem, dissoluet, atque corpore dissoluto morbus etiam abolebitur, in quo morbus consistetat: ita etiam in bono, quatenus in nobis conseruatur, potestatem etiam habemus patrandi malum; absoluto enim bono, neque malum in nobis reperiri poterit.

Malum non esse substantiam.

Quod enim omnino expers est.] Manifestus D. Dionysij scopus est, refellere quorundam Gentilium opiniones de malo: ait enim, malum non est ens, quoniam ipsum malum absolutè nequit esse quid substantiale, nisi per omnimodum boni defectum totaliter eius expers esset. Hoc autem nusquam reperiri potest, ne quidem in ipsamet informi materiâ, quantumuis id quibusdam Gentilibus videatur: quod enim omnino productum est à Deo, quantumuis obscurè infimóque gradu, boni tamen particeps existit. Verùm hoc deinceps in decimo capite huius propositionis perfectè demonstrat. Si enim mixtum esset bono malum, id est, partim quidem non esset in aliquantulo defectu boni, partim verò esset, eò quòd omnino sit qui illud facit, quod non est malum: non enim in qualicunque defectu, sed in omnimodo defectu boni malum est. Quod itaque quid modicum deficit à bono, non est malum; nam potest etiam perfectum esse quantum ad naturam suam. Est enim aliquid respectu quidem boni defectuosum, respectu autem naturæ suæ perfectum; quod vtique bonum est, nequaquam verò malum. Atqui defectum participat respectu primi boni, hoc ipso autem non est expers boni, sed respectu eius quod magis accedit ad malum, aliquid boni obtinet, ex quo etiam substantiam accipit, & sui ipsius priuationem substantificat, dum totaliter de bono certat. Si enim purè & omnimodè fuerit absentia boni, manifestum est, quòd tunc non sit secundùm se totum bonum, neque mixtum bonum, neque per se malum: vbi enim non est bonum, ibi neque quidquam est in naturâ. Quomodo igitur erit malum, quod à nemine substantiam accepit? Aufer enim corpora & lucem, & non erit vmbra. Itaque malum simpliciter non subsistit, sed quasi adiacet; bonum autem etiam absque subiecto naturam suam obtinet, ac conseruatur, & per se bonum existit; malum autem non absque subiecto, quòd à bono conseruatur: omnia enim sine ipso neque sunt, neque videntur, neque corrumpuntur (quomodo enim id fiat, si nullum existet subiectum?) sed prorsus est expers existentiæ, neque vllibi vsquam est.

Et statum dat.] Id est ipsi malo statum tribuit. Nam si malum sit priuatio boni, bonum autem sui ipsius priuationi tribuat vt sit, vtique malo statum tribuit, quod est priuatio boni.

Omnino per sui communicationem.] Quoniam per partialem boni communicationem etiam priuatio eius statum accipit.

Quando aliis quidem malum est.] Hæ species sunt mali, vti prædiximus. Quod enim substantiale est, non est per se malum istud quod non est: nam aliquid malum esse, quod obscœnæ voluptati tanquam bono alicui adhæreat, id est non per se malum, sed quædam mali species. Quod enim prorsus malum, illud ne existit quidem: nam quod existit, saltem extremum quoddam boni vestigium participat. Obserua enim quid in progressu dicat: nam si omnia bonum participant, & in rebus omnibus sit bonum, malum certè vel non est, vel in bono est: neque enim natura ignis est refrigerare; quin nec ignis erit, si refrigerare cœperit. Ergo & malum, si quidem existat, vel tenuiter bonum participat: omnia enim quæ sunt, in bono sunt, & manent. Si verò nihil boni habet, neque etiam subsistit: ipsum enim subsistendi desiderium est ex participatione boni, vt superiùs sæpè dictum est.

Sal. 2 Tim. 2. 13.

Absurdum et impossibile.] Nota, in aliquibus etiam de Deo rectè dici, quod ea non possit, iuxta illud Apostoli, *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.*

Omnis enim dualitas.] Quoniam nulla dualitas principiat, vnitas autem omnis dualitatis principium existit. Nota hoc contra Manichæos.

Vnitatem est rerum principium.

Prorsus contraria.] Obserua hæc, quoniam valdè pugnant aduersus Manichæos, qui stultè docent esse duo principia contraria. Nam ars quidem numerandi, id quod in numeris diuisionem continet multitudinis, ad finem refert, cùm omnis numeri principium ponat vnitatem, numerorum verò parium dualitatem. Itaque principium in vnoquoque genere declarat illud quod simplicissimum existit. Quomodo igitur dualitas omnium principium erit? dualitas enim non est simplex principium, sed compositum: atqui non est quod simplex principium quod compositione constat. Et quomodo vocari possit principium? nam ante compositum huius principij propriè principium, existet id quod est vnum, ex quibus vnitatibus compositis dualitas perficitur. Ex omni ergo parte manifestum est, doctrinam istam de duobus principiis minimè subsistere.

Neque vero duo.] Quoniam impossibile est duo esse contraria principia contrariorum.

Neque vacuus molestia.] Haud incolumis.

Omnia participant bonum & pulchrum.

Propter quod etiam bona sunt amica.] Quoniam vniuersa bonum participant, & hoc ipso quòd sunt, ad bonum adducuntur: quod bonum cùm item pulchrum omnibus existat, vtique non erit primum illud pulchrum, cuius participatione omnia euadunt pulchra, dum per eam pulchro assimilantur, etsi quàm obscurissimè, vui isti bono ac pulchro, tanquam crescenti, & in pulchrorum natura relucenti, assimilentur; vnde etiam omnia pulchra valde. Natura denique pulchrorum, dum ad multitudinem promanat, iam etiam in compositis ostenditur, quæ vel maximè solent homines vocare pulchra, cùm malum multiplicitet componatur, multísque modis nominetur. Pulchrum autem, quod in rebus existit, neque est substantia, neque genus, sed accidens, quod similitudinem quandam habet parum cohærentem: neque enim secundùm vnam speciem dicuntur pulchra, sed multipliciter; conueniunt autem tantùm inter se tanquam similia, etsi diuersimodè, in eo quod & ipsa secundùm speciem quæque suam pulchra sint, adeóque secundùm hoc, in quantum similia inter se, etiam familiaria existunt.

Gen. 1.

SI VERO IN DEO BONUM.] Quoniam in Deo bonum est substantia.

NEQVE OMNINO.] Pro perpetuò.

IN TEMPORE.] Pro participatè.

§. 12. QVIN NE IN ANGELIS QVIDEM.] De Angelis, quòd neque in ipsis malum sit, & cur Angeli appellentur.

DIVINAM BONITATEM.] Diuina vocat ea, quæ sunt in naturâ istorum Angelorum qui deiformes permanserunt. Dicebamus autem superiùs, cur boniformes, & non per se bonos Angelos appellet. Ob easdem igitur causas neque malum est in Angelis. Assignat autem nominis rationem, cur Angeli appellati sint.

EST IMAGO DEI.] Nota, quoniam Angelos boni imagines appellat; obserua etiam quomodo hoc dicat.

AT QVOD PVNIANT.] Quasi refellendo præoccupat quorundam hæreticorum oppositionem, qui Angelos, quòd iussu Dei prauos puniant, ipsámque castigationem malam censent, & mox ista sapientissimè & ingeniosè resoluit. Atque ex Sacerdotibus, qui scelestos ac profanos propter profanas ac scelestas actiones ab Ecclesiâ arcent, & expellunt, manifestum facit, nequaquam à malo esse illos qui puniunt scelestos. Absit, dictum est enim: *Non enim sine causâ gladium portat, Dei minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* (Rom. 13. 4.) Nota igitur solutiones: multas siquidem quæstiones dissoluit eorum qui petunt, num carnifices ac Principes ex Deo sint.

QVI PROFANVM A MYSTERIIS DIVINIS ARCENT.] Nota, profanos à diuinis mysteriis arcendos esse per Sacerdotes.

NEQVE PVNIRI.] Quia non puniri, sed punitione dignum esse, malum est.

SED NEQVE DÆMONES.] Quòd neque dæmones naturâ suâ mali sint.

DEINDE NE ID QVIDEM OMNIBVS.] Nota etiam, corruptionem non cuiuis neque semper malum esse, vt in quibusdam feris, & serpentibus, & herbis noxiis.

SED NEQVE QVIDQVAM INTERIT.] Quoniam nihil interit, quatenus essentia est.

SED DEFECTV.] Obserua, quòd corruptionem vocet, & vitiosam, & ineptam, præter ordinem, naturæ motionem. Hoc autem etiam habes apud Ezechielem de diabolo: *Corrupta est disciplina tua cum decore tuo.* (Ezech. 28. 17.) Denique Gentilium & Manichæorum sententiam resoluens, ait, neque dæmones etiam naturâ suâ malos esse; deinde proponit ac refellit ea quæ ab ipsis supponuntur, dicens: primùm quidem dæmones non corrumpere substantias; substantiæ enim, quatenus substantiæ sunt, haud penitus abolentur: deinde, quòd etiamsi esset, non tamen omnibus neque omnium corruptio mala est, vt in feris, & reptilibus, & herbis noxiis, aliisque similibus. (*An & quo corruptio sit malum.*) Quærendum itaque, num dæmones potentiam vel actionem corrumpant: & breuiter hîc explicandum quid sit potentia, & quid actio seu operatio. Sciendum itaque, corruptionem potentiæ respectu operationis talem esse, qualis est habitus respectu actionis ex habitu. Ac habitus quidem est qualitas immanens. Hoc autem ita perspicuum fiet: ignis habet potentiam calefaciendi, & ipsius habitus seu qualitas est, hæc ipsa vis calefaciendi. Quando itaque corpus calefit, tum existit eius operatio, quæ est secundùm habitum seu qualitatem; & ecce cùm ignis actio habitualis perficitur. Itaque potentia in se continet operationem, siquidem hæc est actio potentiæ, quæ ab ipsâ perficitur: potentia enim sumitur in ordine ad actum; corruptio igitur potentiæ est operatio seu actio. Quemadmodum ergo etiam potentia est substantiæ, ita etiam actio; quæ cùm præter ordinem & congruentiam aptámque proportionem elicitur, progressus eius imbecillis est, quo vitiosè procedente, nequit manere quod erat potentia, & actio, & substantia. Nam si totalis, vti diximus, foret interitus eorum quæ dicta sunt, & non partialis, & subiectum ipsum interiret, in quo & potentia & operatio existit, vtique nec potentia, nec operatio, nec substantia, sed nec ipsa corruptio supererit, illis etiam intereuntibus circa quæ corruptio versatur. Mentium itaque intellectilium & intelligentium actio est, agere secundùm naturam, id est, ad Deum tendere; potentia verò mentis, elicere cogitationes, in quo, cùm ea, quæ dicta sunt, vitiosè mouentur, à bono deficiunt. Nihil igitur naturâ suâ malum est.

SED OFFICIENS BONUM.] Vt quod non perfectum corruptionis interitum inducat.

DENIQVE QVOMODO QVI A DEO.] Agit contra illos qui dicunt, si dæmones à Deo conditi sunt, quomodo mali? Est autem solutio quæstionis, num mali sint dæmones: aitque; non esse malos, quatenus boni sunt secundùm productionem substantiæ suæ, nam à bono producti sunt boni; sed in quantum infirmati sunt in suâ naturali actione. (*Neque dæmones esse malos.*)

BONAMQVE SORTITI SVNT ESSENTIAM.] Bona nempe dæmonum essentia est.

VT ELOQVIA TESTANTVR.] Obserua quomodo intelligat, Angelos non seruasse principatum suum. (Iudæ 6.) Principium enim, seu principatum, intelligit productionem eorum, quâ in lucem prodierunt: quoniam procreati sunt & ipsi ad omne opus bonum, sicut & nos. Hinc vtique dæmones in hoc solo deprauati sunt, quòd in bonorum habitu cessarint, neque bonum operati sint, ita vt secundùm propositum suum mali sint, non autem secundùm naturam; bonum verò inest iis quæ secundùm naturam existunt. Inter hæc vtique magna est differentia.

DIVINORVM BONORVM HABITVS.] Nota illud *habitùs & actionis.* Ecce enim, quam anteà potentiam vocabat, modò habitum appellat, vti superiùs in magno illo paragrapho explicuimus.

SI ITAQVE SEMPER.] Dæmones non semper boni expertes esse.

QVOD ENIM SEMPER IDEM EST.] Quoniam semper idem esse, boni proprium est.

PRAVI AVTEM ESSE.] Cur dæmones dicantur praui.

ILLIS DESERTIO.] Desertionem vocat hîc, recessum ab eo quod ipsi congruit; imperfectionem verò vocat, à perfecto siue perfectione defectionem.

IMAGINATIO PRÆCEPS.] Quid sit imaginatio, diximus in primo capite.

VERVM ISTA.] En & aliam solutionem, nullum malum esse naturâ suâ malum, sed prolapsione à bono. (*Malum non est à naturâ.*) Quod enim à naturâ inest, id semper eodem modo se habet, & instar boni non deiicitur; malum verò non est stabile, quoniam quidquid obuium est corrumpit & alterat, vti suprà diximus. Malum itaque non est in naturâ, quemadmodum neque in dæmonibus esse diuinus hic vir affirmat. Si enim non semper mali dæmones, non sunt naturâ suâ mali. Quod enim naturæ inest, semper eodem modo se habet. Demonstrauit itaque, dæmones, in quantum sunt, & intelligunt ac viuunt, boníque desiderio tenentur, non esse naturâ suâ malos, sed auersione à bono, in quo etiam creati sumus.

NEQVE IPSA PER SE MALA SVNT.] Furor irrationalis secundùm se, & amens concupiscentia secundùm se, & imaginatio præceps, non in omnibus & omnino quid malum sunt, secundùm se considerata, quin imò ablatio horum nocet animali quod ea habebat, vti absolutè dicit capite septimo libri huius. (*Neque passiones per se mala sunt.*) Rectè autem in hisce habitibus posuit illa quæ reprehendebantur: nam etiam quædam ira cum ratione coniungitur, vt quæ est contra peccatum & hostes Dei. Estque etiam concupiscentia prudens, vt cùm id, quod præstantius est, desideratur; & illud, *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum.* (Luc. 22. 15.) Ita etiam imaginatio est minimè præceps, quâ apprehendimus ea quæ intelliguntur, dum quid mente nostrâ concipimus.

NON AFFECTIO.] Affectionem hîc seu habitum vocat ipsam quoquo modo possessionem. Quæ verò anteà dicta sunt, ira inquam cæteráque in animalibus quibusdam sunt potentiæ constitutiuæ proprietatis, & secundùm hoc talia non sunt mala.

SED QVATENVS NON EST.] Subaudiendum, secundùm naturam.

NVNQVAM IPSAS.] Ecce hic clarè docet, dæmones ex Angelis existere: neque enim Angelica munera ipsis concessa penitus abiiciunt, id est bonum, quod à naturâ habent, minimè euertunt, quamuis ipsi nolint videre lumen suum, dum potentias suas boni visiuas odio habentes, iuxta id quod de Israëlitis dictum est, *Oculos suos clauserunt, & auribus suis grauiter audierunt, ne quando conuertantur, & sanem eos.* Nota verò, dæmones etiam esse luciformes naturâ suâ, quin imò lumina, vti cæteri Angeli; iuxta quod in Euangeliis habetur, *Videbam satanam sicut fulgur.*

Matt. 13. 15.

Luc. 10. 18.

MALI NOMINANTVR.] Non simpliciter quid dicantur, sed quid naturâ suâ sint, quærendum est. Illud autem, quatenus non sunt, sic intelligendum, quòd non fuerint creati in deprauatione datorum ipsis diuinitùs habituum & actionum, quæ cùm deposuerunt, mali facti sunt, qualem naturam non acceperant.

Qui malum appetit, id quod non est appetit.

DVMQVE ID QVOD NON EST.] Quomodo qui id quod non est appetunt, malum appetant. Dicendum: Deus est ens entibus superius, atque adeò etiam veritas ens est, quoniam Deus veritas est. Merito itaque id quod veritati repugnat, mendacium & non ens est, siquidem omnino est extra Deum; nec imago veritatis existit, quoniam nullum ex Deo bonum habet. Cùm autem persuadeat quibusdam prorsus esse aliquid, obscurum erit ac tenue rerum quoquo modo existentium simulacrum; quocircà etiam effectu simulacrum est, & effectu falsum, id est, verè ac realiter falsum, atque adeò etiam effectu non existens, & realiter non existens, non est ens; & realiter non ens. Quemadmodum igitur in falsis entibus, & omnino falsum hoc existentibus, si falsitas auferatur, omnem rei substantiam aufert; ita quoque falsitatis amans, vt dæmones, amat id quod non est, & in eo quod est, id est in veritate non stat, quemadmodum ipsamet Veritas testatur. Dæmones itaque, vti IESVS ait, cùm mendaces sint, & mendacij patres, neque sunt, & id quod non est appetunt, quando malum falsùmque appetunt.

§. 24.

SIN VERO DEPRAVARI.] Nota, minimè malum esse versari cum malis, vt eorum emendatio procuretur; non malum, iuxta quod dictum est, *Factus sum iis qui sine lege erant, tanquam sine lege, vt lucri facerem eos qui sine lege erant.* Diximus autem suprà, non esse omnimodam boni priuationem in rerum naturâ (quoniam hæc ipsius etiam corruptionis omnimoda corruptio existeret) sed secundùm partialem duntaxat boni alicuius defectionem. Itaque, iuxta illud, neque etiam anima malum habet absolutum, sed vnum quidem habebit, alterum verò non habebit: atque adeò bonum est quid essentiale, malum autem extrinsecùs accidit. Cæterùm, his etiam positis, dicet aliquis, malum esse animæ impedimentum propriæ secundùm naturam operationis: ergo, quamuis extrinsecùs fiat impedimentum, nihilominùs tamen anima, velut in tenebris videre prohibita, mala perpetrabit. Ad quod dicendum, ex dictis reperiri, impedimentum illud mali esse effectiuum, non verò per se malum. Malitia enim non est primum malum, sed mali quædam species; sicut virtus est quid ad bonum adiuuans, non primum bonum.

1. Cor. 9. 21.

Bonum est per se, malum verò per accidens.

QVASI MALVM SIT RES ALIQVA.] Id est, malum non est substantia, quin neque in rebus ad complementum substantiæ spectantibus cernitur malum, v.g. vt potentia vel actus. Omnis autem scopus Patris in hoc esse videtur; vt talem aliquem sententiæ suæ sensum reddat.

SED VT DEFECTVS.] Quomodo malum intelligatur.

§. 25.

VERVM NEC IN ANIMALIBVS.] Neque in animalibus etiam brutis malum esse; quoniam neque naturâ suâ mala sunt, sed nec illorum affectiones malæ sunt, veluti ira, concupiscentia, imaginatio præceps.

SI ENIM SVSTVLERIS.] Quoniam affectiones istæ brutorum naturales sunt, quemadmodum leoni & serpentibus furor, & canibus latratus; vnde, in quantum naturales sunt, non sunt malæ.

§. 26. *Rationes rerum bonas esse.*

SED NEQVE IN TOTO.] Natura est secundùm habitum ars diuina quæ ad generationem procedit, cuius diuinæ artis effectus sunt plantæ & animalia, & fructus, atque elementorum in se mutuò transmutationes, atque vniuersim, secundùm se, substantia eorum quæ producuntur, quæ est principium motûs ac statûs. Quemadmodum igitur in iis qui ceram variè fingunt, fingendique artes exercent, debet aliquid inesse permanens, id est ratio ac mens, quæ per manus opera sua peragunt; sic etiam in naturâ vniuersorum aliquid in rebus ipsis manet, nempe facultas quædam, quæ non per manus operatur, sed est voluntas conceptúsque Dei, quæ instar artis cuiusdam concurrunt ad eorum quæ producuntur generationem. Natura enim haud opus habet rebus quibusdam mouentibus, aliis verò quasi motis: nam materia est quæ in generatione mouetur. id autem quod ipsam mouet, est verbum immobile, quod in vniuerso existit, éstque ars diuina, quam naturam appellauimus, cùm sit forma, non autem ex materiâ & formâ. Quid enim illi opus sit materiâ? calidâne, an frigidâ? quoniam id secum fert materia creata. Neque enim ad ignem accedendum est, vt materia fiat ignis, sed ad rationem. Quod etiam signum est non paruum, esse in animalibus & plantis rationes effectrices, esse rationem illam naturalem, quæ in ipsis permanet; rationes verò formales eorum quæ videntur, esse quædam germina naturæ siue immobilis ac permanentis rationis. Quomodo igitur in vniuersâ naturâ malum sit, cùm in creaturis existant rationes quædam naturales quæ in re nullâ toti naturæ, quæ in bono est, contrarientur? Si igitur demonstratum est, vniuersam naturam ex bono existere, singularum autem rationes creaturarum minime contrarias esse naturæ vniuersæ, manifestum est, neque etiam in naturâ malum esse; hoc enim esset pulchro contrarium: itaque non est etiam malum in vniuerso. Potiùs quæ secundùm speciem creationis accidunt contraria, siue in temperie, siue in animalibus, & cæteris, non sunt sibi contra naturam, sed aliis, in quæ præter naturam vitiosè feruntur. Est etiam infirmitas quædam naturalis, sed hoc non malum, sed potiùs ordinis est vitium.

Nihil vniuersim malum.

VNIVERSÆ NATVRÆ.] Vniuersam naturam vocat naturam diuinam.

SI ENIM OMNES.] Omnes, inquit, naturæ rationes seu causæ, secundùm quas res factæ sunt & existunt, à naturâ diuinâ existunt, quam, vti dictum est, vniuersalem vocat; quia ex ipsâ vniuersa procedunt. Vniuersam autem naturam appellat omnia quæ à Deo creata sunt. Nihil igitur est in rerum naturâ, quod vniuersim vniuersis contrarietur: quod enim alicui rei contra naturam est, alteri est natura: hoc autem bonum; omni igitur naturæ malum est, non manere in quibus producta est; hoc enim naturæ priuationem appellauit, si res non expleant illa, quacunque ex causâ, propter quæ productæ sunt.

§. 27.

VERVM NEC IN CORPORIBVS.] Sicut pulchritudo est, membrorum & partium cum bono colore proportio, ita deformitas est, eorundem disproportio.

CAVSA ANIMÆ.] Cùm Philosophi quidam dicant, ex irrationali animæ parte materiæ corporique commixtà, cùm ad eam anima adreperet, mala proficisci, vti suprà disseruimus, diuus Dionysius pulcherrimè hic dubium resoluit ex aliis rebus incorporeis & omnino impermixtis, quæ etiam sine corpore boni defectu peccant.

ADHÆRERE MALITIAM.] Quoniam etiam sine corpore potest alicui malitia adhærere, vt in dæmonibus.

EX CORPORIBVS MALVM.] Quid sit malum.

§. 28. *Materia non est mala.*

QVÆ NEC ID IPSVM A SE HABET, VT PATI POSSIT.] Rationi consentaneum est, cursim exponere opiniones eorum qui materiam non ens appellant, & quâ

ratione id dicant, vt etiam D. Dionysij argumenta intelligantur. Vocant itaque ipsam non ens ob hanc causam: quoniam, inquiunt, ens illud, quod est in intellectilibus dispositionibus, à primo illo ente, quod ens superat, productum est. Cùm itaque ille sit ente sublimior, illud ens, quod ab ipso procedit, vocatum fuit diuersum ens ab ente in subiecto: ens enim quod dicunt, intellectilium materiam appellant, solâ ratione visibilem, quam etiam formam & vitam dicunt intellectilibus quodammodò substantiis subiectum. Materiam verò rerum sensibilium aiunt esse indignam omnium quæ in intellectilibus existunt: hæc enim neque forma neque vita est; aiuntque, ipsam productam esse ab isto ente, quod à supremo ente conditum tradunt, adeóque cùm quid aliud sit ab eo, non dicunt ipsam esse ens, sed non ens. Aiunt enim subiectum etiam ad extrema vsque pertingere debere, atque idcircò dicunt, materiam aliquid diuersum esse ab ente & pulchro, cùm non sit pulchrum quid. Aiunt itaque, ipsam nihil esse actu, sed omnibus, quæ in ipsa conueniunt, priuatam esse, verbi gratiâ formâ & qualitate: neque enim seipsam in speciem aliquam efformat, veluti cœli, terræ, aëris, aquæ, animalium, astrorum; neque qualitate afficit, sed ab alio ad hæc disponitur. Cùm itaque in semetipsâ nihil sit rerum existentium (formæ, inquiunt, ac qualitatis) sed hæc tantùm virtute contineat, id est, ad formam & qualitatem eleuari possit, non verò actu aliquid horum sit, meritò est non ens, quippe per se actu non existens; quapropter tanquam formâ qualitatéque carens, & non ens, omniúmque indigens, ab ipsis vocata est malum. Hæc igitur soluens D. Dionysius ait: Quomodo materia malum producet cùm nullo modo actu sit? producere autem proprium sit actus; imò neque aliquid pati potest, secundùm se solam existens: per aliud enim materia hæc nostra disponitur ad formam & qualitatem; non patitur ergò quando solitaria est. Si verò eam non esse dicitis, cùm nihil prorsus sit, neque malum erit, neque bonum. Si autem sit ens aliquod, aut ex Deo est, aut ex seipsâ, aut ex alio principio, & ipsa etiam Deus est. Si verò materia sit quidpiam necessarium quod mundum compleat, quomodo materia est malum? Definitio enim necessarij est æternum, verum, tanquam vtile, sicut etiam virtus vtilis est: est ergo aliud malum, aliud necessarium.

Malvm enim qva parte malvm est.] Euertens opiniones eorum qui dicunt, materiam esse malum, ait: Quomodo igitur ex materiâ generantur & nutriuntur ea quæ ex terrâ gignuntur, vt plantæ & animalia? hæc enim formâ materiáque constant. Quomodo igitur id, quod per se malum est, generat & nutrit, neque statim corrumpit ac corrumpitur? hæc est enim affectio mali. Verùm neque (vt suprà quosdam sentire diximus) materia per irrationalem animæ partem trahit ad malitiam, dum per corpus isti parti irrationali commiscetur: plurimi enim hanc partem subegerunt, vt sancti Dei. Quoniam verò quidam Gentilium dixerunt, propterea cœlum & astra non corrumpi, quia ex putiori materiâ producta sunt: ea verò quæ corruptibilibus corporibus adhærent, cùm ex subiectâ crassioríque materiâ producantur, quæ necessariò, ceu fundamentum creaturarum, quoque vltima existit, talísque euadit; idcircò etiam res inferiores corrumpi miniméque subsistere, quòd non possint stabiliri, & secum firmiter hærere, vt cœlum & astra. Si igitur necessariò sic sint, quomodo materia est malum, cùm, secundùm nos, in se habeat necessarium? Non igitur materia malum est.

§. 29. *Priuatio non est mala.*

Privatio vi sva.] Priuatio non est aliquod suppositum, sed est in eo, quod priuatur formâ aliquâ quæ inesse potest ac debet, vti etiam hic. Si enim particularis alicuius formæ priuatio sit in materiâ, aliquid etiam in eâ boni erit, quatenus & formam & ornatum amat, atque hæc vt bona suscipit. Quod autem per se malum est, id nullam boni communionem admittit; quare etiam non est: omnimoda enim priuatio ita etiam ipsum subiectum corpus corrumpit, vt ampliùs morbum sustinere nequeat; vnde ipsam quoque viribus carere dixerunt. Partialis verò, vt quæ aliquid boni habeat, vi aliquâ pollere dicitur.

Sed secvndvm qvod non est omnimoda.] Breuis definitio mali, quòd non sit secundùm naturam, sed secundùm partialem defectum boni existat.

§. 30.

Et ex integra cavsa.] Integram causam vocat eam quæ est vniuersorum. Dixit autem particulare, vt tolleret vniuersale: omnimoda enim defectio nihilum constituit.

Cognovit Devs malvm.] Deus etiam ea quæ dicuntur mala, quandoque nouit vt bona. Mala verò modò appellat, vt bella, morbos qui mores corrigant, mortes, & similia: reputantur enim à nobis mala, sunt autem vires causæ boni effectricis; nam per prædicta pœnitentia Deique notitia comparatur, pluribúsque existit occasio pietatis, atque in Prophetis etiam malitia dicitur disciplina. Lege caput vigesimum secundum.

Penes ipsvm cavsæ.] Causa mali in lasciuiendo, est concupiscentia præter rationem mota: ipsa tamen concupiscentia facultas est benefica, ratione quidem vtentibus, vt per ipsam sursum ad verum bonum tendant; brutis verò, vt appetant ea quæ ad propriam suam conseruationem conducunt.

Qvod si malvm æternvm est.] Hoc argumentum valet contra Manichæos, & ad opinionem eorum euertendam. Etsi enim illa hæresis tum nondum existeret; tamen ad præcautionem inspiratione accepit quæ errorem istum euerterent. Fortassis etiam ista erant contra quasdam Ethnicas opiniones.

Naturas esse ordinatas & bonas.

Omne qvod secvndvm natvram est.] Id est, haud inordinatæ sunt rationes naturarum. Cæterùm quod ex naturâ sequitur definitum est: definitio enim est ratio essentiam rerum explicans, & quod quid erat esse declarans; cùm istud *quid erat esse*, æquiualet isti *quod est*. Omne igitur quod est secundùm naturam, ex definitâ causâ est, per quam fit id quod fit. Si itaque malum causâ caret, (à nullo enim productum est) meritò nec definitum est (nulla enim eius est ratio quæ essentiam declaret) & necessariò non est etiam secundùm naturam. Si autem est contra naturam, non habebit etiam in naturâ rationem, sicut nec inscitia in arte.

Si qvidem natvra.] Nisi anima secundùm partialem boni priuationem deprauetur ab aliquo extrinseco quod substantiæ ipsius accidat, mali priuatio erit de essentiâ ipsius, eritque ipsi malum illud substantiale. Et quomodo erit anima? neque enim viuet, quia vitam non habebit; vita autem est quid bonum. Si verò anima sit, aliquid boni participat, scilicet vitam; ergo habebit aliquod bonum essentiale, non verò malum; & idcircò dicitur boniformis. Imbecillitate porrò propriâ contra naturam operando deprauatur, tanquam imbecilla & ad passiones propensa. Imbecillitas autem animæ non est sicut in corporibus crassities aut gracilitas quoad substantiam eius, sed ad materialia temporaliáque procliuitas, vnde etiam vitiosè posteà mouetur, huius autem fœtus vocat hîc opera. Nota verò, animæ operationem non habere immutabilitatem, vtpote accedentem ac recedentem.

Sin per actiones.] Ita vt compendio hæc eius sit sententia, Naturam animæ esse bonam, quandoquidem à bono producta est, eiúsque actiones esse bonas. Videmus enim viros probos sibi conuenientia operari. Ex subuersione verò & defectu boni subit malum: ergo malum non est in naturâ, neque in substantiâ.

§. 31. *Malum multas habet causas.*

Si bono malvm.] Multa sunt vni contraria. Ergo si vni ac bonæ causæ contraria sint multa, malo multæ causæ erunt. Atque si rerum naturalium, vt suprà dixi, rationes quædam ac virtutes sint effectrices, vitiosi vtique motus earundem, ex imbecillitate facultatisque defectu promanantes, ea quæ naturæ contraria sunt, producunt, quibus etiam malum quodammodò subsistere videtur. Quin etiam mala quandoque generat immoderata quædam rerum dissimilium comixtio, cùm aut calidum, aut frigidum, aut siccum, aut humidum præ cæteris

inualescit,

inualescit, vnde morbi frequenter existunt. Quomodo autem malum, rebus omnibus prout factæ sunt manentibus, consistat? hæ enim ex motu Dei voluntate productæ sunt, ac in terminis propriis manent immotæ, cùm stent & terminentur in Deo. Harum autem contrarium, nempe ipsum per se malum, instabile est, neque terminum habet, neque definitum est, quorum nihil videmus in creatis. Quomodo igitur malum subsistere possit?

Rationes ac facultates.] Id est, non secundùm rationem aliquam naturæ necessariam aut essentialem quandam proprietatem hæc accipi debent. Mixtionem autem dissimilium existimo significare motionem quandam naturalium potentiarum ad ea quæ non decet, quam intemperantia conciliat, quando motus iuxta suos terminos, in quibus orti sunt, minimè coërcentur.

Nihil propter malum facimus.

Malorum etiam omnium.] Omnium etiam malorum principium & finem esse bonum, quia quidquid facimus, bonum facere arbitramur: quocircà etiam malum nullam habet subsistentiam, sed quasi quodammodò adiacentiam, dum boni & non sui ipsius causâ fit. Hoc verò etiam superiùs indicauimus, nos nempe nihil agere spectando malum, sed putando nos aliquid boni agere, licet exitus contrarium probet.

§.32.

Quia boni gratia.] Quod dixit etiam capite præcedenti propter bonum: quia id quod facimus, putamus esse bonum.

Revera autem non rectum.] Dum enim aliquid secundùm naturam & habitualem boni virtutem cupimus, inscij quandoque malum agimus, quod nobis quidem bonum videtur, reuerà tamen malum est: vt cùm maleficum morte mulctamus, qui aliquando tamen mortem non meruit. Sic intellige, & non erras.

Privatio ergo est.] Mirabiliter ostendit malum non subsistere, dum vocat illud priuationem rerum ordinatarum ac naturalium: priuatio autem, vti prædiximus, per se minimè subsistit, sed quod deberet & exigeret adesse, non adest. Vnde etiam priuationem vocat aberrationem & lapsum à decoro, & scopi frustrationem, pro iactu à scopo deflectente, à iaculantibus metaphorâ desumptâ. Quemadmodum enim ipsi dum scopum (seu signum ad quod collineant, & scopus dicitur) attingunt, rectè progrediuntur; ita qui extra scopum iaculantur, à decoro aberrant.

Et peccatum.] Per peccatum non intelligas illud quod in nobis factum est, veluti adulterium vel iniustitiam, vel aliud quid simile; sed id quod ait, est eiusmodi; quòd nempe, à bono & naturali motu seu ordine aberrantes, vergimus, præter naturam, ad irrationalem & omnimodam, & substantiâ vacuam abolitionem. Vnde etiam ait, malum nusquam vllo modo esse.

Non omnia omnibus.] Diuinè seruauit subordinationes in creatione: siquidem mens, secundùm quam diuini & prorsus immateriales spiritus substantiam suam sortiuntur, cùm animâ sublimior sit. Angelus igitur, à boniformitate deficiens, in dæmonem euasit; anima verò, in quantum intelligens ac rationalis, mentem intellectilem sibi subditam non direxit secundum rationem, non agit ea quæ sunt propria: corpora verò, quæ sunt infra rationem intelligentem, præter naturam suam, reperta, in seipsis nihil valent.

§.33.

Quomodo sint omnino mala?] Si in omnibus sit prouidentia, nusquam naturâ malum est.

Quin etiam iis quæ sunt.] Quoniam etiam iis, quæ sunt aut censentur mala, benignè Deus vsus est ad nostram aliorúmve vtilitatem.

Aut aliorum, vel propriam.] Contra eos qui dicunt, nos etiam inuitos debere esse bonos.

Qui aiunt debere providentiam.] Obserua quomodo increpet dicentes, Quare non fecit nos Deus sic, vt vel inuiti non peccemus; hoc enim nihil aliud est quàm dicere, Quare non amentes nos & irrationales fecit? Si enim necessariò ad virtutem duceremur, nequaquam nos nostri rerúmque nostrarum compotes ac potentes declarasset, neque naturam nostram intelligentem esse fuisset, id est animam Intellectu præditam. Aufer enim libertatem nostram, & neque Dei imago erimus, nec habebimus animas rationales & intelligentes, & natura nostra penitus interibit, dum non est quod ipsam esse oportebat. Quod autem dixit *per se mobilium*, intelligendum est, pro liberi arbitrij suique iuris ac potestatis existentium, non autem per se mouentium, v.g. animatorum, ad distinctionem immobilium, vt ædium atque montium; aut in alteram partem mobilium, vt lapidum & lignorum. Disserens enim de virtute, *per se mobiles* seu liberos accipit, quibus ait accommodatam esse prouidentiam, nempe illam quæ per legem ac Prophetas & beneficia exhibetur, vti & Apostolus declarat, dum ad Athenienses concionatur.

Invitos nos.] Pulchrè subuertit rationem eorum qui dicunt, oportere nos etiam inuitos & ex necessitate bonos esse: hoc enim esset essentiæ nostræ destructio, tolleretur enim liberum arbitrium.

Per se mobilium.] Pro liberorum prout adiunctus paragraphus declarat.

§.34.

Et mutatio.] Nota, etiam incorporea & immaterialia mutari, quando non omnino in boni identitate permanent. Bonum enim, vt semper stans & firmum, idem manet; quod verò mutatur, non manet idem.

§.35.

In scientia vero peccantes.] Vide quomodo interpretetur illud, Væ vobis cum cognitione peccantibus, & illud, *Seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens eam, vapulabit multis.* (Luc. 12. 47.)

Sive Scientiæ.] Scientiam fortè vocat eam quæ ex doctrinâ hauritur, quam etiam obliuio sæpenumero potest obliterare; & quam superiùs dixit ex audito ingenerari. Liquida porrò cognitio intelligi debet ista, quæ ex naturali meditatione aut illustratione sine doctore inhæret.

Verum hæc quidem nobis.] Nota, etiam alium quendam eius tractatum esse de iusto ac diuino iudicio. Nota item, caput hoc viginti tres syllogismos continere, qui demonstrant malum non esse ens.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§.1.

Ad illud *ergo* perfecta distinctio est apponenda: siquidem illud *age*, iuxta vsum antiquum, terminatio quædam est eorum quæ dicta sunt, & exordium dicendorum, ac si dicat: Quæ prædicta sunt ita se habeant; modò autem orationem conuertamus ad ipsum nomen boni, quod Theologi per excellentiam attribuunt diuinitati, tanquam à quâ cuncta procedunt, quoniam omnia ex ipsâ producta sunt propter bonitatem, ipsam Dei superexistentiam appellantes bonitatem, & per se bonitatem. Non enim Deus adscititium habet bonum aut per accidens, quasi essentia eius sit quid aliud, & accidentariam habeat bonitatem; sed ipse, cùm existat ipsius boni substantia naturaliter, ad omnes extendit bonitatis suæ fulgorem, hoc ipso quo bonus est. Quemadmodum enim sol non est à lumine distinctus, neque aliunde lumen mutuando illuminat; (siquidem ipse lux est, & hoc ipso quo lux est, naturaliter illuminat omnia quæcunque lumen eius valent excipere, neque ratiocinans, neque præeligens: nam si non illuminaret, neque etiam sol esset; ecquid aliud concipi possit illuminare, nisi lux sit? hoc enim vult hic sanctus, & non simpliciter solem esse irrationalem & exortem libertatis, hoc enim manifestum est, & nihil ad propositum:) sic etiam illud supra solem bonum Deus, qui primæuum est exemplar respectu istiusmodi obscuræ & absimilis imaginis, ipsâ suâ substantiâ quâ bonus est, rebus ipsis pro cuiusque captu bonitatis suæ radios affundit. Hac omnes intelligibiles ac intelligentes substantiæ consistunt. Aliud autem est intelligibile, & aliud intelligens: nam id quod intelligibile est, est velut alimentum eius quod intelligit; quoniam id quod intelligitur, seu intelligibile, nobilius est, & antea intelligitur, quàm id quod intelligit, id est intelligens. Superiores igitur & Deo vicini ordines propriè

Quomodo Deus bonus sit.

Quomodo differant intellectile & intelligens.

A

dicendi sunt intellectiles, inferiores verò intelligentes, vt qui intelligant superiores: non ideò tamen quòd intellectiles dicantur, qui intelliguntur, censendum est ipsos non intelligere; ipsi enim intelligunt, quoniam mentes sunt & substantiæ. Ideò intelliguntur quidem, vt materiæ expertes; intelligunt verò res, vt incorporei & supermundiales, rationibus rerum supernè illustrati, ipsaque mysticè ad inferiores Angelos traiicientes. Hos autem vocat Virtutes & Operationes, non quòd non subsistant, sed subsistentes sint ac viuentes, & potentes, & efficaces motuum propriorum. à Dauide enim dicuntur *potentes virtute.* Vel etiam alio modo: *Virtutes* quidem, quòd cùm necdum creaturæ apparerent, omnia virtute in Deo anteà substiterint, quæ ab eo, vt essent, producenda erant; *Operationes* verò, quòd creatura etiam ad operationem perducta fuerit. Propter hosce bonitatis radios & sunt ipsi, & viuunt, & vitam habent indeficientem, & à corruptione, & morte, & materiâ, & generatione sunt liberi. Corruptio autem, quæ magis latè patet morte, est motio ad id quod non est, quæ etiam competit inanimatis. Virtutes autem generatione sunt sublimiores, non quòd non factæ sint (siquidem creatæ sunt) sed quòd non constent materiâ: istiusmodi enim sunt, quæ in generatione ac corruptione versantur, quibus materia subiecta, si quidem formam suscipiat, efformatur, & ecce aliquid facta est: si verò formâ priuetur, fit aliquid informe, & ecce interitus cuiusdam entis, & ad id quod non est motiu. Diuinæ autem Virtutes, etiam hisce sublimiores tam corruptionibus, quàm generationibus, quoniam & immateriales sunt, & ab omni fluxâ immutatione exemptæ. Hoc dicit, quoniam Angeli etiam mutabiles creati fuerunt, sed secundùm sententiam, non secundùm substantiam: vnde quoad substantiam etiam sunt immutabiles. Intellectiles itaque sunt, in quantum incorporei, & tam ab inuicem quàm à nobis aliquo modo cogniti; & intelligentes, in quantum mentes, & quoniam supermundialiter intelligunt, per illustrationem rerum rationes cognoscentes, & non sensiliter, vti nos, res apprehendentes. Quòd si nos quoque non rarò rerum rationes intelligimus, tamen scientificè id habemus & dependenter à sensu, quo idcircò egemus: nihil enim quod sensum fugiat cognoscimus, etsi etiam eius sensum accipimus. At mentes diuinæ supermundialiter illustrantur rationibus, & in mentes cognatas transfundunt, & mansio, & firmitas, & contemperatio, & conseruatio ipsis est ex bonitate Dei, quodque sint instar domicilij cuiusdam, ac diuinæ aræ bonorum quæ ex Deo sunt. ἑστίαν enim Veteres appellabant, in quâ sacrificia consecrabant. Dicebant etiam alio sensu ἑστίαν, ipsam rerum diuinarum firmitatem, quam sacrosanctam habebant, & iusiurandum appellabant, res autem cœlestes vocabant diuinas. Philo etiam Iudæus, in Sermone de flammeâ rhomphæâ & Cherubim, ait: Mansio autem partium mundi, cùm stet firmiter, ἑστία ab Antiquis rectâ coniecturâ nominata est; partes mundi vocans fulgorem solis, & lunæ in eundem statum restitutionem, incrementúmque ac imminutionem, pluuiarum effusionem, tonitruorum ac fulgurum constitutionem ac dispensationem, cæteráque quæ secundùm easdem perpetuò fiunt: nam hæc etiam Gentiles diuina nominabant, ad distinctionem rerum nostratium, quæ aliis atque aliis de causis fluxæ sunt ac mutabiles. Dúmque rursus illæ diuinum splendorem appetunt, tam vt sint quàm vt benè sint, ex eadem bonitate obtinent, nec non ipsi boniformiter conformantur, &, iuxta diuinæ legis dictamen, inferiores suos donorum istorum participes efficiunt.

Psal. 102. 20

Angeli quomodo sint Virtutes & Operationes.

B

Quomodo sint incorruptibiles.

Quomodo sint mutabiles.

C

Quid sit ἑστίαν.

D

§. 2.

Quæ sint vnita & quæ diuersa in Angelis.

Ab hac diuinâ bonitate ipsis & gradus sunt, & ordines, & ad inuicem vniones, id est diuinus amor ad inuicem. Qui diuinus amor, cùm sit etiam vnificus, coniungit ipsas non acervatim comportans, sed amabiliter constringens. Nam cùm res intelligibiles, vt & sensibiles, æquiuocè dicantur, alia quidem sunt vnita & à se mutuò dependentia, alia verò diuisa & coaceruata. Ac intelligibilium quidem vnita sunt, veluti lumen, vita, & mundus intelligibilis, & similia; secundùm quam vnionem etiam ordines Angelorum sunt vniti, & à se mutuò diuino amore dependent: diuisa verò & apposita sunt, velut exercitus, & ordo patriarchalis Angelorum, & familia, & chorus. In sensilibus autem vnio est animal, arbor, mundus hic sensibilis: diuisiones verò, grex, populus, chorus, aceruus. Verùm hæ quidem sunt vniones Angelicarum virtutum ad inuicem, habent autem etiam mutuas penetrationes, atque iterùm distinctiones inconfusas. Mutuas quidem penetrationes, ne vniones intelligens ad inuicem, naturalem aliquam dixeris vnionem, secundùm quam partes ad totius alicuius complementum vniuntur, sed libera est penetratio, quâ ista vnio Dei bonitate in ipsis fit: nam res materiæ expertes & se mutuò inconfusæ penetrant, & rursum recedunt, ac discernuntur, atque ad hunc sunt gradus & ordines ipsorum primi & secundi. Tu verò considera, quomodo inconfusionem ponat in distinctionibus. Oportebat enim potiùs id dictum in mutuis penetrationibus, vbi etiam confusionis suspicio oboritur: sed huic occurrit, assignando statim etiam distinctionem proprietatum, ne confusio sit illa mutua penetratio, quoniam illicò sequitur distinctio. In distinctionibus autem intellectam fuisse inconfusionem, declarat ordinis eorum immutabilitas; siquidem secundùm istiusmodi distinctionem consistunt gradus & ordines earum, secundùm quos primum est & secundum. Idcircò quodammodò dicit, non quòd se mutuò penetrant, & iterùm discernuntur, immutati ordines earum, ne confusionem aliquam intelligas, sed iterùm ipsis eundem ordinem manere, tametsi se mutuò penetrent. Hoc iterùm est bonitatis Dei, quòd inferiores Virtutes ad superiores adducantur, & sursus superiores inferioribus prouideant, vt neque ipsæ principia sint adductionis, neque hæ inconuersæ sint ad prouidentiam; vno enim è duobus deficiente nihil fieret. Verùm diuina bonitas ita de ipsis disposuit. Hinc etiam suot propriæ cuiusque virtutis custodiæ, & immutabiles circum semetipsas conuolutiones. Ne existimes autem ipsas, quòd potiora desiderent, contemnere propria. Voluuntur autem diuinæ mentes circum semetipsas non volutatione quadam corporeâ, sed supermundiali & intelligente, & quali mens volui solet, dum ex se ipsâ ad considerationes progreditur, & ad seipsam reuertitur, non verò extra semetipsam diuulsa abit. Hoc etiam insinuant rotæ apud diuinum Ezechielem, quæ multos habent oculos. Ex diuinâ quoque bonitate existunt istæ circa boni desiderium identitates & extremitates. Identitas quidem intelligenda, minima deficiens à Deo coniunctio; extremitas verò, intelligentiæ earum adductio, & secundùm gratiam deificatio, progressus, & quæcunque alia in peculiari libro de Proprietatibus & ordinibus Angelorum à nobis commemorata sunt. Quin & illa quæ diximus in libro de Cœlesti Hierarchiâ diuinis Virtutibus adesse, etiam hæc sunt ex bonitate Dei. Quæ verò ea sunt? Angelicæ nimirum lustrationes, illuminationes, perfectiones; siquidem & ipsæ expiantur, & illuminantur, & perficiuntur, à fonte bonitatis initiatæ, ex quo ipsis quoque boniformitas donata est, & in semetipsis manifestant arcanam illam bonitatem. Siquidem & ipsæ expiant, & illuminant, & perficiunt ea quæ patiuntur, dum hæc agunt, & manifestant arcanum bonitatis Dei. Si enim ex me scientia Dei mirificatur, quantò magis ex Angelicis ac diuinis virtutibus? Enuntiant enim non cùm dicunt, sed cùm in semetipsis intelligunt diuinum illud silentium, ac incomprehensibilem illustrationem eius qui in adytis & occulto existit, iuxta illud, *Posuit tenebras latibulum suum*, tanquam lumina quædam secundaria, quæ proposita sunt ad primum illum splendorem quoquo modo interpretandum. Præterea, post Angelos, animæ quoque, & quæcunque animarum bona sunt, & ex bonitate Dei existunt; vt quòd intelligentes sint, tanquam quæ intelligant, quòd sint immortales, quòd sint, & habeant virtutem, & ad Angelicas vitas accedant, & per illos ceu præcepto-

E

F

G

Quæ sit volutatio in Angelis.

H

Psal. 17. 12.

Animæ quomodo participes bonitatis.

A

res ad diuinam ipsam bonitatem adducantur, & pro captu suo diuinis illustrationibus communicent, & muneris boniformis participes existant, sicut in Isaiâ & Ezechiele accidit, dum ille quidem prunam accepit, hic verò libri capite refectus est, & quæcunque alia in peculiari tractatu de Animâ à nobis dicta sunt. Quin & animæ irrationales, & omnia bruta animantia, & aëria, & cicurata, & serpentia, & aquatilia, & amphibia, & quæ in cauernis terræ degunt, omnia hæc per Dei bonitatem & animata sunt & viuificata; similiter & plantæ, & quælibet inanima vitæque expers substantia, per eandem bonitatem, illa quidem nutritiuam & auctricem vitam, hæc verò habitum substantialem acceperunt.

§. 3. Quomodo priuationes sint in Deo.

Quòd si autem Deus sit supra omnia, vti & bonum ipsum, ergo priuationes in Deo sunt excellentiæ positionum effectrices, vt expers formæ, expers substantiæ, expers vitæ, expers mentis; quæ quidem videntur significare aliquid quod non existit, tamen in Deo, qui superessentialiter omnium rerum negatione existit (nihil enim est eorum quæ sunt) eminenter intelliguntur. Et, si

B

dictu fas sit, illud ipsum quod non est, illius, quod supra res omnes est, boni desiderio tenetur: (si enim id non est, quomodo desiderat?) vnde manifestum, per id quod non est, malum intellexisse, cùm non sit aliquo modo bonum, vti in progressu orationis ostendit; quia illud etiam quod malum dicitur, propter bonum fit.

§. 4.

Sed, quod nos effugerat, cœlestium & mundanorum (cœlum enim mundum vocant) principiorum ac terminationum causa est Dei bonitas; nam Deus hæc omnia bonitatis abundantiâ creauit. Principia verò cœlestia & terminationes intelligenda, tanquam ex puncto seu centro voluntatis Dei rotunda cœlorum fabricatio subsistens: circularis enim figura ex seipsâ incipiens, in seipsâ terminatur. Cœlestem verò substantiam neque augeri neque minui ait, vt perfectè & sufficienter finem suum assecutam: ideóque immutabilem ipsam dixit, ex quo facta est, non peruersam; perfectum autem est, quod neque augetur neque minuitur. Nota verò, eum dicere, cœlos sine strepitu & absque sensu moueri. Illud autem, quarundam stellarum multiplex motus quo transferuntur, de planetis dicit: censet enim illos solos moueri.

C

Quid porrò dicat quis de solari radio, qui seorsum ab aliis per se mouetur? quoniam & huic suum lumen est ex hac Dei bonitate, cuius lux hæc imago quædam est; quamobrem quoque nomine lucis diuinum illud primum exemplar laudatur, vt ad cuius imaginem lux hæc existat. Quemadmodum enim hæc Dei bonitas à supremis vsque ad extrema peruadit, & super omnia existit

Deus est in omnibus, & nihil omnium.

(Deus enim in omnibus est, & nihil omnium, vt neque suprema ad ipsius excellentiam pertingant, expers enim principii est, & nihil se habet sublimius, neque inferiora ipsius ambitum pertranseant, id est, extra eius complexum sint, siquidem infinitus est, & extra ipsum nihil est inferius; quin etiam illa quæ lucis sunt capacia secundùm mensuram capacitatis illuminat, vnde etiam Deus dicitur esse mensura rerum, quòd contineat & sciat principium & finem omnium, & æuum, & numerus, & ordo, vt qui res continet atque disponit, omnia

D

enim cum bono ordine creauit:) sic vtique etiam sol ille manifesta diuinæ bonitatis imago existit. Pulchre autem statim corrigit quæ minùs consentaneè de sole dicta videbantur, dum eum tenuissimum quendam & vltimum boni illius sonum nominat. Quemadmodum enim si

Similitudo à vociferante.

quis vociferans & clamans aliquid dixerit, præsentes quidem valentibus auribus præditi vocem & sermonem audiunt; qui autem distant, quantò absunt, tantò debiliùs vocem audiunt; qui porrò longiori spatio remoti sunt, obscurissimum quendam sonum capiunt, vt vocem quidem aliquam obscuram audiant, sed quod pronuntiatum est non intelligant. Vnde colligere licet, tantum esse solare lumen, si cum vero illo ac diuino comparetur, vt intercapedo & infinita sit & incomparabilis. Deinde dicit quomodo sol Deum referat: quia Deus omnia quæcunque ipsius participationis capacia sunt, per bonas institutiones atque actiones aliásve aliquas dispositiones

E

illuminat, & lumen desuper expansum habens, omni mundo visibili se suosque radios explicat, cùm propter ea quæ animâ sensúque carent, tum propter ea quæ ratione & intellectu prædita sunt. Quemadmodum igitur

Similitudo à Sole.

sol sensibilis omnia quæ cernuntur illuminat, & quæcunque lucem eius non participant, propter propriam suam opacitatem eius expertia existunt; sic etiam in Deo, cùm eius illuminatio & sanctificatio desuper expansa sit, omnes quicunque volunt illuminantur & sanctificantur. Rursus, sicut Deus creat, sic etiam sol ad sensibilium corporum generationem conducit, & ad vitam mouet, aliáque facit, non tamen tanquam eorum causa libera: verùm Deus sciens frigus esse valdè sterile, moderatum autem calorem ad generationem facere, atque stirpes & semina caloris indigere, sicut etiam corpora omnia quæ vita fruuntur, eius rei gratiâ solem se ita habere fecit. Hoc lumen solis, secundùm imaginem

Solis vtilitas & efficacia.

Dei, qui tanquam creator & conseruator vniuersi æuum ac numerus existit, etiam mensura est, & numerus tempestatum, ac dierum, & omnis nostri temporis: quod

F

etiam primorum dierum triduum, tametsi tunc non erat figuratum, contractione & interiectione definiuit, vti diuinus quoque Moyses declarat, ille enim ait, Et facta

Gen. 1.

est dies vna, & iterùm secunda, ac deinde tertia. Et sicut bonitas, tanquam principium & causa, cuncta quæ dispersa sunt ad se colligit, omniaque ipsam appetunt; & vt

Bonitate cuncta cõsistunt.

principium, ex eâ enim, vt ait Scriptura; & vt continentem, in quo nimirum omnia veluti in omnitenenti fundo ac fundamento custodiuntur; & vt finem, ad quem omnia, quasi ad terminum suum non naturalem, sed effectiuum, spectant; & cuius desiderio omnia tenentur, quodlibet nimirum secundùm proprium naturæ ordinem, vt Angeli & homines scicotet, bruta animantia sensiliter, stirpes insito ipsis naturæ motu, vitæ verò sensúsque expertia secundùm esse, non vt cognoscant, sed vt persistant naturali permansione contenta: sic etiam sol etiam quæ sub splendoribus eius continentur, ad se conuertit, propter quod etiam ἥλιος appellatur, quòd

Sol vnde Græcè ἥλιος dictus sit.

omnia ἀολλῆ seu congregata faciat, & dispersa congreget, omniáque ipsum appetant, viuentia quidem vt videant, stirpes vt moueantur, cætera vt ab ipso conseruentur

G

dum lumen eius appetunt. Non hoc dico secundùm antiquam & splendidam fabulam ac nugacem Gentilium sermonem (erant etiam aliquando etiam vtrique Gentiles, vt in sanctorum Apostolorum Actis declaratur) vel certè fatuum; nam fatuum Gentiles idem quod antiquum dicebant. Itaque secundùm hanc fatuam, fabulam inquam, quoniam sol Deus est, mundum conuertit; verùm *inuisibilia Dei*, secundùm Apostolum, *a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur*, & diuinitas ipsius virtúsque sempiterna à sole manifestatur.

Rom. 1. 20.

§. 5.

Verùm hæc in proprio tractatu Theologicè descripsimus, modò dicendum de luce intellectili. Dicitur itaque Deus lux, sed intellectilis, quòd omnem Angelicum intellectum illuminet, omnem autem ignorantiam ex animis, quibus inest, exterminet. Obserua verò, quòd in

Quomodo Angeli & homines illuminentur.

Angelis quidem rectâ coniecturâ dixerit lucem illuminare, in animabus verò priùs erroris tenebras eiicere, &

H

tum illuminare: nam Angeli cùm simplices ac vniformes sint, & ab initio lucis participes extiterint, continuâ intentione omnes illuminantur; homines verò, cùm duplices sint, & carnem circumferant, sæcularibus ignorantiis erroribúsque sunt assueti, & non possunt aliter illuminari, nisi tenebræ depulsæ sint. Vnde cùm lux naturâ suâ simul cum tenebris esse nequeat, idcircò luce subintrante, tenebræ fugantur: & quantum lux ingreditur, tantum animæ ipsam degustantes magis appetunt; & quantò illæ maiori desiderio aguntur, tantò magis lux affulget, quoniam dilexerunt multùm, iuxta sancta Euangelia. Non enim repentè lux affulget, ne quando

Luc. 7. 47.

caligine offundantur, sicut contingit iis qui è profundis tenebris solem directis oculis intueri volunt; sed sensim, iuxta modulum eorum qui lumen excipiunt, vt neque luce nimiâ infirmiores obruat, neque rursum, propter luminis inopiam, meritis non respondeat, sed iuxta susci-

A

pientium sursum contuendi capacitatem temperetur. Hoc enim est quod etiam superiùs dixit, Deum esse ordinem & mensuram nostram.

§.6. *Quæ sint mẽtes supramundana, circummũdana & mũdana.*

Illud quod supra omne lumen, bonum lumen dicitur; quia etiam omnem mentem supramundanam, scilicet virtutum superiorum, circum mundanam illam Angelicam, id est eorum qui, iuxta Apostolum, in ministerium missi, & ad ædificationem & obsequium ordinati sunt (id enim etiam in libro de Cœlesti Hierarchiâ tradit) & mundialem, scilicet humanam ex suâ plenitudine illuminat, iuxta diuinum Apostolum & Euangelistam Ioannem, dicentem, *Et ex plenitudine eius omnes accepimus.* Vel supramundanam ait, spiritalem; circummundanam, animalem; & mundialem, carnalem. Vel etiam aliter, supramundialem, eam quæ Theologiam docet; circummundialem, quæ naturalem contemplationem; mundialem, quæ practicam virtutem tradit. Deus itenim lux est, quia omnes intellecto præditas virtutes, cùm cœlestes tum nostras renouat. Quomodo autem renouat lumen? quoniam videlicet ex proportione rerum corporearum intelliguntur ea quæ ad animum & intellectum spectant. Quemadmodum igitur iuuentus est, in quâ corpus optimè functiones suas obire valet, senium verò, in quo non valet, sic etiam & animæ & mentis senium quidem est, in quo non potest exequi munus suum, iuuentus verò, in quâ potest. Dum itaque mens in erroris & ignorantiæ tenebris versatur, quodammodò consenescit, & vires eius obtorpescunt; verùm vbi lux intelligibilis affulget, renouatur, & quæ sui muneris sunt exequi valet. Porrò radius ille lucis intelligibilis mentes omnes continet, cùm supra omnes est, & à nullo continetur, atque omnem simpliciter illuminandi facultatis dominatum ac potestatem comprehendit, & superhabet, quoniam supra omnia lumina existit; & præhabet, quoniam harum creator est, & omnia congregat, & in vnum copulat. Quomodo autem lux omnia congreget & in vnum copulet, probat à contrario. Sicut enim ignorantia errantes diuidit (qui enim ignorat, in multa distrahitur) sic luminis cognitionisque præsentia colligit ea quæ illuminantur: insuper verò etiam conuertendi vim habet, dum à multâ visione ad id quod verè est conuertit (quemadmodum lucente sole is qui videt, ad ipsum primùm conuertitur, ipsúmque excipit) & ad vnam puram cognitionem, videlicet ad Dei notitiam, adducit varia illa visa, quæ nimirum ad multa sunt distracta. Cæterùm cùm visus rem per se subsistentem postulet, figmenta autem non sint imagines rerum aliquarum, sed fingantur (nam idcircò figmenta nominantur) magis propriè phantasias seu imaginationes vocari posse dicit, vtpote fabulosas cogitationes circa sensilia: solet enim imaginario etiam ea quæ non sunt, & in quorum cognitionem vel aspectum non venimus, effingere.

Ephes.4.12.

Lumen omnia renouat.

B

C

§.7. *Deus qualiter sit pulcher & pulchritudo.*

Hoc item bonum laudatur etiam vt pulchrum, & vt pulchritudo, & vt dilectio, & vt dilectum. Cæterùm cùm pulchrum quidem sit id quod particeps est pulchritudinis, pulchritudo autem id ipsum quod participatur; & dilectum quidem sit id quod particeps est dilectionis, dilectio verò id ipsum quod communicatur, & in nobis hæc secundùm distinctionem apparent, quoniam hæc sunt habitus, illa verò habituata, dicit, quoniam non eodem modo se habent, etiam in causâ, quæ in vno complectitur vniuersa. Nam in vnó & eodem & habitus & quæ habituata sunt complectitur, neque vt habituatum quid, nec vt habitus, sed vt supra hæc existens, aliis etiam causa est istiusmodi bonorum. Vnde etiam pulchritudo dicitur, propter eam pulchritudinem quam omnibus elargitur, & quòd auctor sit omnis concinnitatis ac splendoris (pulchritudo enim est proportio membrorum ac partium cum colore florido) vel etiam quòd omnia ad se vocet, & quòd semper sit & nunquam minuatur vel augeatur: nam excessus & defectus malitias dici non ignoramus. Neque secundùm quid & ex parte pulchrum, neque aliquando pulchrum, aliquando non, neque ad aliquid pulchrum, aut alibi, aut quibusdam) quæ vtique omnia ab istâ pulchritudine omnino aliena sunt, vbi nostra pulchritudo ex necessitate istiusmodi definitionibus subiecta sit) sed vt ipsum secundùm se vniforme semper existens pulchrum, quoniam neque diuiditur in habitus ac pulchrificas differentias. Nostra enim pulchritudo distinguitur: nam alia v.g. est pulchritudo oculi, & alia pulchritudo nasi, & alia totius faciei, & alia manuum. Nec vt aliis formosum, aliis verò non, sed vbique apparet pulchrum, & in omnibus, quod non habet nostra pulchritudo: etsi enim omnibus esse amet, quoniam etiam omnia pulchra valdè, sed non vniformiter. Alia est enim pulchritudo solis, & alia pulchritudo terræ, & alia aquæ, quæ variæ sunt pulchritudines, nec ad vnum conducunt. Id quod autem verè pulchritudo vniformis existit, in subiectis variegatur, idcircò in se pulchritudinem præhabere dicitur, quippe quod ante creaturas existat, & quidquid pulchrum est habeat eminenter, tanquam fons & principium pulchrorum omnium. Etsi enim multa pulchra sunt, tamen ex ipso pulchra sunt: in ipsâ enim supernaturali & quæ causâ caret pulchritudine, omnis pulchritudo omnisque pulchrum secundùm causam præexistit. Pulchrum autem vniforme Deus est; quoniam non per participationem pulchritudinis pulcher existit, vt in subiectum aliquod & qualitatem diuidatur, sed ipsemet & pulchrum est & pulchritudo, iisque superior: quæ autem ab hoc per participationem pulchra existunt, in qualitate aliquâ suam habent pulchritudinem. Huius pulchri causâ, elementorum connexiones, quas coaptationes vocant, fiunt, rerumque benè ordinatæ colligationes perdurant, quæ dicuntur amicitiæ & communiones; ratione quidem præditorum ad Deum aspirationes, quemadmodum Ecclesia primogenitorum in cœlo, atque etiam in terrâ, in brutis autem gregales societates, in inanimis verò mutuæ quædam quibus colligantur sympathiæ: hæc igitur cum pulchro vniuntur, per participationem ad auctorem conuersa. Hocce pulchrum est omnium principium vt causa efficiens, & vt causa finalis ad quam tendit omne studium & appetitus. Finis omnium, Deus enim finis dicitur tanquam omnia continens, & veluti cuncta in securitate complectens, & in quantum eius causâ producta sunt vniuersa, & nullius alterius indiguerunt vt perficerentur. Sic etiam medium dicitur, veluti perdurationem in consistendo concedens; & finis, quatenus omnia in eius voluntate terminantur, ad quem etiam conuertuntur. Hunc etiam vocat causam exemplarem, quâ omnium futurorum prædefinitiones in seipso præconcepit, & etiam ante productionem, vt inquit Apostolus: *Quos autem prædestinauit*, & quæ sequuntur. Sic enim vir sanctus futura in ipso præscienter prædefinita dixit per vnicam illam prænotionem, quâ cuncta complectitur. Quemadmodum igitur bonum, sic & pulchrum omnia appetuor; & nihil est in rebus quod non pulchri sit particeps in veri pulchri participatione. Audebit etiam non nemo dicere, id quod non est etiam pulchrum participare. Quomodo autem dicit participare id quod non est? quia etiam in Deo id quod non est per omnium ablationem prædicatur; vt quando quis dicit v.g. Deus non est hoc vel illud, sed supra ista. Id itaque quod non est, siue omnium ablatio, particeps est diuini pulchri ac boni in quantum diuinum numen vocatur non esse*. Possis etiam materiam non ens appellare, quatenus expers est pulchræ formæ. Possis etiam malum dicere non esse bonum, in quantum etiam huius pulchri particeps existit; quia per aliquod apparens pulchrum vel bonum fingitur: expressa verò similitudo dat nobis cogitandum id quod prius est. Cùm commiscuerit bono pulchrum, (sicut enim illud, sic & hoc cuncta appetunt) hoc, inquit, talium omnium est causa, nimirum vnicè, tametsi in singulis varietur, tamen vna simplexque permanet. Sicut idem sol calefaciens & lapidem, & vestem, & terram compluram, & aquam, licet diuersimodè pro materiâ subiectâ, ex hoc creaturarum omnium substantiales existentiæ. Pulchrè autem substantiales: nam existentiæ secundùm seipsas superiores sunt substantiis; existentia enim est, ipsummet esse aliquid,

D

E

F

Quomodo Deus sit rerum principiũ & mediũ & finis.

G

Rom.8.30.

Quomodo id quod non est Deũ participet.

H

* Scilicet hoc vel illud.

substantia

Quid sint existẽtia, vniones, & similia.

substantia verò est id quod quid est. Quoniam itaque de creaturis loquitur, meritò dictioni ὑπάρξεις, seu existentiæ, apposuit ἐνουσίους, seu substantiales. Vniones autem dicuntur, non quòd simul cum illo aceruatim aliquid vnum efficiant, sed quòd Deus erat fons illorum & principium, & ex ipso producta sint ea quæ subsistunt secundùm subsistentiam, ita vt etiam ad distinctiones suppositorum appareant. Identitates autem sunt virtutes adductrices & vnitrices rerum intelligibilium ad Deum, vti & similitudines, quandoquidem & ex ipso sint, eique inhæreant. Diuersitates autem sunt quasi partita quædam multiplicatio diuinæ voluntatis ad inferiora procedentis. Dissimilitudines verò, quoniam id quod creatur diuersum est à creatore. Fœdera sunt contrariorum elementorum temperationes : cohærentiæ sunt totius mundi connexio & consensus. Rerum vnitarum impermixtiones sunt sicut in humani generis communitate, & cuiusque hominis proprietate : communi enim essentiæ ratione omnes vniti sumus, vniuscuiusque verò proprietate minimè commiscemur. Immobiles omnium mansiones, quidlibet enim per se subsistit & est. Et rursus, omnium in quolibet communiones. Hinc corriguntur etiam opiniones duorum veterum Philosophorum, Empedoclis & Anaxagoræ. Siquidem Empedocles sphæram ab omnium amicitia & commixtione nominauit, ita vt quidlibet per se ab alio discerni nequeat, antequam pugna fiat & diuisio, secundùm quam mundus subsistit; Anaxagoras verò ita res omnes simul appellauit. Ait itaque, per se quidlibet subsistere, & omnia omnibus communicare, neque à propriâ mansione desciscere, & sic sphæram existere: non tamen realem inter se communionem habent, ita vt v. g. etiam in pane aurum, & lignum, & ferrum sint atomi quidam, qui propter paruitatem minimè videantur, vti Anaxagoræ placuit, qui generationem diuisionem nuncupauit; verumtamen communicant virtute secundùm qualitatem, vt quodammodo dici possit, id ipsum quod est aquæ fieri aërem & ignem, & à terrâ aquam, & à cibis carnes, & cætera; ita vt amicitia sit inconfusa, & complexus indissolubilis. Indeficientes autem ait esse successiones eorum quæ fiunt: *vsque enim modò operatur.* Et Aristoteles illud dubium aliter soluit, dum ait, omnia ab inuicem oriri, & huius corruptionem alterius esse generationem, & sic subiungit rationem, ne scilicet deficiat generatio. Cùm autem status sit & motus omnium Deus, supra stationem & motionem existit, tanquam rem quamlibet in propriâ ratione firmans, & mouens ad propriam motionem; idcircò dicit, omnes stationes ac motiones, siue Angelorum dicas, siue animatum, siue corporum, ex ipso sunt. Mentium igitur statio est, firmari in contentione ad Deum, etsi delegentur & descendant ad inferiora, vt ope indigentibus prouideant.

Ioan. 5. 17.

§. 8. Mẽtium motus triplex.

Cùm autem tripliciter motus fiat, ipsis etiam triplex hic motus est. Circularis quidem, dum circum semetipsas conuertuntur; rectus verò, quando ad inferioribus prouidendum procedunt. Cùm enim quælibet cura finem habeat (eò quòd recto motu cientur omnino finem habente) secundùm hunc mouentur, & prouidendi partes explent; cùm verò in semetipsos iterùm reuoluantur, ecce ibi obliquus motus subsistit.

§. 9. Motus animi qualis.

Iterùm, animæ status est immobilitas & stabilitas propriæ substantiæ. Motus autem circularis quidem est, quando mentis contemplatione cietur, & in seipso factus, ex extrinseco errore sensuum conglomeratur, & primùm in seipsum cogitur, & ex inde ad Deum manuducitur. Et hæc est obliqua mentis operatio, quando procedit quidem ad ea quæ secundùm partem existunt, capit autem notiones nequaquam intellectualiter & vnitè; hoc enim Angelorum est, qui secundùm crebram mutationem supernas visiones ac illustrationes intelligunt, dum pro eorum captu reuelantur. Anima verò ratiocinatione & euagatione, id est in particularia diuisa, atque ex communicatione addiscens, intelligit: mens enim ad ratiocinationes descendens aliquo modo diuiditur, & pluribus exemplaribus seu speciebus indiget, dum ratio modum inquirit, vt exprimat quod intellexit. Igitur anima commixtim & transcursim operatur, etiam quando intellectualiter intelligit, siquidem hoc animæ proprium est; quapropter solùm intelligit ea quæ transcendunt. Non intelligitur autem ab aliquo, ac si esset etiam intelligibilis, cùm sit omnium intelligibilium postrema, vt vel hinc etiam intelligibilis appelletur; non secùs ac testa in inexplebilis maris fundo constituta sensibilis est, vel potiùs ipsamet aqua quæ supra cœlos existit. Recto autem motu anima cietur, quando in semetipsam ingreditur (hoc enim est circulariter moueri) sed progrediendo ea quæ circum & extra ipsam sunt considerat, in quæ tanquam in symbola quædam directa, ex his iterùm motu recto ad simplices contemplationes adducitur, non ratiocinando, neque scientificam rationem inquirendo, quasi scientificè adduceretur : nam sic etiam res diuinæ scientificæ cognitioni subiacerent, & motus ille haud rectus, sed obliquus esset. Verùm à creaturâ mundi inuisibilia Dei simplicibus & rectis apprehensionibus, & non operosè, intellecta sunt supra omnem intellectûs operationem ac demonstrationem.

§. 10. Qualis sit motus sensilium.

Harum igitur trium motionum, scilicet mentium & animarum, & ipsarummet trium motionum quæ in sensilibus reperiuntur, & multò priùs, cuiusque Angeli & animæ, reique sensilis, mansionum, & stationum, & firmitatum vicissim etiam causa est Deus. Quomodo autem multò priùs mansionum quàm motionum? quia videlicet id quod manet præstantius est eo quod mouetur: vnde etiam quæ diuina sunt, sunt immobilia, nostratia autem mobilia sunt & nominantur : quoniam quoque omne id quod mouetur ab immobili mouetur; & quod immobile est, non opus habet eo quod mouetur. Quomodo autem res sensibilis tres hasce motiones habet, nisi quia videlicet elementa quidem rectum, vt ignis sursum, terra deorsum, vniuersum autem hoc circularem, Planetæ verò obliquum motum habent, quandoquidem ab Austro versus Boream, & vicissim à Boreâ versus Austrum mouentur, & ad idem punctum denuò reuoluuntur? Siquidem ex Deo & per Deum sint omnia, quantumuis natura sit parua, vel magna, vel æqualis aliis; & modo certo definita, corporearum quoque partium proportiones & congruentiæ, humorum temperationes, tota, partes, omne vnum & multitudo. Est autem quid vnum secundùm colligationem partium, vt homo, bos; & est vnum secundùm multitudinis vnionem, vt populus, congregatio, grex. Cuiusque item qualitas ac quantitas: hoc enim est quale, elementorum communiones ac distinctiones. Quemadmodum enim aliquid alteri vnitur, sic ab altero separatur: sic ignis secundùm calorem & aëri vnitur, & ab aquâ segregatur. Infinitas in magnitudinibus secundùm diuisionem, in numeris secundùm additionem, omnis finis, interpretantes sermones omnium, ordines, mutuæ excellentiæ, omnis substantia, & omnis habitus qui in eà est, & omnis vis & efficacitas, & omnis sensus, & ratio, & tactus siue notio, & scientia, & omnis vnio quæ per ignorationem rebus optimis coniungit, & omne quod est, ex ipso, & in ipso, & ad ipsum est, & spectat, & ab ipso continetur,) & in ipso existit omne principium siue exemplare, secundùm quod fit id quod fit, hoc autem est idea, quæ est intellectio per se perfecta, sempiterna, sempiterni Dei; siue finale, & cuius gratià id quod fit perficitur, siue efficiens, quod ab effectu separatum est; siue formale, quod fit id quod producitur; siue elementare seu materiale, ex cuius subiecto fit id quod fit. Et omnia quæcunque sunt ex bono sunt, & quæcunque non sunt à pulchro quidem non denominantur, siquidem non habent statum, sed in pulchro sunt; dicitur autem hoc pulchrum de omnibus per ablationem.

Omnia ex Deo.

§. 11. De amore.

Hic de amore sermonem introducit, ac ait : Omnibus igitur pulchrum & desiderabile & amabile est propter se & sui causà, & non propter aliquid aliud, & non solùm per se omnia ad inuicem amorem habent. Et inferiora quidem amant superiora, connectendo se ad ea, & quæ sunt eiusdem ordinis, amant sui similia, cum iis

communi

communicando; & superiora inferiora, prouidendo illis; & singula se ipsa, conseruando se, & omnia ad pulchrum & bonum directa, faciunt ac volunt quæcunque faciunt ac volunt; & simpliciter, omnia se mutuò & seipsa amant, & Deus amat omnia, vt omnia bona reddat. Quocircà etiam diuinus amor & bonus est, & rei bonæ ad bonum conducentis, & propter bonum: fit enim vt perficiat, & contineat, & sanctificet. Siquidem hic amor etiam Deum mouit ad nostri productionem ac prouidentiam, vt etiam ageret ac moueretur, nec sterilis remaneret. Notandum autem, non ipsas dictiones, sed vim scopi attendendam esse. Diuinè enim hæc ipse sermo explicat, non enim inuocamus ipsum nomen amoris, vt Gentiles: neque hoc proprium est eorum qui res diuinas intelligere cupiunt, sed sonos exiles aure tenus admirnmi, nec eos extrinsecùs admissos ipsam animam penetrare sinunt, neque scire volunt, æquipollentibus etiam dictionibus, quæ multum terreni sapiunt, res diuinas expromi minimè prohiberi; sed stolidè elementis ac dictionibus & syllabis animam non penetrantibus, sed extrinsecùs aures ferientibus tenaciùs adhærent: ac si non liceat quatuor per bis duo significare, aut simplices lineas per lineas rectas. Similia enim, imò eadem sunt, siue quis secundùm Cretenses matriam dicat, siue secundùm nos patriam, & sic de cæteris. Ne singula recenseamus, sciendum cur verbis & sensibus vtamur. Quando enim sermonem qui pronuntiatur, mouemus de sensili aliquo, tum dictionibus & scripturis & verbis opus habemus ad eius quod dicitur declarationem. Si autem anima à seipsa ad intelligibilia mouetur, in rectis operationibus superflui sunt cum sensilibus sensus, sublimia enim imaginatur. Quando autem deiformis effecta fuerit eleuationibus paulatim proficiens, atque per ignotam vnionem intellectiones suas in inaccesso lumine habuerit, tum etiam intelligibiles operationes sunt superfluæ, sicut & sensus, quoniam his sublimiora cogitat anima iam Deo vnita. Quando autem mens humi repentia seu terrestria imaginatur, & in sensili aliquo moueri studet, tunc clariores sermones, & quæ in rebus visibilibus maximè perspicua sunt, seligere oportet; quippe quando illa quæ sensibus obiecta sunt minimè liquent, & obscura existunt, tum vtique sensus ea quæ occurrunt, menti porrigere non rectè poterunt.

Quid potissimum spectandum sit in dictionibus.

§.12. Nomen amoris diuinius esse nomine dilectionis.

Sed ne hæc dicere videamur ad diuinas Scripturas immutandas, agedum ex ipsis Scripturis amoris nomen adstruamus. Adducit igitur in testem ipsum Salomonem & Magnum Ignatium, & denuò Salomonem, cuius etiam verba diuinorum introductiones oraculorum & vmbras gratiæ esse tradit: ne quid igitur nos in hoc terreat vel perturbet, siquidem Theologi commune censent esse nomen amoris & dilectionis: quin etiã nonnulli diuinius esse putant nomen amoris, tanquam occultius, sicut etiam magis absonum. Quantum enim videtur indecens & diuinis non conueniens, tantum est & occultum, dum quærimus quomodo & quam ob causam sic vocetur. Cùm hoc itaque, vt Deum decet, à nobis dictum sit, vulgus hominum, cùm non capiat vniformitatem amatorij nominis diuini, vel secundùm quam Deus amat omnia, qui est vnicus & simplex, & supra omnia amor, neque est diuisus in fines multos, sed in vnum, dum omnibus benè facit; vel secundùm quam nos ipsum amamus: nam etiam hic amor illius vniformis esse debet, iuxta illud, *Diliges Dominum Deum tuum ex totâ mente tuâ, & ex totâ animâ tuâ, & ex totis viribus tuis.* ita vt in animâ nulli alteri amori locus sit quàm amori diuino. Hoc igitur diuini amoris nomen vulgus non intelligens, ad amorem corporeum & distractum ac diuisum dilapsum est: alius enim aliud amat, & aliud appetit secundùm istiusmodi amorem, qui non est verus amor, sed magis simulacrum vel prolapsio ab amore diuino. Sicut enim ars fucandi simulachrum est artis gymnasticæ, dum fuco coloris pulchritudinem mentitur, quam tetterà ars exercitandi & culinaria medicina conferunt; sic etiam amor corporeus simulacrum est amoris diuini, cùm hic etiam animam accendat, sed ad nihil diligibile ac stabile, quin potiùs amoris lapsus est: siquidem diuinus ille amor proprius est animæ, hic autem alienus & extraneus. Vnde etiam animæ naturaliter & secundùm gratiam insitum est, vt vnum bonum appetat, & ad feruorem eius incalescat, quoniam istiusmodi calorem ac motum inserit: verùm mens à vero iudicio aberrat, & per concupiscentiam auertitur, & id quod secundùm naturam odio habendum est, existimat desiderandum esse, & tanquam quid permanens id quod transitorium est amplectitur, sicut dictum est; quia tanquam stabilem amabat, & non tanquam fugacem. Et hic est diuini amoris lapsus, ex impassibili in passibilem, ex diuino in corporeum, ex immateriali in materialem: vulgi enim turba non capit vnicum illud diuini amoris. & idcircò, tanquam id quod durius sit & magis exosum, de Deo ponitur, vt vulgus hisce in veri amoris cognitionem adducatur, vtque compendio ab istiusmodi falsâ opinione liberetur, dum intelligit, etiam exosum aliàs amoris nomen & infima quæque ipsi Deo competere. Sic enim etiam in Cœlesti Hierarchiâ ait: id quod magis absonum est opportunè de Deo dici, eoque magis quò vilius existit: quoniam hinc facilè mens abducitur, vt cogitet, Deum non esse istiusmodi, sed secundùm sublimem aliquem sensum sic appellari. Quis enim opinabitur Deum pantheram esse vel leonem? Lux autem vel ignis vel spiritus cùm de Deo dicuntur, faciliùs mentem aberrare faciunt, ne fortè quid horum sit. Eodem modo etiam de amore ac dilectione: in Deo quidem exosum illud nomen amoris ponitur, in nobis autem, vbi sæpenumerò aliquid absurdum homines terræ affixi suspicari possent, dilectio dicitur, quod nomen honestius videtur, iuxta illud quod in primo Regum à Dauide ad Ionatham dicitur. Cùm autem in sacris de Deo sermonibus à rectè sentientibus duo hæc nomina, ceu æquipollentia diuinis explanationibus, adhibeantur, & vnificam quandam virtutem seu copulandi vim significent, quæ in Deo præexistit, propter pulchrum & bonum, vt nimirum quæ ordinis sunt eiusdem, velut vicissim amantia & amata, se mutuò complectantur: prima verò inferiora moueant & ament, iis prouidendo, vt illa sui similia efficiant, inferiora verò ad superiora amabiliter affecta conuertantur, vt & illa, quoad fieri potest, superiorem statum consequantur.

Amor corporeus non est verus amor.

Deut. 6. 5. Matt. 22. 37.

§.13.

Est præterea diuinus amor ecstaticus: à se ipsis enim excedere facit amantes, dum viuunt & mouentur non ipsi, sed in ipsis ij qui amantur. Et hæc declarant illa quæ prædicta sunt, magis autem magnus ille Paulus, diuino hoc amore correptus, aiens, *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus,* tanquam verus amator, & qui excessit, vt ipse testatur, à se Deo; & rursum, veluti vicissim à supremo Deo prouidè amatus, non suam sed amati vitam ducens, ait: *Tanquam morientes, & ecce viuimus.* Nam audendum est hoc etiam tanquam verum dicere, quòd ipsemet omnium Deus, propter excessum bonitatis, extra se per rerum prouidentias existat, & in istiusmodi bonitate sibi quasi complaceat; ait enim: *Et quid volo nisi vt accendatur?* Et cùm sit ex omnibus exemptus, ad omnia deducitur, vnde etiam Zelotem ipsum appellant, vt qui multum in diuinis rebus amorem ostendat, & quasi ad sui desiderium excitet, quodque illa quæ ab ipso desiderantur ac procurantur, æmulatione digna sint & beata. Nisi enim talia essent, nequaquam indignaretur quòd ab ipso declinent, & aliis se adiungant. Et vniuersim, amor pulchri est: cùm enim pulcher sit, amat istiusmodi pulchrum, & in pulchro manet, & diffunditur consumendo. Siquidem amores corporum cùm rerum sint fluxarum, non secùs ac verni flores defluunt; amores verò diuini rerumque diuinarum, tanquam permanentium, ipsi quoque permanent in possessore suo, & pulchri causâ existunt: quoniam amor ille est ad amata condecoranda, néve materiæ colluuie conspurcentur.

Galat. 2. 20.

2 Cor. 6. 9.

Luc. 12. 49.

§.14. Quomodo Deus amabilis & diligibilis.

Quærit hic etiam, vt quid Theologi aliquando quidem amorem ac dilectionem, quandoque verò amabilem ac diligibilem dicant. Et resoluens quæstionem, ait, quòd quidem, tanquam auctor ac genitor amoris diuini,

amor appelletur; in quantum verò ipse est id quod amatur, amabilis dicatur: & secundùm illud quidem mouetur ad alia amanda, secundùm hoc verò mouet alia ad amorem suum. Vel amabilis dicitur, quia vim habet adducendi ac mouendi ad amatoriam in spiritu coniunctionem, id est, quòd huius mediator & ipsemet conciliator sit amoris, quo à suis creaturis adamatur. Dicit autem habere vim mouendi, vt qui singula moueat secundùm propriam rationem, vt ad ipsum conuertantur. Porrò nomen illud productionis seu prostitutionis, etsi apud profanos rem imputam significet, verumtamen hîc dicit intercessionem conciliatricem vnionis cum Deo, & hoc modo quidem amabilis dicitur; amor verò rursus & dilectio, tanquam vis motrix, & sursum ad se trahens illud quod solum & per se bonum est, & quòd ipse sit manifestatio sui ipsius per seipsum, nullo alio mediante, nec aliunde amore aliquo adueniente, nisi à se ipso in seipsum; tale enim est id quod per se pulchrum est. Quemadmodum enim mellis dulcedinem amamus, non aliunde moti quàm ab ipsâ, nec propter aliud, quàm illam ipsammet dulcedinem, quapropter etiam inexplicabilis est dulcedo illam ignorantibus, si enim ab aliis quibusdam ad hoc moueremur, vtique ex his aliquid dicere possemus, vnde etiam ignorantes cognoscerent. Sic cogita etiam in diuinâ veráque dulcedine amorem ex ipsâ existere, & ipsam esse amabilem cùm propter se, tum per se, & non propter aliud; nam istiusmodi vnio ab omnibus exempta est, & simplex, & ab ipsomet amabili mota. Porrò dicit, amorem hunc diuinum principio fineque carere, vtpote ex bono prodeuntem, & ad bonum se conuertentem, secundùm figuram circularem) quemadmodum neque linea circuli cognosci potest vnde inceperit, vel vbi desierit) etenim ex ipso boni desiderium, & ad ipsum iterùm tendit: in ipso verò est & manet amor agnatæ bonitatis, omniumque ad bonum hoc aspirantium. Deinde apponit etiam testimonium eorum quæ dicta sunt ex diuo Hierotheo.

Amor circularis.

HIEROTHEI.

§.15. Obserua quàm præclarè Magnus Hierotheus de laudabili amore disserat, primùm quidem diuinum ipsum asserens, quoniam Deus ipse primus auctor est amoris, idque per excellentiam & sine causâ. Si enim amor ipse charitas est, vel prædictum, scriptum sit autem, *quoniam Deus charitas est*, id est amor omnium vnificus, vtique charitas Deus est. Isthinc igitur per transgressionem progreditur ad Angelos, vnde ipsum quoque Angelicum dicit, vbi maximè quis reperiat diuinum illum amorem vnitatis: nihil enim apud ipsos dissonum aut seditiosum. Deinde post Angelos, intelligentem quoque amorem commemorat, id est, qui insit viris diuinæ Ecclesiæ, ad quos Paulus ait, Vt idem dicant; Et Dominus, *Vt sint vnum*. Posteà etiam de aliis hominibus qui amicitiæ rationem habent: nam amorem, qui est secundùm animas rationales, intelligentem nominauit, animalem verò vocauit amorem brutorum. Ex amatoriâ hac virtute & volucres gregatim volant, & terrestria natatiliáque coniunguntur. Porrò amorem naturalem vocat illum rerum animatarum & sensu carentium, cùm sensu carentia etiam propriè habitudinali aptitudine creatorem ament, propterea quòd ab ipso producta sint; nam secundùm naturalem suum motum etiam ipsamet ad Deum conuertuntur.

Amor est vnificus & collectiuus. 1. Ioan. 4. 8. Phil. 2. 2. Ioan. 17. 21.

EIVSDEM.

§.16. Quoniam ex vno ac vero amore Dei multos amores coordinauimus, Angelicos, intelligentes, animales, naturales (siquidem horum aliqui mundiales sunt, alij verò amores supramundiales, inter quos intelligentium & intelligibilium excellunt) agedum omnes ad eorundem Partem collectim reducamus. Nota autem, intelligentia esse ea quæ intelligunt, intelligibilia verò ea quæ intelliguntur, & intelligentia ab Intelligibilibus superari, vnde etiam illa quæ intelliguntur, cibos sunt intelligentium. Itaque intelligentia amant intelligibilia prorsus conuersiuè; intelligibilia verò etiam amant intelligentia, sed prouisiuè, illis vtilia communicando. In confesso igitur est, amores istiusmodi superare sensitiuos. Cæterùm hæc intelligibilia & intelligentia ex participatione veri boni talia facta sunt, ipsi autem amores per se intelligibiles, diuini sunt. Sicut enim aliud est bonum per participationem, & aliud bonum simpliciter; sic etiam aliud est intelligibile alicui, vt quod ab illo intelligitur; & aliud quod simpliciter est intelligibile, non vt tempus aut locus (hæc enim etiam intelligibilia, cùm non sint sensibilia) sed quòd sit intellectus intelligibilium, & viuens, & vita, & operatio. Vires itaque amatorias à multis amoribus ad duos omnino contrahi cupit, tam intelligibiles quàm intelligentes, quibus omnibus præstat & antecellit incomprehensibilis illa omnis amoris causa. Incomprehensibilem verò causam vocat vim creandi: siquidem hæc sola valet id, quod effectus materialis & formalis & finalis, dum efficit quæ illi videntur. Ad hanc igitur incomprehensibilem & efficientem causam, in commodum vniuscuiusque, omnium totalis amor extenditur, totalem amorem vocans illum, qui ex omnibus particularibus amoribus collectus est: Deus autem totalis & particularis amor existit, in quantum causa est & omnibus præbet amatorium quodammodò humorem. Quomodo igitur Deus totum & pars, sine egressu sibi præsens esse possit, ex seminandi ratione patet: quando enim semen absque interruptione simul in matricem deciderit, vnus quidam embryo formatur; si verò semen in varias matricis cellulas diuidatur, quælibet pars integrum format embryonem, erit autem seminis pars vna nasus, altera oculus, & sic deinceps, omniaque perfecta. Simile quidpiam considerandum etiam per proportionem de mente perfectâ, nam tota efficacia complectitur etiam partes: sic etiam Deus tam totalis quàm partialis amor est.

Distributio amoris. *Quomodo Deus totalis & partialis amor sit.*

EIVSDEM.

§.17. Duas igitur virtutes amatorias suprà dictas agedum in vnum colligentes, dicamus, vnam esse simplicem virtutem, quæ ex semetipsâ, & per semetipsam, & non per aliam aliquam virtutem, & in semetipsâ mouetur: inegressibiliter enim ex semetipsâ in semetipsam reuoluitur vsque ad extremitatem rerum, & ex hac in semetipsam. Et post hæc exponit sanctus hic quorundam quæstionem, est autem ferè tota Gentilium & Manichæorum.

§.18. Ait itaque, non neminem obiicere posse, Si bonum omnibus est amabile (nam id ipsum quod non est illud expetit, non ens vocans informem materiam; idem enim est bonum, atque formificum. Quemadmodum igitur materia formam, sic id quod non est Deum expetit. Quin imò quod non est, in Deo supra essentiam dicitur, siquidem & quantitate & formâ & figurâ caret, & Deus est non terra, non aqua, non ignis, sed supra hæc omnia superessentialiter,) si inquam omnia bonum appetunt, quomodo turba dæmonum non illud expetit? Primùm autem obseruandum circa non ens, veteres illud non ens non solùm informem materiam, verùm etiam extremam turpitudinem appellasse. Materia autem dicitur non ens, non quòd omnino nihil sit, sed quòd non sit aliquid rerum existentium; siquidem ex non entibus etiam ipsa materia à Deo producta fuit, sed non, vt aliqui opinabantur, sine formâ & figurâ: ideoque materia non est principium sensilium, sed potiùs eorum complementum, & extremum quid ac fundamentum entium. Et quod sensibile est, non sine materiâ est, sed cùm sit præstantius quid materiâ, formam quoquo modo participat; nunquam igitur ostendetur materia sine formâ & qualitatibus, quando enim fuit ignis sine calore aut lumine, vel aqua sine frigore & humiditate & cæruleo colore? Idcircò etiam dixi, materiam ratione concipi, & non sensu apprehendi, nec non impropriâ seu illegitimâ ratione concipi perhibetur: sic etiam quod hoc sit

Quomodo id quod nō est bonum appetat.

dicitur,

dicitur, sed quod illud non sit, quippe quid peius omnibus. Etenim sic etiam de Deo dicimus, verùm tunc asserimus, ipsum quid omnibus esse melius, idque superessentialiter. Si itaque hæc ita se habeant, quomodo turba dæmonum bonum non expetit, sed à suo statu prolapsa, tam sibi ipsi quàm aliis peruersis malorum omnium causa existit? *Quomodo producta sint mala.* Quomodo autem, cùm producta sit ex bono, boni formâ caret, particeps existens eius qui essentialiter & non participatione bonus est? nam quæ extrinsecùs eius desiderio bona facta sunt, boniformia dicuntur, & non reapse bona, aut quomodo bona facta, mutata est bono minimè superante? Ecquid est quod illam mouit ad malitiam, vel potiùs, quodnam eius principium? neque enim religiosum sit duo principia statuere, secundùm Manichæos. Si autem bonus ipsam produxit, quomodo voluit hoc facere? vel si voluit, quomodo potuit? Quemadmodum enim ignis naturalem impôtentiam habet ad frigefaciendum, & quidquid fiat non refrigerabit; sic etiam ipsum per se bonum naturalem impotentiam habet ad faciendum malum. Quomodo verò, etiam extante atque omnia gubernante prouidentiâ, quâ cuncta in bono perseuerant, malum est, vel fit? vel si vnquam factum sit, non è medio sublatum est? & quomodo quidpiam relicto bono, malum experit?

§. 19. Obiectiones variæ circa malum vnde existat. Stylum hîc circa malum simpliciter, & non circa dæmones, exercens, & resoluens quæstionem, ait, Malum neque ex bono dicemus productum esse, neque ex malo: siquidem non est ex bono, quia aliàs ipsum quoque non esset malum, quemadmodum enim ignis non est refrigerare; sic neque boni, malum producere. Rursum verò non est ex malo, quoniam sicut boni natura est producere ac seruare, sic etiam mali est corrumpere ac perdere. Quid igitur? dicet aliquis. Vel igitur non est malum reliquum, vel existens habet partem aliquam boni, secundùm quam omnino est. Rursum oritur vtrimque quæstio. Si namque non est omnino malum, virtus & malitia quid vnum erunt, vti in progressu tradit: si autem est, & ea quæ sunt, omnia bonum appetunt; & si quid fit, vel propter bonum fit, vel propter id quod videtur bonum (nam & ipsamet inuidia oritur propter id quod apparet bonum, & omnis rerum scopus principium ac finem habet bonum) etiam malum, in quantum est, habebit appetitum ad bonum, quomodo enim omnino existat eiuscemodi boni affectu destitutum? Si igitur res omnes etiam ex Deo & in Deo sint, etiam illum ipsum quod non est vt materia, & quæ ex ablatione de Deo superessentialiter prædicantur, malum id quod in rebus ponitur, in Deo erit, & id quod non est in rebus, iterùm in Deo erit. Si autem non sit in Deo, quid tandem erit quod extra res & non res est? cùm in confesso sit, Deum esse extra ea quæ sunt, & extra ea quæ non sunt; & id quod non est in bono supra substantiam dici, non quòd hoc sit vel illud, sed supra hæc suprasubstantialiter. Bonum ergo locatum est supra id quod est, & supra id quod non est; malum autem non solùm alienum est à rebus (nam si esset, boni particeps existeret) verùm etiam à non entibus remotum est, & iis ipsis minus ens est, cùm id quod non est etiam in Deo desuper collocetur. Concluditur itaque, haudquaquam quidquam esse malum, & si hoc sit, indifferentia erunt omnia & laudabilia; & non solùm, virtus cum malitiâ erit idem, tota toti, & partialis proportionali, v. g. fortitudo pusillanimitati, verùm etiam id quod virtuti repugnat virtus erit. Cæterùm formans syllogismum hypotheticum, elidit sequelam, dicens, Contraria est temperantiæ dissolutio. Neque verò dico illa sibi repugnare & contrariari, in quantum ab hominibus ipsis participantur, sic enim propter alias aliquas causas aduersari viderentur; verùm etiam antequam exteriùs se prodant & appareant, multò priùs in ipsamet animâ cum parte rationali animæ dissident ipsæ passiones, ira inquam & concupiscentia: atque illa quidem auriga dicitur, hæc verò subiugalia, semper quidem præuertentia, nonnunquam verò etiam obsequentia, quando videlicet ratio tenet principatum. Ex hoc itaque fit necessarium, dari aliquid bono contrarium: neque enim bonum sibi ipsi aduersatur; omnia enim bona, ab vno principio vnáque causâ profecta, vnitate gaudent, & sibi mutuò nequaquam aduersantur. Ne quis itaque dixerit, maius bonum minori bono repugnare; quantitati enim nihil est contrarium, neque magis calidum minùs calido contrariatur. Sequelâ itaque elisâ concluditur, malum existere, & opponi bono: neque enim quod malum corruptio sit rerum, ipsum hoc malum ab essendi statu eliminat, quin ipsamet corruptio quandoque ad generationem facit. Sic ouum quidem corrumpitur, sed in auem transformatur; & medulla cerebri bouis in apes, & equi in vespas per corruptionem transmutatur. Erit itaque & ipsum non solùm ens, verùm etiam cùm ad generationem tum ad consummationem conducet, & per se præbebit effectui vt non sit imperfectus.

§. 20. Malum quà malum ad nihil vtile est. Postquam dixit, ex istiusmodi rationibus colligi & esse malum, & ad quorundam generationem facere, aliam opponit rationem veriorem, & ait, malum quà malum ad nullam generationem facere, sed tantùm corrumpere, quantum ex se est, rerum subsistentiam. Si quis autem dixerit, hoc ipso generationi subseruire, quòd alterius corruptio alterius generatio existat; respondendum, non in quantum corrumpit dare generationem; sed corruptio quidem corrumpit, si quid autem gignitur, ex bono gignitur, & erit malum. Obserua enim quòd adhuc examinet rationem, & idcircò dicat, Est & non est. Atque adeò malum ex se quidem erit corruptio, subseruit autem generationi per id quod bonum est. Et per se quidem neque res est, neque res producit: cùm enim sit malum, quomodo consistat vnquam, & vnde habeat existentiam, cùm sit priuatio? Per bonum autem & res est, & bona producit. Res, inquam, quoniam hoc recedente illud apparet: bona verò producit, quia dum hoc corrumpit substantiam formatam, subintroducitur alia forma materiæ inexistentis, & per bonum formationem suscipientis; præsertim cùm obuia sit in diuinis Oraculis ex rerum præcipuarum enumeratione traditio. Hoc vniuersum, inquit, boni est, sicut in progressu demonstrabit. Quomodo enim id ipsum erit & bonum, in quantum corrumpendo promouet generationem, & malum, in quantum corrumpit? neque enim eiusdem & vnius rei virtus vnica secundùm idem & corruptio est & generatio: quod vtique continget, si concedamus, malum esse virtutem quæ secundùm se non corrumpat; per accidens autem generationem exhibeat. Quomodo enim motûs contrariorum vna eademque vis erit? nam si etiam medicus dicatur habere vim sanandi, & habere vim morbum conferendi, illud quidem per se, hoc autem per accidens, propter absentiam vel inaduertentiam, & gubernatori non solùm præsenti salutem nauis adscribimus, verùm etiam absenti perditionem. Quod enim præsens huius causam dicimus, inquit Aristoteles, id etiam absens contrarij causam asserimus. Sed præsupponitur in his vis aliqua, in illo quidem curandi, in hoc autem seruandi, cuius absentia contraria præstet; ac per se quidem illa fiunt secundùm habitum, hæc verò secundùm priuationem per accidens: ibi autem priuatio se habet per se, habitus verò per accidens. Quænam itaque hæc vis sit, quæ secundùm priuationem subsistat, quæ in eodem sit & corruptio & generatio? Neque enim corruptionis priuatio generatio est, sed generationis & existentiæ priuatio corruptio est: neque priuationis absentia forma est, sed formæ absentia corruptio est & priuatio. Quapropter cùm etiam malum per se corruptio sit, bonum autem per se valeat ad generationem, quomodo per se corruptio sit per se virtus, vt possit aliquid facere? Sed sciendum, quòd cùm per se malum, per se immensum, per se informe, & se ipso essentialiter malum sit, non autem per alterum malum: hoc enim forma est, & quasi accidens malitiæ. Sicut iterùm Deus per se mensura, per se formam tribuens, & per se bonum essentiale est, non autem in altero bonum; hoc enim accidens. Illud itaque per se malum neque est, neque efficax est, nec apparet in aliquâ existentia, sed in

A

Quomodo malũ rebus admisceatur.

irreptione, in boni priuatione. Et hoc est, quod magnus ille Theologus Gregorius ait esse in boni fugâ. Quomodo igitur malum irrepat, cùm non sit, fusiùs exponit, & totum bono attribuit. Bonum itaque quibuscumque quidem perfectè inest, eadem impermixta & integra bona reddit; quibus verò minùs inest, permixta sunt malo. Malum tamen non est per se, sed per boni defectum, quandoquidem illa perfecta bonitas, quæ per omnia se diffundit, non solùm vsque ad cœlestes ac diuinas virtutes pertingit, sed ad extremas vsque etiam terrenasque protenditur; quoniam idcircò etiam terra dicitur scabellum Dei. Atque aliis quidem aliter atque aliter secundùm intensionem & remissionem, extremis verò secundùm extremum quasi sibilum adest bonum. Sicut enim diximus, suppone aliquem altè vociferari, ac vicinum quidem auditúque valentem totam vocem excipere, remotos autem pro tatâ distantiæ portione, remotissimum verò obscurissimè tanquam sibilum quendam vltimum

B

vocis quodammodò percipere: nisi enim hoc modo bonum participaretur, vtique diuinissima existerent, quæ nouissimorum modo ordinem tenent. Quonam autem pacto oportebat æqualiter omnia bonum participare, cùm quælibet ad æqualem boni participationem non sint accommodata? Nunc autem hæc est potentiæ boni præstans magnitudo, quòd etiam sui expertia non aliis, neque aliter quàm per sui priuationem corroboret ad ipsum omnino participandum. Et hoc est, quòd quæ impossibilia sunt hominibus, possibilia sint Deo. Quod si confidentiùs dicere liceat, illa etiam quæ ipsi repugnant, ipsiusmet vi & sunt & pugnant: sustinet enim peccatores Deus, imò plurimos diuinis suis voluntatibus repugnantes; & hoc est quod ipsius iudiciis reseruatum est, dum dicimus, quibus iudiciis nouit Deus, hoc fit, & hoc non fit. Quin imò, vt summatim dicam, ea quæ sunt omnia, in quantum bona sunt, & sunt, & bona ex bono sunt, non modò non bona sunt, sed ne existunt

C

Abd. 16.

quidem. Hinc intelliges etiam illud Abdiæ Prophetæ dictum de peccatoribus, *Et erunt quasi non sint.* Quod etiam in profanis locum habet, vt in Homero v. g. cùm quis loquitur de bonis quorum olim particeps extitit, quibus modo priuatus est, si quando fuerint. Vnde colligitur, omnino malum esse quod omnino priuatum est bono, vt quod nec erat, nec est, nec esse potest. Suppone, inquit, bonum esse habitum: nam licet Deus sit supersubstantialiter & per se bonum, & essentiale bonum, tamen in participibus etiam bonum est secundùm quendam habitum. Ponit itaque aliquem quidem manere in habitu, etiam deficiente habitu, sicut deficiente calore ignis [manent] calida quæ calefacta sunt, & frigore niuis frigida, quæ frigefacta sunt. Et rursum alia sunt, quæ dum aliquos habitus non participant, tamen seruantur & existunt. Quot enim res sunt vitæ mentisque expertes, attamen sunt, lapides, & stirpes, & similia? Veni etiam ad ipsum Deum; à substantiâ exemptus est, & est super-

D

substantialis. Et simpliciter in aliis quidem, vel absente etiam habitu vel non insito, esse aliquid & subsistere potest; quod vero omnimodè bono priuatum est, tanquam per se malum, nequaquam existere potest. Ponit igitur exempli gratiâ intemperantem, qui quatenus mali particeps est, neque est, neque omnino quidquam concupiscit (qualis enim amor est, talia & illa quæ amantur) simul tamen secundùm quandam vnionis & amicitiæ speciem boni particeps existit, si non existentis, saltem apparentis; hoc enim est obscurum quoddam eorum quæ sunt amicitiæ vestigium. Et qui iracundiâ abutitur, particeps esse boni dicitur, in quantum mouetur ad corrigenda illa quæ videntur mala. Sic & is qui deterrimam vitam expetit, boni particeps existit, in quantum cupit vitam optimam ipsi visam. Et qui malum aggreditur, in quantum videtur bonum agere, bonum participat. Ita vt si omnino bonum sustuleris, omnia sustuleris. Et quòd ex

Malum specie boni appetitur.

corruptione fiat generatio, vti superiùs dixit, non est mali vis, sed minoris boni victoria. Sicut etiam sanitas ordo est & commensuratio temperiei, morbus vero defectus istiusmodi ordinis, verumtamen non vniuersi, sed

E

alicuius: nam si defectus esset vniuersi ordinis, animal interiret, & morbus non subsisteret. Est itaque morbus absentia sanitatis, pro statu habens minimam constitutionem: nisi enim sanitas aufugeret, morbus non subsisteret, qui consistit in defectu constitutionis: neque sanitas à morbo superata abesset; nam sic etiam morbus primum ordinem haberet. Verùm morbus est priuatio sanitatis, idcircò etiam dixit παρυφιστάμενον (id est quid minus quàm subsistens;) siquidem non habet subsistentiam, sed quasi subsistentiam in hoc quod absit sanitas; sicut tenebræ lucis subtractione quodammodò subsistunt. Quod itaque omnino boni expers est, non existit; quod autem boni particeps est, secundùm bonum, & in quantum boni particeps est, vel maius vel minus quid existit, & in rebus est. Simili modo etiam in eo quod dicitur ipsum esse per affirmationem: nam quod nequaquam vsquam est, tametsi etiam diceretur ipsum esse per affirmationem, nequaquam erit. Quod autem partim

F

quidem est, partim vero non est, id quatenus ab eo quod verè est decidit, non est etiam vel aliquali modo, & non ens ipsius superatur atque seruatur: nam hoc etiam priùs dixit, quod etiam priuationes roboret secundùm quod omnino sunt. Quod itaque prorsus malum est, nec est quidem: quod autem partim quidem bonum, partim vero non bonum est, hoc alicui bono aduersatur, verumtamen superatur & continetur à bono aliquali eius participatione. Etsi enim pusillanimitatem aut audaciam dixeris, habent etiam hæc portionem aliquam boni, illa quidem prouidentiam & amorem vitæ, hæc verò strenuitatem & ad pericula promptitudinem. Bono enim prorsus decedente, id quod remanet nec omnino bonum erit, neque mixtum, neque etiam per se malum. Duo igitur percurre. Quomodo enim omnino erit bonum, à quo decessit omnimodum bonum? quomodo vero iterùm per se malum erit, cùm omnia quæ sunt bonum participent?

G

hoc autem omnimodè abest à bono. Quod vero neque mixtum quid residuum erit in omnimoda boni absentiâ, ostendit sic dicens. Si demus in omnimodâ boni absentiâ, malum quod remanet imperfectum esse bonum, manebit in ipso residuum aliquod bonum: atqui in omnimodâ boni absentiâ, tam quod perfectum quàm quod imperfectum est aberit, quomodo ergo erit hoc imperfectum bonum? tunc enim tantùm apparebit malum imperfectum bonum, quando non est omnimoda boni absentia. Sed id quod est eiusmodi, quibusdam quidem bonis tanquam malum aduersabitur, ab aliis autem tanquam bonum eximitur: nequeunt enim eadem secundùm eadem inter se in omnibus pugnare. Non ergo existit per se malum.

§. 21.

Quin ne quidem est in rebus, vti demonstrabit per syllogismum hypotheticum, coniunctione disiunctiuâ. Si enim in rebus omnibus sit bonum, malum vel in rebus non erit, vel si sit, in bono est: sed hoc impossibile est vt sit in bono, ergo sequitur illud prius, quòd non sit malum

H

in rebus. Assumptum itaque confirmat ab exemplo, dicens: Neque enim in igne frigus est, nec deprauatio in eo quod etiam malum bonum reddit. Quod si erit, quomodo erit in hoc? si quidem ex ipso quodammodo subsistat, absurdum id est, *non* enim *potest arbor bona malos fructus facere*, secundùm sancta Euangelia. Neque etiam econtrà bonum ex malo est, quoniam id absonum & impossibile est. Sin autem non ex ipso, ex aliâ profectò causâ subsistet, & ecce duo principia & causæ. Nulla autem dualitas principiat, sed vnitas quoque erit principium dualitatis. Hæc autem omnia dicuntur contra Manichæos; quia dualitas non principiat, vnitas autem omnis dualitatis principium existit. Rursus absurdum; ex vno & eodem duo contraria, bonum & malum, proficisci, & principium non esse simplex, sed duplex; sibique vel contrariari, in quantum contraria producit; vel immutari, vt aliàs quidem producat bonum, aliàs vero immutatum producat malum. Quod si vel vnum absurdum hinc sequatur, quid vtique erunt ipsa principia? an rursus duo contraria? sed id absurdum est: neque enim sibi mutuò inesse possunt, neque sibi inuicem repugnare, nam sic ne Deus quidem

Math. 7. 18.

Nulla dualitas potest esse principii

ipse incolumis erit, & ab insultu molestiáque liber. Deinde cuncta erunt inordinata pugnantiáque, cùm alia quidem sub hoc alia vero sub isto existant: sed hoc fieri nequit, quoniam bonum amicitiam conciliat, & Deus pax ipsa celebratur; idcircò etiam omnia bona consona sunt (sicut mala pariunt diuisionem; nam κακὸν, id est vitium, à χάζω, id est vito, siue recedo, nomen habet) & ex vnâ vitâ diuinâ propagata sunt, & ad vnum bonum tendunt. Non igitur in Deo, nec quid diuinum, nec ex Deo malum est: vel enim non bonus, & sic ex ipso malum est; vel bona facit, & sic ex ipso non est. Neque etiam aliquando quidem bonum producet, aliquando vero malum: sic enim mutationem pateretur etiam circa id quod omnium est diuinissimum, scilicet causam. Si vero quid aliud sit Deus, & aliud in ipso boni substantia, vtique per accidens in Deo bonum erit; & sic aliquando quidem Deus erit habens in se notam diuinitatis, scilicet bonum, aliquando verò non erit, bonum abiiciens. Quòd si participet bonum, ex alio participabit & aliquando, quandoque vero non participabit, sed mali particeps erit; & sic bonum quidem participans bonum, non participans autem producet malum, quod est absurdum. Non itaque ex Deo, vel in Deo malum, neque omnino, neque certo tempore.

§ 22. *Neq. etiã in Angelis esse malum.*

Quin ne in Angelis quidem est malum, siquidem Angelus imago Dei est, id ipsum existens secundùm participationem secundo ordine, quod secundùm causam est id quod enuntiatur primò, arcani luminis declaratio & speculum purissimum, venustatis species excipiens, & à malo impollutè sive boniformiter in semetipso resplendere faciens arcani illius silentij bonitatem, ergo etiam in Angelis non est malum. Silentium autem quod in adytis est, vocat diuinum illud arcanum: siquidem id silent res viles propter suam deformitatem, res vero pretiosæ ac diuinæ illud silent propter eius venerationem, quodque non valeant enuntiare illa quæ in adytis latent, quò mens nulla penetrat, quantumuis pura sit, & propter sanctitatem perspicacissima. Atqui dicet aliquis, malos esse Angelos quòd puniant. Hanc obiectionem sapientissimè dissoluit, primùm à Sacerdotibus, qui indignos à diuinis mysterijs arcent: deinde dicit, ne id ipsum quidem malum esse, punire aliquem, quoniam correctio est, correctio autem bona, neque qui puniunt mali sunt, dictum est enim, *Non enim sine causâ gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malè agit.*

Rom. 13. 4.

Cæterùm solutionem propositæ quæstionis prosequitur, & ait, nec ipsos dæmones naturâ malos esse. Hoc ex pluribus probat: primùm quidem, quomodo alioquin à bono creatore conditi, & aliud sint, quoniam ex bonis mutati? mutationes enim quæ sunt secundùm alterationem, non sunt secundùm substantiam, sed secundùm qualitatem, sicut illæ quæ sunt secundùm augmentum aut decrementum, secundùm quantitatem; mutatio autem secundùm substantiam, generatio est, vel corruptio. Cùm itaque mutati sint, oportebat eos, si secundùm substantiam mutati essent, interire, & in nihilum abire: sed ecce sunt substantiæ immateriales, tametsi secundùm alium modum dicantur non-esse, in quantum mali sunt. Tu autem considera, quod aliud sit, in nihilum abire ac interire, & aliud, non esse quidpiam. Sicut enim generatio alia quidem simplex est, vt secundùm substantiam; alia verò secundùm quid est, vt secundùm alterationem: ita etiam corruptio, alia est simpliciter, quæ secundùm substantiam; alia verò secundùm quid, quæ secundùm alterationem. Quod itaque corruptionem alterativam subierint, dicuntur non esse; cùm autem illam secundùm substantiam ignorarint (quoniam immortales sunt) non dicuntur interire & in nihilum abire.

§. 23. *Verùm & quid in dæmonibus malum sit.*

Deinde diuidens hic Sanctus, quærit: Si mali sunt, sibine mali sunt, an aliis? Si sibi, sequitur, illos se ipsos interimere (nam malum interimendi vim habet: verùm non ita se res habet.) Sin aliis (rursum distinguit.) Quid interimunt? substantiámne? an potentiam? an actionem? (talis differentia est inter potentiam & actionem, qualis est inter habitum & operationem ex habitu: v. g. potentia ignis est calefactiua, actio autem est calefactio alicuius.) Si itaque substantiam interimunt, primùm quidem, quandoquidem illa quæ naturâ suâ incorruptibilia sunt, minimè interimunt, sed ea quæ naturâ suâ corruptibilia existunt, quæ etiam sine illis debebant interire, nil faciunt contra naturam, sed secundùm naturam rerum. Deinde vero neque hoc omnino malum est, sed eatenus solùm est malum, quatenus interitus, vt putant, fit ante tempus: neque omnibus id malum est, quibusdam enim id bonum est, vt in feris & serpentibus, & herbis noxiis. Cùm igitur hoc soluisset per oppositionem, modò soluit etiam per instantiam, quod nihil eorum quæ sunt intereat in quantum substantia est, ita nimirum vt penitus aboleatur & annihiletur, sed defectu naturalis ordinis debilitatur, vt ita se habeat. Imbecillitas autem hæc non est perfecta corruptio: nam si perfecta foret, illis circa quæ corruptio versatur intereuntibus, etiam ipsamet corruptio deficeret. Itaque defectio ordinis non est tale malum, siue omnino malum, quod in rebus non existit, sed deficiens bonum. Eadem quoque ratio est de potentiâ & actione: si enim interiret omnino subiectum potentiæ & actionis, non solùm non ipsa potentia & actio forent, sed nec ipsa corruptio. Sin subiectum quidem seruaretur, sed potentia actioque deficerent, corruptio hæc non esset omnino mala, vt quæ non penitus interimeret, sed solam potentiam & actionem. Quin etiam sæpenumerò corruptio bonum foret: nam si potentia & actio bonarum rerum erant, corruptio earum inter mala est; sin illa erant malarum rerum, tum corruptio erat bonum, quippe sinens quidem subiectum, interimens vero malum habitum & actum. Præterea dæmones, quatenus ex bono Deo oriundi, nequaquam mali: verumtamen si quis dixerit eos malos, dicam & ego; sed non in quantum hoc sunt, sed quatenus hoc non sunt, nempe sicut erant creati. Quoniam procreati sunt & ipsi ad omne opus bonum, sed infirmati sunt, quod non custodierint principatum suum ac statum in quo creati erant: in nullo enim alio mali sunt quàm in cessatione habitus bonorum, & quod non operentur bonum, ita vt secundùm propositum mali sint, & non secundùm naturam; alioquin enim fuissent semper mali. Atqui contrà si semper mali, non mali. Vnde concluditur, quod si secundùm naturam mali sunt, non sint mali. Hoc enim absonum: malum autem quod semper eodem modo se habet, non est malum siquidem, eodem modo se habere, proprium est boni; quoniam bonum est conseruatiuum identitatis, sicut malum destructiuum. Quod si non semper mali fuerint, cùm reperiantur boni esse creati, non sunt naturâ mali, sed quatenus sunt & viuunt & intelligunt participes sunt boni, quam vtique vitam etiam appetunt; sed dicuntur mali, quatenus in naturali suâ actione infirmantur, & à rebus sibi conuenientibus deficiunt. Quid verò, dicet aliquis, præterea malum in dæmonibus? Furor irrationalis (inuenitur enim etiam in nobis ira rationalis, vt contra hostem & peccatum) & concupiscentia demens (siquidem etiam in aliis prudens concupiscentia reperitur: *Desiderio desideraui*, & *Vir desideriorum* bonorum Daniel) & imaginatio præceps, dum illa imaginantur quæ nunquam habebunt effectum: est enim etiam imaginatio minimè præceps, quâ ea quæ sunt & fieri possunt attingimus.

Iudæ 6.

Luc. 22. 15. Dan. 9. 23.

Cùm itaque hæc ita se habeant, siue quis bona dicat de viris probis, siue mala de dæmonibus, in aliis tamen animalibus sunt virtutes constitutiuæ, & nequaquam horum habitus: sed ablatio est interitus, ablatâ enim iracundiâ, imaginatione & concupiscentiâ, nec ipsum animal erit; quapropter hæc non sunt mala, atque adeo etiam in dæmonibus non omnino mala sunt, quippe illos non interimentia. Non itaque mali sunt secundùm naturam, sed in quantum non sunt boni. Neque bonum, quod illis concessum est, penitus

peremptum

peruersum est, quasi fortè pœniteat Deum quòd ita illos honorarit, absit; sed ipsimet à toto bono desciuerunt, potentias suas boni visiuas odio habentes, iuxta id quod de populo Israëlitico dictum est: *Oculos suos clauserunt, & auribus grauiter audierunt, ne quando conuertantur, & sanem eos.* Idcircò etiamnum satanas lucifer nominatur, & in Euangeliis dicitur: *Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* In ordinem enim suum Angelicum ac luciformem inordinationem & interitum ex proposito inuexerunt, sicut reperitur apud Ezechielem: Corrupta est scientia tua cum pulchritudine tuâ, id est luciformis habitus & Angelicus decor. Quomodo autem, dum id quod non est appetunt, malum appetunt, nisi quia Deus veritas est & ens? quod autem veritati repugnat mendacium, neque ens est, siquidem omnino est extra Deum, nec imago veritatis. Cùm autem persuadeat quibusdam prorsus esse aliquid, obscurum erit ac tenue rerum quoquo modo existentium simulacrum; quocircà etiam effectu simulacrum est, & effectu falsum, id est verè ac realiter falsum, atque adeò etiam effectu non ens. Quemadmodum igitur in falsis entibus, si falsitas auferatur, omnem rei substantiam aufert; ita quoque falsitatis amans, vt dæmones, amat id quod non est, & in eo quod est, id est in veritate, non stat. Dæmones igitur, sicut ait Dominus, cùm mendaces sint & mendacij patres, appetunt id quod non est, malumque desiderant.

Matth. 13. 15. Luc. 10. 18.

§. 24. *Malum non esse in animis.*

Transit ad dictas prauas animas, sermonem in iis exercens, an possint in iis etiam secundùm substantiam aliqua esse mala, & ait: Sed quis dicat animas esse malas? Etenim vel ex eo, quòd cum aliis rebus malis versetur, malum anima habebit, vel quòd à semetipsâ deprauetur; siquidem ex conuersatione, vel vt mala simili se coniungit ei accurrens, vel vt bona, quò fortè illi prosit, iuxta dictum Apostoli, *Factus sum iis qui sine lege erant, tanquam sine lege*, & hæc non sunt mala, quoniam vtraque & prouidè & salutariter fiunt, dum nimirum anima studet vel malum euitare, vel in bonum commutare. Illud primum itaque, quod tanquam mala cum malis coëat, prouidentiæ quoq; ac salutis rationem habet, scilicet apparentis & non omnino veræ; quoniam praua anima curat, vt seruetur malum in iis quibuscum congreditur: hoc modo aggreditur qui sanctos ab initio cepit, quia sub boni specie congreditur, vt nimirum prosit, & sic noceat. Præterit hîc alterum, quòd tanquam mala sæpenumerò cùm malis congrediatur, inferens hoc esse bonum, in quantum iis quæ perdita sunt consulere ac salutem adferre cupit tametsi non possit, sed potiùs ipsamet mali particeps reddatur. Ad secundùm hoc tantùm opponit: Quòd si tanquam bona congreditur vt prosit, & per hoc noceat, non iam hoc malum, sed bonum, & ex bono quod etiam malum bonum facit. Quod si non hoc, sed alterum concedamus, quòd nimirum anima deprauetur à semetipsâ, quanam aliâ re deprauetur, quàm defectione bonorum? Nequaquam sanè in supposito aliquo malo deprauetur, sicut exemplum illud de aëre habet: neque enim malum est aliqua substantia, neque potentia, neque actio, sed defectus & carentia perfectionis: ita nos qui mente ac ratione regimur, inuadunt passiones per defectum bonorum, & idcircò non sunt ipsæ per se malæ, in quantum sunt aliquid; sed malæ sunt, quòd non sint in bono, sed ab illo deficiant.

1. Cor. 9. 21.

§. 25. *Malum non esse in brutis.*

In animalibus autem brutis passiones istæ non tantùm non sunt malæ simpliciter & absolutè, quin etiam, si illas abstuleris ab animalibus quibus insunt, ne istiusmodi quidem animalia futura sint qualia dicuntur; ita vt, cùm naturam magis conseruent quàm interimant, nequaquam mala sint: siquidem naturæ interitus, defectio est habituum naturalium & actionum atque virtutum. Et cùm generatio quidam motus existat, omnis autem motus sit in tempore, & imperfecti ad perfectionem, vtique nec imperfectio contra naturam est, sed in naturâ quæ exigit suscipere perfectionem; vnde quoque ipsamet imperfectio non est omnino nihil, cùm non sit omnino contra naturam. Hoc autem dicit, vt suprà dictis sensum adaptet: dixerat enim ibi, quòd si anima deprauetur, perturbatione deprauetur; perturbatio autem non est malum aliquod subsistens, sed defectus & vacuitas bonorum perfectionis: hæc autem imperfectio est: quod itaque imperfectum est, non est contra naturam, quandoquidem etiam ex hoc nondum existente perfectum quid gignatur. Si igitur id quod imperfectum est non sit contra naturam, hoc ipso res est, quo secundùm naturam est. Totius itaque orationis sensus concludit, animam, si deprauetur, bonorum defectu deprauari, atque malum non esse quid subsistens; per oppositionem dicens, quòd si omnibus passiones, essent malæ. Deinde dat instantiam, quòd non omnibus sint malæ: nam in brutis quorundam natura hisce constat, & idcircò potiùs non malæ sunt. Cæterùm hinc manet dubium, quomodo in ratione vtentibus priuatio boni, vel saltem imperfectio, malum sit, quando nimirum bonum non promouetur, sed anima manet imperfecta; in brutis autem, cùm incapacia sint rationis, quomodo dicemus per boni absentiam passiones existere? Cogemur itaque hîc dicere, quòd sint etiam quædam mala per se, quæ non oriantur ex absentiâ boni. Vel respondemus, etiam in brutis istiusmodi passiones, vt sunt iræ & concupiscentiæ, nullo modo esse malas, sed potiùs eorum naturas constituere. Si negetur itaque in brutis passiones esse malas, dubium quoque tollitur: si enim non sint malæ, superfluum erit quærere, num per se malæ sint, & num secundùm boni absentiam; est enim entis simpliciter. Quærimus etiam, an sic an aliter se habeat: de eo autem quod simpliciter non est, istiusmodi quæstio superflua est & insipiens.

§. 26. *Neque in totâ naturâ malum esse.*

Vbi malum ab Angelis, quin & omnino malum etiam à mentibus & animis atque insuper à dæmonibus remouit, nunc illud à rebus quoque aliis excludit, & primùm à naturâ rerum vniuersali. Omnes ergo, inquit, naturarum rationes ac causæ, secundùm quas factæ sunt & existunt, à diuinâ naturâ existunt, quam vniuersalem vocat, quia ex ipsâ vniuersa procedunt. Vniuersam autem naturam, vocat omnia quæ à Deo creata sunt. Nihil igitur, inquit, est in rerum naturâ quod vniuersim vniuersis contrarietur: quod enim alicui rei contra naturam est, alteri est natura, hoc autem bonum, siquidem natura principium est motûs & quietis; illic motus autem est ratio immobilis & ars diuina. Sicut igitur in effectis artificialibus rationes artis remanere dicimus, & sæpenumerò cùm hos cernimus, O miram artem! exclamamus, id quod videmus admirantes; sic etiam in rebus omnibus naturalibus creationis rationes permanent. Quomodo igitur quidquam vniuersæ naturæ possit esse contrarium? Et rationes creaturarum cui contrariari possint? Creatorine? sed hoc impium. An sibi ipsis? & sic nihil vnquam subsistet. An alteri cuipiam? & erit diuersum ab vniuerso cum quo pugnabit. Itaque non est malum etiam in vniuerso. Si quid autem alicui secundùm speciem creationis suæ accidat contrarium, id dicitur contra naturam, & non secundùm naturam accidere; sicut v. g. aquam ferri sursum, ignem deorsum. Hoc autem fit naturæ priuatione, vnde non est natura malum, sed potiùs offensio naturæ quid malum est, quod etiam contra naturam dicitur.

§. 27. *Neq. etiã in corporibus malũ esse.*

Vbi autem dixit, non esse malum in naturâ, negat etiam, in corporibus naturalibus esse malum. Sicut enim pulchritudo est membrorum cum bono colore symmetria seu proportio, sic deformitas est eorundem disproportio. Deformitas autem non omnino malum est: nam si omnimoda formæ ordinisque resolutio existat, ipsum quoque corpus interibit. Quòd autem corpus animæ non sit causa malitiæ, sicut nonnulli deprauatæ opinionis creatorem criminantur, manifestum est ex dæmonibus, qui cùm incorporei sint, malitiâ abundant: malitia enim omnibus lapsus quidam est à propriis bonis.

§. 28.

Neque materia malum est, vt quidam fabulantur. Primùm quidem, quia nunquam reperietur informia, seu

Neque etiã materia malum est.

omni formâ spoliata; cum formâ spoliata; cum formâ autem, vt particeps formæ, pulchritudinem participat ac venustatem. Siui verò ipsam per se informem considetemus, nihil patientem aut sustinentem, quomodo materia mali quidquam agat, cùm ne id pati quidem possit? Quòd si etiam Deus, cùm nihil pati possit, omnia faciat, per id excedit effectus naturales, etsi causa sit, sed efficiens. Causa autem materialis, quæ effectibus connaturalis est, nihil vnquam agit in effectis, nisi priùs passa sit informationem. Hæc autem omnia Sanctus hic dicit, quia quidam Philosophi dicebant, ex irrationabili animæ parte materiæ corporique commixtâ, cùm ad eam anima adreperet, mala proficisci. Rursum de materiâ decertat, & argumentum format ex diuisione. Vel itaque neutiquam nusquámve est, & neutrum habebit; aut vspiam erit: at verò quæ sunt, ex Deo sunt, & id ipsum, quippe ex Deo, bonum est. Aliàs autem cùm duo sint, Deus & materia, si alterum supponatur bonum, alterum verò malum, continget vt vel bonum malum faciat, vel certè malum, quatenus ex bono est, bonum; vel è diuerso, vt bonum malum efficiat, vel bonum, quatenus ex malo est, malum. Si non fiat alterum ex altero, sequitur etiam duo esse principia, quod dictu nefas. Hæc verò necessariò iterùm ad vnum quid erunt reducenda, quia principium est vnitas, non dualitas. Et hoc qualecumque tandem sit, eadem iterùm dicenda erunt: Vel enim bonum erit, & bona omnium quæ ex ipso, vel partim quidem malum, partim verò bonum; & iam compositum erit & non simplex, atque adeò neque principium, sed illa principium sunt ex quibus componitur, & hoc in infinitum. Quoniam verò quidam Gentilium dixerunt; propterea cœlum & astra non corrumpi, quia ex puriori materiâ producta sunt, ea verò quæ apud nos sunt ex subiectâ crassiorique materiâ, ait hic Sanctus, idcircò etiam hæc corrumpi, quòd non possint stabiliri, & firmiter hærere. Quòd si materiam ad vniuersi consummationem necessariam fuisse dicam, quomodo materia malum quid? Nota autem, Aristotelem ex hypothesi dixisse materiam esse necessariam, id est formâ existente necessariò etiam existere materiam: licet etiam tum forma necessaria sit. Sed quâ de causâ, quidve hoc sibi vult? materia videlicet ex suppositione necessaria est; sicut supposito quòd sit serra, necesse est esse ferrum, aliter enim constare nequit: non autem necessariò ferrum existit, siue serra futura sit, siue non. Cùm autem creator ex malo materiam producat, & non ex bono; vel cùm, iuxta illos, materia formam expetat, quomodo malum est quod bonum appetit? refugit enim & repugnat malum bono. Quomodo verò etiam malum generandi & efficiendi vim habet, quandoquidem dicunt, materiam nutrire naturam, non secùs ac materia combustioni apta ignem? Si autem dicant, materiam quidem ipsam malum non facere, sed, cùm sit bona, habere vim attractiuam ad malum, quomodo hoc verum, cùm multæ animæ corpori materiæque colligatæ bonum spectent? Hoc autem non possent, siquidem ex necessitate à materiâ attraherentur, quoniam id omne ex animi destinatione existit. Quòd si quis dicat, materiam illas animas pellicere quæ illi facilè cedunt, alias autem non posse pellicere; sicut etiam ignis illa corpora vicina vrit, quæ naturali flexibilitate igni cedunt, salamandram verò nequaquam comburit, atque ita materia necessaria sit ad pertrahendum ad malum illa quæ in se non sunt firmata, quomodo malum est necessarium, vel id quod necessarium, est, sit malum? Quod enim quasi ex naturâ necessarium est, non est malum. Aliàs etiam non minùs hinc magis confirmatur libertas; quoniam in nostrâ potestate situm est, in nobis ipsis stabiliri, vel non, sed passionibus resolui ac subiugari.

§.29. Neque priuatio mala.

Cùm autem Aristoteles vnà cum materiâ & formâ principium ponat ac priuationem, quæ vtrique contraria est formæ, & inest materiæ, ait, ne ipsam quidem priuationem bono repugnare vi suâ; nam priuatio non subsistit: quod autem non subsistit, qualem vim habebit? Quòd si partialis sit, vt hoc quidem sit, aliud verò non sit, istiusmodi priuatio non omnino mala, partiali enim boni priuatione existente, res nondum perfectè mala est; & dum fit, eatenus dicimus eam fieri, quatenus bonum subsequitur. Dixit [illegible] de iis quæ olim aliquando priuata fuerunt, [illegible] verò de iis quæ modò & in præsentiarum priuationem patiuntur, ex vtroque declarans, tum quasi subsistere priuationem, quando bonum recedit.

§.30.

Argumentatur hîc contra Manichæos, dum ostendit, malum non esse ens; etsi enim nondum illa hæresis existeret, tamen ad præcautionem inspiratione accepit quæ errorem illum euerterent. Fortassis etiam contra quasdam ethnicas opiniones valent istiusmodi argumenta. Cæterùm, inquit, bonum est ex vnâ vniuersorum causâ (hanc enim integram causam vocat) malum autem non est secundùm naturam, sed ex multis ac particularibus boni defectibus. Ex particularibus autem dixit, vt tollat vniuersalem; nam totalis defectus tollit simpliciter omnem existentiam. Non est itaque definitum quid sit malum, sed indefinitum, vt quod ex multis existit. Quomodo verò malum ex multis defectibus? nisi videlicet, quòd in quantum deficit bonum, in tantum quodammodo existat malum, secundùm modicum & in tempore defectûs, secundùm modicum & in tempore mali existentia. Primùm ergo argumentum virtute duo concludit, quòd bonum id quod est, & malum id quod non est, terminent. Concluduntur etiam duo ex solâ minori propositione, bonum videlicet ex solo vniuersorum principio rem esse quæ sic se habet; bonum ergo res est: & rursus, malum ex multis & indefinitis defectibus non esse rem, quod sic se habet, malum ergo non est res. Deus, inquit, etiam ea quæ mala dicuntur nouit sicut bona, mala dicens, bella, morbos, qui mores corrigant, mortes, & similia; reputantur enim à nobis mala, sunt autem vires causæ quæ bonum efficit: nam per prædicta pœnitentia & Dei cognitio acquiritur, pluribusque pietatis occasio fuit, atque in Prophetis malitia vocatur. Vel etiam aliter. Causa mali in lasciuiendo est concupiscentia; ipsa tamen concupiscentia est facultas boni effectrix ratione quidem vtentibus, vt per ipsam sursum ad verum bonum tendant; ratione verò priuatis, vt ea, quæ ad propriam suam conseruationem faciunt, appetant. Nouit itaque Deus, siue etiam cognoscit, ac facit etiam malum, non quà malum, sed quà bonum: nihil ergo etiam per se est malum, quippe quod nihil habeat etiam boni, vnde etiam malorum causæ virtutes sunt beneficæ. Quòd si malum æternum est, & potest, & agit. Vnde ei hæc? num ex bono? an è diuerso, cùm & bonum hæc habeat, erunt hæc bona ex malo? verùm haudquaquam decet, vt bonum ex malo perficiatur, ergo erit primum. Verùm ex bono bona data, malum bonum redderent, quomodo ergo manet adhuc malum? Vel certè, non sic se res habet, sed vtrique horum, tam bono quàm malo, hæc ex aliâ causâ obtingunt? Et quæ tandem hæc sit? & si sit, qualis est? Et iterùm ibidem hæc eadem quæ hîc dicentur. Non itaque malum per se existit. Cæterùm id quod ex naturâ sequitur, definitum est, definitio enim est ratio essentias rerum explicans, & quod quid sit declarans. Omne igitur quod est secundùm naturam, ex definitâ causâ est, per quam fit id quod fit. Si itaque malum causâ caret (à nullo enim productum est) meritò nec definitum est, cùm nulla sit eius ratio quæ essentiam declaret: necessariò itaque malum non est etiam secundùm naturam. Si autem est contra naturam, non habebit etiam in naturâ rationem, sicut nec inscitia in arte: omne autem quod non habet rationem in naturâ, neque est, neque subsistit, sed defectu eius quod secundùm naturam est, fit contra naturam. Præterea, anima vel naturâ mala est, sicut ignis calidus, vel operationes eius prorsus & omnimodè malæ sunt. Sed non primum, nam id quod bonum est non faceret id quod naturâ malum est: neque secundum, vnde enim virtutes? sequitur ergo, malum non esse quid per se subsistens, sed boni defectionem. Hic totus sensus est orationis. Hic

Sanctus

Sanctus autem dum interrogando proponit orationem, Num ergo anima malorum causa sit? non per diuisionem interrogauit, ita vt particula *an* disiunctiua fuerit, cùm dixit, An anima quidem bona; sed illicò instituit interrogationi, & posuit illud *an* declaratoriè, ac si diceret, An illicet bona quidem natura animæ, sed in operationibus suis aliquando quidem benè, aliquando verò secùs se habet, quod est, ipsam esse variabilem. Ponens itaque hoc tanquam verum, explicánsque, primùm oppugnat, quòd anima non sit naturâ suâ mala, vel causa malorum.

§. 32. *Boni vna, mali causa multæ.*

Adhæc, bono malum est contrarium; boni itaque causa vna est, mali verò multæ. Nota verò, non solùm in bono causam efficientem prædicari, verùm etiam formalem, & quod quid est dici, sicut etiam superiùs dixit, in quantum etiam definitum dicitur. Cùm autem mali causas formales assignare nequeamus (quia nihil naturâ suâ malum est, vnde definiri possit & proprietate insigniri, & quod quid est habeat) idcircò non vult dicere causas formales, sed efficientes: hæ verò sunt, quas superiùs defectus particulares nominauit. Deinde, ne quis suspicetur, efficientes hasce malorum causas existere virtutes quasdam ac rationes & formas, secundùm quas mala ista insigniantur, asserit, non esse virtutes, sed impotentiam & incongruam mixtionem rerum dissimilium. Cùm enim subiecto defectus aliquis accidit secundùm virtutem, ecce aliqua exoritur malitia, & adhuc maior, & adhuc maior, idque in infinitum, nec vnquam malicia habebit perfectionem. Rectè verò dicitur Immensa: nam proportionata quædam dissimilium commixtio, est quid proprietatibus insignitum ac definitum, atque adeò non malum, sed bonum; quemadmodum videre est in sanitate, quæ consistit in contrariorum humorum proportione; ac in congruentiâ, quæ dicitur vnio multarum rerum mixtarum, & ad diuersa spectantium, quæ videlicet secundum naturam semper eodem modo se habent sicut definitæ sunt, pro naturæ suæ ratione. Non enim vnquam ex acino oliua, sed vitis pullulabit; nec ex ossiculo oliuæ vitis, sed oliua. Mala indefinita sunt, atque in aliis & aliis infinitis. Quin etiam malorum principium ac finis est bonum: nam dum malum facimus, bonum facere arbitramur: si quid enim facimus, bonum appetentes facimus; si enim videretur omnino malum, nullus in nobis ad illud esset motus & appetitus. Quocircà malum non habet subsistentiam, ad quam quis fortè spectans operetur, sed quasi quodammodò subsistentiam, dum boni & non ipsius causâ quid fit.

§ 32. *Malū est per accidens.*

Malo status est per accidens, & non per se: neque enim appetendo malum facimus id quod facimus, sed appetimus quidem bonum, facimus autem malum; adeò vt propter bonum malum fiat. Mirabiliter itaque ostendit malum non subsistere, dum vocat illud priuationem rerum ordinatarum ac naturalium: priuatio autem per se minimè subsistit, sed cùm deberet & exigeret adesse, non adest: vnde etiam priuationem vocat *ἁμαρτίαν* id est aberrationem & lapsum à decoro, & scopi frustrationem, pro iactu à scopo deflectente, à iaculantibus metaphora desumptâ. Sicut enim illi extra scopum iaculantes aberrant à decoro; sic & nos à scopo & ordine aberrantes, vergimus præter naturam ad irrationalem & imperfectam & amentem abolitionem. Vnde dicit etiam malum nihil omnino existere. Cæterùm aduersus eos qui dicunt, malum per se aliquid posse, ait, malum aliter non existere, quàm in permixtione boni, in tantum accidens, in quantum deficit bonum: quod enim boni prorsus expers est, neque est quidquam neque quidquam potest. A contrario itaque argumentatur dicens: Si bonum est id quod est, & appetendum, & validum, & efficax; malum, vtpote entitate priuatum, hæc minimè habebit. Deinde malum non per se existere, patet ex eo quòd non sit idem in omnibus, verùm etiam aliud in aliis, prout in vnoquoque boni lapsus existit. Diuinè autem subordinationes seruauit in creatione: siquidem mens, secundùm quam diuini & prorsus immateriales spiritus substantiam suam sortiuntur, cùm anima sublimior sit, à boniformitate deficiens, in dæmonem euasit; anima verò, in quantum intelligens ac rationalis, secundùm rationem agendo manet in suâ proprietate, sed dum mouetur contra rationem, mala fit: corpora denique dum contra naturam mouentur, minimè valent.

§ 33. *In omnibus elucere prouidentiâ.*

Prætereà si in cæteris rebus omnibus est prouidentia, malum secundùm se non est; alias enim etiam esset prouidentia mali tanquam entis: sed prouidentia est in omnibus; malum igitur secundùm se non est. Est autem primus modus syllogismorum hypotheticorum, probabili propositione probare sequelam: in omnibus siquidem rebus existit prouidentia, & nihil eorum quæ sunt omnino expers est prouidentiæ, id est omnimodo bono priuatum est. Ecquid dico in bonis quæ fiunt vel existunt? quin & malis quæ fiunt prouidentia benignè vtitur ad correctionem siue eorum qui illa agunt, siue aliorum, quocircà malè dicunt, qui aiunt, Quare non fecit nos Deus sic, vt vel inuiti non peccemus? hoc enim nihil aliud est quàm dicere, Quare non amentes nos & irrationales fecit? Si enim necessariò ad virtutem duceremur; nequaquam nos nostri rerumque nostrarum compotes ac potentes declarasset, neque naturam nostram intelligentem esse finxisset. Aufer enim libertatem nostram, & neque Dei imago erimus, nec habebimus animas rationales & intelligentes, & natura nostra penitus interibit. Per se verò mobilium dixit, pro liberi arbitrij, suique iuris ac potestatis existentium non autem pro se mouentium, ad distinctionem immobilium, vt domorum; vel ab aliis motorum, vt lapidum: dicens enim de virtute, *αὐτοκίνητα*, seu per se mobiles, tanquam liberos accepit. Hinc itaque concludit, malum non esse ens, ipsumque gigni non secundùm virtutem, sed secundùm imbecillitatem.

§. 34.

Et immutatio dæmonum, ab initio ex bono existentium, sed non quà malorum, sed quà bonorum & Angeliformium, aut identitatis Angelicæ formæ est defectio & imbecillitas. Dico autem etiam hos bonum desiderare, in quantum & esse & viuere & intelligere desiderant: & ex assecutione concludit, Si non desiderant bonum, desiderant id quod non est; & hoc non est desiderium, nullum enim quibuspiam desiderium est non essendi, sed corrumpi: at hoc est error veri desiderij.

§. 35.

Cùm dixerit, malum in vnoquoque esse imbecillitatem & defectionem boni, bonorum autem malorumque sit vna cognitio, & hinc sequatur, omne peccatum actionis fieri defecta illiusmodi cognitionis; quomodo subsistet illud, Væ peccantibus cum cognitione! & illud, *Sciens voluntatem Domini sui, & non faciens eam, vapulabit multis?* non sine boni seu cognitionis defectu peccatum fieri possit. Mirabili sane modo resoluit quæstionem, quòd nimirum hìc etiam interueniat defectio quædam atque imbecillitas: quoniam illi quoque infirmantur vel circa fidem, ita vt audiant, sed iis quæ dicuntur firmam fidem non adhibeant; vel circa operationem, secundùm desiderij peruersitatem, quòd velit quis non bonum, sed malum (vniuersim enim qui facit malum, propter defectum id facit;) vel cognitionis scilicet doctrinalis, quam vel obliuio sæpenumerò obliterare potest, quam etiam superiùs dixit ex auditu ingenerari; vel liquidæ cognitionis, quæ nimirum ex naturali meditatione aut illustratione sine doctore inhæret, vel fidei; ita vt quis audiat quidem, sed non perfectè credat ea quæ dicuntur; vel desiderij, vt quando quis malè desiderat & peccat circa desiderium, vel operationis bonæ, ita vt velit quidem bonum agere, re autem quapiam præpediatur, vnde etiam hinc oritur defectus. Atqui dicet aliquis, condonandam esse infirmitatem, & minimè puniendam. En in promptu solutio. Siquidem facultas non suppeteret, rectè vtique id diceretur: cùm autem ex bono nobis sit posse, nequaquam laudabilis est lapsus circa bonum. Verùm hæc in tractatu quodam alio explicuimus, in quo tractatu quorundam captiosas & stolidas rationes impugnauimus: iam verò à nobis satis laudatum est bonum, vt causa est bono-

Luc. 15. 47.

rum omnium, & nullius mali; vt est causa formæ effe-ctrix ac finis rerum, finis autem non naturalis, sed efficiens (terminus enim naturalis est in terminato, sicut punctum in lineâ;) vt qui etiam ipsamet mala bona reddit, & qui omnibus sit expetendus & amandus & diligendus, & quæcunque alia oratio demonstrauit.

CAPVT V.

De Ente, in quo etiam de exemplaribus.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Docet, Deum, prout in se est, neque cognosci neque explicari posse; & ostendit, quomodo nomen boni latiùs pateat quam nomen entis.*
2. *Ait sibi propositum esse, Deum secundùm prouidentias seu emanationes prædicare.*
3. *Ea, quæ Deum magis participant, ei esse propinquiora.*
4. *Deum esse omnia in omnibus eminenter.*
5. *Ex Deo esse æuum & tempus, & omnia: & gradum entis esse primum seu antiquissimum Dei donum.*
6. *Gradum entis & res omnes esse à Deo & in Deo vnitè.*
7. *In Deo, tanquam causâ omnium, omnia etiam contraria esse vnita.*
8. *A Deo spiritus cælestes & animas & res omnes gradum suum essendi obtinere, & quidquid habent; & Deum in omnibus esse exemptè, & confirmat exemplo solis: & simul explicat quid sint exemplaria.*
9. *Docet, illa, quæ in rebus principaliora sunt, non esse propriè relationes, nec exemplaria, sed exemplata, & Deum simplici suâ perfectione cuncta complecti.*
10. *Quomodo Deus sit rerum omnium principium & finis.*

§. 1. Deum vt in se est explicari non posse.

MOdò transeundum est ad Theologicum nomen entis verè existentis. Tantum autem commentabimur, quantum propositi ratio postulat: non enim propositum est, substantiam, quæ est supraquam substantia, explicare, quatenus est supraquam substantia (hoc enim ineffabile est & ignotum, ac penitus expromi non potest, & ipsam copulationem mentis superat) sed potiùs, substantiæ deificæ, & quæ omnis substantiæ principium est, ad vniuersa quæ sunt emanationem substantificam celebrare. Siquidem nomen boni de Deo declarat omnes emanationes auctoris omnium, & porrigitur hæc nominatio Dei à bono tum ad ea quæ sunt tum ad ea quæ non sunt, estque supra ea quæ sunt & supra ea quæ non sunt. Nomen autem entis ad omnia quæ sunt extenditur, ac supra essentias ipsas eminet. Nomen verò vitæ ad omnia viuentia tenditur, & supra viuentia est. Nominatio Dei à sapientiâ, porrigitur ad omnia quæ intelligunt, quæ ratiocinantur, quæ sentiunt, & supra omnia ista est.

Nomê boni latiùs patere quâ nomê entis.

§. 2. Propositû est Dionysio, Deum secûdum prouidentias seu emanationes prædicare.

Has igitur Dei nominationes, quæ prouidentias Dei aperiunt, propositum est prædicare: non enim tractatio nostra promittit enodare & aperire supraessentialem ipsiusmet superessentialis diuinitatis bonitatem & essentiam, & vitam & sapientiam, quæ supra omnem bonitatem, & diuinitatem, & essentiam, & sapientiam, & vitam in absconditis, vt Eloquia tradunt, sedem posuit: quin potiùs prouidentiam patefactam, bonorum effectricem, bonitatem excellentissimam, & bonorum omnium causam laudibus celebrat; vt ens, & vitam & sapientiam, substantiæ & vitæ effectricem & causam, quæ sapientiam tribuit iis quæ substantiam & vitam, & mentem & rationem, & sensus participant. Non dicit [hæc nostra tractatio] aliud esse bonum, & aliud ens, aliudque vitam, vel sapientiam, neque multas causas, & alias aliorum effectrices diuinitates, superiores & inferiores, sed vnius Dei vniuersas bonas emanationes, & nominationes Dei à nobis laudatas: atque vnam quidem esse, quæ totam prouidentiam vnius Dei declarat; alias verò, quæ magis & minùs generales prouidentias patefaciunt.

§. 3. Ea quæ Deû magis participât esse ei propinquiora.

Verùm dicet aliquis, Cùm ens quàm vita, vitaque quàm sapientia latiùs pateat, cur entibus quidem viuentia, viuentibus verò sensitiua, atque his rationalia, & rationalibus ipsi spiritus antecellunt, & circa Deum versantur, illique magis appropinquant? Atqui decebat ea, quæ maiora Dei munera participabant, cæteris quoque præstare atque antecellere. Id vtique rectè diceretur, si quis poneret res spiritales & entitate & vitâ carere: verùm cùm diuini Spiritus entitate suâ cæteris entibus antecellant, excellentiúsque viuant aliis viuentibus, & intelligant cognoscántque supra sensum ac rationem, & præ cunctis entibus pulchrum & bonum appetant participentque, hoc vtique viciniores bono sunt, quò luculentiùs illud participantes, plures etiam & ampliores ab ipso dotes acceperunt: sicut etiam rationalia sensitiuis antecellunt, quò vberiori ratione pollent, vti & sensitiua sensu, atque alia vitâ. Estque hoc, vt opinor, verum, illa, quæ vnius infinitis muneribus abundantis Dei magis sunt participes, propinquiora quoque ipsi diuinioráque existere iis quæ his rebus supereneur.

§. 4. Deum esse omnia in omnibus eminêter.

Quoniam verò etiam de his disseruimus, agedum laudemus bonum, tanquam verè existens, & rerum omnium substantias efficiens. Qui est, vniuersæ essentiæ possibilis supernaturalis causa substantialis existit, & effector entis, existentiæ, personæ, substantiæ, naturæ: principium & mensura sæculorum, & temporum essentiator, & sæculum eorum quæ sunt, tempus eorum quæ fiunt, esse iis quæ quoquomodo sunt, generatio quoquomodo genitis. Ex eo qui est, æuum, & substantia, & existentia, & tempus, & generatio, & quod gignitur. Est ea quæ sunt, in iis quæ sunt, & quæ quocunque modo existunt, & quæ per se existunt. Deus enim non quouis modo est ens, sed simpliciter & infinitè totum esse in se pariter complexus & anticipans; quamobrem etiam Rex sæculorum nominatur, vt in quo & penes quem cuiuslibet esse & sit & constet, & in quo nec erat, nec erit, neque factum est, neque fit, neque fiet, imò nec est; sed ipse est esse rebus: & non tantùm ea quæ sunt, sed ipsum esse rerum, ex proæterno ente, ipse enim est æuum æuorum, existens ante omne æuum.

§. 5. Ex Deo esse æuum & tēpus & omnia.

Altiùs itaque repetentes, dicamus, rebus omnibus & æuis, ipsum esse ab eo qui præextitit existere. Atque omne quidem æuum ac tempus ex ipso, omnis verò æui ac temporis, reique cuiuslibet principium ac causa is est qui præexistit; & cuncta ipsum participant, & à nullo entium recedit; & ipse est ante omnia, & vniuersa in ipso consistunt, & simpliciter, si quid quomodolibet existit, in ipso præente tum est, tum intelligitur, tum saluatur: & ante alias eius participationes præsupponitur ipsum esse, & est ipsum per se esse antiquius, quam esse per se vitam, & per se sapientiam, & per se similitudinem diuinam, & quæcunque alia participantur ab iis quæ sunt, ante omnem sui participationem participant esse: imò verò etiam ipsa secundùm quæ sunt omnia, quæ ab iis quæ sunt participantur, ipsum per se esse participant; & nihil est, cuius ipsum per se esse non sit essentia & æuum. Deus igitur cùm sit, vt consentaneum est, omnibus aliis magis principalis, ab antiquiore dono suo laudatur vt ens; siquidem priùs esse & excellentiùs esse cùm priùs habeat & excellentiùs habeat, priùs fecit esse quod est, ipsum inquam per se esse, & per ipsum omne quod quomodocunque est, existere fecit. Atqui principia eorum quæ sunt, omnia participant esse, & sunt, & principia sunt; & primum sunt, & posteà principia sunt. Et si vis viuentium, quatenus viuunt, principium dicere per se vitam; & similium, quatenus similia sunt, per se similitudinem; & copulatorum, quatenus copulata sunt, per se copulationem; & ordinatorum, quatenus ordinata sunt, per se ordinationem; & similiter in aliis, quæcunque hoc aut illud, aut vtrumque, aut multa participant, & hoc aut illud, vel vtrumque aut multa sunt participata, reperies, per se participationes primùm participare esse & sic

Ipsum esse antiquissimū Dei donum.

primùm

primùm esse quod sunt, deinde huius aut illius principia esse, & participando esse, existere, & participari. Si aotem hæc [quæ aliorum principia numerantur] per participationem ipsius esse exsistant, multò magis quæ ipsa illa principia participant.

§.6. Ipsum esse & omnia esse à Deo & in Deo vnita.

Primum igitur donum per se esse cùm per se illa supraquam bonitas producat, meritò ab antiquiore & primâ omnium participationum laudatur; & est ex ipsâ & in ipsâ ipsum per se esse, & rerum principia, & omnia quæcunque sunt, & quæ quomodocunque sunt; idque incomprehensè, & copulatè, & singulariter. Siquidem in vnitate omnis numerus vniformiter præextitit, habétque vnitas in seipsâ singolariter omnem numerum, & omnis numerus in vnum copulatus est, & in vnitate est, & quantò longiùs ab vnitate procedit, tantò magis dioiditur & multiplicatur. Et in centro omnes lineæ circuli vnâ copulatione simul existunt, & punctum habet omnes rectas lineas vniformiter copulatas inter se, & cum vno principio à quo exierunt, & in ipso centro omnino copulatæ sunt: & parum ab eo distantes parum diuiduntur, magis autem distantes magis; &, vt semel dicam, quantò sunt centro propinquiores, tantò magis cum eo & inter se copulaotur; & quaotò magis à centro distant, tantò magis & inter se distant.

§.7. In Deo vt causâ omnium omnia etiam contraria esse vnita.

Imò & in totâ naturâ vniuersi rationes vniuscuiusque naturæ vnâ copulatione non confusâ collectæ sunt, & in animâ copulatæ sunt vniformiter virtutes, quæ omnibus partibus corporis prouident: non est igitur absurdum, ex paruis & minutis imaginibus & exemplis ad causam omoium ascendentes, supermundanis oculis contemplari omuia in causâ omnium, & qoæ sunt inter se contraria, vniformiter & copulatè; siquidem principium est rerum, à quo tam ipsummet esse, quàm omnia quæ quomodocunque sunt, omne principium, omnis finis, omnis vita, omnis immortalitas, omnis sapientia, omnis ordo, omnis congruentia, omnis potentia, omnis custodia, omne firmamentum, omnis permansio, omnis intelligentia, omnis ratio, omnis sensus, omnis habitus, omnis status, omnis motus, omnis vnio, omois complexos, omnis amicitia, omnis discrepantia, omnis distinctio, omnis definitio, & cætera quæcuoque essendo sunt entia, vniuersa insignit.

§.8. A Deo Spiritus cælestes, & animas & res omnes gradum suû essendi obtinere.

Atque ex hac ipsâ omnium causâ sunt intellectiles ac intelligentes deiformium Angelorum animarúmque essentiæ, ac totius mundi naturæ, & quæcunque vel in aliis existere, vel per cogitationem esse dicuntur; denique sanctissimæ illæ antiquissimæque virtutes, quæ veræ sunt essentiæ, & quodammodò in ipso vestibulo superessentialis Trinitatis constitutæ, ab ipsâ quoque & in ipsâ, & post eas inferiores inferiori, nouissimæque, quoad Angelos quidem nouissimo, quoad nos autem supermundiali gradu tum esse tum deiformiter esse obtinent. Animæ quoque, cæteræque omnes entitates, secundùm eandem rationem, tam esse quàm benè esse habent, & sunt & benè sunt, dum ab eo qui priùs est cùm esse tum benè esse obtinent, & in ipso & sunt & benè sunt, & ex ipso incipiunt, & in ipso conseruantur, & ad ipsum terminantur. Ac primas quidem ipsius esse distribuit præstantioribus illis essentiis, quas æuiternas Scripturæ vocant: ipsum aotem esse rerum vniuersarum nunquam deficit; verumtamen illud ipsum esse est ex eo qui priùs est, & ipsius est essentia, & non ipse essentiæ; & in ipso est existentia, & non ipse io existentiâ; atque ipsum habet existeotia, & non ipse habet existentiam, & ipse est ipsius existentiæ & æuum, & principium, & mensura, cùm ante existentiam & entis & æui, & omnium substantificum principium, & medium & finis existat. Atque ideò ab Eloquiis qui verè præexistit, secundùm omnium eorum quæ sunt cogitationem mulptiplicatur, & in eo propriè celebratur, erat, & est, & erit, item factum est, & fit, & fiet: hæc enim omnia significant iis qui vt Deum decet intelligunt, esse eum secundùm omnem cogitationem suprasubstantiam, & esse causam eorum quæ modis omnibus sunt. Etenim noo hoc quidem est, illud verò oon est; nec aliquo quidem modo est, aliquo verò non est; sed potiùs omnia est, vt omnium auctor, & in se omnia principia, omoes omnium rerum terminationes continens & anticipans: & supra omnia est, vtpote ante omnia supraessentialiter supraquam existens. Quamobrem omnia de ipso & simul dicuntur, nihilque est omnium: est omnis figuræ, omnis formæ, sine formâ, sine pulchritudine, principia & media & fines rerum solutè & abstractè in seipso anticipata habens, & omnibus putè illucens, largiendo vt sint secundùm causam voam & supraquam copulatam.

Deum esse in omnibus exemplo.

Exēplum à sole.

Si enim sol ille oostet rerum sensilium substantias ac qualitates, quantumuis multæ sint ac diuersæ, simul ille, cùm sit vnicus, & vniformiter diffundat lumen suum, omnes renouat, & nutrit, & seruat, & perficit, & distinguit, & vnit, & refouet, & fœcundat, & auget, & immutat, & firmat, & producit, & suscitat, & vegetat; & quodlibet ex iis, modo cuique proprio, vnius eiusdémque solis particeps existit, & plurimorum se participantium causas sol vnicus in seipso vniformiter anticipauit; potiori vtique ratione concedendum est, in ipsiusmet solis ac rerum omnium causâ, secondùm vnicam supraessentialem copulationem, rerum omnium exemplaria præextitisse, quandoquidem hæc ipsasmet essentias producat secundùm excessum essentiæ.

Exemplaria quid sint

Exemplaria verò dicimus esse rationes in Deo substantificas rerum & vnitè præexistentes, quas diuinus sermo vocat prædefinitiones, & diuinas atque bonas voluntates, rerum definitrices & effectrices; secundùm quas qui est supra substantiam, omnia quæ sunt prædefiniuit, & produxit.

§.9.

Si autem vult Clemens Philosophus, ad aliquid dici exemplaria quæ sunt in rebus principaliora, progreditur quidem, cùm sic loquitur, non per propria & perfecta & simplicia nomina: sed si concedamus etiam hoc rectè dici, oportet meminisse Scripturæ quæ ait, Non ostendi illa tibi, vt eas post illa; sed vt per proportionem cognitionis horum ad cognoscendam omnium causam, quoad possumus, adducamur. *Exod. 25.*

Deum simplici suâ perfectione cuncta coplecti.

Quamobrem vniuersa ipsi entia secundùm vnam omnibus eminentem copulationem sunt attribuenda; quandoquidem dum ab ipsamet essentiâ substantificæ promanationis ac bonitatis exordiens, per omnia dimanat, & vniuersa per semetipsam implet, & in rebus omnibus delectatur, omnia quidem in se præhabet excellentiâ simplicitatis, quæ omnem refugit duplicitatem; cuncta verò similiter continet secundùm plusquam simplicem infinitatem suam, & ab omnibus singulariter participatur, quemadmodum & vox, cùm vna sit & eadem, à multis qooque auribus vt vnà percipitur.

§.10. Quomodo Deus sit rerum omnium principiū & finis.

Omnium igitur principium & finis, qui rebus præexistit. Principium quidem vt causa; finis verò, vt cuius causa, & finis omnium, atque infinitas omnis infinitatis & terminationis excellenter, sicut oppositorum. In vno enim, vt sæpenumerò dictum est, omnia quæ sunt præhabet, & existere fecit, præsens omnibus vbique secundùm vnum & idem, & secundùm idem omne; in omnia means & in se manens, & stans & se mouens, & neque stans neque mouens; neque principium vel finem vel medium habens; nec est in quopiam eorum quæ sunt, neque quidquam eorum est. Et neque totaliter ipsi conuenit aliquid æternaliter existentium, aut temporaliter subsistentium, sed & à tempore, & ab æuo, & ab iis quæ sunt in æuo, & ab iis omnibus quæ sunt io tempore segregatur; quia ipsum per se æuum, & quæ sunt, & mensuræ rerum, & quæ mensurantur per ipsum & ab ipso. Sed de his quidem alibi commodiùs dicetur.

SCHOLIA S. MAXIMI.

§.1. Deus quomodo quid vnum.

NON SUPRASUBSTANTIALEM.] Veteres Deum vocabant vnum, non velut principium oumerorum, sed quòd omnibus emineat, nullisque rebus, quæ post ipsum sunt, connumerari possit, quin etiam propter compositionis vacuitatem atque simplicitatem. Verùm non hoc explicat, quæ sit essentia Dei: nam essentia propriè de Deo non dicitur, quoniam superessentialis est.

A

Quomodo principiũ, bonus, &c.

SVBSTANTIÆ OPIFICÆ PRINCIPIVM.] Substantiæ principium vocat omnis substantiæ principium & causam: ipsa enim diuinitas est supra omnem substantiam seu essentiam. Emanationem autem vocat diuinam operationem quæ omnem substantiam produxit.

SIQVIDEM NOMEN BONI DE DEO.] Quomodo Deus dicatur bonus. Obserua autem quomodo dicat, bonum, seu diuinum eius nomen, extendi ad omnia ea quæ sunt, & ea quæ non sunt, & supra ea quæ non sunt: vnum verò esse supra ea quæ sunt, ipsúmque vlteriùs protendi; vitam autem superare omnia quæ viuunt, & sapientiam supra omnia quæ intelligunt, & quæ ratione ac sensu vtuntur, extendi; ita vt manifestum sit, quòd bonum, id est Deus, sit causa & eius quod est, & vitæ, & sapientiæ. Illud autem, esse causam vitæ ac sapientiæ, intellige ad res accommodatè.

Bonum ad quæ se extendat.

B

ET AD EA QVÆ NON SVNT EXTENDITVR.] Bonum etiam extenditur ad ea quæ non sunt, tanquam ipsa vocans vt sint: aut iuxta id quod alibi à Patre dictum est, nempe etiam id quod non existit pulchrum esse, quandoquidem in Deo per id quod supra substantiam est consideretur. Porò entia quæ non sunt vocat materialia, sicut sæpè superiùs declarauimus. Aut sic, quia Deus loco non circumscribitur, meritò ait eum etiam supra ea quæ non sont esse, vt ostendat illum minimè circumscribi posse.

Angeli respectu cuius sint intellectiles & intelligẽtes

ET SVPRA VIVENTIA.] Sciendum est, quando de Angelis & hominibus loquitur, ipsum Angelos vocare intellectiles, nostras verò animas intelligentes, vti frequenter superiùs declarauimus, dum interpretationem vocis νοητῶ & νοερῶ exponebamus. Nunc autem cùm primariò de Deo agit, meritò etiam tam Angelos quàm nos intelligentes nuncupat; quòd etiam ipsi Deum intelligendo, quoad fieri potest, intellectione alantur, dum ad diuinam sapientiam conuersi sunt, non secùs ac animæ humanæ atque sensilia, id est irrationalia: animata verò pariter omnia diuinam etiam participant sapientiam in suis naturalibus propensionibus, vti D. Basilius in Hexaëmero ostendit: & in sapientiâ omnia quoque facta esse, iuxta quod dictum est, *Omnia in sapientiâ fecisti*. Sapientia autem est Filius qui est. Omnia igitur, inquit, facta sunt in Filio qui est.

C

Psal. 103. 24.

§. 2.

MANIFESTATORIAS.] Manifestatorias vocat declaratorias siue repræsentantes.

QVÆ SVPRA OMNEM BONITATEM.] Nota, rectè hîc dici bonitatem supra omnem bonitatem ac diuinitatem. Inferiores itaque diuinitates intellige diuinitates Angelorum hominúmque iustorum.

Psal. 17. 11.
Ps. 80. 8.

IN ABSCONDITIS.] Iuxta illud, *Posuit tenebras latibulum suum*; & rursus, *In abscondito tempestatis*.

ET SENSVS PARTICIPANT.] Quia paulò antè visus fuerat quodammodò blasum dicere bonum, dicens esse eius quod est causam, & similiter in aliis: ne, qui imprudenter legunt, occasionem reprehendendi reperirent, ait non esse aliud bonum & aliud existentiam, & rursus aliud vitam vel sapientiam: vnam enim esse omnium causam, & non multas, & consentaneè vnam diuinitatem omnia producentem, sanctam & beatam Trinitatem, & non multas diuinitates creatrices. Hoc autem non superuacaneè dixit, sed vt sapientes Gentilium & hæreticos Simonis discipulos perstringeret, qui Deos ponebant effectores mundi, & quò inferiores essent, eò inferiores creaturas producere, vsque ad omnium fæcem, vt aiunt, id est vsque ad materiam.

D

Bonum esse nomẽ cæteris generalius.

ATQVE HANC QVIDEM ESSE.] Boni appellationem ait complecti omnem prouidentiam, reliqua verò nomina partes prouidentiæ, vt vitam, sapientiam, rationem. Omnia enim quæ sunt propter bonitatem Dei producta sont, vt existant; & sunt bona, id est, valdè pulchra, non tamen omnia participant vitam, vel sapientiam, vel rationem: quapropter posuit istiusmodi appellationes per oppositionem ad omnimodè perfectam. Generaliores verò prouidentias vocat, quas in pluribus contemplamur, vt vitam; peruadit enim in stirpes & animantes tum orationis participes, tum non participes; sapientia verò & ratio pauciorum sunt, hæc enim solùm in ratione vtentibus cernuntur.

E

§. 3.

Quæ res sint cæteris præstantiores.

ET VITA SAPIENTIAM.] Cùm sententia hæc obscurior sit, existimo eam talem aliquem sensum insinuare, ac si aliquis dubitaret, ac diceret, Cur, cùm nomen ipsius entis præstantius sit appellatione vitæ, & rursum nomen vitæ præstantius sit appellatione sapientiæ (quippe cùm id ordo ipse postulet, quemadmodum ipsemet paulò antè declarauit, cùm dixit, Et ens, & vitam, & sapientiam substantificam, & viuificam, & sapientiæ largitricem causam esse eorum quæ substantiæ, & vitæ, & mentis, & rationis, & sensûs participatione gaudent) non ampliùs hunc ordinem in rebus cernimus? Oportet enim, iuxta gradus à se assignatos, entia præ viuentibus, & sentientibus, & intelligentibus, ac rationalibus, id est mentis ac rationis participibus, Deo magis appropinquare: iam ampliùs non sic, sed contrario modo se res habet; quoniam cœlo, & astris, & terrâ, & aquâ, & aëre; & ex iis quæ ex ipsis oriuntur, diuinæ prouidentiæ propinquiora sont ea quæ viuunt, tametsi vitam trahant vegetantem, vt stirpes, & similia, viuentibúsque propinquiora sunt sensiuia, id est irrationalia. Bruta namque hoc plantis præstantiorem vitam sortita sunt, quòd sentiant, cùm plantæ nullo sensu afficiantur. Sensiuis verò propinquiora Deo sunt rationalia, rationalibus verò mentes, id est virtutes supramundiales, vtpote nobis ratione præditis hoc sublimiores, quò immaterialitate & intelligendi facultate magis Deo appropinquant. Atqui econtrà oportebat res istas, quæ maioribus Dei muneribus fruuntur, præ cæteris eminere, veluti cœlum, astra, & similia, atque hæc erat dubitatio. Cæterùm respondet D. Dionysius, ex mente ac ratione & sensu secundùm subordinationem etiam prærogatiuas coordinando, vti post vnam paginam reperies.

F

ATQVE DECEBAT EA QVÆ MAIORA.] Maiora verò munera vocat ea quæ à pluribus cernuntur, vt ens & vitam. Atqui illa quæ tantùm hæc participant, non sunt inter prima & præstantiora, sed inter viliora recensentur; quoniam illa quæ excellunt, inferiorum quoque cùm existendi tum viuendi proprietates continent; & in hoc excellunt, quòd licet illa, magis particularibus, hæc vero generalioribus nominibus significentur, præstantiorum tamen proprietatem minimè participent, scilicet sapientiam, & rationem, & intellectum, atque idcircò hoc inferiora sunt, quò minora pauciorâque dona participant, sicut nempe alia etiam, quò plura participant, hoc magis præstant Deóque appropinquant.

G

EXCELLENTIVSQVE VIVANT ALIIS.] Quoniam ea quæ superiora Deóque magis vicina sunt, dicuntur abundantiori vitâ frui quàm inferiora: v.g. diuinæ mentes luculentiùs viuunt quam nos, quia Deo magis appropinquant; rursum nos, vt rationales dicimur, copiosiùs viuere quàm bruta; rursus bruta, vt sensu prædita, plus viuunt plantis, quippe sensu destitutis, & solâ vitâ vegetante viuentibus.

H

§. 4.

Deus est supra ipsum esse.

QVI EST TOTIVS ESSE.] Cùm ens de Deo dicitur, est supra totum id quod est collectiuè sumptum: hoc enim vocat supra essentiale, pro supra ens creatum: ens enim est essentia; quoniam ab esse nomen essentiæ deducitur. Deus itaque, tanquam qui sit supra ipsum esse (quoniam *esse* declarat, ab aliquâ causâ in rerum naturam productum esse) superessentialiter existere intelligitur. Quocircà etiam dicitur æuum sæculorum ab ipso productorum: quod enim neque erat, neque erit, sed solùm est, habens hoc esse consistens, non mutari in erit, neque transiuisse ex erat in est, hoc est æternitas. Non solùm enim entia vniuersa oportet adesse omni & toti, sed etiam nihil eius quod alibi non est: neque enim illi aliquid accedit quod anteà non erat. Hæc igitur complexio & natura rectè vocari possit & sit æternitas; nam æternitas ab eo quod semper sit nuncupatur. Si quis igitur istâ ratione dixerit æternitatem esse vitam infinitam, quòd tota iam sit, nihílque eius consumatur præterito, neque accedat futuro, non erit hæc adæquata definitio æternitatis, sed ad eam duntaxat aliquantulum

Æternitas & sæculum quid.

accedet:

accedet: illa igitur est infinita, nequaquam deficiens, idque propriè, quia nihil sui consumit. Sic itaque Deus & æternitas, & sæculorum conditor est. Æternitas ergo non est subiectum, sed quod ex ipsomet subiecto elucet. Itaque intellectilia & inuisibilia, secundùm Apostolum, æterna sunt: cæterùm id quod æternum est, non est ipsamet æternitas, sed participat æternitatem, id est indistantis seu præsentis infinitæque vitæ particeps existit. Quemadmodum ergo æternitatis, id est eius quod semper est, participum, & per similitudinem sæculorum nomine appellatorum conditor Deus sæcula, id est intellectilia creasse dicitur, cùm ipsemet sæculum & conseruator eorum existat; ita etiam temporis expers tempus dicitur, in quantum est auctor temporum: quod enim in intellectilibus est æuum, id in sensilibus est tempus. Sicut igitur ea quæ videntur, imagines sunt eorum quæ non videntur & intelliguntur, & æternitatem dicimus immutabilem illam vitam, quæ & simul tota existit, neque terminum admittit, nec omnino deficit, & in vno & propter vnum consistit; sic etiam tempus tum quidem in eo quod semper est requiescere dicimus, apparere verò in subiecto, quando etiam visibilem naturam prodire in lucem oportebat. Itaque progressum diuinæ bonitatis ad sensilia producenda vocamus tempus: non enim motus interstitiorum ad partes & tempestiuitates, & noctes, & dies, est tempus, sed eiusdem nominis cum tempore. Quemadmodum enim id quod mensurat, & quod mensuratur, solemus eodem nomine appellare; ita etiam hic vsu venit: veluti cùm id quod cubito mensurauimus, siue pauimentum sit, siue paries, siue aliquid aliud, ipsum cubitum dicimus. Motus itaque astrorum, secundùm illud Scripturæ, *Sint in signa, & in tempora, & in annos*, facti sunt à Deo ad definitionem & manifestationem nobis euidentem. Is ergo qui hæc disposuit, vtique hæc fuerit suprasæculariter ac sine tempore, vt causa.

Gen. 1. 14.

Et neqvs erat.] Quoniam neque Erat, neque Est, neque Erit, propriè de Deo dicitur, supra hæc enim Deus est. Cæterùm hæc etiam esse dicitur; quoniam ipse secundùm omnem cogitationem superessentialiter existit.

Quomodo Deus erat & non erat.

Neqva arat.] Rectè dixit, *neque erat*; nam *erat* declaratiuum est temporis: Deus autem supra illud Erat, id est supra tempus existit. Vtique dices, Quomodo etiam habetur de Dei verbo, *In principio erat Verbum?* ecce enim hîc habetur *erat*. Sæpè dicimus quòd Pater sit principium & auctor omnium: idcircò igitur ait, *In principio erat Verbum*, quoniam Filius est in Patre. Ergo benè dixit, *In principio erat Verbum*. Porrò de *erit* clarum est; hoc enim significat, quòd nunc non sit, sed erit aliquando: quod de Deo dicere, impium & ineptum.

Ioan. 1. 1.

Imo nec est.] Subaudienda quoque hæc de quibus propriè dicitur, quòd Facta sint, & quæ illis adiunguntur: vel etiam aliter intelligendum, vt quod existat supra omnem entis cogitationem & imaginationem. Dicendo autem res, declarat eas omnino ad existentiam adductas. Illud verò quòd addat, *Et ipsum esse rerum*, ipsarum permanentiam significauit.

§. 5. Quomodo D us existat, & præexistat.

Et ast ipsvm per se.] Hæc non oportet arbitrari de omnium causâ dici, sed de rebus intellectilibus, & intelligentibus ac sensilibus, cæterisque quæ ab ipsâ per creationem producta sunt: quemadmodum enim prædiximus, Deus est ante ipsum esse, quoniam est præexistens; *esse* autem habet veluti quandam demonstrationem causæ quæ antè subsit. Itaque Deus dicitur præexistens; ac deinde etiam dicitur existens, tanquam omnium auctor; demum, omnia ex ipso esse. Ergo *esse* secundùm conceptum nostrum subsistit per participationem eius quod præextitit, non quòd Deus diuisus sit in esse atque ante esse, sed ipsius voluntas, quæ res in esse produxit, dicitur in Deo antè subsistisse; atque diuinæ huius voluntatis, quæ creaturam vt esset prædefiniuit, meritò ante alia, quæ res participant, ex Deo, antiquius aliquod essendi principium excogitatur ipse Deus: primum enim aliquid est, ac tum est & vita & sapientia. Inuisibiles itaque & supremæ mentes primò participarunt esse, atque ita vitam ac sapientiam. Sicut enim in nobis prima quædam subsistit materia ex quâ sumus, ita etiam in mentibus incorporeis, instar materiæ, concipitur ipsummet cuiuslibet esse per vitæ speciem, secundùm quam etiam ad vitam & sapientiam & ad similitudinem essentiatur. Porrò similitudinem & identitatem etiam suprà explicuimus, esse virtutes illas quæ ad Deum sursum ducunt, quibus etiam Deo assimilantur quæ ipsi adhærent, & quarum etiam, secundùm subordinationem, participatione gaudent ea quæ sequuntur, cùm etiam ipsa primum esse participent. Rerum autem principia, intellige essentias illas quæ primo loco productæ sunt in rerum creatione, quæ dicuntur principia, non quòd res ex ipsis tanquam elementis extiterint, sed quia, prout dictum est, creatæ sint ante illa quæ sequuntur: v.g. in intellectilibus principium creationis sunt Throni, & ita deinceps; in sensilibus autem principium creationis sunt cœlum & terra, *In principio* enim *fecit Deus cœlum & terram*, quoniam hæc in sensilium creatione prima sunt. Deinde etiam aliàs ideæ & exemplaria, quæ sunt per se perfectæ intellectiones æternæ æterni Dei, quemadmodum diximus superiùs, concipiuntur quasi quædam elementa principiáque, & per modum materiæ immaterialis & incorporeæ eorum quæ de iis ipsis ideis participant, v. g. ordinum incorporeorum secundùm ipsas productorum: siquidem ipsa per se vita, per se sapientia, & per se ordo, cæteráque sunt in Deo exemplaria quibus communicant creaturæ, non secùs ac centro lineæ rectæ quæ ad circulum ducuntur.

Quæ sint rerum principia.

Omnibvs igitvr merito.] Hoc nomen imposuit sibi Deus cùm dixit, *Ego sum qui sum*: à quo idcircò consentaneè laudatur ante alia quæ de ipso dicuntur, qualia sunt, nomen vitæ, sapientiæ, & alia eiusmodi. Dicendo autem priùs esse & supra esse, declarauit esse Dei carere principio, & penitus comprehendi intelligentiâ non posse; vt qui prædestinatione cognitionis suæ ineffabilis præproduxerit omnino esse omnia: hoc enim esse statim primâ notione mens cogitat, posteà hoc aut illo aut alio modo illa esse contemplatur. Esse igitur simpliciter, non declarauit modum essendi, cùm dixit, *Per se esse*; sicut cùm deinceps dixit per se vitam, per se similitudinem, & alia eiusmodi, esse prorsus vitam, & simpliciter viuere, non verò hanc vel talem vitam significauit: & similiter in aliis, quod appellant primum esse.

Exod. 3. 14. Quomodo Deus sit ens.

Et si vis vivsntivm.] Sicut, exempli gratiâ, in qualitatibus priùs per se qualitates insunt, posteà accidentes operantur (ita hæc intellige, vt nempe ipsa per se corporalis albedo adueniens corpori album faciat corpus) ad hunc modum, proportione in iis quæ diximus, intelligendum est, quòd nimirum Deus præexistens vt vita viuificet omnia quæ ipsum participant.

Par se participationes.] Participationes dicit, quas ea quæ sunt participant, quale est ipsum per se esse, ipsa per se vita, ipsa sapientia, ipse ordo, & reliqua: quæ quidem participationes diuina dona sunt, quæ principia eorum quæ sunt vocauit.

Et est ex ipsa, et in ipsa.] Hoc sic intelligendum est: Ipsa per se supraquam bonitas, quæ est mens & tota actus, ad seipsam conuersa in actu est, non potestate priùs sine mente, posteà mens actu: vnde est etiam solùm mens pura, quæ non intelligit intelligentiâ extrinsecùs introductâ, sed ex seipsâ penitus intelligit. Si enim substantia eius alia est, quæ autem intelligit alia ab ipsâ, non intelligetur ipsa, id est substantia eius. Si quid verò habet, à se habet, non ab alio: si autem à se & ex se intelligit, ipsa est ea quæ intelligit; igitur qui est intellectus, eius quod est, intelligit quæ sunt, tanquam qui est. Quare si cùm intelligit seipsum, intelligit quæ sunt, ipse est ea quæ sunt: aut enim intelliget ea quæ alibi sunt, aut quæ in seipso tanquam sua. Quæ alibi sunt, non potest fieri vt intelligat: vbi enim sunt? an in iis quæ sub sensum cadunt? at quæ sub sensum cadunt, non sunt, vtpote mutabilia, & ortum atque interitum capientia. Se igitur & in se intelligit. Quia verò Deus auctor est eorum quæ sunt [si in se ea non intelligit] intelliget in eo quod non-

§. 6. Quid, & quomodo mens intelligat.

dum

dum est : at ipse archetypum est, [id est primum exemplar vniuersi ;] & quæ intelligit, non accipit eorum species siue formas, ab aliis, sed potiùs ipse est exemplar rerum : quare nec ipse est in loco, neque quæ in ipso sunt, tanquam in loco sunt, sed habet ea vt seipsum habens, & in eis existens ; omnibus quidem simul existentibus, & in impartibili in ipso existentibus, distinctis verò in impartibili impartibiliter. Igitur notiones eius sunt res, res autem formæ sunt. Notiones verò non sic accipiendæ sunt, vt quia hoc intellexit fuerit hoc, huiusmodi enim notionem oportet vt antegressum su aliquid quod intelligitur, quod fecit vt ipse intelligeret; sed potiùs intelligit quæ sunt, nempe intelligens seipsum, & cum iis quæ in ipso sunt copulatus ; ipsa enim notio eius rebus quædam est generatio. Quod igitur ipsis inest, id est quædam species, & hoc est idea ; ipse verò, cùm totus sit intellectus, totus est scientia : quæ autem ex ipso & in ipso sunt, mentes quædam existunt, quæ scientiæ ipsius contemplationes repræsentant. Sunt autem simul etiam distinctæ in ipso, vt multæ scientiæ simul in animâ existentes manent inconfusæ, &, vbi necesse fuerit, sigillatim foris operantur ; & anima facultates simul omnes in seipsâ continet, quibus corpori prospicit, verumtamen ipsas sine confusione, dum tempus est, exerit, naturalem quidem facultatem circa corpus exercens, quâ ipsum nutrit, auget, atque aptum reddit ad generationem ; potentiam verò sensitiuam exercet circa venas, arterias, carnem ac neruos, quâ res sensiles percipimus; opinatiuam verò quâ sensilia discernit, & imaginatiuam quâ sensilia imaginatur, repræsentatiuam quâ effingit, memoratiuam quâ meminit, appetitiuam quâ appetit, & animal loco mouet, assimilatiuam, & irascibilem, & concupiscibilem, has enim potentias habet, quando secundùm partem irrationalem corpus exercet ; post mortem verò sola mens operabitur, hisce cessantibus.

Deus nihil habet commune cũ creatis.

Et quæ quomodocunque existendo.] Ex illâ, inquit, Dei supra quam bonitate, quæ eius est essentia, rerum ipsarum substantia & perseuerantia existit. Ait autem *vnitè*, siue secundùm simplicem aliquam & comprehensiuam atque incomprehensam causam vniuersorum : nullâ enim ratione, aut notione, aut actione diuinum Numen cum rebus coniunctionem & communionem habet, sed est omnia, & omnibus supereminet, his solâ conseruatione ac prouidentiâ, vt aliquis dixerit, adhærens. Cætera autem exempla fidem adstruunt sermoni qui asserit, Omnia esse ex Deo, tanquam auctore existentiæ eorum quid aliud ab his existente, & in eo ipso quid aliud ab his existente consistere.

Habet omnem numerum.] Numerus enim ex multis vnitatibus compositus crescit in multitudinem. Vnitas igitur, tanquam causa numerorum, vnimodè omnes numeros in se complectitur, non secùs ac centrum siue punctum omnes rectas circuli lineas in se continet.

Et in centro.] Hæc exempla rationem confirmant. Obserua, quomodo etiam ex lineis declaret ea quæ ad Deum spectant, ipsum centro assimilans.

Vniformiter copulatas.] Illud *vniformiter* hîc posuit pro simpliciter, & similiter, non verò aliter.

Imo et in tota natura vniuersi.] Manifestum est, partes esse in toto. Quamobrem, inquit, rationes siue potentiarum, siue motuum insitorum, quæ in rebus singulis naturaliter considerantur, in earum naturâ vniuersaliter sumptâ considerantur ; ita Philosophi profani proprietates cuiusque substantiæ, siue viuentis siue vitâ carentis, ad prædicamentum substantiæ reuocarunt, & hoc vocabulo substantiæ eas comprehendunt, alioquin non confusis rationibus propriis substantiarum & proprietatum. Alia est enim animatorum & alia inanimatorum ratio ; similiter etiam sensu, id est ratione præditorum, & ratione carentium, etsi secundùm substantiæ seu simpliciter existendi rationem vniantur. Porrò vocabulum *vnimodè* in animâ vsurpauit, significans, vnicam esse vitalem facultatem ab animâ toti corpori insertam, quæ diuersimodè in membris operetur.

Proprietates rerum quales.

Principium rerum Deus, & quomodo.

Siquidem principium est rerum.] Si principium su id, quo fit id quod producitur, meritò in omnium principio omnia præextiterunt, tanquam in ideâ & exemplari, sicut antè diximus, simul & vnimodè etiam contraria, quatenus in Deo, vti dictum est, considerantur: quomodo verò etiam vnitè & contraria existant sic intelliges. Id quod ornatum est diuisam formam obtinet, vt in mundo alibi astra sunt, & alibi homo ; & sursum alibi ignis, & alibi aqua, cùm enim sint contraria, si simul forent, corrumperentur. Verùm in Dei notionibus omnia simul & inconfusè & absque loco erant: neque enim corpora sunt, neque in corpore, sed in notionibus æternis, quæ sunt exemplaria. Vnde etiam Deus omnium est principium : nam principium est, quidquid ante suum effectum extitit. Atque ordo est eorum quæ quasi ordinata sunt : ordo autem est id quod omnium rerum inter se similitudinem conciliat, vti & proportionem illam, quæ causa est commonionis rerum huius vniuersi inter se. Quin etiam Deus rerum status ac motus omnis existit. Hæc autem diuersimodè intelligenda sunt, cùm in intellectilibus quidem & intelligentibus natura ipsa principium sit motûs ac statûs, & quietis : nam hoc ipso quod est, declarat operationem ; quoniam motus qui in diuinis ministeriis & inferiorum institutionibus vitalis quædam actio existit ; quies autem atque status cùm quid æternum sint & immutabile, declarant, mentes illa quæ sui muneris sunt operari, ac diuinis donis adimpleri. In sensilibus verò, cùm natura etiam sit principium motus & status, seu quietis, motum quidem manifestat in productione, statum verò seu quietem per substantiæ interitum seu cessationem siue conuersionem. Deus autem hæc esse perhibetur, quippe qui superessentialiter principium sit: motus autem in Deo est, benignus prouidentiæ processus in ea quæ ex ipso & per ipsum existunt ; status autem est, quòd eodem semper modo se habeat, & sine egressu ignotam suam quietem & intrepidam turbæ vacationem possideat. Obseruandum autem, vt intellectiles virtutes æternas appellarit, vtpote æternitatis participes, quæ verò hoc affirmat Scriptura, hæc est : *Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt.* Quæ verò in aliis existunt, sunt veluti sanctitas, vitæ beatitudo: hæc enim in intellectilibus & intelligentibus substantiis sunt istiusmodi ; secundùm intelligentiam autem in intellectilibus à nobis tum Angeli tum homines, quasi per participationem, Dij ac Domini & potentes virtute appellantur.

2.Cor.4.18.

Omnis definitio, et cætera quæcunque.] Ea quæ existendo res sunt, hæc ait in aliis considerata existere, & non secundùm se : nam substantiæ (has enim res appellauit) sunt eorum quæ per se existunt, quas designant immortalitas, sapientia, ordo, conuenientia, & iis adiuncta, quæ in aliis esse dicuntur : veluti etiam quæ sensu circa corpora spectantur, vt color, figura, quantitas, & similia, quæ sine corporibus consistere non possunt. verùm Pater hæc distinxit ab iis quæ sunt secundùm cogitationem. Hæc verò dicimus esse illa quæ notione percipiuntur, vt notitia, ratio, sensus, & similia, quæ solâ cogitatione, quasi reflexo intellectionis actu, cognoscimus ; vel etiam secundùm cogitationem ait esse intellectilia, & quæ nullo modo sensibus subiecta sunt.

§.8.

Intellectiles ac intelligentes.] Nota verò, *intellectiles* respectu nostri, *intelligentes* respectu Dei intelligi.

Et esse.] Et Deiformiter esse.

Cæteraque omnia.] Quoniam ipse auctor est vt sint omnia, etiam antequam existerent, in quantum est idea seu exemplar ipsius existentiæ, prout hinc demonstratur. Nam illud ipsum esse, non ipsum est Deus vt Deus sit, sed per Deum & esse est, & dicitur, quoniam illud est in Deo per modum ideæ. Neque certè Deus est in illo esse, nam ante illud esse existebat : quin imò, quia omnium auctor est, eorundem quoque productor declaratur, & ipse est extra omnia tanquam auctor omnium, & nominibus omnium appellatur, vt qui omnia produxit.

Et eius est existentia.] Ipsius quidem, quia ex

ipso est existentia; in ipso verò, quòd ab ipso conseruetur. Ipse autem non est existentiæ, neque in existentiâ continetur; est enim supra existentiam, qui suprasubstantialis existit.

Et non ipse in existentia.] Subaudiendum est in vtrisque principium, id est, existentia habet ipsum auctorem, neque ipse, velut ex principali causâ, existentiam habet.

Secundum omnium eorum quæ sunt cogitationem.] Rerum contemplatio, quam hic cogitationem appellauit, cùm multiplex sit & varia, reperit notionem causæ seu conditoris omni mentis conatui obuiantem. Hoc itaque *multiplicari* significat, eandem causam in multis considerari.

Quomodo dicatur de Deo erat, est, erit.

Et est, et erit.] Quæ priùs negauerat, nunc, de Deo loquens, necessariò seipsum explicans, subiungit se hæc intelligere secundùm notionem causæ. Ergo Erat, & Est, & Erit, propriè quidem de creaturis prædicatur: aliqua enim semel facta sunt, vt cœlum, Angeli, sol, & similia, in quibus locum non habet verbum Fit & Fiet. Quod autem à Dauide dicitur, *Qui facit Angelos suos spiritus*, vel accipiendum secundùm conseruationem, sicut dictum est, *Pater meus vsque modò operatur*; vel iuxta consuetudinem Scripturæ, quæ frequenter inuerso temporis ordine quidpiam enuntiat, & pro præterito vtitur futuro, & contrà. In his autem propriè dicitur *factum est*, *fit* verò dicitur de omnibus quæ in generatione & corruptione versantur, & quæ alternantur, vt nox, dies, æstas, & ver, & similia: *fient* verò tantùm illa quæ necdum omnino facta sunt, sed exspectantur, vt transelementatio vniuersi, & quæ illam comitabuntur. Deus itaque tanquam horum omnium causa celebratur: non enim dixit, Hæc de ipso enuntiantur, sed, Propriè laudantur. Verbum autem *erat*, & quæ illi adiuncta sunt, secundùm omnem notionem nulli nisi Deo congruet, quoniam illud *erat* in ipso supra omne principium considerantur; *est* verò & *erit*, tanquam de omnis vicissitudinis ac mutationis experte, propter quod etiam supraessentialis nuncupatur. Item. Quomodo, cùm dixisset superiùs, *In ipso nec est erat, nec est nec erit, neque factum est, neque fit, neque fiet*, hic dicit, *In ipso est & erit, & illud fit & fiet propriè laudatur*: an sibi contradicit Dionysius? Apage: suprà enim ipsum dixit esse effectorem existentiæ, hypostasis, substantiæ, naturæ & temporis. Consentaneè igitur in ipso collocauit illud *erat*, & alia, vt intelligas, nec à tempore, nec in tempore, neque post tempus Deum cœpisse, quin potiùs superiorem esse quàm ipsum esse: siquidem in ipso dixit esse existentiam, & non esse ipsum existentiæ; hic autem, quia dixit multiplicari eum secundùm omnem cogitationem, meritò dixit in ipso illud *est*, & *erit*, & quæ sequuntur: quia vbi tempus aut tempestiuitates cogitabis, illic Deum reperies, & supra omnia & ante omnia esse, & eorum quæ sunt causam & effectorem esse, & nihil ipsorum esse; sicut dicebamus, nihil est eorum quæ sunt, & ipse est in omnibus.

Psal. 103. 4.

Ioan. 5. 17.

Quomodo Deus sit nihil omnium, & omnia.

Et nihil est omnium.] Contra illud, esse omnis figuræ, opposuit, esse sine formâ; quia supra incorporeum & supra vacationem materiæ, non formatus ad quidquam eorum quæ sunt. Contra illud verò, esse omnis speciei, opposuit, esse sine pulchritudine. Sine pulchritudine dicit, quia ab ipso facta est pulchritudo; ipse verò est supra pulchritudinem: auctoritates verò Scripturæ sunt, *Vidimus eum, & non habebat speciem, neque pulchritudinem*, & quæ sequuntur.

Isa. 53.

Si enim sol ille noster.] Infrà in fine sequentis sermonis seu sexti capitis, vbi signum habetur, ostendit, solem nihil à seipso facere, sed ex omnium causâ & principio, quod est Deus. Pulchrè autem exemplo solis declarauit, quid de Deo cogitandum. Quemadmodum enim sol, cùm sit vnicus, omnia sensitiua fœcundat, & alit, & auget, & immutat, id est ex paruis magna reddit, quin etiam ex semine, id quod ex eo nascitur germen aut arborem, & est in omnibus quæ cernuntur, cùm nihil sit ex ipsis; sic etiam Deus & ipsius solis & omnium sensilium & intellectilium atque intelligentium auctor, nihil est ex rebus, & in omnibus existit: omnia enim ipsum participant, propter quod etiam ipsum Scriptura Solem iustitiæ appellat.

Exemplaria.] Exemplaria, quæ etiam ideas vocant, iam quidem superiùs declarauimus, quomodo definiantur, scilicet quòd notionem per se perfectam, æternam, æterni Dei vocent ideam, id est exemplar. Hic tamen explanat Dionysius Scripturam, cùm ideas vocat prædefinitiones, significans obscurè Paulum, qui in Epistolâ ad Romanos ait, *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit*; & alibi, *Qui prædestinauit nos in voluntate suâ*; voluntatem enim & prædestinationem siue prædefinitionem, ideas & exemplaria dicit: quin etiam S. Clementem citat (cuius mentionem facit Apostolus) dicentem, esse in rebus exemplaria principaliora, tanquam eorum quæ ad aliquid referuntur. Verùm ita clariùs erit quod dicitur. Est opinio quædam, quæ omnia lineæ assimilat, & superiorem lineæ partem intellectilibus attribuit, inferiorem verò sensilibus: atque iis quidem quæ inter hæc primatum tenent, quæ sunt propriè intelligibilia, primam ac supremam partem; intelligentibus autem inferioribus, inferiorem, & ita cæteris, secundùm lineæ descensum. Siquidem talis opinio vult docere, omnia non esse eiusdem dignitatis, sed quædam ex se mutuò dependere, veluti in creatione, subiectas species ab vniuersalibus atque principiis, quæ principia vniuersalia dicit esse nobiliora. Ait itaque S. Clementem dicere, in creaturis esse quædam exemplaria generaliora seu ideas eorum quæ ad aliquid, id est subiectarum specierum, quæ ad aliquod superiorum exemplar referuntur, veluti ignis materialis ad æthereum; verùm hæc Magnus Dionysius censet non esse propriè ideas, sed Dei cogitationes. Etsi enim dicantur exemplaria in creaturâ, non tamen adorari debent, vti Moyses testatur. Vbi autem S. Clemens hæc dixerit, minimè declarauit.

Rom. 8. 30.

Ephes. 1. 5.

Exod. 15.

Quales ideæ sint in Deo, & quales non.

Exemplaria vero dicimus esse.] Plato quidem ideas & exemplaria viliter & indignè Deo accepit; sed hic Pater dictione quidem vsus est, sed eius sensum piè exposuit, ait verò, esse diuinas volitiones rerum definitrices atque effectrices; cùm quia solâ volitione cuncta producit & efficit, tum quia res diuersæ ac differentes producuntur. Nota igitur, quòd exemplaria vocet in Deo rationes rerum substantificas, & vnitè præexistentes siue prædefinitiones.

53.

Progreditur quidem non per propria.] B. Clemens potiùs secutus est opinionem quandam quæ asserebat, etiam in generatione rerum sensilium esse causas quasdam principales, v. g. intellectilium siue incorporeorum Angelorum operationes, siue ad essentiam productiones habere causas principales ideas seu Dei notiones; penes quas ideas, vtpote causas exemplares, ipsæ res intellectiles, veluti primariæ præcipuæque quædam operationes, existant. In sensilibus autem, principalem ac beantem creantémque causam esse formam, vti in materiâ, dicta tradit opinio: in naturæ enim generationem præcipuam ait formam esse, secundùm quam sensilia informata sunt. Fortassis igitur B. Clemens hoc dixisse videtur: sed hæc propriè non possunt vocari exemplaria seu principes ideæ causæve primariæ, non enim ex illis hæ proueniunt, sed ex Dei notionibus, qui solus adorandus est.

Promanationis ac bonitatis.] Promanationem vocat contemplationem, quæ non tantùm circa se occupatur, sed diffunditur, & progreditur, atque facit vt res subsistant.

Omnia quidem in se.] Quoniam ait, Deum in omnibus rebus exultare, secundùm illud Psalmi, *Lætabitur Dominus in operibus suis*, & in Prouerbiis, *Ego eram quâ delectabatur*. Illud autem *prahabet* hic ponit pro prædestinauit, & præconcepit.

Psal. 103. 31.

Omnem duplicitatem.] Quoniam aliqui dicebant, ideas & exemplaria per se subsistere, hos modò, cùm Gentiles essent, refutat, & ait, nisi ideæ simplices fuerint & vnitæ, cùm sint notiones supraquàm simplices supraquàm simplicis & vniti Dei, Deum ipsum fore com-

positum

positum ex exemplari & seipso, quod quid duplex appellauit. Illud autem *delectatur* consonat Dauidico isti, *Lætabitur Dominus*, &c. [Psal. 103. 31.]

QVEMADMODVM ETIAM VNA VOX.] Nota vocis proprietatem, quòd cùm incorporea sit & vna, à pluribus similiter audiatur, neque à multitudine consumatur. Sic etiam Deus æqualiter ab omnibus participatur, illud enim designat istud *vnicè*: neque verò etiam pro fidei ratione diuisus consumitur.

VT CVIVS CAVSA.] Suprà capite præcedenti: perfectè finalem causam definientes, dicebamus, eam esse cuius gratiâ aliquid fit. [§. 10.]

ET OMNIVM TERMINVS.] Ex opposito termini infinitas consideratur; Deus autem est terminus omnium: nihil enim eius effugit prouidentiam ac potestatem. Est etiam infinitas, quoniam, iuxta Scripturam diuinam, *& sapientiæ eius non est numerus*; & iterùm, *Et regni eius non erit finis*. [Psal. 146. 5. Luc. 1. 33.] Itaque tanquam incomprehensibilis & infinitus, hæc enim Deus habet supereminenter, cùm omnia transcendat, & omnis termini terminus existat; in ipso enim omnia terminantur, atque infinitas est omnis infinitatis. Etsi igitur materia etiam infinitas dicatur, vt perpetuò transfigurata, atque in alias atque alias formas mutata, nihilominùs in Deo terminatur, etsi instabilis & indefinita in formæ susceptionem traducatur. Et meritò Deus istiusmodi infinitatis terminus, rerúmque terminus infinitus existit, quippe qui etiam materiam ex nihilo producat; dixit enim Scriptura: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipsum omnia.* [Rom. 11. 36.]

IN VNO ENIM VT SÆPENVMERO.] Finis opponitur infinitati secundùm negationem & affirmationem, sicut mortale & immortale. Pulchrè autem dixit, *vt oppositorum*: non enim hæc propriè sibi opponuntur quasi secundùm habitum & priuationem, sed, vti dictum est, secundùm negationem & affirmationem.

PRÆSENS OMNIBVS.] Vbique enim præsens, cùm singulis tum omnibus simul pariter adest. Quin & stans Deus dicitur, quia in eo nulla prorsus mutatio cernitur; & se mouens, quia res continet atque conseruat: & hæc quidem supra omnem notionem, quocirca etiam addidit, *neque stans, neque mouens*.

ET STANS ET SE MOVENS.] Videtur quodammodò contrarium id quod dicitur, stans & se mouens, & neque stans neque mouens: quomodo enim eadem res & stat & mouetur, aut neque stat nec mouetur? Primùm quidem, diuina non sunt ex sensilibus intelligenda, neque inde species seu imagines sumendæ sunt. Ne autem solutione carere videamur, diximus superiùs, statum esse generationem, motum verò alterationem seu mutationem. Est itaque Deus omnium generatio, quoniam hæc semper producit vt sint, atque ita Deus stat. Rursum verò mouetur, quoniam vniuersa transformat & immutat in melius: per ipsum enim euadimus pulchriores, vnde etiam paulò antè de illo D. Dionysius ait, quod sit rerum omnium principium & finis, illud enim *neque stans neque mouens* exponit id quod præcedit, *in se manens & ad omnia means*: communicat enim rebus omnibus integritatem suam, cùm nec ipse mutetur neque alteretur, iuxta quod dictum est, *Tu autem idem ipse es*. [Psal. 101. 28.] Ergo Deus & progreditur, & in semetipso manet.

NEC EST IN QVOPIAM EORVM QVÆ SVNT.] Non dixit in aliquo; nam in omnibus etiam incomprehensibilis existit. Res autem æternas vocat substantias supramundiales, quia naturâ temporis priores sunt; quoniam tempus à cœli terræque creatione computatur.

ET AB IIS QVÆ SVNT IN TEMPORE.] Dictum est superiùs æternum propriè dici non ipsam æternitatem, sed quod æternitatis est particeps. Quòd autem *ipsi nihil commensat*, intellige secundùm substantiam. Nota verò, res quasdam esse æuiternas, vt Angelos; neque omne quod æternum est, principio carere. In sequenti autem capite, statim sub initium, vocabulo æterni etiam vsus est in Deo.

ET MENSVRÆ RERVM.] Sæcula intelligibilium, tempus verò sensilium mensuræ sunt: siquidem intellectilia, quatenus mensuræ subiecta sunt, sæculo mensurantur, etsi æquiuocè res mensuratæ cum mensuris sæcula vocentur; Angeli enim etiam sæcula appellantur. Ita fit etiam in sensilibus: nam quæ tempore mensurantur, æquiuocè tempora vocantur, vt motus astrorum, & solis, & ætates vitæ; tempore enim mensuratæ tempora dicuntur.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

[§. 1.] MOdo transeundum est ad essentiale nomen entis verè existentis. Quemadmodum enim ἀγαθωνυμίας vocat nomen boni, sic & ὀντωνυμίας, nomen entis, sicut αὐτωνυμίας; ens autem & essentia sunt idem. Cæterùm tantùm admonebimus sermonis huius scopum non esse, ipsam supraessentialem essentiam, quatenus superessentialis est, explicare, sed exponere quidem omnis substantiæ principium, causam, essentiam; non in quantum essentiam superat (quod enim supra essentiam existit, quomodo secundùm se explicari posset?) sed in quantum ab aliis entibus ab ipsâ productis ad ipsam adducimur: ipsa enim secundùm se ineffabilis existit, & ipsam vnionem excedit; per vnionem intelligens entis vnitatem ac definitionem, secundùm quam ens est. Quemadmodum enim id quod non est non est vnum, sed ex multis atque infinitis defectibus productum, sic etiam id quod est, vnum est, in quantum ens est ac definitum, supra quod existit essentia illa superessentialis, quæ vnum nominatur, non vt principium numerorum, sed quòd omnibus emineat, nullisque rebus quæ post ipsum sunt connumerari possit, quin etiam propter compositionis vacuitatem atque simplicitatem. [*Quo sensu Deus dicatur vnum bonum, &c.*] Itaque, si Deum quoque vnum dixeris, non hoc essentiam Dei explicabit: nam essentia propriè de Deo non dicitur, quoniam superessentialis est, quocircà hanc ipsam vnionem extollit. Quemadmodum igitur de bono diximus, diuinam bonitatem se extendere & ad ea quæ sunt, & ad ea quæ non sunt (per ea scilicet quæ non sunt materialia materiámque intelligendo) vel ea quæ partim quidem sunt, partim verò non sunt, non autem ea quæ nullibi vsquam sunt; vel tertiò, vt dictum est à S. Patre, quòd id ipsum quod non est pulchrum sit, quandoquidem in Deo per id quod superessentiale est consideretur. Quemadmodum igitur in omnibus bonitas Dei relucet, & rursum his eminet, supra ens quidem, quia non est quidquam eorum quæ sunt; supra non ens verò, quia quidquid tale est informat: sic etiam essentiale entis nomen ad omnia porrigitur, cùm omnibus esse donet, & supra ipsa sit, quia nihil est eorum quæ sunt. At enim hîc quispiam quæsiuerit, Quomodo in bono quidem dicit bonitatem pertingere ad ea quæ sunt & ea quæ non sunt, in ente autem hoc non dicit, sed tantùm pertingere ad ea quæ existunt? Vtique dicendum, ens quidem bonum factum manere sæpenumerò non ens: cùm enim materia quoque non ens dicatur, vtique materia quoque bonum videbitur impropriâ ratione accepta & sine formis intellecta, tametsi non per se sit, vtpote à Deo producta, maneátque rursum non ens. Quomodo autem ens non enti coëxtendi possit, & maneat rursum non ens, hoc vtique impossibile est. Securè igitur proponit hæc Sanctus. Similiter etiam nomen vitæ boni Dei ad omnia viuentia extenditur, & supra hæc est, vti & sapientiæ ad omnia rationalia & intelligentia, Angelos inquam & sensilia, id est ad animas corporeas extenditur, & supra hæc eminet. Sciendum verò, quando de Angelis & hominibus solis loquitur, ipsum Angelos vocare intelligibiles, nostras verò animas intelligentes; nunc autem cùm de Deo sermo est, meritò etiam tam Angelos quàm nos intelligentes appellare, quòd etiam ipsi Deum intelligendo intellectione alantur, non secùs ac animæ humanæ. Sensilia verò intelliges etiam irrationalia, vt quæ etiam diuinam sapientiam participent in suis naturalibus propensionibus, vt in araneâ & formicâ cæterisque omnibus patet.

Has

§. 2. *Dei nomina sumi à prouidentiis.*

Has igitur Dei nominationes, quæ prouidentias Dei aperiunt & proponunt ac manifestant, propositum est prædicare, non verò illam quæ supra omnem bonitatem ac deitatem (nam & Angeli hominésque iusti Dij appellantur) in absconditis sedem posuit, iuxta illud, *In abscondito tempestatis*; atque illud, *Posuit tenebras latibulum suum*: sed bonitatem illam quæ bonorum omnium rerúmque causa existit, & vitam quæ viuentium causa est, sapientiámque sapientiæ largitricem; quòd hinc manifestum fit, dum vnà cum effectu causam coniungit, vt nimirum ex effectu clarè causa demonstretur; vel etiam demonstratio dicitur non particulæ διότι, sed ὅτι, vt quando demonstramus lunæ oppositionem per eclipsim. Quoniam igitur Deus bonum est, & ens, & vita, & sapientia, discimus ex effectis; per quod autem hæc sit, non cognoscimus, quippe qui paulò antè visus est dicere, bonum esse subiectum, cùm dixit esse eius quod est causa. Et ita deinceps, ne qui hac occasione imprudentes deciperentur, non ait, aliud esse ens, & aliud bonum, & sic de cæteris: vna siquidem omnium causa, & non multæ; & vna deitas quæ vniuersa produxit. Perstringit autem hic Græcorum Sapientes, & hæreticos Simonis sectatores, qui asserunt, Deos mundi fabricatores quantò inferiores sunt, tantò quoque infirmiores producere creaturas, etiam vsque ad omnium fundamentum [id est] materiam; nam & huic peculiarem conditorem assignarunt. Inter hæc itaque vnius Dei nomina, nomen boni vniuersales Dei prouidentias declarat, reliqua verò particulares prouidentias manifestant, alia quidem magis vniuersales, alia verò magis particulares: siquidem boni nomen designat vniuersalem omnino prouidentiam, quoniam vniuersa per bonitatem producta sunt, & existunt; nomen verò vitæ particularem prouidentiam declarat, sed generaliorem, non enim omnia viuunt; sapientiæ verò adhuc magis particularem, non enim omnia quæ viuunt sapiunt. Generaliores autem vocat eas, quæ in pluribus cernuntur: vita enim peruenit vsque ad plantas, & animalia rationalia rationisque expertia; sapientia autem & ratio sunt magis particulares.

Psal. 80. 8.

Psal. 17. 12.

§. 3. *Cur nomina latius patentia non significent substantias præstantiores.*

Dubium hinc resultans soluit, cur, cùm nomen ipsius entis quàm vitæ, & vitæ quàm sapientiæ latiùs pateat (siquidem ens vt vniuersalius in omnibus reperitur, vita verò vt magis particularis in quibusdam, & sapientia adhuc in paucioribus) non magis excellant Deóque viciniora sint quæ simpliciter existunt, & his minùs quæ viuunt, & his iterùm minùs ea quæ intelligunt; sed ordine inuerso, magis particularia, vt intelligentia, circa Deum sunt, & deinceps quantum superexpanduntur, tantò remotiùs à Deo existunt. Maiora verò munera vocat ea quæ à pluribus cernuntur, vt ens & vitam. Respondet itaque & soluit quæstionem dicens, quòd si quidem ea quæ intelligunt entitate ac vitâ carerent, & ea quæ viuunt similiter substantiam non haberent, rectè se haberet dubitatio: verùm cùm ea quæ intelligunt etiam existunt, & viuant vitâ potiori, & intelligant supra sensum ac rationem, & præ cunctis entibus participent entitatem, hoc vtique bono Deo viciniores existunt, quò luculentiùs ipsum participantes, plures etiam ab ipso dotes acceperunt, scilicet & entitatem & vitam, & cognitionem & intellectum: nec non etiam dotes ampliores, quòd hæc omnia præ cæteris præstantiori modo habeant: éstque hoc verum, illa quæ Deum magis participant ipsi quoque existere viciniores. Quoniam autem de his disseruimus, agedum ad propositum scopum veniamus, & de ente verè existente & entitatum effectrice verba faciamus.

§. 4. *Ab eo qui est sunt omnia.*

Qui est, id est, Deus, secundùm oraculum Mosaicum, est supra ipsummet esse (hoc enim est supra substantiam) causa efficiens substantiam; quippe subsistentiam & existentiam perficiens totius esse collectiuè sumpti: nihil enim est in rebus, quod non inde suum esse sortiatur. Secundùm virtutem autem dixit, quoniam alia quidem producta sunt, alia verò producuntur. Cùm itaque Deus vniuersum esse in se ipso collectum habeat, tam eorum quæ existunt quàm quæ futura sunt, ponit illud *secundùm virtutem* comprehendens etiam entitatem futurorum, quia in eo qui verè est existunt, vel potiùs etiam præexistunt. Etsi enim quæ extitura sunt futurum habeant, tamen apud creatorem præexistunt, secundùm id quod à Ieremiâ dictum est; ita vt illud *secundùm virtutem* non ad creatorem referendum sit, sed ad creaturas. Quòd si aliam significationem virtutis accipias, quemadmodum dicis, ignem habere vim calefaciendi, hoc sensu de creatore intelligi commodè non potest. Est igitur creator entitatis, & quid dico entitatis rei? quin imò ipsiusmet existentiæ entitatis, subsistentiæ, essentiæ, naturæ; principium sæculorum, tanquam conditor eorum, per eum enim etiam *sæcula fecit*, vt inquit Apostolus. Entitas temporum, siquidem statuta sunt *in signa*, *& in annos*, vt ait Scriptura: quoniam tempus Solis cursu mensuratur; & quod nobis tempus est, quod prius & posterius habet, hoc rebus sempiternis æternitas. Quod itaque neque erat, neque erit, sed solùm est, habens hoc esse consistens, non mutari in erit, neque transiuisse ex erat in est, hoc est æternitas. Idcircò enim etiam æternitas dicitur rerum Deus, quippe non habens principium, neque finem, neque erat, neque erit, sed solùm esse perpetuum & incircumscriptum: tempus autem est eorum quæ fiunt, quoniam ea quæ videntur imagines sunt eorum quæ non videntur & intelliguntur. Et sicut æternitatem dicimus immutabilem illam vitam quæ & simul tota existit, & nullius vnquam eget, nec omnino deficit, & in vno ac propter vnum consistit; sic etiam tempus tum quidem in eo quod semper est requiescere dicimus, apparere verò, quando oportebat quoque Solem subsistere, & visibilem naturam prodire. Itaque progressum diuinæ bonitatis ad sensilia producenda, vocat tempus eorum quæ fiunt, quin etiam esse rerum & generationum quæ fiunt; quoniam ex ipso mota sunt, & substiterunt omnia quæ generationi subiecta sunt, & quæ sub tempore fiunt. Ex hoc superessentiali ente etiam æuum existit, quod nimirum rebus coëxtenditur, & essentia rerum, & ipsummet ens, quod secundùm essentiam dicitur. Hæc quoad superiores nobis diuiniorésque virtutes. Et rursum quoad nostratia quoque, tempus est per prius & posterius in rebus genitis mensuratum, & generatio eorum quæ generantur, & id ipsum quod gignitur secundùm generationem dictum, cæteráque omnia quæ in rebus diuinioribus existunt, & quæ quocunque modo existunt, scilicet secundùm nos. Hæc autem omnia sunt aliquo modo entia: non enim esse Angelorum & hominum comprehendunt, neque horum & Angelorum, sed quodlibet habet propriam subsistentiam, eámque limitatam; quoniam alia quidem principium habent, finem non habent, alia verò & principium & finem habent. Sunt verò etiam quæ principium quidem non habent, sed finem, habent, vti etiam Magnus Basilius tradit, loquens de diuinis circa mundi prouidentiam volitionibus, quæ principium quidem non habuerunt, finem verò aliquæ illarum iam acceperunt, aliquæ etiam habebunt. Hæc igitur omnia sunt aliquo modo entia, solus autem Deus non est aliquo modo ens, sed simpliciter & illimitatè: totum enim esse in se complexus est, nec incipiens neque desinens; quare etiam dicitur Rex sæculorum, quippe qui omnia sæcula & ens omne complectitur, & temporum decisiones, erat, erit, factum esse ac fieri subterfugit; siquidem hæc rebus nostratibus naturæque fluxæ conueniunt. Quin ne quidem habet ipsum est, quoniam supra ipsum est, & ipsemet est esse rebus: nec enim entia solùm à Deo sunt, sed entium quoque ipsa entitas; ipse enim est existens *ante sæcula*, secundùm Dauidem, sæculum sæculorum, quippe continens sempiternam coëxtensionem, terminus vitæ sempiternæ, qui est supra id quod non deficit.

Heb. 1. 2.

Gen. 1. 14.

Quomodo Deus dicatur annum & tempus.

Psal. 73. 12.

§. 5.

Altiùs itaque repetentes dicamus, rebus omnibus

A

Quomodo Deus sit ipsum per se esse, & origo omnis esse, &c.

& æuis ipsis rerum, ipsum esse ab eo qui præexistit existere, qui horum omnium est principium ac causa præexistens, omniaque in ipso consistunt; cùm sit ante alia quæ esse participando sortita sunt. Suppone enim hominem: hic primùm habet vt sit, deinde habet vt viuat, & sentiat, & ratiocinetur; & mentes inuisibiles primùm esse participant, & sic vitam & sapientiam. Hæc verò etiam secundùm conceptum distinguuntur. Sicut igitur in nobis prima materia concipitur ex quâ constamus, sic etiam in mentibus incorporeis, instar materiæ, concipitur ipsummet cuiuslibet rei esse per vitæ speciem, & quatenus ad vitam & sapientiam & ad diuinam similitudinem substantiatum est. Idcirco dicit, quòd ipsum per se esse sit antiquius quàm esse per se vitam & per se sapientiam, non quòd in Deo sit istiusmodi diuisio, siue simpliciter, siue per conceptum, absit; sed ab hoc intelliguntur hæc in iis omnibus quæ per creationem existunt. Meritò igitur

B

præ cæteris quæ existendo Deum participant, Deus ipsemet antiquissimum ipsius entis principium intelligitur. Quare quæ in effectis sunt, adscribit causæ, idcóque cum hac dictione ponit ea quæ ponit tanquam de Deo dicta: sicut etiam ipsam per se similitudinem quâ Deo assimulantur mentes ipsi vicinæ, quin potiùs etiam ea quæ participant ea quæ sunt, vt esse, moueri, ratiocinari, & similia. Atque hæc, in quantum sunt & apparent in rebus, ipsum esse participant, ita vt ex eo etiam ipsa sint: & nullum est ens, quantumuis subsistens, vel in altero consideratum (siquidem etiam entia per accidens sunt quæ in altero considerantur) cuius essentia non sit ipsummet per se esse Dei. Cæteris omnibus, vitâ inquam, sapientiâ, bonitate; antiquiorem habens Deus ab ipso esse denominationem quam sibi ipsi

Exod. 3. 14.

dedit, dicens, *Ego sum qui sum*, primùm laudatur ab eo quòd sint res, quòd hoc sit antiquissimum eius donum. Diximus enim, esse quidem Dei, quod antiquius est vitâ, sapientiâ, bonitate, incomprehensibile

G

existere. Ex eo autem quòd sint omnia, concludimus, tanquam ex effectis, causam esse Deum, quin imò præexistere, & superexistere. Nisi enim præexisteret, minimè subsisterent illa quæ sunt; si verò non superexisteret, haudquaquam tali virtute vsus fuisset. Hic Deus in præfinitione ipsius esse propriæ cognitionis vniuersim omnia subsistere fecit: secundùm primùm enim conceptum mens apprehendit ipsum esse, & sic aliquo modo res esse concipit. Itaque simpliciter esse, non aliquo modo esse significauit cùm dixit, per se esse; vti & deinceps, cùm ipsam per se vitam, ipsam per se similitudinem, & cætera dixit, omnino vitam esse, & simpliciter viuere, nequaquam verò istiusmodi vitam explicauit. Sicut igitur aliquâ ratione in qualitatibus nostratibus, verbi gratiâ albedine, nigredine, primùm quasi per se qualitatem aliquam concipimus, ipsammet scilicet albedinem per accidens subiectis aduenientem & apparere & operari; vt cùm albedo per se * incorporea corpori adueniens illud dealbat, ita concipe hæc,

* Max. corporea.

D

sed proportione munerum diuinorum, vitæ, sapientiæ, quæ rerum principia appellauit. Nostræ enim vitæ principium & auctor est ipsa per se vita, & sapientiæ ipsa per se sapientia. Hæc itaque primùm concipiuntur existere, ac deinde sic existere principia viuentium, ipsa inquam diuina per se vita, & quæ in Deo est vita. Apponit autem *quatenus viuunt*, sicut etiam ens per se, quatenus sunt, & quatenus sapiunt, ipsa per se sapientia principium existit, & sic de similibus. Priùs enim dicebamus, ipsum similitudines vocare, secundùm quas diuinæ mentes Deum participant. Harum itaque similitudinum principium est ipsa per se similitudo, de quâ ipse per se Deus gloriatur; vti & rerum vnitarum, id est naturâ suâ definitarum, & non dispersarum: quælibet enim res, secundùm vnam aliquam definitionem sibi quoque vnita constat. Horum igitur iterùm principium ipsa quæ in Deo est per se vnitas; tum & cæterorum quæcunque vel vitam, vel notitiam, vel vtrumque participando viuunt, vel sapiunt, vel vtraque aut plura habent, quinimò vel entia sunt, vel immortalia, vel intelligentia, vt in diuinis Angelis accidit; horum, inquam, omnium per se participationes reperies, scilicet ipsam per se vitam, per se sapientiam, & cætera, ipsummet esse participare & in esse permanere? in quantum enim esse participant, & sunt, in tantum etiam ab aliis participantur.

E

§. 8.

Si autem illa maiora, quæ habent quoque singula per se, entitatem participent, quantò magis hæc quæ illorum participia sunt, facit ipsum esse, viuentia verbi gratiâ vel sapientia, per sui participationem; & non (vt quispiam imperitè suspicari posset) per se & sine alterius participatione hæc habent? Est autem hoc argumentum efficacissimum à maiori. Cùm itaque Deus primum hoc donum rebus largiatur, ex ipso quoque primùm laudatur, & existit ex ipso, ipsummet est esse omnium; & in ipso collecta continentur omnia secundùm simplicem aliquam & comprehensiuam & incomprehensam vniuersorum causam; nullâ enim ratione, vel conceptu, vel re communionem vel proportionem habet Deus cum rebus existentibus. Exempla autem quæ sequuntur fidem faciunt, ea quæ sunt omnia ex Deo existere, tanquam causâ eorum existentiæ, cùm diuersus sit ab illis, & in ipso consistant diuerso ab illis existente: siquidem vnitas, tanquam causa numerorum, vniformiter, haudquaquam variegata, vel aliter atque aliter intellecta, vniuersos numeros complectitur; & medium circuli centrum omnes à circumferentiâ lineas rectas vniformiter & simplici similique modo continet; punctum enim caret partibus, quomodo ergo aliter atque aliter lineas rectas possit comprehendere? Mirabili autem modo posuit exemplum hoc de circulo, vt ostendat; quomodo vniformiter in Deo vniuersa vniantur, & quomodo quæ distant distinguantur, & in quantum distant, in tantum etiam dissipentur. Adhæc, etiam in naturâ, creatrice vniuersorum, omnes cuiuscunque naturæ rationes absque confusione collectæ sunt, sicut in animâ vniformiter copulatæ sunt prouidæ virtutes eius; videlicet nutritiua quâ nutrit, auctrix quâ auget id quod aptum est generationi, sensitiua quâ præest sensibus, opinatiua quâ discernit ea quæ sentiuntur, imaginatiua quâ sensibilia imaginatur, appetitiua quâ appetit, & sic de cæteris: sic etiam creandi rationes omnes speciésque omnium in creatore sunt, manéntque inconfusæ, verumtamen in ipso sunt, non tanquam in loco (neque enim ipse in loco est, nec quæ in ipso) sed habet illa sicut seipsum habet, omnibus quidem simul existentibus, distinctis autem * in parte indiuisibiliter. Acceptis exemplis à numero & centro, ait, minimè absurdum esse, ex similibus imaginibus ad eorum quæ dicta sunt culmen ascendere, modò supermundanos oculos adhibeamus. Dicimus enim, omnia in causâ vnitè tanquam in vnitate numeros omnes, & collectim, tanquam in centro lineas rectas, quæ à circumferentiâ ducuntur, contineri.

Deum ab existentiâ tanquam primo dono laudari.

F

G

* Max. in indiuisibili.

§. 9.

H

Omnia igitur quæcunque essendi gradum sortiuntur, insigniunt illa quæ sunt: nisi enim esset vita, nequaquam viueremus; nisi esset custodia, nequaquam custodiremur; nisi esset motus, nequaquam moueremur. Omnia itaque, omnia quæcunque essendi gradum obtinent, insigniunt illa quæ sunt. Dicit autem illa quæ sunt, non substantias, sed [accidentia] quæ in substantiis cernuntur, atque etiam ex Deo sunt: hæc autem extra corpus consistere nequeunt, eáque etiam per cogitationem sanctus Pater diuisit.

§. 8.

Qualitates quælibet existant ex Deo.

Atque ex hac omnium causâ etiam intellectiles, quoad nos, & intelligentes, quoad Deum, virtutes subsistunt, vti & animæ & corpora, & quæ quoquomodo in aliis existunt, vt color, forma, qualitas, aliáque quæ circa corpus cernuntur, vel per cogitationem esse dicuntur, vt intellectio, sensus, ratio, & similia. Illa vtique ab his secernit, quoniam illa, tametsi in aliis subsistant, tamen sensui subiiciuntur; hæc autem nequaquam sensui subiacent, sed per solam cogitationem cognoscuntur. Itaque Virtutes illæ beatæ, tam primæ quam

sequentes

sequentes & vltimæ quoad illas, non quoad nos: nam quoad nos omnes supermundiales sunt, etiam postremæ; & Principatus & omnia ex Deo & in Deo sunt: & non tantùm ab eo vt sint, sed etiam vt benè sint, habent. Atque munera quidem antiquiora, verbi gratiâ sublimius esse, seu immortale esse, intellectilibus Virtutibus concessa sunt, quas & æternas appellauit, vt quæ participant æternitatem, cùm & Scriptura dicat: *Nam quæ videntur temporanea sunt; quæ verò non videntur, æterna.* Ipsum porrò esse rerum nunquam deficit; quando enim deficit ipsum esse, iam non est ens. Veruntamen illud ipsum esse est ex eo qui prius est, quocircà etiam cæterarum formarum diuinarum & intelligentiarum, vitæ, sapientiæ, & similium esse in Deo quid vnum & idem est. Nequaquam tamen Deus est in ipsâ existentiâ: nam existit ante ipsam existentiam (quoniam ipsius est existentia, vti etiam vita & lumen) & non ipse est existentiæ. Quid autem sibi vult, quòd ipsum habeat existentia, & non ipse existentiam? nisi cùm, præter alias istius verbi *habere* significationes, dicitur aliquid habere id quod ei secundùm habitum adest; sicut dicimus habere entitatem & vitam, sine quibus nec essemus quidem, nec quidquam haberemus: hoc autem hic significatur. Ipsa itaque existentia Deum habet, vt subsistat & appareat, non ipse illam habet vt existat: nam ipsemet æuum est existentiæ, & principium, & mensura, & rerum omnium principium, & medium, & finis. Quidquid enim cogitetur, & ad quamcunque rem quis mentem intendat, inueniet in eâ notionem causæ, id est, auctoris Dei. Hoc igitur est *multiplicari*, cerni eum in multis causam, & in quamlibet earum quotiescunque quis intendat, & rem ipsam speculetur, semper ea reperiet notionem auctoris Dei: iuxta hoc enim secundum omnem cogitationem multiplicatur, estque principium, & medium, & finis. Deus neque erat neque erit habet, secundùm Gregorium eximium Theologum. Sed neque est de ipso propriè dicitur, secundùm hunc D. Dionysium: quoniam verbum *est* sensum ingerit, ac si participet existentiam; Deus autem non participat existentiam, sed ipsamet existentia Dei particeps est, & in Deo existit, sicut etiam superiùs diximus. Quomodo ergo hic Sanctus ait, quoniam erat, & erit, & cætera quæ minimè propria sunt Dei, de Deo propriè prædicari? Ipsemet Sanctus hanc quæstionem soluens ait, ista de Deo dici quatenus Deum decet. Hæc enim omnia etiam aliena sunt à Deo, & iterùm in Deo sunt, quatenus participant esse. Omnia enim secundùm causam dicuntur de Deo, & in eo intelliguntur supersubstantialiter: hoc enim ita prædicari secundum Philosophos, declarat. Vt ergo omnium causa est, etiam est; & erat, & fieri, & erit, in se omnia continet; verùm simul omnia & erat, & erit, & est, quod de nullo alio dicetur vnquam. Et non solùm affirmationes, verùm etiam negationes, magis autem priuationes de ipso dicuntur, atque hæc simul, velut ipsum esse omnis formæ & absque formâ, & omnis figuræ & sine figurâ seu pulchritudine: illa quidem, quia causa est formarum & figurarum omnium; hæc verò, quia supra ea omnia est, & supra incorporeum, & supra immaterialitatem formâ specieque carens, principia, & fines & media rerum circumplectens: nullum enim principium est, supra quod non sit Deus incomprehensè & exemptè; & nullus finis, post quem non sit Deus; & nullum medium, in quo non sit Deus, iuxta illud, Ego Deus primus, & ego post hæc, & præter me non est alius, hoc enim est principium, & finis, & medium, vtique secundùm vnam & supraquam vnitam causam. Licet enim multi sint effectus & munera infinita, tamen supra omnem vnionem habet vnum illud causa, quæ liquidò omnibus illucet more solis huius sensibilis: si enim hic, cùm ex Deo subsistat, multas substantias ac diuersas qualitates vnus existens vniformiter illuminet, & illuminatione vnâ & vnitâ permanente, diuersæ fiant operationes; quantò magis in Deo quis illud intelligat, qui tam illius quàm cæterarum rerum conditor existit? Et si sol tantorum operum ac motionum causas vniformiter præacceperit, vnitè totus omnibus affulgens, vnicuique commodius inuentus, quantò magis apud creatorem exemplaria rerum omnium existere concedamus? Ac Plato quidem ideas & exemplaria nimis vili & indignâ Deo ratione accepit; hic Pater verò hac quidem voce vsus est, sed sensum eius piè explicauit, dicens, exemplaria esse rationes præexistentes, ac diuinas voluntates quæ definiunt ac faciunt vniuersa (solâ enim [Dei] voluntate omnia consistunt) quas & prædefinitiones seu prædestinationes diuus Paulus appellat, dicens, *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit*; & alibi; *Qui prædestinauit nos in voluntate suâ.* Quòd autem etiam substantias adducat secundùm egressionem à substantiâ, istiusmodi rationem habet. Dixerat in Deo esse omnium rerum exemplaria; deinde ac si quis aliarum quidem rerum rationes in Deo esse dicat, vtputa prouidentiarum ac munerum motuumque, sicut Apostolica dicta tradunt; ita vt hinc quidem probabiliter colligatur, prædestinationes ministerij & Apostolatûs rationesque horum esse in Deo, ipsarum autem personarum exemplaria non esse. Ac si quis itaque istiusmodi opinionis foret, & à personis actiones separaret, asserit, creatorem ipsarummet personarum quoque rationes penes se habere, cùm etiam substantias producat. Siquidem id obseruare licet in rebus nostratibus arte factis, quoniam nos quidem cùm substantias non producamus, substantiarum quoque rationes apud nos minimè habemus, habitudinum autem & artis rationes habere nos nihil vetat, secundùm quas res arte facta absoluatur. Deus verò, cùm tam hæc quàm illa producat, meritò habet vtrorumque rationes, tam substantiarum quàm habituum.

Clemens autem Philosophus vrbis Romanæ Episcopus, vt quidam interpretes, aiunt, opinionem quandam secutus est, quæ tradit, etiam in generatione rerum sensilium quasdam esse causas principales. Quemadmodum itaque in intellectilibus licet dicere, diuinas notiones rationes esse principales & exemplaria, sic in sensilibus dixit esse quædam principaliora exemplaria, verbi gratiâ ignis materialis, qualitas ætheria, & fontalium aquarum supercœlestes aquæ, quæ quodammodò magis immateriales sunt inferioribus, in quantum æther quidem ipse in se ipso ardens subsistit, aquæ verò supercœlestes sine circumscriptione conuenientè constringuntur ac continentur; quin potiùs cùm orbicularis ac fluxæ naturæ sint, vtraque conditoris ac diuinâ voluntate continentur. Quocircà etiam ad aliquid exemplaria esse dicit: ad hæc ipsa enim exemplaria, & non simpliciter causas principales, vt hic ait, diuinæ sunt voluntates. Alij verò intellectilia sensilium, & horum iterùm sublimiora inferiorum exemplaria Clementem dicere existimantes, ad istiusmodi opinionis explicationem quid simile adducunt: Suppone enim lineam, cuius superior quidem pars data sit rebus intellectilibus, inferior verò sensilibus; atque iis quidem quæ inter hæc primatum tenent, quæ sunt propriè intelligibilia, primam ac superiorem partem obtigisse, intellectilibus autem inferioribus inferiorem. & ita cæteris, secundùm lineæ descensum. Siquidem talis opinio vult docere, omnia non esse eiusdem dignitatis, sed quædam ex se mutuò dependere, velut subiectas species ab vniuersalibus. Et hæc quidem aliquorum est sententia: totus verò, quantum ex verbis ipsis coniicio, sensus hic est: Quòd cùm præsentia dicant esse rerum spiritalium, sicut Magnus Apostolus ea quæ sunt legis vmbram appellauit, ita hic illa his opponens exemplaria vocauit. Idcircò enim dixit etiam ad aliquid, imago videlicet ad exemplar, & exemplar ad imaginem. Ait itaque hic Pater, quòd si etiam ille intellectilia sensilium exemplaria vocauit (vide enim, inquit, facias secundùm exemplar quod tibi monstratum est) vtique non sunt istiusmodi exemplaria intellectilia illa, quæ etiam adoranda sint vt diuinæ

Marginal notes: 2. Cor. 4. 18. — Quid sint ideæ. — Rom. 8. 30. Ephes. 1. 5. — Quomodo de Deo dicatur erat, est, erit & quomodo non. — Apoc. 22. 13. — §. 9. Quatam sint causa principales.

Exod. 33.

voluntates, verùm illa quoque creata sunt, déque iis audimus id quod Moyses de sensilibus Dei nomine dixit, Non ostendi tibi hæc vt ambules post ea, sed vt per hæc ad id quod verè est & creatorem adducamur. Cùm aliqui Gentiles dixerint, ideas esse exemplaria quæ per se subsistunt, hos refutans ait: Nisi enim ideæ hæ notiones essent simpliciter & vnitè superexpansæ, supereminentes & supraquam vniti Dei, vtique Deus compositus esset ex exemplari & seipso, quod duplicitatem appellauit; omnia igitur primæ caussæ adscribenda sunt. Sed neque, quòd partiales & diuersi temporis sint effectus; statim suspicandum est, esse diuisiones quasdam per se subsistentes, vel certè propriè intellectas in Deo; sed vnica est eadémque eminens vniuersæ vnitatis vnio: nam secundùm vnam & eandem non simpliciter simplicitatem, sed eminentiam simplicitatis, omnia in seipsâ non solùm continet, verùm etiam præhabet prædefinitè inchoans progressum suum substantificum, & creaturarum productionem à sui ipsius esse, sicut etiam ipsam viuificationem à sui ipsius vitâ, & consummationem à suâ perfectione. Dixit autem hoc, quoniam omnia ex Deo facta sunt, atque omnia se ipsis propriè, & in quantum naturam habent, Deum participant: si quidem tantùm existant quia participant diuinum esse; si cognoscant, diuinam cognitionem; si verò etiam intelligant, diuinam intellectionem quæ omnem excedit intelligentiam. Inchoat autem à substantifico progressu, quoniam primùm intelligimus esse alicuius, & deinde sic vel taliter illud esse. Quapropter istiusmodi progressum inchoauit à sui ipsius esse: non enim satis est bonitati, si circa semetipsam propriæ vacet contemplationi, sed debebat per plura beneficia diffundi ac propagari.

§. 10. Per omnia dimanat Dei prouidentia.

Per omnia autem dimanat prouidentiâ, cunctáque replet essentiâ, & in rebus omnibus delectatur. Hoc verò dicit, non quòd Deus affectionem habeat gaudij & exultationis, sed à nobis ipsis gaudentibus de operum nostrorum perfectionibus, si quidem secundùm rationem procedant, & nullam incurrant reprehensionem: hoc enim sibi quoque vult illa quæ in diuinâ sacráque Scripturâ additur approbatio, *Ecce bona valdè*. Quibus congruit & illud diuini Dauidis dicentis, *Lætabitur Dominus in operibus suis*; illúdque Salomonis, *Ego eram cui congaudebat*. Etenim vt vox, cùm vna sit, à multis quoque auribus, in se vna rursum perseuerans, non priùs neque posteriùs, neque diuisim, neque partialiter, sed integrè, sed totaliter & ex toto, & simul & eodem modo, vt vna percipitur; sic etiam Deus vnicè & integrè ab omnibus participatur, omniúmque principium est, tanquam caussa, & finis vt cuius caussa: nam omnia propter Deum sunt, verùm non propter necessitatem, sed propter bonitatem; & finis omnium est, vt qui continet & terminat vniuersa. Nihil enim potestatem ac prouidentiam eius effugit, sed in ipso cuncta terminantur, & infinitas omnis infinitatis ac terminationis existit; æqualiter enim deficiunt tam infinitas quàm terminatio à diuinâ infinitate, sicut à sole ac cœlo qui illa incuentur, vel potiùs etiam magis & excessiuè atque infinitè deficiunt. Verùm quænam est in rebus nostratibus infinitas? Si dicas quis materiam, quæ semper transfiguratur atque in alias atque alias formas transmutatur; atqui hæc ipsa quoque in Deo terminatur, quantumuis instabilis sit & indefinita. Est itaque Deus infinitas etiam infinitatis, non quasi secundùm se transformetur, sed quod hanc ex nihilo producat. Dicens autem infinitatis & terminationis, ait sicut oppositorum: non enim hæc propriè sicut habitus & priuatio opponuntur (oportebat enim apparere aliquando habitum, siquidem is erat, & sic fieri priuationem) quin potiùs opponuntur sicut affirmatio & negatio, dicitur enim secundùm habitum, & priuationem, intelligitur autem per affirmationem & negationem. Infinitum namque dicitur id quod non habet finem, non quod priuatum est fine: Deus siquidem in vno, id est vnitè, vt sæpè dictum est, omnia & præhabet vt caussa, & subsistere facit vt conditor, atque similiter omnibus & vbique præsens est, & ad omnia se extendit conseruatrice prouidentiâ, & in se ipso manet tanquam supra omnia existens, & nullius egens. Et *stans* dicitur, quia in eo nullum vestigium mutationis cernitur; & rursum *se mouens*, quia res continet atque conseruat. Et rursum non hæc est, sed supra hæc: motio enim, est actio imperfecta; statio verò est omnimoda immobilitas; quæ si post motum fiat, quies appellabitur. Deum autem mali plusquam imperfectam actionem esse, clarum est; quòd verò etiam sit supra immobilitatem, clarum est ex eo quòd omnia habeat eminenter, & non sicut res sunt & intelliguntur. Etsi enim Deo valdè consona sit omnimoda immobilitas, attamen ea ipsa eminenter est & intelligitur in Deo. Rursum non est in vllo eorum quæ sunt, quia in omnibus incomprehensibilis existit; nihil rerum æuiternarum illi conuenit, quia æuorum quoque conditor existit; nihil rerum temporalium, quia temporum quoque creator est. Æuiternas autem vocat virtutes intellectu præditas, quoniam æui participes existunt, & quia natura temporis priores sunt; quoniam tempus à cœli terræque creatione computatur. Quòd autem ipsi nihil conueniat, intellige secundùm substantiam, & non secundùm aliam quampiam intelligentiam, verbi gratiâ gubernationis ac constitutionis, atque similium. Nota verò hinc, id quod principio caret, quoque æternum esse, non tamen omne quod æternum est, principio carere. Deus autem est ipsamet æternitas, quoniam eius esse non solùm tempore non mensuratur, sed neque æternitate, sed est ipsamet æternitas. Ait autem secula intelligibilium, tempora verò sensilium mensuras esse: siquidem intellectilia, tanquam mensuræ subiecta, seculo mensurantur, etsi eodem nomine, quæ mensurantur, & quod mensurat, afficiantur. Angeli enim etiam secula appellantur. Ita etiam in sensilibus: quæ enim tempore mensurantur, eodem cum tempore nomine appellantur, vt motus astrorum & solis, & ætates vitæ: tempore enim mensuratæ tempora dicuntur; siquidem tempus vnum, mensuralia verò tempora sunt, quæ vnius huius temporis extensione mensurantur. Hæc itaque omnia per ipsum, & ab ipso, & in ipso sunt.

Gen. 1. 31.
Psal. 103. 31.

Quomodo de Deo dicantur opposita.

CAPVT VI.

De Vitâ.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Docet Deum esse vitã ex quâ omnis vita proficiscitur.

2. Eum cuilibet viuenti natura congruam vitam impertiri.

3. A diuinâ vitâ, quæ supra vitam est, viuificari ac foueri vniuersa, atque adeo ipsam vt omnigenam vitam prædicari.

§. 1. Deum esse vitã, ex quâ omnis vita proficiscitur.

NVnc laudanda nobis est vita æterna, ex quâ per se vita, & omnis vita manat; & à quâ viuere in omnia quoquo modo vitam participantia, conuenienter vnicuique, disseminatur. Itaque vita atque immortalitas immortalium Angelorum, & illa perpetuitas Angelicæ vitæ, quæ omnem effugit interitum, ex ipsâ & propter ipsam est & subsistit, quamobrem semper viuentes & immortales dicuntur; & rursus non immortales, quia non ex se habent vt immortales sint, & perpetuò viuant, sed ex viuificâ & omnis vitæ effectrice & conseruatrice causâ. Et sicut dicebamus de eo qui est, esse æuum ipsius per se esse, sic etiam hic vita diuina est per se vitæ viuificatrix & effectrix; & omnis vita, vitalísque motio est ex vitâ quæ est supra omnem vitam, & omne principium omnis vitæ. Ex ipsâ etiam animæ habent, quòd non intereant, & animantia germináque quòd vltimò vitæ gradu gaudeant. Hac subtracta, iuxta Scripturam, deficit omnis vita; & ad ipsam denuò conuersa,

rursum

rursum viuificantur quotquot ab eius consortio pro imbecillitate desciuerant.

§. 2. Hac cuilibet viuenti congruam vitam impertitur.

Et largitur primùm quidem per se vitæ esse vitam, & omni vitæ, & cuique vitæ esse vnamquamque aptè ad naturam suam: cœlestibus etiam vitis immaterialem ac deiformem & immutabilem immortalitatem, & motum sempiternum ab omni errore inflexionéque liberum, ad ipsam quoque vitam dæmoniacam abundantiâ bonitatis se extendens: neque enim illa quòd sit, & vita sit ac maneat, ab aliâ causâ nisi ab hac habet. Dat insuper hominibus, licet compositis, vitam quæ Angelicam proximè attingit, & nos auersos etiam exuberantiâ benignitatis ad se conuertit reuocátque, & (quod diuinius est) nos totos, animas dico & coniuncta corpora, ad perfectam & immortalem vitam translaturum se promisit: id quod antiquitati quidem contra naturam esse videtur, mihi verò & tibi & veritati diuina res, & supra naturam. Supra naturam nostram dico quæ videtur, non autem illam omnipotentem vitæ diuinæ: huic enim, vt quæ sit omnium vitarum, & earum præsertim quæ diuiniores sunt naturâ, nulla vita est contra naturam aut supra naturam. Quamobrem vesaniæ Simonis contradictorij sermones procul à diuino cœtu tuáque spiritali animâ repellantur: latebat enim ipsum, vti puto, tametsi sibi sapiens videbatur, eum qui sanæ mentis sit, euidenti sensûs ratione adiutrice vti contra abstrusam omnium causam non oportere. Atque hoc ei dicendum est, id esse contra naturam dicere; ei enim nihil est contrarium.

§. 3. A diuinâ vitâ viuificantur & fouentur vniuersa.

Ab ipsâ viuificantur & fouentur vniuersa, tam animalia quàm plantæ. Et siue spiritalem dixeris, siue rationalem, siue sensitiuam, siue nutritiuam & auctricem, siue qualemcunque tandem vitam, vel vitæ principium, vel vitæ essentiam, ex ipsâ & viuit & viget supra omnem vitam, & in ipsâ secundùm causam vniformiter præexistit Nam supraquam vitalis & vitæ principialis vita, & omnis vitæ causa est, adeóque viuificat & complet atque distinguit vitam, & ex omni vitâ prædicanda, iuxta fœcundam vitarum omnium propagationem; vnde tanquam omnigena omnísque vita concipitur ac celebratur, & vt nullius indiga, imò verò vitæ superplena, se ipsâ viuens, & quasi omnem vitam viuificans, & superuiuens, siue quomodocunque ineffabilem illam vitam humano more laudare quis possit.

SCHOLIA S. MAXIMI.

§. 1. Qualiter, ex Deo sint omnes vitæ.

ET CONSERVATRICE CAVSA.] Continentem causam vocauit, vtpote quæ non solùm vitam in rerum naturâ creauerit, sed quæ vitam contineat & conseruet, vt duret & permaneat.

EX IPSA ETIAM ANIMÆ. [Post Angelorum vitam ordine ponit animarum nostrarum, vtpote ratione præditarum, immortalitatem: at post rationales animas adducit deinceps vitam animæ sensitiuæ & nutritiuæ seu vegetatiuæ, siue irrationalium & plantarum, quas vltimo vitæ gradu gaudere dixit, prout superiùs sæpè exposuimus. Porro vitæ brutorum ac plantarum non sunt diuinæ, sed ignis materialis ac spiritus: de his igitur extremis, vti dictum est viris, ait illud Dauidis dictum esse, *Auferes spiritum tuum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Emittes spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Magnus enim Dionysius de solâ animâ sensitiuâ & vitâ vegetatiuâ hæc diuina Oracula accepit: non enim hæc intelligit de vitâ intellectilium aut nostrâ (siquidem cùm Deus vitam hanc crearit essentialiter immortalem, neque intellectilium neque animarum nostrarum vitam vnquam auferet, quoniam neque substantiæ erunt) sed Dauid agit de animantibus terrestribus renouandis, non verò de his. Atque de vitâ dæmonum qui vltrò defecerunt, addit, eam quoque sine interitu permansuram, ipsorum conditore Deo sic volente, quamuis ipsi à Deo defecerint, *Sine pœnitentiâ enim sunt dona Dei*, qui ipsos à principio fecit immortales. Vltimum autem quasi sibilum vocat obscuriorem vitæ portionem, &, vt paucis dicam, vitalis facultatis participem.

Psal. 103. 29. — *Rom. 11. 29.*

HAC SVBTRACTA.] Dictum illud Psalmi agit quidem de hominibus & vltimâ communique resurrectione, quam Pater paulò antè manifestiùs ponit: hîc verò sententiam illam citauit, sermonem faciens de omnibus quoquomodo viuentibus, declarans, haud aliter quàm ex Deo in his vitam considerari. Porrò *auferri* posuit pro separari, sicut *conuersa* pro participantia. Ait autem hæc infirmari in ipsâ vitæ participatione, quia non ab intrinseco & à seipsis vitam habent, sed à Deo inductam: quantum enim ad ipsa spectat, non in ipsâ vitâ considerantur, sed per relationem ad Deum vitam consecuta quodammodò reuiuiscunt, &, vt ipse ait, denuò viuificantur.

§. 2.

TANQVAM COMPOSITIS.] Mirificè omnia dogmata rectè tradit. Nunc enim resurrectionis modum edisserens, ostendit quidem nos mortales esse, quatenus ex immortali animâ & corpore mortali existimus; vitam verò animæ essentialem substantiis Angelicis inferiorem esse asserit, quatenus ipsam Angeliformem, non autem Angelicam appellat, quippe non per se Angelicam, sed per similitudinem. Et nos quidem ex parte ait animas esse rationales, totos autem ex animâ corporéque constare. Corpora porrò nostra in resurrectione immortalitate donanda asserit, dicens, doctrinam de resurrectione antiquitati, id est insipienti Gentilium opinioni, incredibilem videri, quia contra materiæ naturam sit frui immortalitate; vetustas autem insipientia nominatur. Quòd si verò respectu præsentis vitæ, nutritioni & excretioni morbísque obnoxiæ, resurrectio supra naturam esse videatur; attamen respectu Dei nihil præter supérque naturam accidit, quoniam omnis ipse vitæ auctor existit.

1. Cor. 15. 53.

DICO ET CONIVNCTA CORPORA.] Quoniam diuinus quoque sermo vult corpora nostra participare immortalitatem, iuxta illud Apostoli, *Oportet enim mortale hoc induere immortalitatem.*

SVPRA NATVRAM.] Hoc dicit, quia soli Deo secundùm naturam est viuere.

Simonis errores refutati.

SIMONIS CONTRADICTORII SERMONES.] Dicit, libros Simonis contradicere sententiæ nostræ, quæ asserit, corpus nostrum resurgere, & immortale esse, tanquam res ista sit contra naturam. Contradicunt autem Simoni, ipsumque in his reprehendunt Irenæus, & Origenes, & Hippolytus, & Epiphanius. Magnus verò Dionysius diuinè soluit sententiam Simonis, quæ dicit, contra naturam esse corporum resurrectionem. Cùm enim Deo nihil sit contrarium, quomodo aliquid erit ei contra naturam? Arbitrari autem, quidpiam ex his conspicuis & his sensilibus, contra incomprehensibilem atque omnibus obscuram vniuersorum causam, id est contra Deum, demonstrationes præbere posse, id verè contra naturam est. Quomodo enim id, quod omnem sensum & cogitationem superat, euertent ea quæ sensu & cogitatione percipiuntur?

EVIDENTIA SENSVS.] Non oportet, inquit, propter ea quæ sensibus percipiuntur, fidem denegare verbis Dei, qui est obscura causa omnium: propriè enim illud est contra naturam dicere, cùm, propter sensilium perspicuitatem, negantur illa quæ sunt supra naturam.

§. 3.

SIVE RATIONALEM, SIVE SENSITIVAM, SIVE NVTRITIVAM.] Obserua, quomodo distinguat illa quæ vitam participant. Ait enim, vitæ principium esse animam cùm nostram tum sensitiuam: per has enim corpora, quæ ad vitam veniunt, viuunt & mouentur. Porrò vitæ essentias esse animas nostras intellectilésque virtutes; quoniam pro substantiâ suâ habent vitam per modum materiæ cuiusdam atque subiecti, nec non per modum formæ per se existentis: quare, vti dixi, animæ corpora viuificant. Deus itaque, tanquam auctor & consummator vitæ nostræ, tanquam contentor & distributor tanquam disponens differentias omnis vitæ, scilicet intellectilium, rationalium, sensilium, & eorum quæ augentur, omnium principium existit. Ideóque, quoniam superiùs

dixit, solem quoque vitam tribuere, atque omnia nutrire, non intelligas eum hoc habere à semetipso, sed ab omnium causâ atque principio.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§. 1. Quomodo Deus sit vita æterna.

INcipit de vitâ æternâ verba facere, scilicet diuinâ. Æternam autem dicit, non quòd participet æternitatem (siquidem hæc continet æternitates) sed, sicuti Deus & ens dicitur & plusquam ens, cùm quòd sit existentia plusquam existentia, tum quòd non participet essentiam, sed sit supraquam essentia; sic etiam æterna est vita eius, & rursum plusquam æterna. Æterna quidem, quia ipse sibi æternitas & perpetuitas existit; supraquam æterna verò, quia ipse sæculorum quoque conditor est. Ex hac vitâ sempiternâ per se vita omnísque vita est. Per se vita, intelligenda est in Deo ratio exemplaris ipsius vitæ; omnis autem vita, accipienda ea quæ est in Angelis, & in hominibus, atque insuper in brutis, & stirpibus: licet enim omnia viuant vitámque participent, proprio tamen cuique modo pro ratione naturæ suæ vita disseminatur. Propriè autem *disseminatur*, siquidem omnibus viuentis membris vita aspergitur, verùm non secundùm aliam atque aliam vitæ partem in aliâ atque aliâ corporis parte, sed tota in omnibus, sicut in semine in suis folliculis distributo, in vnaquaque parte omnis vis seminis existit integra & perfecta. Ex hac vitâ æternâ Angelorum vita est & subsistit, qui & immortales appellantur, & non immortales: illud quidem, quia sunt incorruptibiles; hoc verò, respectu propriæ immortalitatis, quia non per se habent immortalitatem vti ipsa, sed per illius æternæ ac diuinæ vitæ participationem: quam & vim conseruandi habere dicit, ita vt rebus non solùm vitam conferat, verùm etiam vt perseuerent contineat. Et sicut de ente diximus, Deum non tantùm ipsius per se esse, id est rationis quâ ens creatur, æuum esse; sic etiam rationis eius, quâ vita producitur, causa existit diuina vita. Hæc autem secundùm antiquiores dicuntur ideæ per se subsistentes & creatori coæternæ. Ex hac æternâ vitâ animæ rationales incorruptibilitatem habent, bruta omnia viuunt, & plantæ, quòd vltimo vitæ gradu gaudeant, sicut anteà diximus. Vitæ itaque brutorum ac plantarum non sunt diuinæ, sed ignis materialis ac spiritus. Humanam autem vitam vocat Dauid spiritum, dicens, *Auferes spiritum eorum, & deficient*; &, *Emittes spiritum tuum, & creabuntur*, videlicet in resuscitatione ac resurrectione. *Auferri* autem posuit pro separari, declarans, ab initio quoque spiritum fuisse datum; *infirmari* verò dicit in huius vitæ participatione, quia non domi suæ, nec à se ipsis vitam habent, sed insitam à Deo.

A Deo est omnis vita.

Psal. 103. 29. Ibid. 30.

§. 2. Omnia à Deo viuificari.

Quia itaque vitam insitam habent, dum ad eius participationem infirmantur, deficiunt, & dum rursum conuertuntur, rursum viuificantur. Itaque per se vita est conditricis atque exemplaris vitæ ratio, quæ in Deo æterna existens, tribuit esse omni vitæ, tam vitæ simpliciter quàm cuilibet viuentium in particulari: atque Angelis quidem dat vitam immaterialem ac deiformem; toti enim sunt vitæ substantiales, quæ viuendo semper & indesinenter mouentur. Ad ipsam quoque turbam dæmoniacam istiusmodi vitam per bonitatem extendit (*sine pœnitentiâ enim sunt dona Dei*;) siquidem vita dæmonum ab ipsâmet per se vitâ quoque existit ac continetur. Quin & hominibus, quorum animæ corporibus commixtæ sunt, Angeliformem vitam tribuit, quantum scilicet fas est: nos enim, cùm medij sumus inter Angelicam vitam ac naturalem, secundùm liberum arbitrium habemus propensionem ad vtramque: siue meliùs dicendo, ad Angelicam vitam compositi, sicubi per libertatem etiam deflectimus, superabundantiâ benignitatis ad pristinum statum reuocamur atque conuertimur; quódque magis mirandum est, etiam secundùm corpus ad incorruptibilem vitam nos traducturos promittit. Quæ res insanæ quidem Gentilium opinioni (quam vetustatem appellat, quippe fatuam & putridam) etiam credita meritò quasi contra naturam videatur: illi enim aiunt, esse contra naturam vt materia fiat immortalis. nam dum est materia, etiam secundùm naturam suam habet vt in se formas transmutet, quomodo ergo in se semper immutabilia & immobilis manere possit? Illi itaque naturam sequentes, verosimiliter dicunt, omne id quod naturæ peregrinum ac nouum accidit contra naturam esse, & fieri numquam posse: nos verò ad Deum spectantes, qui omnia ex nihilo vel verbo solo ac voluntate suâ consistere facit, id quod ipsis contra naturam videtur, id nos diuinum & supra naturam esse dicimus, & volente Deo fieri posse. Deo enim volente quidpiam peregrinum seu nouum fieri, minimè contra naturam esse dicimus: vis enim hæc est naturæ, & non naturæ status, sed imbecillitas, ita vt denuò ad naturalem statum redire debeat, si quando vis illa motúsque, qui contra naturam est, auferatur. Quod verò supra naturam est, statum habet & naturæ transformationem, ita vt Deo quidem volente fiat, miraculo autem etiam in identitate sui ordinis perseueret; ita vt ignoretur penitus id quod priùs secundùm naturam habere dicebatur. Proprij autem motus peregrini quidem, & supra eos quos nos habemus dicendi, sed proprij ac secundùm naturam eius. Etsi enim dicatur esse supra naturam, tamen [superintelligi debet] nostram hanc quæ videtur, & eam quam priùs habuit, non autem est supra naturam omnipotentem ac diuinam: diuinæ siquidem naturæ, vt quæ est natura statúsque vitarum omnium, præsertim diuiniorum siue Angelicarum, vel etiam corporum in resurrectione viuis animabus coniunctorum, nulla vita est contra naturam, vel supra naturam. Qualis enim vita Deo contra naturam ac violenta sit? quæ verò supra naturam eius? quid enim & quale diuinam naturam superet? Vnde, quando dicimus de Deo, quòd hoc fit & hoc dicatur supra naturam, non intelligimus naturam eius, absit; sed nostram, & cæterarum rerum omnium: & quando rursum econtrà dicimus secundùm naturam, non nostram intelligimus rerúmque cæterarum, sed ipsius. Quamobrem contradictoriæ Simonis rationes, contra doctrinam quæ ait, corpora nostra immortalitate donanda, procul repellantur. Hunc autem arbitrari, ex his conspicuis & his sensilibus contra incomprehensibilem atque omnibus obscuram vniuersorum causam demonstrationes præbere posse, vanum est: quomodo enim id quod omnem sensum & cogitationem superat euertent ea quæ sensu & cogitatione percipiuntur? cùm autem Deo nihil sit contrarium, quomodo aliquid erit ei contra naturam vel violentum?

Rom. 11. 29.

Deo nihil supra naturâ.

§. 3.

Cùm verò ab ipso viuificetur id quod viuit, siue Angelus sit siue homo, siue brutum siue planta, & ex ipso vitæ omnis initium vitæque substantia sit, credibile etiam erat & illud resurrectionis, quoniam ab ipso ad denuò viuendum resuscitabimur. Vitæ porrò principium ait esse animas (per has enim corpora, quæ ad vitam veniunt, viuunt & mouentur) vitæ autem essentiam ipsas per se esse animas intellectilésque virtutes (siquidem hæ sunt substantiales, & per se mobiles, atque immortales) hæ autem ex ipsâmet diuinâ vitâ, quæ est supra omnem vitam, & viuunt corporáque viuificant: in quâ diuinâ vitâ licet multæ sint vitæ, & eiusdem nominis cum nostrâ, tamen vno modo & secundùm vnam vitalem causam præexistunt. Quare Deus, tanquam auctor & consummator vitæ nostræ, tanquam contentor & distributor; tanquam disponens differentias omnis vitæ, scilicet intellectilium, rationalium, sensilium, & eorum quæ augentur, omnium principium existit. Consideratur enim in omni vitâ secundùm multiplicem vitæ generationem ac varietatem: alia est enim Angeli, & alia hominis, & alia bruti, & alia plantæ; quocircà consideratur vt omnigena diuersáque, quæ vnita simpléxque est nullius indiga, quin imò superplena, non enim satis est de eâ dicere quòd non sit indiga, sed addendum, eam esse

supraquam

supraquam plenam, in quantum vitæ bonum ab hac in multa alia diffunditur, vt quæ est seipsâ viuens, & superuiuens, & viuificans, vel quocunque alio modo humano ineffabilem illam vitámque diuinam laudare quis possit.

CAPVT VII.

De sapientiâ, mente, ratione, veritate, fide.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Docet, sapientiam Dei esse omnis sapientiæ creatricem, supráque omnem sapientiam existere inuestigabilem & incomprehensibilem; neque secundum nostram intelligentiam metiendam esse.*

2. *Ex eâ Dei sapientiâ dicit Angelos habere, quòd sint intellectiles, & homines quòd sint rationales, & res alias sensibiles. Quærit insuper, quomodo Deus omnia nouit sine vllâ actione; & quomodo omnia cognoscendo anticipet, & in se ipso per sui notitiam cognoscat; & Angeli quoque sensilia intellectualiter percipiant.*

3. *Ostendit, Deum, vt in se est, nobis ignotum esse, eundémque nosci partim per notionem, partim sine notione, & hanc notitiam esse illâ diuiniorem ac veriorem.*

4. *Quomodo Deus Verbum sit, quod est simplex veritas & fidei fundamentum.*

§. 1. Sapientiā Dei esse omnis sapientiæ creatricē, supraque omnem sapientiā.

AGe porrò, ipsam, si placet, veram æternámque vitam, etiam vt sapientem, ipsámque sapientiam celebremus, imò verò tanquam omnis sapientiæ procreatricem, supráque omnem sapientiam & intelligentiam eminentem. Non enim Deus tantùm supraquam plenus sapientiâ existit, & intelligentiæ eius non est numerus, sed supra omnem rationem & mentem & sapientiam collocatur. Idque supernaturaliter intelligens vir planè diuinus, communis ille noster nostrique præceptoris sol, *Quod*, inquit, *stultum est Dei, sapientius est hominibus*. Non solùm quòd omnis humana cogitatio error quidam sit, si cum diuinarum absolutissimarúmque intelligentiarum firmitate stabilitatéque comparetur; verùm etiam quia solemne est Theologis, vt in Deo ea quæ sunt priuationis contrario sensu dicant. Sic lucem splendidissimam Scripturæ vocant inaspectabilem; & qui multa laudum insignia nomináque habet, dicunt ineffabilem & innominabilem; atque eum qui omnibus præsens est, & ex omnibus inuenitur, vocant incomprehensum & inuestigabilem. Hoc igitur modo etiamnum diuinus Apostolus stultitiam Dei laudare dicitur, dum id quod in eâ rationi contrarium & absurdum videtur, ad ineffabilem omnique ratione potiorem veritatem refert. Verùm (vt alibi dixi) si more nostro ea quæ supra nos sunt accipiamus, familiaribusque nobis sensibus inhæreamus, atque diuina cum rebus nostris conferamus, fallimur, si secundùm id quod deforis apparet diuinum Numen & arcanam illam rationem metiamur; cùm scire debeamus, mentem quidem nostram pollere vi intelligendi, quâ res intellectiles contueatur, tamen istam vnionem, quâ rebus se superioribus coniungitur, naturam ipsius longè superare. Secundùm hanc itaque diuina sunt intelligenda, non more nostro, sed quatenus nos ipsi totos à nobis totis abdicamus, & toti transimus in Deum: siquidem longè præstat nos Dei esse quàm nostros; sic enim diuina nobis dari poterunt, si cum Deo fuerimus coniuncti. Hanc igitur expertem & amentem atque fatuam sapientiam superlatè laudantes, dicamus, omnis mentis & rationis, omnisque sapientiæ & intelligentiæ causam esse; & ipsius esse omne consilium, & ab ea omnem scientiam & intelligentiam proficisci, & in eâ omnes thesauros sapientiæ & scientiæ absconditos esse. Etenim conuenienter iis quæ anteà dicta sunt, causa supraquam sapiens & omnia sciens, per se sapientiæ & totius sapientiæ vniuersalis & singularis effectrix.

1. Cor. 1. 25.

Res diuinas nō secundum nostrā intelligētiā metiendas esse.

Colos. 2. 3.

§. 2. Ex Dei sapientiā habent Angeli, quòd sint intellectiles.

Ex eâ intellectiles ac intelligentes Angelicarum mentium virtutes simplices ac beatas habent intelligentias, dum non diuiduis aut è diuiduis, vel sensibus vel diffusis rationibus, ratiocinando diuinam colligunt scientiam, nec iisdem communiter adhærent, sed omni materiâ pluralitateque puræ, spiritali, à materiâ secreto atque vniformi modo ea capiunt, quæ in diuinis intelligi possunt: estque illis vis spiritalis atque operatio impermixtâ, & immaculatâ puritate resplendens, & conspicax diuinarum intelligentiarum, quæ diuisionis ac materiæ carentiâ, nec non deiformi vnitate ad diuinam & plusquam sapientem mentem ac rationem, quantum fieri potest, per diuinam sapientiam efformatur. Hinc etiam animæ ratiocinandi vim obtinent, quæ dum per digressus quosdam & per ambages rerum inuestigant veritatem, propter diuisam & omnifidam varietatem non parum ab vnitis illis mentibus deficiunt; sed vbi demum è multis in vnum sese colligunt, Angelicas etiam, quantum quidam animabus congruit intelligentias æmulantur. Quin & sensus ipsos si quis sapientiæ quendam sibilum esse dixerit, nequaquam à vero aberrabit: nam & dæmonum quoque mens, in quantum mens est, ex ipsâ est; in quantum vero amens est, & id quod appetit nec scit, nec vult assequi, veriùs à sapientiâ defectio dici debet. Sed quoniam diuina sapientia ipsiusmet sapientiæ, atque omnis etiam mentis, rationis ac sensûs principium, & causa, & procreatrix, & perfectio, & custodia, & terminatio dicta est; quomodo ergo Deus ipse supraquam sapiens sapientia, & mens, & Verbum, & cognitio prædicatur? quomodo enim intelligat quidquam intellectilium, si non habeat spiritalem actum? vel quomodo percipiat sensilia, si supra sensum omnem sit collocatus? atqui Eloquia tradunt, Deum omnia nosse, nihilque diuinam effugere cognitionem: verùm, vt sæpenumerò dixi, diuina prout Deo competunt accipienda sunt. Nam amentia & insensilitas, per excessum, non per defectum Deo tribuuntur; sicut etiam rationis carentiam ei qui supra rationem est attribuimus, & imperfectionem supraquam perfecto ac præperfecto; & caliginem, quæ tactum visúmque fugiat, luci inaccessæ accommodamus, secundùm quod excellit lucem spectabilem. Itaque mens diuina comprehendit omnia cognitione quadam eminenti, quâ secundùm ipsammet omnium causam in se omnium cognitionem anticipat, priùs quàm Angeli fierent cognoscens Angelos, eosque creans, cæteráque omnia intus & ab ipso, vt ita dicam, exordio noscens, & in rerum naturam proferens; idque arbitror Scripturam significare, cùm ait, Qui nouit omnia priusquam fiant. Non enim ex rebus ipsis res discens, nouit eas diuina mens, sed ex seipsâ & in seipsâ, secundùm causam omnium scientiam & notionem & essentiam præhabet, & antè comprehendit, non singulis secundùm cuiusque speciem intendens, sed secundùm vnicam causæ complexionem cuncta sciens & continens: sicut & lux secundùm causam tenebrarum notionem anticipat, non aliunde quàm ex luce tenebras noscens. Seipsam igitur diuina sapientia noscens, sciet omnia; materialia sine materiâ, & indiuisè diuisibilia, & vnicè multa, ipso vno omnia & cognoscens & producens: nam si secundùm vnam causam Deus omnibus esse impertit, secundùm eandem vnicam causam sciet omnia tanquam ex se existentia, & in seipso antè præexistentia, & non ex rebus rerum accipiet notionem, sed & ipsis singulis ipsarum aliisque aliarum notitiam largietur. Non habet itaque Deus peculiarem scientiam sui, aliam verò communem res omnes complectentem: ipsa enim omnium causa seipsam cognoscens, nullo modo ea quæ ab ipsâ, & quorum causa est, ignorabit. Hac igitur Deus res cognoscens, non scientiâ rerum, sed scientiâ sui ipsius ipsas nouit: etenim Angelos quoque Scriptura testatur ea scire quæ in terrâ sunt, non secundùm sensus illa cognoscentes quæ sensibilia sunt, sed secundùm virtutem ac naturam mentis deiformis.

Ab hac animæ sunt rationales.

Sensus esse quasi sibilū quēdā diuinæ sapientiæ.

Quomodo Deus omnia norit sine actione.

Illa quæ sūt negationis Deo per excessū tribui.

Dan. 13. 42.

Quomodò Deus omnia cognoscendo anticipet.

Deus in se ipso nouit omnia.

Angelos sensilia intellectualiter nosse.

Prætereà quærendum est, quomodo nos Deum cognoscamus, qui neque sensu percipitur nec intelligentiâ,

§. 3. Deus vt

A *In se est nobis incognitus.*

& nihil omnino est ex iis quæ sunt. An non potiùs verè dicatur, quod Deum non cognoscimus ex naturâ eius (id enim quod natura eius est incognitum est, & omnem rationem ac mentem superat) sed ex ordine omnium rerum, tanquam ab ipso proposito, & imagines quasdam ac similitudines exemplarium eius diuinorum in se habente, ad cognoscendum illud summum bonum & omnium bonorum finem, viâ & ordine pro viribus ascendimus in ablatione & in superlatione omnium, & in omnium causâ. Quocircà Deus in omnibus cognoscitur, & separatim ab omnibus; & per cognitionem Deus cognoscitur ac per ignorationem; & est de eo cognitio, ratio, & scientia, & tactus, & sensus, & opinio, & cogitatio, & nomen, & alia omnia; & neque intelligitur, neque dicitur, neque nominatur, nec est aliquid eorum quæ sunt, nec in aliquo eorum quæ sunt cognoscitur; & in omnibus omnia est, & nihil in vllo; & ex omnibus ab omnibus cognoscitur, & à nullo ex vllâ re: vtique de Deo ista rectè dicimus, & ex omnibus quoque rebus celebratur, secundùm omnium quorum ipse causa est proportionem. Est item diuinissima Dei notitia, quæ per nescientiam accipitur, secundùm illam quæ supra intellectum est vnionem, quando mens à rebus omnibus recedens, ac demum semetipsam deserens, desuper fulgentibus radiis vnitur, quibus in illo inscrutabili sapientiæ profundo collustratur. Attamen (vt dixi) ex iis quoque omnibus est agnoscenda, quoniam ipsa, secundùm Scripturam, est omnium effectrix, quæque semper erat cuncta componens, & indissolubilis rerum omnium connexionis ordinisque causa, sempérque fines præcedentium cum principiis sequentium connectit, vnicámque totius vniuersi concordiam & consonantiam concinnat.

Deus cognoscitur per cognitionem & ignorationem.

B *Diuinissima Dei notitia est per ignorationẽ.*

Prou. 8.

Sap. 7.

§. 4. *Deus vnde dicatur ratio.*

* Id est, *sine vllâ compositione.*

Deus etiam ratio prædicatur à Scripturis, non solùm quia rationis & mentis & sapientiæ largitor est, sed quia causas omnium in se ipso * vniformiter anticipauit; & quia per omnia meat, peruadens, vt ait Scriptura, vsque ad finem omnium: & potissimum, quia Ratio Dei supra omnem simplicitatem simplex est, & ab omnibus supra omnia, supra substantiam absoluta. Ratio hæc simplex est ac verè existens veritas, circa quam, vt putam & infallibilem vniuersorum notionem, fides diuina versatur, quæ est constans fidelium firmamentum fundans illos in veritate, atque in ipsis veritatem, dum indissuasibili identitate simplicem veritatis cognitionem habent rerum credendarum. Nam si cognitio res cognitas cum cognoscentibus vnit, ignoratio vero ignoranti causa est vt semper mutet, atque à seipso discrepet, eum qui credit in veritate, iuxta Scripturam, nihil à vero fidei fundamento dimouebit, in quo constantiam habebit immobilis & immutabilis identitatis. Probè namque nouit quisquis vnitus est veritati, quàm benè se habeat, quamuis eum multi vt amentem arguant: latet enim illos, vti par est, eum per veræ fidei veritatem ex errore excessisse; ipse autem verè nouit se, non (vt illi fabulantur) insanire, sed ab instabili mutabilique omnimodè errantis varietatis motione per simplicem, circa eadem semper & eodem modo se habentem, veritatem esse liberatum. Hoc modo primi diuinæ sapientiæ nostri præceptores pro veritate quotidie moriuntur, testificantes, vti par est, & sermone & opere singularem illam Christianæ veritatis agnitionem, omnium esse cùm simplicissimam tum diuinissimam, imò potiùs hanc solam esse veram atque vnicam simplicem Dei notitiam.

C Sap. 8. *Verbum Dei simplex veritas & fidei fũdamentũ.*

D

SCHOLIA S. MAXIMI.

§. 1. *Quomodo in Deo intelligenda sit sapiẽtia.*

Svpra omnem sapientiam.] Sunt absurdi quidam Philosophi, qui dicunt, quòd si velitis Deum dicere supra omnem sapientiam & intelligentiam, facitis ipsum insipientem & ignarum: quibus respondendum, Deum nostrum esse supra omnia quæ sub intellectum & existentiam cadunt. Siue igitur sapientia siue intelligentia, siue vita siue subsistentia, siue existentia siue substantia à nobis concipiatur, supra hæc omnia est, non tanquam horum expers) hoc enim stultum sit; nam qui rerum auctor est, quomodo ipsarum expers existat?) sed quod omnia ab eo emanent, & de ipsius integritate participent. Omne enim participatum antiquius est iis quæ sunt ex ipso. Quare Deus & æuum & tempus propriè nominatur, vt qui sæcula & tempora fecit: sic igitur & in vitâ & in sapientiâ dicendum est, quia earum est auctor. Si enim hæc aliter se habere dixerimus, inuenitur, Deus posteà sapiens & intelligens euasisse, quod eorum temeritatis est, non nostrum, absit.

E

Nostriqve præceptoris sol.] Obserua hîc, ipsum S. Paulum Apostolum, suum sanctique Hierothei solem appellasse. Quin etiam aduerte, quomodo hic Pater Apostoli sententiam intellexerit: nam Chrysostomus cæterique Patres id de cruce acceperunt.

Etiam solemne est Theologis.] Quod dictum est, Theologis solemne esse, priuationes contrario sensu de Deo enuntiare, sic intelligamus: quod nimirum illi, dum repræsentare volebant, quantum poterant, diuinum illud lumen inaccessum & inaspectabile existere, vt cui nihil, siue immateriale siue sensibile, poterat intendere, illud tenebras appellarunt, iuxta illud, *Posuit tenebras latibulum suum*; quod diuinus Apostolus dicit, *Lucem inhabitat inaccessibilem.* Illud enim ad quod nihil acceditur simile est, vt per excessum loquar, caligini non videnti. Iterùm dictum est: *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam.* Quemadmodum igitur incomprehensibilis & intelligibilis Dei cognitio merè ignorantiæ assimilatur, quæ omnem creaturarum cognitionem excedit (nam diuina sapientium circa Deum ignoratio non est inscitia, sed cognitio quæ in silentio agnoscit, quoniam Deus sit incognoscibilis) sic etiam exinanitionem vocant Dei Verbi incarnationem; tametsi plena fuerit, imò supraquam plena tam sapientiâ quàm virtute ac salute. Quin etiam Dei infirmitatem vocant Crucis trophæum, quoniam malæ & inaspectabiles diaboli potestates eneruatæ sunt, & pro morte mortuorum resurrectio regnumque cœlorum est introductum. Hac vtique ratione stultitia Dei, quæ omnem hominum sapientiam scientiamque transcendit, Dei intelligentia existit. Cæterùm id quod dictum est quis intelliget, si cogitet hæreticos & Gentiles, qui imaginantur se sensilibus argumentis demonstrare, fieri non potuisse vt Dei incarnatio ad mortem vsque dispensaretur; aduersus quos diuus Paulus commentans, quasi vertiginem passus, exclamauit: *O altitudo diuitiarum & sapientiæ Dei, quàm inuestigabilia iudicia eius!* Quod ergo omnis sapientiæ creatæ rationem superat, quomodo æquale stultitiæ verbis à Deo minimè traditis? mysterium enim hoc sensilium demonstrationum rationibus non explanabitur, nisi fides præcedat.

F

Pf. 17. 12.

1. Tim. 6. 16.

Pf. 138. 6.

G

Rom. 11. 33.

Contrario sensv in Deo.] *Contrario sensu*, id est, sermone contrariam significationem habente: per negationes enim, quæ priuationes significant, Dei excellentia declaratur; quod alibi vocauit virtutem excellentis negationis.

Id qvod videtvr in ea rationi contrarivm.] Etenim passionem crucis, & secundum carnem Deum passum prædicare, rationi contrarium & absurdum videbatur, quod reuerà tamen ipsam declarabat veritatem.

H

Inhærentes.] In aliis exemplaribus est *implexi*, id est inuersi, inuoluti. Per hæc autem demonstrat, diuina cum humanis minimè comparanda esse.

Quomodo mens intelligat.

Vim qvidem habere.] Etiam superiùs diximus, mentem, dum vult intelligere, semetipsam subire ad intellectiones descendendo; quoniam intellectiones inferiores sunt intelligentes, quippe quæ intelligantur ac comprehendantur, atque ita etiam probabiliter diuisio quædam vnionis ipsius mentis existant. Intellectus enim simplex est & partium expers; intellectiones autem sunt plurimæ ac diuisæ, & quasi quædam species intellectûs: quocircà intellectu prædita, id est intelligentia, minora sunt intellectibilibus, id est iis quæ intelliguntur. Porrò mentis vnionem, vti deinceps clariùs dicit, vocat eam,

quà se sublimioribus intendit, nempe sensilia intellectiliáque, atque insuper motum proprium excedens, diuinæ se applicat contemplationi; atque ita demum accipit radium quendam diuinæ cognitionis.

Quomodo Dei sapientia dicta sit stultitia.

HANC IGITVR RATIONIS EXPERTEM.] Quàm perspicacissimè hîc ostendit, quomodo stultitia Dei sit supraquam sapiens in Deo incomprehensibilitatis magnitudo: ait enim nos sensili corpore circumseptos, de Dei immaterialitate v.g. & supraessentialitate doctrinam examinantes, errare, dum illa ex sensilibus ponderamus; veluti cùm doctrinam de solâ venerandâ Trinitate nonnulli disserunt, & audiunt Theologiam, vt illa in tribus suppositis indiuisa indistinctáque subsistat, illicò vertiginem patiuntur corporibus attendentes, quæ & locò indigent & interuallis, dicentes: Quomodo fieri potest, vt tres personæ sibi ipsis insint, & indistinctæ sint? nesciunt enim stultescere in sensilibus, vt in diuinis & talibus mille aliis euadant sapientes, ad quos Dominus: *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo, si dixero vobis cælestia, credetis?* Et D. Paulus ait: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritûs*, sunt enim illi stultitia. Sic vtique apud homines stultitia Dei sunt spiritalia illa quæ consectari oportet: sapientiam enim stultam appellauit, eo quod nulla sapientia ad ipsam pertingere valeat; quemadmodum etiam irrationalem & amentem dixit, quod nulla ratio aut mens existat, quæ ipsam exponat aut comprehendat.

Ioan. 3. 12.
1. Cor. 2. 14.

§. 2. Quid sint intellectiles, & qui intelligentes.

EX EÂ INTELLECTILES.] Nota etiam in aliis intellectiles & intelligentes esse facultates; & merito sunt in se intelligibiles & intelligentes, sicut ordines superiores. Intelligibiles quidē, quatenus ab inferioribus intelliguntur, intelligentes verò, quatenus & supremi sunt, & Deum, qui supra omnia est, intelligere, quantum valent, contendunt, supernè quidem intellectione nutriri, eos autem qui demissè intelligunt nutrientes. Nostræ enim animæ sunt tantùm intelligentes: nam cùm sciemet, quantum possunt, superiora intelligant, non habent post se aliquid quod intelligat, vt etiam intelligantur. Post nos enim anima rationis ac mentis expers existit, verùm intellectiones mentium diuinarum minimè cadunt in cogitationes nostras in quas mens nostra ex rebus diuiduis descendit, id est ex sensilibus ac fusis rationibus, seu speciebus multiplicibus, dum, materialium notiones colligendo, in eo qui simplex omnia immaterialiter contemplatur.

INTELLECTILES.] Illud *intellectiles* intellige quoad nos, *intelligentes* autem quoad Deum.

AVT A DIVIDVIS.] Nos in diuiduis sensuum instrumentis (aliud enim est auditus, & aliud visus, & sic de aliis) & ab his diuisilibus sensilibus rerum cognitionem recipimus; aut in diuiduis quidem ex parte cogitationibus, sed à diuisilibus disciplinis seu intellectûs obiectis, aliquando verò etiam per fusas & prolixas rationes, nempe quæ claram & explicitam faciunt enarrationem. Intelligentes autem naturæ, nullam in his omnibus communicationem habentes, vnâ simplicique intellectione veritatis notitiâ illustrantur.

Quomodo Angeli & animæ participēt intelligentiam.

ESTQVE ILLIS.] Dicit, Angelis inesse vim & efficaciam intelligendi à supernaturali Dei sapientiâ ortam: si quidem ex ipso Angeli diuini per participationem intelligentis operationis facultatem obtinent, secundùm quam seipsos & res intelligunt, nec non ideas intuitiue percipiunt, quas Dei notiones appellauit. Hanc itaque intelligendi efficaciam habent ab auctore Deo sibi insitam, idque modo quodam supra animas transcendentali: siquidem animæ ex rebus seu obiectis ipsis, res intelligunt, & speciebus intendunt, quod est diffusiùs intelligere, & in orbem omnia circuire, Angeli vero secundùm insitam ipsis Dei similitudinem, creaturæ multitudinem collectim intelligunt, neque pro diuersitatis rerum distinctione, siue ad sensilia, distrahuntur, quemadmodum animæ rationales. Quamquam etiam animæ rationales pro modulo suo istiusmodi intelligendi ratione gaudent, dum, ad imitationem Angelorum, multorum obiectorum intellectionem in vnum conuoluentes, inconfusè simul in se omnia distincta repræsentant; attamen animæ deforis inductam habent intellectionem, sed Angeli ex semetipsis & in seipsis intelligunt, vtpote deiformes. Et hæc quidem de intellectilibus. De Deo autem, quomodo intelligat, hîc quoque habes, & superiùs sub finem quinti capitis. Quod autem diximus de animabus, eas, Angelorum more, multa in vnum conuoluendo intelligere, potissimùm in resurrectione perfectè obtinebunt, quando, denuò suis corporibus resumptis, perfectam rerum notitiam consequentur. Resurrectio autem iustorum hæc perfectè obtinebit, iuxta quod dictum est, *Et sic semper cum Domino erimus*, & rursus: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, nimirum rerum cognitionem edocebimur.

1. Thess. 4. 16.
1. Cor. 13. 12.

DIFVSE' AVTEM ET PER CIRCVITVM.] Dictum est quid per *diffusè* intelligatur. Diffusè igitur & per circuitum designat, animam humanam haud ita collectâ mentis intentione diuinam suscipere cognitionem, sed veram rerum notitiam sigillatim percipere, in quo etiam deficit ab illâ ratione quâ Angeli Deum vident, dum circa vnam causam eorum quæ diuersimodè considerantur, cogitationem colligit, & intellectionibus Angelorum æqualibus digna habetur.

Dæmones quo sensu ignorātes sint.

ASSEQVI QVOD APPETIT.] Dæmoniaca mens ex irrationalitate quidem ambit & affectat æqualitatem Dei, sed nescit quomodo illam assequi possit; non quod naturâ ignorans sit, sed voluntariè id, quod contra naturam est, eligat. Nota autem, dæmones, in quantum mentem habent, hanc ex bono comparasse; dum vero à ratione auersi sunt, neque id quod erant remanere voluerunt, à sapientiâ exeidisse.

PER EXCESSVM.] Quòd nimirum quæ per priuationem de Deo enuntiantur, & quæ contraria sunt, per excellentiam intelligantur.

Quomodo res Deus nouerit.

ET OMNIA ALIA IN SE.] Nemo ex his ad tam absurdas sententias adducatur, vt dicat, etiam malorum in seipso causam habere Deum, siue ipsum esse causam cur hæc producantur. Non enim de his Patri sermo est: iam pridem enim ostendit, malum ipsum neque rem esse, neque in rebus existere, sed versari circa illa quæ existunt, v.g. Angelos, cæterásque creaturas: sicut etiam anteà dixit, non acquirere cognitionem horum, discendo qualia sint: hoc enim declarauit cùm dixit, non cognoscere Deum quæ sunt, ex iis ipsis quæ sunt; item, non intendere ad vnumquodque percipiendum secundùm formam eius: quoniam, tanquam horum auctor, cognitionem suorum operum anticipatam habet, sciens quomodo ipsa & in quibus ad ortum ac generationem adduceret; quorum deprauatio & defectio [id est frustratio & infirmitas] malum introducit, dum, deficiente quod est secundum naturam, efficitur quod est præter naturam. Superiùs enim adhibuit exemplum luminis: huius enim priuatione subexistunt tenebræ, & causam habent absentiam naturæ luminis; sicuti habitus priores sunt priuationibus, &, vt dici potest, causæ sunt priuationum. Hoc igitur loco Pater Dionysius de iis quæ Deus produxit, & de cuiusque eorum naturâ loquitur; quæ quidem dixit priùs extitisse in Deo secundùm præcognitionem & prædefinitionem.

ET ESSENTIAM PRÆHABET.] Quoniam cognitio essentiam præhabet, & præconcepit.

SICVT ET LVX.] Hoc clarum fit per exemplum. Sicut enim si quis lucem hanc visibilem mentis ac rationis compotem esse supponat; deinde rogemus ipsam, an tenebras cognoscat; ipsa autem se nosse dicat, etiam antequam tenebræ essent, nosse inquam, non per aliquam experientiam (quomodo enim ita lux tenebras sciret? nam si lux sit, non erunt tenebræ) sed nosse dicat tenebras in quantum lux est, ideoque nouit, quod si proprium lumen subtraxerit, nemo videbit. Ita etiam Deus per causam omnium in se cognitionem habet, non quod experientiâ eam comparauerit; tum enim Deus cognitione posterior reperiretur, aut aliquo tempore non cognoscens. Nota autem, tenebras esse effectum qui

ex defectu lucis subexistit, quod est contra Manichæos.

TENEBRARVM.] Quoniam tenebræ non aliunde quàm ex luce cognoscuntur.

ET NON EX REBVS.] Vide quomodo dicat Deum res cognoscere, non ex omnium, sed ex propriâ cognitione; quemadmodum lux tenebras nouit, cùm nihil tamen tenebrarum in se habeat. Hæc sæpè dicta sunt capite quinto, quomodo nempe Deus seipsum cognoscens seu intelligens, res exemplariter intelligat atque cognoscat.

NON ITAQVE DEVS.] In nullâ enim duplicitate Deus est, cùm sit omninò simplex, & supra omnem simplicitatem.

Quomodo Angeli res sensibiles nouerint.

ETENIM ANGELOS QVOQVE.] Angelos etiam nosse ea quæ in terrâ fiunt, non, vti nos, per sensum rebus sensilibus attendendo, sed per virtutem quandam transcendentalem intelligendo, ex variis Scripturæ locis conijcio: nempe velut in Tobiâ, vbi dicitur diuinus Raphaël Angelus dixisse filio Tobiæ, vt acciperet fel capiti piscis, quo tolleretur albugo oculorum quæ nata erat ex stercore passerum. Nemo enim suspicetur eum experientiâ didicisse medicinam. Quin etiam in libro Iudicum, Angelus ignem ad sacrificandum è petrâ eliciens, haudquaquam, vti nos, sensu perceperat ignem comburere, sed sublimiori quodam modo ipsi congruo, atque ita de cæteris. Si verò aliquis obiecerit, quomodo ergo diabolus & Angeli eius ignem æternum percipient? respondebitur ad hoc suo loco opportuno. Quin etiam in Daniele, in capite de Baltassar, is qui scribebat litteras nouerat, quas non didicerat. Nota autem, in Angelis non esse cognitionem sensilium per sensus (neque enim nostris sensuum organis vtuntur) sed virtute mentis ac naturâ.

Tob 11 4

Iudæ 6. 21.

Dan. 5. 5.

§. 3. Quomodo nos Deum cognoscamus.

PRÆTEREA QVÆRENDVM EST.] Quærit, quomodo Deum cognoscamus, & rectè dicit, Dei quidem naturam, quidquid tandem ipsa sit, vnquam creaturæ cognitam fuisse, neque ex scientiâ, neque ex intuitu (siquidem hisce res incorporeas apprehendimus) verùm Deus ex creaturarum dispositione agnoscitur. Nam si, secundùm diuinum Apostolum, pulchritudo creaturarum generationis auctorem, id est eorum quæ producta sunt conditorem, ostendit; meritò sanè rerum dispositio est, cognitio eius qui illas ordinauit. Quæcunque enim sunt, id est species, & singulæ creaturæ, vt ordines Angelorum, & omnia sensilia, imagines sunt & similitudines diuinarum idearum, id est exemplaria eorum quæ sunt in Deo; quæ quidem exemplaria æternæ Dei intelligentiæ sunt, per quas, & secundùm quas, omnia in ipso erant, quæ non erant alia ab ipso; & per eas, & secundùm eas, omnia quæ produxit facta sunt, sicut in Apocalypsi diuinissimus Ioannes ait, quendam ex antiquissimis istis Angelis dixisse, Quod omnia in ipso erant, & creata sunt: de ideis dicens, quòd erant; de imaginibus autem & similitudinibus idearum, id est, exemplarium, quòd creata sunt. Intellectilium enim ea quæ intelligunt, & superiorum ea quæ inferiora sunt, imagines existunt: secundùm ablationem itaque horum omnium (Deus enim à rebus exemptus est, cùm nihil sit ex rebus creatis, sed iis omnibus ineffabiliter antecellat) per excellentiam Deus cognoscitur.

Apoc. 4

EX NATVRA EIVS] Nota, methodum necessariam esse religionis defensionem.

ET IMAGINES QVASDAM.] Hoc loco per diuina exemplaria intelligendæ sunt prædefinitiones, quarum imagines sunt effectus creaturæ. Apostolus verò eas imagines vocauit prædefinitiones, vt in Epistolâ ad Ephesios, dicens, *secundum prædefinitionem seculorum.* Porrò in omnibus, scilicet creaturis, cognoscitur, non secus atque artifex in rebus arte factus: quoad essentiam autem, ab omnibus omnino segregatus est; & hinc, cùm sit omnibus rebus factis ignotus, ex ignorantiâ cognoscitur, quemadmodum etiam ex creatorum scientificâ notitiâ & cognitione. Hæc itaque resumens, ea quæ sequuntur adiunxit. Item. Quoniam in Deo animalium & omnium omnino rerum naturalium ideæ sunt, non tamen veluti singulorum species & simulacra eorum quæ illic sunt; siquidem omnia quæ sunt hîc, simulacra sunt eorum quæ illic existunt: nam etiam anima nostra est imago quædam ac simulacrum ideæ.

Ephes. 3. 11.

ET PER COGNITIONEM DEVS.] Quomodo per contraria Deus cognoscatur, & per positiones, & per ablationes, deinceps declarat: quanquam etiam superiùs capite primo dixerit, nihil esse quod Dei essentiam valeat repræsentare, neque notionem, neque tactum, neque imaginationem, neque opinionem, neque quidquam aliud quod vel hîc vel illic, memorauerit, vbi etiam ista exposuimus. Modò dicit, etiam Deum per illa quæ ibi negata sunt cognosci, non tamen eius essentiam: & rursum ait, eum nihil horum habere quo comprehendatur. Itaque, vt auctor omnium, cognoscitur quidem ex effectis; verùm, vt nihil horum existit, manet omnibus ignotus. Quomodo autem per ignorationem cognoscatur, & hîc tradit, & superiùs etiam cap. 2. dictum est.

ET NEQVE INTELLIGITVR.] Per creaturas enim intelligimus, ad scientias pertingimus, habemus Deum esse. Quis autem, aut qualis, aut quantus sit ipse Deus, neque intelligimus, neque nominamus, neque mente aut sensu comprehendimus. Huic enim simile est & illud: Deus est in omnibus, & in nullo omnium est.

SECVNDVM ILLAM QVÆ SVPRA INTELLECTVM EST VNIONEM.] Nota, eum vnionem visionis Dei mentem superantis intellexisse, iuxta illa quæ anteà posita fuerunt.

QVONIAM IPSA SECVNDVM SCRIPTVRAM.] Hoc etiam est ex Sapientiâ Salomonis, vbi sapientia dicitur *omnium artifex*; & ex Prouerbiis, vbi à sapientiâ dicitur, *Cum eo eram cuncta componens*; & David, *Omnia in sapientiâ fecisti.*

Sap. 7. 21.

Prou. 8. 30.

Ps. 103. 24.

§. 4. Cur Deus vocetur Verbum.

VERBVM ETIAM DEVS.] De Dei Verbo, & cur Verbum appelletur, quid istiusmodi sibi velit appellatio: atque vnam hîc assignat causam, propter quam nuncupetur; quia nimirum omnium rerum causas in seipso habet. Rationes enim omnis naturæ in ipso sunt, tanquam in causâ omnis creationis; per ipsum enim omnia existunt: ideæ namque & exemplaria in ipso, non alia in alio, sed sunt æternæ intellectiones ac rationes rerum omnium effectrices, id est natura; siquidem natura ratio est, quæ causam habet & naturam, quoniam naturæ rerum neque temerè sunt, neque frustrà. Dicit autem ipsum verbum, quod etiam per omnia sine impedimento permeet, omniaque, etiam vsque ad extrema, peruadat, iuxta illud ad Hebræos, *Viuus est enim sermo & efficax*, &c.

Heb. 4. 12.

HOC VERBVM EST.] Quoniam Deus Verbum cùm sit ipsa & quæ reapse veritas est, meritò etiam est simplex rerum cognitio. Quid autem sit cognitio, mox docens adiungit.

SI ENIM COGNITIO VIM HABET VNIENDI.] Ea quæ ad veram cognitionē, ipse Deus Verbum Christus Iesus, de quo sermo est, explicans, & quòd ipse verè sit cognitio res cognitas cum cognoscentibus vniens, dicit: *Et ego cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem.* Quemadmodum enim cognitio, cognoscens id quod nosse voluit, rei cognitæ vnitur, non ampliùs de ipsâ dubitans, neque propter dubium in varias distrahitur cogitationes, neque vacillat, neque degenerat in ignorantiam, eò quòd non persuasum habeat id quod nouit: ita fideles, dum per notitiam Christo cognito (qui Deus Verbum est) vniti sunt, & fidem in ipso firmiaut, solidissimam & inconcussam cognitorum fidem obtinent; quoniam Deum cognouerunt, & à Deo cogniti sunt, ignorantiam quidem illam euaserunt, quam diximus distrahere, scindere, atque concutere ab aliâ in alias dubitationes, vt quæ nesciat id quod sciri debet. Nituntur autem firmitate, quod per fidem certiores facti sint se nosse, atque adeò rei cognitæ vnitos esse. At qui, secundùm Apostolum, in ignorantiæ tenebris existit, errore ipso fluctuans, circumfertur omni vento nequitiæ hominum, sicut qui in mari tempestate agitantur. Et hæc quidem ait Apostolus, existimatque

Ioan. 10. 14.

Ibid. 15.

Ephes. 4. 14.

Gnosticos delirare, quemadmodum & Festus Paulo diuinam cognitionem prædicanti dicebat, *Insanis Paule*. Christianus autem reuerà est Gnosticus, vtpote verè Christum cognoscens, & per ipsum Dei notitiam, vnam inquam Dei cognitionem possidens. Porrò vna est illa simplex & incomposita cognitio, estque extra mundum posita, cùm minimè versetur in mundanâ infidelium scientiâ & errore: seipsum autem cognoscit sobrium, & à multiuagâ infidelitate liberatum, ideoque quotidie pro veritate morientur, non tantùm vsque ad mortem in dies pro veritate periculum subeundo, verùm etiam semper ignorantiæ morientes, cognitioni verò viuentes, & Christiani comprobati.

Act. 26. 24.

DIVISIONIS CAVSA.] Diuisionem hîc vocat mentis instabilitatem, & in multa distractionem.

DOMICILIO.] Mansione, habitaculo.

SINGVLAREM CHRISTIANORVM.] Nostram fidem dixit singularem, quippe simplicem & erroris expertem, eius qui verè est notitiam habentem.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§. 1. *Deus est origo omnis sapientiæ.*

QVoniam diximus de bono, de ente, de vitâ, age, iam nunc bonam & æternam vitam Deum celebremus etiam vt sapientem. Anteà enim dixerat, nos à rebus nostris ea quæ supra nos sunt colligere; idcircò, quasi se corrigens, ait, Quin potiùs, tanquam omnis sapientiæ, quæ scilicet in Angelis & hominibus est, causam & supra omnem sapientiam & compositionem eminentem: nullâ enim ratione congruentiâve concluditur, causam effectiuam alicuius similem esse effectui. Ex nostrâ itaque sapientiâ diuinam sapientiam per excessum intelligimus, sicut ex effectis causam, & non simpliciter causam, sed causam efficientem. Non enim duntaxat supraquam plenus est sapientiæ, iuxta Scripturam, & intelligentiæ eius non est numerus, verùm etiam supra omnem sapientiam existit. Hoc intelligens etiam magnus Paulus, communis ille meus meique præceptoris Hierothei sol, *quod stultum est Dei, sapientius* esse dixit *hominibus*, non solùm quòd nostra scientia, cum diuinâ illâ quæ errare non potest comparata, error reputetur, verùm etiam quia solemne est Theologis, per quandam rerum nostratum auersionem ex priuatione res diuinas per negationes efferre, cùm res nostræ potiùs ex habitibus nominentur; sic enim diuina excellentia manifestatur. Hoc etiam alio loco vocauit vim quandam superexcellentis negationis: nam cùm omnis habitus per excessum imminuatur respectu eorum quæ ibi sunt, idcircò ad oppositionem nostratium illa ex negatione dicuntur. Sic etiam exinanitionem vocant Dei incarnationem, tametsi plena fuerit, imò supraquam plena, tam sapientiâ quam virtute ac salute: quia etiam Dei infirmitatem, crucis trophæum vocant. Hoc igitur modo etiam stultitiam Dei, omnem sapientiam & scientiam excedentem Apostolus appellauit, id quod nobis rationi contrarium & absonum videbatur; scilicet quomodo Deus in carne, vel quomodo corporaliter in cruce passus sit, adducens ad veritatem, quæ omnem superat rationem: mysterium enim hoc sensilium demonstrationum rationibus non explanabitur, nisi fides præcedat. Sed, quod etiam alibi dixit, si velimus more nostro ea quæ supra nos sunt accipere, familiaribus sensibus inuoluti, decipimur; cùm scire oporteat, nostrum intellectum habere quidem vim intelligendi res intellectiles (siquidem simplicibus quibusdam conceptibus & indemonstrabilibus intelligit) verùm illas res intellectiles quæ sub intelligendi eius facultatem cadunt, res autem superiores nunquam apprehendet, nisi per eminentem quandam vnionem sensilia intellectiliaque cuncta atque insuper motum proprium excedat, atque ita radium quendam diuinæ cognitionis accipiat. Vnionem autem non, vt ita quis dicat, mixtionem & contactum vocat, quod vtique etiam dicitur; vt cùm in progressu hic Sanctus ait, quando mens supernaturalibus radiis vnita fuerit, sed quoniam intellectiones inferiores sunt intelligente, & quando aliquid intelligitur, verosimiliter etiam diuisio quædam vnionis ipsius mentis existit; dum vero in se ipso manet, indiuisus apparet: idcircò vnionem vocat statum illum quem secundùm se vnitus habet, æqualiter enim se applicat diuinæ contemplationi indiuisus, immotus, non intelligens, sed integrè, secundùm quandam intremulam immobilitatem, dum toti simus Dei, & non nostri, sic enim diuinum radium aliquis accipiet.

1. Cor. 1. 25.

Quo sensu Dei sapientia dicatur stulta.

Nostra cognitio in quo erret.

Hanc itaque sapientiam, quæ non admittit rationem interpretantem, nec intellectum comprehendentem, nec sapientiam enuntiantem (hoc sensu enim vocat irrationalem, & amentem ac stultam, non per affectionem, sed per negationem & per excessum, non propter defectum,) per excessum igitur hanc laudantes dicimus, omnis mentis & rationis omnisque sapientiæ causam existere, & ipsius esse omne consilium & scientiam; iuxta illud, *Mea est scientia, meum item consilium & securitas*; & in ipsâ *omnes thesauri sapientiæ* sunt & cognitionis *absconditi*, secundùm magnum Apostolum. Etenim sicut æterna diuináque vita suppeditatrix dicta est etiam ipsius per se vitæ, & cæterarum vitarum omnium, sic vtique etiam omni-sapiens sapientia ipsius quoque per se sapientiæ causa, scilicet per se siue in se, rationis sapientiæ creatricis omnisque sapientiæ effectrix existit, ex quâ intellectiones habent intellectiles & intelligentes virtutes Angelorum. Intelligentes sunt inferiores respectu superiorum, & omnes respectu Dei: intellectiles sunt superiores respectu inferiorum, & omnes respectu nostri; nos enim duntaxat sumus intelligentes, quia non habemus aliam intelligentiam inferiorem per quam intelligamur, siquidem anima, quæ nos sequitur, irrationalis est & mentis expers. Habent itaque cœlestes Virtutes intellectiones non in diuisibilibus, nos autem in diuisibilibus sensuum instrumentis. Aliud enim auditus, & aliud visus, & sic de aliis. Et ab his diuisibilibus sensilibus rerum cognitionem recipimus, aut in diuisibilibus quidem ex parte cogitationibus, sed à diuisibilibus disciplinis seu intellectûs obiectis; hoc enim est. Per diuagationes. Non enim simul disciplinas percipimus, sed tempore, ac diuisim. Intelligentes verò naturæ, nullam in his omnibus communicationem habentes; vnâ simplicique intellectione veritatis cognitione illustrantur. Illud autem, Sub aliquo communi, est eiusmodi: nostræ cognitiones à rebus diuisis collectæ commune quid abstrahunt; & ab illo, tanquam præcognito, aliud in cognitionem adducitur; quoniam ipsæmet etiam immediatæ propositiones ac primæ species, non aliter omnino etiam ad demonstrationem conducent, nisi etiam ipsæ ex sensilibus diuisibilibusque motibus ad commune quidpiam fuerint reuocatæ. Sicut enim in bello, dum fit fuga, sistitur vnus, & post eum alter, & tertius, & sic de cæteris, & sic fortè victores euadunt qui antè succumbebant; similiter in communi cognitione, diuisibilia sensiliaque collecta commune quid faciunt. Nam ex eo quod multi frequenter ad ignem aliquem accedentes calefacti sint, communi notitiâ acceptum est, omnem ignem calefacere, quâ communi notitiâ informata mens nostra, ex eâ quidpiam aliud discit; quod non habet locum in Angelis: sed ab omni materiali, id est sensibili diuisibilium notionum multitudine puri; vniformiter res diuinas, non omnes quidem, sed quas eos nosse fas est, per diuinam illustrationem intelligunt; quâ illustrantur & ad vnitatem informantur, in hæc enim sita est eorum deiformitas. Per hanc quoque diuinam sapientiam etiam animæ ratiocinandi vim obtinent. Cur autem non νοερὰν seu *intelligendi*, sed λογικὴν, id est *ratiocinandi* vim dixerit, ex abundanti manifestum fit: omnia enim quæ hîc animæ norunt, per suas rationes ac demonstrationes; quin imò etiam per sensationes diuisibiles percipiunt. Intellectilia verò anima intelligit, non in quantum anima rationem habet, sed in quantum mens est seu intellectus: tunc enim intelligit mens intelligibilia, quando & animam & semetipsam deserit. Hoc significat quoque diuinus Apostolus dicens, *Animalis homo non capit ea quæ sunt Spiritûs*. Deficiunt itaque animæ

§. 2. *Dei sapientia est per excessum.*

Prou. 8. 14. Coloss. 2. 3.

Nos intellectim. Angelos vel lectim intelligere.

1. Cor. 2. 14.

ab

ab vnitis illis & Angelicis mentibus varietate & diuisibilitate omnigenæ cognitionis. Deinde cùm eæ cognitiones, quæ secundùm animas fiunt, in vnum conglomerantur (hoc enim est etiam *secundum se, & vniuersa demonstrationis*) animæ quoque Angelis æquiparantur. Idcircò considera etiam vt vnitè, vt ita quis dixerit, intelligant, quando videlicet aliàs non per rationem, sed per arduum virtutique congruum habitum, quod vtique præstantius est, ad cognitionis vnitatem pertingunt; sicut videre licet in magnis ac diuinis Patribus nostris, qui non eruditione, sed puritate, per virtutem ad magnas contemplationes, diuinioresque, quæ humanum captum superent, cognitiones peruenerunt. Adhæc nequaquam aberrabit, qui sensus quoque ipsos extremum quasi quendam diuinæ sapientiæ sibilum appellarit: nam & ipsi habent habitum quendam, quo illa quæ iis subiiciuntur recipiant & cognoscant, quanquam corporeis instrumentis sensitiuis opus habeant, per quæ anima prospiciat. Dæmones verò, in quantum & ipsi mentem habent, ex diuinâ sapientiâ eandem compararunt; à ratione autem auersi, neque id quod erant permanentes, prolapsionem à sapientiâ potiùs sustinuerunt. Siquidem mens dæmoniaca ex irrationalitate ambit & affectat æqualitatem Dei, sed nescit quomodo eam assequi possit; non quod naturâ ignorans sit, sed voluntariè id quod contra naturam est eligat. Vnde, in quantum mens dæmonum à ratione deficit, nequaquam sapiens, sed à sapientiâ defecisse dicetur. Sed quoniam diuina Sapientia omnis mentis & rationis omnisque sensus effectrix & est, & causa dicitur, quomodo ipsemet supraquam sapiens Deus intelligit intelligibilia sensiliáve, cùm neque intelligentes habeat operationes, & supra omnem sensum sit collocatus? Attamen diuina sacráque Euangelia dicunt, Domine tu omnia nosti. Dicendum itaque, quod dixi sæpiùs, quòd quæ per priuationem de Deo dicuntur, & contraria, per excellentiam intelliguntur, vt irrationale, amens, intactile, inuisibile, ita vt diuina mens omnia contineat secundum eminentem quandam cognitionem omnium notitiam anticipando, tanquam causa omnium omniaque inuisibiliter noscens, & non ex alio, neque per aliquam aliam præexistentem cognitionem; & ab ipso initio noscens, non ab initio rerum productarum, sed ab vniuersali initio Deo: quod cùm non satis commodè in Deo accipi possit (quoniam Deus sine initio est, & plusquam sine initio) correxit illud addendo, Vt ita dicam. Rectè igitur etiam Magnus Basilius ait, quædam esse quæ quidem principio careant, sed finem habent, vt diuinæ illæ creatiuæ cogitationes: ab initio enim, vt ita dicam, apud creatorem fuere rationes creaturis. Nam idcircò dicitur, Qui nouit omnia priusquam fiant, quorum originem nouit, non quòd ex iis discat qualia sint, vti declarauit dicens, Non ex rebus ipsis res dicens, neque singulis secundum cuiusque speciem intendens, sed tanquam creator suorum operum præhabet cognitionem, sciens quando & quibus modis illa sit producturus. Quorum peruersio & defectio, siue frustratio & impotentia, malum introducit, priuatione eius quod secundùm naturam est, id quod contra naturam est introducens. Ad hoc enim lucis exemplum attulit: nam huius priuatione tenebræ existunt, & causam habent absentiam naturæ lucis, sicut etiam habitus principaliores sunt priuationibus, &, vt ita quis dicat, causæ. Nemo itaque ex his ad tam absurdas sententias abducatur, vt dicat, etiam malorum in seipso causam habere Deum, siue ipsum esse causam cur hæc producantur: iam pridem enim ostendit, neque ens, neque in rebus esse malum. Hoc verò etiam declarat exemplum. Sicut enim si quis lucem hanc visibilem mentis ac rationis compotem supponat; deinde rogemus ipsam, an tenebras cognoscat, ipsa autem se nosse dicat, etiam antequam tenebræ essent: nosse, inquam, non per aliquam experientiam (quomodo enim lux tenebras sciret? nam si lux sit, non erunt tenebræ) sed nosse dicat tenebras in quantum lux est, ideoque nouit, quòd si proprium lumen contraxerit, nemo videbit. Ita etiam Deus per causam omnium in se cognitionem habet, non quòd experientiâ eam comparauerit (tum enim Deus cognitione posterior inueniretur) aut in aliquo tempore non cognouerit. Nota autem, tenebras esse effectum qui ex defectu lucis existit, quod est contra Manichæos. Hinc probat, secundum vnam eandemque cognitionem Deum nosse & seipsum & omnia, atque adeò etiam immaterialiter materialia, & diuisa indiuisè, multáque vnitè; siquidem immaterialis, & indiuidua, & vnita, & simplex est notitia Dei. Cùm dixerimus, Deum in vno, scilicet in vnà simplicique creandi facultate, diuersa condidisse, sic & in vno, siue in vnà simplicique cognitione, diuersa cognoscit; quin imò etiam largitor est omnis cognitionis, per quam aliquis & se & alia cognoscit. Non ergo Deus secundum aliam quidem cognitionem seipsum cognoscet, secundum aliam verò creaturas. Cùm itaque ipsa omnium causa seipsam etiam à seipsâ cognoscat, quantò magis cognoscet ea quæ à se promanant? verumtamen sui ipsius, & non scientiâ eorum quæ sunt. Infert igitur à minori, Angelos etiam scire sensibilia, non per sensûs illis inhærendo, sed per virtutem transcendentem iis attendendo. Qui enim coram Gedeone ignem in sacrificium ex petrâ eiiciebat, non percepit eum sensu, sicut nos, ignem comburere, sed sublimiori modo, & secundum deiformem suam virtutem. Si itaque Angeli nobiliori modo quàm secundum sensum sensilia cognoscant, quanto magis Deus immaterialiter materialia?

Dæmones qualiter participes sapientiæ.

Quomodo Deus res nouerit.

§. 3. Quomodo nos Deum cognoscamus.

Ad hæc quærit, quomodo dicamur nos nosse Deum, & ea quæ intellectilia sensiliáque superant eminenter. Verum vtique dicit, Deum naturâ sua ignotum existere, sed creaturarum pulchritudinem, generationis auctorem, id est eorum quæ producta sunt conditorem, ostendere: siquidem rerum creatarum dispositiones sunt imagines quædam ac similitudines eorum quæ in Deo sunt exemplarium, ac creandi rationum, secundùm quas omnia quæ existunt in ipso producta sunt; sicut etiam in Apocalypsi Ioannis Theologi & Euangelistæ narratur, quòd omnia erant & fuerunt; quia erant exemplaria rerum creatarum, quorum imagines sunt creaturæ perfectiones. In omnibus ergo creaturis Deus cognoscitur, sicut artifex ex rebus arte factis: secundùm substantiam verò ab omnibus segregatus est; atque cùm hoc sit ignotus, ex istiusmodi ignoratione dignoscitur: quin imò ex contrariis cognoscitur, dicitúrque tam per positiones quàm per ablationes: siquidem etiam anteà dixit de Deo, neque tactum esse, neque notionem, neque rationem, neque quidquam aliud. Verumtamen quando hæc positiua conuenienti modo intelligimus, etiam hæc ipsius esse dicimus, & non ex nobis ad ipsum transferri possint. Itaque tactus quidem nobis ad Deum non est, sed tactus ipsius ad seipsum dicetur, sicut etiam cognitio notióque: negationes verò etiam in nobis ponentur, quoniam supra omnia ista Deus est; & non potest ex his à nobis intelligi. Idcircò etiam ex omnibus à nobis celebratur secundùm omnium proportionem, ex entibus tanquam ens, ex viuentibus tanquam viuens, ex sapientibus tanquam sapientia. Et rursum est diuinissima Dei cognitio, quæ per ignorationem cognoscitur secundùm supramentalem vnionem atque coniunctionem, sicut infert cùm dicit, quando mens à rebus recedens, & semetipsam deserens, desuper fulgentibus radiis vnitur, quibus in illo inscrutabili fundo collustratur: inde videlicet & ibi sic fit illustratio, quando ibi manens, omnia, & seipsam deserens, ibidem illustratur. Mens autem semetipsam deserit, quando prorsus cessat ab omni proprio motu, omninoque immobilis est, nihil habens sui proprium, neque sui compos existens, sed penitus est diuini illius arcani, quod etiam alibi interioritatem appellauit. Nihilominus, etiam secundùm aliam rationem, videlicet fictionis, vt dicebamus, ex omnibus cognoscitur non solùm vt causa productionis, verùm etiam coniunctionis eorum, atque semper sui priorum sequentium principia connectens: nullum enim medium rerum creatarum vacuum, in quo non sit

aliqua creatura; vniuersum enim rebus plenum est. Etiamsi aërem dixeris, tamen & ipse creatura existit: secundùm hoc etiam conspiratio in vniuerso dicitur quasi consensio. Sicut itaque animali conspiratio est, cùm simul viua omnia membra spirant, sic & in vniuerso consensio existit.

§. 4. Vnde Deus dicatur Verbum.

Modò dicit etiam, quomodo Deus verbum seu ratio celebretur, non solùm vtique iuxta prædicta, quoniam ex effectis tanquam causa cognoscitur (ipse enim omnis rationis & sapientiæ largitor est) sed quia causas rerum omnium in se ipso habet: rationes enim omnis naturæ in ipso sunt tanquam in causâ omnis creationis, ideæ namque & exemplaria non alia in alio, sed cùm æternæ rationes sint, in ipso existunt. Dicit autem ipsum Verbum, quòd etiam per omnia sine impedimento permeet, omniáque etiam vsque ad extrema peruadat, vti etiam ad Hebræos ait Apostolus: *Viuus enim sermo & efficax*, & quæ sequuntur. *(Heb. 4. 12.)* Ac præsertim, quia supra omnem simplicitatem simplex est, & ab omni materiâ liberum, sumptâ similitudine ex verbo nostratum cogitationum; quoniam verbum quoque nostrum quando non scribitur, ab omni materiâ liberum esse constat. Quomodo verò etiam simplex, vtique dicet aliquis, cùm ex elementis & syllabis constet? Verùm non dicimus verbum quod profertur, sed verbum internum, secundùm quod etiam rationales dicimur. Hic Deus Verbum cùm sit ipsa quoque veritas, meritò etiam est infallibilis omnium cognitio. Quid sit autem cognitio, statim subiungit dicens, Diuina fides, quæ est constans fidelium firmamentum, fundans illos in veritate, atque in ipsis veritatem, ita vt fides veritatis quid vnum fiat cum credentibus: non secùs ac in igne ferrum quid vnum fit cum eo, eadémque operatur quæ ignis. Idcircò tam fides quàm credentes operari dicitur: siquidem credentes simplicem quandam cognitionem habent minimè diuisam, miniméque dubiam; quoniam cognitio res cognitas cum cognoscentibus vnit, ignoratio verò ignoranti existit causa diuisionis; siquidem ignorans mentem habet inconstantem, & in multa diuisam. Eum itaque qui credit in veritate, nihil à fidei domicilio ac fundamento dimouebit. Qui itaque, iuxta Apostolum, in tenebris ignorantiæ existit errore ipso fluctuans, circumfertur omni vento nequitiæ hominum, *(Ephes. 4. 14.)* sicut illi qui in mari tempestate agitantur, & existimant Gnosticos insanire; sicut etiam Festus Paulo veritatem prædicanti aiebat: *Insanis Paule.* *(Act. 26. 24.)* Christianus autem verè gnosticus, vtpote verè Christum cognoscens, & per ipsum Dei cognitionem, vnam, inquam, veritatis cognitionem possidens. Vnam autem vocauit fidem nostram, vtpote simplicem & infallibilem veræ prædicationis cognitionem habentem. Est quidem extra mundum posita, cùm minimè versetur in mundanâ infidelium scientiâ & errore, seipsum autem cognoscit sobrium, & à multiuagâ infidelitate liberatum; ideoque quotidie pro veritate moriuntur, non tantùm vsque ad mortem, in dies propter veritatem periclitantes, sed etiam semper ignorantiæ morientes, cognitioni verò viuentes, & Christiani comprobati.

CAPVT VIII.

De potentiâ, iustitiâ, salute, redemptione, vbi etiam de inæqualitate.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Petit, quomodo Deus, qui est supra omnem virtutem ac potestatem, etiam virtus seu potestas appelletur.*
2. *Dicit, Deum virtutem seu potestatem nuncupari, ex eo quòd omnipotens sit, & omnis virtutis ac potestatis auctor.*
3. *Ostendit, quomodo diuina omnipotentia cuncta peruadat.*
4. *Hanc Angelis omnem vim ac potestatem, quâ pollent, impertiri.*
5. *Similiter homines, animalia, cæteraque omnia corroborare & in statu suo conseruare.*
6. *Demonstrat, summa esse potentia, quòd Deus semetipsum negare non possit.*
7. *Tradit, vnde Deus etiam iustitia appelletur, eiusque munus expleat.*
8. *Cur Deus relinquat in hoc mundo Sanctos affligi.*
9. *Vnde Deus etiam salus nuncupetur ac redemptio.*

§. 1. Quomodo Deus, qui supra omnē potentiā est, potentia vocetur.

SEd cùm diuinam veritatem ac supraquam sapientem sapientiam, vt potentiam quoque & iustitiam Theologi collaudent, nec non ipsam quoque salutem ac redemptionem vocent; agedum etiam hæc Dei nomina, quoad possumus, enucleemus. Quòd Deus quidem, deificationis princeps, supra omnem potentiam feratur, & omnem potentiam, quomodocunque est & excogitatur, exsuperet, non puto vllum ex iis qui in Scripturis diuinis alti sunt & educati, ignorare: multis enim in locis Scriptura & dominationem ipsam esse tradit, & ab ipsis supracœlestibus potentiis separat. *(1. Pet. 3. Psal. 23.)* Quomodo igitur Theologi tanquam potentiam laudant, quæ extra omnem potentiam posita est? aut quomodo in eâ nomen potentiæ accipimus?

§. 2. Deus dici potentiam, tanquam eius auctorem & omnipotentem.

Dicimus igitur, Deum esse potentiam, vt qui præhabet in se & suprà quàm habet omnem potentiam; & vt omnis potentiæ auctor, & vt omnia inflexibili & incircumscriptâ potentiâ producens, & vt auctor ipsius esse potentiæ, tam vniuersalis quàm cuiusque particularis; & vt infiniti-potens, non solùm omnem potentiam producendo, sed etiam supra omnem potentiam, & supra ipsam per se potentiam existendo; & quòd desuper possit innumerabiliter infinitas alias potentias producere; & quòd infinitæ infinito numero productæ potentiæ nunquam queant supraquam infinitam potentiæ eius potentificæ effectionem hebetare; quódque ineffabilis & incognoscibilis & inexcogitabilis sit omnia transcendens eius potentia, quæ exuberantiâ potestatis potentem reddit infirmitatem, cuius extremos quoque terminos continet penetrátque, sicut in iis quæ sensum valdè feriunt videmus, prælucida lumina hebetes quoque videndi facultates perstringere; & ingentes aiunt strepitus audiendi quoque sensus, sono capiendo parum idoneos, penetrare. Quod enim penitus non audit, iam non est auditus; neque visus, quod non cernit omnino.

§. 3. Omnipotentia Dei cuncta peruadit.

Hæc igitur potentia Dei infiniti potens in omnia quæ sunt meat & progreditur, nihilque eorum quæ sunt sic omnino nudatum est, quin aliquam potestatem habeat; quin potiùs potestatem habet vel intelligentem vel ratiocinantem, vel sentientem vel viuentem, vel propriam substantiæ: & ipsum esse, si fas est dicere, potentiam, habet vt sit ab ipsâ supraessentiali potentiâ.

§. 4. Ex ipsâ sunt virtutes Angelorum.

Ex ipsâ sunt deiformes Angelicorum ordinum potentiæ; ex ipsâ quoque habent statum immutabilem, nec non omnes suas spiritales & immortales ac perpetuas motiones, ipsámque constantiam bonique appetitum, qui minui non possit, ab immensæ bonitatis potentiâ receperunt, cuius munere habent, vt & possint & sint hæc ipsa, sempérque esse desiderent, & id ipsum posse desiderare semper possint.

§. 5. Ex ipsâ homines & animalia vim suā habent.

Porrò indeficientis illius potentiæ munera in homines quoque dimanant, & in animalia & plantas, totámque naturam vniuersi: corroborat enim illa, quæ vnita sunt, ad mutuam amicitiam ac communionem, & quæ distincta sunt, vt secundùm suam quæque rationem ac definitionem impermixta quoque & inconfusa consistant; nec non vniuersi huius ordines ac directiones in bono proprio conseruat, atque immortales Angelicarum vnitatum vitas inuiolabiles, & cœlestium luminum siderúmque substantias atque ordines seruat immutabiles, sæculáque vt esse pos-

Hæc cuncta subsistunt & conseruantur.

A

sent, indulget; temporum quoque circumuolutiones progressibus quidem distinguit, reditibus verò colligit; & ignis vites inextinctas facit, nec non aquæ fluenta perennia; aëriam quoque fusionem terminat, atque terram supra nihilum firmat, eiusque viuificos partus incorruptibiles custodit: quin & elementorum inter se congruentiam atque temperiem inconfusam & indiuisam seruat, atque animæ & corporis nexum continet, stirpiúmque altrices auctrices que vires suscitat; nec non essentiales rerum omnium facultates, & indissolubilem totius vniuersi tuetur mansionem, quin & ipsam quoque deificationem præstat, & virtutes ad eam requisitas iis qui deificandi sunt, præbet. Denique nihil est in vniuersum, quod omnipotentis tutelâ, & conseruatione diuinæ potentiæ priuatum sit. Quòd enim vniuersè nullam habet potestatem, nec est, nec quidquam est, nec est funditus vllus eius situs.

§. 6. *Quomodo* B *Deus seipsum negare non potest.* 2. Tim. 2. 13.

Atqui, inquit Elymas Magus, Si omnipotens est Deus, quomodo à Theologo vestro aliquid non posse dicitur? Insimulat autem diuinum Paulum, dicentem, non posse Deum semetipsum negare. Hoc autem dum propono, vehementer metuo, ne vt amens videar, qui ludentium puerorum structuras arenaceas & infirmas euertere moliar, atque ad huius loci scopum, tanquam qui attingi nequeat, quasi collimando conitar sensum eius Theologicum attingere: siquidem suiipsius negatio, est à veritate prolapsio; veritas autem est id quod est; & à veritate defectio, est ab essendi statu dimotio. Si itaque veritas est id quod est, negatio autem veritatis, est ab essendi statu prolapsio, vtique essendi statu frustrari Deus nequit, neque potest non esse; ac si quis dicat, non potest non posse, & nescite nescit per priuationem. Hoc sapiens ille non intelligens, athletas imperitos imitatur, qui sæpenumerò imbecilles sibi aduersarios proponunt, & dum videntur sibi cum absentibus illis fortiter in vmbrâ dimicare, aëremque cassis ictibus constanter ferlunt, existimant se ipsos aduersarios suos superasse: seseque iam victores iactitant, cùm robur eorum nondum habeant exploratum. Nos autem ad Theologum, quoad possumus, collimando collaudamus Deum præpotentem vt omnipotentem, vt beatum, solúmque potentem, vtpote qui potestatis suæ principatu ipsimet æternitati dominetur, nulláque vnquam re frustratus; quin imò, vt qui desuper habeat, & præhabeat omnia quæ secundùm potentiam suam supraessentialem existunt, omnibusque rebus, tam vt esse possint, quàm vt sint, secundùm affluentiam superabundantis potestatis copiosâ fusione largiatur.

C

§. 7. *Deus vnde dicatur Iustitia.*

A iustitiâ autem rursus laudatur Deus, quòd omnibus, vt dignum est, tribuat & congruentem modum, & pulchritudinem, & compositionem ordinis, & dispositionem; & omnibus dispertiat, & singulis præstituat secundùm veram & iustissimam præscriptionem; & omnibus suæ cuiusque actionis auctor sit. Omnia enim diuina Iustitia ordinat, & determinat, omniáque ab omnium mixtione & confusione libera seruans, cuique conuenientia rebus omnibus tribuit, prout cuiusque congruit dignitati. Etenim si hæc rectè dicimus, ij qui diuinam Iustitiam cauillantur, dum minimè aduertunt, suam ipsi iniustitiam manifestò damnant: aiunt enim, mortalibus debere inesse immortalitatem, & rebus imperfectis perfectionem, iisque quæ seipsis mouentur aliunde motam necessitatem, ac mutabilibus identitatem, & imbecillibus perficiendi potestatem, item ea quæ temporanea sunt esse perpetua, & immutabilia quæ à naturâ mouentur, & temporaneas voluptates æternùm perdurare, atque vniuersè illa quæ aliorum aliis attribuunt. Sed sciendum est, diuinam Iustitiam hoc ipso reuerà veram esse iustitiam, quòd omnibus quæ sua sunt tribuat pro merito singulorum, atque naturam cuiusque in ordine proprio, potentiáque custodiat.

D

§. 8. *Cur Deus relinquat Sanctos affligi.*

At dixerit aliquis, Non est Iustitiæ, permittere viros sanctos auxilio destitutos à pessimis quibusque conculcari. Cui respondendum, quòd si quidem illi, quos appellat viros sanctos, terrena diligunt quæ ab amatoribus rerum materialium ambiuntur, vel hoc ipso iam à diuino amore penitus exciderunt. Neque sanè intelligo, quanam ratione sancti dici possint, qui res verè amandas & diuinas contumeliis afficiunt, dum eas rebus fugiendis & abominandis, quas nefariè insectantur, minimè præferunt. Sin autem ea quæ verè sunt amarent, gauderent vtique, quòd voti compotes fieri possint. Nunquid tunc magis ad Angelicas virtutes accedunt, cùm rerum diuinarum studio, quantum possunt, à materialium affectione recedunt, & ad hoc viriliter exercentur periculis quæ honesti causâ subeunt? Itaque hoc verè dici potest, diuinæ Iustitiæ magis congruere, vt nunquam patiatur proborum virorum virile robur rerum materialium largitionibus eneruari atque emolliri; quin potiùs, si quis id tentauerit, diuinis auxiliis suffultos in præclaro illo & inconcusso statu solidare, nec non perseuerantes pro meritis remunerari.

E

§. 9. *Deus vnde salus dicatur.* F

Hæc etiam diuina Iustitia tanquam omnium salus celebratur, quod propriam cuiusque rei puram ab aliis essentiam ordinemque conseruet ac tueatur, nec non vera causa sit, vt actionem quæque suam vniuersa prosequantur. Si quis verò salutem laudet, quatenus à rebus deterioribus cuncta salubriter defendit, hunc nos, tanquam omnigenæ salutis laudatorem, admittemus, petemúsque, vt illam primam omnium salutem statuat, quæ omnia sic immutata & inconcussa seruat, vt in deterius nunquam vergant; & inexpugnata inuictáque suis quæque rationibus distincta custodit, omnem inæqualitatem & alienam actionem ab vniuersis eliminans, atque cuiuslibet proportiones ita confirmans, vt in contrarium neque mutari possint neque transferri. Quin & hanc salutem nequaquam, præter Sacræ Theologiæ propositum laudare quis possit, tanquam quæ res omnes, prout cuiusque rei quæ seruatur natura fert, à bonorum suorum amissione liberet: vnde Theologi quoque illam vocant Redemptionem, in quantum non sinit ea quæ verè sunt in nihilum relabi, & si quid peccatum sit, ac præter ordinem erratum, ex quo bonorum suorum aliquod detrimentum passa sit, perfectio illicò quoque iacturam illam & imbecillitatem priuationémque resarcit, id quod deest supplens, ac paternè remissionem donans, & è malo erigens, imò potiùs in bono collocans, atque bonum quod effluxerat adimplens, ordinánsque, & exornans id quod inordinatum erat & difforme, ita vt redintegret omnino, & ab omni labe liberet. Hoc quidem de his dictum ac de Iustitiâ quæ omnium æquilitatem dimetitur & definit, omnémque inæqualitatem, quæ secundùm priuationem æqualitatis singulorum sumitur, exterminat: inæqualitatem enim si quis accipiat & interpretetur differentias, quibus res omnes inter se distinguantur, huius etiam custos & conseruatrix est Iustitia; cùm omnia in omnibus permixta confundi minimè patiatur, sed ea quæ sunt omnia custodiat secundùm suam quæque speciem, in quâ esse debent.

Vnde Redemptio. G

H

SCHOLIA S. MAXIMI.

§. 1.

VT POTENTIAM QVOQVE.] Secundùm quid Deus potentia vocetur.

ET DOMINATIONEM IPSAM.] Iuxta illud, *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Psal. 23. 10.

A POTENTIIS SEPARANS.] *Separans*, id est distinguens & segregans.

§. 2.

SECVNDVM POTENTIAM INFLEXIBILEM.] Dixit *inflexibilem*, id est à proprio fastigio minimè descendentem: non enim ad potentiam inclinatus creat, sed, immobilis & inflexibilis existens, propriâ virtute res producit. Fortè verò dicendum ἄκαμπτον, & quasi non clausum ideò subiungit etiam *incircumscriptum*: non enim clauditur, tanquam in aliquo viribus deficiat, sed Dei potentia virtute omnia faciendi semper patet.

Deus omnia corroborat.

ET POTENTEM REDDIT INFIRMITATEM.] *Infirmi-*

tatem autem vocat materialia hæc & terrena corpora, quæ etiam extremas resonantias vocat, prout sæpè suprà monuimus, eò quòd remissè & pro captu suo diuinam virtutem participent. Et de nostris quidem corporibus dictum est, *Omnia possum in eo qui me confortat,* scilicet Christo. Hoc verò etiam in reliquis animalibus considerare licet, vt in culicibus, & muscis, & similibus, quantum nempe stimulis suis polleant tam infirma & pusilla animalcula, dum à Deo creatore suo corroborantur: vnde etiam Deus in Ioële de locustà, & brucho & erucâ diuino Prophetæ dicit, *Fortitudo mea magna.* Quomodo verò etiam ad hæc infirma vsque Dei virtus pertingat, admirandis verissimisque probat exemplis. Quin etiam in Inanimis hoc ipsum reperies, si in herbis, graminibus & metallis virtutes noxias vtilesque consideres, & plurima delicata & alia dura & intractabilia, vt adamantem. Aliter. Infirmitatem potentem reddi intelligit in his infirmissimis animalculis, quæ hanc habent potentiam, vt verè existant: vel infirmitas putanda est natura inanimata & immobilis, quæ substantialem, id est virtutem omnino existendi, à Deo accepit.

[Philip 4. 13. — Ioël. 2. 25.]

ATQVE IPSVM, SI FAS EST.] Id est, impossibile erat aliquid omnino esse, nisi diuina potentia illud produceret.

[§. 3.]

POTENTIAM HABET VT SIT.] *Per potentiam* non solùm intelligit vim subsistendi, verùm etiam aptitudinem, vt tali modo sit potentia. Distributionem verò potentiæ vocat progressum prouidentiæ & bonitatis Dei ad extra circa res, vt illæ sint & producantur. Et primam quidem potentiam vocat eam quæ est entium. Hæc autem sunt intellectilia & incorporea, sic esse dicta vt immortalia. Cum intellectilibus verò etiam coniungenda sunt ea, quæ intelligunt, vt animæ, quas modò vocant rationales; ratio enim mens est, secundùm quam anima gradu Angelis inferiori, intelligens nuncupatur. Deinde huic subordinata est potentia sensitiua brutorum animantium; denique vitalis seu vegetatiua plantarum omnium & herbarum, secundùm quam vitâ vegetante florent. Post omnes verò est potentia materialis, id est rerum animatarum, scilicet metallorum seu mineralium; quæ vis dum constituit & efficit vt esse perseuerent, vim insuper impertit qualitatum seu calidarum, seu frigidarum, seu cæterorum temperamentorum, nec non iuuandi, vel sic luuandi. Appetitiuis quoque potentiis largitur Deus, vt velint semper posse ac desiderare, & ea quæ vnita sunt corroborat ad amicitiam & ad communionem, id est omnium semina siue elementa, vt pro suo modulo ad coitum congrediantur, & sibi mutuò commisceantur, & beneuolè congredientia adducit ad potentiam sensilia sibi similia gignendi. Hæc vtique coniunctio, & coniunctorum mixtio, dum in elementorum, vt diximus, amicitiam ad diuersitatem separationemque connectitur, partes distinctæ cùm animalium, tum plantarum ac rerum cæterarum ad generationem segregantur. Et hæc distinctio siue separatio accipit diuinitus virtutem vt sit, & singulas species producat. Itaque coniunctiones & distinctiones, vniones & amicitias dixit, & inconfusas immixtasque species distinctionem nuncupauit.

[Quid per potentiam intelligatur in Deo.]

ET ESSE HÆC.] Natura rerum esse postulat non electione, sed necessitate & vtilitate existentiæ; atque hoc vocat ita esse, atque potentiam postulandi quodammodo esse necessariam à diuinâ infinitáque essentiâ.

[§. 4.]

ATQVE DIRECTIONES.] *Directiones* vocat collocationes benè constitutas, & rectos ordines, ac decoras operationes; Angelicas autem vnitates intelligit simplicitates: vel vnitates vocat ipsarummet substantiarum simplicitates, & incorporeitates, & immaterialitates. Nota autem quòd dicat, astra perennare.

[§. 5.]

ATQVE ORDINES IMMVTABILES.] Ne secundùm esse sempiternum intelligas cœlestes essentias esse immutabiles, nam & ipsi, secundùm quod scriptum est, *sunt administratorij spiritus*; sed immutabilitatem intellige circa custodiam terminorum ipsis à Deo in principio constitutorum. Progressiones autem temporis huius longitudinem, & ad anteriora extensionem vocat; distinctionem verò, vicissitudinis temporum seu tempestatum designationem ad eadem rursum reuolutam: quare etiam temporis motum conuolutiones appellauit. Vel temporales progressiones dixit esse stellarum errantium motiones, quæ certo quodam temporis interuallo duodecim illa spatia, quæ domus appellantur, sensim peragrant. Porrò reuolutiones vocat, ab aliquo signo ad idem signum recursus: v. g. Sol per annum circuit duodecim domos, dum ab Ariete denuò ad Arietem pertingit, Luna per mensem, & similiter reliqui quinque Planetæ, quibus tempora mensurantur.

[Potentia Dei seruat rerū ordines. Heb. 1. 14.]

ET IGNIS VIRES.] Scilicet ætherei. Agit autem de quatuor elementis; & ait terram super nihil fundatam, cùm Scriptura dicat, *Qui fundasti terram super aquas.*

[Ps. 103. 5.]

ESSENTIALES.] Fortassis essentialia dicuntur etiam omnia inanimata & insensibilia, nempe ab essendo sic dicta.

ET IPSAM DEIFICATIONEM.] Iusti atque Angeli deificantur; iuxta illud, *Ego dixi, Dij estis.*

[Ps. 81. 6.]

OMNINO SITVS.] Situm vocat productionem ad existendum: q. d. Quod non participat virtutem, neque in rerum creatione est.

ATQVI, INQVIT ELYMAS MAGVS. Hinc ostenditur huius sancti viri antiquitas: nouit enim quæ dixerit Elymas Magus, qui etiam in Cypro restitit S. Paulo, cuius etiam mentionem faciunt acta Apostolorum. Multos autem Elymæ similes habet Arabia, qui aduersus nos, qui dicimus Iesum-Christum Deum Verbum carne passum esse, sed non diuinitate; obiiciunt: Si non admittis ipsum diuinitate passum, vti voluit, facitis Deum impotentem; dicentes eum non posse, si voluerit. Quibus respondendum, Deum, cùm haberet in quo pateretur, noluisse id contra naturam fieri, vt Deitas pateretur, quæ naturâ suâ impassibilis existit. Vide quomodo illud dictum Apostoli exponat, *Deus semet ipsum negare non potest.*

[§. 6. — Act. 13. 8. — 2. Tim. 2.]

SIQVIDEM SVI IPSIVS NEGATIO.] Quod obiiciebat Elymas Magus, cauillans S. Paulum dicentem, non posse Deum negare seipsum, & hoc Paulo impossibile videri, vt Deus possit quæcumque vult, nempe seipsum negare, Magnus Dionysius id sapientissimè resoluit: ait enim Deum esse veritatem, veritas autem est ens, mendacium verò neque consistentiam, neque entitatem habet. Si itaque Deus negaret seipsum, mentita veritas esset non ens (& quomodo id posset accidere?) Ergo illud non posse in Deo, constitutum signum est infinitæ potentiæ. Simile enim est ac si diceretur, Deum posse facere seipsum non esse Deum, sed in nihilum abire, quod cum impossibilitate blasphemiam coniunctam habet. Quomodo igitur dicetur, Qui est non erit? Itaque Deus non potest, id est, incomprehensibile est ipsum non esse, siue concedi nequit ipsum non esse. Itaque etiam illud, Deum non posse, idem est, ac fieri non posse vt Deus imbecillis sit. Quemadmodum enim lux, in quantum lux est, non potest esse tenebræ; sic & hæc impossibilia sunt Deo propter superabundantem veritatem. Hoc vtique modo Deus non nouit secundùm priuationem illud ipsum non scire, verbi gratiâ, Deus non est expertus, quid sit, non nouit quid sit, ipsum non scire, siue aliquid ignorare. Secundùm priuationem autem non nouit ignorare; nam ignoratio est ipsamet priuatio, & minimè subsistit, sed est extra substantiam, circa quam accidit priuatio; defectus enim est eius quod adesse debebat. Itaque Deus caret ignoratione, nec vnquam sciuit inscitiam. Nisi enim dixerimus, Deum secundùm priuationem non nosse ignorantiam, illud ipsum nescire reperietur essentiæ eius; & substantialis fortè erat eius ignoratio, & Deus inuenitur esse tenebra, quoniam ignoratio tenebra est. Ita etiam modo quodam sublimiori intelligas illud, *Impossibile est mentiri Deum:* item illud, *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Quod perinde est ac si diceret, Impossibile est, Patre alia volente, Filium

[Quomodo Deus negare se non possit. — Heb. 6. 18. — Ioan. 5. 19.]

alia velle, vna enim est voluntas secundùm diuinitatem solius adorandæ Trinitatis: neque enim ignoramus, Filium Dei etiam Deum, personam vnam laudatissimæ purissimæque Trinitatis, hominem effectum, naturalem humanam voluntatem, eámque peccati expertem, assumpsisse.

NEQVE POTEST NON ESSE.] Negatio secundùm negationem posita, affirmationem facit. Qui igitur dicit, quòd non esse non sit in Deo, ipsum esse concludit. Sic vtique dicit, Non potest non esse, & similiter non scit nescire, ex quibus colligitur ipsum omnino scire & posse. Pulchrè autem addidit hoc loco, *secundùm priuationem*: non enim supereminenter dicuntur, sed priuanter, Non potest, & Non nouit.

§.7. Iustitia quid.

IVSTITIA VERO LAVDATVR.] Secundùm quid Deus sit iustitia. Definitio autem iustitiæ est, virtus cuique tribuens pro dignitate vel propriâ actione partium animæ; vel, medium inter abundantiam & inopiam; vel, habitus distributiuus æqualitatis; vel, habitus communitati prodesse studens; vel, scientia rerum distribuendarum, & non distribuendarum, & indifferentium.

Ps. 74. 6.

CAVILLANTVR.] Agit de iis qui, iuxta Psalmistam, loquuntur *aduersus Deum iniquitatem*. Opportunè autem hîc verba ipsorum absurda esse demonstrauit. Cùm enim per se moueantur, id est, liberi sint, atque impetus suos regant, Cur, inquiunt, proprij iuris facti sumus, & non potiùs etiam inuiti peccare prohibemur? ignorantes quòd velint esse lapides qui ab alio moueantur. Et cùm terrena habeant corpora, Cur, inquiunt, non in identitate, id est immutabiles, persistimus, cùm simus immortales, & rebus materialibus ac temporaneis vtamur? quod est eorum qui naturam sensilium & intellectilium ignorant, & magnâ imprudentiâ laborant. Cùm enim corpus nostrum materiale sit ac temporaneum ac mutabile, meritò similibus egebat, temporaneis inquam & materialibus: anima verò cùm immaterialis atque immortalis condita sit, meritò habet liberum arbitrium, propter suam cum creatore similitudinem. Quæ cauillatores isti minimè intelligentes, in vtroque diuinam prouidentiam calumniantur, cùm tam bonum ordinem conspiciant: hoc enim declarat, Atque vniuersim illa, quæ aliorum sunt, aliis attribuunt.

QVÆ SEIPSIS MOVENTVR.] Liberis.

§.8. Cur iusti affligantur.

AT DIXERIT ALIQVIS.] Aduersus eos qui dicunt: Quomodo Deus non est iniustus, cùm sinat iustos ab impiis affligi? Aliter. Quærit hîc propositum nobis ab altero argumentum; ait enim, Dixerit aliquis, &c. quod piè ac religiosè soluit. Tradit enim causam propter quam Deus, cùm iustus sit, sinat viros sanctos ab iniustis & habendi cupidis affici iniuriis. Complures enim iustos cernimus ab iniustis & auaris cùm in facultatibus tum in negotiis damnum sustinere. Ad quod dextrè respondet: ait enim, sanctos rebus terrenis ac temporaneis nequidquam affici debere, alioqui non esse sanctos; debent enim præferre illa quæ verè amanda sunt ac diuina, siquidem diuitiarum cupidi iam non sunt ampliùs sancti. Atque ita quæstio soluta est, quoniam diuus Paulus ait, *Quare non magis iniuriam accipitis?* dicens illos non debere rebus sæcularibus commoueri. Atque iterùm diuinum amorem explicans, in quo nec iniustitia nec auaritia locum habere potest, dicit, *Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia?* & quæ sequuntur. Materialibus porrò rebus addictos vocat eos qui isto affectu mouentur, & solis rebus terrenis incumbunt: παραδεδυμένοις verò est minùs probum videri.

1. Cor. 6. 7.

Rom. 8. 35.

AD ANGELICAS VIRTVTES.] Quoniam de Angelis etiam pulchrè virtus dicitur, sicut & de Deo; iuxta illud, *Operuit cælos virtus eius*. Quin etiam diuinæ prouidentiæ est, permittere illos circa res materiales iniuriis affici, vt rerum diuiniorum desideriis assuescant.

Habac. 3. 3.

A MATERIALIVM AFFECTIONE.] Vide quomodo dicat, rebus materialibus non affici, virilem animum, id est fortitudinem, arguere: quoniam qui mundanis atque corporeis affectionibus deseruiunt, mulierculæ meritò vocantur: quin imò diuina Iustitia non vult per hæc nos demulcere ac perdere, sed eorum contemptu assuefacere; iuxta quod dictum est, *Quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit*. Quid igitur? diuites non diliguntur à Deo? Dices primò, diuitias non esse per se malas, sed earum affectum & prauum vsum: deinde, nosse Deum qui inter nos infirmi sint, & cùm eos in exemplum seruare velit, fortassis etiam opes ac vitæ splendorem ipsis tribuit, non quòd ignoret id quod sunt, (quomodo enim qui nouit omnia antequam fiant?) sed vt nullam habeamus excusationem; iuxta illud Apostoli, *Propter quod inexcusabilis es ô homo*, & iterùm: *Habemus Pontificem magnum, qui possit compati infirmitatibus nostris*.

Heb. 12. 6.

Rom. 2. 1.
Heb. 4. 15.

NON DEMVLCERE.] Demulcere, est voluptate decipere. Quin etiam dicitur voluptate afficere.

OPTIMORVM.] Desideratorum.

INCONCVSSO STATV.] Inconcussum statum vocat vitæ institutum, quod terrenarum rerum titillationi minimè cedit, neque propter tentationes ad materialia inflectitur.

§.9.

VT ACTIONEM QVÆQVE SVAM PROSEQVANTVR.] Propriam operationem appellauit motum illum qui cuilibet naturæ proprius est: neque enim homines facere possunt ea quæ propria sunt Angelis, neque aqua quæ propria sunt igni; & contrà.

ET QVATENVS A DETERIORIBVS.] Noli hoc loco deteriora intelligere respectu creaturarum, nulla enim inter illas mala est; sed respectu peccati, quod ex nostrâ voluntate secundùm boni priuationem subexistit: Deus enim, cùm volumus, nos ab eo eripit, si ad ipsum accurrerimus.

ET IN DETERIVS NON VERGANT.] Hoc de sensilibus ac creatis ipsum dicere existima, quòd omnia in propriâ bonâ suâ constitutione custodiat: nihil enim ipsorum mutatum est, sed, prout creata sunt, permanserunt, hoc declarat vox *immutata*. Haudquaquam autem ad deteriora vergunt; vel quia illa præelecta creauit, vel quia nihil ex ipsis à propriâ constitutione deflexit, aut ad deteriora translatum est: cœlum enim & terra, & quæ in ipsis sunt, eadem manserunt. Porrò illud, *Alienam actionem eliminans, atque cuiuslibet proprietates ne dilabantur custodiens*, sic intellige, quòd elementa sibi inuicem contraria maneant, v. g. calidum & frigidum, humidum & siccum, atque eorum quodlibet in propriâ identitate permaneat, neque in contrarium mutetur: nunquam enim ignis fit aqua, nec aqua ignis. Si autem creatoris iussu conuenerint, quodlibet eorum manet suam seruans proprietatem.

ATQVE PROPORTIONES.] Proportiones vocat aptitudines cuiusque naturæ & commensurationes.

NEQVAQVAM PRÆTER PROPOSITVM.] Id est, non extra Scripturæ scopum.

REMISSIONEM DONANS.] Suffulciens.

A NOXIIS.] A lædentibus, iniuriam & damnum inferentibus.

ET OMNEM ÆQVALITATEM.] Non simpliciter dicit inæqualitatem eliminare, sed in singulis, id est singulas creaturas non manere æqualiter ac similiter in identitate naturali. Ideò etiam addidit *secundùm priuationem*; quoniam non ideò, quòd indifferentes & inæquales sint res, inæqualitas aufertur.

Inæqualitas duplex.

ÆQVALITATIS SINGVLORVM.] Cùm nosset duos modos, secundùm quos inæqualitas dicitur, duos exponit, & ait, Deum eatenus dici iustitiam, quatenus omnem æqualitatem mensurat, & quamlibet inæqualitatem exterminat. Inæqualitatem verò nunc intelligit eam quæ accidit per priuationem, id est redundantiam: nam singulis pro merito æqualiter distribuere, hoc continet omnia & conseruat. His dictis, alterum quoque modum adfert inæqualitatis. Nouit enim aliquos, formas intellectiles & incorporeas & vnitates, id est simplices substãtias, æqualitatem & identitatem nun-

cupasse; sensilia verò, quæ etiam diuisibilia sunt, & mutabilia, & ab inuicem diuersa, inæqualitatem & diuersitatem. Dicit itaque: Etsi aliquis hanc inæqualitatem intellexerit differentiam sensilium in formis, quâ animalium & plantarum cæterorumque generationes subsistunt, nihilominùs etiam Deum huiusce inæqualitatis custodem ac protectorem existere, dum non permittit contraria in vnum commisceri, & per commiationem concurrentia in corruptionem deuenire. Vti enim omnia produxit, sic etiam ipsa conseruat, & sunt sicut in principio fuerunt.

INÆQVALITATEM ENIM.] Nota, quòd etiam inæqualitatem in vniuerso vocet totorum ad tota differentiam, & quòd Dei iustitia talem inæqualitatem custodiat. Nota item, naturalem quandam esse inæqualitatem.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§. 1. Qualis potentia Deo competat.

CÆterum cùm Theologi Deum supraquam sapientem veritatem, etiam virtutem seu potentiam, & iustitiam, & salutem, & redemptionem vocent, age etiam hæc diuina nomina explicemus, præsupposito, Deum sine comparatione excedere omnem potentiam quæ vel est vel excogitari potest. Non dicit, Intellectilem, nam & Angelicæ virtutes intellectiles existunt, quibus Deum esse superiorem, manifestum est; sed simpliciter, Excogitabilem, ac si dicat, Qualemcumque quis potentiam excogitare possit, Deus tamen ipsam sine comparatione excedit: siquidem Scripturæ quoque Deum Dominum virtutum seu potestatum vocant, iuxta illud, *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ*; &, *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob.*

Ps. 23. 10. Ps. 45. 8.

§. 2.

Quomodo igitur potentiam ab omnipotentiâ exemptam nominabimus? Dicimus, Deum dici virtutem seu potestatem, tanquam præhabentem & continentem omnem potentiam, & tanquam causam omnis potentiæ, & producentem omnia secundùm indeclinabilem virtutem: non enim ad virtutem inclinatus creat, sed immobilis & inflexibilis existens in propriâ virtute producit, non enim inclinatur quasi potens sit in aliquo. Vel ἄκλιτον dicit, id est à proprio fastigio minimè descendentem, & quasi ipsiusmet esse virtutis causam; quodque sit infinitæ potentiæ, non solùm in virtute omni producendâ, verùm etiam quòd sit supra omnem etiam ipsammet per se virtutem, exemplarem, inquam, virtutis rationem; & quòd potens sit plusquam infinities infinitas virtutes producere, & nunquam vis eius in infinitis etiam virtutibus creandis valeat hebetari, & quòd inexplicabilis & inexcogitabilis sit virtutis eius excellentia. At quomodo sit inexplicabilis, siquidem non habuit virtutem vt non conciperetur ab aliquo, nisi per potentiæ abundantiam & imbecillitatis roborationem? Imbecillitatem autem vocat materialia hæc & terrena corpora, quæ etiam extrema vestigia dicit, quòd remissè & pro captu suo diuinam virtutem participent; vt se res habet in culicibus & muscis, & similibus, quæ stimulis suis pollent. Vnde etiam Deus in Ioële de locustâ & brucho & erucâ dicit, *Fortitudo mea magna.* Quòd verò etiam ad hæc infirma vsque Dei virtus pertingat, vide quæ secundùm sensum potentia sunt, vt lumen aspectabile, & ingentes strepitus: siquidem splendidissima lumina vsque ad infirmos quoque oculos pertingunt, & ingentes fragores imbecilles quoque audiendi facultates penetrant. Non enim lux ad lapidem pertingere dicitur, neque illum strepitus subit, sed illa quæ visûs auditúsque capacia sunt, licet imbecilla.

Deus etiā roborat imbecillitatem.

Ioël. 2. 25.

§. 3. Dei potētia per omnia meat.

Secundùm hanc rationem ad res omnes Dei virtus meat, quoniam omnia virtutis sunt capacia, siue spiritalis & Angelicæ, siue rationalis & humanæ, siue sensilis brutorum, siue viuentis plantarum, siue alterius substantialis cæterarum rerum omnium; iuxta quod quidem adamantem dicimus habere hanc virtutem, vt secari nequeat, aërem verò huius ipsius impotentiam. Quin & id ipsum secundùm se virtutem esse, etiam à virtute diuinâ existit.

§. 4.

Ex tali infiniti-potente virtute Angelicæ virtutes existunt, & statum immutabilem cæteraque omnia habent: hæc enim iis tribuit & posse, & esse, & appetere semper esse; hæc est quæ iis vires suppeditat, vt idipsum posse desiderare semper possint.

§. 5.

Porrò indeficientis istius potestatis munera in homines quoque dimanant, & in animalia, & in plantas, totamque naturam vniuersi. Corroborat enim illa quæ vnita sunt, partes v. g. totius corporis, vel etiam elementa, quæ quidem secundùm aliqua sibi mutuò communicant, secundùm aliqua vero discrepant quoad talem communionem. Corroborat etiam quæ distincta sunt, vt secundùm suam quodque rationem impermixtum consistat. Cùm autem quodlibet habeat ordinem & propriam directionem, hæc etiam roborat, vt in proprio quæque ordine conseruentur. Corroborat etiam vitas immortales Angelicarum vnitatum, scilicet simplicium naturarum, vt inuiolabiles conseruentur. Conseruat etiam ordines cœlestes immutabiles. Verùm noli intelligere immutabilitatem secundùm esse sempiternum, sed secundùm immutabilitatem ordinis vniuersi. Quin & sæcula, vt esse possint, indulget: potest enim rebus sempiternis temporalem quasi motum quendam spatiumque coëxtendere. Corroborat vero etiam temporaneos progressus, astrorum scilicet motiones, quæ in quodam temporis numero per duodecim dictarum domorum spatia sensim mouentur. Corroborat etiam reuolutiones, quæ ab aliquo puncto ad idem punctum recurrunt. Corroborat quatuor elementa, ad proprium quodque ordinem naturæ constringens ac continens. Corroborat viuificos terræ partus, corroborat nexum animæ cum corpore, suscitat virtutes animales ad plantam sæpenumero fouendam & augendam, & in id ipsum reuoluendo essentiales vires confirmat, & ipsammet iustorum deificationem elargitur, virtutem ipsis ad hoc præbens. Et vniuersim, nihil est in rerum naturâ, quod non omnipotentis diuinæque virtutis particeps existat.

§. 6.

Etsi contradicat in Actis Elymas Magus, dicens: Si omnipotens Deus, quomodo à vestro Theologo, Paulo videlicet, dicitur aliquid non posse? Cauillatur autem ipsum dicentem, non posse Deum semetipsum negare. Dum autem hoc propono, vehementer metuo, ne videar puerorum structuram arenaceam & infirmam oppugnare, & ad huius loci sensum, tanquam ad scopum qui attingi nequeat, collineare. Dico autem Deum esse veritatem: veritas autem ens est, mendacium verò neque consistentiam nec entitatem habet. Si itaque veritas negaret semetipsam, succumberet mendacio, & id quod est & existit minimè esset. Ergo illud non posse in Deo constitutum, est signum infinitæ virtutis: perinde enim est ac si diceretur, Deum nō posse facere seipsum non esse Deum. Quemadmodum enim lux, in quantum lux est, non potest esse tenebræ; sic & hoc impossibile est Deo, propter superabundantem veritatem. Sicut igitur Deus nunquam sciuit inscitiam, sicut nec nouit ignis non calefactionem, sic neque potest non posse: quod sapiens ille per ironiam Elymas dum non intelligit, imitatur pugiles, qui neque victoriam norunt quomodo comparetur: qui videntur sibi in vmbrâ cum absentibus aduersariis concertare, existimantque se illos superare, cùm virtutem eorum non habeant exploratam. Nos autem, ad diui Pauli sensum collimantes, collaudamus Deum tanquam beatum solumque potentem, vtpote dominantem æternitati, & nullâ vnquam entitate frustratum (si enim potentia rebus inest omnibus, omnino is qui secundùm quid impotens est, nisi piè dictum hoc interpretemur, secundùm quid ab entitate desciuit, vt imprudens Elymas tradit) quin potiùs non solùm tanquam secundùm rem nullam deficientem, sed etiam vt præhabentem ac desuper habentem omnia secundùm virtutem superessentialem, & rebus omnibus largientem tam vt esse possint, quàm vt sint secundùm affluentiam virtutis superabundantis.

2. Tim. 2. 13. Quomodo Deus non possit se negare.

[A] [§. 7. *Quid sit iustitia.* * *Max.* vel proprià actione partium animæ.]

Definitio iustitiæ est, virtus cuique tribuens pro dignitate, vel * propria actio facultatum animæ, vel medium inter abundantiam & inopiam, vel habitus distributiuus æqualitatis. Istiusmodi itaque definitionibus ritè accommodat Iustitiam diuinam. Idcircò enim Deus Iustitia dicitur, quòd omnibus pro dignitate tribuat omnia secundùm propriam cuiusque naturæ definitionem, & quòd causa existat propriæ cuiuslibet actionis, singula enim disponit diuina Iustitia pro cuiusque dignitate. Iniquitatem itaque loquuntur, qui diuinæ Iustitiæ contradicunt, & qui dicunt, mortalibus inesse debere immortalitatem, & rebus imperfectis perfectionem, & cætera, ne singulis immoremur. Causantur enim, cur homo, cùm istiusmodi animal sit, corrumpatur, cur talpa oculis careat, cur lapis non sit per se mobilis, cur vniuersum secundùm tempestatea immutetur, cur temporaneæ voluptates non sint æternæ. Sciendum est, diuinam Iustitiam omnibus quæ cuique propria sunt distribuere, & vniuscuiusque ordinem virtutémque conseruare. [B]

[§. 8. *Cur sinat Deus Sanctos tribulari.*]

Sed dicet aliquis: Cur non succurrit Sanctis iniuriâ affectis? Dicendum cum distinctione: Vel diligunt Sancti præsentia, vel non diligunt. Si quidem diligunt, non sunt sancti, vt qui iam a diuino amore exciderint; quoniam iniurij sunt rebus verè amandis, quæ ab ipsis præferendæ sunt, quòd, iis oeglectis, ament ea quæ non sunt amanda. Quod si verò non diligant, sed ament ea quæ verè sunt, oportet potiùs ipsos lætari, quòd in tentationes inciderint, vti Magnus Iacobus monet; quoniam per has ea quæ desiderabilia sunt assequantur, túmque Angelicis virtutibus appropinquant, dum in instantiis pro bono, ab effectu materiali recedunt: ita vt verè dici possit, illud magis esse proprium diuinæ Iustitiæ, vt eos, qui ad æterna spectare desideraot, non patiatur per dissolutam vitam voluptatibus decipi, sed potiùs afflictiones sustinere, vt vel amantes vngat, vel lapsutos sulfulciat, nec non ipsos in præclaro illo & inconcusso statu consolidet. [C] Inconcussuo autem statum vocat, institutum quod titillationi terrenorum minimè cedit, nec propter tentationes ad materialia flectitur.

[§. 9. *Quomodo Deus salus dicatur.*]

Hæc etiam diuina Iustitia tanquam salus celebratur, quòd iustè cuiusque naturæ rationes seruet, ac causa sit propriæ cuiusque rei operationis. Propriam autem operationem appellauit motum illum qui cuilibet naturæ proprius est: neque enim homines facere possunt quæ propria sunt Angelis, neque aqua quæ propria sunt igni, & contra. Si quis verò dixerit, Deum secundùm aliam quoque modum salutem esse, quòd à rebus deterioribus omnia eripiat (deteriora verò vocat, quæ naturæ cuiusque aliena sunt, vel indigna, vel potiùs ipsammet materiam informem) hunc nos quoque tanquam diuinum laudatorem admittemus. Hanc enim salutem omnium statuemus, quæ omnia sic immutata inconcussáque seruat, vt in deterius non vergant; & omnem inæqualitatem atque alienam actionem eliminat, atque cuiuslibet proportiones confirmat. Si enim humor aquam deserat, iam non erit aqua; si redundet tamen, aliquid erit; [D] quocircà etiam istiusmodi salus liberatio vocabitur, quoniam ea quæ seruantur, à propriorum bonorum defectione liberantur, nec in nihilum redigi permittuntur: & si quid ad peccatum deflectat, hæc ab istiusmodi affectione liberat paternè sulfulciens, bonúmque resuscitans, quin imò etiam, antequam in malum incidat, in bono firmans, & defectum impleos, & ab omnibus noxis absoluens.

Hoc quidem de his dictum ac de Iustitiâ, secundùm quam vtique iustitiam omnium æqualitas mensuratur ac definitur, omnisque inæqualitas, quæ secundùm priuationem æqualitatis sumitur, exterminatur. Obserua autem, qualia inæqualitas eliminetur, scilicet quæ est secundùm priuationem æqualitatis: est enim inæqualitas etiam, in omni toto ad totum differentia, secundùm quam quidlibet à quolibet differt. Talem itaque inæqualitatem diuina Iustitia custodit, & non exterminat: non enim simpliciter inæqualitatem exterminari, sed eaon quæ in singulis existit, id est, secundùm quam quodlibet eorum quæ sunt, haud æqualiter, neque similiter in naturali identitate consistunt, permanere dicit. [E] Cum verò sciret duos modos, secundùm quos inæqualitas dicitur, duos exponit, & ait, Deum eatenus dici Iustitiam, quatenus omnem æqualitatem mensurat, & quamlibet inæqualitatem exterminat. Inæqualitatem verò intelligit eam quæ per priuationem æqualitatis accidit, id est redundantiam. Alterum quoque modum adfert inæqualitatis: nouit enim, aliquos, intelligibiles & incorporeas formas & vnitates, hoc est simplices substantias, æqualitatem & identitatem nominasse; sensilia verò, quæ etiam diuisibilia sunt & mutabilia, & ab inuicem diuersa, inæqualitatem & diuersitatem. Dicit itaque, etsi aliquis hanc inæqualitatem intellexerit differentiam sensilium, nihilominùs etiam Deum huiusce inæqualitatis custodem existere, dum non permittit contraria in vnum commisceri, & naturaliter in corruptionem deuenire: vt enim omnia produxit, sic etiam ipsa conseruat, vt & sint sicut in principio fuerunt. [F]

CAPVT IX.

De magno, paruo, eodem, alio, simili, dissimili, statu, motu, æqualitate.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Dicit, Deum in Scripturis vocari magnum, paruum, eundem, alium, &c.*
2. *Explicat, quo sensu Deus dicatur magnus.*
3. *Quo sensu paruus.*
4. *Quo sensu idem.*
5. *Quo sensu alius, & quomodo accipienda sit in Deo longitudo, latitudo, profundum.* [G]
6. *Quo sensu dicatur Deus similis, cùm tamen causarum ad effectus non sit propriè similitudo.*
7. *Quo sensu dicatur dissimilis.*
8. *Quo sensu stare vel sedere.*
9. *Quo sensu dicatur moueri, & quomodo Deo conueniat triplex motus.*
10. *Quo sensu dicatur æqualis.*

[§. 1. *Deum in Scripturis magnum, paruum, eundem, alium, &c. vocari.* Psal. 101. 28.]

QVoniam verò etiam magnum & paruum attribuitur omnium auctori, & idem & aliud, & simile & dissimile, & status & motus, agedum quoque hæc diuinorum nominum simulacra, quatenus nobis patent, intueamur. Magnus quidem Deus in Scripturis laudatur, & in magnitudine, & in aurâ tenui quæ diuinam insinuet paruitatem: idem quoque, vt in illo Scripturarum loco, *Tu autem idem ipse es*: & alius ac diuersus, vt cùm multarum figurarum ac formarum ab eâdem Scripturâ fingitur: & similis vt similium ac similitudinis conditor; & dissimilis omnibus, vt cui non sit similis: stans etiam & immobilis, ac sedens in sæculum; & mobilis, vt qui per omnia penetret: & quæcunque alia diuina nomina his æquipollentia à Scripturis celebrantur. [H]

[§. 2. *Quo sensu Deus dicatur magnus.*]

Ac magnus quidem Deus appellatur, secundùm sibi propriam magnitudinem, quæ magnis omnibus de se communicat, & omni magnitudini extrinsecus superfunditur & supra-expanditur, locum omnem complectens, omnem numerum excedens, omnem transiliens infinitatem, & iuxta supraquam plenitudinem suam ac magnificentiam, fontalesque suas distributiones, quatenus hæ omnibus infinitâ profusione communicatæ, manent prorsus imminutæ, & eandem habent supraquam plenitudinem, neque participationibus minuuntur, quin imò magis redundant. Hæc magnitudo & infinita est, & quantitatis ac numeri expers: & hæc est excellentia secundùm effusionem absolutam & supraquam extensam magnificentiæ non comprehensæ.

A

§. 3. Quo sensu Deus dicatur paruus.

Paruum verò siue subtile, in ipso dicitur, quod omnem molem & distantiam effugit, & absque impedimento cuncta peruadit. Atqui etiam omnium elementaris causa est illud paruum: nunquam enim formam parui reperies non participatam. Sic igitur in Deo accipiendum est paruum, vt in omnia, & per omnia expeditè means, & operans, & peruadens *vsque ad diuisionem animæ, & spiritûs, compagum quoque & medullarum, discretiuum concupiscentiarum & cogitationum cordis* imò omnium quæ sunt, non enim est creatura vlla inuisibilis in conspectu eius. Hoc paruum est sine quantitate, sine qualitate, sine inhibitione, infinitum, incircumscriptum, omnia comprehendens, ipsum verò à nullo comprehendi potest.

Heb. 4. 12.

§. 4. Quo sensu Deus dicatur idem.

Idem autem ipsum est supersubstantialiter æternum, inconuertibile, secundùm eadem in semetipso manens semper & eodem modo se habens, omnibus æquè præsens, atque ipsum per se, & in seipso firmiter, & intemeratè in pulcherrimis supraessentialis suæ identitatis finibus locatum, immutabile, lapsus expers, permanens, inuariabile, non permixtum, expers materiæ, simplicissimum, non indigens; non augescens, non imminutum, ingenitum, non tanquam nondum factum, aut imperfectum, aut ab hoc, aut hoc non factum, neque tanquam nullo modo existens; sed tanquam omninò ingenitum, & absolutè ingenitum, & semper existens, & per se perfectum, atque idem secundùm se, atque à seipso vniformiter & eadem specie determinatum, atque illud idem etiam omnibus eius participandi capacibus adflans, & affluentia identitatis, & causa alia aliis coordinans, & identidem in semetipso ea quæ inter se contraria sunt superhabens secundùm vnam atque vnicam causam eminentem totius identitatis.

B

§. 5. Quo sensu Deus dicatur aliud.

Aliud autem, quia cunctis prouidentiâ suâ Deus adest, & propter omnium conseruationem fit omnia in omnibus, dum in semetipso propriàque identitate inemananter permanens, & secundùm vnam incessantem operationem sibi ipsi adhærens, virtute quadam indeficiente semetipse tradit, ad diuinam formam conuersis imprimendam: variatum autem Dei, secundùm multiformes visiones, figurarum diuersitate, quædam alia ab iis quæ visis insinuantur, significari putandum est. Quemadmodum enim si quis cogitando animam ad corporeæ figuræ modum ipsam repræsentaret, & rei partium experti partes corporeas affingeret, alio modo in ea partes, quæ illi attributæ essent, intelligeremus, prout nimirum conuenit ipsius indiuiduitati: & caput quidem intelligentiam, ceruicem verò opinionem (vtpote mediam inter rationem atque irrationalitatem) pectus autem iram; ventrem verò cupiditatem, crura denique ac pedes naturam diceremus, istarum partium nominibus pro facultatum symbolis vtendo; ita multò sanè potiori ratione, in eo qui omnibus eminet, diuersitas illa formarum atque figurarum, sacris quibusdam ac Deo congruis mysticisque explanationibus, anagogicè est describenda. Et si tripartitas corporis figuras ipsi Deo, qui tangi ac figurari nequit, attribuere volueris; diuina quidem latitudo dicenda est, latissima ad vniuersas res progressio; longitudo autem, potentia quæ supra omnia expanditur; profundum verò, arcanum illud omnibus inaccessum, eiusdemque ignoratio. Verùm ne fallamus nosmetipsos, dum variis figuris formisque explicandis insistimus, diuinarum rerum incorporeas appellationes cum signorum sensibilium appellationibus confundendo, de his in symbolicâ Theologiâ disseruimus: nunc autem diuinam diuersitatem, ne mutationem quamdam eius, qui immutabiliter idem est, esse suspicemur, sed potiùs multiplicationem singularem, & emanationes simplices ad omnia.

C

D

§. 6. Quo sensu Deus dicatur similis.

Similem verò Deum si quis dicat vt eundem, & vt totum per totum sibi vnitè & impartibiliter similem, non est improbandum nomen diuinum, similis. Theologi tamen Deum qui est supra omnia, quatenus ipse est, nullius similem esse aiunt, sed ipsum diuinam similitudinem dare iis qui ad eum conuertuntur, dum eum supra omnem terminum ac rationem pro viribus imitantur. Atque hæc est diuinæ similitudinis vis, vt omnia quæ producta sunt, ad auctorem suum conuertat. Ista igitur Deo similia dicenda sunt, vt ad eius imaginem ac similitudinem effecta: non autem Deus iis similis dicendus est, quia ne quidem homo est imagini suæ similis; quoniam quæ æqualia sunt, possunt quidem sibi inuicem esse similia, & ad vtraque potest ista similitudo reciprocari, vt sint ambo inuicem similia secundùm principalem speciem similitudinis; in causâ verò ad effectus nequaquam admittemus istiusmodi reciprocationem. Neque enim solis his aut illis dat Deus vt similia sint, sed causa est cur similia sint omnia, quibuscum similitudo est communicata, idemque est etiam ipsius similitudinis auctor; & quidquid est in omnibus simile, vestigio quodam diuinæ similitudinis simile existit, & eorundem coniunctionem explet.

E

Causa ad effectus non esse similitudinem.

§. 7. Quo sensu Deus dicatur dissimilis.

Sed quorsum hæc dicuntur? Nam & ipsamet Scriptura dicit Deum esse dissimilem, nullique conferendum, vt ab omnibus diuersum, &, quod magis mirandum est, nihil ei esse simile. Veruntamen nequaquam id eius similitudini repugnat; nam eadem Deo & similia sunt & dissimilia: similia quidem secundùm possibilem eius qui participari nequit participationem; dissimilia verò, secundùm effectuum à causis differentiam, infinitis prorsus parasangis incomparabiliter distantem.

F

§. 8. Quo sensu Deus dicatur stare vel sedere.

Quid autem de diuino statu vel sede dicamus? Quid, inquam, aliud, præterquam manere Deum in seipso, & in eodem statu immobili firmè fixum, & supraquam fundatum esse stabiliter, & secundùm eadem & circa idem ipsum & similiter operari, & omninò esse à seipso immutabilem, & non posse transmoueri, & esse ex toto immobilem, atque hæc quidem supra substantiam, ipse enim est omnis statûs & sessionis auctor; qui supra sessionem omnem ac statum existit, & in ipso cuncta consistunt, dum in bonorum suorum statu inconcussa conseruantur.

§. 9. Quo sensu dicatur Deus mouere.

G

Quid porrò, quando iterùm Theologi tradunt, eum qui immobilis est ad vniuersa procedere ac moueri, nonne id etiam ratione quadam Deo congruâ intelligendum est? Piè siquidem putandum est ipsum moueri, non secundùm delationem, vel immutationem, vel alterationem, vel conuersionem, aut localem motum, vel rectum, vel orbicularem, vel ex vtrisque constantem, vel intellectilem, vel animalem, vel naturalem, sed secundùm quod Deus omnia in rerum naturam producit continétque, atque omnibus modis rebus omnibus prouidet, omnibus adest incomprehensè omnia complectendo, idque omnibus prouidentiæ viis & operationibus. Quin & immobilis Dei motus ratione quadam Deo conuenienti possit prædicari. Ac rectus quidem intelligendus de inflexibilitate & indeclinabili progressu operationum, eoque, qui ex ipso est, rerum omnium ortu; obliquus autem de illarum stabili progressu ac fœcundo statu; circularis denique de identitate ac complexione mediorum atque extremorum quæ continent atque continentur, & de illorum, quæ ab ipso prodierunt, ad ipsum conuersione.

Quomodo Deo conueniat triplex motus.

H

§. 10. Quo sensu Deus dicatur æqualis.

Si quis verò in sanctis Scripturis nomen, quo Deus nominatur idem, & quo nominatur iustus, in nomine diuino, quo nominatur æqualis, accipiat, dicendum est, Deum esse æqualem, non solùm vt expertem partium, & qui à recto declinare non possit, sed vt in omnia & per omnia æqualiter meantem, & vt per se æqualitatis effectorem, secundùm quam æqualiter operatur similem omnium per ipsa inter se incessum, & participationem æqualiter participantium, vt quodque eorum aptum est, & æqualem in omnia pro cuiusque dignitate distributionem; & quatenus omnem æqualitatem intellectilem, intelligentem, ratiocinantem, sentientem, substantialem, naturalem, voluntariam, exemptè & vnitè in se ipse anticipauit, secundùm virtutem omnia superantem, omnisque æqualitatis effectricem.

SCHOLIA S. MAXIMI.

§. 1. *Quales essent statuæ mercuriales.*

HORVM DIVINORVM NOMINVM.] Sapientissimè dicit *diuinorum nominum simulacra* [vocem hanc] à Gentilibus ad veritatem traducens: illi enim quasi quasdam statuas fabricabant manibus pedibúsque destitutas, quas Mercuriales appellabant. Faciebant itaque illas ita, vt haberent portas concauas, quasi arcas quasdam ostraceas turritas, atque in illis simulacra collocabant Deorum quos venerabantur, deforis autem Mercuriales illas statuas claudebant. Viles igitur apparebant istiusmodi Mercurij, verùm intra se ipsorummet Deorum ornatum continebant. Similiter & hic intellige, nomina, quæ de ipsomet existente ac solo vero Deo in Scripturâ recensentur, vt paruum, & sedere, &c. Deo quidem indigna esse; verùm dum explicantur, habere & dignam Deo interpretationem, & intra se simulacra quædam diuinásque figuras diuinæ gloriæ continere.

Deus absolutè magnus.

MAGNVS QVIDEM DEVS IN SCRIPTVRIS LAVDATVR.] Magnus, inquit, Deus appellatur, sed non alterius comparatione, sicut bos maior oue, aut faba milio, sed propter diuinæ magnificentiæ incomparabilitatem & incomprehensibilitatem, hoc enim significauit illud propriè seu proprietatem dicendo.

§. 2.

AC MAGNVS QVIDEM DEVS APPELLATVR.] Licet eorum quæ de Deo dicuntur appellationes interpretetur, tamen necessarium est eas Scripturæ testimoniis declarare. *Magnus* quidem dicitur vbi scriptum est, *Magnus Dominus noster, & magna virtus eius*, & quæcunque similia sunt in Scripturâ. (Psal. 146. 5.) Quòd verò etiam *paruus* sit, declaratur in tertio libro Regum, vbi ait ad Eliam Prophetam, *Ecce vox auræ tenuis, & ibi Dominus*: (3. Reg. 19. 12.) declarat enim ipsum quodammodò sub aurâ comprehensum, quod est paruitatis. Quin etiam *idem* habes in illo, *Ego sum, & non mutor*. (Malach. 3. 6.) *Aliud* verò, quando apud Ezechielem apparuit tanquam homo ex igne & electro, & alibi, *Oculi eius quasi lampades*, & cætera, *vt species æris & fornacis*, quod ait Ioannes in Apocalypsi. (Dan. 10. 6.) Et *similis*, quando hominem ad suam similitudinem creasse dicitur. (Genes. 1.) *Dissimilis* autem, quando dicit in Isaiâ, *Cui me assimilastis? dicit Dominus*, (Isa. 46. 5.) vt qui nihil habeat simile. *Et stans & immobilis*, vt cùm Moysi de petrâ dicit: *Hic ego stetı antequam in esses illic*, & similia. *Sedens* verò, iuxta Baruch, cùm ait, *Tu sedes in sempiternum, & nos peribimus in æuum*, (Baruch. 3. 3.) & alibi: *Qui sedes super Cherubim*. (Dan. 3. 55.) *Motus* verò, iuxta illud, *Ascendit super Cherubim, & volauit*, (Psal. 17. 11.) & iterùm: *Venite, descendentes confundamus linguas eorum*, (Gen. 11. 7.) & *Inclinauit cælos, & descendit*. (2. Reg. 22. 10.) Et hæc quidem modò: in particularibus autem explicationibus ea quæ necessaria erunt exponentur.

HÆC MAGNITVDO ET INFINITA EST.] Cùm Deus omnino perfectum finem habeat, etiam supraquam perfectus, & supraquam infinitus existit, iuxta illud, *Et regni eius non erit finis*. (Luc. 1. 33.) Quin etiam supra omnem numerum existit. Etsi enim Deus dicatur vnus & vnum, attamen est supra vnum: nam vnum propriè designat connexionem ad multos numeros ex ipso existentes, & videtur quasi esse principium multitudinis numerorum. Nihilominùs Deus dignatus est etiam ex iis quæ produxit vnum assumere, quia simplex est, & indiuiduum, & incompositum; quin & sic etiam plusquam vnitur, & plusquam vnum est; quocircà dicitur, *Et scientia eius non est numerus*. (Psal. 146. 5.)

§. 3. *Quid paruum in Deo.*

SIC IGITVR PARVVM IN DEO.] Omnia enim, cùm valdè magna tum valdè parua, participant parui communionem; nihil enim in omnibus quæ sunt paruum effugit. Vel quia omnia, quæ incrementum sumunt, ex paruo in magnum euadunt, & hoc Pater ait; vel quia in maiori paruum consideratur, & non maius in paruo, quatenus maius est.

ET PERTINGENS.] Hinc demonstratur velocitas progressus Dei ad res incorporeas: quòd enim pertingat vsque ad diuisionem animæ & spiritûs (sic enim res se habere videtur) declarat ipsam quoque incorporeitatem & vniformitatem animæ à Deo diuidi posse. Vnde Deus quoque cogitationes intelligit, quas mens mota & operans cogitat, quæ tamen maximè incorporeæ indiuiduæque existunt; quid enim inter intellectum & intellectionem ipsam? Deus est qui mediat, sicut dictum est, *Tu intellexisti cogitationes meas de longè*. (Psal. 138. 3.) Quin & inter animam & spiritum, in quo nimirum spiritu sensus habemus stabilitos, per quem etiam anima sensilibus intendit, & vim habemus intelligendi speculationes, Deus sine impedimento pertransit. Hunc autem spiritum Gentiles sapientes vocant facultatem, & veluti secundam quandam animam sensitiuam animæ. Ergo anima hæc sensitiua penetrat vsque ad medullas, & venas, & arterias, & ossa, & totum corpus.

§. 4. *Ingenitū quid significet.*

QVOD NON POTEST MINVS, INGENITVM.] Notandum est quot modis accipitur significatio ingeniti, id est non facti. Aut quod nondum est generatum, sed generandum, vt Sarra dixit, Nondum mihi natus est vsque nunc. Aut quod est imperfectum, vt turris in Chalane. (Gen. 10.) Aut ab hoc non factum, vt Paulus Apostolus, non ab hominibus. (& 12. Galat. 1.) Aut non hoc factum, vt iustus vnus ex duodecim. Aut quod penitus nullo modo est, vt quæcunque fingunt Gentiles, Scyllam, Chimæram, & similia. Speciatim igitur & absolutè ingenitum in Deo dicitur. Ibidem. Cùm dixisset Deum esse ingenitum, expiat malè sonantes nominis istius interpretationes, & ait, Vide ne vsurpes hanc dictionem pro generari, tanquam Deus haberet aliquem se priorem, à quo nempe hoc vel illud factus sit, verbi gratiâ creator, vel bonus, vel spiritus, vel ignis, vel quid simile. Sed neque eundem ingenitum arbitreris, neque omnino existentem in generatione siue aliquid aliud. Quomodo ergo illud ingenitum intelligendum sit, dicit posteà. Hæc autem contra Arrianos & Eunomianos faciunt, qui ex genito & ingenito Deum blasphemant.

SED TANQVAM OMNINO INGENITVM.] Quoniam, vt inquit, illud, supra omne ingenitum Deum esse, opinari facit ipsum etiam dicere, hinc esse aliqua quæ post sanctam Trinitatem ingenita sint in creaturâ; age, significationem huius declaremus. Hactenus à principio manifestum est, D. Dionysium (cùm maxime tunc temporis Philosophi florerent Ephesi, vbi etiam Ionica Philosophia constituta fuerat) S. Timotheo Episcopo existente, studuisse omnia, quæ ab illis erronee dicebantur, ad veritatem reuocare. Sciebat itaque dogma quorundam Gentilium, qui aiebant, omnia intellectilia & immortalia vi intelligendi prædita, genita esse & ingenita. Genita quidem, tanquã Deo effectore per se existentia secundùm emanationem editi splendoris; ingenita verò, quatenus non tempore, sed æternè, id est, in æuo, prodierunt. Siquidem suprà diximus, ea quæ sub sensum cadunt habere tempus, ea verò quæ sub intelligentiam, habere æuum, vnde & æuiterna dicuntur. Vt igitur ex emanatione splendentia, ingenita ea vocabant. Rursus, sciebat alios, qui hunc mundum, qui cernitur, genitum & ingenitum esse dicerent. Genitum quidem, quatenus hoc vniuersum vel ex vno in multa procedit, id est in generationes animantium, & stirpium, & aliorum, secundùm varias eorum species & formas; vel ex multis in vnum, quando scilicet, vt interitum capiat, in elementa redit. Rursus verò ingenitum vocabant eundem mundum, id est perpetuum, quatenus, vt ipsi opinantur, motus ad generationem & reditus ad corruptionem nunquam desinit. Ait igitur Magnus Dionysius, quomodocumque dicatur ingenitum, siue vt dixi, siue vt Gentiles dicunt, ne sic in Deo accipias. Alia enim dicuntur ingenita vt causam habentia, Deus autem vt causam non habens, & absolutè. Quam enim causam habere potest, qui omnibus, vt semel dicam, antecellit?

Vniforme quid.

VNIFORME IDEMQVE SPECIE.] *Vniforme* quidem dixit, propter omnimodam diuinæ naturæ incomparabilitatem. *Idem* autem *specie* dixit, quia nec alterari nec mutari potest. Determinatum verò deductum a determinando, aut idem est quod exemptum ac separatum.

IDAMQVE.] Semper idem & eodem modo se habere, cernitur in solâ causâ effectrice vniuersorum, ex quâ etiam concessum est creaturis, vt in identitate permaneant. Eodem modo igitur omnia, etiam quæ non sunt in eadem naturâ, in Deo videntur; siquidem Deus est eodem modo, siue similiter, rerum omnium causa.

SECVNDVM VNAM ATQVE VNICAM.] Semper eodem modo & immutabiliter se habere, quod idem est, Deus est. Et ipse quidem ab alio non terminatur, nec est aliquis eius finis, sed omnia in ipso terminantur, atque idem semper est Deus, cùm sit monas, & verè idem, suique ipsius terminus, atque omnium terminus, ab omnibus discretus, & vno eodémque modo transcendens, scilicet in quantum monas est nulli mixta, simplex atque secundùm idem, seu similiter se habens: nihil enim differt, dicere monadem seu vniformitatem, & idem seu eiusmodi, idem enim significant. Quin etiam Deus creaturis suis identitatem communicat, vnde omnia eadem & eodem modo quo facta sunt in conspiratione ac salute atque contentione perseuerant, dum hæc prout possunt, participant: sic etiam diuersitates, id est, diuersas ex ipso creaturarum processiones in ipso conseruat, atque coniungit, simul identitatem suam retinens, & neque in diuersitatem mutatus, neque in contrarietatem, quamvis etiam contraria in sensilibus contineat.

§. 5. QVIA CVNCTIA PROVIDE.] Constructio hæc per traiectionem ad putandum relationem habet, vt sit sensus, tandem æstimandum esse, Dei prouidentiam omnibus adesse, & cætera.

QVAMADMODVM ANIM SI ANIMAN.] Vide quomodo liceat etiam animam ipsam corporeo modo intelligere, & quomodo intelligat modo corporeo quasdam esse partes animæ; pulchrè enim ipsam sermone effingit.

PARTIVM EXPERTI.] Anima non simpliciter, sed respectu corporis, partium expers est: nam eius partes vocat etiam potentias, ad quarum imagines etiam aliquando partes corporis accipiuntur.

EXPLANATIONIBVS.] Explanationem verò vocat explicationem, seu manifestationem cuiusdam sensûs in dictione reconditi. Anagogicè autem describere est, omnimodè à corporeis liberare id quod consideratur.

TRIPARTITAS CORPORVM FIGVRAS.] Tripartitas corporum figuras vocat triplicem distantiam, vti statim explicat. Et rectè hinc intelliges istud dictum Apostoli, *Vt possitis comprehendere quid sit profundum, & quæ altitudo*, &c. quod aliqui de salutari Cruce acceperunt. Nota verò quid sit longitudo & profunditas, & latitudo in Deo. (Ephes. 3. 18.)

NVNC AVTEM IPSAM DIVINAM.] Vnitatem & identitatem, & æqualitatem & similitudinem, vniuersorum concordiæ ac prouidentiæ, salutisque causam antiqui appellabant; quod etiam quid vnum dicebant. Diuersitatem verò & dissimilitudinem ac inæqualitatem vocabant prouidentiam creatoris erga diuisibilia, & mutabilia, & sensilia, atque erga ea quæ sunt, siue intellectilia, intelligentes nomina cum proportione ad res quæ significantur, prout etiam suprà diuersimodè diximus. Alij verò identitatem & diuersitatem, siue eandem & diuersam formam ac priuationem dixerunt; alij verò finem & infinitatem. Per multiplicationem autem singularem intellige Deum in suâ simplicitate manentem, multiplices & varias species creaturarum efficere. Emanationem enim vocat illum veloci motum, & conatum ad creaturas fabricandas.

§. 6. *Deus quomodo sit similis.* SIMILEM VERO DEVM.] Illud simile seu æquale in nobis locum non habet: nam corpus nostrum ex partibus similaribus ac dissimilaribus constat, vti Aristoteles ostendit sub initium libri de Generatione animalium. Deus verò id quod est prorsus similiter est; quoniam diuina Scriptura, tanquam semper eundem sine mutatione, omnibus dissimilem dicit; vt in illo: *Quis similis tibi in Diis, Domine?* ac iterùm: *Cui me assimilastis? inquit Dominus.* Et rursus: *Ego visiones multiplicaui, & in manibus Prophetarum assimilatus sum.* id est: Idem ego mihi ipsi, vt Irenæus dicit in libris contra hæreses. (Psal. 85. 8. Isa. 46. 5. Oseæ 12. 10.)

PRO VIRIBVS IMITANDO.] Licet hoc loco accipere imitationem in naturâ mente ac ratione præditâ ad Deum conuersâ; iuxta illud, *Estote perfecti*, &, *Estote misericordes, sicut Pater vester cælestis.* quæ in Deo quidem propriè & supra omnem terminum ac rationem, in creaturis verò pro cuiusque facultate ac naturæ captu, sumuntur. Quin etiam in his liceat imitationem intelligere participationem eorum, quæ in Deo supra substantiam cernuntur, quam in ortu suo res creatæ acceperunt, quâ suum esse cæteráque participant, quæ in præcedentibus explicaui. Cùm autem dixerit similia Deo secundùm imaginem diuinam, non est cur negetur hoc de homine dictum esse, quando etiam de cæteris rationem participantibus dictionem hanc vsurpauit. (Matth. 5. 48. Luc. 6. 36.)

ET AD DIVINAM IMAGINEM.] Dicit hîc quomodo intelligendum sit illud *ad imaginem & similitudinem*, quia non secundùm speciem, sed quatenus conuersæ sunt, & mentem ad Deum, existendi ac benè existendi auctorem, intentam habent, quod alij liberum arbitrium intellexerunt; quoniam Deus secundùm essentiam suam naturis rationalibus haudquaquam similis est: neque enim nos similes sumus imaginibus nostris, v. g. cereis, æreisve, quæ alterius substantiæ sunt quàm nos, parúmque similes. Siquidem in iis quæ æqualia, id est, eiusdem ordinis ac substantiæ sunt, vt Cherubim & Seraphim, cæterique ordines, sibi mutuò assimilantur in formâ principali: quæ forma in intellectilibus est quasi subiecta quædam materia immaterialis viuens, ipsaque forma, quæ est quodlibet intellectile; Deus verò non ita cum creaturis comparatur; causa enim non est similis effectui. Quod autem dixi in intellectilibus, intellige etiam de intelligentibus animabus nostris.

Quæ dicantur æqualia. QVONIAM IN IIS QVÆ ÆQVALIA SVNT.] Vocat æqualia quæ sunt eiusdem naturæ, in quibus conuertitur similitudo; v. g. Petrus Paulo naturâ similis est, & vicissim Paulus Petro assimilatur. In homine autem & eius imagine non est eadem ratio; quoniam in vtrisque non est eadem ratio substantiæ, quam principalem similis speciem nuncupauit. Quin etiam aliter dicitur homo haud similis imagini suæ, quòd imago quidem ad hominis similitudinem facta sit, non autem homo ad similitudinem huius. Sic vtique etiam in causâ ad effectum non admittitur reciprocatio. Quin etiam reciprocari est, vtrimque tueri oppositam rationem seu problema; v. g. proponendo, Num animal sit id quod in vtero est, vel contrà, Non sit animal quod in vtero est. Ita ait Clemens sub initium libri quinti stromatum. Sic igitur etiam hoc loco, Num similia sint quæ eiusdem ordinis existunt, vel contrà, Non sint similia quæ sunt eiusdem ordinis.

Quæ sit per se similitudo. IPSIVS SIMILITVDINIS.] Solet Magnus Dionysius Deum ab effectis dicere per se esse, & ipsius per se esse effectorem, & ipsum esse per se vitam, & per se vitæ effectorem; sicut nunc ipsum esse per se similitudinem, & per se similitudinis auctorem. Hæc autem dicit, non quasi dicat, alteram quidem vitam esse ipsum Deum, alteram verò productam esse substantialem, & veluti per se existentem præter Deum, quam participant quæ vitam participant; sed potiùs, sicut ipse est suus interpres Capite vndecimo, per se quidem vita, & per se potestas, & per se similitudo, & alia huiusmodi dicitur Deus, quòd hæc sit tanquam principaliter, & diuinè, & efficienter: hæc enim est ipse eorum verus fons. Auctor verò est per se similitudinis, & similium, tanquam largiens participatè iis, quæ primùm inter ea quæ sunt hoc donum participant. Cuncta namque, vt cuiusque naturæ conuenit, huiusmodi dona participant; primæ quidem & supremæ inter cælestes mentes creaturæ, præcipuè; quæ verò deinceps participant, infra illas. Similitudinem autem etiam superiùs dicebamus esse vniuersorum vnitatem, secundùm quam vniuersa eius, quod eodem modo se habet, etiam eadem consentiendo, participant secundùm primæ causæ participationem. Dixit autem eius quæ esse potest; quoniam hæc imitatio non est omninò perfecta, neque secundùm totum.

SCHOLIA S. MAXIMI.

[§. 1. *Quales essent statuæ mercuriales.*]

HORVM DIVINORVM NOMINVM.] Sapientissimè dicit *diuinorum nominum simulacra* [vocem hanc] à Gentilibus ad veritatem traducens: illi enim quasi quasdam statuas fabricabant manibus pedibúsque destitutas, quas Mercuriales appellabant. Faciebant itaque illas ita, vt haberent portas concauas, quasi arcas quasdam mutaceas iunitas, atque in illis simulacra collocabant Deorum quos venerabantur, deforis autem Mercuriales illas statuas claudebant. Viles igitur apparebant istiusmodi Mercurij, verùm intra se ipsorummet Deorum ornatum continebant. Similiter & hic intellige, nomina, quæ de ipsomet existente ac solo vero Deo in Scripturâ recensentur, vt paruum, & sedere, &c. Deo quidem indigna esse; verùm dum explicantur, habere & dignam Deo interpretationem, & intra se simulacra quædam diuinásque figuras diuinæ gloriæ continere.

[*Deus absolutè magnus.*]

MAGNVS QVIDEM DEVS IN SCRIPTVRIS LAVDATVR.] Magnus, inquit, Deus appellatur, sed non alterius comparatione, sicut bos maior oue, aut faba milio, sed propter diuinæ magnificentiæ incomparabilitatem & incomprehensibilitatem, hoc enim significauit illud propriè seu proprietatem dicendo.

[§. 2.]

AC MAGNVS QVIDEM DEVS APPELLATVR.] Licet eorum quæ de Deo dicuntur appellationes interpretetur, tamen necessarium est eas Scripturæ testimoniis declarare. *Magnus* quidem dicitur vbi scriptum est, *Magnus Dominus noster, & magna virtus eius*, [Psal. 146. 5.] & quæcunque similia sunt in Scripturâ. Quòd verò etiam *paruus* sit, declaratur in tertio libro Regum, vbi ait ad Eliam Prophetam, *Ecce vox auræ tenuis, & ibi Dominus:* [3. Reg. 19. 12.] declarat enim ipsum quodammodò sub aurâ comprehensum, quod est paruitatis. Quin etiam *idem* habes in illo, *Ego sum, & non mutor.* [Malach. 3. 6.] *Aliud* verò, quando apud Ezechielem apparuit tanquam homo ex igne & electro, & alibi, *Oculi eius quasi lampades*, [Dan. 10. 6.] & cætera, *vt species æris & fornacis*, quod ait Ioannes in Apocalypsi. Et *similis*, quando hominem ad suam similitudinem creasse dicitur. [Genes. 1.] *Dissimilis* autem, quando dicit in Isaiâ, *Cui me assimilastis? dicit Dominus*, [Isa. 46. 5.] vt qui nihil habeat simile. *Et stans & immobilis*, vt cùm Moysi de petrâ dicit: *Hic ego steti antequam tu esses illic*, & similia. *Sedens* verò, iuxta Baruch, cùm ait, *Tu sedes in sempiternum, & nos peribimus in æuum*, [Baruch. 3. 3.] & alibi: *Qui sedes super Cherubim.* [Dan. 3. 55.] *Motus* verò, iuxta illud, *Ascendit super Cherubim, & volauit*, [Psal. 17. 11.] & iterùm: *Venite, descendentes confundamus linguas eorum*, [Gen. 11. 7.] & *Inclinauit cælos, & descendit.* [2. Reg. 22. 10.] Et hæc quidem modò: in particularibus autem explicationibus ea quæ necessaria erunt exponemus.

HÆC MAGNITVDO ET INFINITA EST.] Cùm Deus omnino perfectum finem habeat, etiam supraquam perfectus, & supraquam infinitus existit, iuxta illud, *Et regni eius non erit finis.* [Luc. 1. 33.] Quin etiam supra omnem numerum existit. Etsi enim Deus dicatur vnus & vnum, attamen est supra vnum: nam vnum propriè designat connexionem ad multos numeros ex ipso existentes, & videtur quasi esse principium multitudinis numerorum. Nihilominùs Deus dignatus est etiam ex iis quæ produxit vnum assumere, quia simplex est, & indiuiduum, & incompositum; quin & sic etiam plusquam vnitur, & plusquam vnum est; quocircà dicitur, *Et scientiæ eius non est numerus.* [Psal. 146. 5.]

[§. 3. *Quid paruum sit Deo.*]

SIC IGITVR PARVVM IN DEO.] Omnia enim, cùm valdè magna tum valdè parua, participant parui communionem; nihil enim in omnibus quæ sunt paruum effugit. Vel quia omnia, quæ incrementum sumunt, ex paruo in magnum euadunt, & hoc Pater ait; vel quia in maiori paruum consideratur, & non maius in paruo, quatenus maius est.

ET PERTINGENS.] Hinc demonstratur velocitas progressus Dei ad res incorporeas: quòd enim pertingat vsque ad diuisionem animæ & spiritûs (sic enim res se habere videtur) declarat ipsam quoque incorporeitatem & vniformitatem animæ à Deo diuidi posse. Vnde Deus quoque cogitationes intelligit, quas mens mota & operans cogitat, quæ tamen maximè incorporeæ indiuiduæque existunt; quid enim inter intellectum & intellectionem ipsam? Deus est qui mediat, sicut dictum est, *Tu intellexisti cogitationes meas de longè.* [Psal. 138. 3.] Quin & inter animam & spiritum, in quo nimirum spiritu sensus habemus stabilitos, per quem etiam anima sensilibus intendit, & vim habemus intelligendi speculationes, Deus sine impedimento pertransit. Hunc autem spiritum Gentiles sapientes vocant facultatem, & veluti secundam quandam animam sensitiuam animæ. Ergo anima hæc sensitiua penetrat vsque ad medullas, & venas, & arterias, & ossa, & totum corpus.

[§. 4. *Ingenitũ quid significet.*]

QVOD NON POTEST MINVS, INGENITVM.] Notandum est quot modis accipitur significatio ingeniti, id est non facti. Aut quod nondum est generatum, sed generandum, vt Sara dixit, Nondum mihi natus est vsque nunc. Aut quod est imperfectum, vt turris in Chalane. [Gen. 10. & 12.] Aut ab hoc non factum, vt Paulus Apostolus, non ab hominibus. [Galat. 1.] Aut non hoc factum, vt Iustus vnus ex duodecim. Aut quod penitus nullo modo est, vt quæcunque fingunt Gentiles, Scyllam, Chimæram, & similia. Speciatim igitur & absolutè ingenitum in Deo dicitur. Ibidem. Cùm dixisset Deum esse ingenitum, explat malè sonantes nominis istius interpretationes, & ait, Vide ne vsurpes hanc dictionem pro generati, tanquam Deus haberet aliquem se priorem, à quo nempe hoc vel illud factus sit, verbi gratiâ creator, vel bonus, vel spiritus, vel ignis, vel quid simile. Sed neque eundem ingenitum arbitreris, neque omnino existentem in generatione siue aliquid aliud. Quomodo ergo illud ingenitum intelligendum sit, dicit posteà. Hæc autem contra Arrianos & Eunomianos faciunt, qui ex genito & ingenito Deum blasphemant.

SED TANQVAM OMNINO INGENITVM.] Quoniam, vt inquit, illud, supra omne ingenitum Deum esse, opinari facit ipsum etiam dicere, hinc esse aliqua quæ post sancta Trinitatem Ingenita sint in creaturâ; age, significationem huius declaremus. Hactenus à principio manifestum est, D. Dionysium (cùm maximè tunc temporis Philosophi florerent Ephesi, vbi etiam Ionica Philosophia constituta fuerat) S. Timotheo Episcopo existente, studuisse omnia, quæ ab illis erronee dicebantur, ad veritatem reuocare. Sciebat itaque dogma quorundam Gentilium, qui aiebant, omnia intellectilia & immortalia vi intelligendi prædita, genita esse & ingenita. Genita quidem, tanquã Deo effectore per se existentia secundùm emanationem editi splendoris; ingenita verò, quatenus non tempore, sed æternè, id est, in æuo, prodierunt. Siquidem suprà diximus, ea quæ sub sensum cadunt habere tempus, ea verò quæ sub intelligentiam, habere æuum, vnde & æuiterna dicuntur. Vt igitur ex emanatione splendentia, ingenita ea vocabant. Rursus, sciebat alios, qui hunc mundum, qui cernitur, genitum & ingenitum esse dicerent. Genitum quidem, quatenus hoc vniuersum vel ex vno in multa procedit, id est in generationes animantium, & stirpium, & aliorum, secundùm varias eorum species & formas; vel ex multis in vnum, quando scilicet, vt interitum capiat, in elementa redit. Rursus verò Ingenitum vocabant eundem mundum, id est perpetuum, quatenus, vt ipsi opinantur, motus ad generationem & reditus ad corruptionem nunquam desinit. Ait igitur Magnus Dionysius, quomodocumque dicant ingenitum, siue vt dixi, siue vt Gentiles dicunt, ne sic in Deo accipias. Alia enim dicuntur Ingenita vt causam habentia, Deus autem vt causam non habens, & absolutè. Quam enim causam habere potest, qui omnibus, vt semel dicam, antecellit?

[*Vniforme quid.*]

VNIFORME IDEMQVE SPECIE.] *Vniforme* quidem dixit, propter omnimodam diuinæ naturæ incomparabilitatem. *Idem* autem *specie* dixit, quia nec alterari nec mutari potest. Determinatum verò deductum à determinando, aut idem est quod exemptum ac separatum.

IDEMQVE.]

A

IDEMQVE.] Semper idem & eodem modo se habere, cernitur in solâ causâ effectrice vniuersorum, ex quâ etiam concessum est creaturis, vt in identitate permaneant. Eodem modo igitur omnia, etiam quæ non sunt in eadem naturâ, in Deo videntur; siquidem Deus est eodem modo, siue similiter, rerum omnium causa.

SECVNDVM VNAM ATQVE VNICAM.] Semper eodem modo & immutabiliter se habere, quod idem est, Deus est. Et ipse quidem ab alio non terminatur, nec est aliquis eius finis, sed omnia in ipso terminantur, atque idem semper est Deus, cùm sit monas, & verè idem, suique ipsius terminus, atque omnium terminus, ab omnibus discretus, & vno eodémque modo transcendens, scilicet in quantum monas est nulli mixta, simplex atque secundùm idem, seu similiter se habens: nihil enim differt, dicere monadem seu vniformitatem, & idem seu eiusmodi, idem enim significant. Quin etiam Deus creaturis suis identitatem communicat, vnde omnia eadem

B

& eodem modo quo facta sunt in conspiratione ac salute atque contentione perseuerant, dum hæc prout possunt, participant: sic etiam diuersitates, id est, diuersas ex ipso creaturarum processiones in ipso conseruat, atque coniungit, simul identitatem suam retinens, & neque in diuersitatem mutatus, neque in contrarietatem, quamvis etiam contraria in sensilibus contineat.

§. 5.

QVIA CVNCTIS PROVIDE.] Constructio hæc per traiectionem ad putandum relationem habet, vt sit sensus, tandem æstimandum esse, Dei prouidentiam omnibus adesse, & cætera.

QVEMADMODVM ENIM SI ANIMAM.] Vide quomodo liceat etiam animam ipsam corporeo modo intelligere, & quomodo intelligat modo corporeo quasdam esse partes animæ; pulchrè enim ipsam sermone effingit.

PARTIVM EXPERTI.] Anima non simpliciter, sed respectu corporis, partium expers est: nam eius partes vocat etiam potentias, ad quarum imagines etiam aliquando partes corporis accipiuntur.

C

EXPLANATIONIBVS.] Explanationem verò vocat explicationem, seu manifestationem cuiusdam sensûs in dictione reconditi. Anagogicè autem describere est, omnimodè à corporeis liberare id quod consideratur.

TRIPARTITAS CORPORVM FIGVRAS.] Tripartitas corporum figuras vocat triplicem distantiam, vti statim explicat. Et rectè hinc intelliges istud dictum Apostoli, *Vt possitis comprehendere quid sit profundum, & quæ altitudo,* &c. quod aliqui de salutari Cruce acceperunt. Nota verò quid sit longitudo & profunditas, & latitudo in Deo.

Ephes. 3. 18.

NVNC AVTEM IPSAM DIVINAM.] Vnitatem & identitatem, & æqualitatem & similitudinem, vniuersorum concordiæ ac prouidentiæ, salutisque causam antiqui appellabant; quod etiam quid vnum dicebant. Diuersitatem verò & dissimilitudinem ac inæqualitatem vocabant prouidentiam creatoris erga diuisibilia, & mutabilia, & sensilia, atque erga ea quæ sunt, siue intellectilia, intelligentes nomina cum proportione ad res quæ significantur, prout etiam suprà diuersimodè diximus. Alij verò identitatem & diuersitatem, siue eandem & diuersam formam ac priuationem dixerunt; alij verò finem & infinitatem. Per multiplicationem autem singularem intelligit Deum in suâ simplicitate manentem, multiplices & varias species creaturarum efficere. Emanationem enim vocat illum veluti motum, & conatum ad creaturas fabricandas.

D

§. 6. *Deus quomodò sit similis.*

SIMILEM VERO DEVM.] Illud simile seu æquale in nobis locum non habet: nam corpus nostrum ex partibus similaribus ac dissimilaribus constat, vti Aristoteles ostendit sub initium libri de Generatione animalium. Deus verò id quod est prorsùs similiter est; quoniam diuina Scriptura, tanquam semper eundem sine mutatione, omnibus dissimilem dicit; vt in illo: *Quis similis tibi in Diis, Domine?* ac iterùm: *Cui me assimilastis? inquit Dominus.* Et rursus: *Ego visiones multiplicaui, & in manibus Prophetarum assimilatus sum.* id est: Idem ego mihi ipsi, vt Irenæus dicit in libris contra hæreses.

Psal. 85. 8.
Isa. 46. 5.
Oseæ 12. 10.

E

PRO VIRIBVS IMITANDO.] Licet hoc loco accipere imitationem in naturâ mente ac ratione præditâ ad Deum conuersâ; iuxta illud, *Estote perfecti,* &, *Estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis.* quæ in Deo quidem propriè & supra omnem terminum ac rationem, in creaturis verò pro cuiusque facultate ac naturæ captu, sumuntur. Quin etiam in his liceat imitationem intelligere participationem eorum, quæ in Deo supra substantiam cernuntur, quam in ortu suo res creatæ acceperunt, quâ suum esse cæteráque participant, quæ in præcedentibus explicaui. Cùm autem dixerit similia Deo secundùm imaginem diuinam, non est cur negetur hoc de homine dictum esse, quando etiam de cæteris rationem participantibus dictionem hanc vsurpauit.

Matth. 5. 48.
Luc. 6. 36.

ET AD DIVINAM IMAGINEM.] Dicit hîc quomodo intelligendum sit illud *ad imaginem & similitudinem,* quia non secundùm speciem, sed quatenus conuersæ sunt, & mentem ad Deum, existendi ac benè existendi auctorem, intentam habent, quod alij liberum arbitrium intellexerunt; quoniam Deus secundùm essentiam suam

F

naturis rationalibus haudquaquam similis est: neque enim nos similes sumus imaginibus nostris, v. g. cereis, æreísve, quæ alterius substantiæ sunt quàm nos, parúmque similes. Siquidem in iis quæ æqualia, id est, eiusdem ordinis ac substantiæ sunt, vt Cherubim & Seraphim, cæterique ordines, sibi mutuò assimilantur in formâ principali: quæ forma in intellectilibus est quasi subiecta quædam materia immaterialis viuens, ipsaque forma, quæ est quodlibet intellectile; Deus verò non ita cum creaturis comparatur; causa enim non est similis effectui. Quod autem dixi in intellectilibus, intellige etiam de intelligentibus animabus nostris.

Quæ dicantur æqualia.

QVONIAM IN IIS QVÆ ÆQVALIA SVNT.] Vocat æqualia quæ sunt eiusdem naturæ, in quibus conuertitur similitudo; v. g. Petrus Paulo naturâ similis est, & vicissim Paulus Petro assimilatur. In homine autem & eius imagine non est eadem ratio; quoniam in vtrisque non est eadem ratio substantiæ, quam principalem similis speciem nuncupauit. Quin etiam aliter dicitur homo haud similis imagini suæ, quòd imago quidem ad hominis similitudinem facta sit, non autem homo ad similitudinem huius. Sic vtique etiam in causâ ad effectum non admittitur reciprocatio. Quin etiam reciprocari est, vtrimque tueri oppositam rationem seu problema; v. g. proponendo, Num animal sit id quod in vtero est, vel contrà, Non sit animal quod in vtero est. Ita ait Clemens sub initium libri quinti stromatum. Sic igitur etiam hoc loco, Num similia sint quæ eiusdem ordinis existunt, vel contrà, Non sint similia quæ sunt eiusdem ordinis.

G

Quæ sit per se similitudo.

IPSIVS SIMILITVDINIS.] Solet Magnus Dionysius Deum ab effectis dicere per se esse, & ipsius per se esse effectorem, & ipsum esse per se vitam, & per se vitæ effectorem; sicut nunc ipsum esse per se similitudinem, & per se similitudinis auctorem. Hæc autem dicit, non quasi dicat, alteram quidem vitam esse ipsum Deum, alteram verò productam esse substantialem, & veluti per se existentem præter Deum, quam participant quæ vitam participant; sed potiùs, sicut ipse est suus interpres Capite vndecimo, per se quidem vita, & per se potestas, & per se similitudo, & alia huiusmodi dicitur Deus, quòd hæc sit tanquam principaliter, & diuinè, & efficienter: hæc enim est ipse eorum verus fons. Auctor verò est per se similitudinis, & similium, tanquam largiens participatè iis, quæ primùm inter ea quæ sunt hoc donum participant. Cuncta namque, vt cuiusque naturæ conuenit, huiusmodi dona participant; primæ quidem & supremæ inter cœlestes mentes creaturæ, præcipuè, quæ verò deinceps participant, infra illas. Similitudinem autem etiam superiùs dicebamus esse vniuersorum vnitatem, secundùm quam vniuersa eius, quod eodem modo se habet, etiam eadem consentiendo, participant secundùm primæ causæ participationem. Dixit autem eius quæ esse potest; quoniam hæc imitatio non est omninò perfecta, neque secundùm totum.

H

DESCISCENS.

DESCISCENS.] Deficiens.

§. 7. §. 8. Quid status diuinus.

QVID AVTEM DE DIVINO STATV.] Statum ac sedem pro eodem accipit. Non enim agit de statu illo, quo quis rectus fit, postquam in sede fuerat incuruatus, sed inflexibilitatem & immutabilitatem Dei summum statum appellauit, sicut etiam sedere, perpetuam & incomprehensibilem quietem habere in basi innominabili. Quin etiam in Scripturâ, tanquam à sede exurgens dicitur, iuxta illud, *Exurge Domine, praeueni eos.* Atque iterùm, quasi à statu ad sedem transiens, in isto: *Qui ascendes super equos tuos*, & : *Quadriga tua saluatio*, ac rursus: *Ascendit super Cherubim, & volauit.* Maximè verò illud: *Sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam*, & : *Deus sedet super sedem sanctam suam.* Hæc autem minimè carnaliter, sed, prout Deum decet, intelligenda sunt.

Psal. 16. 13. Habac. 3. 8. Psal. 17. 11. Psal. 9. 5. Psal. 46. 9.

§ 9. Qui motus diuinus.

ET AD VNIVERSA PROCEDINIEM.] Deus dicitur ad omnia progredi ac moueri, sicut in Ieremiâ: *Ego Deus appropinquans, & non de longè*, & iterùm: *Qui in omnibus, ac per omnia*, & maximè: *Si ascendero in cælum, tu illic es*, &c. In Dei verò apparationibus, *Inclina cælos, & descende*; atque, *Ascendit Deus in iubilo.*

Iere. 23. 23. Psal. 138. 8. Psal. 17. 10. Psal. 46. 6.

NON SECVNDVM DELATIONEM AVT IMMVTATIONEM.] Ea quæ de Deo dicuntur piè intelligenda esse docens, ait: Cùm audis Deum moueri, nunquam intelligas motionem quæ in creaturis, maximè sensilibus, intelligitur: materialia enim mouentur secundùm lationem, latio verò est totius loci mutatio, & quæ, vt maximè velit, in seipsâ consistere nequit. Motio autem fit secundùm alterationem; alteratio autem est, quando, manente subiecto sensibili, mutatur in suis affectionibus contrariis, vel etiam non contrariis, sed mediis, v. g. modo corpus benè valet; & modo iterùm laborat; & similiter æs aliquando rotundum, aliquando angulare, id est in angulos effictum est. Quando autem totum mutatur, nullo sensibili remanente tanquam eius subiecto, v.g. cùm ex totâ terrâ fit sanguis, & ex aquâ aër, aut ex toto aëre aqua; vel sicut virga Moysis mutata est in serpentem, aut aqua in sanguinem, tunc, prioribus submotis, & conuersio & generatio & corruptio existit. Quin etiam est quidam motus per alterationem in dissimile, & à colore in colorem. Denique localis motus est transitus de loco in locum: qui motus aut fit progressu recto aut circulari, provt tota mouetur, vel etiam cælum, secundùm quosdam; aut motu mixto ex recto & circulari, qualis est incessus obliquus seu tortuosus, v. g. serpentum. Est etiam motus intellectilis, secundùm quem mens operatur, vel etiam diuinæ mentes intelligunt ea quæ sunt. Est etiam motus animæ secundùm quem mouetur ad intelligendum sensúsque mouendos. Est denique alius quidam motus vegetatiuus, qui mouet ad accretionem ac nutritionem ea quæ apta sunt. Itaque Deus non mouetur aliquo ex istis generibus motûs, quin potiùs motûs immobilis & eodem modo se habentis voluntas eius dicitur, quâ vult esse ea quæ sunt, & emanatio prouidentiæ ad omnia.

Diuersa exempla mutationis & motûs. Localis quis. Intellectilis quis. Vegetatiuus quis.

NON EX VTRISQVE.] Intelligit motum transitorium, quem etiam obliquum vocat. Incomprehensè, id est, modo absoluto, & minimè connexo.

QVIN ETIAM MOTVS DEI.] Cùm in Deo motus corporeos negasset, declarat, quomodo, conuenienter Deo intelligendus sit in Deo motus, sensitiuas in vniuerso motiones anagogicè explanans.

AC RECTVM QVIDEM.] Quomodo circularis & rectus & obliquus motus in Deo intelligatur, lege caput quartum post pauca folia principij capitis, & disces, quomodo in Angelis & animis atque corporibus tales motus intelligantur.

MEDIA ET EXTREMA.] Superiora semper continent inferiora. Extrema quidem vocat supremas illas virtutes Deóque propinquas; media verò, quæ ipsas quidem sequuntur, sed præcedunt omnia quæ sensu percipiuntur. Supremæ itaque continent medias, mediæ verò res sensiles, quocircà etiam in cœlis Scriptura ordines Angelorum assignauit. Porrò Deus complectitur vniuersa, sicut circulus omnia quæ in ipso sunt, & ad seipsum tanquam ad causam conuertit. Nota verò quid idem, & iustitia in Deo, & æquale.

§. 10.

SIMILEM INCESSVM.] Similis per se inuicem incessus etiam in elementis existit: nam æqualis horum temperies efficit etiam, vt mundi generationes in commixtionibus non præponderent. Si enim aliquod elementum abundauerit, corrumpitur id quod generatur.

Quid sit intellectile & intelligens. Quid rationale. Quid sensile.

ET QVATENVS OMNEM ÆQVALITATEM INTELLECTILEM.] Sciendum, intellectile quidem esse illud quod non cadit sub sensum, neque in se intelligentiam recipit, vt animæ sensuúmque potentiæ; sed intelligens est, quod simplices ac liberas habet intellectiones, vt Angeli, rationale verò est, quod ratione ac speculatione rerum notiones accipit, quemadmodum humanus intellectus; sensile verò est id quod sub sensum cadit, quemadmodum partea creaturæ, quæ diuiduntur in essentiales ac naturales, id est, in immobiles & omnino insensibiles, & eas quæ aliqualem motum habent. Naturam enim definiunt principium motûs & quietis. Voluntariam verò æqualitatem vocant eam quæ potest eligere. Non ignoro tamen, animam quoque hominis abusiuè dici intelligentem ac rationalem.

Æqualitas quæ naturalis, quæ voluntaria.

VIRTVTEM OMNIS ÆQVALITATIS EFFECTRICEM.] Est æqualitas, quæ naturis ab omnium conditore Deo tribuitur; & est æqualitas voluntaria, quam sponte ac voluntate suâ procurant ij qui iustitiam in hac vitâ & iuris æqualitatem seruant. Hæc vtique æqualitas à Deo constituta est. Omnem igitur iuris æqualitatem atque iustitiam in semetipso Deus simpliciter & indiuisim, quasi in ideis & exemplaribus, in æternis suis notionibus præhabet, seu propriè loquendo, complectitur.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§. 1. Psal. 146. 5. 3 Reg. 19. 12. Malach. 3. 6. Genes. 1. Isaiæ 46. 5. Baruch. 3. 3. Dan. 3. 55. Ps. 17. 11.

CVm proposita quoque nomina in Scripturis adferantur: Magnus, iuxta illud, *Magnus Dominus noster, & magna virtus eius.* Paruus, sicut in tertio Regum: *Vox auræ tenuis, & ibi Dominus.* Idem, iuxta illud, *Ego sum, & non mutor.* Alius, quando aliter atque aliter apparet apud Ezechielem. Similis, quando hominem ad suam similitudinem creare dicitur. Dissimilis, quando dicit in Isaiâ: *Cui me assimilastis?* vt qui nihil habeat simile. Stans, quando ait ad Moysem: Hic ego steti, antequam tu esses illic. Sedens, iuxta Baruch, cùm dicit: *Tu sedes in sempiternum.* & alibi: *Qui sedes super Cherubim appare.* Motus, iuxta illud, *Ascendit super Cherubim.* Cùm itaque hæc in Scripturis de Deo reperiantur, agedum, etiam istiusmodi diuina nomina, quoad licet, contemplemur. Dictionem autem simulacrorum à Gentilibus ad veritatem traduxit: illi enim quasi quasdam statuas faciebant, manibus pedibúsque destitutas, has autem Ἑρμᾶς seu Mercuriales appellabant quippe fixas, quoniam quadratæ erant; vel rerum quarundam indices: ἑρμῆς enim vim sermonis explicat, quippe proferens id quod insitum & internum. Faciebant itaque illas concauas portas habentes, atque in illis simulacra collocabant Deorum quos venerabantur, deforis autem illas claudebant. Viles ergo apparebant istiusmodi Mercurij, verùm intra se ipsorummet Deorum ornatum continebant. Similiter & hîc ait, nomina quidem ipsiusmet existentis ac solius veri Dei, quæ in Scripturâ recensentur, videntur quidem indigna Deo; verùm explicata, dignam Deo interpretationem habent, & intra se simulacra quædam diuináque figuras diuinæ gloriæ continent.

Statuæ mercuriales quales essent.

§. 2. Quomodo Deus Magnus.

Magnus Deus appellatur, sed non alterius comparatione, sed secundum sibi propriam magnitudinem; sicut Cælum, vt sic dicam, magnum dicitur non respectu alterius cœli alicuius minoris, & Sol lucidus, non ad aliquid, sed secundùm se. Itaque Deus magnus dicitur non per alterius collationem, sed propter incomparabilem & verè incomprehensibilem diuinæ magnitudinis excellentiam. Dicitur ergo magnus, tanquam qui se omnibus rebus magnis communicet: nihil enim in rebus creatis neque mole neque virtute magnum, quod non dicatur

magnum

A

magnum secundùm participationem eius qui omni magnitudini superfunditur, omnémque locum continet, omnémque numerum excedit. Cùm enim magnum de quantitate dicatur, idcircò magnitudine tam locum quàm numerum comprehendit, quæ sunt species quantitatis, magnitudinem quidem pro lineâ, superficie & corpore sumens; tempus verò sermonémque vocalem missa faciens, illud quidem, quia temporum est conditor, hunc verò, quia de ipso anteà verba fecit, in quantum Deus Verbum appellatur. Locum itaque comprehendit tanquam incorporeum, magnitudinem verò numerúmque, quòd illa quidem in infinitum diuidi, hic verò sine termino augeri possit. Nam idcircò etiam addit, Omnem transiliens infinitatem. Mirabiliter autem ponit, Omnem locum continens, quia locus continet, non continetur, terminus enim est continentis; Deus autem plusquam infinitus existit, quia regni eius non est finis. Quin etiam supra omnem numerum existit: etsi enim Deus dicatur vnus & vnum, est tamen etiam plus quàm vnum; propriè enim vnum connexionem habet ad multos numeros ex ipso existentes, & principium est multitudinis. Verùm Deus vnum dicitur, quia simplex est, & Indiuiduum, & incompositum. Quin & sic plus quàm vnitur, & plus quàm vnum est; dicitur enim de ipso, *Et sapientia eius non est numerus*: Dicitur etiam Magnus, secundùm plusquam plenitudinem ac magnificentiam suam, quoniam fontes munerum ipsius ab omnibus participati minimè minuuntur.

B — *Quomodo Deus vnus.* — Ps. 146. 5.

§. 3. *Quid sit paruum, & quomodo de Deo dicatur.*

Paruum rursus dicitur, vt quòd nullam molem vel distantiam suscipere possit, sed supra hæc existat: & aliter, quia absque impedimento cuncta penetrat. Paruum enim, principium est omnium; quoniam omnia quæ incrementum sumunt, ex paruo in magnum euadunt, & rursum in decremento, ex maiori ad id quod minus est redeunt. Elementum autem est id, ex quo etiam aliquid componitur, & in quod resoluitur. Vel idcircò igitur etiam paruum est elementare, vel quia in maiori paruum consideratur, non autem magnum in paruo. Sicut ergo in composito simplicia apparent, non autem in simplicibus compositum, & in syllabis v. g. elementa, non verò syllabæ in elementis; ita hic paruum id quod elementare est dicitur, quoniam ipsum quidem in maiori apparet, non autem è contra. Sic dicitur etiam de Deo paruum, propter quod Apostolica verba refert, quibus demonstratur velocitas progressûs Dei ad res incorporeas. Quòd enim pertingat vsque ad diuisionem animæ & spiritûs, declarat, ipsam quoque incorporeitatem & vniformitatem animæ à Deo diuidi posse. Vnde Deus quoque cogitationes intelligit, quoniam Deus etiam vsque ad intellectum & intellectionem ipsam penetrat, sicut dictum est, *Tu intellexisti cogitationes meas de longe*; quin & inter animam & spiritum, in quo nimirum spiritu sensus habemus stabilitos, per quem etiam anima sensilibus intendit, & vim habemus intelligendi speculationes. Hunc autem spiritum Gentiles sapientes vocant facultatem, & veluti secundam animam sensitiuam animæ. Ergo anima hæc sensitiua penetrat vsque ad medullas, & venas, & arterias, & ossa, & totum corpus, ad quæ omnia Deus absque impedimento pertingit; aliis quidem statum impertiens, aliis verò se insinuans, ita vt nulla creatura sit occulta in conspectu eius. Nota verò circa spiritum, alium esse prædictum spiritum, quem etiam animam sensitiuam appellamus, & alium esse illum spiritum, de quo Magnus Paulus ait, *Animalis homo non capit ea quæ sunt Spiritûs*. Spiritum enim ibi vocat gratiam spiritalem, quam fideles in Baptismo accipimus, spiritum fortitudinis, sustinentiæ, mansuetudinis, longanimitatis, intentionis ad bonum, iuxta quod viri spiritales hominibus animalibus insanire videntur, quantumuis ipsimet à veritate aberrent, vti superiùs dicebamus.

C — Ps. 138. 3. — *Anima & spiritus quid.* — D — 1. Cor. 2. 14.

§. 4. *Quomodo Deus dicatur idem.*

Hæc omnia quæ Deo inesse dicta sunt, suprasubstantialiter dicuntur; vnde etiam id ipsum supra substantialiter dicitur, quòd in seipso maneat, & secundùm eadem eodémque modo stabilitatem habeat in pulcherrimis terminis circa substantiam apparentis identitatis. Ea terminis autem apparet, quòd non sit modò quidem idem; aliquando verò possit in alteritatem effundi; quoniam id frequenter ex identitate in alterum mutauit, quod in terminis identitatis non stabilitur. Deus autem identitatis terminos comprehendit, quomodo ergo aliud aliquando admittere possit? Non dixit autem pro more loquendi suo, vt in aliis per excessum, vt quòd excedat terminos identitatis; quoniam deficeret ab identitate, & in aliud incideret, si identitatem excederet. Solet itaque hic Pater in illis excessum nominare, in quibus excessus minimè exterminat illa quæ Deum decent; in quibus verò tale quid periculi est, satis esse putat summam de Deo testari. Est itaque Deus immutabilis, & secundùm omnem motum immobilis. Dicens autem *ingenitum*, cùm multis modis hoc nomen accipiatur, celebriores eius interpretationes explicat: dicitur enim ingenitum, vel quod necdum genitum, sed gignendum est, vt Sarra dixit, Nondum quidem mihi natus est; vel quod imperfectum est, sicut turris in Chalane; vel ab hoc non factum, vt, *Paulus Apostolus non ab hominibus*; vel non hoc factum, sicut, Iustus non vnus ex duodecim; vel id quod penitus nullo modo est, vt quæ fingunt Gentiles, Scyllam & Chimæram, & similia. Specialiter igitur & absolutè, supra hæc omnia ingenitum in Deo dicitur; vno enim & eodem modo definitur. Vno modo propter omnimodam incomparabilitatem diuinæ naturæ, eodem modo propter immutabilitatem. Ἀφωρισμένον verò est definitum seu demonstratum, à verbo ὁρίζειν, vel exemptum & separatum. Et quoniam Deus semper idem & eodem modo se habet, tribuit creaturis, vt in identitate permaneant. Eodem modo igitur omnia, etiam quæ non sunt in eadem naturâ, in Deo videntur: siquidem Deus est eodem modo, siue similiter, rerum omnium causa.

E — Gen. 18. — Gen. 10. & 11. — F — Galat. 1.

§. 5. *Quomodò de Deo dicatur alind.* — G

Aliud autem significare putandum est: constructio enim hæc per traiectionem ad putandum relationem habet; quoniam Deus in seipso & propriâ identitate permanens, prouidentiâ suâ fit omnia in omnibus propter omnium salutem, semetipsum diuersimodè impertiens ad eorum qui conuersi sunt deificationem. Idcircò enim multimoda quoque dicitur Dei sapientia; & ipsammet variarum figurarum diuersitatem significare putandum est, quòd in Prophetis Deus aliter atque aliter appareat; quoniam aliud quid est ab eo quod apparet, cùm æqualiter omnia sint ab ipso diuersa. Si enim aliqua ex illis erat formis, vt quid non per illam apparebat, cùm omnino posset comprehendi, licet per aliam atque aliam? Quemadmodum enim si indiuisibilis animæ virtutibus proprias partes corporeas affingeremus, secundùm indiuisibilitatem eius illas intelligere deberemus, per quandam anagogem & allegoriam, mentem quidem dicentes esse caput, quoniam mens est animæ præcipuum atque præstantissimum, sicut caput corporis; opinionem verò ceruicem, quia sicut ceruix media est inter caput reliquumque corpus, sic & opinio media est inter rationem & irrationalitatem, intelligentiæ enim terminos sine ratiocinatione nouit; iram verò pectus, quoniam vim irascibilem in pectore sitam esse aiunt, concupiscentiam verò ventrem, cùm per ventrem quoque corporis vis concupiscibilis designetur; naturam verò crura pedésque, per hæc nimirum naturæ constantiam firmitatémque significando: multò magis vtique in Deo, rebus omnibus eminentiore, eo quo Deum decet modo mystico hæc explicare, & id quod consideratur, ab omni re corporeâ liberare & abstrahere debemus. Porò triplicem distantiam, quæ in corporibus propriè est longitudo, & latitudo, & profunditas, si quis Deo accommodare voluerit, eâ quâ Deum decet ratione id faciendum est; & intelligenda quidem latitudo, supraquam extensa illa Dei ad res omnes progressio cùm in producendo, tum in gubernando, tum in prouidendo; longitudo verò, potentia illa quæ res omnes superat; profunditas verò, arcanum illud quod comprehendi nequit. Sed vereor ne nos ipsos ignoremus, ea quæ de Deo incorporeo modo intelligere debemus sensilium symbolorum explicationi-

Quomodo virtutes corporea ad animam referenda sint. — H — *Quomodo triplex dimensio in Deo intelligenda sit.*

bus commiſcentes. Explicamus igitur latitudinem, vel longitudinem, vel profunditatem, vel aliud quidpiam, dum à rebus corporeis illa volumus abſtrahere, & cùm aliter efferre non poſſimus, ruſum ad corporea redimus, dum proceſſum dicimus virtutem, arcanum, & ſimilia, quæ vtique etiam ipſa corporea ſunt, licet prioribus ſublimiora. Verùm de his alibi dictum. Modò verò alteritatem de Deo dicentes, ne ſuſpicemur Deum in aliud atque aliud permutari, ſed in propriâ ſimplicitate permanentem, diuerſas & omnimodas ſpecies creaturæ producere ſignificamus: progreſſum enim dicit ipſam veluti motionē & propenſionē ad rerum omnium creationem.

§. 6. *Quid ſit ſimile de Deo dictum.*

Similem verò Deum ſi quis dixerit, tanquam ſibi totum per totum conformem, tale nomen Dei minimè aſpernandum eſt. Quomodo verò Deus alicui rei ſimilis dici poſſit? quoniam diuina Scriptura, tanquam ſemper eundem ſine mutatione, omnibus diſſimilem dicit, vt in illo: *Quis ſimilis tibi in Dijs Domine?* ac iterùm: *Cui me aſſimilaſtis? inquit Dominus*, & ruſus: *Ego viſiones multiplicaui, & in manibus Prophetarum aſſimilatus ſum*, id eſt, Idem ego mihi ipſi, vt Irenæus dicit in libris Contra hæreſes. Cùm autem non ſit ſimilis vlli, ſimilitudinem ad ſe conuerſis quodammodò elargitur. Secundùm imitationem & virtutem iſtarum rerum diuinarum quæ rationem omnem terminúmque excedunt, iuxta illud, *Eſtote perfecti*, &, *Eſtote miſericordes ſicut Pater veſter cæleſtis.* Quæ in Deo quidem propriè & ſupra omnem terminum & rationem: non enim tantum vel tantum in illo eſt miſericordia vel perfectio, ſed infinita; in creaturis verò pro cuiuſque ſtudio & facultate. Hæc itaque quæ adducta ſunt, dicenda ſunt Deo ſimilia, non autem iis ſimilis dicendus eſt Deus; quoniam neque homo ſimilis eſt imagini ſuæ, ſed imago ſimilis eſt homini. Siquidem in iis quæ eiuſdem ordinis & æqualia ſunt, Petro v.g. & Paulo, poteſt ſimilitudo reciprocari, & alterum altero præferri.

Pſal 85. 8. — Iſa. 46. 5. — Oſeæ 12. 10. — Matth. 5. 48. — Luc. 6. 36.

§. 7. *Non eſſe ſimilitudinem reciprocam cauſarū ad effectus.*

In causâ verò ad effectus nequaquam admittemus iſtiuſmodi reciprocationem, ſed effectus quidem cauſis eſſe ſimiles, cauſam verò effectis ſimilem nequaquam dicimus; quia non eſt æqualis, ſed maior eſt qui dat quàm quæ participant: Deus verò omnium quoad entitatem ſimilium cauſa eſt, & ipſius per ſe ſimilitudinis effector. Solet enim hic Pater Deum dicere id quod per ſe eſt, & eius quod per ſe eſt conditorem, & per ſe vitam, & per ſe vitæ creatorem. Hæc autem dicit, non quòd dicat Deum diuerſam quidem eſſe vitam, ac diuerſam ab eo vitam eſſentialem fuiſſe productam & quaſi ſubſiſtentem in Deo, quam participent ea quæ vitam participant; ſed, ſicut ſeipſum explicat capite vndecimo, Deus dicitur ipſa vita, atque ipſa virtus, atque ipſa ſimilitudo, tanquam hoc exiſtens per modum principij, & vt Deus, & vt cauſa: hæc enim ipſe reipsâ eſt. Ipſius autem ſimilitudinis & ſimilium conditor eſt, vt qui rebus donum hoc primariò participantibus, vt id ipſum participent, elargitur: ſiquidem omnia pro captu ſuo talia participant, prima quidem ſuprema, per modum principij, cætera verò conſequenter inferiori gradu. Non ſecùs verò dicendum eſt, Deum quoque eſſe conditorem rationis exemplaris ſimilitudinis, vt quis in ſe ſine principio & vnitè ſemper habeat rerum omnium rationes præexiſtentes, quas & prædefinitiones ſuperiùs appellauit. Illa igitur omnium ſimilitudo, quæ eſt omnium vnitas, per participationem primæ cauſæ, id eſt quaſi veſtigio quodam participationis, participat illud quod ſecundùm eadem & eodem modo ſe habet. Hoc itaque ſimile, quod ſecundùm eadem & eodem modo ſe habet, diſſimile eſt, rerúmque omnium compoſitionem reſpuit, vti teſtatur Scriptura dicens, *Non eſt ſimilis tibi in Dijs Domine.* Non eſt vtique hoc contrarium iis quæ dicta ſunt, cùm diximus, omnia Deo eſſe ſimilia, Deum autem non eſſe vlli ſimilem: ſiquidem eadem & ſimilia & diſſimilia ſunt Deo; illud quidem ſecundùm indultam cuique imitationem, non enim perfecta eſt imitatio; hoc verò, quoniam effectus à cauſis infinitis & incomparabilibus paraſangis deficiunt.

Pſ. 85. 8.

§. 8. *Quid ſtatus in Deo, quid ſedes.*

Statum ac ſedem pro eodem accipit, reſpiciens ad immobilem identitatem vtriuſque. Statum enim non dico illum, quo quis rectus fit poſtquam in ſede fuerat incuruatus, ſed inflexibilitatem & immutabilitatem Dei, firmum ſtatum appellauit; ſicut etiam ſedere perpetuam & incomprehenſibilem quietem habere in baſi innominabili: omnis enim ſtatus ac ſedis cauſa eſt is, in quo omnia in bonis propriis cuſtodita conſiſtunt.

§. 9. Pſ. 17. 10.

Quando verò etiam motum reperimus in Deo dictum, iuxta illud: *Inclina cælos, & deſcende*, Deo dignè motum accipiemus: non enim mouetur ſecundùm aliquem è ſex motibus, de quibus Philoſophi agunt, neque ſecundùm corruptionem, neque ſecundùm accretionem, neque ſecundùm imminutionem, neque ſecundùm locum, neque ſecundùm immutationem. Et ruſum, cùm motus tripliciter fiat, vel ſecundùm lineam rectam, vel ſecundùm circulum, vel ex vtriſque obliquè, ſicut ſerpens, & in aquis nauis, neque etiam ſecundùm hos modos mouetur. Sed neque motu intellectili cietur, ſicut mens in ſeipſam reuoluitur, & in intellectionibus multiplicatur. Non etiam motu animali, quali mouetur anima dum intelligit, & opinatur. Non naturali, qualem natura ciet, quoniam hæc eſt principium motûs & quietis. Sed motus immobilis, & eodem modo ſe habentis, dicitur ipſius voluntas circa ea quæ ſunt, & progreſſus prouidentiæ ipſius ad vniuerſa, dum adeſt omnibus per omnium incomprehenſibilem, & abſolutam, & intactilem comprehenſionem. Cùm negaſſet iſtiuſmodi in Deo motiones, maximè verò corporeas, vt circularem, rectam, & obliquam, declarat, quomodo, conuenienter Deo, intelligenda ſit in Deo motio, ſenſitiuas in vniuerſo motiones anagogicè explanans. Ac rectum quidem motum intelligimus in Deo, propter rectitudinem & inflexibilitatem, & vniuerſorum ex ipſo procreationem; per ſe enim & ex tempore creatio ex ipſo exiſtit, & non per aliqua, quæ ad ipſam diſponant, accidit. Hoc autem meliùs declaratur, ſi quis ab effectis incipiendo ſpeculetur. Nam ſi quid eorum quæ ſunt in mentem capis, rectà ad auctorem eius accurris, ita vt à causâ ſtatim ad effectum generationis intellectio pertingat. Vel etiam aliter, quia motum ſecundùm generationem rectum eſſe aiunt, dum materia nempe rectà & per ſe formam appetit, quare etiam forma, cuius gratiâ eſſe dicitur, quaſi finis ſit, ad quem natura rectà currat, nequaquam aliis atque aliis ſe implectens, ſed ad id quod maximè diſperſum eſt intuens. Cùm itaque motus is, qui ſecundùm generationem eſt, rectà fiat, auctorem generationis, eo quo Deo conuenit modo, rectà moueri dicimus. Stabilem autem progreſſum & fœcundum ſtatum dicimus obliquum: talis enim motus & ſtabilitatem habet: quoniam licet inclinare faciat, ruſum in eodem, etiam ex æquo, prioribus ſecundùm eadem & communicat quoad hoc cum circulari, & progreſſum habet, ſecundùm quem communicat cum motu recto. Cùm itaque motus rectus in Deo cauſa generationis atque proceſſionis acceptus ſit, accipimus quoque motum obliquum, partim quidem, tanquam in idem remeantem, propter conſtantiam; partim verò, tanquam ex ſeipſo prodeuntem, propter creaturarum fœcunditatem. Ruſum circularem motum dicimus propter identitatem, & quòd omnia continet. Nota enim, ſuperiora continere illa quæ inferiora ſunt. Extrema igitur vocat ſupremas illas virtutes Deoque propinquas, medias verò quæ ipſas ſequuntur, inferiores denique, naturas omnium ſenſilium. Supremæ itaque continent medias, mediæ verò res ſenſiles. Porrò Deus omnia continet, ſicut circulus omnia quæ in ipſo ſunt, & ad ſeipſum tanquam ad cauſam conuertit.

Quid triplex motus.

§. 10. *Quid idem, quid iuſtum, quid æquale.*

Denique, ſi quis idem & iuſtum pro æquali accipiat (ſiquidem idem ſecundùm omnia æquale ac ſimile eſt, & iuſtitia diſtribuit æqualitatem) hoc etiam dicendum eſt, Deum æqualem dici, non ſolùm vt partium expertem (quod enim aliquid ſecundùm totum exæquat, non habet partem ſecundùm quam vel redundet, vel deficiat) verùm etiam quaſi ex æquo cuncta peruadit, &

tanquam

tanquam ipsiusmet æqualitatis effector (vti diximus priùs ipsius similitudinis) secundùm quam mutuam penetrationem ex æquo procurat, vt in elementis; siquidem horum mixtio ex æquo fit, & dum in compositis non præponderant, mundi efficit generationes. Si enim aliquod elementum redundet, id quod genitum est corrumpitur. Cùm verò dicit participationem æqualiter participantium, ne cui videatur dicere, quòd omnia æqualiter sanctificentur, & æqualiter illuminentur, semetipsum explicuit, dicens, Secundùm cuiusque capacitatem & dignitatis æqualitatem. Et rursus secundùm alium modum Deus æqualis dicitur, quatenus secundùm virtutem æqualitatis effectricem omnem æqualitatem anticipauit, iuxta prædefinitionem alibi traditam; intellectilem, quæ sub sensum non cadit, scilicet Angelorum, intelligentem, quæ simplices & liberas habet intellectiones, siue mentis secundùm se; rationalem, quæ per rationem & speculationem rerum notiones suscipit, animarum scilicet rationalium; sentientem, quæ sub sensum cadit, siue partium mundi, quæ diuiduntur in essentiales ac naturales, id est in res insensibiles ac prorsus immobiles, & eas quæ aliqualem motum habent; naturam enim definiunt principium motûs & quietis: voluntariam verò æqualitatem vocant eam quæ potest eligere, quam quando volumus, & ex arbitrij libertate rectè ordinamus, ea quæ iusta sunt agimus.

CAPVT X.

De omnitenente, antiquo dierum; in quo etiam de æuo seu æternitate & tempore.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Dicit, vnde Deus dicatur παντοκράτωρ seu omnitenens.

Vnde dictus sit antiquus dierum.

3. Quid sit tempus, & æternitas seu æuum, & quibus competat.

§. 1. Vnde dicatur Deus omnitenens.

SEd tempus est oratione nostrâ Deum multinomium, vt omnitenentem, & vt antiquum dierum, prædicandi. Ac omnitenens quidem dicitur, quòd ipse sit omnium sedes, omnia continens atque complectens, & cuncta stabiliens, fundans atque constringens, & vniuersum insolubile in seipso præstans, & ex se, veluti ex omnitenente radice, cuncta producens, atque ad se, tanquam ad fundum, omnitenens, vniuersa conuertens, & continens, vt omnium sedes omni-capax, omnia contenta vnâ præcellenti connexione communiens, neque sinens ea sibi excidere, ne, tanquam perfectâ domo motâ, dispereant. Dicitur autem omnitenens Deus, vt omnia dominatu suo tenens, & qui iis quæ gubernat præest immixtè, & vt omnibus desiderabilis & amabilis, & cunctis iuga voluntaria imponens, & dulces parturitiones amoris diuini & omnitenentis, & insolubilis ipsius bonitatis.

§. 2. Vnde Deus dicatur esse antiquus dierum.

Laudatur autem Deus ab antiquitate dierum, quia ipse est omnium æuum & tempus, ante dies, ante æuum, ante tempus; & quidem tempus, & dies & tempestiuitas appellandus est ipse, vt Deum decet, tanquam qui omni motu est immutabilis & immobilis, & semper mouetur, manens in seipso, & tanquam auctor æui & temporis & dierum. Quamobrem etiam in sacris mysticarum visionum apparitionibus & antiquus & nouus fingitur; quorum prior quidem veterem & eum qui est ab initio, iunior autem insenescibilem significat; aut vtrumque eum ab initio ad finem per omnia progredi declarat: vel, vt diuinus noster præceptor ait, vtrumque diuinam antiquitatem indicat, ita tamen, vt senex id quod primum est ordine temporis, iuuenis autem, siue nouus, id quod in numero est præstantius contineat; quandoquidem vnitas, quæque ei vicina sunt, numeris longiùs progressis præstent.

§. 3. Quid sit tempus & æternitas seu æuum, & quæ ab eis denominentur. Psal. 23. 7. 9.

Operæ pretium autem duco, vt temporis & æui seu æternitatis naturam ex Scripturis sacris addiscamus: neque enim omnino & absolutè sunt ingenita verè quæ sempiterna, quæ passim æterna vocant & incorrupta, immortaliáque & immutabilia, atque eodem modo se habentia, sicut cùm aiunt, *Eleuamini portæ æternales*, & similia. Sæpenumerò etiam antiquissima quæque æternitatis appellatione significant, vt cùm vniuersam temporis nostri durationem, æternitatem vocant, quatenus videlicet antiquum esse & immutabilem, totúmque rerum statum mensurare proprium est æternitatis. Tempus verò appellant id quod mensurat generationem & corruptionem atque alterationem, quodque aliàs aliter se habet: atque ita nos, quos hîc tempus definit & circumscribit, æternitatem consecuturos esse Scriptura tradit, cùm ad æternitatem quæ non interit, sed semper eodem modo se habet, peruenerimus. Quin etiam in Scripturis aliquando æuum temporale & æternum tempus celebratur; tametsi scimus, ab ipsis, quæ magis propriè sunt, potiùs per æuum, quæ autem fiunt, potiùs per tempus efferri & declarari. Oportet igitur non simpliciter arbitrari ea quæ æterna dicuntur, coæterna esse Deo, qui est ante æternitatem, sed potiùs, sequentes incorruptè Scripturas maximè venerandas, oportet æterna quidem, & quæ in tempore sunt, secundùm modos in eis notos accipere; media verò inter ea quæ sunt & quæ fiunt illa numerantur, quæcunque partim æuum & partim tempus participant. Deum autem vt æuum & vt tempus celebrare oportet, tanquam omnis temporis & æui auctorem, & antiquum dierum, tanquam ante tempus, & supra tempus, & vt variantem tempestiuitates & tempora; & rursus vt ante sæcula existentem, quatenus est ante sæculum, & supra sæculum, siue æuum, & regnum eius regnum omnium sæculorum, amen.

SCHOLIA S. MAXIMI.

§. 1. Deus quomodo antiquus & iuuenis.

VT OMNITENENTEM, ET VT ANTIQVVM.] Siquidem Deus apparuit Danieli canus, candidum caput habens instar lanæ, propter quod etiam antiquus dierum appellatus fuit; iunior verò cano sene, quando cum Angelis tanquam vir apparuit Abrahamo, & adolescens: quæ etiam expendens soluit. Ac senem quidem dictum, quòd omnia ex Deo sint, & post ipsum, eóque iuniora; iuuenem verò, quòd in vigorosâ constantique beatitudine senij sit expers. Sin etiam vtrumque simul dixeris, id est, simul senem & iuuenem, declarans, ipsum à principio vsque ad finem per creaturas omnes peruenientem perennare, cùm nempe [illegible]is recentior sit principio, hoc, inquit, etiam rationem habebit. Postmodum etiam adducit sententiam diui Hierothei: hunc enim coniicio ipsum sacrum suum initiatorem seu magistrum appellare.

§. 2.

ET CANVS ET IVVENIS.] Quomodo Dominus aliquando quidem canus, aliquando verò iuuenis describatur; secundùm illud, *Iesus Christus heri & hodie ipse, & in sæcula*, certè illud hodie recentius est quàm heri. *Heb. 13. 8.*

QVANDOQVIDEM VNITAS.] Cùm arithmetica multitudinem, quæ in numeris diuisionem habet, in finem adduxit, omnis quidem numeri principium constituit vnitatem, dualitatem verò parium ac cæterorum numerorum, qui per additionem vnitatum in magnitudinem excrescunt: quoniam multitudo, id est creatura, ex Deo est, numerus autem est in multitudine, meritò respectu numeri iunior vocatur: multitudo enim, quæ est id quod numeratur, post Deum & ex Deo ineffabiliter producta fuit. Quin etiam vnitas antiquior est iuniore hoc numero creaturæ, quippe principium, vt dixi, numerorum, & vt habens connexionem quandam cum multis quæ ex ipsâ procedunt. Itaque Deus, vt etiam horum auctor, & vnitatis rationem habens, secundùm dictam contemplationem, appellatur iunior ab eis quæ ab ipso producta sunt. Quidam etiam corpora numerorum appellant.

§. 3. Psal. 148. 6. 2. Cor. 4. 18. Ps. 76. 6. Matt. 28. 20. Galat. 1. 4. Ioan. 6. 40. 2. Cor. 4. 4. Deut. 23. 3.

ET ABSOLVTE INGENITA.] Superiùs quidem quinto capite fusè egimus de æternitate ac tempore; modò verò explicanda sunt illa quæ quæruntur. Non tantùm enim, inquit, Scriptura vocat Deum æternum, dum dicit, Deus æternus qui condidit extrema terræ (vocat enim Deum absolutè ingenitum, quippe qui hoc sit sine principio) quin etiam æterna dicit ea quæ participant incorruptionem, & secundùm substantiam non mutantur, siue sint Angeli, siue supremum cœlum; iuxta illud, *Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi*; &, *Quæ non videntur æterna sunt*. Porrò *immutabilia* vocat ea, quæ manent qualia nata sunt. *Et portas æternales* vocat siue cœlos siue Angelos, qui ipsis tanquam portarum custodes præsunt. Et *antiqua* vocat æterna; iuxta illud, *Annos æternos in mente habui*. Nostrúmque tempus sæculum appellat; iuxta illud, *Usque ad consummationem sæculi*, &, *Vt nos eriperet de præsenti sæculo nequam*. Et vice versâ, sæculum tempus vocat; iuxta illud, *Ego resuscitabo eum in nouissimo die*, In resurrectione enim non est dies, sed sæculum, & iterùm: *In quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium*. Atque tempus sæculum dicit, vt *dies sæculi*; &, *Ammonites & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum*, nam decem generationes vocat sæculum. Aliter. Non oportet, inquit, vbi Scriptura sæculum dicit, omnino diuinitatem intelligere; hæc enim omnino & absolutè ingenita est & æterna. Quin etiam tali dictione Angeli designantur, vt qui in identitate suâ valeant perseuerare.

Quid æternum & sæculum.

ÆTERNITATEM CONSECVTVROS.] Quoniam hic Pater etiam æternitatem accipit, secundùm Gregorium Theologum, pro declaratione perpetui, seu eius quod semper esse dicitur.

Psal. 48. 9. 2. Tim. 1. 9. Rom. 16. 25. Exod. 21.

QVIN ETIAM ÆVVM TEMPORALE CELEBRATVR.] Æternitas temporalis etiam est in Psalmis: *Et laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem*. Quin etiam apud Paulum dicitur tempus æternum; vt, *Ante tempora sæcularia*; &, *Temporibus æternis tacitis*; & in Moyse, *Erit tibi seruus in sæculum*. Nota verò, sæculum futurum fore incorruptum, & eodem modo se habens.

TAMETSI SCIMVS AB IPSIS.] Ab ipsis nempe sanctis. Nota verò, quòd intellectilia vocet entia, quibus etiam annumerat æternitatem; sensilia verò vocat generationem, quorum etiam significat esse tempus. Hæc perfectè habes in capite quinto.

NON SIMPLICITER COÆTERNA DEO.] Sapientissimè ad pietatem præmunit, inquiens, non oportere suspicari, quæ æterna dicuntur, eo ipso coæterna esse Deo, qui est ante sæcula. Iam enim suprà diximus, æternum dici propriè non ipsum sæculum, siue æuum, sed id quod æuum participat. Igitur intellectilia, propriè tum entia, vtpote facta immortalia, tum æterna vocare oportet, tanquam quæ voluntate Dei ab interitu libera durent, quæ scilicet à Deo producta sunt, cùm priùs non essent. Propriè verò loquens, ea præcipuè, quæ apud Philologos gentiles grauia & honesta habebantur, ad pietatem cautè traducit. Ait igitur, esse quidem, & æternas esse incorporeas potestates à Deo productas, non tamen coæternas Deo, vt Gentiles delirè nugantur, aientes, Simul Deus, simul omnia. Quin etiam, inquit, hæc quæ gignuntur sunt terrena corpora, quæ & generationem & corruptionem vocant, vt quæ ex fluctuente materiâ, & omnium sublunarium crassissimâ, existant. Sunt etiam quædam media, inter æterna nimirum & ea quæ fiunt, siue inter crassiora & terrena corpora, quæ frequenter oriuntur & intereunt in generatione atque corruptione. Et hæc quæ media existunt, corpora sunt & ipsa, verumtamen æternitatem participant, & aliquantum temporis: media verò sunt, cœlum & astra vniuersa; sunt enim etiam ipsa corpora, tametsi partibus constent tenuioribus, & purissimæ materiæ existant, vt Apostolus testatur, *Corpora cœlestia, & corpora terrestria*, deinde declarans qualia existant, ait: *Alia claritas Solis, & alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum*. Itaque cœlum supremum, & terra in æternitatibus fuerunt; nam condita sunt priusquam lux, quæ dies vocata est, crearetur, vti Moyses testatur. In temporaneis autem spatiis, firmamentum & stellæ, quamuis corpora sint, & temporaria (siquidem sub tactum ac visum cadunt) attamen æterna erunt, cùm & ipsa participent æternitatem, sicut & nostra corpora dum in corruptionem transfigurantur, quemadmodum etiam Apostolus declarat, dicens, figuram huius mundi præterire, non mundum. Quocircà de mediis hisce corporibus dicitur in Psalmis: *Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit*. Nota igitur, stellas, & Solem, & Lunam, nec non cœlum, esse quidem corpora tenuioribus partibus constantia, Dei tamen voluntate facta esse immortalia, sicut etiam corpora nostra fient post resurrectionem.

1. Cor. 15. 40. Ibid. 41. 1. Cor. 7. 31. Ps. 148. 6.

Aliter. Media inter ea quæ sunt & quæ fiunt, Angelos & animas dicit, quæ aliquo quidem modo videntur participare æternitatem, quia neque corruptioni neque interitui obnoxia sunt; aliquo item modo participare tempus, eò quòd ortum habeant. Quocircà hæc temporaria & æterna vocat: anteà enim dixerat, manentia per æternitatem significari, id est, quæ de Deo dicuntur; ea verò quæ fiunt per tempus denotari; quamquam qui audiunt æterna & temporaria, haudquaquam simpliciter hæc capere debeant, sed iuxta cognitos, inquit, sibi modos seu manifestè creditos.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§. 1. Deus quomodo omnitenens.

TEmpus est etiam dicendi de omnitenente, & quomodo à Daniele Deus antiquus dierum appelletur. Dicitur itaque omnitenens à metaphorâ radicatæ ac natiuæ petræ, in quâ fundamentum ædificij ipsúmque ædificium fundatur. Deinde cùm dixit sedem omnia continentem, ne quis opinaretur ipsum hoc dixisse, quòd rebus ipsis creatis coëxistendo, iuxta rationem petræ in exemplo allatæ, & non extrinsecus ipsas contineat, subdit etiam sequentes dictiones. Siquidem de petrâ non dicitur, quòd petra contineat, vel fundet; de Deo autem dicitur, quòd sit causa efficiens, ex quâ, ceu radice efficiente, omnia producuntur, & ad quem, ceu ad fundum efficientem ac prouidum, conuertuntur. Secundùm vnam autem supereminentem continentiam omnia munit; quoniam omnis processio Dei, siue ad creandum, siue ad prouidendum, vnica est & simplex, tametsi res creatæ ac prouisæ diuersimodè hæc munera participent. Dicitur etiam alio modo omnipotens, quia omnibus imperat & dominatur, & sufficit potestas eius omnibus qui ab ipso gubernantur; quod in Regibus terrenis locum non habet, quoniam viris præstantioribus opus habent ad gubernandum. Quòd si verò & ipsi aliquos per se regant, negotiis quodammodò se implicare, & quæ ad eos spectant discere debent, vt securè præsint: verùm Deus omnipotenter dominatur, & immixtè præest. Dicitur omnipotens etiam, vt omnibus amabilis & desiderabilis; quoniam ab ipso omnia voluntariè gubernantur, & erga ipsum diuino amore feruntur, ita vt nulla existat dissensio, nulla inuita & violenta tractio, quapropter omnipotentem dignitatem habere perhibetur: nihil enim habenas excutit, nihil contrauenit, nihil obstat, nihil coactum succumbit, sed omnia, tanquam creaturæ quæ creatorem agnoscant, diuinum erga ipsum amorem parturiunt. Vocabulum autem hoc, à parturientibus acceptum, declarat quodammodò in nobis affectionem naturalem, & à naturâ nobis insitam propensionem ac motionem ad creatorem. Sicut enim terra sole calefacta ad partitudines prouocatur; sic & cor, id quod amabile est in seipso circumferens, amorem parturit.

§. 2. Deus quomodo antiquus dierum.

Antiquus verò dierum celebratur Deus, quia ipse est æuum Angelorum æuiternorum: hos enim anteà æternos dixerat, quòd participent æternitatem, non verò quòd principij expertes sint. Tempus autem eorum quæ sunt subiecta tempori, id est eorum omnium quæ facta sunt post cœlum, ex cuius motu existit tempus. Dicitur autem Deus & tempus, & æuum, & dies eo modo quo Deum decet, quatenus immutabilis est; quoniam omnia

A

quæ sunt in his mutationem capiunt, ipsa verò, quatenus tempora & dies sunt, immutata permanent. Nam si secundùm essentiam mutarentur, cùm omnis mutatio in tempore fiat, deberet etiam mutatio temporis in tempore fieri, quali autem illo, non scio; quatenus autem dies tempus sunt, dixit iis quoque competere immutabilitatem. Cùm in progressu hic Sanctus dixerit, tempus in mutatione consistere; hoc etiam concedendum est: siquidem æstas & ver; autumnus & hiems sunt temporis mutationes. Sic itaque etiam Deus, modo Deo conuenienti, semper motus in seipso permanet. Tertiò etiam tanquam auctor eorum: dicebamus enim anteà, Deum omnia dici tanquam causam ex effectis, tametsi supra omnia sit. Quare Danieli quidem canus apparuit, candidum habens caput velut lanam, rursum verò iuuenis Abrahamo: illud quidem, quòd omnia ex Deo sint, & post ipsum, eóque iuniora; hoc verò, quòd in vigorosâ constantíque beatitudine sit senij expers; vel per vtrumque, cùm senem tum iuuenem, significatur, ipsum à principio vsque ad finem per creaturas omnes peruenire; vel tertiò, vt diuinus huius Patris initiator ac præceptor Hierotheus ait, quòd vtróque diuina eius antiquitas indicetur, ita vt per senem quidem id quod antiquum & primum est declaretur; per iuuenem verò, quoniam sicut in numeris principalior quidem est vnitas, cùm sit in numeris recentior, numerus autem in multitudine apparens, prout augetur, posterioritatem temporis obtinet. Idcircò Deus quidem, tanquam causa creaturarum, principij atque vnitatis rationem habens; creaturæ verò, tanquam ab ipso & causâ, multitudinis; ipse quidem habebit id quod antiquius est, creaturæ verò id quod post principium & posteriùs existit.

B

§. 3. *Quomodo æternitas & tempus dicatur de* C. *Deo & creaturis.*

Incipit de ipso tempore & æternitate verba facere, sapientissimè securum reddens auditorem in religione, ac dicens, non debere existimari ea quæ æterna dicuntur, ideò esse Deo coæterna, qui est ante secula. Ea itaque, quæ omnino & absolutè ingenita & sempiterna sunt in Deo, propriè æterna sunt, Angeli verò incorruptibiles, æterni dicuntur, iuxta illud, *Eleuamini portæ æternales*, quia participant æternitatem, & antiquiores sunt cæteris creaturis. Inuenitur enim hæc ipsa temporis extensio αἰὼν, seu seculum, dicta, iuxta illud, *Vsque ad consummationem seculi*; & illud, *Annos æternos in mente habui, & meditatus sum*, & iterùm, *Deus huius seculi excæcauit cogitationes eorum*; & à Moyse Deum vidente dictum, *Eris tibi seruus in seculum*, siue in æternum. Hæc igitur vocat temporalem æternitatem. apud Apostolum verò dicitur tempus æternum, &, *temporibus æternis taciti*. Dicuntur itaque Angeli æterni, tanquam qui proprietatem æternitatis participent, quæ est antiquitas & immutabilitas, & quod secundùm totum esse mensuratur; sicut etiam Theologus Gregorius ait, id quod rebus coextenditur. Temporis autem proprium est, versari in generatione & corruptione, cœlo enim eiúsque motui accidit; atque iterùm immutatis elementis tempus quidem interibit, æternitas verò erit. Vnde & nos, qui modò hic tempori subiacemus, quandoque etiam incorruptibiles effecti, æterni erimus. Oportet itaque illa quæ æterna dicta sunt, non simpliciter accipere etiam sempiterna, sed secundùm diuinum Scripturarum scopum figurásque in illis notas; scilicet secundùm naturas rerum subiectarum sic æterna dicenda sunt. Cùm itaque illa quæ propriè sunt, diuina inquam, quæ sunt supra omnem creaturam, æuo siue æternitati attribuamus, tametsi supra æuum siue æternitatem sint; illa verò quæ fiunt tempore definiuerit. Media inter ea quæ sunt & quæ fiunt, Angelos & animas dicit: quæ quidem partim æuum participant, vtpote immortalia & ab interitu libera; partim verò tempus, quia in generatione cernuntur. Dei autem regnum æternum, vel potiùs regnum omnium seculorum, ipsi gloria, amen.

Psal. 23. 7. 9. Matt. 28. 20. Psal. 76. 6. 7. 2. Cor. 4. 4. Exod. 21. 2. Tim. 1. Rom. 16. 25.

D

E

CAPVT XI.

De pace, quidque sibi velit ipsum per se esse, quæ sit per se vita, quæ vis ipsa per se, & quæ ita dicuntur.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Describit quænam sit pax diuina, quæ res omnes coordinat atque conciliat, & quinam sint eius effectus. Quomodo item silentium illud ignotum Dei exprimi non possit.*
2. *Quomodo Deus per se pacis, & vniuersalis & particularis pacis auctor cuncta pacifice conciliet, & ad omnia pertingat.*
3. *Quomodo pax inter tot & tam contraria seruetur.*
4. *Quomodo pax in iis quæ semper mouentur reperiatur.*
5. *Nihil in naturâ rerum sine pace consistere.*
6. *Quomodo Deus dicatur per se vita, per se sapientia, &c. & per se vitæ, & per se sapientiæ auctor. Et quid sit per se bonitas, & per se diuinitas.*

F

§. 1. *Quid sit diuina pax & munus eius.*

AGe iam diuinam pacem, vt conciliationis principem, pacificis laudibus prosequamor: hæc enim est quæ cuncta coniungit, & vniuersorum concordiam ac connexionem gignit efficitque; quare etiam ipsam expetunt vniuersa, vt eorum diuisam multitudinem ad integram quandam redigat vnitatem, atque intestinum bellum vniuersi ad concordem inducat commorationem. Quin & diuinæ pacis participatione primæ virtutes conciliatrices, & secum ipsæ & inter se, & cum vnâ mundi pace primâ coniunguntur; inferioráque tum ipsa secum tum inter se coniungunt, tum cum vno, eóque perfecto omnium pacis principio & auctore, qui ad omnia indiuiduè cùm venit, quasi claustris ac septis quibusdam quæ diuisa sunt copulat, omnia definit, determinat, & munit; neque permittit diuisa in infinitum sine termino diffundi, neque inordinata, & sede carentia, Deóque destituta, suam vnitatem egressa, sibi inuicem confusè misceri. De ipsâ igitur diuinâ pace ac silentio, quam sanctus Iustus vocat insonantiam & immobilitatem ad omnem emanationem quæ cognoscitur, quidnam tandem sit, & quomodo Deus quiescat & sileat, & quomodo in se & intra se sit, & totus secum sit supraquam vnitus, & nec in se ingrediens, & se ipse multiplicans deserat vnionem; quin potiùs ad omnia egreditur totus intus manens, propter excellentiam vnionis omnia superantis, neque dicere neque cogitare vlli eorum qui sunt fas est, neque possibile. Sed cùm hoc alioquin eloqui non possimus, nec assequi intelligendo, ad ipsam tamen diuinam pacem, vt vltra omnia positam, sursum euecti, participationes eius, quæ intelliguntur & nominantur, idque, quantum homines (& nos præsertim qui multis bonis viris impares sumus) consequi possumus, attendamus.

G

Quid sit silentium Dei ignotum.

H

§. 2. *Quomodo Deus pacifice cuncta coordinet.*

Ac primùm quidem hoc dicendum est, vt cùm per se pacis, tum vniuersalis ac particularis pacis, effector sit ipse Deus, & vt omnia inter se mutuò, minimè confusâ ipsorum inter se mutuò coniunctione, commisceat; quâ coniunctione cohærentia sine diuisione & distantiâ, singula tamen secundùm propriam speciem pura consistunt, per concretionem contrariorum minimè perturbata, quoniam exactam istam vnionem ac puritatem nihil interrumpit. Vnam igitur eámque simplicem naturam pacificæ vnionis contemplemur, sibi ipsi & illis ipsis atque inuicem omnia copulantem, nec non vniuersa complexu quodam omnium inconfuso contemperata pariter atque impermixta conseruantem.

A

Per hanc diuinæ mentes copulatæ, suis ipsæ cùm intelligentiis, tum rebus intellectis coniunguntur, atque denuò scandunt ad incognitum eorum quæ menti supereminent contactum. Per hanc animæ, multigenas suas rationes connectendo, ad quandam spiritalem puritatem redactæ, procedunt, sibi propriâ viâ & ordine, per immaterialem atque indiuisam intelligentiam, ad vnionem quandam intelligentiâ superiorem. Per hanc vna omnium & indissolubilis connexio, iuxta diuinam ipsius congruentiam, existit, & perfecto concentu ac concordiâ consensionéque coaptatur, dum sine confusione colligitur, ac sine dissolutione continetur. Integritas nimirum perfectæ pacis, per simplicissimam suam merámque virtutis vnificæ præsentiam, ad ea quæ sunt omnia pertingit, omnia coniungens, & extremis extrema per media connectens secundùm vnicam connaturalem amicitiam coagulata; quin & sui quoque vel extremis totius vniuersi terminis fruendi copiam facit, omnia consocians vnitatibus, identitatibus, vnionibus, congregationibus, dum scilicet diuina pax indiuulsa persistit, & in vno cuncta demonstrat, & ad omnia pertingit, & à propriâ nusquam identitate recedit: nam ad omnia procedit, suique participationem omnibus indulget secundùm cuiusque proprietatem, nec non pacificæ redundantiâ bonitatis exuberat, atque manet per excessum vnionis tota ad totam, etiam secundùm se ipsam totam desuper vnita.

Quomodo diuina pax ad omnia pertingat.

B

§. 3. Quomodo pax inter tot & tam contraria seruetur.

Sed quomodo, dicet aliquis, omnia pacem appetunt? cum res plurimæ diuersitate ac distinctione gaudeant, neque vnquam sponte suâ velint quiescere. Atqui si diuersitatem atque distinctionem, qui sic loquitur, cuiusque rei proprietatem esse asserat, cùm res nulla, dum in suo statu permanet, eam perire velit, nos illi minimè repugnabimus, sed id ipsum quoque pacis desiderium esse statuemus. Amant enim omnia cum semetipsis pacem habere, atque esse coniuncta, nec non se suáque omnia immota & illæsa persistere. Et est perfecta illa pax vniuscuiusque proprietatis impermixtæ conseruatrix, per prouidentias suas, pacis largitrices, omnia inter seipsa & cum aliis, sine seditione, & confusione custodiens, atque omnia stabili, & nusquam declinante potentiâ ad ipsorum pacem immobilitatémque stabiliens.

C

§. 4. Quomodo pax in iis quæ semper mouentur reperiatur.

Si cuncta porrò quæ mouentur, minimè quiescere, sed cieri semper suo motu velint, vel is ipse mouendi se appetitus ad diuinam illam pacem vniuersalem pertinet, quæ omnia in seipsis ne elabantur seruat, atque omnium eorum quæ mouentur proprietatem, motricémque vitam, ne à semetipsâ desciscat excidátve, custodit, vt mota secum pacem habeant, & eo modo se habentia, quæ sua sunt peragant.

§. 5. Nihil in rebus sine pace consistere.

Cæterùm, si quis diuersitatem à pace prolapsionem asserens, confirmet pacem non esse omnibus amabilem, respondendum potissimùm, nihil in naturâ rerum existere quod omni prorsus careat vnione: id enim quod penitus instabile & infinitum, nulláque sede nixum interminatúmque fingitur, næ illud ipsum per se nihil est, nec in aliquo existit. Sin obiiciat, eos paci pacísque bonis aduersari, qui litibus & furoribus, mutationibúsque & instabilitatibus delectantur; verùm & illi quoque obscuris quibusdam pacifici desiderij simulacris detinentur, dum perturbationibus variis aguntur, quas imperitè sedare desiderant, & arbitrantur se pacem habere, si continuò fluentibus voluptatibus hauriendis insistant, & perturbantur, si rebus iis, à quibus ipsi deuicti sunt, frustrentur. Quid porrò dicet quis de Christi pacificâ benignitate, quâ docemur, non vltrà bellum gerere, siue cum nobis ipsis, siue cum proximis, siue cum Angelis, quibus potiùs pro virili cooperandum est in iis quæ ad Deum spectant, iuxta ipsius Iesu prouidentiam, quæ omnia in omnibus operatur, pacémque confert ineffabilem ab æterno prædefinitam, nósque sibi in spiritu & per se & in se ipsi Patri reconciliat. De quibus donis supernaturalibus satis supérque dictum est in Theologicis institutionibus, sacrâ Scripturâ nobis testimonium perhibente.

D

E

§. 6. Quomodo Deus dicatur per se vita, & auctor per se vitæ, &c.

Sed quia aliàs me per epistolam interrogasti, quid appellem per se esse, per se vitam, per se sapientiam, & tecum ais dubitasse, quomodo Deum aliquando quidem voco per se vitam, aliquando verò effectorem per se vitæ; necessarium esse arbitratus sum; homo Dei sanctè, ab hac dubitatione, quoad possim, te liberare. Ac primùm quidem, vt nunc repetamus quæ millies dicta sunt, non pugnant secum, dicere, Deum per se potestatem, & per se vitam; & dicere, Deum creatorem per se vitæ, vel per se pacis, vel per se potestatis: hæc enim dicitur Deus ex iis quæ sunt, & maximè ex iis quæ prima sunt, tanquam causa omnium quæ sunt; illa autem dicitur, tanquam existens suprasubstantialiter supra omnia quæ sunt, & quæ primò sunt. Quæris autem quid prorsus dicamus per se esse, aut per se vitam, aut quæcunque absolutè & principaliter esse, & ex Deo ac primò creata esse ponimus. Respondemus, non esse hoc contortum, sed rectum, & simplicem habens explanationem. Non enim illud per se esse, substantiam quandam diuinam aut Angelicam esse dicimus, quæ sit causa vt sint omnia quæ sunt (solùm enim qui est supraquam substantia, principium, & essentia, & causa est vt sint omnia quæ sunt, & ipsum per se esse) nec aliam diuinitatem quæ vitam pariat, præterquam vitam supraquam diuinam omnium quæcunque viuunt, & ipsius per se vitæ causam, ponimus; nec, vt summatim dicam, alias causas principales rerum, & creantes & per se existentes, quas quidam & deos rerum, & effectores esse temerè effutiuerunt, quos verè & propriè dicere (quippe cùm non essent) nec ipsi nec eorum patres ac maiores sciuerunt: quin potiùs per se esse, & per se vitam, & per se diuinitatem, principaliter quidem & diuinè & efficienter vnum omnium principium & causam, supraquam principium & supraquam substantiam esse dicimus: vt autem in donis suis participatur Deus, prouidentias à Deo, qui in se non participatur, manantes, dicimus per se substantiæ effectionem, per se viuificationem, per se deificationem; quorum participationem quæ, vt cuique conuenit, habent, substantiam habentia, & viuentia, & diuina sunt, & dicuntur, & similiter in aliis. Quamobrem bonus ille & ipsorum quæ prima sunt auctor esse dicitur; deinde eorum quæ generatim & vniuersè illa participant, posteà eorum quæ in parte. Sed quid attinet de his dicere? siquidem nonnulli ex nostris diuinis magistris etiam ipsius per se bonitatis ac deitatis subsistentiam vocant supraquam bonam & supraquam diuinam per se bonitatem ac diuinitatem, dicentes esse bonificum & deificum donum à Deo profectum; & per se pulchritudinem, per se pulchrificam fusionem, & vniuersalem pulchritudinem, & particularem pulchritudinem, & vniuersè pulchra, & in parte pulchra, & quæcunque alia eodem modo dicta sunt, & dicentur, quæ declarant prouidentias & bonitates ab iis quæ in rerum naturâ sunt participatas, à Deo, qui est extra sui participationem, largâ effusione dimanantes ac profluentes; vt qui est causa omnium, perfectè sit vltra omnia, & qui substantiam & naturam exuperat, ex omni parte & in vniuersum omnibus, cuiuscunque substantiæ & naturæ sint, antecellat.

F

G

Quid sit per se bonitas & per se diuinitas.

H

SCHOLIA S. MAXIMI.

PACEM CONCILIATIONIS PRINCIPEM.] Nota, quòd vocarit Deum principem conciliationis: diuisam autem multitudinem intellige id quod sensile est.

AD INTEGRAM VNITATEM.] Integram vnitatem aliqui quidem intellexerunt simplicem atque indiuiduam rerum causam, ad quam omnia conuersa sunt, vt quæ in ipsâ consistant, alij verò compagem vniuersi ex elementis diuersæ naturæ contemperatam. Quocircà etiam bellum intestinum appellauit, earum quæ in ipsis sunt qualitatum contrarietatem, calidi cum frigido, & humidi cum sicco, & similiter aliorum quæ ad vnius mundi complementum vniuntur.

AD CONCORDEM VNIAT COMMORATIONEM.] Ne

cogites,

cogites, vt impij Manichæi, quòd materia secum dissidens hæc dæmonia pepererit, sed, quòd humidum naturâ suâ sicco infestum sit, & frigidum calido: Deus enim ea quæ sic affecta sunt etiam conuertit ad amicitiam & constitutionem vniuersi. Ergo per intestinum intellige innatum.

Primæ itaqve.] Primas seu antiquiores virtutes non simpliciter dicit primum ordinem Seraphinorum, sed eum qui primas tenet in inferioribus per diuinas illustrationes coniungendis atque conuertendis; quoniam ipsi primam Dei apparitionem excipiunt. Indiuiduè autem, id est, non aliquibus in parte, sed confestim totis.

In infinitvm diffvndi.] Refellit modò magnos errores Græcorum Philosophorum, atque ad pietatem traducit. Cùm enim multi inter ipsos dissideant, atque alij quidem omnia ex contrarietate belloque existere contendant; alij verò ex amicitiâ & consensione, de Deo autem haud pro dignitate sentiant; hic illorum nominum fictiones ritè moderando, Deum Vniuersi conditorem ac compositorem astruit, intestinum quidem Vniuersi bellum intelligens, incorporeorum & immaterialium & intellectilium cum corporibus & materialibus atque sensilibus discordiam naturalem, quoniam hæc substantiis ipsis dissimilia sunt atque dissentiunt: *Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* (Galat. 5. 17.) Cùm non solùm autem hæc, verùm etiam omnia sensilia, siue corpora, quidam dicant etiam illa infinita in infinitum corrumpi, & omnium mixtionem (quam infinitatem vocat) in differentiam ac separationem partesque conuersam in generationem discerni ac separari, vnde dissidium hoc magis augeatur; cùm non solùm mixta à non coalescentibus & alienis non expientur, verùm etiam in dissectionem atque læsionem vergant eorum quæ iam coalescont, nec non ad omnimodam dissimilitudinem ac differentiam, ea quæ iam concreta sunt, ducant, ita vt soluantur ac corrumpantur omnia, exceptis simplicibus seu elementis; & hoc bellum vocent, quod vniuersa coniungi non permittit. Magnus Dionysius, tanquam amicus veritatis, tale, sicut dixi, bellum naturale (hoc enim bellum naturale vocat intestinum, vti etiam contribule, quod eiusdem generis est) ait Deum soluere, pro bello isto intestino pacem ac consensionem atque conspirationem vniuersitati indulgendo, & in seipso cuncta continendo atque conciliando, vt Apostolus ait, *Et conciliabit cælestia terrenis*, (Coloss. 1. 20.) dum virtutes singulis præfectas, & ad ministerium ordinatas, cum suis subditis amore coniungit; ad se verò omnia conuertit, dum clauum moderatur, atque omnia complectitur.

Qvam sanctvs Ivstvs vocat insonantiam.] De Iusto; & vt Dei pacem silentium & motûs vacationem nuncupet. Huius autem sancti Iusti mentionem faciunt Acta Apostolorum, quæ tradunt, ipsum etiam Ioseph appellatum. (Act. 1. 23.) Hic itaque etiam aliquid scripsit, vel certè non scriptis doctrinis vsus fuit. Hoc etiam antiquitatem sancti Dionysij confirmat, quòd nempe cum Apostolis ipsis virisque Apostolicis floruerit. Nota verò, diuinos illos viros philosophicis quoque dictionibus vsos esse, dum Dei pacem, insonantiam & immobilitatem nuncuparunt.

Desarat svam vnionem.] Vnionem hîc vocat simplicitatem & vnitatem siue indiuiduitatem.

Intvs tota manans.] Id est, arcanum suum prodens ac deferens.

Qvæ intelligvntvr ac nominantvr eivs.] Participationes illas quæ intelliguntur ac recensentur, vocat omnia illa quæ ex eloquiis Scripturæ possumus intelligere.

§. 2.

Minime confvsa ipsorvm conivnctione.] Quoniam etiam ea, quæ in compositionem vniunt, vocat vnionem, tametsi dissimilia sint; & ait, quale sit bellum illud intestinum, de quo anteà egit.

Tamen pvra.] Etsi, inquit, etiam elementa ad inuicem connexionem indiuulsam habeant, attamen horum qualitates, extremitatem suam, quæ in Vniuerso cernitur, v. g. calorem, siccitatem, &c, in diuersarum specierum temperatione minimè deperdunt.

Per contrariorvm temperationem.] Temperationem hoc loco intelligere oportet, non eam quæ in humidis fit commixtionem, & subiecta corrumpit, sed conspirationem, & vnius ab altero dependentiam, & & quæ in compage custodit ea quæ præsunt & quæ subsunt, intellectilia, inquam, & sensilia, id est ea quæ gignuntur. Quin ipsamet etiam contraria quasi pacem inter se agunt, v. g. terra & aqua, quâ circumcincta terra non soluitur; & cælum, cùm ex aquâ sit, illud tamen æther non resoluit. Atque hoc est bellum intestinum, quod creator non tantùm sapienter adinuenit, verùm etiam sapientiùs vniuersa per hæc simplicia elementa in amicitiam & concordiam adducit, iuxta quod dictum est, *Æstatem & ver tu plasmasti.* (Psal. 73. 17.)

Atqve impermixta.] Impermixta atque contemperata dixit, iuxta acceptionem à nobis propositam.

Per hvnc divinæ mentes copvlatæ.] Diximus etiam superiùs, diuinas mentes & seipsas intelligere, & superiora & inferiora, atque in seipsis manere, cùm sibiipsis intendunt, propriis vnitæ notionibus; videri autem extra progredi, quando etiam intelligunt inferiora & superiora, atque ita pro viribus ad omnium auctorem intelligendum redeunt. Dum verò sic intelligunt diuinæ mentes, rebus intellectis procul dubiè coniunguntur: quod enim intelligit, per cognitionem rei cognitæ atque intellectæ coniungitur; sicut etiam ignorans diuiditur, dum non comprehendit id quod ignorauit. Talis igitur mens dum cogitando ad seipsam reflectit, minimè diuisa extra se, sed sibi ipsi vnita est per ea quibus ad seipsam rediuit. Alia verò quædam est in sanctis mentibus intellectualis animæ vnitio: illæ enim intelligibiles, hæc verò intelligens existit omnibus Angelis inferior. Porrò tantùm est intelligens ob causas superiùs assignatas, vbi etiam cap. 1. fusè disseruimus de iis quæ hîc tractantur.

Per immaterialem atqve indivisam.] Quoniam etiam in animis nostris reperire licet indiuiduam & immaterialem notionem, quando omnigenas ratiocinationes ad vnam quandam spiritalem colligunt puritatem; tunc enim quoque ad vnionem intellectu potiorem, pro captu suo viâ quadam & ordine pertingunt.

Perfecto concentv atqve concordia.] Perfectam pacem bonis omnibus absolutam, id est, Deum.

Et extrema connectens.] Extrema vocauit virtutes superiores & inferiores; atque media, prout prædiximus, ea quæ ex purissimâ materiâ existunt, v. g. cælos & stellas; atque alia extrema, quæ nempè terræ adiacent, & ipsa terrena: extrema enim à superioribus ad inferiora sunt intellectilia; contra verò, extrema ab inferioribus ad superiora sunt hæc terrena, quæ etiam mediis connectuntur; cognata verò sunt, quæ sunt eiusdem generis, atque ex omnium auctore prodierunt.

Et extremis.] Extremos Vniuersi terminos vocat substantias inanimatas, id est, in quibus nullus motus accretionis aut nutritionis, aut aliorum consideratur; cognata autem sunt germana & ordinis eiusdem. Differt autem vnitas ab vnione: illa siquidem declarat cuiuslibet naturæ proprietatem atque imperfectionem; vnio verò cum aliis commistionem, aut simpliciter communionem.

Tota ad totam.] Etiam nunc familiarem sibi accurationem seruat. Cùm enim dixisset cognata & generis eiusdem, quippe ab eodem generis principe Deo prodeuntia, prout Apostolus eâ voce vsus est, *Ipsius enim & genus sumus.* Dicit autem causam, secundùm quam omnia cognata sunt, quatenus nempe Deus intellectilia vnitatibus (id est secundùm id quod in ipsis quid vnum & simplex est, & secundùm immortalitatem, quam identitatem vocant qui de his disserunt) eiusdem generis & ordinis efficiat: vti & sensilia ex diuersis elementis, vnitionibus seu commixtionibus, ac talium commixtionum collectionibus per dependentiam vnius ab altero in generationem

generationem adducens, quasi cognationes quasdam perficit?

SED QVOMODO? DICET ALIQVIS.] Oppositio propter eos qui negant, omnia pacem appetere, & quid sit diuersitas.

RERVM PROPRIETATEM.] Nota quid vocet proprietatem, nempe vnumquodque esse prout habet à naturâ, & secundùm id quod factum est. Hæc sunt contra Acephalos, & eos qui ignorant, quid sit proprietas. Pluribus autem examinat, quid propriè significet proprietas, ipsamque declarat.

SED ID IPSVM QVOQVE PACIS DESIDERIVM.] Hic ponitur solutio. Dixit autem *cum semetipsis*, id est, *cum proprietatibus*.

IMMOBILITATEM.] Immobilitatem vocat, non dilabi à propriâ naturâ ac motione.

§. 4. SI CVNCTA PORRO QVÆ MOVENTVR.] Rectè dixit, omnia moueri non vnico motu, sed proprio quodam ac conuenienti motu. Nam intellectilia & intelligentia aliter, sensilia verò ad generationem aut similem quendam alium motum mouentur, de quibus nono capite perfectiùs disseruimus.

ATQVE OMNIVM EORVM QVÆ MOVENTVR PROPRIETATEM.] Quoniam proprietas quoque est cuiusque vita quâ mouetur.

§. 5. CÆTERVM SI QVIS PROLAPSIONEM.] Contra eos qui dicunt, diuersitatem esse quandam à pace prolapsionem, & hinc confirmant non omnibus pacem expetendam esse. Nota duas esse diuersitates, ac vnam quidem prolapsionem à pace, alteram verò, cuiuis rei proprietatem existere.

ID ENIM QVOD PENITVS INSTABILE.] Mirificè confutat Gentilium & quorundam hæreticorum sententias, nempe Valentinianorum & Manichæorum, supponentium materiam esse principium, quod rebus diuinis quædam aduersantia in se gerat. Aiebant enim, materiam esse instabilitatem & circumlationem, & infinitatem, & interminationem, & hæc omnia perpetuam materiam asserebant, quod verè ostenditur omninò falsum esse. Nihil enim est, neque factum fuit, quod non, ex quo productum est & exornatum à Deo, productum sit ad formam; & diuinâ prouidentiâ obtineat, vt sic se habeat qualiter productum fuerat.

OBSCVRIS SIMVLACRIS.] Pro obscuris imaginibus. Appetunt enim fruitionem & coniunctionem cum fluxis & corruptibilibus voluptatibus, & dum has sine perturbatione cernere seu participare volunt, quia, inquit, hoc ipsis haud ex animi sententiâ succedit, perturbantur.

ET HÆC SEDARE.] Hoc modo hæc sententia construi debet, quòd nempe litigiosi & seditiosi obscuris etiam quibusdam pacifici desiderij simulactis teneantur; quoniam dum perturbationibus agitantur, atque ex imperitiâ passiones tanquam bonas sedare videntur, dum securè fluxis ac prauis passionibus frui cupiunt, & perturbantur, si putatiuis istis bonis frustrentur. *Cùm autem sint passiones*, per subauditionem apponendum *seipsos* vt sensus sit, quòd velint seipsos, tanquam perturbatos, si passionibus frustrati sint, pacare passionibus fruendo. Ita intellige etiam illud, Omnes pacem appetere, id est bonum.

QVID PORRO DICAT QVIS DE CHRISTI.] Quomodo pax sit Iesus-Christus, nostrum & Angelorum bellum sedans, *& medium parietem maceriæ soluens*, & pacem inter nos dispensans, *& faciens vtraque vnum*, vti diuinus Apostolus ait in Epistulâ ad Ephesios. (Ephes. 2. 14.)

QVA DOCEMVR NON VLTRA BELLVM GERERE.] Ille secum minimè pugnat; qui iram & concupiscentiam rationi subiugauit; quin etiam pacem habet cum hominibus, qui vnam cum omnibus sententiam tenet: qui verò mentem suam Angelorum inspirationibus obsequentem exhibet, hic etiam cum Angelis pacem possidet.

QVIN ETIAM CVM IPSIS DIVINA.] Id est eundem cum ipsis cultū & adorationē diuinæ Maiestati impendamus.

IN THEOLOGICIS. Nota, quoddam eius opus esse de diuinis informationibus, huius etiam in principio primi capitis meminit.

§. 6. PER EPISTOLAM INTERROGASTI.] Quomodo intelligat, Deum esse per se vitam, & per se vitæ conditorem, & similia. Pulchrè autem id explicat in Epistolis, maximè in secundâ.

EX IIS QVÆ PRIMO SVNT.] Existimo ipsum, per ea quæ primo loco sunt, intellexisse naturas supermundiales, quippe primo loco liquidóque diuina munera participantes, vt vitam, & reliqua. Itaque ex rebus, id est, ex iis, quæ sunt considerantur, Deus dicitur per se vitæ, nempe effectûs ac speciei ipsius conditor ac productor: ex vno enim exemplo vitæ nos etiam de similibus similiter cogitare oportet. Cùm autem Deus ipse dicatur per se vita, & similia, tanquam ea supra omnem naturam existens dicitur, nempe supra Angelos atque omnem substantiam intelligentem.

EX IIS QVÆ PRIMO.] Ea, quæ primò sunt, vocat creaturas intellectiles & incorporeas, id est, Angelos. Nota illud *principaliter*, quia primo loco subsistit: dicit autem *supra* substantiam pro Deo, solus enim intellectilium ac sensilium creator est. Minime enim auscultandum est iis qui spargunt, creatrices Dei virtutes deos existere, quod falsum est, nam solus Deus creator existit. Vbi nota, solum Deum creatorem esse omnium intellectilium atque sensilium.

CONTORTVM.] Inflexum.

ET DEOS RERVM.] Quoniam angeli non sunt dij, neque creatores, neque aliud quidpiam creat præter Deū.

VERE ET PROPRIE.] Nota, quod neque diuinus hic vit differentiam agnoscat inter *propriè ac verè*.

PER SE ESSE.] In his clare soluit propositam quæstionem, quemadmodum accipiendum sit, quandoque quidem Deum dici per se vitam, & alia eiusmodi, quandoque vero horum effectorem esse, id est, hæc creasse: quoniam, tanquam causa ille quidem horum & principium, supra quam principium vocatur his nominibus; ea vero quæ hæc participant, inde, id est, ex participatis dicuntur esse, & viuere, & diuina esse. Vitæ igitur creationem, & substantias creationem, ipsas, inquam, res fecit Deus. Primùm igitur cogitamus rem ipsam, deinde ipsius rei generalem notionem informamus, v. g. vitam aut substantiam vniuersè consideratam, & postea in parte, id est, cuiusque speciei notionem accipimus, v. g. Angelicæ aut humanæ vitæ, & cæterorum, cum quibus simul participantium memoria occurrit. Cum autem addit, *deinde quæ vniuersè illa participant*, indicauit, non omnia participare vniuersa; si quidem aliqua solam essentiam, alia vero vitam, alia denique etiam præter illa diuinitatem participant. (*Quomodo Deus sit per se vita.*)

QVÆ RES PROVT CVIQVE CONVENIT.] Id quod obscurius videtur, ita est explicandum. Deus omnia ad salutem in se ipso supra quam vnicè & incompositè præhabens, & tanquam principium fontale, propter bonitatis abundantiam, iis, quæ ab ipso creata sunt, quasi quosdam radios immittens, totus in se permanens, pro captu cuique suo, benignâ sane communicatione, magnas suas excellentias impertit. Itaque illustrationes ex bonis illis communicabilibus, quæ ipsi insunt, primo loco dicuntur, & per se esse, & per se viuere, & per se deificare, & quæcunque similia, secundum imitationem principiorum, id est eorum quæ ipsius Dei sunt, dico per se deitatis, & per se bonitatis, & per se vitæ. Secundariò vero etiam tota ipsa condidisse dicitur propter substantias, quæ per processum eius ad extra subsistunt, quæ substantialiter sunt vitæ, & participare dantur eis quæ merentur, tertiò denique particularium solum participationum: quædam enim solius viuificationis, quædam vero etiam deificationis, quædam denique horum simul omnium participationem habent, vt supremæ illæ virtutes intellectiles.

PARTICVLARIVM.] Particularia vocat generum propagines.

ET PER SE BONITATIS.] Quoniam etiam per se bo-

A

nitatis ac deitatis conditor est is, qui est supra quam bonus & supra quam Deus. Nota igitur talia non esse Dei essentiam. Lege Epistolam secundam ad Caium.

PROVIDENTIAS ET BONITATES.] Prouidentias & bonitates vocat ea, quæ antea vocauit substantificationem, viuificationem, bonitatem, diuinitatem, pulchritudinem & similia.

A DEO QVI EST EXTRA SVI PARTICIPATIONEM.] Paulo ante dixerat Deum esse participabilem, modo dicit, imparticipabilem existere. Deus est participabilis secundum liberales suas communicationes; imparticipabilis vero, secundum quod ipse earum author est, idque supra omnia habet proprium, vt omnia ipsum pro captu suo participent: hoc enim simile est isti, quod supra capite quinto dictum est; nempe quod sit id quod est, & in omnibus sit, & nihil omnium sit, quia enim manet, & viuificat, atque conseruat, dicitur in omnibus esse. Nihil autem rerum est, quatenus est causa productionis omnium; causa vero nunquam ex effectis esse potest.

B

Sic etiam hoc loco Deus quidem participabilis est, quatenus omnia quæ sunt, ipsum participant, & per ipsum consistunt; quod enim eum non participat, neque est, neque erit, neque erat. Rursum vero imparticipabilis existis, quoniam nihil eorum quæ sunt essentiam eius participat: nam Deus, secundum propriam suam naturam, est supra ea quæ sunt.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§.1.

AGe verò etiam pacem, quæ omnis conciliationis causa existit, collaudemus: ipsa est etenim, quæ omnia coniungit, quatenus diuisam illorum multitudinem in vnum, hoc est in vnum illius desiderium, colligit; hoc enim integram vnitatem appellat. Ipsa est quæ huius Vniuersi ex diuersarum naturarum elementis contemperatam compagem constituit: hincque intestinum bellum appellauit qualitatum in ipsis contrarietatem, caloris scilicet contra frigus, humidi contra siccum, & similium aliorum, quæ ad vnius mundi complementum vniuntur. Religiosè autem hic Gentilium rationes soluit. Cùm enim multi inter illos dissideant, atque alij quidem omnia ex contrarietate belloque existere contendant, alij verò ex amicitiâ & consensione, ita vt ab illis quidem dicatur contentio creandi principium extitisse, ab his verò amicitia; Patet hic, eorum rationes ritè moderando, Deum Vniuersi conditorem constituit. Licet etiam aliter accipere bellum intestinum, pro eo quod est naturaliter inter res incorporeas & materiales *Caro enim*, inquit, *concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Et tale bellum diuina pax ad vnionem reducit, secundum quam antiquissimi illi ordines cœlestes, cum secum ipsi & inter se coniunguntur, tum ad vnum perfectissimum pacis principium adducuntur; quod cum indiuiduè (non enim ex parte aliquâ, sed integrè) vniuersis aduenit, quasi claustris quibusdam seu vectibus omnia communit, neque permittit diuisa in infinitum & interminatum, quasi ad pulchritudinis formæque carentiam diffundi, quam externi sapientes materiam appellabant; hanc infinitam dicentes, vtpote interminatam & informem. Cùm itaque Deus sit formæ pulchritudinisque creator, meritò id quod à Deo destitutum est, informe sit & expers pulchritudinis. De hac igitur diuinâ pace quid tandem sit, dicere refugit; quoniam hanc etiam in Actis Iustus, quem & Iosen nominabant, ἀφθεγξίαν vocat, quippe silentem & occultam: & immobilitatem quidem, sed ab omni motu cognoscibilem: hæc enim est quæ informat & mouet omnia, tota enim sibi toti superexistit, & cùm semetipsam singulis pacificis processionibus multiplicat, nunquam tamen vnicam illam suam simplicitatem deserit. De hac itaque neque dicere, neque cogitare quidquam fas est vel possibile, sed hanc tanquam in se ignotam errantes, intellectiles eius participationes in Scripturis recensitas, quoad hominibus, vel potius nobis aliis inferioribus, possibile est, consideremus.

Galat. 5. 17.

C

D

Act. 1. 23.

E

§.1. *Omnia particip. à Deo pacem.*

Primùm itaque dicimus, diuinam illam pacem ineffabilem ipsius per se pacis esse effectricem, iuxta rationes superiùs allatas de ipsâ vitâ. Totam autem cuiusque pacem vocat vniuersam, quatenus omnia, quæ naturis diuisa sunt, conciliantur, & ad vnum desiderium excitantur; vniuscuiusque verò, quatenus quisque vnitatem suam seruans, minimè diffluit ad corruptionem & interitum, quæ superiùs vocauit infinitum & interminatum. Nota verò, tota quidem dici ad inuicem habere coniunctionem, vnum verò, ad seipsum vnitatem; atque vnum quidem contemperatum non diffundi in infinitum, tota verò commixta manere inconfusa. Si enim, inquit, etiam elementa ad inuicem connexionem & mixtionem indiuulsam habent, attamen horum qualitates suas extremitates, v. g. calorem, siccitatem, & cætera, minimè deperdunt in diuersarum specierum temperatione, quæ in Vniuerso conspicitur. Temperationem autem hoc loco intelligere oportet, non eam quæ in humidis fit commixtionem, quæ & subiecta corrumpit, sed conspirationem, & vnius ab altero dependentiam, quæ in compage custodit ea quæ subsunt. Intelligemus itaque vnam quandam simplicem quasi naturam pacis in omnibus consideratam, omnia sibi ipsi, & omnia inter se, atque omnia secum ipsis coniungentem, nec non immixta & contemperata conseruantem, immixta, propriâ cuiusque qualitate; contemperata, ad inuicem mixtione. Per hanc diuinæ mentes vniuntur cum suis intellectionibus, tum rebus intellectis: intelligunt enim & seipsas, & superiores, atque insuper inferiora. Quando itaque quæ sua sunt curant, & semetipsas intelligunt, propriis intellectionibus vniuntur; quando vero superiora vel inferiora intelligunt, tunc rebus intellectis coniunguntur. Quod enim intelligit, per cognitionem rei cognitæ coniungitur; sicut etiam ignorans diuiditur, non comprehens id quod ignorauit. Porrò post hasce vniones (quæ non extitissent, nisi intelligens secum ipse quodammodo, vel certè cum rebus intellectis pacem iniuisset) ad ignotum illum diuinumque contactum adducitur. Rursum in animis nostris reperire licet indiuiduam & immaterialem cognitionem, quando omnigenas ratiocinationes ad vnam spiritalem puritatem colligunt: tunc enim ad vnionem quoque intellectu superiorem, pro captu suo, viâ quadam & ordine pertingunt, per hanc ipsam videlicet naturam pacis vna quædam & indissolubilis elementorum omnium connexio existit, collecta quidem inconfusè, quia licet mutuo commisceantur, simul tamen eorundem qualitates extremitates suas minimè perdunt; commixta vero indiuulsè, quia ex hac elementorum mixtione vna quædam natura perficitur. Hæc enim est pax, quæ extrema extremis per media connectit. Extrema vero dicit, intermedia elementa, terram, aërem, aquam, & æthera, quæ sunt etiam secundum omnia contraria. Media autem, inter terram scilicet & aërem, aqua, quæ cum terrâ quidem communicat frigore, cum aëre vero humiditate; & rursum inter aquam & æthera medius est aër, qui cum aquâ quidem communicat humiditate, cum æthere vero calore. Hæc etiam extremis Vniuersi finibus, qui sunt inanimes substantiæ, in quibus nullus motus accretionis aut nutritionis aut aliorum consideratur, amicitiam impertit, omniaque germana reddit & cognata, in quantum ex Deo omnia & ad Deum conuertuntur: sic enim etiam Apostolus antiquo dicto vsus est, *Ipsius enim & genus sumus.* Dicit autem causam, secundum quam omnia sunt cognata, intellectilia videlicet vnitatibus, id est secundum id quod in ipsis quid vnum & simplex est, & secundum immortalitatis identitatem: sensilia ex diuersis elementis, vnitionibus, seu commixtionibus ac talium mixtionum collectionibus. Diuina siquidem pax in vno & eodem omnia demonstrat; pertingit enim ad omnia, seque pro cuiusque captu ac dignitate rebus omnibus communicat, manet vero, per excellentiam vnionis & pacis, tota secum tota, secundum totam supraquam vnita. Siquidem quod supraquam vnita sit, ipsa sibi secundum se totam eadem existit.

F

G

H

habet nomina modò nobis etiam laudandus est vt Sanctus sanctorum, vt Rex regum, vt in æternum regnans & vltrà, & vt Dominus dominorum, & Deus deorum. Primùm itaque dicendum, quid sanctitatem ipsam esse censeamus, quid regnum, qoid dominationem, quid Deitatem, quid Scripturæ signare velint per illorum omnium geminationem.

§. 2. Quid sit Sanctitas, quid Regnum, quid Dominatio, quid Deitas.

Sanctitas igitur (vt more nostro loquar) est ab omni scelere libera, & omninò perfecta, & omni ex parte immaculata puritas. Regnum autem est, omnis termini, ac mundi, & legis & ordiois distributio. Dominatio verò non minorum tantùm excellentia, verùm etiam omnium decorum ac bonorum completa possessio est, & vera & inconcussa firmitas; quapropter dominatio Græcè à κῦρος deriuato nomine, idem est quod firmatio, firmamentum & firmum, ac firmans seu ratificans. Deitas autem idem est atque omnium conspicax prouidentia, omnigenâ bonitate cuncta circumspiciens continensque, & seipsâ complens atque transiliens vniuersa quæ ipsius prouidentiâ fruuntur.

§. 3. Quo sensu de Deo prædicentur sanctitas, &c.

Hæc itaque omnia de causâ illâ transcendentali absolutè prædicanda sunt, addendumque, ipsam esse supra eminentem sanctitatem, atque dominationem, & regnum omnium supremum, simplicissimamque Deitatem: siquidem ex ipsâ singulariter & vbertim emanauit atque diffusa est omnis mera perfectio totius sinceræ puritatis, & omnis rerum dispositio atque distinctio, quæ inconcinnitatem & inæqualitatem ac disproportionem exterminat, & ad benè ordinatam identitatem informat, ac continet illa quæ iam digna fuerunt eius participatione; quin etiam est perfecta, & omnis omnium quæ pulchra sunt possessio, & omnis diuina prouidentia, quæ contemplatur & conseruat ea quibus consulit, seque benignè effert, ad formandam in eis qui ad ipsum conuertuntur diuinitatem.

§. 4. Quo sensu dicatur Deus Sanctus sanctorum, &c.

Quoniam autem vniuersorum auctor rerum omnium plenissimus est, secundùm vnam, quæ omnibus antecellit, excellentiam Sanctus Sanctorum nominatur, vel & cætera secundùm supraquàm exuberantem causam, & eximiam præcellentiam, vt si quis dixerit: Quantò præstant sancta, vel diuina, vel denominantia, vel regia iis quæ non sunt talia, & rursus ipsæ per se participationes participantibus; tantò est omnibus sublimior, qoi est supra omnia, & omnium participantium & participationum auctor imparticipabilis. Sanctos verò, & Reges, Dominosque, ac Deos Scripturæ appellant principaliores in vnoquoque ordines, quorum operâ dum inferiores Dei munera participant, eorundem distributionum simplicitatem in suis distinctionibus multiplicant: horum autem varietatem primi ordines vtiliter ac diuinè ad vnitatem suam contrahunt.

SCHOLIA S. MAXIMI.

§. 1. PER NOMINVM GEMINATIONEM.] Geminationem nominum vocat superlatiuum cum positiuo, v. g. Sanctum sanctorum, Dominum dominorum, Deum deorum, & his similia.

§. 2. QVAPROPTER DOMINATIO.] Hæc tradunt duo Gregorij, Theologus & Nyssenus.

§. 3. ABSOLVTE PRÆDICANDA.] Absolutè, id est, non quidem secundùm aliquid laudare, secundùm aliquid verò non, vel tanquam ad aliud aliud relatum, sed secundùm simplicem sensum, id est, propriè.

ET INÆQVALITATEM.] Hæc est vnitas æqualitatis, inquam, & identitatis: hæc enim est causa conspirationis atque concordiæ & salutis vniuersorum, nam ratio vnitatis, quæ secundùm eadem & eodem modo se habet, meritò quid vnum appellari potest. Vnum enim in iis, quæ secundùm partem quid vnum sunt, est vnitum partibus, & in participatione primæ causæ conspirat. Hoc modo etiam Dominus pro discipulis orat, *Vt sint & ipsi vnum, sicut & nos vnum sumus, vt sint consummati in vnum.* Exhilaratur seu recreatur Deus in operibus suis iuxta illud in Psalmis, *Lætabitur Dominus in operibus suis.*

Ioan. 17. 22. 23. *Psal. 103. 31.*

AVCTOR IMPARTICIPABILIS.] Deus imparticipabilis est, secundùm rationem naturæ.

§. 4. Quomodo dicantur Dij & Reges multi.

SANCTVS SANCTORVM LAVDATVR.] Quomodo Sanctus sanctorum, & similia, Deus dicatur, mirificè explicuit, & ait: Quantum superexuberans natura & causa excedit qualitatem & effectum; (hoc enim est id, quod est respectu eius quod propriè non est:) & quantum differt id quod participatur, ab eo quod participat, tantum differt Deus, dum hæc dicitur, ab iis quæ illa habent per participationem: omnia enim ex Deo sunt, & dicuntur, & habent, Deus autem ex nullo.

SANCTOS VERO, ET REGES.] Vir hic beatus, diuinâ inspiratione doctus, religiosè ac piè interpretatur ea quæ à quibusdam ad Deorum multitudinem detorquebantur, & Principes, qui inferioribus præsunt, ait vocari secundùm excellentiam Sanctos & Dominos, & Reges & Deos; sicut & inter homines ij qui sunt excellentissimi sic appellantur, sicut etiam inter nos præceptores qui virtute præstant, virtutem in animâ vnitè collectam habent, docendo autem virtutes aliis communicantes, secundùm diuersitatem multitudinis, eorum qui docentur, etiam virtutem habent multiplicatam. Hoc vtique potiori quadam ac diuiniori ratione in incorporeis istis ordinibus considerandum est, cùm inferiores ordines per superiores ac Deo viciniores Dei dona participent. Quemadmodum ea cratere exuberante, vicina quidem vasa prima replentur, recipiendo id quod ad ipsa defertur; deinde ipsis etiam exuberantibus, in alia subiecta vasa diffunditur, & pro multitudine ac diuersitate suscipientium, siue pusillorum siue magnorum, id quod ex cratere exuberabat quodammodo distribuitur atque transfunditur, primis nempe vasis per plenitudinis vnitatem in se continentibus id quod ex cratere defluxerat. Ita, crassiori quadam ratione, abundantiam distributionis donorum diuinorum, per primas dispositiones in omnes distributam esse, cogitandum est. Siquidem Apostolus vas electionis appellatus est. Notandum autem, ipsum dicere, Deum esse imparticipabilem secundùm naturæ rationem.

Act. 9. 15.

DIFFERENTIAS MVLTIPLICANT.] Id est plures exhibent. Quantum enim differunt ea quæ participant, in tantum etiam munera ista multiformia apparent.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§ 1. SED quoniam etiam de his satis, vel arbitror, dictum est, is qui infinita potest, atque adeò etiam infinita nomina habet, nobis quoque celebrandus tanquam Sanctus sanctorum, & Rex regum, prout in primo Moysis Cantico canitur, & sicut Dominus dominorum, & Deus deorum. Ac primùm dicendum sine geminatione, quid sit quidlibet eorum; ac deinde, quid sibi velint diuinæ Scripturæ ista nomina duplicantes, siue Sanctus sanctorum, & dominus dominorum, & similia.

§. 2. Ἁγιότης vnde deriuetur.

Ἁγιότης itaque, seu sanctitas, loquendo secundùm externam nominis etymologiam, ea α priuatiuâ & voce ἄγος, id est impuritas, quasi ἄναγνος, & gemino α in ᾱ longum aspiratum coalescente, ἅγιον, q. d. id quod omni labe seu impuritate priuatum est. Regnum verò est omnis ordinis, omnis formæ, & omnis constitutionis ac rectitudinis distributio. Dominatio autem, cùm dupliciter quis dominetur, quòd vel malis non succumbat, vel quòd meliora recipiat, seu possideat. Sanctus hic secundum ponit, quòd illud prius nimis humile sit pro Deo, quare etiam κυριότης, seu dominatio, ἀπὸ τοῦ κύρους, quatenus potestatem significat, denominatur; θεότης verò, seu diuinitas, ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, id est à videndo, & obseruando, ac prouidendo; vel ἀπὸ τοῦ θέειν, id est, à circumagendo, & vndique continendo vniuersa, vt in se omnia prouidentiæ muneribus fruentia adimplens. Quoniam omnia iuxta Scripturas diuinas, in manu eius sita sunt.

Κυριότης vnde. Θεότης vnde.

§ 3. Quain Deo absolutè dicantur.

Hæc quidem in Deo absolutè laudanda sunt, id est nó quidem secundùm aliquid, secundùm aliquid verò non, vel tanquam ad aliquid aliud relatum, sed secundùm simplicem sensum, id est propriè. Sicut enim magnus

dictus

A dicitur de Deo illimitatè, & sine comparatione, ac relatione, sic vtique etiam hæc nomina. Neque verò solùm absolutè, proferenda sunt, sed etiam secundùm excellentiam, dicendo, suprà quàm sanctitas, & plus quàm regnum, & plus quàm Dominus, & plus quàm Deus; siquidem ex ipsamet simplicissimâ diuinitate, omnis pura & independens ratio cùm sanctitatis tum regni effectibus tribuitur: hanc enim vocat rerum dispositionem, scilicet omnium, & distributionem, quæ omnem inordinationem exterminat, & ad ritè ordinatam identitatem adducit illa quæ digna sunt eius participatione; vndè meritò vna dicitur, siquidem hæc est vnitas, identitatis inquam & æqualitatis. Hæc est causa conspirationis, & consensionis & salutis vniuersorum, vnitatis ratio, quæ secundùm eadem & eodem modo se habet. Lætantem verò dixit, siue gaudentem in operibus suis, iuxta illud Psalmi dictum, *Lætabitur Dominus in operibus suis.* Rursum ex hac simplicissimâ diuinitate etiam dominatio existit: hanc enim dixit vniuersam esse omnium bonorum possessionem. Hæc est benigna prouidentia, quæ semetipsam benignè impertit, ad eorum qui ad ipsam conuertuntur deificationem.

Psal 103. 31.

B

§. 4. Quid sibi velit Sanctus sanctorum, &c.

Cùm autem sit rerum omnium superplena secundùm vnam eminentem excellentiam (neque enim multæ sunt in Deo excellentiæ, sed vna, illáque eminens) dicitur Sanctus sanctorum, & Rex Regum. Ait enim, quantum differt natura pura & causa à qualitate & effectu (hoc enim est illud quod est, respectu illius quod propriè non est) & quantum illud quod participatur ab eo quod participat, tantum differt Deus, dum hæc dicitur, ab iis quæ illa participatione habent: omnis enim ex Deo sunt, solus autem Deus ex nullo. Religiosè autem ac piè exponit illa, quæ à quibusdam de Deorum multitudine dicta putabantur, ex eo quod audirent dici multos Deos, iuxta illud, *Deus deorum Dominus locutus est.* Præceptores enim qui virtute præstant, virtutem in animâ vnitè collectam habent, docendo autem virtutes aliis communicsntes, secundùm diuersitatem multitudinis eorum qui docentur, etiam virtutem habent multiplicatam. Hoc etiam considerandum in ordinibus incorporeis: hæc vtique Dei propria sunt; & sicut ex cratere exuberante vicina quidem vasa prima replentur, deinde ipsa etiam exuberantia in alis vasa diffunduntur, & pro multitudine ac diuersitate suscipientium effusa distribuuntur ac multiplicantur; sic crassiori quadam ratione abundantiam distributionis donorum diuinorum, per primas dispositiones in omnes distributam esse cogitandum est. Siquidem Apostolus vas electionis appellatus est. Notandum verò, quòd communicationem in Deo dicat esse munerum quæ ex Deo sunt, distributionem verò, primorum in ea quæ sequuntur. Priorum itaque distributionis simplicitatem posteriora multiplicant: quantum enim differunt ea quæ participant, in tantum etiam munera ista multiformia apparent. Ipsam verò posteriorum varietatem primæ istæ ad suam vnitatem prouidè contrahunt; & in quantum fit adductio, tantum etiam rursus occurrit vnitati diuinæ communicationis.

Psal. 49. 1.

C

Act. 9. 15.

D

CAPVT XIII.

De Perfecto, & Vno.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Docet, quo sensu Deus dicatur perfectus.*
2. *Quo sensu dicatur vnus; & simul ostendit vnitatem in rebus omnibus reperiri.*
3. *Vnitate sublatâ, interire omnia, & ex vno Deo omnia existere; & quomodo Deus sit laudandus vt vnus, & SS. Trinitas sit eminentissima vnitas.*
4. *Ponit operis conclusionem.*

§. 1.

ATque ista de his dicta sint. Cæterùm, si placet, ad id quod potissimùm est sermonem transferamus: etenim Theologia rerum omnium auctori cùm omnia simul omnia tribuit, & ipsum vt perfectum & vt vnum laudat. Perfectus itaque est, non tantùm vt seipso perfectus, & per se à seipso vniformiter definitus, totusque secundùm se totum perfectissimus; verùm etiam vt supraquam perfectus, secundùm omnium excessum: atque omnem quidem infinitatem definiens, supra omnem verò finem expansus, & à nullo comprehensus aut contentus, sed ad omnia pariter & supra omnia indeficientibus largitionibus & nunquam finiendis operationibus pertingens. Perfectus item dicitur, vt qui nullum accipiat incrementum, semperque perfectus sit, nec minui possit, omnia in seipso præhabens, & exuberans vnâ & eâdem incessabili & supraquam plenâ & imminuibili largitione, per quam omnia perfecta perficit, & vnumquodque congruâ sibi perfectione adimplet.

E

Quo sensu dicatur Deus perfectus.

§. 2. Quo sensu dicatur vnus, id est sine compositione.

F

Vnitatem in rebus omnibus reperiri.

Vnus autem, quia est omnia vnicè secundùm excellentiam vnius vnitatis, & omnium causa, non amittendo suam vnitatem: nihil enim illius vnius expers est, sed quemadmodum omnis numerus participat vnitatem, atque vnus binarius denariúsque dicitur, & dimidium vnum vnáque tertia decimáque; similiter etiam omnia & quælibet particula particeps est vnius, & hoc ipso quod quid vnum sunt, etiam omnia sunt quæcunque sunt. Neque verò vnum illud, quod est omnium causa, vnum quid est ex pluribus, sed quod ante omne vnum omnémque multitudinem, omne vnum multitudinémque definit: neque enim vnquam multitudo expers est vnius, sed ea quæ sunt multa partibus, sunt quid vnum toto; & quæ sunt multa accidentibus, sunt quid vnum subiecto; & quæ sunt multa numero vel virtutibus, sunt quid vnum specie; & quæ sunt multa speciebus, sunt quid vnum genere; & quæ sunt multa processionibus, sunt quid vnum principio: neque quidquam est in rerum naturâ, quod non secundùm aliquid participet vnum in illo, quod per omnia vnicum est, & omnia, etiam tota vniuersa & opposita, vnicè anticipauit. Ac sine vno quidem non erit multitudo, sed sine multitudine erit vnum, sicut & vnitas ante omnem numerum multiplicatum; & si quis omnibus omnia quæ vnita sunt supposuerit, omnia erunt in toto quid vnum.

G

§. 3. Vnitate sublatâ, interire omnia.

Ex vno Deo sunt omnia.

Illud præterea sciendum, vt secundùm vniuscuiusque speciem præconceptam vnius dicantur ea quæ vnita sunt, sitque vnum omnium quasi elementum; & si sustuleris vnitatem, neque totalitas, neque particula, neque aliud quidpiam in rebus erit: omnia enim in se vnum vniformiter anticipant & complectuntur. Hac itaque ratione Scriptura totum Deum, tanquam omnium causam, sub vnius appellatione laudat; atque hoc modo vnus est Deus & Pater, vnus Dominus Iesus Christus, atque vnus idemque Spiritus, per supraquam abundantem totius diuinæ vnitatis indiuisibilitatem, in quâ omnia vnicè sunt coniuncta, & supraquam vnita, & præexistentia supra substantiam. Quapropter etiam ad ipsam omnia iure meritò referuntur, eique attribuuntur, à quâ, & ex quâ, & per quam, & in quâ, & ad quam omnia sunt, & componuntur, & manent, & continentur, & complentur, & conuertuntur: neque quidquam repeties eorum quæ sunt, quod non ex vno illo, secundùm quod omnis diuinitas supraessentialiter nominatur, & sit id quod est, & perficiatur ac conseruetur. Oportet itaque & nos, à multis ad vnum virtute diuinæ vnitatis conuersos, singulariter laudare totam & vnam diuinitatem, vnum, quod est omnium causa, ante omne vnum & multitudinem, & partem & totum, finitionem & infinitionem, finem & infinitatem, omnia quæ sunt & ipsum esse determinat; & omnium & totorum omnium, & simul ante omnia & supra omnia etiam vnicè causam, & quod supra ipsum vnum, est id quod est & ipsum vnum determinat, siquidem quod est vnum, iis quæ sunt adnumeratur: numerus enim particeps essentiæ est. Quod autem est vnum supra substantiam, & quod est vnum, & omnem numerum definit, ipsum est & vnius, & numeri, & omnis rei principium & causa, & numerus & ordo. Quamobrem & vnitas quæ laudatur, & Trinitas quæ est

H

Quomodo Deus sit laudandus vt vnus.

SS. Trinitas est

A *vnitas eminentissima & incognoscibilis.*

est diuinitas supra omnia, non est vnitas, neque Trinitas à nobis aut alio quopiam eorum quæ sunt cognita; sed vt quod in ipsâ est supraquam in vnum copulatum & fœcunditatem Dei verè laudemus, trinum & vnum Deum nominamus illum, qui supra omne nomen est. Nulla autem vnitas vel Trinitas, neque numerus, nec vnitas vel fœcunditas, nec aliud quidpiam eorum quæ sunt, aut eorum quæ alicui existentium sunt cognita, explicat arcanum illud omnem rationem & mentem superans superdeitatis, superessentialiter supra omnia superexistentis; huius neque nomen neque rationem est assignare, sed inaccessum omnibus eminet. Quin nec ipsum quidem nomen bonitatis ei tanquam aptum accommodamus, sed desiderio aliquid intelligendi & dicendi de naturâ illâ arcanâ & ineffabili, quod est omnium nominum maximè venerabile ipsi primùm consecramus: in quo quidem cum Theologis conuenimus, sed ab ipsâ rerum veritate multùm deficimus. Quamobrem ipsi quoque ascensum illum per negationes prætulerunt, vt qui B animam à cognatis rebus auocans, ad omnes diuinas intelligentias viam sternat, quibus excipitur id quod omni nomine omnique ratione ac cognitione sublimiùs existit, nósque Deo tandem coniungit, quantum nimirum cùm ex nostrâ tum ex ipsius parte fieri potest.

§.4. Hæc nos diuina nomina, quæ ratione intelliguntur, congesta pro viribus explicuimus, non solùm non satis pro eorum merito congruè (hoc enim etiam Angeli verè dixerint) sed neque paribus laudibus, quibus ab Angelis celebrantur: siquidem præstantissimi quoque Theologi nostri vel nouissimis etiam Angelis cedunt, verùm etiam Theologis eorúmque asseclis nequaquam suppares, à nostris quoque æqualibus in hoc laudum genere superamur. Itaque, siquidem rectè ista dicta sunt, & in diuinorum nominum explanatione pro modulo nostro verum sensum attigerimus, in bonorum omnium causam id totum referendum est, vt quæ primùm tam dicendi quàm benè dicendi facultatem dederit. Ac C si quid eorum quæ his æquiualeat sit prætermissum, id iisdem quoque rationibus à nobis ad hunc modum supplendum erit. Sin verò hæc vel minùs recta vel imperfecta sunt, & à veritate vel omnino vel ex parte aberrauimus, erit humanitatis tuæ corrigere non sponte ignorantem, rationésque suggerere discere cupienti, & ex se insufficienti opem ferre, curaréque nolentem ægrotare: atque alia quidem à te excogitata, alia verò ab aliis mutuata, cæterùmquin omnia ex ipso bono accepta, in nos quoque deriuare. Neque te pigeat amicum hocce beneficio afficere: cernis enim, vti neque nos ipsi quidquam rationum Hierarchicarum nobis concreditarum intra nosmetipsos continuimus, verùm illas omnino putas cùm vobis tum cæteris viris sanctis, partim tradidimus, partim adhuc trademus, pro dicendi nostrâ & aliorum intelligendi facultate, in re nullâ traditionem violantes, nisi fortè vel ad eloquendum vel ad intelligendum imbecilliores extiterimus. Sed hæc quidem, vt Deo placet, sic habeant, & dicta sint; sitque, quod ad nos pertinet, D hic finis nominibus Dei quæ mens excogitauit: ad symbolicam verò Theologiam Deo duce transibo.

SCHOLIA S. MAXIMI.

§.1. A SEIPSO VNIFORMITER DEFINITVS.] Deus suiipsius & finis & locus est, nihilque supra Deum extenditur. Quin etiam ipsemet infinita definit: nam sæcula, quæ sunt infinita (neque enim finem habent) ipsemet infinitâ magnitudine excedens, multiplici suâ infinitate complectitur, & omnem vitam termini expertem, vt in intellectilibus, non enim his vita terminatur vt in hominibus, sed immortales creati sunt; Deus verò in supraquam æternâ propriâ æternitate terminatur.

§.2. *Quomodo Deus vnus sit, & dicatur.*

VNVS AVTEM, QVIA EST OMNIA.] Multa numero, vnum specie sunt, numismata, pecunia, & oboli, vnum enim specie, siue æs, siue aurum, siue argentum. Virtute autem multa, vt herbæ, sed vnum specie, nam omnes fœnum. Multa verò speciebus, vt equus, bos, homo, & intellectilia seu Angeli; vnum verò genere, quoniam E hæc sunt animal. Multa denique processionibus sunt creaturæ, sed vnum principio: Deus enim est auctor omnium.

SED QVEMADMODVM OMNIS NVMERVS.] Pulchrè demonstrat id quod intendit: diuino enim viro huic propositum est ex numerandi ratione sententiam suam confirmare. Ait itaque, nihil eorum quæ sunt vnius, id est Dei, expers esse, quoniam omnis numerus particeps est vnitatis: nam si à duobus quis inceperit, vnam dualitatem primam annumerat, & ex decem similiter. Ampliùs dicit: quòd etsi aliquis primò inceperit à minimis, numeret dimidium vnum, & vnum tertium, vnum decimum, & ita deinceps; adeò vt non sit numerus, qui non sit particeps vnitatis seu monadis. Etsi enim partis memineris, dices vnam dimidiam, & vnam tertiam, vnam decimam, & sic deinceps; atque vnam dualitatem & vnam decadem dici, quòd etiam hæ ex eâ compleantur.

F VNVM ILLVD, QVOD EST OMNIVM CAVSA.] Manifestus ipsi scopus est, probare Deum, cùm quid vnum dicitur, non eo modo vnum dici, quo cætera quæ sub numerum cadunt. Deus enim vnum est, quatenus nempe simplex & indiuiduus atque differentiæ specificæ expers, & ab omnibus affectionibus & accidentibus alienus, quid vnum nuncupatur, dum tanquam principium quoddam atque elementum futurorum concipitur. At idem aut diuersum, aut maius aut minus, quin etiam par aut impar, æquale vel inæquale, quod in numeris spectatur, nemo rectè ad principium referat, illa principium constituendo: talia enim necessariò sunt actiones & accidentia. Itaque in numeris, terminus, qui in multitudinem diuiditur, ad vnitatem reducitur, sed principium in quoquo genere simplicissimum existit; ergo etiam in rebus, siue vnum sit multa, siue multa sint vnum, principium aliquod & elementum simplicissimum est, vnum G illud, quod est omnium expers, ex quo, tanquam ab exemplari & ideâ, etiam vnum illud, quod in rebus est, existit. Sicut v.g. lumen hoc sensibile, licet sit multa partibus, nempe stellis omnibus, quando tamen in vnum totum colligitur, vnum lumen existit, & est multa accidentibus; veluti pauo, cùm habeat maculas aureas, cæruleas, & albas, est quid vnum secundùm corpus subiectum. Sic etiam de cæteris cogitandum.

NEQVE ENIM EST MVLTITVDO.] Hoc loco ex arithmeticâ conuincit quod asserebat. Nota verò, meritò ipsum dicere, Deum esse ante vnum, quoniam est omnium, atque adeò etiam ipsius numeri auctor ac inuentor.

SED QVOD QVIDEM MVLTA.] Subaudiendum hîc in singulis Verbum *est*, vt sensus sit: Quod multa est partibus, est vnum toto, v.g. corpus, sic & reliqua quid vnum sunt subiecto seu substantiâ, sed multa accidentibus, vt homo. Accidentia autem quædam sunt separabilia, vt sedere, ambulare, & similia; quædam verò inseparabilia, vt cæruleum & aduncum, & similia. Et rursus, vnum quidem specie equus, vel bos, sed hoc est multa numero, H multi enim sunt equi, & multi boues. Quin etiam quædam naturalibus potentiis multa sunt, & rursus multa speciebus, vt homo, equus, canis, &c. quæ vnum sunt genere, vnumquodque enim horum est animal. Sic denique etiam quæ multa sunt processionibus, siue consiliis, aut etiam operibus, quid vnum sunt principio.

OMNIA, ETIAM TOTA VNIVERSA.] Omnia dicuntur, quando species, & partes & differentiæ vnius accipiuntur; totum verò, quando partes collectæ vnum integrum efficiunt, aut species vnum genus, aut contraria & opposita in conspiratione & concordiâ quiescunt; vt aqua simul & terra, & aër, & igneæ stellæ, & cœlum, mundus enim hæc tota dicitur.

AC SINE VNO QVIDEM.] Cùm vnum videatur habere connexionem quandam cum numero, sine vnitate certè non erit multitudo, quoniam numeri sunt compositio vnitatis in multitudine; quod suprà dixit, Deum multiplicari, quasi ex arithmeticâ cognoscitur; vnum autem secundùm se subsistit & est.

Et si qvis omnibvs omnia.] Illud, *quis supposuerit*, etiam ex suppositione vsurpatur in iis quæ reipsâ esse nequeunt, sed ratione finguntur; hîc verò non sic accipiendum est, sed hoc verbo mentis applicandum, propter creationis ex vno Deo identitatem, & quia totum in partibus consideratur, & partes in toto.

Vt secvndvm vnivscvivsqve speciem præconceptam.] Nisi, inquit, priùs intelligatur species hominis, seu natura, nemo dixerit, homines inter se coniunctos esse secundùm eandem naturæ rationem.

Et si svstvleris vnitatem.] Ita hæc sententia construenda est, nempe illa quæ coniuncta sunt, vniri secundùm cuiusque speciem præconceptam. Anteà enim diximus, species & multa ad vnum genus reducta describere vnum aliquod elementum ac principium illius generis, cuius species existunt: hæc enim ipsi speciei iuncta, v.g. equi, boues, &c. ad vnum quoddam genus reducuntur, quod animal vocatur.

Totam divinitatem. Tota diuinitas est sanctissima & veneranda Trinitas, propter ineffabilem verò naturæ vnitatem, vnus & vnum nuncupatur.

A qva et ex qva.] Cum *a quâ* coniunge *sunt*, & cum *ex quâ* coniunge *componentur*, & cum *per quam, manent*, & *in quâ, continentur*, siue conseruantur, & *ad quam, conuertuntur*; etsi Pater sigillatim & simul verba collocarit, & omnia subaudiri voluerit, rectè autem dixit: Quòd si vnum sustuleris, neque totalitas, neque multesima pars, neque aliud quidpiam erit: hoc enim anteà insinuauit, cùm superiùs dixit, *Et dimidium vnum, & vnam tertiam, & vnam decimam*, quoniam etiam partes vnum participant.

Omnia vnũ participant.

Vnvm qvod est omnivm cavsa.] Non absolutè omni vno omnia constituerunt, sed illo solo vno, secundùm quod vnum, Deus, vnus & vnum nominatur, hoc enim vno solo res existunt: nam qui hoc nomen vnum nuncupat, secundùm negationem multiplicitatis hoc significat. Vnum nempe per se principium & primum est alicui, vt quodammodò existat, quoniam multorum ex ipso existentium cogitationem ingerit; hæc autem Deo non conueniunt. Porrò vnum, quod solum tale existit, prorsus est affectionis expers, & indiuiduum, ac per se sufficientissimum; neque enim potest cum altero in naturâ vnâ copulari, sicut vnum in numeris. Quod enim propriè vnum, & ante omne vnum est, refugit multitudinem, omnémque compositionem ac diuisionem: siquidem hoc vnum neque paruum neque mediocre vocatur, quinetiam, si quid audendum sit, neque pulchrum, neque bonum, hæ enim affectiones quodammodò etiam sunt habitus & accidentia. Ipsum verò vnum supra omnia quoque intelligitur, affectiones verò, vt paruum & mediocre, cum alio quoque considerantur, & ideò neque simplices sunt neque elementares. Ergo vnum, vt dictum est, quod simplex & affectionis expers existit, cùm non habeat ea quæ recensita sunt, haudquaquam tanquam rerum genus ponendum est; genera enim omnino diuiduntur in species. Sed neque propriè punctum aut vnitas est, quoniam hæc connexionem habent cum iis quæ sequuntur: hoc autem est simplicissimum, neque vllam habet differentiam, quin nec motum neque statum seu quietem obtinet. Sed neque vnum statuendum est id quod est, sed principium & semen eius: nam multitudo necessariò vnum sequitur, ens autem adhæret multitudini, quod in Deo locum non habet. Quoniam id quod est essentia est, à Verbo *esse*, Deus autem superessentialis est, & supra id quod est, & vnicè, id est, eminenter & inimitabiliter supra id quod est; Deus enim est omnia & supra omnia. Cùm autem mirificè naturam numerorum explanasset, subdit diuinitatem, quæ omnia superat, siue vnitas siue Trinitas prædicetur, neque vnitatem neque Trinitatem existere, quæ à nobis vel ab aliis per numeros cognoscatur, sed supra omnem mentem & esse & nominari Deum. Dicendo enim quod non est, intelligimus, quid sit Deus.

Atqve ipsvm vnvm qvod est determinat.] Quoniam etiam supra ipsum vnum Deus est, cùm sit omnia, atque ipsius numeri conditor & adinuentor.

Ad nvmervm spectat.] Nota, illud, *ad numerum spectans*, manifestationem numeri designare; quare vnum in rebus, id est creaturis, secundùm numeri conceptum ponitur.

Non est vnitas.] Noli simpliciter intelligere illud, *non est vnitas neque Trinitas*, sed illud *non est* construe cum voce *cognita*: hic enim sermo non vult damnare illa quæ in confesso sunt, sed docere, Deum esse inuestigabilē.

Et foecvnditatem dei vivere.] Ait fœcunditatem Dei significari ex nomine Trinitatis. Vt enim adoranda ineffabilium personarum manifestatio repræsentaretur, numerus excogitatus est, prout Basilius & diui Gregorij aiunt. Patrem autem abusiuè fœcundum appellauit, tanquam adorandi Filij genitorem, & simul cum ipso adorandi Spiritûs sancti fontem. Itaque fœcunditas, vel quodcunque nomen hominibus siue etiam ipsismet intellectilibus virtutibus notum, non posset Dei abscondita clarè prout sunt explanare: quomodo enim Deus, qui nihil est eorum quæ sunt, sed supra res omnes existit, nomen ex re quapiam accipere possit?

Neqve nomen eivs est.] Rectè diuinus hic vir ait, neque nomen eius esse, neque rationem, sed in inaccessis secretum esse, non locis, absit, sed ratiocinationibus atque cogitationibus: sermo enim Dei inaccessus est omni menti & cogitationi. Porrò illud, *neque eius nomen esse*, benè ac distinctè intellige, nempe res omnes cùm nominibus tum signis notitiam parientibus significari. Quale igitur nomen, aut quæ res Deo tribui possit, qui ab omnibus secretus, vt omnium conditor & auctor existit? Quare D. Dionysius ait, ne nomen quidem bonitatis ac pulchritudinis Deo propriè conuenire, quoniam hæc etiam in rebus reperiuntur. Atque ita superiùs inuenies, has affectiones & accidentia in rebus considerari, quod non habet locum in Deo, vt qui cuncta transcendit.

Sed desiderio intelligendi.] Nota eum dicere, Theologos, vt aliquid omnino intelligerent, & de Deo efferrent, ipsius desiderio correptos venustum nomen bonitatis ipsi adaptasse, quamuis propriè Deus sit supraquam bonus, & supraquam substantia. Cæterùm bonitas, vt hic ait, nomen omnium augustissimum existit. Negationes autem & priuationes in Deo non simpliciter à Theologis dicuntur; neque enim prout efferuntur sic intelliguntur, sed modo quodam transcendentali considerantur: nam immortalis & Inuisibilis, & incorruptibilis & nullius indigus, & quæcunque similia de Deo dicuntur, nemo, qui compos sit sapientiæ, vulgari modo accipiet, sed à rebus quæ significantur recedens, ad tacitas ac diuiniores cogitationes suspiciet, propter quod etiam intellectiles Dei denominationes deinceps rectè ipsas appellat. Nam anima postquam corporeos omnes sensus & res mundiales excesserit (has enim sibi familiares reddidit) ita purissimæ Dei cognitioni, quantum humanæ naturæ fas est, coniungitur, sicut Apostolus insinuat, dicens: *Et sic semper cum Domino erimus*, & iterùm: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem videbimus.*

1.Thes. 4. 16.
1.Cor.13. 12.

Nominvm maxime venerabile.] Nota, quòd omnium nominum maximè venerabile sit bonitas, propter quod etiam Deo primario dedicatur.

A cognatis sibi.] Dixit cognatis, & notis, atque creaturæ propriis.

Hoc enim vere etiam Angeli.] Quoniam etiam Angelis res diuinæ incomprehensibiles existunt, & postremus Angelorum omnibus Ecclesiæ Theologis, atque adeò etiam Apostolis, maiora de Deo speculatur.

5.4.

Ac si qvid eorvm qvæ his æqvivalent.] Quòd si etiam alia æquipollentia Dei nomina in Scripturâ reperiantur, oportet hæc etiam secundùm easdem explicandi rationes adiungere.

Et nobis aliisqve viris religiosis.] Mysteria enim haud omnibus promiscuè communicanda sunt, sed idoneis ac sanctis viris, quod item D. Paulus sancto huic viro Timotheo scribit.

PRO NOSTRO DICENDI CAPTV.] Hæc, & similiter omnia quæ sequuntur, vt sanctum decet, hic Pater dixit studio modestiæ.

AD SYMBOLICAM VERO THEOLOGIAM.] Symbolicam nempe Theologiam illam intelligit, quæ hactenus non prodiit, vti etiam in alio quopiam capite meminit. Quod si vero velis nosse differentiam Theologicæ informationis & Symbolicæ Thelogiæ, lege caput tertium libri de Mysticâ Theologiâ.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§.1. Quomodo perfectio sit in Deo.

TRansit ad caput illud, quod potissimum est de perfecto & vno. Quomodo vero potissimum? quoniam aliæ quidem Dei denominationes de vnâ re quapiam seorsum dicebantur, perfectio vero copulatur; quoniam causa omnium prædicatur, nullo effectu deficiente, qui non ab hac denominetur: vbi autem nihil deficit, perfectio iam omnino existit. Et rursum simul omnia dicitur, & non hoc quidem priùs, alterum vero posteriùs; vel hoc quidem magis, alterum vero minùs; vel hoc quidem tempore longiori & perseuerantiùs, illud vero breuiori & obiter: omnia enim æqualiter ab ipso distant, siue Angelum dixeris, siue formicam, sicut æqualiter ab infinito distant mille & decem. Itaque non potest ab aliquo effectu causa dici, vel si ab aliquo, etiam ab omnibus. Vnde si simul omnia dicantur de Deo, iam apparet etiam illud vnum: nisi enim quoad hoc vnitas illa emineret, vtique simul etiam rebus omnibus non conueniret. Cùm itaque Deus perfectus dicatur, non solùm tanquam vniformiter à se & per se definitus (hæc enim est perfecti definitio, Quod à se ipso, & non extrinsecus, & per se, & non per accidens, vniformiter, siue, vt hoc modo quis accipiat, similiter & identicè definitur) quin imo, tanquam plus quàm perfectum, secundùm rationem in diuinis nominibus assignatam; quoniam ex effectis auctor denominatur, quamuis etiam supra illos sit, & per excessum nominetur plus quàm bonus, plus quàm essentia. Cæterùm ab effectuum rerumque perfectione Deus quoque supraquam perfectus prædicatur: ipse enim suiipsius & finis & locus est, nihilque supra Deum extenditur, quin etiam ipsemet infinita definit. Nam sæcula quæ sunt infinita (neque enim finem habent) ipsemet infinitâ magnitudine excedens multiplici suâ infinitate complectitur; & omnem vitam termini expertem, vt in intellectilibus: non enim his vita terminatur vt in hominibus, sed immortales creati sunt, Deus vero in superæternâ propriâ æternitate terminatur.

§.2.

Aliter etiam perfectus dicitur, tanquam neque auctus neque imminutus; neque enim augmentum nec diminutionem admittit, quod etiam perfectionis est in eo quod perfectionem habet. Item, quia omnia quæ perfecta sunt perficit secundùm vnam incessantem & eandem elargitionem. Quod itaque vnicè & non diuisè perficit, & non minuitur, plenum est & supraquam plenum. Vnum vero dicitur, quoniam secundùm vnum quid omnia vnita sunt causæ, & hæc rursum omnibus secundùm vnum eminet: nihil enim est in rebus quod vnius non sit particeps, sed sicut omnis numerus participat vnitatem, & vnus binarius denariusque dicitur; & si partis memineris, dices vnam dimidiam, & vnam tertiam, & vnam decimam, & sic deinceps; ita etiam omnia, & omnis pars omnium, participant vnum, & hoc ipso quo est vnum illud, omnia sunt; sicut hoc ipso quo est vnitas, omnes numeri existunt, & hoc vnum non est vnum multorum. Deus enim vnus est, sicuti & simplex, & indiuisus, & expers differentiæ specificæ, & ab omnibus affectionibus & accidentibus alienus. Hoc ipsum porrò vnum aliud siue maius siue minus effugit; illud enim supra hæc existit, atque insuper vt principium, tam ipsam vnitatem quàm multitudinem definit: in Deo enim sunt omnes vnus tam qui antè fuerunt quàm qui futuri sunt: non enim est ibi aliud quidem præteritum, aliud vero futurum, cuius participatione est vnum hoc multa definiat, licet diuersimode, & nec vllus modus, secundùm quem multa non in vno comprehendantur.

Quomodo in Deo omnia quid vnū sint.

Quæ enim multa sunt partibus, sunt vnum toto, vt corpus: quæ multa sunt accidentibus, sunt vnum subiecto, vt homo: & quæ multa sunt numero, sicut Petrus & Paulus, sunt vnum specie; vterque enim homo est. Quæ porrò etiam multa sunt virtutibus, v. g. carbo, lux, flamma, sunt vnum formâ, ignis enim omnia: & quæ multa sunt processionibus, & consiliis vel operibus, sunt vnum causâ, vnus enim ex quo consilia, vel opera, & nihil est in rebus quod non aliquo modo particeps sit vnius. Vnum dico illud, quod omnia participant, quod secundùm omnia, & integrè vnitate suâ omnia etiam tota, omnia etiam contraria complectitur. Quomodo autem vnum hoc omnia complexum sit, posteà dicetur, quando præconceptum illud vnum demonstrabit. Cæterùm omnia dicuntur, quando species & partes & differentiæ vnius accipiuntur; totum verò, quando partes collectæ vnum integrum efficiunt, v.g hominem, partes hominis corporeæ, vel partes eius essentiæ, vt rationale & mortale. Rursum, omnia etiam contraria, verbi gratiâ, quodlibet elementum seorsum. Et rursum, in eodem contraria, quando in aliquo subiecto conspiciuntur: omnia enim ex contrariis elementis constituuntur, & vniuntur. Illud autem, [illegible] *vt, aliquis supponat*, in aliis quidem secundùm hypothesim seu suppositionem accipitur, etiam in iis quæ re ipsâ non existunt, sed ratione finguntur; hîc vero non sic accipiendum est, sed hoc verbo mentis applicandum, propter creationis ex vno Deo identitatē, & quia totū in partibus cōsideratur, & partes in toto.

§.3. Vnum est principiū multorū.

Superiùs quidem dixit, vnum anticipare vniuersa; modo autem illud confirmans ait: Nisi enim priùs intelligatur vnitas, v.g. species hominum, siue natura, nemo dixerit, homines inter se coniunctos esse secundùm eandem naturæ rationem. Dicimus itaque, illa quæ coniuncta sunt, vniri secundùm cuiusque speciem præconceptam. Et rursum, species & multa ad vnum genus reducta, describunt vnum elementum aliquod & principium illius generis cuius species existunt, v.g. equi, boues, homines, ad vnum quodammodo animal reducuntur. Hoc autem dicit, non quòd illa ante multa constituatur, vt Plato asserebat, ideam inquam; sed quod in multis, etiam post multa, potiùs quis concipiens, ex his vnum aliquod multorum elementum componat: noster enim conceptus dum multa in vnam colligit naturam, quod vtique fit post multa, tum istiusmodi vnam naturam quasi vnitam apprehendit, & hanc ita post multa contractam concipit pro multis, tanquam multorum constitutiuam & complexiuam. Si itaque vnum tollatur, neque totum, neque pars existet, quæ vtique etiam vnitè denominantur; his autem sublatis, nulla res existet. Vnum ergo est omnia vniformiter, id est secundùm vnam & eandem rationem: neque enim alitèr totum & aliter pars quid vnum dicitur, neque aliter hoc & aliter illud anticipauit, sed ne quis hinc opinaretur ideam quandam ante multa, addit *comprehendit*, quod quodammodo illud vnum non secundùm se, sed in multis illis concipiatur. Cùm itaque vnum omnia complectatur, omnium vero creator sit Deus, & ex omnibus effectis vt causa nominetur, meritò etiam vnius nomine celebratur: quod etiam ex Apostolico dicto probat, omnino, propter vnitatis indiuisibilitatem, vnum etiam indiuisum & omnia in Deo contineri, secundùm imaginem vnius; quoniam omnia etiam in ipso continentur, verumtamen tanquam in elemento & naturâ, in Deo vero tanquam causâ efficiente, & eminenter. Voculæ autem *a quâ* & *ex quâ* referri debent ad *sunt & componuntur*; *per quam* vero *& in quâ*, ad *manent* & *continentur*; & *ad quam*, ad *complentur* & *conuertuntur*, etsi Pater sigillatim & simul verba collocarit. Neque quidquam reperies, quod non in vno etiam sit id quod est (sic enim per hyperbaton construi debet) & perficiatur, & conseruetur, in quantum vnum & diuinitas superessentialiter, sicut etiam in aliis, nominatur. Non absolutè vero omni vno, secundùm quod Deus vnus & vnum nuncupatur: hoc enim vno solo res existunt, & oportet etiam nos idcircò à multis, etiam diuinis cognitionibus, ad vnum, quod omnium causa est,

A conterti, quod etiam ante omne vnum est, scilicet ante omnem naturam, & ante omnem multitudinem, scilicet omnem sigillatim: hoc enim vnum neque paruum neque mediocre vocatur. Quin etiam, si audiendum sit, neque pulchrum, neque bonum: hæc enim quodammodo affectiones sunt, & habitudines, & accidentia, ipsum vero hoc vnum etiam supra hæc intelligitur; affectiones vero, vt paruum & mediocre, etiam cum aliis, seu dependenter ab aliis, intelliguntur. Ergo vnum illud simplex & expers affectionum, neque tanquam genus rerum ponendum (genera enim omnino diuiduntur in species) neque punctum neque propriè monas, illa enim connexionem habent cum sequentibus; hoc autem est simplicissimum. Sed neque illud vnum ens aliquod statuendum est, sed entium principium, quoniam id quod est essentia est, à verbo Esse, Deus autem supraessentialis est, & supra id quod est; quocircà etiam supra omnem terminum, & supra omnem infinitatem existit, & illud ipsum esse definit, & vnicè causa est, id est eminenter & inimitabiliter,

Quale vnum sit in Deo.

B tam omnium rerum quàm totorum omnium, scilicet integrorum, & simul etiam ante omnia & supra omnia tanquam causa. Ne itaque illud *simul* quibusdam contrarium videatur iis quæ à diuinâ Scripturâ dicta sunt, quod qualibet die hoc & illud creauerit & produxerit. Simul dixit, secundùm virtutem creatoris; poterat enim etiam in momento temporis omnia producere, quemadmodum quoque magnus Chrysostomus de hac re sentit. Et supra ipsum vnum Deus est, vt qui supra omnia eminet, & omne ens quid vnum definit: nam id quod est vnum, numeri manifestationem habet, cùm alicui rei apponitur. Ergo vnum in rebus, id est creaturis, positum, secundùm numeri rationem ponitur: & idcircò quod vnum est, ad numerum spectare dicit, siue id quod sub numerum cadit, vnum est per oppositionem duorum vel trium. Talis autem numerus omnino aliquam substantiam participat; vnum autem supersubstantiale secundùm se quoque simplicissimum existit. Mirabiliter itaque numerorum naturam inuestigans subdit, diuinitatem, quæ omnia

C superat, siue monas siue trias prædicetur, neque monadem quà monadem, neque triadem, neque à nobis, neque ab aliis per numeros cognosci, sed supra omnem mentem & esse & nominari Deum: dicendo enim quod non est, intelligimus quid sit Deus. Ne igitur simpliciter audias illud, Neque monas neque trias, sed illud *Non est* construe cum *ἀγνωστῷ* seu *voce cognitâ*: sermo enim non vult condemnare quæ ita pro confesso habentur, sed Deum esse inuestigabilem docet. Illud itaque Supraquam vnicum ait significari ex nomine vnitatis, diuinam vero fœcunditatem ex nomine Trinitatis: vt enim adoranda ineffabilium personarum manifestatio repræsentaretur, numerus excogitatus est, sicut diui Basilius & Gregorius aiunt. Patrem autem fœcundum appellauit, tanquam adorandi Filij genitorem, & simul cum ipso adorandi Spiritûs sancti fontem, ac principium & causam. Fœcunditas autem vnitásve, aut aliud aliquod nomen, hominibus aut etiam ipsismet intellectilibus virtutibus notum, non posset clarè exhibere Dei abscon-

D dita prout sunt. Quomodo enim Deus, qui nihil rerum est, sed supra res omnes, ex re aliquâ nomen accipere possit? Et quid dico de aliis nominibus, cùm etiam ipsummet augustissimum nomen bonitatis non sit propriè Deo proprium? Theologi enim, vt aliquid omnino intelligerent & de Deo dicerent, ipsius desiderio correpti, nomen bonitatis Deo imposuerunt, quamuis propriè Deus sit supra bonitatem, & supra essentiam. *Ἀφαιρέσεις* vero, siue negationes & priuationes, in Deo non simpliciter à Theologis dicuntur: non enim sicut dicuntur ita intelliguntur, sed modo transcendentali considerantur. Nam immortalis, & inuisibilis, & nullius indigus, & similia, nemo, qui compos sit sapientiæ, modo vulgari accipiet, sed à rebus quæ significantur recedens, ad tacitas & diuiniores cogitationes suspiciet; propter quod etiam intellectiles Dei denominationes deinceps rectè ipsas appellat. Nam anima vbi corporeis omnibus sensibus & rebus mundanis se abdicarit (has enim familiares vocat)

Quomodo negationes sint in Deo.

E tantum purissimæ Dei cognitioni, quantum naturæ humanæ licet, coniungitur, sicut Apostolus insinuat, dicens: *Et sic semper cum Domino erimus*, & iterùm: *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem videbimus.*

1. Thess. 4. 16. 1. Cor. 12. §. 4.

Hæc nos diuina nomina, quoad licuit, explicuimus, videlicet non sublimiùs, sed secundùm litteram humiliùs tradidimus non solùm Angelis, nam infimus etiam horum maior est omnibus Ecclesiæ Theologis; non solùm Theologis, inquit, consodalibus & quasi discipulis, & cæteris, qui scilicet diuinas illustrationes exercitio, & non per visiones, acceperunt, vt Apostoli. Non solùm itaque his simpliciùs & humiliùs diximus, verùm etiam ipsismet æqualibus nostris. Hæc verò, & quæ sequuntur, vt sanctum decet, hic Pater dixit studio modestiæ. Itaque, si quidem rectè quid coniecimus, gratia sit Deo bonorum omnium auctori, qui dedit vt diceremus, & benè diceremus. Si quid itaque rectè diximus, vel adhuc docemus, & si quid eorum, quæ his æquiualent, omnium diuinorum in Scripturis reperiatur, oportet etiam hæc secun-

F dùm easdem explicandi rationes subintelligere. Sin verò hæc minùs rectè se habeant, atque adeò à veritate vel omnino vel ex parte aberrauimus, erit humanitatis tuæ, diuinè Timothee, corrigere non sponte ignorantem, & discere cupientem, & infirmitatem meam adiuuare, curaréque nolentem ægrotare. Atque item tuæ humanitatis erit, ea quæ à te ipso habes, vel ab altero didicisti, omnia autem à Deo accepisti, in nos etiam deriuare. Neque pigeat ex parte etiam hoc nos beneficio afficere, cùm & nos, si quid cognouimus, non intra nos continuimus, verùm etiam communicauimus, & communicabimus, prout habemus & proferre possumus, ac vos audire. Hoc enim proprium est humanitatis, vt in nullâ re sanctorum traditionem violemus, nisi fortè vel ad intelligendum vel ad eloquendum imbecilliores existimus. Sed hæc quidem, vt Deo placet, sic habeant, & dicta sint, quæ à nobis dicenda erant. Modo vero finis sit huius Operis, & ad aliud transeamus. Obserua autem, ipsum dicere

G Symbolicam Theologiam, quæ hactenus non prodiit. Quòd si velis differentiam nosse Theologicæ informationis & Symbolicæ Theologiæ, lege caput tertium sermonis de Mysticâ Theologiâ, de quo etiam nos, Deo dante, suo tempore dicemus.

S. DIONYSII AREOPAGITÆ De Mysticâ Theologiâ.

INTERPRETE BALTHAZARE Corderio Societatis Iesu Doctore Theologo.

CAPVT PRIMVM.

Quænam sit diuina caligo.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Inuocatâ SS. Trinitate, docet, ad mysticam contemplationem, nostri rerúmque omnium abdicatione assurgendum esse.*
2. *Ostendit quomodo in diuinis procedendum sit per affirmationes & negationes.*
3. *Quæ sit compendiosa & prolixa Theologia. Quæ item caligo sit, & quomodo ad eam ingrediendum.*

H TRINITAS supernaturalis, & supraquàm diuina, & supraquàm bona Theosophiæ Christianorum Præses, dirige nos ad mysticorum Oraculorum plus quàm indemonstrabile, & plus quàm lucens & summum fastigium, vbi simplicia, & absoluta, & immutabilia Theologiæ mysteria, aperiuntur in caligine plusquàm lucente silentij arcana docentis, quæ

in

in obscuritate tenebricosissimâ plusquàm clarissimè superlucet, & in omnimodâ intangibilitate atque inuisibilitate, præpulchris splendoribus mentes oculis captas superadimplet. Hæc quidem mea sint vota: tu verò, chare Timothee, in mysticis contemplationibus, intentâ exercitatione, & sensus relinque, & intellectuales operationes, & sensibilia, & Intelligibilia omnia, & ea quæ sunt, & quæ non sunt vniuersa, vt ad vnionem eius, qui supra essentiam, & scientiam est, quantum fas est, indemonstrabiliter assurgas; siquidem per liberam & absolutam, & puram tui ipsius à rebus omnibus auocationem, ad supernaturalem illum caliginis diuinæ radium, detractis omnibus, & à cunctis expeditus, euchêris.

Admyslicã contemplationẽ nostri ipsius & virili omnium abdicatione assurgitur.

Hæc autem vide, ne quis audiat indoctorum: istos dico, qui rebus [naturalibus] adhærescunt, & nihil vltra naturalia supernaturaliter esse imaginantur, quinimò arbitrantur suâ cognitione nosse eum, qui posuit tenebras latibulum suum. Quòd si supra captum horum sint diuinorum mysteriorum institutiones: quid dixerit quis de illis qui magis rudes sunt, qui summam eausam omnium, ex iis quæ in naturâ rerum extrema sunt, designant, nihilque aiunt eam antecellere impiis multarum formatarum imaginibus, quas ipsi fingunt, cùm oporteret in eâ, vt omnium causâ, omnes entium affirmationes statuere ac de eâ affirmare; quin illas ipsas omnes de eâ magis propriè negare, tanquam supra omnia superexistente, nec existimare negationes affirmationibus esse contrarias, sed ipsam, multò priorem & superiorem priuationibus esse supra omnem & ablationem, & positionem.

§. 2. Mystica profanis minimè cõmunicanda. Psal. 17. 13. Quomodo in Deo omnia affirmanda & neganda.

Hac vtique ratione Diuus Bartholomæus ait & copiosam esse Theologiam, & minimam, atque Euangelium amplum & magnum, & rursus concisum. illud, vt mihi videtur, eximie intelligens, quòd benigna omnium causa sit & multiloqua, & breuiloqua simul atque nullius sermonis, vtpote cuius neque dictio neque intelligentia sit, quia cunctis creatis superessentialiter supereminet, & absque operimentis ac verè ostenditur solis iis, qui cuncta quæ impura, quæque pura sunt, pertranseunt, omnemque omnium sanctorum fastigiorum ascensum transcendunt, & omnia diuina lumina, & sonos, & sermones cœlestes relinquunt, & in caliginem absorbentur, vbi verè est, sicut ait Scriptura, qui est vltra omnia. Non enim temerè diuinus Moyses expiari primùm ipse iubetur, ac deinde à non expiatis segregari, & post omnem expiationem audit multisonas tubas, cernitque multa lumina, puros ac multiplices radios iacientia: postmodum à multitudine separatur, & cum electis sacerdotibus ad summum fastigium diuinorum ascensuum pertingit. Sed hactenus nondum versatur cum ipso Deo, nec cum videt (inaspectabilis enim est) sed locum vbi stetit. Hoc autem existimo significare, diuinissima & summa eorum quæ cernuntur & intelliguntur, rationes quasdam esse quæ subiiciant menti illa, quæ sunt subiecta ei, qui vniuersis antecellit; quibus præsentia ipsius, quæ omnem cogitationem mentis vincit, declaratur insistens tanquam in vestigiis summis intellectilibus locorum eius sanctissimorum: ac tunc ab iis ipsis quæ videntur, & ab iis quæ vident, absolutus & expeditus, in caliginem verè mysticam incognoscibilitatis ingreditur, in qua omnes scientificas apprehensiones excludit, & in omnimodè intactili & inuisibili hæret, totus existens ipsius qui est vltra omnia; neque vllius, neque suus, neque alterius, cum eo autem qui est penitus incognoscibilis, per vacationem omnis cognitionis, secundùm meliorem partem copulatus, & eo ipso quod nihil cognoscit, supra mentem cognoscens.

§. 3. Qua sit breuis & fusa Theologia. Qui diuinam caliginẽ ingrediantur. Exod 19. Exod. 33.

SCHOLIA S. MAXIMI.

VBI SIMPLICIA.] Simplicia & absoluta sunt, quæ nudè, sicuti sunt, sine symbolicis integumentis, & sine parabolis intelliguntur & videntur. Itaque absoluta dicit ea, quæ non per nominum explicationem, sed notionum cessatione & absolutione percipiuntur, quam quidem sacri motûs cessationem tenebricosissimam vocauit carentiam notionis, modo autem tenebricosissimam & inuisibilem caliginem, iuxta Psalmistam; *Nubes & caligo in circuitu eius*, & : *Posuit tenebras latibulum suum.*

Psal. 17. 10. Psal. 17. 12.

MENTES OCVLIS CAPTAS.] Neque enim sensibilibus oculis abundant, sed substantia eorum est mens viuens, quæ tota existit oculus acutissimè visus; vnde dicuntur in Scripturis esse multorum oculorum.

ET SENSVS RELINQVE.] Idem nunc ex comparatione declaratur: quoniam veteres ea dicebant sensilia, quæ omnem mutationem capiebant, & non semper in eodem statu erant; intellectilia verò vocabant ea, quæ semper erant immortalia voluntate auctoris, & substantiam non mutabant. Hæc sæpè explicuimus in libro de Diuinis nominibus.

SVPRA OMNEM SVBSTANTIAM.] Simplicitatem & supra omnem vnitatem. Quomodo autem quis absque notione in Deum erigatur, tum in libro de Diuinis nominibus capite quinto dictum est, tum hic paulo post repetitur.

PER LIBERAM ET ABSOLVTAM.] Liberam auocationem vocat recessum ab omni affectu, se nempe vt nullâ affectione implicetur, neque erga se neque erga aliquam creaturam.

TENEBRARVM RADIVM.] Hoc loco tenebras vocat omnimodam incomprehensibilitatem.

NEMO EORVM QVI NON SVNT INSTRVCTI.] Nota vt hic etiam profanos sen non instructos vocet eos, qui alioquin etiam non sunt exortes mysteriorum, sed rebus adhuc sensilibus inuoluti sunt, neque imaginantur [Deum] quidquam esse supra ea quæ existunt. Denique de omnino profanis statim subiungit. Et nota quod alios dicat ἀμύητοι, & alios ἀμύστοι seu minimè instructos.

§. 2.

SI AVTEM SVPRA HOS SVNT.] Antea locutus est de iis qui Christo quidem nomen dederant, sed ad vlteriorem notitiam minimè peruenerant, sed propriæ opinioni veritatem admensurabant, neque discrimen agnoscebant inter ea quæ propriè sunt, & inter ea quæ æquiuocè sunt, nec non illum qui omnibus iis quæ sunt præstat, atque adeo superessentialis est. Tales igitur tanquam in rebus altioribus nondum instructi, existimabant hoc velum, quod Deum nobis occultat eumque ab omnium aspectu abscondit, reuerà tenebras obscuras esse: quâ ignorantiâ etiam multi inter nos laborant, quippe qui ignorent, vberrimam lucem aspectum nostrum obfuscare. Si igitur, inquit, inter nos tales existant, quid de idololatris dicemus, qui cùm expertes sint mysteriorum, etiam simulacra stupentes venerantur? Propriè igitur sunt intellectilia, æquiuocè vero sensilia, hoc autem est supra fideles, scilicet eos qui rebus corruptibilibus adhærent.

CVM OPORTERET IN EA.] Deum omnia esse vt Deum decet, positio est, & nihil eorum esse vt supra substantiam est, negatio; vtrumque propriè dicitur in Dei amplitudine. Quid autem sint negationes ablationum, & affirmationes positionum, & quid priuationes, tum hoc loco explicatur, tum maximè in tertio capite libri de Diuinis nominibus diuersimodè ac fusè explicuimus.

Quid sit positio & negatio in Deo.

CONTRARIAS ESSE.] Quoniam in Deo negationes affirmationibus non opponuntur, siquidem Deus est supra omnem ablationem & positionem. Lege illa quæ sunt in libro de Cœlesti Hierarchiâ paulo post initium.

HAC VTIQVE RATIONE DIVINVS BARTHOLOMÆVS.] Hinc etiam nota, hæc diuina opera sine fictione esse Magni Dionysii. Præterquam enim quod in prioribus libris quorundam dicta citauerit, qui Apostolis coniuxerant, modo similiter D. Bartholomæi sententiam adducit, vt verbum *ait* declarat. Non si absque scripto id tradidisset, vtique dixisset *aiebat*. Nota, cum adferre auctoritatem S. Bartholomæi, quod Theologia sit multa & minima.

§. 3.

QVONIAM ET COPIOSI SERMONIS.] Πολύλογος accentu in pænultimâ, est multa dicens; πολύλογος vero accentu in antepænultimâ, multorum verborum indigus: sicut etiam φωσφόρος accentu in antepænultimâ, est is qui

qui primò patitur; πρωτοτόκος verò accentu in pænultimâ, est mulier quæ primò parit: vti etiam Homerus declarat:

Nunc primum pariens Cinyre, prius inscia partus.

VTPOTA QVÆ NEQVE SERMONAM.] Nempe qui propriam naturam exteriùs repræsentet. Simili modo de notitiâ intelligendum est.

OMNIA DIVINA LVMINA ET SONOS.] Sonos ac sermones cœlestes, vocat ea quæ de Deo in Scripturis dicta sunt, quippe quæ non secundùm humanam ac terrenam intelligentiam, sed secundùm diuinam inspirationem, & dicta sint & tradita.

DIVINVS MOYSES.] Obserua quomodo de Moyse loquatur, quod nempe postquam in montem ascenderat, atque caliginem ingressus fuerat, quoad homini fas est, Deum viderit. Nota etiam ordinem eorum quæ Moysi contigerunt, antequam dignus est habitus in caliginem ingredi.

SED LOCVM VBI STETIT.] Quis sit locus in quo Deus stetit coram Moyse, & quid sint apices intellectilium ac sensilium, explicuimus in libro de Cœlesti Hierarchiâ, sub finem cap. primi.

HYPOTHETICAS.] Hypotheticas rationes vocat eas, quæ res describunt, & quasi contemplandas præbent, quas ait esse Deo subiectas. Ex iis enim, siue ipsarum perseuerantiâ & conseruatione, docemur ipsum rebus omnibus esse præsentem, non transeundo, sed prouidendo. Spiritales verò vertices, vocat cœlestes & intellectiles essentias, quæ circa Deum sunt, quas & locos sanctissimos appellauit, quibus supereminet, & à quibus absolutus est, secundùm nihil omnino ipsis assimilatus.

Quid sint vertices spiritales.

ET TVNC ETIAM AB IIS ABSOLVTVS.] Secundùm sententiæ huius constructionem atque expositionem sic intelligendum est, quod Moyses locum vbi Deus steterat contemplatus, tumque ab iis quæ videntur absolutus, id est, ab omnibus sensilibus; & ab aspectibilibus, id est, omnibus rationalibus, intellectilibus inquam & intelligentibus substantiis, & cum his etiam ab animabus nostris liberatus, posteà in caliginem ingressus est, hoc est in Dei ignorationem; vbi cùm omnis cognitionis subsidia exclusisset, fuit in intactili & inaspectabili mente Dei, qui supra omnes intelligendi facultates constitutus est, atque hoc modo erat ignorationi cessationique coniunctus, non dico per ipsius propriæ mentis cessationem, neque per cessationem alterius, neque seipsum, neque quidquam aliud intelligendo, sed secundùm potiorem mentis portionem isti ignoto, quod omnia excedit, penitus vnitus, tum demum sine notione omnia nouit. Nota verò vt per caliginem ignorantiam intellexerit. Quomodo autem Deus per ignorationem cognoscatur, tum hic dicit, tum in libros de Diuinis nominibus capite secundo fusiùs exposuimus. Porrò sciendum, in illo Exodi (vbi Moyses diuinam illam caliginem, vbi Deus erat, subingressus esse describitur) Hebræum textum habere *araphel*, quod Septuaginta quidem & Aquila atque Theodotion γνόφον seu *caliginem* interpretati sunt, Symmachus vero ὁμίχλην, id est *nebulam*. Hebræus vero dicit araphel esse nomen firmamenti in quod Moyses penetrauit: tradunt enim, esse septem firmamenta, quæ etiam cœlos vocant, nomináque recensent, quorum non est necesse modò meminisse. Legi etiam septem cœlos in disputatione Papisci ac Iasonis, quæ scripta est ab Aristone Pellæo, quam Clemens Alexandrinus in sexto libro Hypotyposeon ait sanctum Lucam descripsisse. Porrò de caligine, quæ diuinâ ignoratione consideratur, optimè etiam commentatur in Epistolis suis: in quintâ autem perfectè hoc argumentum tractat.

Moyses quid in caligine viderit.

OMNIS COGNITIONIS CESSATIONE.] Nota, quod per omnis cognitionis cessationem, ignoto [Deo] coniungamur.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Diuus quidem Dionysius, libro suo de Diuinis nominibus præmiserat illum de Theologicis informationibus, ceu præuium aspectum eorum quæ sparsim in Scripturâ de Deo dicta sunt; subiunxerat vero librum de Symbolicâ Theologiâ, in quo docuerat, quænam à sensilibus ad diuina translationes essent, & cætera quæ scripta de Theologicis informationibus, ac Diuinis nominibus prolixiora erant, ob causam, quam in tertio capite de Mysticâ Theologiâ tradit. Post illos itaque tractatus, hunc auspicatus est. Nemo igitur librum illum de Symbolicâ Theologiâ, ad quem, post illum de Diuinis nominibus, se transire dicit, existimet hunc esse de Mysticâ Theologiâ, sed post illum sciat istum à sancto Patre compositum fuisse, qui cùm modo non reperiatur, hic de Mysticâ Theologiâ hoc loco subiungitur.

§. I.

CVm de Mysticâ Theologiâ, ab omni inquam symbolo nominéque absolutâ, & omnium intellectilium absolutione, omniúmque cogitationum cessatione collectâ, dicturus esset, quam in aliis quoque ab intellectili motione cessationem appellauit; idcircò antequam verba faciat, adhibet precationem, atque sanctam inuocat Trinitatem, dicens: Trinitas, & supra ipsum esse, & supra quàm Deum esse, & plus quàm bonum esse habens, siquidem id vim habet productionis, scilicet esse; illud verò efficaciæ, scilicet Deus; aliud vero habitudinis, scilicet bonus, quæ vtique occultam Dei nullo modo declarant. Hinc vero discere liceat, quod dum de Mysticâ Theologiâ verba facere institueret, & propter hoc peteret illuminari, hanc ipsam precationem mysticè componat. Non enim dixit quid sit Trias, sed illa quibus est superior. Hæc enim est Mysticâ Theologiâ, quæ neque sensatio est, neque ratio, neque mentis motio, neque operatio, neque habitus, neque quod quidquam rerum nostrarum explicare possit; sed in perfectâ mentis cessatione circa ipsam illuminati, cognoscemus eam esse supra omnia quæ mens intelligit: & cùm mysticum quid & ineffabile contineat, secundùm hoc solum sermones de illa erunt, & Theologia vocabitur, quoniam hoc de Deo dicitur quod sit supra omnia. Tu itaque, ô sancta Trinitas, diuinæ sapientiæ in Christianis præses, quæ mentem regis, vt congruè de diuinis sentiat, & non sapiat superuacanea, dirige nos ad supremum verticem, quo nihil sublimius excogitari potest, qui supraquam ignotus, & supraquam lucidus & supra omnem cognitionis negationem, & luminis affirmationem existit. Quoniam licet ignota sit istiusmodi sublimitas, non tamen quasi nullo modo sit, sed tanquam existat quidem, sed ex æquo etiam omne lumen vincat, id est omnem cognitionem, & omnem ignorationem: hoc enim est supraquam lucens, atque item supraquam ignotum. In quo vtique vertice, simplicia, & vniformia & absoluta, videlicet ea quæ sine symbolis, & vt sunt, existunt: non tamen parabolicè mysteria secundùm supraquam lucidam occultè mysticique silentij caliginem velantur, in hac vtique caligine tenebricosissimâ, propter mysterium & arcanum suprà quàm lucent ea quæ supraquam lucidissima sunt, propter infinitatem donorum ac prouidentiarum & beneficiorum Dei, ex quibus supraquam lucet illud Dei secretissimum, & tactum visumque fugientibus supraquam pulchris fulgoribus & splendoribus mentes oculis carentes implet, quas alio modo multorum oculorum esse dicit, Angelicas scilicet diuinasque virtutes: non enim sensilibus oculis plenæ sunt, sed earum essentia viua quædam mens est, id est oculus perspicacissimus, quæ & oculis carere censentur, propter inaccessam illam caliginem silentij diuini. In quantum itaque Deus inuisibilis est, in tantum etiam mentes hæ oculis carent. Quemadmodum enim ipse inuisibilis existens, simul omnem pulchritudinem & desiderium excedit, & non idcircò quod non videatur, despicitur, sed in quantum desideratur, pulchritudinibus adimplet. Sic etiam mentes oculis carentes respectu splendoris earum captum excedentis, alio modo multis oculis instructæ tanquam multisciæ quoad cognitiones earundem captui accommodatas, diuinas experiunt illustrationes; nec idcircò quod eas non assequantur, etiam contemnunt, sed quod eas desiderent, pulchritudinibus replentur. Illud autem ἀόμματα

Quid sit Mystica Theologia.

ne

ne secundùm tactum sensilem accipias, sed secundùm intellectilem, quæ est notio. Itaque in intactili seu ignoto & inaspectabili, non sistit desiderium rerum optabilium, sed potiùs exsuscitat, vnde etiam pulchritudinibus adimplet. Tu verò, ô bone Timothee, mysticis spectaculis intende, vt vel sic diuinas res vti decet penetres. Quemadmodum enim si cui fune, vt sic dicam, graue pondus aliquod attrahendum, intentus esse, nec quidquam attractiuæ facultatis interim remittere debet (nam si quid remiserit, rursus ab initio vt vires colligat & intendat necesse est, & si iterùm remittat denuò ad principium redibit, & nihil rectè peraget, quoniam vel parua remissio totum destruit: (sic etiam accipe in diuinâ perscrutatione, quam & exercitationem vocat. Eò vsque autem sensus relinque, quoniam supra sensum; & intellectiones, quia supra intellectum: omniáque sensilia intellectiliáque symbola, tam quæ non sunt quàm quæ sunt, ex opposito ipsa. Nam sensilia vocabant ea quæ non sunt, vt quæ omnem mutationem participant, & non sunt semper eodem modo: intellectilia vero ea quæ sunt, vtpote in identitate permanentia, & penes vnionem illam vnitam & indiuisam ac diuinam quodammodo intellectionem. Hæc enim est vnio, secundùm quam mens vnitur, & adducitur ad aliquid intelligendum. Sine notione assurge: verumtamen nemo existimet, quòd sine notione dicam, te fortè tanquam res diuinas minimè assecutum, eas ignoraturum, alium verò quempiam illas intellecturum; sed diuina supra omnem essentiam & notionem existere, atque absolutè omnibus ignota esse. Liberum vero excessum dicit, recessum ab omni affectione. Nullam ergo habens affectionem, ne quidem ad temetipsum, nec ad aliam aliquam creaturam, & temetipsum ab omnibus abstrahens, & ab omnibus absolutus, vt nihil etiam symbolorum inferiorum & sensilium retineas, vnde poteris confirmari: neque etiam retinearis ab aliquo similium, te ad talia conuertendo, sic demum ad diuinæ incomprehensibilitatis radium adducêris.

Quid sit posse sine notione.

§.2.

Nota autem vt ἀμυήτους hic etiam dicat eos, qui alioquin etiam non sunt exortes mysteriorum, sed rebus adhuc sensilibus inuoluti sunt, neque imaginantur Deum quidquam esse supra ea quæ existunt, qui videlicet in nomine quidem Christi credunt, ad perfectiorem tamen notitiam non assurgunt: ἀμυήτους, vero vocat idololatras, omnium prorsus mysteriorum exortes. Ait itaque, Vide ne quis eorum mysteria hæc audiat: nam si illi qui non sunt instructi, nihil sublimius imaginari possint, sed existiment istiusmodi esse Deum, qualem ipsi concipere possunt, qui secundùm Scripturam posuit tenebras latibulum suum, id est, qui in sublimissimâ ignoratione absconsus est; quid dicat quis de iis qui magis profani sunt, & idololatræ existunt? Cùm verò dicit supra hos esse diuinas mystagogias, non ideo dicit quod diuina fortè supra hos quidem sint, non sint autem supra alios: etenim quid noui erat, siquidem ipsi, cùm rudes essent, ea non caperent? Non enim dixit, Supra horum cognitionem, sed, Supra ipsos; ac si diceret, nondum sciunt Deum esse supra id quod possunt intelligere; quin & hoc eorum captum excedit, & arbitrantur suâ notione se Deum nosse, duplici laborantes ignorantiâ, scilicet secundùm affectum, & diuina ignorantes, & quod ignorent nescientes. Quid igitur dicemus de profanis, qui Deum ex rebus infimis, scilicet inanimatis materiis & formis describunt? Oportet etiam ipsi omnem rerum positionem attribuere, sicut in libro de Diuinis nominibus tradidimus, quoniam ex omnibus diuinum Numen nominatur, tanquam causa ex effectis; & omnia ipsi attribuenda, tanquam existenti supra omnia. Non enim axioma contradictionis ibi locum habet, sicut hic: quoniam hic in re omni vel affirmatio est vel negatio, & si affirmatio vera sit, negatio falsa est, vel contrà, ibi vero tam affirmatio quàm negatio vera est, secundùm sensus dictos. Cùm vero Deus sit supra omnem cùm ablationem tum positionem, & supra id quod non est, & supra id quod est, & supra cognitionem & supra ignorationem, multò magis est supra priuationes, vel supra positiones. Nam qui tollit positionem, definitum quid tollit, & fortè mens ad quid aliud delabetur, existimans, cùm illud non esset, esse hoc, vel aliud; & si omnia quis tollat, occurret illi quod omnino non est: qui vero tollit priuationem, in his in quibus mens non potest concipere aliquam habitudinem, omnino præbet suspicandum illud, esse aliquid incomprehensibile quod dico. Ecce positio, quoniam prædico de Deo lumen; aliquis vero negat illud, quia Deus non est lumen, suspicor illum esse quid aliud à lumine; negat etiam illud, & ad aliud dilabor; si neget omnia, etiam nihil omnino cogitabo. Veni etiam ad priuationem. Ecce dicit priuationem, quoniam summus vertex ignotus est: negat quis ignotum, non potest intellectus confirmari quod notus sit. (Hoc enim in conceptibus communibus est manifestum) concipitur itaque quasi sit aliquid, quod sit non solùm supra notionem, verùm etiam supra ignorationem; & ex his Deo incomprehensibilitas attribuitur. Idcircò etiam hic Pater tanquam quid præstantius ponit, Deum esse ac dici supra priuationes, vel supra positiones.

Quomodo Deus sit supra positionem & ablationem.

Deinde traditionem quandam non scriptam sancti Bartholomæi Apostoli ponit, dicentis, multam esse Theologiam & perexiguam, & Euangelium esse latum & magnum. Reliquum existimo hic etiam silentio suppressum: oportebat enim hic iterùm dicere angustum & paruum, & arbitror hoc silentio suppressum, vel ab ipsomet sancto Bartholomæo, quando eam sententiam proferebat, vel modò ab hoc Patre, propter ipsius rei dissimilitudinem. Quomodo enim angustum sit, quod totum mundum capit? & quomodo paruum id, quod magnum pietatis mysterium complectitur? Hoc vtique factum est, vti puto, propter religionem. In quibusdam vero iterùm reperitur concisum. Priorem periodum hic sanctus explicans, ait, vt mihi videtur, quasi diuinus Apostolus illud intelligens, hæc dixerit; quoniam omnium causa multis etiam verbis opus habet, & nullo & breui verbo dicitur: caret enim verbo & conceptu propriam eius naturam explicante, πολύλογος autem scribitur cum accentu in antepænultimâ, nam πολυλόγος cum accentu in pænultimâ, est *multa dicens*, πολύλογος verò, *multis verbis indigens*: sicut etiam πρωτότοκος accentu in antepænultimâ, est qui primò paritur, πρωτοτόκος vero in pænultimâ, mulier quæ primò parit, vti etiam Homerus declarat:

§.3. *Quid sit Theologiam esse magnă & paruum.*

Nunc primùm pariens Cinyre, priùs inscia partus.

Cùm itaque dixisset, quòd neque sermonem haberet neque conceptum, id explicans ait, non quasi nullo modo sit, sed quod supraessentialiter omnibus antecellat, & solis iis appareat, quæ cuncta quæ impura quæque pura sunt, pertranseunt, & qui omnem verticem transcendunt, omniáque lumina, id est omnem notionem, omnésque sonos ac sermones, eorum videlicet quæ de Deo in Scripturis dicta sunt, relinquunt. Vocat autem hos cœlestes, tanquam non secundùm humanam terrenámque intelligentiam, sed secundùm diuinam inspirationem, & dictos, & traditos, & diuinâ illâ ignorationis caligine inuolutos, vbi est is qui omnibus superior existit. Obserua vero quomodo dixit, Iis qui tam impura quàm pura pertranseunt; quoniam illa etiam quæ apud nos pura sunt, cum diuinâ illâ puritate comparata, immunda reputantur, iuxta quod dictum est: *Omnis iustitia hominis quasi pannus menstruatæ*: cum diuinâ omnino iustitiâ comparata, cuius non est numerus. Obserua item illud, Qui omnem verticem transcendunt, cùm sensilium, tum intellectilium, non solùm quodammodo res ipsas, verùm etiam earum summitates. Summitates enim veteres appellabant id quod in qualibet essentiâ purissimum existit, ex quo assiduè seu continenter essentia dependebat. Sic animæ vertex seu summitas est mens, & amoris, qui supernorum desiderio succenditur; & nostræ Hierarchiæ, id quod proximè intendit immaterialitatem. Sic rursum in sensilibus, ignis, id quod lucidissimum; & aquæ, id quod tenuissimum est, & cætera proportione suâ. Hortatur itaq; hic sermo, sanctorum quoq; verticum ascensum superare, & sic locum apprehendere in quo est Deus, id

Isa.64.6.

Quomodo Moyses sit ingressus caliginem.

quod etiam Moysi accidit. Nota ordinem eorum quæ Moysi contigerunt, priusquam dignus est habitus in caliginem ingredi. Primùm enim expiatus fuit, & sic ab aliis segregatus. Vbi enim vnà cum aliis tubas audiuisset, & diuina lumina vidisset, segregatur, & cum Sacerdotibus constituitur: & in diuinam caliginem immersus, Deum quidem non videt (Deum enim nemo vidit vnquam) sed locum io quo steterat. Vnde significatur, eorum quæ intelliguntur & videntur summitates, esse rationes quasdam hypotheticas eorum quæ in Deo sunt. Hypotheticas verò rationes vocat eas quæ res describunt, & quasi contemplandas præbent, quas ait esse Deo subiectas, id est intelligi inesse ipsi: ex iis enim docemur, ipsum rebus omnibus esse præsentem, nòn transeundo, sed prouidendo. Spiritales verò vertices vocat cælestes & intellectiles essentias quæ circa Deum sunt, quas & locos sanctissimos appellauit, quibus supereminet, & à quibus absolutus est, secundùm nihil omninò ipsis assimilatus. Moyses itaque contemplatus locum vbi Deus steterat, tumque ab iis quæ videntur absolutus, id est ab omnibus sensilibus & aspectabilibus, id est omnibus rationalibus, intellectilibus, inquam, & intelligentibus essentiis, & cum his etiam ab animabus nostris liberatus, posteà in caliginem ingressus est, hoc est, in Dei ignorationem; vbi cùm omnis cognitionis subsidia exclusisset, fuit in * obscurâ mente, quæ videri nequit, Dei, suprà omnes intelligendi facultates constituti, taliqúe modo coniunctus ignorationi & cessationi. Non dico propriæ mentis circa ipsum cessationi, neque etiam alterius cessationi, nec seipsum, nec quidquam aliud intelligendo (hoc enim merum otium stupiditasqúe mentis est) sed secundùm potiorem mentis portionem isti ignoto penitùs vnitus, omnis cognitionis cessationem obtinendo, sponte scilicet conuenienterqúe deserendo omnem notionem, quæ extrinsecus affusa quodammodò confundit potiùs magisqúe obest quàm prosit, cùm sine notione omnia nouit. Nunquid verò etiam hic simile quid obscurè fit, quando volumus quidem aliquid mente volutare, sed sæpenumerò ab aliquo interpellamur, quasi io mentem quidpiam reuocare volente, & nos huic indignamur quòd nos turbet, & obscuram illam, quam menti impresseramus, imaginationem pessumdet. Quid coim mens aliud tunc velit, quàm in cæterarum cessatione rerum, circa id quod ei propositum est, vacare? Circa caliginem porrò, nota, Hebraïcum habere *araphel*, quod Aquila quidem atque Theodotioo γνόφον seu caliginem interpretati sunt, cum Septuaginta conuenientes: Symmachus verò ὀμίχλην, id est nebulam. Hebræus verò dicit *araphel* esse nomen firmamenti in quod Moyses peruenit: dicunt enim esse septem firmamenta, quæ etiam cœlos vocant, quorum etiam sigillatim nomina recensent. Hic Sanctus verò caliginem intellexit ignorationem seu notionis vacuitatem.

** Max. Intactili.*

CAPVT II.

Quomodo oporteat etiam vniri, ac laudes referre omnium auctori, qui est supra omnia.

SYNOPSIS CAPITIS.

Optat in diuinam caliginem intromitti, & sine notione Deum cognoscere, quod fit potissimum per omnium ablationem, quæ non sunt Deus, imitando sculptores, qui per materiæ ablationem statuam dedolant: & simul ostendit, vt per ablationes contrario modo procedatur, quàm per positiones seu affirmationes.

NOs in hac supraquàm lucente caligine versari exoptamus, & per visionis cognitionisqúe negationem videre & cognoscere id quod supra visionem cognitionemqúe existit, hoc ipso quod non videmus neque cognoscimus: hoc enim est verè videre & cognoscere, & supraessentialem supernaturaliter laudare per omnium rerum ablationem, non secùs ac qui statuam natiuam dedolant, auferentes omnia quæ circumposita claram formæ latentis visionem impediebant, ablatione solâ genuinam eius occultam pulchritudinem manifestant. Oportet autem, vt existimo, ablationes contrario modo, quàm positiones celebrare: siquidem illas à primis incipientes, & per media & extrema descendentes, ponebamus; hîc verò ab extremis ad prima ascendentes, omnia remouemus, vt reuelatè cognoscamus illam incognoscibilitatem, quæ ab omnibus, quorum cognitio est, in rebus omnibus obtegitur; & supernaturalem illam caliginem intueamur, quæ ab omni, quod in rebus est, lumine occulitur.

Quomodo ablationes & positiones celebrandæ sint in Deo.

SCHOLIA S. MAXIMI.

NOs IN HAC.] Hic quoque de diuinâ caligine & ignorantiâ verba facit. Vbi nota, quòd in hac diuinâ caligine versari, sit aspectûs priuatione, & sine notione cernere atqoe cognoscere id quod aspectum notionemqúe transcendit, id ipsum neque videndo, neque cognoscendo: hoc enim est, inquit, reuerà videre, & cognoscere. Nusquam autem sic explicat in ignoratione cognitionem. Lege etiam Epistolam quintam ad Dorotheum.

PER OMNIVM RERVM.] Id est, cogitando, nihil eorum quæ sunt, ipsi adhærere; hoc enim ablationem appellauit. Genuinam autem statuam vocat, quæ fit in materiâ non defectâ, vt in lapide adhuc integro, in quo quis sculpat aliquod animalculum, vt declarat Euripides in * Andromedâ:

> ——*Virginisq; imaginem quandam*
> *Ex lapideis propriâ naturali formâ constantibus muris*
> *Docta simulacrum manûs.* ————

** Andromache.*

Nam per se formatam statuam, vocat formam petræ naturalem. Quio etiam quando quis partem arboris consistentis ac florentis insculpserit; aot partem tori fecerit; sicut Homerus in Odysseâ Vlyssem fecisse tradit; quando in quadam arbore victoriæ trophæum insculpsit. Similiter quoque intelligit pretiosi cuiusdam lapidis seu gemmæ simulacra, vt quando smaragdus ab omni materiâ terrestri circumiacente expurgatus, exhibet quandam effigiem seu splendidum ornamentum, ad quod maximè nunc respiciens, id, quod propositum est, refert: quemadmodum etiam Dionysius Poëta libro secundo de Lapidibus, ait:

> *Iaspidis obscurè virentis, aut amethysti*
> *Purpurei simulacrum, nigro perfusus sanguine hyacinthus*

hæc enim omnia ingentem sancti huius viri eruditionem declarant.

OPORTET AVTEM, VT EXISTIMO, ABLATIONES.] Pater ipse locum hunc in sequentibus explanat. Positiones itaque sunt, quæcunque in Deo dicuntur, vt ei conuenit vt ens, vita, lumen, & alia: ablationes autem, quæcunque à Deo aliena negantur, vt Deus non est corpus, non anima, nec quidquam eorum quæ in cognitionem cadunt. Aliter. Quid sint positiones, & ablatiooes, in libro de Diuinis nominibus diuersimodè cognouimus.

Positiones & ablationes quales sint.

IN OMNIBVS REBVS.] Rerum, inquit, notiones arcanum Dei noo detegunt, neque perspectum reddunt, sed potiùs obtegunt & occultant: lumen verò quod in rebus est, accipiendum est pro cognitione, quâ res cognoscuntur, io quantum res sunt, prout etiam in sequentibus reperimus.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Quid sit in caligine versari.

CVM didicerimus de diuinâ caligine io quam Moyses introiuit, sitqúe hæc cessatio mentis atque ig-

noratio

noratio, quædam cognitio, optamus etiam in illâ versari. Porrò in hac diuinâ caligine versari, est aspectûs priuatione & sine notione cernere atque cognoscere id quod aspectum notionemque transcendit, id ipsum neque videndo, neque cognoscendo. Sæpè autem diximus, non in quantum mens operatur, aut in quantum mouetur ac cognoscit, Deum cognosci, sed in quantum potiùs non videt neque cognoscit ab omni motu absoluta, ipsique secundùm optimam sui partem vnita, statum quodammodò & immobilitatem obtinens, dum ab ipso illustratur. Nunquid enim etiam hìc in nostrâ visione hoc obscurè quodammodò fit, quando aliquo desiderio præoccupati, & id ipsum videre gestientes, re desideratâ iam præsente, illicò nostra visio in Ipsâ colligitur, non partialiter, sed totaliter Intenta, atque adeò immota? Quis etiam sæpenumerò nonnulli manu suâ oculos substruunt, videndi vim quodammodò excitantes. Vnde etiam extases & stupores? nisi quòd mens extrinsecùs deficiens, in semetipsam tota conuertitur, & partiales intellectiones deserens, totaliter quiescit, In rem amaram tota translata? vnde etiam homo videtur totus extra se positus. Sciendum enim, mentem vniuersi huius similitudinem præ se ferre. Siquidem vniuersum secundùm partem mouetur in eo quod nunc sit, Ita vt v. g. pars illa sit in Occidente, quæ anteà erat in Oriente, & alia alibi; & sic de omnibus partibus, secundùm quas vtique moueri quoque cælum dicitur, quoniam secundùm se totum immobile manet in seipso, tanquam in proprio loco conuersum. Idcircò etiam dicebamus mentem, partialibus intellectionibus sepositis, totaliter quiescere. Cùm hoc itaque in rebus nostris sic se habeat, quid dixerit quis de diuinâ istâ pulchritudine, quam nec effari, nec mente concipere quisquam potest? Lege etiam super hac re Epistolam huius sancti ad Dorotheum, vt aliquo modo tibi declaretur, quæ & qualis cognitio, sit ista ignoratio. Illud enim non videre, verè est videre; & istud ignorare, verè est nosse, atque Ita suprasubstantialem congruè pro suâ suprasubstantialitate collaudare.

Quid sit Deum nosse per ablationem.

Quomodo hoc? ex omnium ablatione. Cùm enim non possimus quidpiam positiuè pro eius dignitate dicere, eò quòd ex omnibus rebus nihil quod ipsi affine sit excogitare valeamus, celebramus ipsum ex omnium ablatione, idemque facimus quod sculptores, qui natiuam aliquam statuam dedolant, qui superflua auferendo, latentem in ipsâ formam manifestant. Genuinam enim statuam vocat, quæ fit in materiâ non desectâ, vt in lapide adhuc integro, in quo quis sculpat aliquod animalculum, vt declarat Euripides in * Andromedâ, dicens: *Ex lapideis propriâ naturali formâ constantibus muris, doctæ simulacrum manûs.* nam αὐτόφυτον ἄγαλμα seu per se formatam statuam, vocat formam petræ naturalem. Quin etiam quando quis partem arboris consistentis & florentis insculpserit, sicut dicit Homerus Vlyssem fecisse, quando in arbore constituit & sculpsit lectum naturalem. Alij verò pretiosos lapides vocant simulacra, quando videlicet smaragdus ab omni materia terrestri circumiacente expurgatus, exhibet ἄγαλμα, id est, ἀγλάισμα seu splendidum ornamentum. Magis autem id ad propositum spectat, quàm prius: siquidem positiones sunt, quæ propriè de Deo dicuntur id quod est, vt ens, viuens, lux, & cætera. Ablationes verò quæ vt â Deo aliena negantur, v. g. quòd Deus non sit corpus, non anima, neque quidquam eorum quæ cognoscuntur vel cadunt sub notionem. De istiusmodi itaque positionibus & ablationibus hic Pater agens, reperit iis quandam inesse oppositionem, quando ipsum ex his celebrantes, Deum declaramus. Etenim cùm positiones quidem in libro de Diuinis nominibus, prædicabamus, à primis incipientes, & per media transeuntes, ad extrema descendendo illas ponebamus. Primùm de ente disserentes, ac deinde de bono, ac postea de vitâ, ac deinceps per cætera quæ mediant, ad extrema descendebamus, de Domino & de Rege, & de antiquo dierum, & similibus verba facientes. In ablationibus verò fit contrarium: dum ab extremis ad principaliora ascensus faciendo remouemus id quod posterius est, atque etiam ipsummet primum, dicentes: Non inebriatur, non dicitur, non intelligitur; & rursum: Non corpus, non elementum, non anima, non Angelus, non vita non ens, sed supra hæc omnia Deus est. Et sic sine reuelatione ad omnimodam ignorationem deuenientes, cognoscimus quodammodò illam notitiam in ignoratione: hanc enim ignorationem ait ab omnibus quæ noscuntur, in omnibus rebus circumuolui, & caliginem esse ab omni lumine in rebus omnibus absconsam. Hoc verò fit, quòd eorum quæ sunt cognitiones, & quæ de Deo sunt positiones, non detegant id quod ignotum est Dei, nec in lucem adducant, sed potiùs contegant seu occultent, cùm mens ibi non habeat vbi se figat, nec quidquam vnde aliquid intelligi possit apprehendat, sed potiùs in cogitationes minimè conuenientes incidat, quoniam haudquaquam firma est, & sensilia statim prætervolat. Porrò lumen in rebus non est aliud opinandum, quàm quo noscuntur res in quantum res sunt, sicut etiam in sequentibus reperimus. Hoc itaque lumen quod in rebus est, talisque rerum cognitio, potiùs Deum occulit. Naturalis enim rerum notitia non tantum prodest ad Theologiam, quantum noceat, dum id quod supra naturâ est, ad ea quæ sibi propria sunt, etiam secundùm naturam adducit. Sed quomodo positiones quidem à primis ad vltimas, negationes verò ab vltimis ad primas statuamus, ipse Pater in sequenti capite docebit.

CAPVT III.

Quæ sint affirmantes de Deo locutiones, quæ negantes.

SINOPSIS CAPITIS.

Ait se in Theologicis informationibus explicuisse illa quæ spectant ad Deum trinum & vnum; in Diuinis verò nominibus egisse de attributis quibus in Scripturis Deus nominatur; in Symbolicâ denique Theologiâ figuras, illas sensiles, quæ metaphoricè de Deo enuntiantur, explanasse: & simul rationem reddit, cur in aliis libris prolixior fuerit quam in Mysticâ Theologiâ. Tradit in fine modum formandi de Deo positiones & negationes.

Quid in Theologicis institutionibus tractarit Dionysius.

IN Theologicis quidem informationibus ea quæ affirmantis Theologiæ maximè propria sunt, celebrauimus; quomodo diuina bonaque natura vnica dicatur, quomodo trina; quænam secundùm illam Paternitas dicatur, & quænam Filiatio, quidve velit tibi illa diuina Spiritûs denominatio: quomodo ex immateriali & indiuiduo bono, cordialia ista bonitatis lumina pullulatint, & in Ipso, & in seipsis, & in se mutuò coæternâ propagationi mansione nusquam digrediendo permanserint: quomodo Iesus, supersubstantialis, humanæ naturæ veritatibus substantiatus sit, & quæcumque alia a Scripturis exposita in Theologicis informationibus celebrauimus. In libro autem de Diuinis nominibus, quomodo bonus nominetur, quomodo ens, quomodo vita & sapientia, & virtus, & quæcunque alia spiritalem Dei concernunt appellationem: in Symbolicâ verò Theologiâ, quænam nomina diuina è rebus sensibilibus translata sint, quæque diuinæ formæ, quæ figuræ, quæ membra, quæ instrumenta, quæ diuina loca, qui ornatus, qui furores, quæ tristitiæ & iræ, quænam ebrietates & crapulæ, quæ iuramenta, quæ maledictiones, qui somni, quæ euigilationes, & quotquot aliæ sunt symbolicæ effigiationis Dei sacræ formationes ac figurationes. Arbitror etiã te deprehẽdisse, quomodo extrema sint prolixiora prioribus: decebat enim informationes Theologicas, & diuinorum nominum explanationem minùs verbosa esse symbolicâ Theologiâ. Quantò enim ad altiora contendimus, tantò magis sermones nostri rerum intellectilium aspectibus contrahuntur: sicut etiam modò dum caliginem illam,

Quid in libro de Diuinis nominibus. Quid in Symbolicâ Theologiâ.

Cur in aliis libris sit prolixior, quàm in Mysticâ Theologia.

quæ intellectum superat, ingrediemur, non in breuiloquentiam dumtaxat, verùm etiam in silentium perfectum, & intelligentiæ defectionem incidemus. Atque in illis quidem à supremo ad infima deriuans oratio, pro mensurâ descensûs ad proportionatam latitudinem extendebatur, nunc verò ab inferioribus ad id quod supremum eminet, ascendens iuxta modum ascensionis contrahitur, & post omnem ascensum penitus obmutescet, atque ineffabili [Deo] tota coniungetur. Sed quorsum (inquies) à primo positiones diuinas statuentes, diuinam illam ablationem ab extremis auspicamur? Quia nimirum, cùm id, quod supra omnem positionem est, statuebamus, ab eo quod ipsi magis cognatum est, fundamentum affirmandi ponendum erat; verùm cùm id tollimus quod supra omnem est ablationem, ab iis quoque quæ maximè distant remoueri debebat; nonne Deus magis est vita & bonitas, quàm äër aut lapis? magísque non crapulatur & non irascitur, quàm non dicatur aut intelligatur.

SCHOLIA S. MAXIMI.

Quid sanctus Dionysius tractauerit in Theologicis suis informationibus.

QVOMODO DIVINA BONAQVE NATVRA.] Quid contineat liber Theologicarum informationum. En Theologiæ subiectum & argumenta, quæ vniuersam diuinam & illustratam cognitionem ac rectam doctrinam complectuntur, nempe scire, quomodo sit vnica diuina natura, quam recentiores aliqui Patres consubstantialem vocant; & quomodo trina, quam trium personarum dicimus. Item nosse quæ sint proprietates personarum, & quid paternitas ac filiatio designent, & quænam sit sanctificatrix diuini spiritûs virtus, noménque diuinum; & quomodo dicatur, *Eructauit cor meum verbum bonum*; & quomodo de adorando spiritu dictum sit, Qui ex Patre procedit; & quomodo in Patre, & in seipsis, & in se mutuo Filius & Spiritus sanctus, sint æternè, & indiuulsè, & inseparabiliter, in mansione, sine egressu. Sciendum autem, mansionem ac statum idem esse, motum autem differre à mansione. Dicit ergo, diuinam naturam in mansione immotâ existentem, videri quodammodò moueri per motuam incessionem.

Psal. 44. 2.

Personæ SS Trinitatis sunt simul.

ET IN IPSO, ET IN SEIPSIS.] Hic dictorum sensus est: Coæterna, inquit, existentia sanctissimæ Trinitatis, neque aliter quidem existit, aliter verò posteà constitit, aut separationem quandam siue mutationem accepit, sed simul & pariter Filius & Spiritus sanctus sunt ex Patre, non autem post ipsum.

QVOMODO IESVS, QVI EST SVPRA SVBSTANTIAM.] Nota hoc contra Nestorianos & Acephalos.

QVOMODO BONVS.] Quid contineat liber de Diuinis nominibus.

DECEBAT ENIM.] Cur informationes Theologicæ & liber de Diuinis nominibus compendiosiores sint quàm Symbolica Theologia.

SYMBOLICA.] Dicit Symbolicam Theologiam esse principialem.

INTELLECTILIVM ASPECTIBVS.] Conspectus intellectilium vocauit contemplationes, immateriali ipsorum simplicitati conuenientes, posuit autem *συνάγονται* pro *συνάγονται*, id est contrahuntur.

Quid sit ἀφωνία & ἀνοησία.

VERVM ETIAM IN SILENTIVM PERFECTVM.] *ἀφωνίαν* verò dicit, impotentiam repræsentandi ea quæ supra sermonem sunt, & *ἀνοησίαν* vocauit illud, quod intelligi nequit; & quod nemo intelligere potest, cùm intellectum transcendat.

Quantò quidpiã Deo coniunctius, tantò magis quid vnũ est.

ATQVE IN ILLIS QVIDEM À SVPREMO.] Quoniam intellectiles ac supramentales sunt Dei vnitates, Deúsque quid vnum est, quin potiùs supra vnum meritò contrahitur, tanquam Indiuiduum & multiplicationis expers. Quæ autem post Deum sunt, quantò magis ad sensilia descendunt, tantò magis rebus diuiduis ac separabilibus coniunguntur, & ipsis multiplicatis per diuisionem quoque multiplex sensilium dissectio simul multiplicatur. Ad extrema autem, id est, à Theologicâ informatione.

A PRIMO.] Primum dicit illud, quod magis proprium est intellectui eius, qui primum aggreditur, nempe quòd Deus sit is qui est, quod nomen sibi imposuit.

QVIA QVOD SVPRA OMNEM.] Quis in Deo vsus sit positionum & ablationum, & vt positiones quidem à primo, & eo quod magis Deo cognatum est, statuamus, ablationes verò ab extremis, & magis ab ipso remotis.

Quæ sit in Deo affirmatio hypothetica.

HYPOTHETICAM AFFIRMATIONEM.] Affirmatio est sermo enuntiatiuus alicuius, quod est vel vniuersale, vel repugnans, vel copulatum, vel comparatum, vt, Deus est vita, Deus est bonitas. Hypothetica verò affirmatio est sermo enuntiatiuus declarans, quòd aut vniuersale, aut repugnans, aut copulatum existit. Hipothetica igitur affirmatio in Deo est, quòd Deus magis sit vita & bonitas, quàm aër & lapis. Ablationes autem contrario modo dicuntur quàm positio: nam positio, vti dictum est, per hypotheticam affirmationem effertur, quòd nempe Deus magis vita sit quàm aër: negatiua verò ablatio est hæc, Deus non inebriatur, non irascitur. Et in positionibus auspicamur ab iis quæ magis conueniunt: vita enim & bonitas magis Deo competit, quàm aër & lapis. In ablationibus autem ab extremis ascendimus v. g. Deum sermone non exprimi, & mente non concipi magis Deo proprium est, quàm non crapulari, neque irasci: atque omnino à posteriori ablationem auspicamur, v. g. quòd magis Deus non inebriatur, quàm non dicatur, & magis non irascitur, quàm non intelligatur. Crapula autem est copiosa & vehementissima ebrietas, veluti *καρηβαρία*, id est, *caput feriens*, plurimúmque mouens. Μῆνις autem non est quæcunque ira, sed permanens. Itaque à sensilibus ad intellectilia ascendentes, non oportet omnes has Incorporeas ablationes humiliter intelligere, sed in quolibet eorum, quæ dicuntur subaudire id, quod ipse B. Dionysius dixit; quoniam Deus nihil est eorum quæ nos concipimus aut intelligimus, quin nec aliquid eorum quæ omnes intellectiles virtutes intelligunt: omnia enim, quæ relata sunt, protsus extra Deum, & ipsius dona sunt. Et quomodo ipse esset ex ipsis, quibus prouidet. Hæc omnia autem diuersimodè exposuimus in libro de Diuinis nominibus, quoniam omnia sunt velut accidentia, & in substantiis eorum, quæ post Deum sunt: at Deus supra essentiam est, & horum auctor existit; quare etiam his superior est. Aliter. Vita, & bonitas, affirmatio siue positio est; Non crapulatur, non irascitur, ecce negatio seu ablatio.

Crapula, & ira, quid.

QVAM AER AVT LAPIS.] Aër quidem iuxta quod dictum est in libris Regum, *In aura tenui*, Lapidem verò Propheta nominauit. His igitur magis propriè vita & bonitas in Deo ponuntur, & eum magis declarant. Quemadmodum etiam è diuerso ex ablatione v.g. crapulari & irasci magis remota & aliena sunt à Deo. Non dici verò, magis Deo conuenit, & affinius est, quoniam supra omnem mentem & sermonem existit.

3. Reg. 19. 12.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Quid in aliis tractatibus docuerit.

IN Theologicis quidem informationibus affirmatiuæ Theologiæ celebratæ sunt, videlicet quomodo sit vnica diuina natura, quam recentiores *ὁμοούσιον* appellant; quomodo trina, quam *τρισυπόστατον* seu tribus subsistentiis subsistere perhibemus; quæ sint proprietates personarum, & quid paternitas ac filiatio significent; & quæ sit sanctificatrix sanctissimi Spiritûs virtus & diuinum nomen; & quomodo dicatur, *Eructauit cor meum verbum bonum*; & quomodo de adorando Spiritu dictum sit, *Qui ex Patre procedit*; & quomodo in Patre & in seipsis, & in se mutuò Filius & Spiritus sanctus sint æternè & indiuulsè & inseparabiliter in mansione sine egressu. In libro autem de Diuinis nominibus, quomodo rursum vocetur Deus affirmatiuè & ens, & vita, & sapientia, & virtus. Et rursum in Symbolicâ Theologiâ, quæ sint rerum sensilium translationes, & quæ formæ, quas Prophetæ conuenienter Deo attribuunt; & quales sint figuræ corporísque membra, quæ facies scilicet, &

Psal. 44. 1.

aures,

A

aures, & manus, & pedes, & qualia instrumenta, & cætera, ne singula recenseamus, quæ vtique omnia ex negatione dici debent de Deo. Potes itaque cognoscere, quomodo quæ à Deo magis remota sunt, quæ vtique extrema dicit, verbosiora sunt. Quantò enim magis à Deo aliena sunt, eique dissentanea, tantò pluribus verbis opus habent vt explicentur, quomodo in Deo intelligantur. Idcircò Theologicæ informationes secundùm tractatum de Diuinis nominibus breuiores sunt Symbolicâ Theologiâ, quoniam in iis affirmando dicebamus, in Theologicis quidem informationibus, Deum esse vnum, Trinitatem, esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: in libro verò de Diuinis nominibus, Deum esse ens, vitam, sapientiam, virtutem: in Symbolicâ verò Theologiâ cùm de symbolis, figuris, partibus, instrumentis, crapulis, propensionis, somnis vigiliisque tractet, quæ vtique omnia negatiuè dici debent, tanquam à Deo aliena & remota, meritò quæ sunt eiusmodi pluribus verbis explicari debebant; quandoquidem quantò magis propria de Deo dicimus, illique magis assentimur & appropinquamus, tantò etiam magis sermones nostri rerum intellectilium aspectibus contrahuntur. Conspectus autem, rerum intellectilium vocauit contemplationes, immateriali illarum simplicitati congruentes. Posuit autem συστέλλεται pro συστέλλονται, id est contrahuntur. Quòd autem dicit, etiam nunc in Mysticâ Theologiâ omnino fiet. Etenim in supramentalem illam Deóque propriam caliginem immersi, non solùm breuiloqui euademus, verùm etiam omnimodam sermonis & intellectionis vacuitatem reperiemus. Ἀλογίαν verò dicit, non posse sermone repræsentare illa quæ supra sermonem sunt: & ἀνοησίαν, id quod intelligi nequit, & quod nullus intelligere potest, cùm mentem superet. Atque ibi quidem, scilicet in libro de Diuinis nominibus, à summo ad proportionatam multitudinem sermo dilatabatur: nam ens, cùm proprium sit Deo, breuiloquentiam habebat; Antiquus verò dierum, vel aliud quid remotius, meritò multis verbis indigebat. Nunc verò ab inferioribus & multis compositionibus ac symbolis ad vnicum & summum ascendens, meritò iuxta modum ascensionis contrahetur; idque in tantum, vt post ascensum, ad omnimodum silentium redigendus sit, atque ineffabili Deo totus coniungendus, euo venerando silentio honorando, qui posuit tenebras latibulum suum. Verùm petes, cur à primis positiones diuinas statuentes, diuinas illas ablationes ab extremis auspicemur. Dicimus, nos in positionibus quidem vsos esse enuntiatiuâ, id est definitiuâ & quasi demonstratiuâ affirmatione, vt Deum esse, vitam esse, bonitatem esse, vel aërem, vel lapidem, vel ignem, vel spiritum, vel similia. Priora vtique Deo magis propria sunt, magisque naturalia; siquidem magis vita est quàm aër, & magis Deus quàm lapis, & magis bonitas quàm ignis, & magis sapientia quàm spiritus. Hoc itaque est inchoare à primis in positionibus, quoniam magis intelliguntur in Deo prima quàm postrema. In ablationibus verò contrà hoc modo: Non inebriatur Deus, non irascitur non dicitur, non intelligitur. Illud, Non inebriatur, est vltimum, est enim etiam hominum. Non intelligitur verò, proprium & primum. Illud itaque Deum sermone non efferri, & mente non concipi, magis proprium est Deo, quàm non crapulari, neque irasci; siquidem hæc etiam hominibus propria sunt, atque idcircò vltima. Et similiter incipimus ab extremis ablationibus, v. g. Magis Deus non inebriatur quàm non dicatur, & magis non irascitur quàm non intelligatur. Quemadmodum igitur in positionibus quæ propria sunt admittebant magis, & magis dicebamus Deum quàm aërem; & magis bonum quàm spiritum, ita hic etiam extrema magis habent, quoniam etiam abstractiuè dicimus, verbi gratiâ, Magis non crapulatur, quàm non intelligatur, & cætera. Crapula autem est copiosa & vehementissima ebrietas, veluti καρηβαρία, id est, τὸ κάρη, seu caput, πάλλοντα quatiens, plurimumque mouens: μῆνις autem non est, quæcunque ira, sed permanens. Vbi autem aër dictus est, & vbi lapis? Lapis quidem à Dauide, sicut etiam Dominus de seipso explicat, aiens: *Nunquid legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? Christus.* Aer verò iuxta quod dictum est in libris Regum, *Et ecce aura tenuis, & ibi Dominus.*

Quomodo in aliis libris processerit, & quomodo hic procedat.

Quid sint in Deo positiones & ablationes.

B

C

D

E

Psal. 117. 22. Luc. 20. 17. 1. Cor. 10. 4. 3. Reg. 19. 12.

CAPVT IV.

Quòd nihil rerum sensibilium sit is, qui omnis rei sensilis secundùm excellentiam est auctor.

SYNOPSIS CAPITIS.

Exempla ponit negantis Theologia, & ostendit, quomodo nihil sensile Deo competat.

F

Dicimus ergo, causam omnium, & quæ supra omnia est, nec essentiæ nec vitæ, nec rationis nec mentis expertem esse, neque corpus existere, neque figuram, neque formam, neque qualitatem aut quantitatem aut molem habere, neque in loco esse, neque videri, neque tactum sensilem habere, neque sentire, nec sub sensum cadere, nec inordinationem admittere aut perturbationem à passionibus materialibus excitatam, nec imbecillem esse & sensilibus casibus obnoxium; neque lucis indigum existere, neque mutationem aut corruptionem, aut diuisionem, aut priuationem, neque fluxum, neque quidquam aliud eorum quæ sub sensum cadunt, vel esse, vel habere.

Deum nihil esse sensibile.

SCHOLIA S. MAXIMI.

G

Neqve in loco est.] Necessariò hic Pater per ista præmuniit auditorem, ne in sequentibus negationibus existimet Deum omnino non esse, sed in his quidem supponit ipsum existere, in illis verò, secundùm nihil eorum quæ existunt, sed supra substantiam esse declarauit.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Omnium causa & supra omnia Deus est. Hæc itaque nec essentiæ, neque vitæ, neque rationis, neque mentis expers existit: gradatim verò & secundùm ordinem, ab extremis incipiens, ad sublimiora conscendit, quoniam est Theologia negatiua. Magis enim Deus est non expers substantiæ, quàm non expers mentis: plures nimirum concesserint quòd non sit substantiæ expers, quàm quòd non sit mentis expers, siquidem ἀνούσιος, id est carens substantiâ, crassiorem habet improportionem, ἄνους verò, seu mentis expers, subtiliorem; & idcircò illius negationem faciliùs admittent, quàm huius. Necessariò autem hic Pater per ista præmuniit auditorem, ne in sequentibus negationibus, quando dicit, Neque corpus est, neque hoc, neque illud, existiment Deum omnino non esse. Sed in his quidem ipsum supponit esse: cùm enim diceret, neque essentiâ carere, essentiam significabat; neque vitâ carere, vitam declarabat; neque irrationalem esse, rationem demonstrabat; neque amentem existere, mentem manifestabat. In his itaque supponens ipsum esse, in iis quæ sequuntur, cùm dicit corpus, & cætera, secundùm nihil eorum quæ existunt, esse, sed supra substantiam esse insinuauit: quod enim non est, id essentiâ caret. Et rursum id quod non corpus, sed supra omnem aliam substantiam existit, id & est, & supra substantiam est. Cùm verò dicit, Neque corpus est, tollit etiam ea quæ circa corpus sunt: siquidem & figurâ, & formâ, & quantitate, & qualitate, & mole caret. Sed neque in loco est: omne enim quod circumscribitur, id est in loco, quoniam locus est terminus continentis. Deus autem qui vbique præsens est, & implet omnia, à

Quomodo S. Dionysius in Deo celebret verè omnium negationes.

H

nullo

nullo continetur, sed neque videtur, neque tactum habet, quia neque sensibilis existit (sensus enim circa ea versantur quæ sentiuntur) neque sentitur; neque enim sensile quid est, neque sensus habet. Neque passionibus turbatur, neque ex impotentiâ sensilibus passionibus obnoxius est. Neque ipsi opus est lumine, neque immutatur, neque corrumpitur, immutabilis enim & immortalis existit. Neque diuisionem subit, dum tres personæ vitæ principes per propriam suam subsistentiam & subsistunt, & intelliguntur. Neque priuationem; nam bona quæ Deo insunt, & supraquam plena sunt & naturalia. Neque fluxum sustinet, siquidem sine fluxu vnigenitum Verbum ex Patre gignitur, & sanctus ille Spiritus sine passione ex Patre procedit. Neque quidquam aliud rerum sensibilium vel est, vel habet. Dicit quidem illud *est*, propter ea quæ per se subsistunt, vt spiritus, aër, lapis; illud verò *habet*, propter iam declaratas corporeas qualitates.

CAPVT V.

Quòd nihil rerum intellectilium sit is, qui omnis rei intellectilis secundùm excellentiam est auctor.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet, Deum nihil esse eorum quæ nos cognoscimus; sed esse supra omnia ista quæcunque quomodocunque a nobis concipi vel intelligentia percipi possunt.

RVrsus autem ascendentes dicimus, quòd nec anima sit, neque mens, nec imaginationem, vel opinionem, vel rationem, vel intelligentiam habeat; neque sermo est, neque intelligentia; neque dicitur vel intelligitur; neque numerus est, neque ordo, neque magnitudo, neque paruitas, neque æqualitas, neque similitudo, neque dissimilitudo; neque stat, neque mouetur, neque quiescit, neque habet potentiam; nec est potentia, neque lumen, neque viuit, neque vita est, neque substantia est, neque sæculum, neque tempus, nec est eius tactio intellectilis, neque scientia, neque veritas est, neque regnum, neque sapientia, nec vnum, nec vnitas, neque diuinitas, neque bonitas, neque spiritus est, vt nos spiritum cognoscimus; nec est filiatio, neque paternitas, nec aliud quidquam eorum, quæ nobis, aut vlli eorum qui sunt, cognita sunt; neque aliquid eorum quæ non sunt, neque quæ sunt: neque quæ sunt eam cognoscunt quatenus est, nec ipsa cognoscit quæ sunt quatenus sunt; nec est illi ratio, neque nomen, neque cognitio; neque tenebra est, neque lumen, nec error, neque veritas: nec est eius in vniuersum positio, nec ablatio: imò cùm eorum, quæ post ipsam sunt, positiones & ablationes facimus, ipsam neque ponimus, neque tollimus; quia supra omnem positionem est perfecta, & singularis omnium causa; & supra omnem ablationem exuperatio omnium simpliciter abstracta, & vltra omnia.

SCHOLIA S. MAXIMI.

QVOD NEC EST ANIMA, NEQVE MENS.] Hæc inter se discrepant (vti superiùs declaratum est) imaginatio, opinio, ratio, intelligentia, sicut ea, quæ secundùm mentem considerantur. Subintelligendum autem est, non habere ipsum rationem secundùm nostram rationem, similiter etiam intelligentiam, secundùm eam quæ est in creaturis intelligentibus. Cætera etiam eodem modo accipe. Aliter. Ex iis his similiter vt nos cognoscimus ponendum, eorum quæ post ipsam scilicet diuinam naturam existunt, id est, creaturarum positiones fieri dicit, vt cùm dicitur vita, vel lux, iuxta illa quæ in rebus genitis considerantur, ex quibus earundem conditorem intelligimus, non autem per hæc quandam naturæ eius positionem inducimus, & rursum ponimus ablationem, dicendo diuinitatem secundùm nihil horum existere.

Quomodo Deus non habeat rationē, &c.

NEC VNVM, NEC VNITAS.] Vnum & vnitas inter se differunt: illud enim significat subiectum, illa verò talem qualitatem, sicut album & albedo, bonum & bonitas. Obserua verò quòd neque diuinitas substantia sit Dei, sicut nec vnum aliquid eorum quæ dicta sunt, neque contrariorum eis, quare nihil ipsorum est, non enim sunt hæc substantia, sed gloria circa eum. Sic Sextus Ecclesiasticus Philosophus dixit, & Gregorius Theologus libro tertio Theologiæ suæ, quòd neque diuinitas, nec ingenitum, neque paternitas substantiam Dei significent.

Vnum & vnitas, quomodo differant.

NEQVE DIVINITAS, NEQVE BONITAS.] Obserua præterea, quod neque spiritus sit vt nos spiritum cognoscimus; neque Filius, neque Pater: & illud, *vt nos cognoscimus*, in omni negatione superiorum accipe. Declarat autem illud, secundùm nostram cognitionem.

Quomodo Deus neque diuinitas sit, neque spiritus.

NEQVE QVÆ SVNT EAM COGNOSCVNT.] Neque te moueat hoc caput, vt putes hunc diuinum auctorem aliquid blasphemè dicere: propositum enim est ei demonstrare, Deum nihil eorum esse quæ sunt, sed esse supra omnia. Etenim si ipse omnia produxit, quomodo potest esse aliquid eorum quæ sunt? Dixit autem, quòd nec ea quæ sunt, cognoscunt Deum causam omnium: at non cognoscere Deum, interitus planè est. Verùm statim idem exposuit, quod dixerat, cùm subiunxit, *quatenus ipse est*; quod perinde est, vt si dicatur. Nihil ex iis quæ sunt, cognoscit Deum quatenus est, id est substantiam eius, quæ supra substantiam est, & quæ intelligi non potest, vel existentiam secundùm quam existit, dictum enim est: *Nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius.* Ac rursus subiungit Magnus Dionysius, & ait: Nec ipse Deus cognoscit ea quæ sunt quatenus sunt; id est, non nouit intendere mentem secundùm sensum ad ea quæ sensilia sunt, nec ad substantias quatenus substantiæ sunt: hoc enim non conuenit Deo. Nos enim, qui homines sumus, ea quæ sensu percipiuntur, aut aspectu, aut gustatu, aut tactu intelligimus quid sint: ea verò, quæ sub intelligentiam cadunt, aut per disciplinam, aut doctrinam, aut per illuminationem cognoscimus. Deus autem nullo modo ex istis nouit ea quæ sunt, sed potiùs ex seipso cognitionem omnium habet; hoc enim significat sub obscurè Scriptura, quæ ait, *Qui nouit omnia antequam fierent*, quod quidem declarat, non secundùm rationem productionis eorum nouisse ea Deum, sed potiùs secundùm alium intelligendi modum. Angeli quidem illa scientificè atque immaterialiter cognoscunt, non vt nos sensiliter: Deus autem illa nouit absolutè & transcendentaliter, ipsis rerum substantiis minimè intendens. Aliter. Ea quæ sunt, id est creaturæ, non possunt supra naturam suam fieri intelligendo. Consentaneè igitur cùm in se intuentur, diuinam naturam ignorant, secundùm illud quod ipsa est. Sic igitur diuina natura in seipsam intuens, non nouit in se esse creaturas secundùm rationem substantiæ eorum; hoc enim significauit, cùm dixit, *quatenus sunt*: siquidem est supra omnia quæ sunt, & ipsum esse suprasubstantiam habet; aliter enim nemo dicet ignorare Deum creaturas suas. Ibidem ait, Neminem nosse intemeratam Trinitatem, secundùm quod ipsa est, id est, nihil est sicut illa, vt ipsam cognoscat prout ipsa est. Nos enim cognoscimus quidem quid sit humanitas, quoniam homines sumus; sed substantiam sanctissimæ Trinitatis nescimus quid sit, quoniam non sumus eiusdem substantiæ: sic neque Deus nouit ea quæ sunt quatenus sunt, vti nos, quoniam non est aliquid eorum quæ sunt, nec secundùm ipsa. Etsi enim Deus spiritus sit, atque ideò sanctus Spiritus appelletur, spiritus tamen est, qui neque nobis neque Angelis sit cognitus. Sed quare superiùs quidem dixit, *Neque lux, neque veritas*, nunc verò paulò pòst dicit, *Neque tenebra, neque lux, neque error, neque veritas?* Ac respondere liceat, primùm quidem, cùm lumen dicit, ipsum loqui de lumine absoluto; neque errorem esse, vt

Quomodo nihil Deū cognoscat.

Matt. 11.

Dan. 13.

Quomodo Angeli & nos Deum cognoscamus.

Quomodo nos non cognoscamus SS. Trinitatem, neque ipsa nos.

in

in substantiis Angelicis, & esse veritatem earum per se absolutam, & veritatem causæ expertem. Quæ autem sequuntur, *Nec eorum quæ ad aliquid*, verbi gratiâ ex tenebris lumen commutans, quasi ex lumine, quod tantùm virtute est, in lumen quod actu est, ex iis quæ virtute sunt, vicissim in se mutuò lucem ac tenebras mutuans; neque enim caligo est, neque lumen copiosum. Sic neque à contrario, ex errore, qui erat virtute veritas, transiuit in veritatem actualem; hæc enim omnia sunt ipso posteriora, cùm ab ipsius prouidentiâ promanent. Nihil ergo est eorum quæ ab ipso sunt.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Quomodo res intellectiles de Deo negentur.

CVm primùm quidem priuationes explicasset, deinde verò positiones rerum sensibilium, dicendo, Neque substantiæ est expers, & cætera priuatiua; atque iterùm dicendo, Neque corpus, & cætera positiua: nunc etiam demonstrat intellectilia, dicendo, Neque anima; neque mens. Verùm nec habet illa, quoniam etiam ibi de ratione ac mente mentionem fecit, dicens, Neque rationis neque mentis expers; & cæteroquin etiam ibi intellectilia demonstrat. Sed scito ibi illa quæ talia sunt, sensilia esse: neque enim declarat rationem absolutam, vel mentem à sensilibus separatam; sed rationis mentísque carentiam, animalia nimirum sensilia, ratione mentéque priuata: verùm hîc dicit, neque animam esse, neque quidquam illorum quæ animæ portiones idque secundùm ordinem participant, vt neque habeat imaginationem solam irrationalem & debilem illam formam quam etiam bruta habent, neque opinionem, obscuram illam cognitionem quæ non ratiocinatur, quam habent ea quæ vtuntur ratione; neque rationem, id est cogitationem & scientiam, neque intellectionem seu mentis operationem, quæ potissima pars animæ est. Posteà deriuat sermonem ad ipsas nudas virtutes sine illis qui eas habent, & ait: Neque sermo est prolatitius, neque intellectio, siue locutio interna. Atque iterùm adhuc adducit rationem, atque ex his Deum eximit, aitque, Vt quid hæc memoro? neque ipsa ratio, neque intellectio valet Deum concipere. Post hæc omnia enumerat quæ in nobis videntur, sed sunt incorporea, atque adeò intellectilia, hactenus tamen in subiectis conspecta. Intellectilis porrò tactus, est mentis cognitio. Sicut enim tactus sensilis, est sensatio: quia tunc sentimus, quando tactus sensilium à sentientibus siue sensu percipitur; siquidem etiam nobis eminus igni assidentibus, dummodo calefiamus, quidam contactus dicitur existere, & in olfactu cæterisque etiam idem accidit; neque enim simpliciter contactus corporeus fit dum corpora coniunguntur, sed dum in sensilibus excitant sensationem. Sicut itaque hæc, inquam, se habent in tactu sensili, sic etiam cogita in tactu intellectili siue cognitione. Neque verò veritas est, neque sapientia, tametsi Dominus dicat, *Ego sum veritas*; & diuus Paulus Apostolus, *Christus Dei virtus, & Dei sapientia*: quia ipsa per se veritas, & per se sapientia est, & supra nostram veritatem & sapientiam. Aliter etiam, quia nec hæc Dei substantiam significant. Vnum autem & vnitas ab inuicem differunt: siquidem vnum significat subiectum, vnitas verò ipsammet qualitatem, sicut album & albedo, bonum & bonitas. Neque verò diuinitas substantia est Dei; quemadmodum neque bonitas: neque spiritus est, tametsi in diuinis Euangeliis audiamus, Spiritus est Deus; & rursum, Spiritus veritatis; sed sicut nos scite ait beata illa sanctáque nomina personarum sanctissimæ Trinitatis: hoc enim hic etiam accipe, & in omni negatione, prout videlicet nos intelligimus, siue secundum nostram intelligendi facultatem. Non enim ea iam enumerata vt bonitas, diuinitas, & cætera, substantia sunt Dei, sed gloria circa ipsum. Sic etiam Gregorius Theologus libro tertio Theologiæ suæ dixit, quòd neque diuinitas, neque ingenitum, neque paternitas substantiam Dei significent. Neque te hoc moueat turbetve, quòd dicat Deum non nosse entitates quatenus sunt entitates: propositum enim est huic Sancto demonstrare, Deum nihil esse eorum quæ sunt, neque tamen quidquam esse eorum quæ non sunt. Id autem, Neque eorum quæ non sunt, per excessum posuit: quædam enim sunt non entia; ac si diceremus, quòd non sit aliquid eorum quæ non sunt, & hoc modo sit nihil eorum quæ sunt: etenim si ipse omnia produxit, quomodo potest esse aliquid eorum quæ sunt? Dicit itaque, quòd nec ea quæ sunt, cognoscant Deum causam omnium: verùm statim idem exposuit, dicens, Quatenus ipse est; quod perinde est ac si dicatur, Nihil ex iis quæ sunt, cognoscit Deum quatenus est, id est substantiam eius quæ supra substantiam est, & quæ intelligi non potest, vel eius existentiam, dictum est enim: *Nemo nouit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit, nisi Filius.* Atque è contrario subiungit hîc Pater, atque ait: Nemo cognouit Deum quatenus est, nec ipse Deus cognoscit ea quæ sunt quatenus sunt; id est, non nouit intendere mentem secundùm sensum ad ea quæ sunt sensilia, nec ad substantias quatenus substantiæ sunt: hoc enim non conuenit Deo. Nos enim qui homines sumus, ea quæ sensu percipiuntur, aut aspectu aut gustatu aut tactu intelligimus quid sint; ea verò quæ sub intelligentiam cadunt, aut per disciplinam, aut doctrinam, aut per illuminationem cognoscimus. Deus autem nullo modo ex istis nouit ea quæ sunt, sed potiùs ex seipso cognitionem sibi congruam habet; hoc enim insinuat Scriptura, cùm ait: *Qui nouit omnia antequam fierent*, scilicet non secundum rationem generationis rerum nouit ea Deus, quod est sensibiliter, sed secundùm alium intelligendi modum. Angeli verò illa cognoscunt scienter & immaterialiter, non sensiliter, vt nos. Sic vtique etiam Deus absque comparatione & transcendentaliter, non autem cum substantiis comparans res nouit. Cæterùm ea quæ sunt, non nouerunt Deum in quantum Deus est, quoniam non possunt supra naturam suam ferri intelligendo. Consentaneè igitur cùm se intuentur, diuinam naturam ignorant secundùm illud quod ipsa est. Sic igitur diuina natura in seipsam intuens, non nouit in se esse creaturas, secundùm rationem substantiæ earum, siquidem est supra omnia quæ sunt, & ipsum esse suprasubstantiam habet. Et rursum superiùs quidem dixit, Neque lux, neque veritas; nunc verò, Neque tenebræ; neque lux, neque error, neque veritas. Et dicere liceat, primùm quidem, cùm lumen dicit, ipsum loqui de lumine absoluto, siue de substantiis Angelicis, & esse veritatem earum per se absolutam, non autem esse veritatem mendaciis oppositam, quæ in Deo negat, quoniam supra ista exemptus est. Hic autem dicit: Nec eorum quæ ad aliquid, magis autem eorum quæ secundùm priuationem & habitum existunt; vt quòd ex tenebris in lumen non sit commutatus, quasi ex lumine quod tantùm est virtute, mutatus sit in lumen quod actu est lumen; neque rursum ex errore existat, scilicet ex veritate virtuali, in veritatem actualem commutatus: hæc enim omnia ipso posteriora sunt; & lumen, & veritas ipsius prouidentiâ lucent. Neque penitus eius est positio, vt sit vel vita, vel veritas, vel quidquam aliud earum quæ sunt. Neque rursum omnimoda ablatio, vt nullo modo quidquam sit; sed earum quæ post ipsum sunt, scilicet creaturarum, etiam positiones & ablationes faciunt: positiones quidem, veluti vitam, veritatem, ens; ablationes verò, veluti non vitam, non veritatem, non ens. Hæc itaque quæ post ipsum sunt, & ponentes & auferentes, Deum ipsum neque ponimus, siue ex ipsis substantiam eius noscimus, neque auferimus omnino, vt qui perfectè incomprehensibilis existit (quod enim perfectè est incomprehensibile, & spem & conatum excedit) verùm imagines quasdam ex iis quæ circa ipsum sunt concinnantes, obscurum quendam veritatis conceptum componimus, quandoquidem sit supra omnem etiam positionem, tanquam exempla rerum omnium causa, & supra omnem ablationem collocata, cùm secundùm nullam rerum ablationem Deus cognoscatur, siquidem ab omnibus absolutus, etiam supra omnia existit.

Marginalia: *Ioan. 14. 6.* — *1. Cor. 1. 24.* — *Vnum & vnitas quomodo differant.* — *Ioan. 4. 24.* — *Quomodo Deus sit non ens, &c.* — *Matt. 11.* — *Quomodo Deus res cognoscat & ignoret.* — *Dan. 13.*

S. DIONYSII AREOPAGITÆ Epistolæ:

INTERPRETE BALTASARE Corderio Societatis Iesu Doctore Theologo.

EPISTOLA I.

Caio Monacho.

SYNOPSIS.

Docet, illam Dei ignorationem, quam in libro de Mysticâ Theologiâ supra omnem cognitionem commendat, non priuatiuè sed superlatè intelligendam esse. Et simul ostendit, omnem notitiam, quam per cognitionem de Deo habemus, ex creaturis accipi.

Deum intelligentiâ non comprehendi.

TENEBRÆ abolentur lumine, & præsertim copioso lumine: ignorationem abolent cognitiones, præsertim amplæ cognitiones. Hæc superlatè & non priuanter accipiens, plus quàm verè entia, quòd sui possessores verum lumen, & rerum cognitionem, latet ignoratio illa quæ est secundùm Deum: & tenebræ eius supereminentes omni quoque lumini occuluntur, & omnem abscondunt cognitionem. Et si quis viso Deo, cognouit id quod vidit, nequaquam ipsum vidit, sed aliquid è rebus eius quæ existunt & cognoscuntur; ipse autem supra mentem & substantiam constanter manens, per hanc ipsam cognitionis & essentiæ negationem & supra substantiam existit, & supra mentem cognoscitur. Et illa perfectissima in bonam partem ignoratio, notitia est eius qui est supra omnia quæ in cognitionem cadunt.

SCHOLIA S. MAXIMI.

Caius quis fuerit.

CONiicio Caium hunc esse, ad quem D. Ioannes Euangelista tertiam suam scripsit Epistolam, coniecturam hanc quoque firmans ex aliis, quibus diuinus hic vir vnà cum Apostolis conuixit. Therapeutas autem capite sexto de Ecclesiasticâ Hierarchiâ dixit appellari monachos, ibidem docens, quanam ratione instituantur, cùm non sint Clerici, populo tamen sublimiores. Hos autem Philo Iudæus admirari visus est in libro de Vitâ contemplatiuâ, siue de Supplicibus, therapeutas ipsos vocans, & eorum vitæ institutum explicans paulò ante finem istius libri. Lege de ipsis verba Philonis.

Quæ sit Dei ignoratio per priuationê, & quæ per excellentiam.

SED NON SECVNDVM PRIVATIONEM.] Hoc, inquit, non secundùm communes sensus accipias, quòd sicut tenebræ abolentur lumine, & præsertim copioso, vel sicut ignorantia, quæ quædam tenebra est, cognitionibus cedit, maximè luculentis; ita etiam ea, quæ secundùm Deum est, ignoratio similis sit ignorationi, quæ per insciriam existit, vt dicebamus, sed quantò magis quis à Deo illustratur, vberioremque rerum colligit cognitionem, scilicet intellectilium & intelligentium, tantò magis ad eam, quæ de Deo habetur, cognitionem ascendens, diuinam incomprehensibilitatem cognoscet, id est, illam Dei ignorationem, lucem esse atque cognitionem quæ cuncta cognoscibilia transcendat, cæterúmque hanc suam de Deo eloquentiam silentio honorat. Itaque non secundùm priuationem dicitur illa Dei ignorantia, sed per excellentiam & excessum cognitionis, quoniam cognoscit quis id quod omnibus & sibi ipsi incognitum & incomprehensibile existit. Hæc etiam dicta sunt cap. 1. Mysticæ Theologiæ, & cap. 2. de Diuinis nominibus.

Scire Deû incognoscibilem esse, est propriè ipsum nosse.

SED ALIQVID E REBVS EIVS.] Quantò enim quis, inquit, maiorem habet rerum notitiam, ac veram lucem, id est, veritatis cognitionem, tantò magis ignota cernet esse illa quæ de Deo dicuntur: non enim vel lumine quopiam, vel cognitione manifestantur, sed potiùs latent possessores suos. Ipsa quoque quantalibet promotio, & incrementum in his, lumine dico & cognitione, Deum declarant inuisibilem esse & incognoscibilem; quoniam quisquis viso Deo intelligit id quod vidit, nequaquam ipsum vidit, sed quidpiam eorum quæ existunt & cognoscuntur.

HOC IPSO QVOD OMNINO.] In his etiam subintelligendum est, secundùm ea quæ existunt & cognoscuntur. Verùm illud non esse ipsi conuenit, quoniam id quod sic est, creaturarum est, Deus autem est supra existentiam, quippe increatus.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Caius hic quis fuerit.

CONiicio, inquit quidam antiquorum, Caium hunc esse, cui tertiam Epistolam scripsit diuinissimus Apostolus & Euangelista Ioannes Theologus, coniecturam hanc quoque firmans ex aliis, quibus colligitur vnà cum Apostolis diuinus hic vir fuisse conuersatus.

Therapeutæ qui.

Therapeutas autem in Tractatu de Ecclesiasticâ Hierarchiâ monachos appellabat, dicens, ibi etiam quomodo instituantur, cùm non sint Clerici, populo alioquin superiores. Hos autem Philo Iudæus admirari visus est in libro de Vitâ contemplatiuâ, siue de Supplicibus, therapeutas ipsos vocans, & eorum vitæ institutum explicans. Non abs re fuerit ipsiusmet Philonis verba etiam adferre. In isto itaque tractatu dicit: In pluribus orbis locis hoc genus Monachorum reperire est; oportebat enim boni illius tam perfecti participem existere non solùm Græciam, sed & barbariem.

Frequentia & ratio viuendi Monachorum olim in Ægypto.

Abundat verò in Ægypto per singulas regiones, Græcè μοναὶ dictas, & maximè circa Alexandriam. Vndique autem optimi quique in therapeutarum coloniam, tanquam in patriam, ad regionem quandam opportunissimam commigrant, quæ iuxta stagnum Mariæ, in colliculo quodam humiliore sita est, perquam opportuno, cùm securitatis gratiâ, tum ob commodam aëris temperiem. Rursus ex eodem Opere: In qualibet autem familiâ est ædes sacra, quæ vocatur σεμνεῖον & monasterium, in quâ solitarij degentes, religiosæ vitæ munia obeunt, nihil eò inferentes, non cibum, non potum, neque quidquam rerum cæterarum, ad corporis vsum necessariarum, præterquam leges, & oracula Prophetarum, & hymnos, cæteráque quibus eruditio & pietas adaugetur atque perficitur. Rursus ex eodem Opere: A manè autem vsque in vesperam, omne spatium illis est exercitatio; quoniam sacris Litteris incumbentes philosophantur, patriam philosophiam ad allegoriam traducentes: quandoquidem illa ritæ interpretationis symbola, censent arcanæ cuiusdam naturæ esse coniecturis probabilibus explicandæ. Sed & commentaria habent priscorum, qui cùm suæ sectæ primarij duces essent, multa monumenta formulæ in eruendis allegoriis obseruandæ reliquerunt, quibus quasi primariis exemplaribus vtentes, eorundem propositi rationem imitantur. Idem post pauca: Itaque non solùm contemplantur, verùm etiam Cantica hymnosque ad Deum scribunt, omnigenâ numerositate metrorum ac membrorum eleganter exarantes. Et rursus: Temperantiam verò tanquam fundamentum quoddam animæ præmittentes, cæteras virtutes superextruunt.

Abstinentia antiquorum Monachorum.

Cibum enim potúmve nemo gustat ante solis occasum, cùm philosophiam quidem luce dignam censeant, tenebras verò corporis necessitatibus addicant: vnde fit vt illi quidem diem, his verò exiguam quandam noctis portiunculam attribuant. Quin etiam nonnulli tertio vixdum die de cibo cogitant, vt qui maiori scientiæ desiderio teneantur. Quidam etiam à sapientiâ, doctrinam suam copiosè ac sine inuidiâ communicante, deliciosè pasti, tantâ gestiunt lætitiâ, vt duplo temporis spatio inediam sustineant, & vix sexto demum die necessaria degustent alimenta. Itemque: Sunt & fœminæ quædam therapeutides, quarum plurimæ

vetulæ,

velutæ, virgines existunt, non necessitate, vt apud Gentiles quædam sacerdotes coactæ magis quàm spontaneâ voluntate, castitatem conseruantes, propter zelum ac desiderium sapientiæ, cui conuiuere satagentes, corporis molestias contempserunt, nequaquam liberorum mortalium, sed immortalium desiderio æstuantes, quos sola anima Deo chara parere potest. Item: Ab iis in sacras Litteras commentationes eduntur allegoriis adopertæ: siquidem omnis legis sanctio videtur illis similis animali, cuius corpus quidem sint dictæ legis sanctiones, anima verò, sit sensus inuisibilis sub eius verbis delitescens, quem vbi luce suâ excellenti modo cœperit contemplari, tanquam per speculum quoddam nominum seu dictionum, eximiam quandam pulchritudinem conspicit repræsentari. Atque hæc quidem ex Philone, quæ de Therapeutis scripsit, quorum vnus erat Caius, ad quem Sanctus hic Epistolam hanc scribit, dicens: Quoniam secundùm nos tenebræ ipsæ priuatio quædam est, lux verò habitus; lux non tenebris, sed tenebræ luce abolentur; siquidem absentia lucis, tenebræ sunt, non verò absentia tenebrarum lux existit. Idem etiam intellige in ignorantiâ & cognitione: cognitio enim habitus est, ignorantia verò priuatio cognitionis. Cùm itaque absentia cognitionis quodammodò existens, faciat ignorantiam, non secùs atque lucis secessio tenebras, omnino etiam præsentia cognitionis dissoluit ignorationem; quantóque copiosius est lumen, tantò magis tenebræ euanescunt; & quantò luculentiores sunt cognitiones, tantò citiùs ignoratio dissipatur. Obserua vero, quòd non dixit multas luces, sed multam lucem; vna enim lux est, siue remissa, siue sit intensa. Contrà non multam cognitionem, sed multas dixit cognitiones. Cùm enim cognitio sit cognitorum cognitio, cognita autem sint multa & infinita, vtique etiam cognitiones plurimæ sunt & infinitæ. Multam autem cognitionem non dixit, quòd cognitio mediocritas quædam sit, & vtrimque habeat, tanquam vitia, remissionem & intensionem; & huic quidem ignorantiam, inde verò curiositatem, quæ & multa seu nimia cognitio dici possit. Vt igitur multæ cognitiones, quasi mediocritates, constituunt prudentiam, sic etiam multæ ignorationes fatuitatem, & multæ curiositates vafritiem. Ne itaque hoc, inquit, secundùm communes intelligentias accipias, vt sicut tenebræ luce soluuntur, præsertim multâ luce; vel prout ignoratio, quæ & ipsa tenebræ, cognitionibus cedit, præsertim si multæ ingruant: sic etiam ea quæ secundùm Deum est ignorantia, similis sit ignorationi quæ per inscitiam existit, vti dicebamus. Sed quantò magis quis à Deo illustratur, vberiorémque rerum colligit cognitionem, earum nimirum quæ subsistunt & intelligunt; tantò magis ad eam quæ de Deo habetur cognitionem adscendens, diuinam incomprehensibilitatem cognoscet, id est, illam Dei ignorationem, lucem esse atque cognitionem quæ cætera cognoscibilia transcendat; cæterúmque hanc suam de Deo in eloquentiam silentio honorat. Non itaque secundùm priuationem dicitur istiusmodi de Deo ignorantia, sed per excessum & excellentiam omnis cognitionis, quoniam cognoscit quis id quod omnibus & sibi ipsi incognitum & incomprehensibile existit, hæc etiam capite secundo Diuinorum nominum explicata sunt. Hæc igitur, tenebras dico & ignorationem, per excessum, sed non secundùm priuationem de Deo intelligendo accipiens, supraquam verè enuntia, id est, dic perspicuè. Cùm enim hæc, vltra id etiam quòd hic sunt, ibi intelliguntur, sermo quoque de his non simplici modo verus erit, verùm etiam veritatem quantumcuoque nostri imitatitij sermonis, ipsa rerum magnitudo superabit, hoc enim insinuant illa verba, *supraquam vere enuntia*. Quantò enim quis, inquit, maiorem habet rerum notitiam, ac lucem, id est veritatis cognitionem, tantò magis ignota cernet esse illa quæ de Deo dicuntur: non enim vel lumine quopiam, vel cognitione manifestantur, sed potiùs latent possessores suos. Ipsa quoque quantalibet promotio & incrementum in his, lumine dico & cognitione, Deum declarant inuisibilem esse & incognoscibilem: neque enim istiusmodi tenebræ in tam multâ luce istius veritatis abolentur, sed operiuntur, magisque tenebræ esse dignoscuntur, dum omnem occulunt cognitionem. Vbi igitur concorrerint eæ quæ de intelligentiis habentur notitiæ, non aufugit ignorantia, sed permanet arcana prorsus, omnémque effugit cognitionem, nusquam recedens, sed extans & permanens, omnésque superans notiones, aliud nihil pro comperto habentes, quàm quòd supereminenter hoc manet incognitum quod inquiritur. Quocircà quisquis viso Deo, intelligit id quod vidit, nequaquam ipsum vidit (*Deum* enim *nemo vidit vnquam*) sed quidpiam eorum quæ existunt, & cognosci solent ab iis qui se propter puritatem tali visione dignos præstiterunt. Ipse verò supra omnem mentem, omnemque substantiam suprapositus, hoc ipso quo penitus non cognoscitur, supra mentem noscitur, quoniam supra omnia est, hoc ipso nimirum quo omnino non est; quoniam esse creaturarum est, & eorum quæ sub existentiam cadunt, Deus verò est supra ipsam existentiam, atque adeò quidem est, sed supra-essentialiter, perfectissimáque in bonam partem ignoratio est, quantum enim quis ad supera ducitur, in tantum meliori occurrit ignorationi. Hæc itaque ignoratio non est priuatio cognitionis, sed excellens notitia, quæ Deum prout potest, apprehendit, quoniam existit supra omnia quæ cognoscuntur.

Tenebræ & lux, quid sint.

Cur dixerit Dionysius lucem in singulari, & cognitiones in plurali.

Ignorantia quo sensu dicatur in Deo.

Qualis cognitio Dei sit perfectior.

1 Ioan. 4. 12.

EPISTOLA II.

Eidem Caio Monacho.

SYNOPSIS.

Explicat quo sensu dicatur Deus esse supra-principium diuinitatis & bonitatis, scilicet participata & creata.

QVomodo qui est supra omnia, etiam supra-principium diuinitatis & supra-principium bonitatis existit? Si diuinitatem & bonitatem intelligas rem ipsam deifici & bonifici doni, & inimitabilem imitationem supraquam Dei & supraquam boni, secundùm quam deificamur & boni efficimur. Etenim cùm hoc etiam principium sit deificationis ac bonificationis eorum qui deificantur & boni efficiuntur, qui est omnis principij supraquam principium, etiam sic dictâ diuinitate ac bonitate, tanquam principium diuinitatis, & principium bonitatis superior existit: in quantum immutabilis & incomprehensus, antecellit imitationibus & comprehensionibus, & eis qui imitantur & participes fiunt.

Deus principij diuinitatis & bonitatis.

SCHOLIA S. MAXIMI.

QVOMODO QVI EST SVPRA OMNIA.] Hæc quidem in libro de Diuinis nominibus diuersimodè explicuit; excellenter autem hæc ipsa capite vndecimo sub finem interpretatus est, dicens: Quomodo qui omnium est auctor, imò ipsa deitas & bonitas effector sit tam bonitatis quàm deitatis, & his emineat. Legendum autem hoc modo: Rogas quomodo Deus sit supra-principium diuinitatis? Deinde respondet: Si diuinitatem intelligas esse donum ipsum per quod deificamur, non tamen ipsum Deum, habes solutionem: Deus enim, secundùm se inquam, vt superessentialis essentia est supra-principium illud diuinitatis, quod ipse dat atque communicat, id est, supra deificationem, & sic de cæteris. Deinde sic argumentando ait, quòd si hoc à Deo promanans donum, principium est nostræ deificationis, vtique etiam auctor [illegible] idem est totius principij, imò potius supra-principium [illegible]; atque ita dictam etiam diuinitatem transcendit. Deus enim non secundùm habitum, vti nos, bonitatem obtinet, sed sine habitu habet; nos autem per habitudinem, siquidem nos mutabiles sumus, ipse verò immutabilis.

Quomodo Deus sit supra-principium diuinitatis.

SI DIVINITATEM ET BONITATEM.] Non ipsam, inquit, secundùm substantiam diuinitatem & bonitatem, dico

A

dico quid tandem ipsa sit, sed bonificum & deificum donum veri Dei ac boni. Hoc enim est principium & causa deificationis ac bonificationis; & hoc modo ait ipsum dici supra-principium diuinitatis ac bonitatis, sic nempe intellectum. Quin etiam hinc nota, diuinitatem ac boitatem illam non esse ipsam Dei essentiam, quoniam supra hanc etiam Deus est, vt de Diuinis nominibus capite vndecimo fusiùs est explicatum.

EST INIMITABILIS ET HABITVS EXPERS.] Qui secundùm habitum non habet quidquam, sed ex seipsis imitatio & habitus sunt res ipsæ, participantes verò & imitantes, circa quos talia conspiciuntur. Deum autem dixit inimitabilem & habitus expertem, quoniam quantò quis ad imitationem & Dei habitudinem accesserit, tantò magis intelligit, ipsum nullâ vel imitatione vel habitudine attingi posse.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

B

HÆc sæpè quidem in libro de Diuinis nominibus diuersimodè explicuit, excellenter autem hæc ipsa capite vndecimo sub finem interpretatus est, dicens: Quonam pacto qui omnium est auctor, imò ipsa bonitas, ipsa Deitas, effector sit tam bonitatis quàm deitatis, & his emineat? Legendum autem hoc modo: Rogas quomodo Deus sit supra-principium diuinitatis, & supra principium bonitatis. Deinde respondet, & ait: Si diuinitatem intelligas esse donum ipsum, per quod deificamur, non autem ipsum Deum, habebis id quod quæritur. Non enim, inquit, secundùm essentiam dico quid sit Deitas, & quid sit bonitas, sed ipsummet donum deificum & bonificum Dei verè boni; siquidem hoc principium est & causa deificationis & bonificationis. Et hoc modo inquit Deum dici supra-principium diuinitatis, & supra-principium bonitatis, hoc modo nimirum intellectum. Si igitur hoc à Deo promanans donum principium est nostræ deificationis, nimirum auctor idem est totius principij, imò principium ipse Deus; atque ita etiam dictam diuinitatem transcendit. Deus enim non secundùm habitum, vti nos, bonitatem obtinet, sed sine habitu habet, & non per participationem, nos autem per habitudinem; siquidem nos mutabiles sumus, ille verò immutabilis. Inimitabilem autem Dei imitationem, ait esse nostram quoad fieri potest deificationem. Cùm enim non ritè deificemur, nisi Deum imitemur, idcircò dicitur imitatio: quoniam verò ad exemplar primarium nullo modo pertingimus, inimitabile dicitur. Ipsæ igitur res, nempe Deitas & bonitas, sunt imitatio & habitus: participantes verò & imitantes, Angeli, & illi homines circa quos talia conspiciuntur. Ipse verò Deus inimitabilis est, & habitus expers: nam quantò quis ad imitationem & Dei habitudinem accesserit, tantò magis intelligit, ipsum nullâ vel imitatione vel habitudine attingi posse. Siquidem Deus antecellit imitationibus habitudinibúsque, diuinitatis scilicet ac bonitatis, quinimò ipsismet imitantibus ac participantibus, id est iis qui per gratiam Dij bonique appellantur. Meritò igitur supra-principium Diuinitatis ac bonitatis existit.

Quomodo Deus sit supra Deitatem & bonitatem.

C

Deus inimitabilis est.

D

EPISTOLA III.

Eidem Caio.

SYNOPSIS.

Quid significet vox ἐξαίφνης, seu repentè, & quam vim habeat de incarnatione pronunciata.

REpente est, quod præter spem, & ex eo quod huc vsque obscurum erat, profertur in lucem. In Christi autem humanitate, arbitror hoc etiam sermonem diuinum voluisse insinuare, ex abdito supra substantialem illum in conspectum nostrum humanitus substantiatum prodiisse. Attamen occultus etiam est post ipsam manifestationem; aut, vt diuinius dicam, in ipsâ manifestatione: etenim hoc IESV mysterium occultum est, nec vllo sermone vel intellectu expressum; quin imò dum profertur, arcanum; & dum intelligitur, ignotum manet.

Quid significet ἐξαίφνης.

E

SCHOLIA S. MAXIMI.

REPENTE EST ID QVOD PRÆTER SPEM.] Existimo potissimùm istud propheticum dictum Malachiæ Prophetæ Caium interrogasse; quod sic habet: *Repentè veniet ad templum suum Dominus quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos desideratis.* Mihi autem visus est hæc interrogasse, eò quòd subiungat, *Hoc arbitror Scripturam insinuare*, vbi ea, quæ de Domino IESV CHRISTO sunt, mirificè exponit. Obserua verò, quomodo vocis ἐξαίφνης originem inuestiget: ibidémque nota, Christum humanam substantiam assumpsisse.

Malach. 3. 1.

F

OCCVLTVS AVTEM EST.] *Occultus* ab ipso sæpè ponitur pro voce *Deus*, & arcanum pro diuinitate, vt ex præcedentibus libris patet. Occultus igitur etiam hîc pro Deo ponitur, vt qui inuisibilis est.

Hæc vox occultus pro Deo accipitur.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

VVlt hîc exponere dictionem Prophetæ Malachiæ, dicentis, *Repentè veniet ad templum suum Dominus quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos desideratis.* Equidem existimo sententiam hanc à Caio propositam: Quod itaque præter spem, & veluti ex abdito profertur in lucem, id derepentè existit, iuxta illud: Repentè facta est coruscatio. Cæterùm in incarnatione quoque Verbi Dei, quam & φιλανθρωπίαν vocat; id ipsum etiam dictio ἐξαίφνης significat. Quid enim occultius Deo? Illud igitur ex occulto, est diuinitatis; siquidem *occultus* ipse sæpè accipit pro voce Deus, & *arcanum* pro Diuinitate. Occultus igitur etiam hîc pro Deo ponitur, vt qui inuisibilis dictus est. Quòd itaque ex occulto diuinitatis is qui supra substantiam est in substantiâ nostrâ appareat, illud est derepentè. Quid tandem? Ideóne quod derepentè apparuit, id quod arcanum erat exuit? Nullo modo, quinimò post incarnationem quoque occultus est: IESVS enim CHRISTVS perfectus Deus, perfectus item homo est. Obserua illud militate contra Nestorianos. Magis autem, vt quid diuinius dicam; hoc enim admirabilius est, quòd in hac suâ manifestatione, in eo ipso quod apparuit, arcanum retinet. Dominus enim noster IESVS CHRISTVS, in ipsâ assumptæ carnis nostræ reuelatione, incognitum seruat suæ dispensationis mysterium. Quis enim cognouit, quomodo se Deus carni attemperarit, vnde etiam dum profertur, arcanum, & dum intelligitur, manet ignotum.

Mal. 3. 1.

Quid repentè significet.

G

Vox occultus pro quo ponatur.

H

EPISTOLA IV.

Eidem Caio Monacho.

SYNOPSIS.

Quòd Christus & verus homo fuerit, & simul supernaturali ratione naturam humanam assumpserit Deus homo.

QVomodo, inquis, IESVS, cùm sit omnibus superior, cæteris hominibus substantialiter aggregatus est? Non vtique vt auctor hominum, hoc loco homo dicitur, sed in quantum est reuerà homo, secundùm totam hominis substantiam. Nos autem IESVM non humanitùs definimus, neq; enim ille homo tantùm est (quia nequaquam supra-substantialis existeret, si solus homo

Christus verus homo.

foret)

A

forer) ſed reuerà homo, præcipuo quodam hominum amore captus, ſupra homines, & ſecundùm homines, ex hominum ſubſtantiâ, cùm ſupra ſubſtantiam exiſteret, ſubſtantiam aſſumpſit. Veruntamen ſupraſubſtantialitate ſupra modum plenus eſt, vt qui ſemper ſupra ſubſtantiam ſit, abundantiâ quadam ſupraſubſtantialitatis; etiam ad ſubſtantiam verè veniens, ſupra ſubſtantiam ſubſtantiatus eſt, & ſupra hominum conditionem geſſit ea quæ ſunt hominis. Quod declarat & Virgo quæ ſupra naturam parit: & aqua profluens, quæ pedum ex materiâ terrâque concretorum grauitatem ſuſtinet, neque cedit; ſed virtute ſupernaturali, ſine diffuſione ſubſiſtit. Quid verò cætera, quæ valdè multa, quis memoret? in quæ ſi diuinus quiſpiam intueatur, ſupra mentem etiam cognoſcet ea quæ de humanitate IESV affirmantur, excellentis quoque negationis virtutem continere. Nam, vt ſummatim dicamus, ne homo quidem erat, non quòd non eſſet homo, ſed quòd ex hominibus natus, homines longè ſuperaret, & ſupra hominem verè homo factus ſit. Cæterùm diuina non quà Deus patrabat, neque humana quatenus homo gerebat; ſed quatenus erat Deus & homo, nouam quandam nobiſcum conuerſando deiuirilem operationem exhibebat.

Christus plus quã homo.

Christus est Deus homo.

B

SCHOLIA S. MAXIMI.

QVOMODO, ENQVIS, IESVS.] Quæris, inquit, quomodo hoc? Nota autem *hic*, id eſt in diſpenſatione, quoniam ſine hac, vt hominum auctor atque opifex, etiam homo dicitur.

NON ENIM VT AVCTOR HOMINVM.] Hoc etiam tradit Africanus in ſuis Chronographiis, dicitur enim eodem nomine Deus omnibus quæ ex ipſo ſunt, quoniam in omnibus exiſtit. In hac autem diſpenſatione, tanquam ſecundùm totam hominis ſubſtantiam ſubſtantialis homo dicitur, iuxta quod dictum eſt: *In quo inhabitauit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Obſerua autem totum Epiſtolæ contextum, quoniam eſt contra omnem hæreſim, tam antiquam quàm nouam.

Iesus qualis homo.

Coloſſ. 2.

C

NOS AVTEM IESVM.] Non per humanitatem, inquit, Chriſti ipſum definimus, ſiue ſupra hominem dicimus, quaſi prodigium hoc ſecundùm rationem ſubſtantiæ communis naturæ definiremus, ſed manifeſtè ſecundùm rationem diuinitatis. Nam ſubiunxit, Neque enim homo tantùm, verùm etiam Deus. Etſi, inquit, totam hominis ſubſtantiam aſſumpſit, haud tamen ſeparamus ipſum à diuinitate; quoniam ſubiungit: Non enim homo tantùm deinde cùm hoc dixit, infert, Neque ſupraſubſtantialis ſolùm, quatenus etiam homo.

Iesus totam hominis ſubſtantiam aſſumpſit.

SVPRA HOMINES.] Supra homines quidem, quia ex Virgine; ſecundùm homines verò, propter tempus in vtero, nempe ſecundùm conceptionis leges expletum. Ex humana verò ſubſtantia, quoniam, vt idem ſanctus Pater dicebat, ex virgineis ſanguinibus ſanctum Chriſti corpus conſtabat.

Supra hominẽ.

D

SVPRASVBSTANTIAM, SVBSTANTIAM ASSVMPSIT.] Etiam poſt incarnationem ſupraſubſtantialitatem appellauit diuinitatem. Huius autem ſuperſubſtantialitas eſt eminentia ſubſtantiæ, & ſapientiæ ac poteſtatis.

ET SVPRA HOMINEM.] Hominis quidem, quòd ſit ex muliere; ſupra hominem verò, quòd ex Virgine. Nota autem, Chriſti corpus terrenum eſſe, non autem cœleſte, vt quidam exiſtimarunt.

VIM EXCELLENTIS.] Ecce etiam hîc *excellenter* dixit, ad differentiam eorum quæ ſumuntur ſecundùm priuationem. Statim autem per ea quæ ſubiunguntur, ſemetipſum explicat. Quid porrò ſit affirmatio, diximus ſupra de Myſticâ Theologiâ capite tertio. Sed quomodo in Domino noſtro IESV CHRISTO affirmationes vim habeant excellentis negationis, res humanæ declarant. Etſi enim Chriſtum affirmemus, dum eſſe hominem dicimus, & ex Virgine matre ſecundùm ſubſtantiam noſtram, tamen occultam quoque habet, eámque mente ſublimiorem negationis vim. Quiſquis enim hoc audit, dicet, ipſum non ſimplicem eſſe hominem, cùm ex Virgine natus ſit, ſed homine ſublimiorem, etiamſi cætera ſit homo. Explicat autem hoc, cùm ait, quòd ipſum dicere hominem affirmatiuè, ſignificet ipſum non eſſe hominem negatiuè, ſed ſupra hominem, nempe propter ſigna quæ ab ipſo fiebant.

Quomodo affirmatio in Christo vim habeat excellentis negationis.

E

NON QVA DEVS DIVINA PATRABAT.] Dicit autem Chriſtum non quà Deum diuina perficere, quia cum carne, & non ſolâ diuinitate, quemadmodum igitur diuina, ſic nec humana ſecundùm hominem, quoniam in poteſtate diuinâ, quando volebat, dando tempus carni propria operandi, ſimul & humana: illud autem *vir factus*, idem ſignificat, quod *incarnatus*. Deiuirilis autem operatio deſignat diuinam ſimul & humanam. Sic enim nobis, ſiue propter nos, in terrâ nimirum, conuerſatus, vti propoſitum eſt, diuina & humana geſſit. Aduerte autem admirabilem & inexplicabilem Domini vnionem: quoniam non vt Deus diuina geſſit: (erat enim homo) nec vt homo humana: (erat enim Deus.) Vnde mirabiliter D. Gregorius Theologus ait, naturis quodammodò permixtis, denominationes quoque propter mutuas circuminceſſiones, cognatas eſſe [ſeu communes.] Quomodò verò non vt Deus diuina opera patrauit, declarat id, quòd corporeis pedibus ſupra mare ambulârit. Dei enim eſt aquam conſolidare, non Dei autem, corporeis pedibus ambulare. Neque caro pedum & oſſa diuinitatis ſunt. Rurſum item Dei eſt efficere, vt Virgo pariat: facie autem cæteriſque membris humanis efformari, non eſt diuinitatis. Sic etiam è diuerſo viciſſim hæc eadem ſe habent: non enim quà homo geſſit ea quæ hominum ſunt, ſiquidem homo erat ex Virgine; ſed hoc non eſt ſecundùm hominis conditionem. Qualis enim homo natus ex Virgine? Rurſus pedibus incedere eſt hominis; at ſupra aquam, non eſt hominis. qualis enim homo hoc fecit?

Christus θεάνδρωπος.

F

Quales ſint eius actiones θεανδρικαί.

NOVAM QVANDAM.] Nemo in ſtultiloquium erumpens dicat, ipſum Dominum Ieſum θεανδρικὴν appellaſſe: non enim θεανδρικὴν à θεανδρικῶς efformando, ſed θεανδρικὴν ſeu deiuirilem operationem dixit, quaſi à Deo ac viro compoſitam. Vnde etiam Deum vocat ἀνδρωθέντα, id eſt Deum virum factum. Nunc autem illam miſcellanam operationem ſolam deiuirilem appellauit: ſiquidem vt Deus tantùm operabatur, quando abſens Centurionis filium ſanabat; in quantum verò homo tantùm (etſi etiam Deus erat) quando comedebat & triſtabatur. Mixtim autem operabatur miracula, cæcis oculos illiniendo reſtituens, hæmorrhoiſſæ fluxum ſolo tactu ſiſtens.

G

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

ALiis quoque aliquot locis prædixerat hic Sanctus, & quidem fuſius in libro de Diuinis nominibus, quòd nimirum Deus ex omnibus denominetur, omnibúſque adſit; illud quidem tanquam cauſa ex effectis, hoc verò ex prouidentia, qua cunctis proſpicit. Iſtiuſmodi itaque ſententiis Caius aſſentiens, cum vnum idemque diuiniſſimi IESV nomen, etiam hominem ſignificare reperiatur, iuxta quod dicitur filius hominis; & adhuc manifeſtiùs, *Quid me quæritis interficere, hominem qui veritatem dixi vobis?* Ait Caius ad hunc Sanctum (ab ipſo enim hæc quæſtio mouetur) Quid dicemus de IESV qui omnibus ſuperior eſt, quando ſecundùm ſubſtantiam homo viſus, adlectus eſt cæteris ſubſtantialiter, & homo dicitur, & omnino inter homines eſt? Num hîc quoque dicemus, quia homo dicitur, quatenus auctor eſt hominum? quemadmodum exempli gratiâ idem vocatur & ſol, & lux, quòd ſolem ipſum lucémque condiderit? Et rurſum: Nunquid de hoc dicemus, quòd adeſſe hominibus dicatur tanquam horum prouiſor, ſicut & aliis omnibus adeſſe dicitur? Hîc enim, videlicet in hac diſpenſatione, ratio aliqua peculiaris quærenda eſt, cùm etiam ſine hac, vt hominum auctor atque opifex, vocari homo poſſit. Confirmat hoc in Chronographiis ſuis Africanus, vti veteres tradunt. Dicitur enim eodem nomine Deus omnibus quæ ex ipſo ſunt,

Propter unionem hypoſtaticã homo aliter de

H

Deo prædicatur quàm cætera omnia.

Ioan 7. 19.

A

quoniam in omnibus existit. In hac autem dispensatione non tanquam auctor hominum, sed secundùm totam hominis substantiam homo dicitur. Ad hæc igitur hic Pater respondens, cùm posset hic propriam rationem reddere, quòd tanquam verè incarnatus, homo appelletur, neque quidquam officere veritati; voluit tamen illud etiam iuxta cæterorum nominum rationem explanare, videlicet secundùm causam (hoc enim sibi proposuerat) dicens, Nos autem IESVM non humanitùs definimus: hoc est, Non solum hominem dicimus. Quâ enim aliâs ratione diceremus IESVM esse suprasubstantialem? Nam si homo tantùm erat, quî dici poterat suprasubstantialis? At profectò verè homo erat ille valdè hominum amans: hoc enim *excellenter* est, nempe omnibus excellens beneuolentiâ erga homines. Homo igitur verè idémque supersubstantialis humanâ circumamictus substantiâ est, secundùm homines, quin & supra homines. Secundùm homines quidem, quòd materno vtero exceptus sit, & ex virgineis sanctísque sanguinibus constiterit, & tanquam panis integer & cœlestis in sacrâ mensâ repositus, in vtero nouem menses exegerit, & propter alia quæ tanquam homo dispensauit. Supra homines verò, quòd sine semine conceptus, & ex virgine natus, & sine partitudine sit editus. Homo igitur hic hominum amator est; verumtamen suprasubstantialitate supra modum plenus est, scilicet diuinitate, iuxta quod dicitur: *In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Hoc sanè dixit, propter eminentissimam substantiam & potestatem ac virtutem eius, videlicet in opulentiâ diuinitatis; & verè factus homo, substantiam quidem nostram assumpsit, sed supra substantiam: licet enim ex muliere, tamen ex virgine; & supra hominum conditionem gessit ea quæ sunt hominis. Liquet vel ex eo quòd super aquam, tanquam terram solidam, ambularit. Quid verò cætera, quæ valdè multa, quis memoret? quæ si quis Deo dignè perscrutetur, supra mentem etiam cognoscet, ea, quæ de dispensatione Saluatoris affirmantur, excellentis quoque negationis vim habere. Quid autem sit affirmatio, & quid negatio, diximus suprà tertio capite Mysticæ Theologiæ. Sed quomodo affirmationes hîc vim habent excellentis negationis? Hoc modo. Etsi enim affirmemus esse hominem, idque ex virgine matre, & nostræ substantiæ participem; tamen occultam quoque habet, eámque mente sublimiorem negationis vim. Quisquis enim hoc audit, dicet ipsum, non simplicem esse hominem, cùm ex virgine natus sit, sed homine sublimiorem, etiamsi cætera sit homo. *Excellentis* verò dixit, ad differentiam earum quæ priuatiuè sumuntur negationum. Nam vt summatim dicamus, Neque homo erat, inquit. Breuiter verò hic Pater semetipsum explicans subiungit, non quòd non esset homo, sed quòd, cùm hominibus superior existeret, etiam supra hominis conditionem verè homo factus sit. Obserua verò, totam epistolam esse contra Nestorianos. Item obserua mirabilem & inexplicabilem Domini vnionem, quoniam non vt Deus diuina perfecit, (erat enim homo) nec vt homo humana (erat enim Deus.) Vnde mirabiliter Gregorius Theologus ait, naturis quodammodò permixtis, denominationes quoque propter mutuas circuminsessiones cognatas esse, seu communes. Quomodo verò etiam vt Deus diuina gesserit, cogita vt pedibus corporeis supra mare ambularit: Dei enim est aquam consolidare. Rursum verò, caro & ossa, pedésque non sunt diuinitatis. Rursum item Dei est efficere vt virgo concipiat: facie autem cæterísque membris efformari, non est diuinitatis. Sic etiam è diuerso, vicissim hæc eadem se habent: non enim quà homo gessit ea quæ sunt hominum; siquidem homo erat ex virgine, verò hoc non est secundùm hominis conditionem; quis enim homo natus ex virgine? Rursum pedibus incedere, est hominis; at supra aquam, non est hominis. Quis enim homo, in quantum homo, nisi diuinâ quapiam virtute supra aquas ambulauit? Dei enim incarnati hoc est, vti vox ἀνδρωθέντος insinuat: vir enim & homo propriè appellatur IESVS, qui ex duabus naturis conflatus apparens, dei virilis operationis effectus nobis exhibuit. Nota verò, sanctum hunc miscellaneam Christi operationem Dei-virilem appellasse: nam etiam in quantum Deus solus operabatur, quando absens Centurionis filium sanabat; in quantum verò homo solus (licet etiam Deus esset) quando comedebat, & tristabatur. Hic sanctus verò cùm dixit * θεανδρικὴν ἐνέργειαν, quâ scilicet miracula edebat, & cæco quidem oculos inungendo restituebat, hæmorrhoüsam verò solo attactu fimbriæ curabat, duas in Christo operationes fuisse significauit. Concluditur ergo ex his omnibus, quòd si etiam homo dicatur, in quantum est auctor opifexque hominum, vt dicebamus, etiam in aliis nominibus, cùm supra hominis conditionem ea quæ hominum sunt gesserit, nihil omnino veritas lædetur.

Iesus secundũ excellentiã homo dictus.

B

Coloss. 2.

C

In Christo etiam negationes per excellentiam prædicantur.

D

Communicatio idiomatũ in Christo.

Opera Christi θεανδρικά.

E

** Dionys.* [illegible]

EPISTOLA V.

Dorotheo ministro.

SYNOPSIS.

Explicat quid sit caligo diuina, de quâ egit libro de Mysticâ Theologiâ.

F

Diuina caligo lux est inaccessa, quam inhabitare Deus perhibetur. Et cùm quidem sit inaspectabilis, propter exuberantem supernaturalis luminis effusionem, ad hanc pertingit, quisquis Deum nosse ac videre meruit, eóque ipso quo neque videt neque cognoscit, in illo verè, qui visionem & cognitionem superat, existit hoc ipsum sciens, eum in omnibus, tam sensilibus quàm intellectilibus, existere, & cum Propheta pronuntians: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* Quemadmodum etiam D. Paulus Deum cognouisse dicitur, quando illum supra omnem scientiam & intelligentiam existere cognouit: quocircà etiam vias eius inuestigabiles esse asserit, & inscrutabilia iudicia illius, & inenarrabilia dona eius, & pacem ipsius omnem sensum exsuperare; quippe vt qui inuenerat eum qui est supra omnia, & supra mentem agnouerat, eum qui rerum omnium auctor est, rebus quoque omnibus superiorem esse.

1. Tim. 6. 16.

Diuina caligo quid sit.

Psal. 138. 6.

G

Rom. 11. 33.

Phil. 4. 7.

SCHOLIA S. MAXIMI.

IN HOC EXISTIT.] Ad intelligendum id quod hîc à Patre dictum est, sume exemplum ab oculo corporis. Quod enim efficit absentia luminis, scilicet vacationem sensus oculorum, hoc efficit intendere fixè aciem oculorum aduersus solis radios meridie.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

De diuinâ caligine etiam anteà disseruit capite primo Mysticæ Theologiæ. Est autem dictio hæc desumpta ex diuino illo Dauide dicente: *Et caligo sub pedibus eius*, idcircò enim addit, Quam inhabitare Deus perhibetur. Nam si sub eius pedibus caligo est, liquet eum totâ istâ caligine incomprehensibilem alioquin & inuisibilem circumquaque operiri. Rursum Isaias, *Et impleta est domus fumo.* Dorotheo igitur Liturgo, id est Diacono (sic enim id explicuit in Ecclesiasticâ Hierarchiâ) sciscitanti quænam hæc esset caligo, respondet, eam esse, quam quis putare possit esse tenebras, cùm lux sit inaccessa, & idcircò caliginis nomen accepit, quòd nimirum inaspectabilis sit: inaspectabilis inquam, non eo modo quo terra à principio inaspectabilis nominatur (terra autem erat inaspectabilis, & incondita) sed propter splendorem exuberantem, sicut solem in meridie dicimus inaspectabilem, cùm lucidissimos radios eiaculetur. Nam quod lucis absentia facit, dum scilicet videndi facultatem operatione suâ priuat, idem prorsus efficit contuitus

H

Psal. 17. 10.

Gen. 1.

in

A

Quid sit esse in caligine sacrâ.

in Solem meridianum fixus. In hac caligine versatur, quisquis, vt Moyses, censetur dignus cognitione ac visione Dei. Porrò talis cognitio visioque Dei quid tandem est, nisi aliquem esse supra visionem & cognitionem, & neque videre neque cognoscere, sed illud solùm cognoscere quod Deus transcendat omnia quæ sensu & intellectu percipiuntur? Illud autem ὑπὲρ πάντα, dixit μετὰ πάντα, vt sensilium simul & intellectilium transcensionem declararet, sermone ad nostrum intelligendi captum accommodato. Sic enim etiam nostra cognitio, vbi cuncta transcendit, ad Deum surrigitur, & quæ supra omnia sunt, quærit. Cùm itaque quis eo dignus habitus fuerit, is cum Prophetâ dicet: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* Diuus quoque Paulus Deum nouerat; omnem scilicet cognitionem notionemque transcendere, quoniam inuestigabilis est, & inscrutabilia iudicia eius, muneraque inenarrabilia, nec non pax eius exuperat omnem sensum. Hoc enim est, quod supra omnem sensum esse nouerat, quod videlicet cunctis superior est, vt qui auctor sit omnium. Ne quis igitur obiecerit, Quomodo supra intelligentiam est aliquem scire, quia Deus quatenus vniuersa transcendit, manet inscrutabilis communi intelligentiæ? cùm hoc quodammodo certum, atque omnibus sine demonstratione notum sit, Deum incomprehensibilem existere. Verùm sciat, plerosque quidem nosse Deum esse incomprehensibilem, notionémque transcendere. Cur autem quomodóque talis sit, eorum solùm nosse est, qui digni sunt habiti diuinâ supra hominem cognitione, qualis erat Dauid, & qualis Paulus, iisque similes: nam & Solem Lunámue deficere, vel aliud quidpiam in orbe fieri, complures nosse nulli dubium est; nam & ipse sensus hoc docet. Ad quid autem ista fiant, non est notum aliis, præterquam iis qui istarum rerum exactè periti sunt.

Psal. 138. 6.

Rom. 11. 33.

B

Deus inscrutabilis.

C

EPISTOLA VI.

Sosipatro Sacerdoti.

SYNOPSIS CAPITIS.

Suadet Sosipatro, vt non tam in falsis opinionibus arguendis, quam in veritate stabiliendâ se occupet.

NOli hoc putare victoriam, venerande Sosipater, quod in ea religionem vel opinionem inueheris, quæ non bona videatur: neque enim, vt illam rectè coarguas, continuò Sosipatri res benè habent; potest enim tam te quàm alios, inter multa falsa & apparentia, vnum illud & occultum & verum latere. Neque enim vt quid rutilum non sit, iam continuò album est: neque si quis non equus, necessariò est homo. Sic itaque, si me audies, facito: desistes quidem aduersùs alios dicere, sed omnino ita pro veritate dices, vt & ea quæ dicuntur refelli non valeant.

Nô supervacaneis refutationibus esse inhærendum.

D

SCHOLIA S. MAXIMI.

FIERI ENIM POTEST.] Potest, inquit, quispiam dum inter multa splendidum aliquod mendacium coarguit, ipsemet à vero aberrare, quod vnum est: vnica enim veritas, arcana tamen propter mysticam dogmatum intelligentiam, multâque adhuc cum Dei gratiâ opus habet indagatione; veluti Nestorius, dum Arij Apollinarijque placita conuellit, vel alij similes aliorum similium, qui in alias ipsi æquè absurdas hæreses inciderunt. Nemo autem hinc offendatur, existimans improbari Patrum studia in hæreticis refutandis collocata: non enim hoc dicit, quasi non refellendæ & euertendæ sint opiniones impiorum (quomodo enim alioquin ipsemet in libro de Diuinis nominibus Elymæ dogmata sic exagitaret?) sed non in hoc præcipuum studium ponendum esse, vt contra alios dicatur, sed vt eruditè & exactè veritatis ratio exponatur, refutatio autem adhibeatur contra oppositionem instantiæ impiorum. Aliter. Non oportere aliorum opiniones refutare, sed suam stabilire; neque contra opinionem aut cultum, qui haud bonus apparet, sed pro veritate scribendum esse. Quomodo autem hoc intelligat, epistola deinceps declarat.

Veritas vnitate gaudet & simplicitate.

E

PRO VERITATE.] Aducite vero cur pro veritate solùm scribendum sit, & non contra alios.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

SAcerdotem vocat Presbyterum, sicut etiam in Ecclesiasticâ Hierarchiâ dicit, & vsus obtinuit. Hic itaque * Sopater, vti videtur, in hoc vnum incumbebat, vt eos qui peruersæ opinionis erant refutaret atque perstringeret. Et hinc verosimile est, eum istiusmodi proposito studioque, tanquam à Deo existente, consilium, vt sæpè fit, proprij profectûs incuriam negligentemque fuisse, quòd hunc qualemcumque zelum, ad salutem sufficere existimaret. Cupiens igitur Sanctus hoc à * Sopatro remouere, vt quod arrogantiæ potiùs quàm zeli videretur, rectæque rationi errorem ingenerare, aliásque sciret ac iudicaret, istiusmodi verba potiùs offendere illos contra quos proferuntur, quàm vel tantilli lucri adferre, cùm contrà pius erga tales beneuolentiæ affectus, dilectio, affabilitas, plurimùm sæpè prosit, & errantem conuertat, persuasum, quia sermones isti non à malignitate proficiscuntur, sed potiùs à dilectione, & prouidâ erga se curâ loquentis; idcircò hanc Epistolam scribit, vt ipsum deterreret, ne istiusmodi insolentiæ à Deo coargueretur, & in eadem laberetur quæ in illis carpit, maledictis perstringit. Dicit igitur, non oportere aliorum opiniones traducere, sed propriam confirmare. Quin ne scribendum quidem aduersus opinionem religionemue, tametsi non bona videatur, sed pro veritate. Cæterùm quo pacto id dicat, reliquum Epistolæ declarat. Potest enim quispiam, inquit, dum inter multa splendidum aliquod mendacium coarguit, ipsemet à veritate aberrare, quod vnum est & occultum: vna enim est veritas, arcana tamen propter mysticam dogmatum intelligentiam, multáque adhuc præter Dei gratiam opus est indagatione, veluti Nestorius, dum Arij Apollinariique placita conuellit, & Eutyches Dioscorúsque, dum Nestorij, siue alij similes similium aliorum, qui in alias ipsi æquè peruersas hæreses inciderunt. Nemo autem hinc offendatur, existimans hunc Sanctum improbare Patrum studia in hæreticis refutandis collocata: non enim hoc dicit Pater, quasi non refellendæ & euertendæ sint opiniones impiorum (quomodo enim alioquin ipsemet in libro de Diuinis nominibus Elymæ dogmata sic exagitaret?) verùm, iuxta prædictam rationem, non in hoc præcipuum studium ponendum est, vt contra alios dixisse videatis, sed tunc dicendum, si qua fortè vrgeat necessitas aut vtilitas aliorum, vt quando inualescit falsitas, cùm fideles exagitantur, tum sanè vel inprimis veritatis ratio expromenda, idque accuratè: deinde verò refutatione etiam aduersùs impiorum oppugnationem vtendum, non tam victoriam quærendo, quàm fratrum emendationem. Sic etiam Magnus ille Theologus Gregorius: Non omnia, inquit, vincẽda, sed est etiã vbi te vinci sustinere debeas. Debet itaque, quisquis contra aduersarios disputat, cogitare, quod quando victoria contingit, non suâ virtute vincat, sed potestate veritatis quam tenet: supra omnia enim, inquit, veritas. Et hoc modo in nullam vnquam incidet elationem, sed nec à Deo destituetur, vt in quo alios reprehendit, ipsemet in aliud maledicti cuiusdam præcipitium ruat.

Sosipater.

F

Zelus temperandus modestiâ & charitate.

Sosipatre.

G

Quomodo tuenda veritas sit.

H

EPISTOLA VII.

Polycarpo Antisti.

SYNOPSIS.

1. *Docet, aduersus infideles non esse contentiosius agendum, sed veritatem stabiliendam, quâ stabilitâ falsitas per se corruet.*

2. *Conuitia infidelium parum esse curanda, & in ipsos retorquenda. Et simul argumenta suggerit Polycarpo, quibus contra Apollophanem vti debeas; præsertim a prodigiosâ eclipsi, quam Apollophanes vna cum Dionysio spectauit tempore crucifixionis Christi.*

3. *Ex ipsiusmet confessione ostendit ipsâ eclipsi conuictum.*

§. 1. Stabilitâ veritate falsitas per se corruit.

EQuidem haud scio me aduersus Gentiles aut alios inuectum, ratus viris probis esse satis, si ipsam io se veritatem & agnoscere & proferre possint, prout reuerà se habet. Vbi enim quidquid est ex lege veritatis demonstratum fuerit claréque constiterit, quidquid aliter se habet, ac veritatem simulat, arguetur etiam aliud esse ab eo quod verè est, & potiùs esse dissimile & apparens, quàm reuerà existens. Superuacaneum igitur est, vt is qui demonstrat veritatem, aduersus hos aut illos dimicet: quilibet enim affirmat se habere Regium numisma, & fortassis habet particulæ cuiusdam veræ fallacem aliquam imaginem; quam si confutaueris, alius iterùm atque alius de eadem dimicabit. At si vera ratio ritè fuerit stabilita, cæterísque omnibus irrefragabilis persistat, quidquid cum eâ non eodem modo per omnia se habet, id ipsum per se, insuperabili eius quod omnino verum est stabilitate, deiicitur. Hoc itaque cùm, meâ quidem sententiâ, probè nossem, minimè dedi operam, vt aduersus Gentiles aliósve dicerem, sed mihi satis est, si mihi donet Deus, vt de veritate primùm quidem rectè sentiam, ac deinde scitè eloquar vt oportet.

§. 2. Conuitia infideliũ parum curanda, & in ipsos retorquenda.

Tu autem ais, Sophistam Apollophanem me conuitiari, ac parricidam appellare, vt qui Gentilium dictis, aduersus ipsos non sincerè vtar. Atqui nos illi veriùs obiicere possemus, Gentiles illos, aduersus diuina diuinis sacrilegè abuti, dum per Dei sapientiam, diuinæ religionis cultum abolere moliuntur. Neque verò hic de multitudinis opinione loquor, quæ Poëtarum fictionibus materialiter tenacitérque adhærens, creaturæ potiùs quàm creatori famuletur; verùm etiam ipsemet Apollophanes diuinis aduersus diuina nefariè vtitur, nam per hanc ipsam rerum scientiam, quæ ab ipso rectè Philosophia dicitur, & à diuo Paulo sapientia Dei nominatur, ad rerum ipsarum scientiæque illius auctorem, veros Philosophos ascendere oportebat. Ac ne præter institutum meum, aliorum potiùs quàm ipsius sententiam à veritate deflectere conuincam, scire debebat Apollophanes, cùm sapiens esset, nihil vnquam cœlestis ordinis ac motûs immutari vllo modo potuisse, sine instinctu auctoris sui, à quo & vt esset accepit, & cuius potentiâ conseruatur, qui, secundùm Scripturæ testimonium, cuncta perficit ac mutat. Cur igitur non colit eum, quem hinc quoque cognouimus veraciter esse omnium Deum, admirando eius, à quo cuncta subsistunt, admirabilem potestatem? Quandoquidem ab ipso Sol & Luna, potentiâ statúque mirabili, simul cum hac rerum vniuersitate, ad omnimodam immobilitatem redacta sint, nec non ad integri diei spatium, in iisdem vniuersa signis constiterint; vel, quod amplius est, etiam cunctis orbibus primariis, qui cæteros complexu suo continent, more suo gyrantibus, ea quæ illorum complexu continebantur, non vnà in orbem circumlata sint: quin & alius quidam dies continuatione ferè triplo longior effectus, & totis viginti horis, vniuersum æquali omnino temporis spatio, motu contrario supraquam admirandis retrogyrationibus retrogressum ac reuersum sit: vel ipse Sol in cursu suo, quinquesormem istum motum ad decem horas contractum, denuò gradu retrogrado, aliis item decem horis nouamquandam semitam ineundo, repererit: quod vtique Babylonios iure merito consternauit, & eos Ezechiæ tanquam Deo suppari similíve, atque hominibus præstantiori, sine pugnâ subegit. Omitto quæ in Ægypto magnificè gesta sunt, atque alia quædam signa, quæ alibi diuinitus patrata sunt, hæc tantùm memoro quæ sunt obuia cœlestiáque, & per vniuersum orbem ab omnibus celebrata. Sed omnino dicet Apollophanes, ista minimè vera esse: attamen id vel maximè sacris Persarum monumentis celebratur, atque etiamnum Magi triplicis Mithri siue Solis memoriam recolunt. Verùm illi liceat siue per ignorantiam, siue per inscitiam istis fidem derogare: sed dic illi, Quid sentis de illâ Solis defectione, quæ accidit in cruce salutari? Tunc enim ambo iuxta Heliopolim præsentes simul & adstantes, mirabili ratione Soli Lunam coincidere cernebamus (neque tamen tempus coniunctionis erat) ipsámque rursus sub horam nonam vespertinam diametro soli opposito supernaturaliter restitui. Quin etiam io memoriam illi reuoca quiddam aliud: scit enim, quomodo viderimus illum Lunæ occursum ab Oriente cœpisse, & vsque ad solis extremitatem peruenisse, ac tum deinom resiliisse, & rursum, non ex eadem parte occursum illum & recessum extitisse, sed ex aduerso diametri. Ista sunt, quæ tunc supra naturam omnino contigerunt, & à solo rerum omnium conditore Christo fieri possunt, qui facit magna ac stupenda quorum non est numerus.

Apollophanem ex prodigiis in cælo visis ad Deum adduci debuisse.

Qualis eclipsis contigerit tempore crucifixionis.

§. 3. Conuincit Apollophanem propriâ ipsius confessione.

Hæc si fas est ei dicito, túque Apollophanes refelle si potes, idque aduersum me, qui tunc præsens vnà tecum adfui, & simul aspexi, & obseruaui omnia cum admiratione. Denique tunc nescio quo spiritu afflatus, in diuinationem quoque Apollophanes prorupit, & ad me conuersus, Istæ, inquiebat, ô præclare Dionysi, diuinarum sunt vicissitudines rerum. Hæc à nobis tanquam per epistolam dicta sint satis. Potes porrò ipse supplere quæ desunt, & ad Deum perfectè virum adducere, multis sanè in rebus sapientem; neque fortasse dedignabitur mansuetè ac humiliter discere plusquam sapientem Religionis nostræ veritatem.

SCHOLIA S. MAXIMI.

§. 1. S. Polycarpus quis fuerit.

SAnctus hic Polycarpus Smyrnæ in Asiâ fuit Episcopus, & discipulus S. Ioannis Euangelistæ, vti testatur Irenæus libro tertio aduersus Falsi nominis scientiam, martyrium autem igne consummauit. Diuinus hic Polycarpus scripsit etiam Epistolas ad Philippenses. Continet autem hæc Epistola B. Dionysij multa admiranda prodigia, quæ in eclipsi illa solari tempore crucifixionis Christi contigerunt.

ARGVETVR.] Subaudiendo illud *redarguetur*, sic enim exigit constructio.

§. 2. Apollophanes collega S. Dionysij.

SOPHISTAM APOLLOPHANEM.] De Apollophane sophistâ, qui fuerat socius Magni Dionysij, & conuitiabatur, ipsum quòd Christianus factus esset, & aduersus Gentiles diceret.

NEQVE HIC DE MVLTITVDINIS.] Dictum hoc sic construendum est, Neque ego de multitudinis opinione loquor, quæ Poëtarum fabulis aut passionibus materialiter tenacitérque adhæret.

NAM PER HANC IPSAM RERVM SCIENTIAM.] Rerum scientiam vocauit obseruationem motus cœlorum, & aliarum creaturæ partium considerationem, iuxta quandam sapientiæ definitionem, quâ cognoscuntur res quatenus res sunt. Est autem illa vox Apostuli io primâ ad Corinthios, dicentis: *Nam quia in sapientia Dei non cognouit mundus per sapientiam Deum*: id est, per sapientiam in concinnâ decoráque creaturæ compositione apparentem, quæ hoc intellexit. Nota igitur rerum notitiam vocari philosophiam, quam etiam Apostolus in primâ ad Corinthios Dei sapientiam appellauit.

Deum ex rerum ornatu cognosci posse.

SCIRE DEBEBAT APOLLOPHANES.] Ex eo nempe

quod

quod apud Gentiles in confeſſo eſt, rerum omnium ordinem earundem auctori Deo tribuendum eſſe, docet, ex hoc cognoſci poſſe Deum rebus omnibus legem ponere, quòd Sol & Luna terminos dieī cóſtitutos habeant, & ſimul cum vniuerſo cælorum orbe circumuoluantur; ſcilicet ex Oriente in Occidentem. Quòd ſi non circumferantur vnà cum cælo quo continentur, ita vt cælum quidem & inerrantium atque ſtabilium ſtellarum ſphæræ ex Oriente in Occidentem circulariter vertatur, ipſe autem Sol & Luna contrarium vniuerſo curſum teneant ex Occidente in Orientem; vtique vel hinc maximè cognoſcibilis & admiratione dignus cenſebitur vniuerſi creator atque gubernator Deus. Hæc exponemus contra Apollophanem dicentem, non vnà cum Sole cælum tunc conſtitiſſe, tametſi id in priori ſcriptione accuratè probauimus.

De ſolſtitio ſub Ioſue facto.

Qvando sol ab ipso.] Proponit hîc quæ ſub Ieſu Naue contigerunt, & B. Polycarpò hanc hiſtoriam in memoriam reuocat, vt eam Apollophani opponat. Ait itaque: Dic illi: Diſce quomodo Deus Solem & Lunam, cùm ſecundùm diametralem lineam è regione ſeſe reſpectarent, Sole quidem iam deuergente in occaſum, luminaria illa ſtiterit in ſtatione ſuâ, vtique virtute ineffabili auctoris eorum Dei. Et immobile etiam tum ſubſtitit vniuerſum cum vtroque luminari: etenim non cælum ipſum, non cætera ſidera circumuoluebantur, ſed vnà cum duobus iſtis luminaribus abſque motu ſubſtiterunt. Neque paruo dumtaxat tempore curſus vniuerſi ac motus inhibitus, ſed integro die, ita vt ſub Ieſu Naue dies fuerit duplicata, nempe ad viginti quatuor horas, quemadmodum clarè docet Iesvs filius Sirach in hymno Patrum. Deinde ſubiungit: Si verò dicat Apollophanes, id eſſe impoſſibile, id vnà cum duobus luminaribus cælum & reliqua aſtra ſubſtiterint, ſed illa mota fuiſſe ſole ſubſiſtente: reſponde ipſi, vel hoc maximè ad verum Deum eiuſdemque cognitionem ipſum cóuertere debuiſſe, quòd nempe polus, qui luminaria continebat, circumageretur, luminaria verò, quæ ipſius complexu continebantur, immota conſtiterint. Hoc enim maioris eſt virtutis cælo cæteriſque ſtellis motis, Solem & Lunam ſine motu conſiſtere, & non eodem motu cum vniuerſo moueri, cum quo ſemper circumagi conſueuerunt.

Statvqve mirabili simvl cvm hac vnivarsitate.] Ait nempe, quomodo ſimul ipſo polo immoto manente (hunc enim vniuerſitatem appellauit) Solis & Lunæ ſtatio facta ſit. Quin potiùs, inquit, multò magis mirandum, ſi polus quidem circumagebatur (hunc enim ſignificauit, dicens, vniuerſis, & potioribus, & continentibus) Sol autem & Luna (hæc enim continebantur) non vnà ſimul cum eo, cuius complexu tenebantur, circumagebantur.

Continvationa fere triplo longior effectvs est.] Appoſuit *fere*, quòd dies ille non vſquequaque plenus fuerit triplici dimenſione: (duarum enim & triginta fuit horarum) ab Oriente ſcilicet ad eum vſque locum, in quo Sol tum inuentus eſt, quando editum eſt iſtud ſignum, decem horæ præterierant, & iterùm decem, dum illinc iter reflexit ad Orientem, & duodecim inde vſque ad Occidentem. Eâdem autem loquendi formulâ hîc vſus eſt, quòd nempe polus vnà cum Sole viginti horarum ſpatio admirandam iſtam retrogreſſionem fecerit, vel Sol ipſe ſolus.

Vel vniversvm æqvali temporis spatio.] Dictum hoc ita conſtrue, cùm ſit per traiectionem, quòd nempe vniuerſum per contrarias has lationes æquali omninò temporis ſpatio mirandis iſtis vertiginibus retroceſſerit. Hæc etiam libro quarto Regum declarantur, præſertim in editione Symmachi, & libro ſecundo Paralipomenon.

Quis ſit annuus Solis curſus.

Sol in proprio cvrsv.] Anniuerſarius ſolis motus quinque facit conuerſiones, ſcilicet aſcenſionem borealem, quam conficit à verno æquinoctio ad æſtiuum vſque ſolſtitium & deſcenſum borealem, ab eodem vſque ad æquinoctium autumnale, & deſcenſum auſtralem ab hoc æquinoctio ad hibernum vſque ſolſtitium, & ab hoc rurſus aſcenſum auſtralem ad æquinoctium, & quintam, vniuerſo contrariam. Quando igitur quinqueformem eius motum appellauit, appoſitione articuli ſubindicauit illum notum & conſuetum ſolis motum. Sic itaque expendamus quid à Patre per hæc verba dictum ſit. Supponamus Solem illâ die, horâ ſui ortûs, fuiſſe in primâ parte Arietis, quæ non habeat minuta; non poterat itaque ad hanc primam partem Arietis redire, niſi confectâ, quam præſcripſimus, quinqueformi motione, per dies videlicet trecentos ſexaginta quinque, & quartam partem. In decem igitur horis, à duodecimâ, in quâ erat, vſque ad locum in quo ortum ſuum fecit, id eſt à primâ parte Arietis, ad ipſam retrogrediens, quinqueformem motum, ſiue annuum curriculum abſoluit; & in aliis decem poſt retrogradationem, in eodem ſigno fuit, in quo erat, quando ſignum exhibebatur, vt quodammodò dicam ex ſuppoſitione in primâ & dimidiâ parte Arietis. Similiter in reditu (quod reſolutoriè dixit) eundem quinqueformem motum expleuit, quoniam non poterat iterùm primam & dimidiam illam Arietis partem attingere, poſtquàm ſemel ab eâ receſſerat, niſi per dierum anni ſpatium, vti dictum eſt.

Fervntvr fama.] Id eſt hiſtoriis.

Mithrâ Perſis idē quòd ſol.

Mithri celebrant.] Mithram vocant Perſæ Solem. Dici autem illius extenſionem per ritus, quos propter memoriam triplicati Solis obſeruant, ſignificauit. Nota inſuper quid dicat hic Pater de tenebris illis, quæ tempore crucifixionis Domini factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, ab horâ ſextâ vſque ad nonam.

Ivxta Heliopolim.] Veriſimiliter intelligit Heliopolim quæ eſt in Ægypto: ibi enim adhuc ſimul degebant.

Prodiotose.] Aiunt enim, non aliter eclipſim fieri, niſi Luna cum Sole inciderit.

De eclipſi crucifixionis.

Et eandem rvrsvs.] Obſerua hîc ſolutionem dubij apud Lucam Euangeliſtam. Nemo enim prodigioſum iſtum miraculi modum explicauit præter hunc ſolum. Cùm enim D. Lucas dicat, ab horâ ſextâ tenebras in cruce Domini factas eſſe, Sole deficiente, ab omnibus paſſim dubitabatur, quomodo hanc eclipſim appellarit, cùm eſſet Luna decimaquarta, quando non eſt coniunctio Solis & Lunæ. Commentatores ferme omnes, vtpote longo tempore poſteriores, ſuſpicabantur Solem ipſum per tres horas radios abdidiſſe vſque ad horam nonam. Hic certè nouus ille eclipſandi modus eſt explicatus. Ait itaque quòd ab Oriente, cùm eſſet Luna decima-quarta (neque enim tempus coniunctionis erat) ſub horam ſextam Solem aſſecuta ſit, & coincidens ſub ipſo curſum tenuerit, ipſum vſque ad Orientalem orbis ſolaris partem inuadendo. Vnde etiam venit Luna & ingreſſa ſub ipſo curſum tenuit, ac retrogreſſa eſt donec totum orbem obſcurauit. Oportebat vtique, ſi vſitata fuiſſet eclipſis, ex eâdem parte & defectionem & repurgationem exiſtere, vt quando Luna ſub Sole curſum ſuum peragit, v. g. ex Oriente, primam Orientalem ſolaris diſci partem obfuſcat, ſub quam etiam currere cœpit: inde igitur etiam ex Orientali parte primùm incipit Solis diſcus repurgari, dum luna tendit ad Occidentem, & prima pars (nempe Orientalis, quam etiam primam occultauerat) detegitur, dum ſub Solem præterit atque tranſcurrit. Sub ſalutarem autem paſſionem, non hoc modo contigit, ſed contrario. Nam Luna veniens ab Oriente ſub ſolem excurrit, & totum eius orbem obduxit: deinde non vltrà ad Occidentem tranſiit, ſed rurſus ad Orientem, & primùm denudata eſt ſolaris diſci pars Occidentalis, ſiquidem retroceſſit verſus Orientem ad diametrum ſoli oppoſitum, ita vt coniunctio & repurgatio non ab eadem parte facta ſint.

Phlegon & Africanus huius eclipſeos meminere.

Phlegon gentilis Chronographus libro decimo-quarto Chronographiæ ſuæ in Olympiade centeſimâ-tertiâ, huius quidem eclipſeos etiam meminit, dicens eam more ſolito accidiſſe, ſed modum eius non exprimit. Quin etiam Africanus noſter libro quinto Chronographiæ, & Euſebius Pamphilus ibidem euiſdem defectionis mentionem fecit.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§. 1. S. Polycarpus quis fuerit.

SANCTVS hîc Polycarpus Smyrnæ in Asiâ fuit Episcopus, auditor primùm sancti Apostoli & Euangelistæ Ioannis Theologi, & prout Irenæus libro tertio aduersus Falsi nominis scientiam: Vt veteres, inquit, prodiderunt, martyrium quoque igne consummauit. Extat autem Diui huius Polycarpi Epistola ad Philippenses. Ad hunc igitur diuus Dionysius, de Apollophane scribens edisserit, vt hic gentilis cùm esset, & Philosophus Asianus, multis virum sanctum incusaret, quòd ad Christum accessisset, tametsi cum hoc vnà perspexisset plurima illa mirabiliaque, quæ in solari illâ defectione sub crucis tempus contigerunt. Ait igitur ad sanctum Polycarpum: Equidem haud scio me aduersus aliquos alterius sectæ doctores inuectum, aut illorum ritum vnquam perstrinxisse, ratus viro probo satis esse, si ipsam in se veritatem sicuti se habet nosse possit simul & expromere. Sicut enim nulla ratio est constituendæ veritatis ex eo quòd mendacium reprehenditur, sed ipsa per se sufficit; vt omnibus palàm exerat natiuum splendorem suum, siue cum mendacio conferatur, siue non. Quin potiùs periclitabitur, vt ita dicam, non minimam portionem virtutis suæ deperdere, vbi quibusdam visa fuerit, non à se vim illam obtinere, sed ex eius quod omninò infirmum est, scilicet mendacij refutatione: quasi verò non per se complere talem potentiam sortiatur. Similiter nequaquam decet viros probos religionem suam hoc nomine commendare quasi rectæ sint fidei, quòd alios probris aspergant, aut reprehendant; sed magis expendere debent, num fortè propter rectum iudicium admiratione digni sint. Hoc enimverò (quodcumque tandem illud est) demonstrato secundùm ipsam legem veritatis (lex autem veritatis est, tale quidpiam secundùm ipsam expendere) & liquidò constante, quidquid aliter se habet, ac veritatem simulat, conuincetur etiam aliud ac dissimile esse ab eo quod verè est, seu veritate; & magis apparere quàm esse coarguetur. Superuacaneum igitur fit, eum qui de omnibus parat dicere, ac veritatem manifestare, aduersus hos aut illos dimicare: quilibet enim qui errat, veritatem se habere putat, non secùs ac regium numisma, & fortasse alicuius particulæ veritatis, nequaquam verò vniuersæ veritatis, imaginem subdolam tenet. Porrò dignum hic admiratione nomen hoc εἴδωλον, à quo & idololatræ vocantur, vt qui cultum exhibeant idolis fucatam & fallacem particulam veritatis præ se ferentibus, eos qui non sunt dij deos appellent, & debitum Deo cultum transferant ad falsi nominis Deos. Eum igitur qui veritatem tenet, accipe pro eo qui regium numisma possidet. Si igitur hic conetur confutare eos qui non habent veritatem, cùm habere se putent, tametsi hunc coarguat, alter contendet; quòd si & ipsum conuincat, rursum alius dimicabit, quem si superaueris, iterùm alius exurget. At si veritas irrefragabilis constiterit, quidquid aliter se habet, ipsum per se concidet: vbi enim in veritatem impegerit, mox inuincibili constantiâ veritatis repulsum corruet. Cùm enim falsitas aduersus veritatem minimè præualeat, semper autem illi vt contraria repugnet, vtique in ipsam impinget & corruet. Quæ enim ollæ ad lebetem collatio est? ipsa quidem impinget lebeti, at eâdem confringetur. Hoc itaque cùm meâ quidem sententiâ probè nossem, minimè dedi operam vt aduersùs aliquos dimicarem. Sed mihi satis est (si mihi donet Deus) vt de veritate primùm quidem rectè sentiam, ac deinde scitè eloquar vt oportet.

Veritas sibi sufficit clarè proposita.

Veritate stabilitâ falsa per se corruunt.

§. 2. Retorquet obiectionem Apollophanis.

Tu autem ais Apollophanem me conuitiari, ac parricidam appellare, quòd nimirum erga patrios Deos ob antiquam iniuriam maleuolus extiterim, & quòd Gentilium dictis aduersus ipsos abusus sim. Atqui cuius me accusat; id veriùs ipsimet obiicerem, quòd nimirùm Gentiles diuinâ sapientiâ perperàm & sacrilegè sint abusi. Cùm enim hanc à Deo accepissent, vt Deum agnoscerent, in errorem lapsi desciuerint ad eos qui non sunt dij. Omitto hic opinionem multitudinis Poëtarum fictionibus materialiter tenaciterque adhærentis: Illi enim cùm materiam passionesque diligerent, Poëtarum fabulas nimiùm amantes, eorundemque lectioni inhæserunt, asserentium numen ipsum affectibus moueri. De his itaque nihil dico, qui creaturam præ creatore colunt. Quin & ipsemet Apollophanes, diuinis iis, quæ scilicet ex Philosophiâ petuntur, rationibus, non rectè vtitur: oportebat sanè ipsum, si quidem verus sit Philosophus, & philosophia sit rerum quatenus existentium cognitio, ad rerum auctorem Deum surrigi, ipsarum rerum notitiâ fretum, quam ipse quidem philosophiam vocat, at Paulus Dei sapientiam appellauit in priori ad Corinthios Epistolâ scribens: *Nam quia in sapientiâ Dei non cognouit mundus per sapientiam Deum*: hoc est, per sapientiam in concinnâ decoráque creaturæ compositione simul & ordine manifestè apparentem. Atqui ne videar eos coarguere præter prius institutum meum ac propositum, propter quod neque contra Gentiles, neque contra alios stilum strinxi; scire debebat Apollophanes, cùm sapiens esset, nihil vnquam præstitutum sibi ordinem mutare potuisse sine instinctu auctoris sui, ac conseruatoris, quemadmodum contigit circa Solem & Lunam, sub Iesu Naue & Ezechiâ. Denique sciendum apud Gentiles etiam in confesso esse, rerum omnium ordinem eorundem auctori tribuendum. Dicens enim, ex hoc cognosci posse Deum vniuerso leges ponere, quia Sol & Luna terminis diei naturalis constitutis currunt, & simul cum vniuerso cœlorum orbe circumuoluuntur; arguit hunc qui ex his opificem eorum nec agnoscit, neque colit. Quidni igitur Deum admirabilem prædicat, cuius omnium effectricem, ineffabilemque virtutem confessus est? Beato Polycarpo hîc in memoriam reuocat historiam, quæ contigit sub Iesu Naue, vt eam Apollophani opponat. Ait itaque, Dic illi, Disce quomodo Deus Solem & Lunam, cùm secundùm diametralem lineam è regione sese respectarent, Sole quidem iam deuergente in occasum, vtrumque luminare subsistere iussit in statione suâ, vtique virtute ineffabili auctoris eorum Dei. Vniuersum hoc insuper immobile substitit vnà cum vtroque luminari: etenim non cælum ipsum, non cætera sidera circumuoluebantur, sed vnà cum duobus istis luminaribus suis quæque sedibus substiterunt. Hoc enim indicant illa verba, *Simul cum vniuerso, ad omnimodam immobilitatem redacta sunt*, ita vt totius diei dimensio, duodecim horarum spatio excreuerit, quanto quoque tempore, tam luminaria, quàm vniuersum in signis suis constiterunt. Quòd autem dies tunc duplicata fuerit luculenter indicat Iesus filius Sirach in hymno Patrum: nam ad horas quatuor supra viginti, dies illa sub Iesu Naue porrecta memoratur, quemadmodum is expressit. Si verò dicat Apollophanes, impossibile esse cælum sisti, quia perpetuò mouetur: responde ipsi, vel hoc nomine tale prodigium magis admirandum, quod & te debuit ad verum Deum eiusque cognitionem conuertere. Polus siquidem, qui luminaria continet, circumagebatur. Nam & hoc expressit, dicens: *Vniuersis etiam orbibus primariis, & qui cæteros continent circumgyrantibus.* Sol tamen & Luna, quæ illorum complexu continebantur, immota consistebant, nec eodem cum vniuerso motu agebantur; quocum semper circumagi consueuerat. Rursus Ezechiæ tempore, quando alius item dies continuatione ferè triplo longior effectus est. Appositum est ferè, quòd dies ille non vsquequaque plenus fuerit triplici dimensione; duarum enim & triginta fuit horarum, ab Oriente siquidem ad eum vsque locum: in quo Sol [tu]m inuentus est, quando editum est eiusmodi signum; decem illius diei horæ præterierant; rursum alteræ decem quo ex cursu temporis illinc iter reflexit Sol ad Orientem; itemque illinc ab Oriente ad Occiduum vsque limitem perlatus est horis duodecim. Hac sanè dicendi formulâ visus hic est, quòd polus ipse vnà cum Sole, toto illo intercedente spatio horarum viginti, admirandam illam retrogressionem fecerit, vel Sol ipse solus, hoc enim est quod dicit: *Vel vniuersum æquali omnino*

1. Cor. 1. 21.

Suggerit argumenta contra Apollophanem.

Solstitium sub Iesue quale.

Sub Ezechiâ qualiter dies vna tridui spatio producta.

temporis ſpatio (ſcilicet viginti horarum) *motu contrario retroceſſit: vel ipſe ſol curſu proprio talem motum peregit.* Quod autem vocat *quinqueformem iſtum ſolis motum,* ſic intellige: Anniuerſarius ſolis motus quinque facit conuerſiones: Aſcenſionem ſcilicet Borealem, quam conficit à verno æquinoctio ad æſtiuum vſque ſolſtitium: deſcenſum Borealem, ab hoc nimirum ſolſtitio ad æquinoctium autumnale; deſcenſum Auſtralem, à dicto æquinoctio ad hibernum vſque ſolſtitium; & aſcenſum Auſtralem ab hiberno tropico ad vernum deducit æquinoctium; quintam denique vniuerſo contrariam. Quando igitur quinqueformem eius motum appellauit, appoſitione articuli ſubindicauit illum notum & conſuetum ſolis motum. Ad hunc modum itaque expendamus quid Pater per hæc verba dictum ſit. Supponamus ſolem illâ die, horâ ſui ortus fuiſſe in primâ parte Arietis; ipſum itaque in hanc primam Arietis partem redire, niſi confectâ, quam præſcripſimus, quinqueformi motione, nequaquam erat poſſibile, per dies videlicet trecentos ſexaginta quinque, & quartam partem. At verò in horis decem, à loco in quo contigit illud ſignum, denuò ad primam vſque partem Arietis in Oriente, priſtino gradui ſe perfectè reſtituit; & ſecundùm hoc, quoniam non aliter hanc primam ſigni Arietis partem ſol rurſus attingere poterat, niſi abſoluto iuſti ad id temporis interſtitio, quo vtique tempore quinqueformis ille ſolaris motus perficitur, decem interim horæ ſupputátur, non iam illæ nimirum primæ quæ ei tempori attributæ ſunt, quo ſol ab Oriente excitus, ad eum vſque locum prouectus eſt, in quo ſub Ezechiâ ſignum fieri contigit: ſed aliæ, quibus ſol retrogrado curſu à loco ſigni recurrit, relatuſque eſt in Orientem. Iſtæ igitur horæ decem, quibus ſol primæ parti Arietis propior factus eſt, cenſentur implentque vicem ſoliti vnius anni: ſiquidem vniuerſam illam temporis periodum ita compendio contraxit, dum ſe reſtituit in locum iſtum vnde illo die ortus fuerat. Deinde ſole rurſus ab Oriente moto, quoniam aliter ad illud ſignum remeare non poterat, in quo tum fuerat, quando ſub Ezechiâ id ſignum editum eſt, niſi per totius annui temporis traiectionem ſimul & motionem illam quinqueformem, in decem iterùm horis illò ſe recepit. Quare decem illas horas, quæ erant ab ortu vſque ad ſignum illud, accepit pro anniuerſario & quinqueformi motu: neque enim ſol ſemel egreſſus ſignum Arietis in Oriente, repetere illud poterat, niſi decurſâ priùs anniuerſariâ periodo. Sed neque aliter poterat fieri, vt qui ſemel deſciuiſſet ab eo ſigno in quo tum erat, quando ſub Ezechiâ ſignum contigit, velut poſtliminio ſe in idem redintegraret, niſi interceſſu alterius anniuerſariæ progreſſionis. Et Idcircò ait: Hunc motum annuum, quem compendio contraxit ad decem horas, in loco vbi Ezechiæ ſignum datum eſt, emotus ſol in Orientem, eandem totam ſemitam annuam in aliis decem horis ab ortu vſque ad locum in quo ſignum contigit, confecit. Hoc vtique Babylonios etiam conſternauit, vtpote cæleſtium ſignorum & aſtrorum contemplationi deditos; nec non eos Ieroſolymorum Regi tanquam Deo ſuppari ſimilive, atque cæteris hominibus præſtantiori, ſine pugnâ ſubegit. Omitto illa quæ in Ægypto mirificè geſta ſunt, aut alibi patrata: ſed hæc memoro, quæ in cœlo & in ſole contigerunt, & idcircò ab omnibus celebrata ſunt. Si quid enim ſoli acciderit, nemo eſt eorum qui ſolem contuentur, qui non id dilucidè conſpiciat. Quòd ſi ne his quidem fidem accommodabit Apollophanes, vel Perſæ ipſi teſtimonio eſſe poterunt, qui Mithram quidem ſolem ipſum vocant: dici autem illius extenſionem per ritus, quos propter memoriam triplicati ſolis obſeruant, ſignificant. Cæterùm id ita ſe habeat: quid dicet de illâ ſolis defectione, quæ accidit ſub crucifixionem Saluatoris? Nam ambo nos, ego & ipſe, apud Heliopolim Ægypti præſentes (Græcis enim tum erat vſitatum, vt vndique in Ægyptum proficiſcentur Matheſeos diſcendæ causâ) contemplabamur iſtam eclypſim, & quod noua & inſolita contra rationem accideret, mirabamur. Luna quippe quarta erat & decima ſoli è diametro oppoſita, quo tempore nunquam aliàs contigit ſolis fieri deliquium. Neque enim eclypſis ſolaris accidit, niſi Soli Luna inciderit, ſubque ſolem intercalaris rectâ curſum ſuum peragat. Tum verò non erat tempus congreſſionis. Et quod etiam mirandum, ab horâ ſextâ vſque ad nonam iſta contigit eclypſis, & à nonâ vſque ad veſperam è diametro Soli Luna erat oppoſita. Proinde memoriam illi renoua alterius cuiuſdam, quod ex Aſtronomicis ſequitur. Etenim in ſolis defectu ordinato, ex eadem parte ſolaris orbis neceſſe eſt fieri incidentiam, tenebrarum videlicet offuſionem; & ex obliquo repurgationem, hoc eſt illuſtrationem. Sole enim ſurſum circulum ſuum permeante, Lunâ item ſuum ſubtercurrente, neceſſariò Luna præuertit, vt quæ minorem multò circulum tranſcurrat. Cæterùm etſi hæc luminaria contrariam omnino viam decurrerent, vtique Luna anteuerteret. Conſequens igitur fuerit, Lunam obtenebreſcere qua parte incidit Soli, & in eadem deficere, ſicut in aliâ illuſtratur. Die autem ſalutaris illius crucis, cùm ab Oriente momento, quaſi temporis cum Sole Luna concurriſſet, eclypſim hanc fecit. Oportebat autem illam in proprium locum reuerti, vt ordo eius ſeruaretur: hinc contigit, vt Sole rurſus relicto rediret. Et hæc quidem eclypſis contigit, obſcuratâ priùs parte ſolaris diſci reſpicientis Orientem: deinde Luna totum ſubtercurrente Solem, cùm iam cœpiſſet reuerti, conueniebat, ipsâ partem occiduam primò deſerente, vt partem Orientalem occuparet, iſtam quoque primò illuminari. Hæc ſunt quæ tum temporis perfecta ſunt, à ſolo rerum conditore Deo diſpoſita & ordinata.

De eclipſi ſub crucifixione Chriſti.

Cæterùm tu, Apollophane, ſi minùs vera refero, te ſelle: ego interim tibi memoriam reſuſcabo facti alterius: Quoniam tu tum etiam neſcio quo quaſi numine afflatus in diuinationem prorumpebas, & ad me dicebas: O præclarè Dionyſi, diuinarum ſunt hæ viciſſitudines rerum. Et ecce hæc eſt viciſſitudo, quæ nos ab errore ad veritatem traduxit, à tenebris ad lucem, à morte ad vitam, ab idolis ad Deum verum. Hæc per epiſtolam, ſermonem vltrà non producens. Tu verò, ô diuine Polycarpe, ſupple quæ deſunt, vt virum hunc ſapientem ad ſupraquàm ſapiêtem Chriſtianæ fidei veritatem adducas.

EPISTOLA VIII.

Demophilo Monacho, de propriâ operatione ac clementiâ.

SYNOPSIS.

1. *Oſtendit, præcipuos Dei amicos, Moyſem, Dauidem, Iobum, Abelem, Ioſephum, manſuetudinis laude claruiſſe; & in ipſomet Chriſto præ cæteris virtutibus vel maximè clementiam & manſuetudinem emicuiſſe. Vnde à contrario Demophilo ſuam exprobrat immanitatem, quòd pœnitentem à Sacerdote abſolutum immaniter tractaſſet, & in Sacerdotem quoque temerariè debacchatus fuiſſet, eò quòd pœnitentem abſoluiſſet: & exemplis eorum qui ob ſimilem temeritatem puniti fuerant, eum deterret.*

2. *Proponit Demophili obiectionem, quam probabiliter poſſe facere videretur, eamque elidit.*

3. *Oſtendit, nequaquam conuenire vt inferiores, qualis erat Demophilus, ſuperiores ſuos increpent.*

4. *Docet, ordinem & ſubordinationem vbique ſeruandam eſſe, atque Chriſti boni ac manſuetiſſimi paſtoris exemplum ob oculos ponit.*

5. *Dicit, Chriſti manſuetudinem potius imitandam eſſe, quam Heliæ zelum, & ſimul oſtendit quæ ſit manſuetorum & crudelium retributio.*

6. *Rem totam confirmat viſione mirabili ſancti Carpi, quam deſcribit.*

§. 1. HEbræorum hiſtoriæ tradunt, generoſe Demophile, ſanctum illum etiam Moyſem propter magnam

ſuam

A *Moyses à mansuetudine commendatur.*

suam mansuetudinem Dei conspectu dignum fuisse iudicatum. Ac si quando ipsum diuinâ visione frustratum scribunt, non priùs eum à Deo, quàm à mansuetudine excludunt. Ipsi scilicet insolescenti admodum, & diuinis consiliis reluctanti iratum asserunt furore Dominum. Vbi verò decretis illi à Deo dignitatibus illustrem prædicant, à præeminente benigni Dei imitatione commendatus: erat enim admodum mansuetus, atque ideò Dei famulus nuncupatur, cæterisque Prophetis dignior ad videndum Deum. Quin imò cùm aduersus eum &

Num. 10.

Aaronem de Pontificatu ac gentis principatu impudentes aliqui proteruè dimicarent, omni sanè honoris ac primatus ambitione celsior, ei qui à Deo eligeretur, populi præfecturam deferebat. Cæterùm vbi in ipsum coniurassent, pristináque exprobrando minas intentassent, iámque ferè impetum fecissent, tum demum mansuetus ille bonum quidem Deum in salutem aduocabat, magnâ verò constantiâ singularique modestiâ contestatus est, se insontem esse calamitatum omnium quæ subditis obuenissent: quippe nouerat, ei qui bono Deo familiariter

B

vtitur, pro viribus conandum, vt eidem, quantum potest fieri, simillimus euadat, sibique bonorum operum conscius existat. Quid porrò Dauid illum Dei progenitorem, amicum Deo reddidit? Nempe quòd esset bonus, & in hostes benignus, Inueni, inquit ille præbenignus benignitatis amator, hominem secundùm cor meum. Quin imò benignâ lege sancitum erat, vt iumentorum quoque inimici cura gereretur. Iob etiam vt innocentiæ tenax, iustificatus est. Atque Ioseph insidiatores fratres non est vltus, Abélque simpliciter, nec quidquam suspicans comitatus est fratricidam. Omnes denique Theologia bonos prædicat, qui neque mala præsagiunt, neque simulant, sed ne aliorum quidem malitiâ bonum deserunt, sed è diuerso deiformiter prauis benefacientes, magnámque benignitatis suæ copiam in eos effundentes, benignè illos ad simile quoque prouocant. Cæterùm ad altiora contendamus, sanctorum mansuetudines virorum atque amicorum hominibus Angelorum benignitates omittentes, quomodo scilicet illi gentibus misereantur, ac pro ipsis diuinæ bonitati preces offerant, perniciosásque ac perditas turbas increpent; ac malis quidem nostris condoleant, saluti verò eorum qui ad bona conuersi sunt congratulentur; & quæcunque alia de beneficis Angelis Theologia tradit: sed penitus benigni ac præbenigni Christi beneficos radios tranquillo animo suscipientes, ab iisdem ad diuinas eius beneficentias luculenter adducamur. An non ineffabilis incomprehensibilisque bonitatis, quòd ea quæ sunt esse faciat, eáque omnia ad esse produxerit, cunctáque velit sibi semper esse similia, & pro cuiusque captu communicare? Quid, quòd à se deficientes amore prosequatur, contineátque ac roget, ne dedignentur amantes: quin & deliciosos ipsos ac frustrà prouocatos sustinet, atque ipsemet, excusat, eoque magis se recipit illos curaturum, ipsisque iam adhuc distantibus, simul tamen aduentantibus, occurrit & obuiat, totúsque totos amplectens osculatur, neque de pristinis eos arguit, sed diligit præsentia, festúmque diem agit, ac conuocat amicos, videlicet bonos, vt sit omnium lætantium habitatio. Porrò Demophilus, & si quis alius bonis aduersatur, iure merito corripitur, bonáque docetur vt emendetur. Quomodo enim, inquit, non oportebat eum qui bonus est, de eorum qui perierant salute, nec non eorum qui defuncti erant vitâ lætari? Siquidem etiam in humeros tollit vixdum ab errore conuersum, & bonos Angelos ad lætitiam excitat, quin & ingratis benignus existit, *& oriri facit solem suum super bonos & malos*, atque ipsam suam animam pro profugis ponit. Tu verò, vt tuæ literæ declarant, accidentem Sacerdoti, illum quem impium ac peccatorem dicis, nescio quomodo per te præsens repuleris: tum ille quidem deprecabatur & fatebatur se ad malorum medicinam aduenisse, tu autem nihil veritus, bonum insuper Sacerdotem cum quadam insolentiâ conuitiatus es, quòd misertus esset pœnitentis, atque impium iustificasset; ac tandem, Exi inquiens Sacerdoti, cum tui similibus contra fas in adyta irrupisti, ac Sancta sanctorum contaminasti, & scribis nobis te sancta, cùm violanda essent, summâ curâ prouidentiâque seruasse, eáque hactenus illibata custodire. Nunc ergo audi nostram sententiam, Nefas est Sacerdotem à te dignioribus ministris, tuíve ordinis monachis corripi, quantumuis in diuina impius videatur, & etiamsi quid aliud vetitum egisse conuincatur. Nam si distinctionis ordinísque confusio, diuinissimarum constitutionum legúmque transgressio est; nulla certè ratio est propter Deum traditum diuinitus ordinem interuertendi Neque enim in se Deus diuisus est, alioquin quomodo stabit regnum eius? Et si Dei est iudicium, vt Eloquia testantur, Sacerdotes autem Angeli sunt, & post Antistites diuinorum interpretes iudiciorum, ab iis ordine, prout te decet, mediantibus ministris, dum erit opportunum, diuina disce, per quos etiam, vt Monachus esses, habuisti. An verò non id ipsum sacra signa proclamant? neque enim simpliciter Sancta sanctorum ab omnibus segregata sunt; verùm ad hæc proximè accedit ordo Pontificum, deinde distinctio Sacerdotum, quos deinceps ministrorum gradus sequitur: ordinatis autem Monachis adytorum postes sunt assignatæ, iuxta quas etiam initiantur & adstant, nõ ad custodiã earundem, sed vt agnoscant tam se quàm ordinem suum magis populo præ Sacerdotibus propinquare. Vnde sacrorum sacer ordinis principatus, rerum eos diuinarum participes reddi sanctè statuit, aliis videlicet, qui iis interiores sunt, earumdem administrationem cedens: illi siquidem qui Symbolicè semper diuinum altare circumstant, intuentur & audiunt diuina clarè sibi reuelata, procedentésque beneuole ad ea quæ sunt extra diuina velamenta, morigeris Religiosis, sacroque populo, & iis qui purgantur, ordinibus sacra mysteria pro meritis pandunt; quæ profectò ritè immaculata tamdiu seruata sunt, donec ipse tyrannicè in ea irrupisti, & Sancta sanctorum vel inuita tibi publicari coëgisti, & habere te iactas & custodire sacra, cùm ea neque videris, neque audieris, neque quidquam habeas eorum quæ Sacerdotem decent, siquidem ne veritatem quidem Scripturarum nosti, cùm eas quotidie verbis impugnes ad subuersionem audientium. Etenim si quis gentilem principatum à Rege sibi nequaquam demandatum vsurparet, iure merito puniretur. Quid si, Principe quempiam vel absoluente vel damnante, quispiam ex adstantibus subditis præsumeret latam à Domino sententiam retractare, nedum dicam proculcare ac de principatu deturbare visus esset? Tu autem, ô homo, ita temerarius es in iis quæ clementis benignique [Dei] sunt, & Pontificium ipsius institutum attingunt. Atque hæc quidem dicenda essent, si quis, cùm maiora meritis suis, æqua tamen sibi adferre videretur; nam neque hoc cuiquam fas est. Quid enim absurdi Ozias gessit, cùm incensum Deo obtulit? Quid Saul, dum sacrificauit? Quid truculenti dæmones, cùm Iesum Dei Filium verissimè prædicarunt? Verùm in Theologiâ eiiciendus omnis qui aliena spectat, sed quilibet ordinis sui ministeriis vacabit, solusque Pontifex in anno semel ad Sancta sanctorum introibit, idque cum omni quam lex præscribit Pontificali puritate. Sacerdotes verò Sancta circumtegunt, verùm Leuitæ ne sancta quidem attingunt, ne moriantur. Et iratus fuit furore Dominus ob Oziæ temeritatem, Mariáque leprosa fit, legislatori legem ponere conata: & in filios Sceuæ insilierunt dæmonia, &, Non mittebam eos, dicit, & ipsi currebant; & non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant; & impius qui mihi immolat vitulum, sicut qui occidit canem. Atque vt simpliciter dicam, non tolerat legum violatores perfecta Dei iustitia, dicentibúsque illis, In nomine tuo virtutes multas fecimus, respondet, Nescio vos, recedite à me omnes operarij iniquitatis. Nefas itaque, vti sacra testantur Eloquia, ea etiam quæ iusta sunt, non secundùm dignitatem exequi. Oportet autem vnumquemque sibi ipsi attendere, ne se altiora profundioráque sapiat, solúmque intendat iis quæ ipsius meritis fuerint coordinata.

Left margin notes: *David quoque mansuetudine insignis.* Ps. 88. 21. Exod. 23. 4. *Similiter Iob, & Abel, & Ioseph.* Iob. 1. 8. & 42. 7. Gen. 5. 20. Gen. 4. 8. *Angelorũ erga homines benignitas.* C Zach. 1. Apoc. 7. Dan. 10. Luc. 15. Tob. 8. & 9. *Christi quanta mansuetudo & clemẽtia.* Ioan. 1. 5. Matt. 11. Luc. 15. D Matth. 5. 45. Ioan. 10. 11. *Demophilo suam immanitatem ob oculos ponit.*

Right margin notes: E *Confessio hic & pœnitentia, Sacramẽtũ intelligitur. Sacerdotes nõ debẽt à ministris aut laicis iudicari.* Matt. 12. 25. Isa. 30. 12. Rom. 2. 16. Malach. 2. 7. F *Ordo Monachorũ.* *Exaggerat Demophili inclemẽtiã erga pœnitẽtẽ.* G *Ostendit quam temerariè se Demophilus aliorum officiis ingesserit.* 2. Paral. 26. 19. 4. Reg. 15. 10. & 15. 12. Marci 3. 11. 1. Cor. 14. 23. H Leuit. 16. 2. Heb. 9. 7. Num. 4. 2. 2. Paral. 26. 19. Num. 12. 10. Act. 19. 14. *Exemplis eum deterret.* Ierem. 23. 21. Isa. 66. 3. Matth. 7. 23. 1. Reg. 15. 22. Rom. 12. 10. & 12. 3.

Quid

A §. 2. Rom. 2. 23. *Proponit Demophili obiectionē, eámque elidit,* Act. 19. 2.

Quid igitur, inquis, non oportet Sacerdotes, qui vel impiè vel perperàm aliqui facere deprehenſi fuerint, corrigi, ſoliſque licebit glorantibus in lege per præuaricationem legis Deum inhonorare? & quomodo Sacerdotes Dei ſunt interpretes? Quo enim pacto diuinas populos virtutes enuntiant, cùm earundem vim ignorent? vel quomodo illuminabunt qui ſunt obtenebrati? quáve ratione diuinum Spiritum impertientur, qui neque affectu neque veritate Spiritum ſanctum crediderunt? Ad hæc tibi ipſe reſpondebo: neque enim inimicus Demophilus eſt, neque patiar te à ſatanâ circumueniri. Etenim quilibet circa Deum verſantium ordo, deiformior eſt eo qui magis diſtat; nec non lucidiora ſimul ſunt ac luculentiora, quæ veræ luci magis appropinquant. Nolim autem ex loco ſumas propinquitatem, ſed ex capacitate recipiendi Deum. Quòd ſi itaque Sacerdotum ordo illuſtrandi vim habet, profectò penitus abhorret à Sacerdotum ordine ac facultate, quiſquis illuſtrandi vi caret; multóque magis is qui necdum illuſtratus eſt. Ac mihi quidem nimis temerarius videtur huiuſmodi, ſi ſacerdotalia ſibi vendicet, neque metu neque pudore à diuinis ſupra dignitatem ſuam conſectandis arceatur, puterque ea latere Deum, quorum ſibi ipſe conſcius ſit; & ſe Deum, fallere exiſtimat, quem falſo nomine appellat Patrem, audétque ſceleſtas blaſphemias ſuas (neque enim preces dixerim) in diuinis myſteriis Chriſtiformiter pronuntiare. Non eſt iſte Sacerdos, non eſt, ſed inimicus, doloſus, illuſor ſui, & lupus in Dominicum gregem ouinâ pelle armatus.

Quis dignè Sacerdos. B — Matth. 7.

§. 3. *Oſtendit quomodo non cōueniat vt inferiores increpent ſuperiores.*

At Demophilo fas non eſt iſta corrigere. Nam ſi diuinus ſermo iuſta iuſtè proſequi iubet (iuſtè verò proſequi, eſt vnicuique quod ſuum eſt pro meritis reddere) iuſtè illud omnibus proſequendum, non præter ſuam dignitatem aut ordinem: nam & Angelis iuſtum eſt officia ſecundùm merita tribui, ac definiri, non tamen à nobis, ô Demophile, ſed per eos nobis ex Deo, & ipſis ab Angelis ſuperioribus. Ac ſimpliciter loquendo, in omnibus rebus per primas ſecundis, à rectâ æquiſſimáque omnium prouidentiâ, cuique iuſta pro meritis tribuuntur, vt nimirum ij qui à Deo ordinati ſunt Præſides aliorum, inferioribus quoque ſubditiſque ſuis pro meritis diſtribuant. Demophilus itaque ſermoni ac furori concupiſcentiæque ſuæ, ſicut decet, modum ſtatuat, neque ordinem violet, ſed ratio ſuperior inferioribus dominetur. Nam ſi, cùm in foro videmus famulum domino, ſeniori adoleſcentulum, ſiue etiam filium patri maledicere, ſimúlque impetu facto plagas inferre, pietatem violare videmur, niſi accurrentes, præſtantioribus opem ferre ſtudeamus, quantumlibet illi fortaſſe priùs intulerint iniuriam; cur non erubeſcimus, qui rationem ab irâ & concupiſcentiâ violari, & à tradito ſibi diuinitus principatu deiici videmus atque negligimus, atque intra noſmetipſos, impiam iniuſtámque temeritatem ac ſeditionem confuſionémque excitamus? Meritò ſanè diuinus noſter legifer, Eccleſiæ Dei præfici prohibet eum qui anteà domui ſuæ non benè præfuit: qui enim ſeipſum regere nouit, & alterum teget; qui alterum, etiam domum; qui domum, etiam ciuitatem; & qui ciuitatem, etiam gentem: atque ſummatim dicam iuxta vocem Veritatis, qui in modico fidelis eſt, etiam in multo fidelis erit; & qui in modico infidelis, & in multo quoque infidelis erit.

C — *Similitudo exempli.* — 1. Tim. 3. 5. Tit. 5. — D — Luc. 16. 10.

§. 4. *Subordinatio vbique ſeruanda eſt.*

Ipſe ergo cupiditati ac furori, rationique, vti par eſt, ſua cuique munia præſcribe, tibi interim Diaconi, & his Sacerdotes, Præſules verò Sacerdotibus, atque Præſulibus Apoſtoli, ſucceſſoréſque Apoſtolorum. At ſi quis fortè etiam inter illos à decoro aberrarit, is à ſanctis ſui ordinis corrigatur, ſic neque ordo ordini permiſcebitur, verùm in ordine quiſque ſuo & officio verſabitur. Atque hæc quidem tibi à nobis dicta ſint, vt & ſcias & facias quæ tui ſunt muneris. Porrò de illâ in virum (vt ais) impium ac perditum immanitate, neſcio quo fletu plangam contritionem dilectiſſimi mei, cuius ſcilicet cultorem te arbitraris à nobis conſtitutum eſſe, niſi certè illius ſummi boni cultor es, profectò & à nobis, omnino & ab omni noſtræ religionis cultu alienus ſis neceſſe eſt, tibique iam Deus alius quærendus eſt, atque alij Sacerdotes, vt apud illos efferetis potiùs quàm initieris, euadáſque amicæ tibi crudelitatis miniſter implacabilis. Scilicet nos ipſi planè ſancti & perfecti ſumus, & diuinæ clementiæ minimè egemus. Nunquid duplici peccato (vt Oracula loquuntur) impiorum more delinquimus, dum neſcientes in quo offendimus, noſmetipſos inſuper iuſtificamus, putamúſque nos videre, cùm minimè videamus? Obſtupuit cœlum ſuper hoc, & exhorrui ego, mihique ipſe vix credo. Illúdque tibi certum ſit, niſi tuas ipſe literas legiſſem (quas vtinam vidiſſem nunquam) nemo ſanè vllis argumentis de te id mihi perſuaſiſſet, vt crederem Demophilum non arbitrari Deum * ſuper omnia bonum ac benignum eſſe, ſibique putare Dei miſerantis aut ſaluantis gratiâ non opus eſſe; quinimò Sacerdotes degradare, qui meruerunt pro ſuâ benignitate plebis ignorantias tolerare, probè cognoſcentes, quoniam & ipſi circumdati ſunt infirmitate. At diuinoprincipalis ille Pontifex longè aliam viam ingreſſus eſt, idque cùm, vt ſacra teſtantur Eloquia, ſegregatus eſſet à peccatoribus, & hoc eximiæ erga ſe dilectionis argumentum ſtatuit, ſi oues eius manſuetiſſimâ gubernatione paſcamus. Atque nequam eum appellat, qui conſeruo ſuo debitum minimè dimiſerat, neque in partem ſaltem indultæ ſibi largiſſimæ benignitatis venire permiſerat; iuſtéque eum propriis contentum eſſe iubet, quod & mihi etiam Demophilo metuere neceſſe eſt. Quippe ſuis etiam occiſoribus Chriſtus paſſionis tempore veniam à Patre precabatur, diſcipulos verò increpabat, quòd perſequentes ſe Samaritanos impietatis crudeliter condemnari petiuiſſent. Hoc vtique millies in impudenti iſtâ Epiſtolâ tuâ inculcatur, dum ſúſque déque repetis, te non te ipſum, ſed Deum vltum eſſe. Verùm dic amabo, per malitiam eum qui ſummè bonus eſt vindicas?

E — *Duplex peccatum Demophili.* — * in omnes. — F — Heb. 7. 26. *Proponit exemplū Chriſti manſuetiſſimi Paſtoris.* Ioan. 10. 14. Luc. 15. 6. Matt. 18. 30. Luc. 23. 34. Luc. 9. 54. *Mala, vltio Demophili.*

Abſit, non habemus Pontificem qui compati non poſſit infirmitatibus noſtris, ſed & innocens & miſericors eſt. Non contendet, neque clamabit; atqui ipſe mitis eſt, imò ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Nequaquam itaque probabimus minimè zelandos conatus tuos, etiamſi millies Phineen & Heliam iactites: hæc enim IESV, à diſcipulis manſueti adhuc benignique ſpiritus expertibus, audienti minimè placuerunt. Quin & noſter quoque diuiniſſimus Præceptor in manſuetudine docet eos qui Dei doctrinæ aduerſantur: doceri quippe ignaros decet, non ſuppliciis affici; quemadmodum & cæcos minimè cruciamus, ſed manu ducimus. Contrà verò tu vito reſpirare in lucem inchoanti colaphum impingendo obſtitiſti, accedentemque ſummâ cum verecundiâ, temerariè repuliſti, illum, quem (quod horrore dignum eſt) Chriſtus in montibus errabundum fugientemque reuocat, vixque repertum in humeros tollit. Ne, quæſo, tam malè nobis ipſis conſulamus, neque gladium in noſmetipſos impellamus: ſiquidem qui alios iniuriis violare vel contrà fouere beneficiis nituntur, ſi fortè quæ voluerint, facere nequiuerint, ſibi tamen aut malitiam, ſecundùm propoſitum ſuum, aut bonitatem conſciſcunt, adeoque vel virtutibus diuinis, vel ferocibus paſſionibus implebuntur. Atque illi quidem ſanctorum Angelorum ſectatores ac comites & hîc & ibi cum omni pace, atque à malis omnibus libertate, in ſempiterno ſæculo beatiſſimam illam requiem hereditabunt, quodque maximum eſt bonorum omnium, cum Deo ſemper erunt: hi verò, qui à diuinâ ſimul ac ſuâ pace decidunt, cùm hîc tum poſt mortem cum atrocibus iſtis dæmonibus futuri ſunt. Quamobrem nobis ſummo ſtudio curandum eſt, vt bono Deo adhæreamus, ſemperque cum Domino verſemur, & non cum malis iuſtiſſimo Dei iudicio ſegregemur, atque ex nobis ipſis pœnas debitas ſubeamus, quod ego maximè omnium timeo, malorumque omnium exors eſſe percupio. Quod ſi placet, diuinam quoque Sancti cuiuſdam viri viſionem memorabo: neque verò rideas, vera enim dicam.

G — §. 5. Heb. 4. 15. Matt. 12. 19. Iſa. 42. 1. 1. Ioan. 2. 2. *Chriſti manſuetudo potius imitanda, quā zelus Heliæ.* 2. Tim. 2. 24. Luc. 15. 6. — H — *Quæ ſit manſuetorum & crudelium retributio.*

§. 6.

Cùm aliquando in Cretam veniſſem, ſanctus Carpus me hoſpitio excepit, vir, ſi quis alius, ob inſignem men-

tis

Zelus & visio mirabilis S. Carpi.

ris puritatem, ad Dei contemplationem aptissimus. Neque enim sacros mysteriorum ritus auspicabatur, nisi prius ipsi inter præparatorias orationes sacra quædam & propitia visio apparuisset. Ipsum ergo (vti referebat) infidelis quispiam contristauerat aliquando, tristitiæque causa erat, quòd ille ab Ecclesiâ quemdam ad infidelitatis errorem seduxisset; cùm adhuc celebritatis quæ ab hilaritate nomen accepit, dies agerentur. Ac pro vtrisque beneuolè Deus fuisset exorandus, vt auxilio salutari alterum quidem ab errore conuerteret, alterum verò bonitate superaret; neque desistendum fuisset ab eorum per totam vitam admonitione, donec tandem hodie vel sic ad diuinam cognitionem promouerentur, tumque demum illis quæ ambigua videbantur & obscura, patescerent, & ab iis quæ præter rationem temerariè commiserant, resipiscere legitimâ veritate cogerentur: nescio quo pacto, cùm id illi anteà numquam euenisset, tunc vehementi quadam indignatione & amaritudine conceptâ obdormierat (vesper enim erat) circa mediam verò noctem, quo tempore ad diuinos hymnos euigilare consueuerat, expergefactus quidem surgit, cùm somnos parum quietos crebroque interruptos, nec absque perturbatione cepisset; stans tamen ad diuina colloquia, non satis religiosè tristabatur, grauiterque ferebat, iniquum esse dicens impios adhuc homines, rectásque Domini vias peruertentes viuere. Et hæc dicens, precabatur Deum, vt semel amborum vitam fulgetro quopiam immisericorditer abrumperet. His dictis, repentè se vidisse referebat domum, in quâ consistebat, primùm conquassatam à summo vertice, bifariamque diuisam, & quemdam ante se ingentis luminis rogum, eumque (sub dio enim iam locus ille videbatur) è cælo ad se vsque delatum, cælum autem ipsum apertum, & in cæli cardine IESVM innumeris illi humanâ specie Angelis adstantibus. Atque ista quidem sursum conspexisse, miratumque fuisse. Porrò deorsum respectando Carpus se vidisse asserebat, ipsum quoque pauimentum instar vastæ cuiusdam tenebricosissimæque voraginis diffissum, illosque viros quos diris deuouerat, ante se ad os voraginis trementes stare, ac miserabiles tanquam iam iamque præ pedum lubricitate collapsuros: infernè autem è voragine serpentes emergere cernebat, circa tam labiles illorum pedes, modò quidem in gyrum actos, & implicitos simul pertrahentes, modò quoque dentibus & caudis incendentes ac demulcentes, omnibusque modis eos in voraginem præcipites dare molientes: fuisse autem & viros quosdam in medio, qui aduersus eos vnà cum serpentibus impetum facerent, exagitando vnà, & impellendo atque feriendo; visos autem esse viros illos lapsui appropinquare, partim quidem inuitos, partim verò sponte, à malo ita sensim coactos & simul persuasos. Referebat autem Carpus, se, dum inferiora respiceret, fuisse delectatum, superiora negligendo; cùm verò grauiter & indignè ferret illos necdum cecidisse, atque ad hanc rem sæpè frustrà incubuisset, indignatum iis & imprecatum esse. Et cùm vix tandem reuocatis ad superna luminibus, vidisset quidem denuò sicut priùs cœlum, IESVM verò, miseratum quod fiebat, desuper cœlesti throno descendisse, atque ad ipsos accedentem benignam iis manum porrexisse, Angelosque vnà opem conferentes, alterum virorum ex alterâ parte retinuisse, Iesumque ipsi Carpo dixisse: Manu iam extensâ percute me, siquidem adhuc paratus sum denuò pro hominibus saluandis pati, illúdque libentissimè, ne demum alij homines peccent. Cæterùm considera, num tibi expediat hanc istiusmodi hiatus & cum serpentibus mansionem Dei ac bonorum clementissimorúmque Angelorum consortio præferre. Hæc sunt quæ ego cùm audiuerim, vera esse credo.

Hilaria festa lætitiæ.

SCHOLIA S. MAXIMI.

§. 1. Demophilus quis.

DEMOPHILVS hic Monachus erat, vt indicat inscriptio: Therapeutas enim Monachos appellabant. Is autem insultabat Presbytero suo, quia etiam indignabatur, quod quemdam è pœnitentibus suscepisset. Pœnitentem itaque verberibus exceptum exturbarat, Presbyterum verò eliminauerat, & ipse tanquam à se Presbyter creatus, resedit. Aduerte igitur etiam istis temporibus istiusmodi mala contigisse; meritò itaque dicit illud, *O generose Demophile*, exprobrans ipsi fortitudinem inordinatam, & pietatem minimè diuinam, vt hoc modo Monachum perstringat.

AC SI QVANDO IPSVM EXTRA.] Id est, quando Scripturæ tradunt, ipsum in Dei indignationem incidisse, & in auersionem vultus eius. Priùs, inquit, declarant ipsum à mansuetudine desciuisse, & tum demum à diuinâ visione excidisse.

A PRÆEMINENTE.] Aduerte præstantiam & eminentiam mansuetudinis in Deo imitando, & quomodo Moyses propter mansuetudinem Dei famulus nuncupetur.

Ambitio quid.

AMBITIONE.] Ambitio propriè est appetitus & amor honoris. Θεοφίλῳ autem, non alicui sic appellato, sed à Deo ad Imperium destinato & idoneo.

QVEO PORRO ILLVM DEI PROGENITOREM.] Dauidem vocat Dei progenitorem propter Christum. Ait enim D. Paulus: *Segregatus in Euangelium, quod promisit in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ex semine Dauid secundum carnem.* Meritò igitur Dauid est Dei Pater.

Rom. 1. Deut. 22.

QVIN ETIAM LEGE SANCITVM.] Scriptum enim est in lege, vt etiam inimici subiugale cadens leuaretur.

Angeli pro gentilibus orant.

CÆTERVM AD ALTIORA.] Ad id, quod sublimius. Nota autem benignissimos Angelos etiam pro gentibus Deum deprecari, & apostaticas virtutes, id est, dæmones increpare.

SED VERE BONI.] De Domini nostri IESV CHRISTI veri Dei benignitate.

ET OMNIA VVLT SEMPER FIERI.] Cùm dixisset omnia, inter omnia autem etiam sint inanimata & irrationalia, addens secundùm cuiúsque aptitudinem, suborientem oppositionem moderatus est.

ET AMORE CONTENDIT.] Quomodo Dominus omnes amet, & hortetur nos, ne ab ipso excidamus, propter quod etiam Paracletus appellatur.

Deliciari quid propriè.

ETIAM DELICIOSOS.] Deliciari seu molliter viuere propriè est eneruari seu confringi. Dicitur autem hæc dictio etiam de iis, qui amoribus vacant, qui amatorum adeptionem procrastinantes, vtuntur hac corporeâ, id est præfractâ & molli consuetudine. Vnde etiam ad res quaslibet consimiles transumitur.

Dei animæ & corporis curam gerere.

SIMILITER ADVENTANTIBVS OCCVRRIT.] Euangelicam parabolam prodigi in his proponit, & quæ sunt similia. Quin etiam totus totos, inquit, sui temporis hæreticos confundens, qui quidem animam saluari à Deo, non item corpus, prædicabant. Ait ergo, totus Dominus, vt qui animam & corpus assumpsit, nos totos, qui animâ & corpore constamus, saluos fecit. Erant enim tunc in errore isto Simonis discipuli, vti Irenæus & Hippolytus declarant. Quin etiam Origenistæ eadem docent ac sentiunt. Περιφὺς verò dixit, pro περιπλακείς, id est, amplectens.

VIDELICET BONOS.] Nota quos amicos dicat conuocatos: post pauca verò intellige hos esse bonos Angelos. Vide autem quomodo hoc intelligat: *Vt sit omnium latantium habitatio.*

Presbyter idem qui Sacerdos.

TV VERO, VT TVÆ LITTERÆ DECLARANT.] Tu autem, inquit, ô Demophile, etiam Sacerdoti contumeliam fecisti, quòd diceret miserandum, id est misericordiâ dignum esse impium ac pœnitentem. Mihi autem videtur Demophilus Presbytero iniuriam intulisse: solet enim Presbyteros vocare Sacerdotes, vti in Ecclesiasticâ Hierarchiâ clarè docuit. Quin etiam hîc infrà paulò pòst eodem modo dictionem hanc intelligit. Constructio autem hæc est per τmiectionem, [cùm ait] conuitiatus es Sacerdotem iustificantem, vti & illud: impium miserandum esse, seu misericordiâ dignum.

SANCTA SANCTORVM SVSTVLISTI.] Sustulisti pro vilipendisti & extenuasti; vel si non hoc, tamen sustulisti, pro contemerasti, quasi dicat, quodammodò abstu-

listi,

A

listi, & è sacrario tulisti, cùm id & Diaconis & Presbyteris lege vetitum sit, quæ dicit: *Et Sacerdotes velabunt sancta*, vti etiam paginâ sequenti ait.

Sacerdotē non decet reprehēdi ab inferiore.

Nefas Sacerdotem.] Quoniam non oportet Sacerdotem, licet peccantem, à Diacono vel Monacho corrigi, neque etiam à laïcis. Hæc autem sine exceptione sunt: nam est supra ordinem Monachorum, vel Ministrorum seu Diaconorum. Quod cùm ita sit, multò magis nefas sit Episcopum à quopiam incusari.

Sacerdotes Angeli, & Dei internuntij.

Sacerdotes autem Angeli sunt.] Nota, quòd etiam Sacerdotes Angeli & interpretes, id est præceptores diuinorum iudiciorum sint post Episcopos: & vel hinc maximè patet, Epistolam hanc scriptam esse de Presbytero, qui à Monacho persecutionem & iniuriam passus fuerat.

Mediantibus ministris.] Nota, quòd qui res diuinas à Presbyteris scire volunt, non per se hoc agere debeant, tametsi Monachi sint, sed mediantibus Diaconis, idque quando tempus adfuerit opportunum.

B

Per quos etiam vt esses.] Vti diximus suprà in Ecclesiasticâ Hierarchiâ, Capite de consecratione Monachorum, à Sacerdotibus ipsis dari habitum Monachicum.

Distinctio.] Agit de Ecclesiasticis distinctionibus, & quod sit ministerium Monachorum, siquidem hos cultores vocat. Hæc etiam tradit in Ecclesiasticâ Hierarchiâ.

Diaconis attributa portarum custodia.

Adytorum postes.] Diaconis enim attributa est portarum Ecclesiæ custodia, vti in Ecclesiasticâ Hierarchiâ, Capite de consecrationibus sacerdotalibus, paulò post initium Capitis tradit.

Diuinorum velamentorum.] Quoniam etiam tum velamenta erant circum altare.

Neque quidquam habeas eorum, quæ decent.] Nota, quoniam præter ordinem & sacros ritus, in sancta innolarat, nihil ex illis, neque videre, neque audire, neque habere credatur, tametsi manibus illa contrectaret.

C

Præsumeret, nedum, &c.] Subaudiendum, meritò puniretur, quemadmodum & hic.

Quando quis maiora meritis attentaret.] Quoniam si quis etiam ea quæ consentanea sunt faciat, sed præter ordinem & dignitatem, hic tamen ius fasque violat.

Dæmones vere Deum profitentes.] De dæmonibus Iesum Dei Filium confitentibus.

Verum ἐκκήρυκτος.] Quoniam [illegible] seu reiiciendus à Theologiâ omnis alienorum curiosus indagator.

Et Sacerdotes circumtegunt.] Quinam possint sancta componere & eleuare, idque non omnibus licere.

Et Maria leprosa fit.] Obserua causam ob quam Maria soror Moysis leprosa facta sit.

Et in filios Scevæ.] In filios autem Sceuæ dæmonia insilierunt, quòd cùm in Christum non crederent, neque ordines suscepissent, dæmones adiurarent, quod solis exorcistis competebat. Refertur hoc in Actis Apostolorum.

D

Act. 19. 14.

Deut. 16. 20.

Neque ea, quæ iusta sunt, non secundum dignitatem.] Nota, quid sibi velit illud: *Iustè, quod iustum est, exequaris*, quod Moyses ait: & non licere etiam ea quæ iusta sunt, non secundùm dignitatem exequi. Quin etiam hoc habes in sequentibus. Fusiùs autem id explicat Origenes Homiliâ decimâ in Threnos Ieremiæ.

§. 2.

Quid igitur inquis?] Oppositio quasi ex personâ Demophili dicentis, quòd impietas in Sacerdotibus sit sine correctione.

Ego autem tibi respondebo.] Responsio ad obiectionem de rebus propriis curandis.

At qui non localiter.] Quoniam illa, quæ sunt de subordinationibus & ordinibus Angelicis, aut secundùm locum accipienda sunt, quòd nempe Deo appropinquent, sed de cuiuslibet capacitate: neque enim in loco Deus est, atque adeò neque virtutes intellectuales.

E

Sacerdotes sunt Christiformes.

§. 3.

Symbola Christiformiter.] Id est Sacramentorum consecrationem. Dicit autem Christiformiter, quia Sacerdotes dum diuina munera siue signa consecrant, Christi vicem sustinent.

At non Demophilo.] Non enim licet Demophilo, cùm Monachus sit, istiusmodi peccata corrigere.

Iusta vero sunt.] Quid sit, iustè iusta exsequenda esse, atque Angelis iustitiam tribui.

Demophilus itaque sermoni.] Id est, suam temeritatem, & furorem, & cupiditatem ambitionis suæ Demophilus puniat. Obserua verò, quomodo in rebus omnibus per priores, posterioribus secundùm merita tribuantur.

Sed dominetur.] Compescat, inquit, ratio furorem & cupiditatem, hæc enim inferiora sunt: quoniam in horum subiectione rationalis potestas ac virtus apparet, vt non simpliciter, sed ad aliquid vtile iis vtatur.

Diuinus legifer.] D. Paulum intelligit.

Non dignum censet Ecclesiæ.] Est ea Epistolâ ad Timotheum.

F

1. Tim. 3. 5.

§. 4.

Subordinatio in correctione.

Pro meritis præscribere.] Aduerte laudabilem ordinem Ecclesiasticum, vt Monachis Diaconi, & his Presbyteri, & Presbyteris Episcopi adhibeant correctionem: Episcopis verò Apostoli, & horum successores. Apostolorum denique successores à suis æqualibus corriguntur.

Et Episcopis Apostoli.] Nota, quòd etiam Episcopis maiores sint Apostoli, Apostolorúmque successores, & quòd quilibet ab ordine suo sanctiore corrigi debeat. Apostolorum autem successores existimo nunc esse Patriarchas.

Nescio quo fletu plancam.] Nota amaritudinem, vel potiùs compassionem Patris.

Etenim nisi illius boni.] Etenim, inquit, nisi boni Dei cultor à nobis habeatis, prorsus & à nobis & ab vniuersâ Ecclesiâ alienus existis. Nota autem, peccatum hoc fortassis accidisse in parœciâ Magni Dionysij, ipsúmque Monachum Demophilum isti Ecclesiæ præfecisse.

G

Duplex peccatum est nō agnoscere delictum suum.

Ier. 2. 13.

Vel duplici peccato.] Nota quale vocet duplex peccatum, quando nimirum aliquis postquam peccauit, non agnoscit se peccasse. Hoc autem est Ieremiæ, sicut deinceps declarat. *Quoniam duo peccauit populus: me dereliquerunt fontem vitæ*, &c.

Quod Demophilus arbitretur.] Ingens & magna compassio ac consolatio peccatorum.

At diuino-principalis ille Pontifex.] Dominum intelligit, quoniam non paria reposuit Demophili factis.

1. Pet. 2. 22.

Heb. 7. 26.

Et hæc quia peccatoribus.] Citans illud Apostoli: *Peccatum enim non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius*. Cui consonat illud: *Segregatus à peccatoribus, excelsior cælis factus.*

Et iusta eum propriis frui iubet.] Id est, propriâ benignitate, & non tenebris ac supplicio.

Quippe suis etiam.] Refertur hoc in Euangelio secundùm Lucam.

H

Luc. 23. 34.

§. 5.

Absit, non habemus.] Multa tibi bona fiant, Pater maximè compatiose.

Luc. 9. 55.

Quin et diuinissimus.] Nota quòd Domini discipulos expertes dicat Spiritûs sancti, quando petebant vt ignis in Samaritanos detonaret, prout in Euangelio reperimus. Quomodo igitur ad ipsos Dominus ait: *Nescitis cuius spiritûs estis.* Sed fortè hoc Pater dixit, vt ostenderet, quali gratiâ ad ministrandum electi essent, quin etiam fortè hoc dixit Pater, ad absolutam illam respiciens gratiæ infusionem, quam post resurrectionem acceperunt; quoniam scriptum est: Nondum enim erat Spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus.

Ioan. 7. 39.

S. Dionysius à sancto Paulo Episcopus ordinatus.

Sacrum præceptorem vocat sanctum Apostolum Paulum, quippe qui ipsum Ecclesiæ Atheniensis Episcopum ordinauerat, quemadmodum in sacris Apostolorum Constitutionibus scriptum reperitur.

Docendi & nō pu

Docere enim, non punire oportet.] Obserua pulchrum & etiamnum vtilissimum dictum, Docendos

esse, & minimè puniendos ignorantes, quemadmodum cæcis ducatum præstamus, non supplicia infligimus. Illud autem κατὰ κόῤῥας, aliqui dicunt significare κρόταφον seu tempus capitis, alij verò genas, alij denique partem aliquam capitis. Præstat autem κόῤῥην, vti dicebam, pro temporibus accipere, nam & Homerus illa κόρσην vocat. Κόῤῥα autem in pænultimâ acuitur. Itaque Demophilus pœnitentem in temporibus percusserat.

Siquidem qui iniuriis afficere.] Nota qualia dicat eos sequi, qui iniuriis vel beneficiis aliquos afficere conantur, etiamsi reipsâ non inferant ea quæ volebant.

Aggredientes.] Illis nempe quibus iniurias vel beneficia conferre statuerant, non vsquequaque, prout destinauerant, reposuerunt. Liquet inprimis, hoc contingere per incogitantiam eorum in quos beneficentia confertur, illud verò præ impotentiâ eorum qui inferre parant iniurias.

Et hic et ibi.] Quoniam iusti non solùm in futuro sæculo, sed etiam in hac vitâ, bonorum Angelorum socij, siue asseclæ, ac consortes existunt.

Quod maximum est bonorum omnium.] Quoniam bonorum omnium maximum est, cum Deo semper esse.

Cum hic, tum post mortem.] Quoniam peccatores & in hac vitâ & in futurâ punientur, cum dæmonibus damnandi propter passiones quas amarunt.

Memorabo.] Nota visionem S. Carpi, quanto horrore ac consolatione plena sit.

Cum venissem aliquando.] Pulchra narratio, quòd non oporteat peccatoribus mala imprecari, tametsi contra Deum peccent. Notandum autem, historiam hanc exhibere ineffabilem misericordiam Domini nostri Iesv Christi erga pœnitentes. Quin etiam agit de sanctitate S. Carpi. Est autem hic Carpus, cuius meminit Apostolus in Epistolâ secundâ ad Timotheum.

Inter præparatorias orationes.] Προτελεῖα quidem appellabant Athenienses, preces illas, quas vnà cum hostiis nuptiis præmittebant: nuptias enim τέλος appellabant, vt quæ hominem perficiant in iis quæ ad hanc vitam spectant, vti ex multis Comœdiis Poëtarum declarari potest. Quare etiam nuptias pro Sacramēto habebant. Dicebant autem προτελίζεσθαι & προτελεῖσθαι, ac si dicerent, Ante rem sacram lustrari seu purgari ad mysterij apparatum, sicut v. g. Cratinus in Pylæâ dramate. Maximè enim mysteria alicuius è falsis ipsorum diis τέλη & τελετὰς appellabant, quasi perficerent, & ad perfectum adducerent initiatos. Quod igitur à Gentilibus ad impietatem referebatur, id Magnus Dionysius ad veritatis mysterium traduxit, & προτελείους εὐχὰς dixit eas preces quæ viuifici Sacramenti consecrationem præcedunt, pro expiatione ac deprecatione, ne Sacramenti participatio cedat in iudicium communicanti, & pro perfectissimo ac perficiente sacrificiorum munere impetrando. Ἐξεναγώγησεν autem posuit, pro hospitio excepit.

Cum adhuc dies hilaris seu hilaritatis.] Erant aliqui dies idololatris, quos hilarios vocabant: & hi quidem erant priuati, & hilarij, vt cùm quis vxorem duxerat, vel filium genuerat; communes verò ac publici, vt cùm quispiam Rex inauguratus seu declaratus, publicos hilarios dies indicebat. Nemini per eos dies licebat quidquā lugubre gestare, sed spectacula sacrificiáque in dies singulos celebrabantur, & lugentes tum sibi à luctu temperabant, atque spectaculis intererant, inque publicis conuiuiis istiusmodi dies hilarios transigebant. Adhæc etiam erat Romanis peculiaris quidam dies festus Hilarius in honorem Matris Deorum ipsorum, quin potiùs dæmoniorum, vt inquit Demophilus in libro de Sacrificiis ac festiuitatibus antiquorum.

Per totam vitam.] Id est, quandiu in præsenti vitâ degit. Notandum autem, amicos Dei per totam vitam debere errantes instituere, & pertrahere ad agnitionem veritatis. Hoc ipsum itaque obserua: quidam enim imperitè contrarium asserunt, Apostolico oraculo abutentes, quo dicitur, *Hæreticum hominem post primam & alteram admonitionem deuita*; vim dictorum minimè intelligentes, quæ per sequentia verba maximè declaratur. Tunc enim post primam & secundam monitionem, euitatio iusta censeri debet, quando qui monet, ad euitationem procedit, compertum habens talem iam subuersum esse, etiamsi id lateat, cùm sit proprio iudicio condemnatus. Manifestum enim, quia sanctis Doctoribus reuelatur status conditióve præsentium. Alij verò dictum hoc, *post vnam & alteram monitionem*, sic intellexerunt, ac si dictum sit, post doctrinam ex veteri nouóque Testamento depromptam.

Consueuerat enim tunc.] Nota traditionem Apostolicam nocturnas psalmodiæ regulas tradidisse.

Absque perturbatione.] Illa particula negatiua *non* cum isto *absque perturbatione* construenda est, vt sit sensus, Experrectus surrexit, cùm somnos parum quietos ob eorum interruptionem habuisset, neque absque perturbatione esset, ob somniorum interruptiones.

Precabatur Deum vt fulgetro quopiam.] Fulgur est obliqua aëris inflammati motio supernè deorsum. Adurit autem, vnde etiam à πρηστῆρι deriuatur.

Innumeris humana forma.] Nota, etiam Angelos humanâ formâ sanctis apparere.

Præ pedum suorum.] Nota illud *præ pedum suorum lubricitate*, quod voluntatis procliuitatem designat: nam si noluissent, non cecidissent.

In voraginem.] Nota quomodo diabolus homines detrudat in tenebras exteriores, quas hic voraginem appellat, id est barathrum, siue decipiat, siue impellat à se persuasos. Interdum etiam homines flagitiosos sibi commilitones adsciscit in deceptionem aliorum, vt idololatram illum ad seductionem eius, de quo modò sermo est. Quapropter in visione hac vidit etiam viros in medio serpentum, id est, dæmonum pertrahentes eos, qui à diabolo victi erant, à quibus nos liberet Dominus.

A malo.] Nota illud *à malo*, id est peccato, quod malum propriè in voluntate gigni dicimus. Illud autem, *inuiti & coacti* non de vllâ necessitatis vi, id est de diabolo intelligendum est, sicut Manichæi & Messaliani sentiunt; sed quia persuasi vt mali quidpiam operemur, impostori locum damus, vnde nos assiduè adoriatur, ex nobis ipsis vires aduersus nos colligens: neque enim, non persuasis nobis, poterit quidpiam aduersus nos, quandoquidem in promptu adest nobis auxilium Dei, nos suffulciens, vti sequentia declarant.

Et manum benignam porrigere.] Aduerte ineffabilem Domini misericordiam.

Manu iam extenta.] Manu nempe Carpi.

Ne alii.] Scilicet crucifigentes, Dominus Carpo ait.

Bonorum et clementissimorum.] Nota, quòd etiam ipse Dominus bonos & benignos vocet Angelos.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Demophilus hic Monachus erat, vt arguit vox Therapeutæ. Is autem insultabat Presbytero suo, quin etiam indignabatur, quòd quemdam è pœnitentibus suscepisset. Hunc igitur verberibus exceptum exturbarat, Presbyterum verò eliminarat, atque ipsemet, contra fas, rebus sacris se ingesserat. Hunc autem animosum vocat, exprobrans illi fortitudinem in malo, nullum interim pietatis testimonium præbens. Proponit igitur illi Moysis mansuetudinem, ob quam Dei visione dignus est habitus. Ita vt quando sacræ Litteræ tradunt, ipsum in Dei indignationem incidisse, & in auersionem vultûs eius, priùs, inquit, declarant, ipsum à mansuetudine desciuisse, & tum demum à diuinâ visione excidisse. Cùm verò ipsum commendant ab excellenti & eximiâ imitatione Dei, eius quoque mansuetudinem

deprædicant, siquidem propter hanc Dei famulus nuncupatur. Sed & quando aduersus ipsum quidem pro principatu gentis, aduersus autem Aaronem pro Pontificatu, impudentes ac temerarij quidam conspirassent, libertate quadam placidè vsus, ei qui à Deo decernebatur populi præfecturam deferebat: protestabatur autem, se insontem esse calamitatum omnium quæ subditis obuenerant. Ait ὑποχειρίους, id est subditos, scilicet populum: quippe nouerat, eum qui bono Deo familiariter vteretur, debere pro virili in se imaginem exprimere diuinæ bonitatis. Quid porrò Dauidem illum Dei progenitorem amicum Deo reddidit, nisi mansuetudo? Dei autem genitorem vocat, propter Christum ait enim diuus Paulus: Segregatus in Euangelium, quod promisit in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ex semine Dauid, secundùm carnem. Cæterùm quòd etiam in hostes esset mansuetus & benignus, diuino testimonio dictus est esse secundùm cor Dei. Quamquam nec hoc nouum erat, aliquem etiam inimicis suis beneuolum existere, quando etiam lex posita erat de curando iumento inimici. Scriptum quippe est in lege, vt & inimici subiugale cadens leuaretur. Sed & Iacob, & Ioseph, & Abel (ille quidem vt fuci malitiæque expers; alter verò cùm fratres sibi haberet subiugatos, totius Ægypti moderatos existens, minimè ipsos vltus, dixit ad eos, Nolite timere, Dei enim ego sum; tertius vnà cum fratre Cain, nihil suspicans mali, profectus est) benigni prædicantur. Neque enim eum, qui bonus est, oportet mala vel præcogitare, vel simulatè fingere, sed neque à bono degenerare, aut diduci ad malum per malitiam alienam: quin etiam tum potiùs abundare oportet bonitatem, vt & illos ad consimilis studij prouocet æmulationem. Iam quando virorum aliquot meminimus, ad sublimiora quoque attingenda prouehamur, eademque contemplemus, non dico Angelorum bonitates benignissimorum, vt qui etiam pro gentibus Deum deprecantur, & apostaticas virtutes, dæmones inquam, propter homines duriùs increpant, quos etiam multitudines seu turbas vocat, non tam quòd numerosæ sint multitudinis, quàm quòd ab vno Deo procul defecerint. Multitudo siquidem procul abest ab vnitate. Non itaque de his loquor; sed intueamur bonitatem Domini nostri Iesv Christi, ac veri Dei nostri, benignos eius radios tranquillo animo suscipientes, diuina enim tranquillitate gaudent, sicut aduersariæ potestates perturbatione. Nonne ineffabilis est bonitatis, quòd ea quæ non erant, fecit vt essent; hoc est vt perdurent, conseruat, sic vt idem sit conditor & conseruator, quique omnia cupit pro cuiusque aptitudine ad sui imitationem prouocare. Quid autem, quòd à se deficientes amore prosequitur, hortaturque ne à se prorsus excidant, propter quod etiam ἐραστὸς appellatur? Hortatur enim ne tam indignè ab eis deseratur, qui tot deliciis affluunt, atque insuper insolescunt. Hæc autem dictio insinuat eos qui impensè amantur, qui amatorum adeptionem procrastinantes, vtuntur hac corporeâ; id est præfracta & molli consuetudine; quare dictio hæc ad res plerasque alias transsumitur consimilis formæ. Illis itaque tantam benignitatem temerè accusantibus, clementer per se reddit causam tantæ illius lenitatis, astruitque hoc modo cusationem esse adhibendam. Intellige autem his verbis insinuari parabolam prodigi, quomodo nimirum ipsi pater adhuc distito, accedenti tamen, prior occurrit ipsumque circumplexus osculatur, immemor priorum; præsentibus quoque diem festum incidit, vna cum sibi charissimis vicinibus exigendum, vt vna sit collætantium omnium habitatio, nimirum vt in simul omnes exhilarescant, & collætentur, sic enim Sanctus hic dictam sententiam interpretatur. Quod autem dicit, totus circum plectens, mirè quidem facit, eos pudefaciens qui tum erant hæreticos, qui quidem animam saluari per Dei gratiam, non item corpus, prædicabant. Ait ergo, totus Dominus, vt qui & animam & corpus assumpsit, nos totos, qui animâ & corpore constamus, saluos fecit. Erant enim in errore isto tunc Simonis discipuli, & vsque ad Cerinthum, vt veteres illi, Irenæus & Hippolytus declarant. Cæterùm Demophilus, & si quis alius similis huic, arguitur inquit, à Deo qui nimirum vult peccatores saluos fieri, atque ab eo edocetur qui dicit, Nónne oportebat te collætari saluti per pœnitentiam quæsitæ? equidem ipse sum, qui in humeros sustuli quod perierat, ipse qui erga alioquin ingratos benignus sum. Cùm enim ipsi peccatores adhuc essemus, Christus pro nobis mortuus est, ait diuinus Apostolus. Qui oriri facit solem super bonos & malos, vt sacra tradunt Euangelia: qui animam quoque suam ponit pro refugis. Tu autem, ô Demophile, vt tuæ literæ declarant, (priùs enim ad hunc Sanctum litteras ipse dederat, quibus se iactabat tanquam de re benè actâ) dicis quòd procidentem Presbyterio impium ac peccatorem (hoc autem dicit ex verbis eius, non prout in animo sentiebat: neque enim habebat pro impio, quem planè cognorat admissi facinoris pœnitere) præsens ipse calcibus extruseris. Illud autem ἀντὶ τοῦ ἐκ τῶν ἀσεβῶν pro genitiuis accepit, phrasi Atticâ. At interim supplex ille rogabat enixiùs, quærens remedium: tu autem nihil veritus, Sacerdotem insuper contumeliis aspersisti, quòd eum qui in tuâ sententiâ impius erat ac peccator, sic tamen pœnitentem iustum pronuntiasset, & misericordiâ dignum. Deniq; abire iussisti, atque ipsemet impudens in adyta insiliisti, & intemerata mysteria confudisti, & quasi manu iniectâ ab altari remouisti. Vt enim apparet, Sacerdoti etiamdum sacris operanti Demophilus impressionem fecit. Hoc igitur abs te indignè factum est: Diaconis enim & Presbyteris isthæc munia conueniebant, dicente lege: Et Sacerdotes obuoluent sancta, vti etiam in sequentibus ait. Et scribis te sancta, cùm violanda essent, seruasse. Nunc igitur nostram super his accipe sententiam: Nefas est Sacerdotem, etiam peccantem, à Diacono, etiam te digniore, vel etiam Monacho, corripi; ordo enim continet vniuersa, quantò sanè magis in rebus nostris ordo seruari debet? si enim in his ordo permisceatur, reliquum fit, vt in seipsum Deus diuisus credatur. Porrò omne regnum si diuisum fuerit, non stabit, & si Dei est iudicium, Sacerdotes autem secundùm Antistites suos, Angeli sunt. Tu verò ne ipsorum quidem Ministris seu Diaconis comparandus, vtpote gradu inferior, ab ipsis dilce Sacerdotibus, quorum officio Monachus fieri promeruisti: constructio enim hæc est per traiectionem, ab ipsis scilicet Sacerdotibus erudite, per quos habitum monasticum accepisti. An non testimonio etiam suo, verbum meum sacri illius ordinis Symbola suffulciunt? Adstant enim ipsi aræ proximè Pontifices, deinde Sacerdotes, ad portas mox Diaconi, ab externâ verò portarum parte, iuxtà tamen, Monachi consistunt; non quidem ad ipsarum custodiam, id enim muneris est eorum qui introrsum foribus assistunt, nempe Diaconorum, aut Subdiaconorum; verùm vt agnoscant tam se, quàm ordinem suum, cuius ordinis sint ac dignitatis, neque præstantioribus insultarent. Magis enim accedunt ad populum, quàm ad ordines sacros. Atque hoc non abs re dicit, eò quòd sacris initiati, proprium locum habent iuxta diuinum altare; Monachi autem extrorsum consistunt cum populo, etiamsi populo sint superiores. Hanc ob rem sacra etiam legislatio, vt hi diuinorum participes sint, administrandi munus istis concredidit qui interiores sunt. Intimi enim licet per Symbola, sine obumbrante tamen velamento, & vident & audiunt diuina, iisque qui extra velamenta consistunt, Monachis nimirum, laicisque, atque insuper iis qui capiantur ordinibus, catechumenis, ac pœnitentibus, mysteria sacra pandunt, quæ intemeratè tamdiu seruata sunt, donec ipse tyrannicè in ea irrumpens, euulgari coegisti quæ ne spectanda quidem tibi fuerant. Et tandem sacra hæc te habere & seruare gloriaris, nesciens nihil horum te obtinere: quando non tua, sed Sacerdotum interfit istius sacræ functionis. Illud autem quod addit, *sicut ne veritatem quidem*, & cætera, illum perstringens propter aliam quoque ordinis transgressionem & impudentiam, quando in dies verbis contendens, non ad ædificationem, sed ad audientium subuersionem, Scripturas lectitabat. Duobus itaque capitibus Demophili peccatum & inordinationem circumscribit, cùm quòd sancta inuaserit,

Rom. 1. Exempla virorū qui à mansuetudine cōmendati sunt. Act. 13. Deut. 22. Gen. 45. Quanta sit Angelorū benignitas. Bonitas Christi Domini. Pœnitentes benignè excipiendi. Luc. 15. Rom. 5. 8. Matth. 5. 45. Taxat Demophili temeritatē. Superiorē ab inferiore non debere reprehendi. Matt. 12. 24.

A

Ab exẽplo exaggerat Demophili proterniam.

tum quòd Presbyterum contumeliis onerarit, omittendo quòd pœnitentem calcibus impetitum exturbarit. Porrò duo ista facinora à minori exaggerat. Aduersus quidem primum peccatum ait: Si quis gentilem principatum, à Rege sibi nequaquam demandatum vsurparet, iure merito puniretur; aduersus verò alterum dicit: Quòd si Principem quis aliquem damnantem vel absoluentem, ad exactiorem causæ cognitionem reuocet, ne dicam contumeliis lacessat, (rursus subaudiendum, is vtique plecteretur) tu autem adeò temerarius es, vt ex te ipso Sacerdotium inuaseris, & Sacerdotem anſſtari ausus sis. Atque hæc quidem dicenda essent, si quis cùm maiora meritis suis attentaret, æqua tamen simul moliretur. Tu verò quam habebis excusationem, cùm & præter ordinis tui meritũ, & iniqua præsumpsisti? Et statim subiungit exempla, quorum collatione docet Demophilum grauiora commisisse. Ozias rem per se laude dignam gessit, dum incensum obtulit, licet præter dignitatem. Dæmones verum loquebātur Iesum Deum esse dicẽtes, tametsi nihil eiusmodi illis liceret proloqui. Tu & præter cõditionem dignitatis tuæ fecisti, & rem haud æquam perpetrasti, dum Presbyterum contumeliis onerasti pœnitentes clementer excipientem.

B

2. Reg. 6.

Demum vide legis antiquæ testimonia: Et vnusquisque manebit in ordine sui ministerij, quæ cætera quoque definit. Et rursus: Iratus est furore Dominus super temeritate Ozæ arcam surrigere præsumentis. Sed & Maria & Moysi soror lepra respergitur. Vt & de filiis Sceuæ in Actis refertur, quòd cùm in Christum non credentes, nec ad eam admissi functionem, dæmones adiurarẽt, quod solis exorcistis competebat. Et iterùm: Impius qui immolat vitulũ, sicut qui occidit canem, reputatur. Ideò dictum, quod nõ approbet Deus victimam quamlibet liberalẽ propter indignitatem offerentis. Rursus. Considera Dei iustitiã, quia dicentibus quibusdam, Nunquid in nomine tuo hoc & illud fecimus? respondet. Non noui vos. Ex his omnibus colligitur, non licere etiam ea quæ iusta sunt, non secundùm dignitatẽ exequi; hoc enim legifer Moyses in Deuteronomio docet, dicens: *Iuste quod iustum est exequaris.* Et rursum idem tibi præcipit admirabilis ille Sirach dicens: *Altiora te ne quæsieris, & profundiora te ne scrutetus.*

Num. 12. 10.
Act. 19. 14.
Omnia verò secũdũ ordinẽ facienda.
Matt. 25. 12.

C

Deut. 16. 20.
Eccli. 3. 22.
§. 2.

Antithesim hîc inducit ex personâ Demophili dicentis, Quoniam de cætero erit impietas in Sacerdotibus, si ab aliis non possit iis adhiberi inquisitio neque correctio, quin & periculum erit, ne dum in lege gloriãtur, per eius violationem Deum inhonorent. Adhæc verò tibi prouide respondebo, quando non adeò inimicus est Demophilus, vt sini debeat, à satanâ tanto errore detineri. Scito igitur, quemlibet circa Deum versantium sacratum distinctionũ ordinem deiformiorem esse magis distante, idque tam in cœlesti quàm nostrâ hierarchia. Nolim autẽ hanc ex loco sumat propinquitatem, sed potiùs ex cuiusque Deum recipiendi capacitate: neque enim in loco est Deus, vt hinc aliquid illi vel vicinum vel remotum appareat. Si itaque Sacerdotum ordo illustrandi munus obtinet, nequaquam sanè Sacerdos est, qui vel illuminandi vi caret; vel potiùs adhuc non est illustratus, nimisque temerarius atque impudens mihi videtur, qui poter ea latere Deum, quorum ipse sibi cõscius sit; séque illum fallere posse speret, quem falso nomine Patrem appellat, dicens: Pater noster qui es in cœlis, audétque scelestas suas blasphemias (neque enim preces dixerim) diuinis Symbolis accensere. Talis vtique nequaquam est Sacerdos, sed omnino isti statui contrarius.

D

§. 3. Iustitia cuiq. sua tribuit.

At interea nequaquam concedimus Demophilo inquirere tantis de rebus: iuste enim quæ iusta sunt, exequi debemus, iuxta quod præceptum est. Iustum autem est, omnibus pro cuiusque merito sui iuris distributium, quoniam & Angelis id quod iustum est tribuitur. Porro in omnibus quæ sunt, per prima secundis pro merito cuncta distribuuntur. Itaque qui aliis præfecti sunt, hi se inferioribus pro cuiusque merito compartiantur. Sed & Demophilus ex æquo singula definiat, & sua cuique pro dignitate segreget officia, quædam rationi, aliqua verò iræ, rursus alia concupiscentiæ tribuens, quod vtique fieri aliter non potest, vt vnumquodque decenter à se inuicem separetur, nisi ipsa ratio modum statuat inferioribus, iræ inquam & concupiscentiæ. Atque statim inducit exemplum: nam ratio locum obtinet domini, senioris, patris; ira autem & concupiscentia, serui, iunioris, filij. Nonne ista pietatis omisisse videmur, si in foro præstantiores ab inferioribus malè excipi videntes, præstantioribus opem non tulerimus? Adhæc facit enthymema, dicens: Etiamsi fortassis inferiores priùs à præstantioribus iniuriam acceperint: cæterùm quinam hic ratio dici possit aduersum se inferiora delinquere, iram dico & concupiscentiam, quando sibi diuinitus indultum principatum retinere cupiens, ab his impeditur? Iniusti certè nos, qui non contendimus opem ferre laboranti rationi. Iure ergo magnus ille Paulus Timotheo prohibet per epistolam, ne Ecclesiæ Dei præficiat eum, qui domui suæ præesse nequit. Quin & pulchrè diuina dicunt Euangelia, Qui in modico fidelis, etiam in multo fidelis.

E

Quæ sit subordinatio passionum.

1. Tim. 2. 5.
Luc. 16. 10.

F

§. 4.

Ipse ergo, sicuti prædiximus, rationi & cupiditati atque iræ, vti par est, sua cuique munia præscribe; hoc est, tu ipse ne alium quemlibet, sed teipsum potiùs corrige & compone, cuique facultati animæ quod meretur impertiens; tibi interim Diaconi, illis item Presbyteri, atque his Pontifices, Pontificibus Apostoli eorúmque successores vitæ formulam præscribant: in mundo siquidem Apostolorum nonnulli superstites adhuc erant, successoréfque ab ipsis ordinati. Et quilibet à sanctis sui ordinis corrigatur, sic nec ordo rerum inuertetur. Atque hæc quidem à nobis tibi dicta sint, vt & te & ordinem tuum noueris. De illa autem tuâ in peccatorem immanitate, non satis intelligo quo planctu deplorem, Prophetam imitatus, cõditionem dilectissimi Christiani. Cuius enim gratiâ à nobis adscitus es in ordinẽ cultorum Dei alienus cùm esses ab hac nostrâ religione? Tempestiuum iam fuerit, quãdo te talem exhibes, vt Deum alium alióſque quæras Sacerdotes, vt apud illos efferetis potiùs quàm initieris, cùm nescias quam in partẽ pecces, & existimes te videre, cùm verè non videas. Obstupuit cœlum super hoc, iuxta Ieremiam, sed & ipse exhorrui. Et nisi ipsemet litteras tuas accepissem, nunquam alteri talia de te narranti fidem adhibuissem, Demophilum nempe arbitrari Deum immanem esse, séque minimè diuinæ opis egere, atque Sacerdotes degradare. Cæterùm Dominus ipse Christus, cùm esset à peccatoribus segregatus (peccatum enim nullum admisit, nec est inuentus dolus in ore eius) nostræ erga se dilectionis argumentum statuit, si pascamus oues eius: atque nequam appellat eum, qui conseruo suo paruum debitũ non dimiserat, cui alioquin plurima dimissa fuerant; & iure decreuit, vt propriis fruatur, videlicet caligine & supplicio, hæc enim flagitioso propria sunt. Ipse rursus pro suis crucifixoribus exorabat discipulos verò increpabat, aduersus Samaritas interpellantes, prout in sancto Lucæ Euangelio refertur, illi enim ait: Nesciris cuius spiritus estis, cui nimirum gratiæ subseruitis. Et tu interim sursque deque hoc inculcas, quasi Dei iniuriam vltus sis, bominne per malitiam?

G

Increpat acriter Demophili immanitatem.

1. Pet. 2. 22.

Luc. 9. 55.

§. 5.

H

Absit. Pontifex noster Christus, innocens, mitis, ipse propitiatio pro peccatis nostris. Nequaquam vtique probabimus minime zelandos conatus tuos, etiamsi identidem opponas nobis Eliam & Phinees, dicens, te ipsorum exemplo hoc fecisse: hæc etenim IESV à discipulis mansuetũ adhuc benignique spiritus expertibus audienti, minimè placuerunt. Hoc autem dixit Pater, ad absolutam illam respiciens gratiæ infusionem, quam post resurrectionem acceperunt. Scriptum enim est, Nondum erat Spiritus datus, quia IESVS nondum erat glorificatus. Doceri quippe ignaros decet, non suppliciis affici, quemadmodum & cæcos minime cruciamus, sed manu ducimus. κόρρην quidam contendunt κρόταφον significare, hoc est tempus capitis, nonnulli γνάθον siue genam; præstat autem κρόταφον dicere. Ne igitur, hortor vos, vllâ in re lædamus proximum: hoc enim, quod prouerbio dixit, aduersus semetipsum gladium stringere. Posteà tradit quænam eos præmia comitentur, qui vel iniuriâ quapiam, vel

Ioan. 7. 39.

Hortatur ad benignitatem.

beneficio

beneficio afficere alios contendunt, etiamsi in opus minimè adducant quæ volebant. Illos enim quos videlicet statuerant, vel lædere, vel iuuare, non vsquequaque prout destinarant, inquit, affecerunt. Liquet inprimis hoc contingere per incogitantiam eorum in quos beneficentia confertur, illud verò ab imbecillitate eorum pendet qui alios lædere parant. Cúmque de vtrísque loqui decreuerit, tam de iis qui in alios benefici, quàm de illis qui iniurij esse malunt, de iniuriis solummodò adfert rationem: nam qui iniuriam patienter ferunt, segnum Dei hæreditabunt; contrà, qui iniuriæ sunt auctores, & in hac vitâ & in futurâ pœnas dabunt, iustè cum dæmonibus damnandi.

§.6. Visio illa Carpi.

Post hæc etiam celeberrimam illam diuinam visionem edisserit: Hic est ille Carpus, cuius meminit D. Paulus in Epistolâ secundâ ad Timotheum, qui nunquam sacros mysteriorum ritus auspicabatur, nisi priùs ipsi inter præparatorias preces propitia quædam visio apparuisset. Cæterùm προτέλεια vocabant Athenienses preces illas, quas vnà cum hostiis nuptiis præmittebant: nuptias enim τέλος appellabant, vt quæ hominem initient & perficiant ad vitæ istius conseruationem. Ergo etiam nuptias pro Sacramento habebant. Dicebant autem προτελειῶς & προτελειῶς, quasi dicerent; ante rem sacram lustrari ad mysterij apparatum. Quod igitur à Gentilibus ad impietatem referebatur, id Pater hic ad veritatis mysterium traduxit, & προτελείους εὐχὰς dixit eas preces, quæ Sacramenti consecrationem præcedunt, pro expiatione ac deprecatione, ne Sacramenti participatio in iudicium cedat communicanti, próque perfectissimo Sacramenti munere impetrando. Verùm quasnam preces hilarias appellabant? Erant quædam dies idololatris, quas hilarias vocabant: priuatæ autem hæ censebantur, vt cùm quis vxorem duxerat, vel filium genuerat; communes verò ac publicæ, vt cùm quispiam Rex inauguratus seu declaratus, publicas hilarias indicebat. Nulli per eos dies licebat quidquam lugubre gestare, sed spectacula sacrificiáque in dies singulos celebrabantur. Lugentes tum sibi à luctu temperabant, atque spectaculis intererant, inque publicis conuiuiis istiusmodi dies hilarias transigebant. Adhæc erat etiam Romanæ vrbi peculiariter festa dies Hilaria, in honorem Matris Deorum ipsorum. Iam quando semper est illud hodie, hac voce subindicat, eum qui bonus non est, tantisper dum viuit, semper admonendum esse. Quidam tamen insciтè admodum contrariam sententiam tuentur, Apostolico oraculo abutentes, quo dicitur, *Hæreticum hominem post primam & alteram admonitionem deuita*, vim dictorum minimè intelligentes, quæ per sequentia verba manifestè declaratur. Tunc enim post primam & secundam monitionem euitatio iusta censeri debet, quando qui monet, ad euitationem procedit, compertum habens, talem iam subuersum esse, etiamsi id lateat, cùm sit proprio iudicio condemnatus. Manifestum enim, quia sanctis Doctoribus reuelatur status conditióve præsentium. Alij verò dictum hoc *post vnam & alteram monitionem* sic intellexerunt, ac si dictum sit, Post doctrinam ex veteri nouóque Testamento depromptam. Iam verò quæ fuerit Carpo tanti mœroris causa, docet: propter quendam, inquit, ab altero in errorem abductum. Oportebat sanè vtrique consulere, & hos constantes admonendo ad diuinam notitiam reuocare solutis nimirum & sectis dubiis ac controuersiis, quibus ille quidem fortè alterum in errorem pellexerat, hic verò se ab eo prolici passus fuerat. Non tamen ob hanc ipsam controuersiam ille alterum decepit, alter item sibi imponi permisit; verùm causa quæ seductorem ad seducendum impulit, & seductum ad imposturam suscipiendam mouit, erat quædam controuersia, quam is qui demum seductus est, cum altero quopiam habebat, cuius cùm insolentiam compescere non posset, deflexit in errorem. Hoc enim declarat id quod infertus. Et ab iis quæ præter rationem temerariè commiserant, resipiscere cogerentur, quòd nimirum ille à se lædentibus miserè sit acceptus, per quos seductus in errorem se dedidit. Decebat itaque hæc pro illis fieri. Carpus interim dum hanc, nescio quo pacto, amaritudinem animo concepisset, obdormiuit. Circa mediam verò noctem, quando ad diuinos hymnos euigilare consueuerat, cùm alioquin propter insitam animo perturbationem incommodè quieuisset, indignatione commotus est, Deúmque precabatur, vt vtrumque cœlesti flammâ disperderet, ac fulmine quopiam: (πρηστὴρ enim, fulmen à πρήθω deducitur, hoc est incendo seu aduro.) Et hæc cùm diceret, visus est videre formidabilem illam visionem, quàm minutè recenset, & nos, vtpote claram, nec explicationis indigam, omisimus, hoc solùm subiicientes, de demulcentibus, omnique ratione in voraginem illos deturbare molientibus. Nota, quomodo diabolus homines detrudat in tenebras exteriores, quas hic ἀχανῆ vocat, id est barathrum seu voraginem, siue decipiat, siue impellat à se persuasos. Interdum etiam homines flagitiosos sibi commilitones adsciscit in deceptionem aliorum, vt idololatram illum, ad seductionem eius de quo præsens sermo est. Quapropter in visione hac vidit etiam viros in medio serpentium, id est dæmonum pertrahentes eos qui à diabolo victi erant, à quibus nos liberet Dominus. Quod autem addit, inuiti & violenter abrepti non hoc dicto imponit vllam necessitatis vim, scilicet de diabolo intelligendo sicut Manichæi, Messaliani siue Euchitæ sentiunt (Messala enim lingua Phœnicum, oratio dicitur) sed quia persuasi vt mali quidpiam operemur, impostori locum damus, qui nos assiduè adoritur, ex nobis ipsis vires aduersum nos colligens. Neque enim non persuasis nobis poterit quidquam aduersum nos, quandoquidem in promptu nobis adest auxilium Dei, nos suffulciens, vti sequentia declarant. Illud autem, ne alij homines peccent, supplendum crucifixores, ac si diceret: Paratus sum iterùm pati, tantùm non per homines, vt ne rursus peccent homines. Notandum interim dum hæc dicuntur, quia in hac visione Dominus ipse bonos atque amantes generis humani, vocat sanctos Angelos.

EPISTOLA IX.

Tito Episcopo roganti per Epistolam quæ sit domus sapientiæ, quis crater, & quisnam cibus eius ac potus.

SYNOPSIS.

1. *Ostendit, Symbolicam Theologiam rudioribus & ignaris multas absurdas imagines atque cogitationes ingenerare; & hac occasione exempli causâ diuersa Symbola exponit, quæ in Scripturis reperiuntur. Deinde Theologiam diuidit in mysticam ac demonstrantem, & quæ cuiusque partes sint exponit.*
2. *Docet, Symbola diuersa diuersimodè esse explicanda; & simul declarat, quomodo ignis de Deo & Angelis accipiendus sit. Item quid esca designet.*
3. *Exponit, quid crater mysticè significet.*
4. *Quid cibus solidus & liquidus designet.*
5. *Quid item Dei ebrietas, quidque discubitus Beatorum in cœlis.*
6. *Quid Dei somnus & euigilatio.*

§.1.

Sanctus quidem Timotheus, optimè Tite, nescio si quidpiam Symbolorum Theologicorum à me traditorum non audiuit; quoniam in Symbolicâ Theologiâ distinctè ipsi exposuimus, quæcunque in Oraculis prodigiosa plurimis visa de Deo enuntiantur. Grauis etenim absurdi speciem animis rudioribus imprimunt Patres illi qui arcanam tradunt sapientiam, dum diuinam illam mysticam & profanis inaccessam veritatem sub arcanis quibusdam audacioribus ænigmatibus proponunt. Quapropter etiam in diuinis mysteriis quidoque verbis ipsis vix credimus, dum illa duntaxat per agnata Symbola sensilia

Symbolica Theologia rudioribus absurdas imagines ingerere.

conſpicimus. Verùm his amotis, ipſa in ſeipſis nuda potáque intuenda ſunt: ſic enim contemplantes venerabimur fontem vitæ, in ſeipſum effuſum, & in ſeipſo conſiſtentem videntes, & vnam quandam poteſtatem ſimplicem, per ſe mobilem, per ſe agentem, ſeipſam non deſerentem, ſed notionem notionum omnium, ac ſemper ſe per ſeipſam contemplantem. Cenſuimus igitur tum ipſi, tum aliis, quoad fieri poterat, exponendas eſſe omnis generis formas, Symbolicæ illius quæ de Deo eſt ſacræ effigiationis: huius enim exteriora, quàm plena ſunt incredibilis & commentitij monſtri? v. g. dum in ſupraſubſtantiali Dei generatione, vterum Dei, Deum corporeè generantem effingit, & cor hominis eructans verbum in aërem effuſum; & ſpiritum ex ore ſpirantem deſcribit, ac ſinus Deigenos Filium Dei complectentes, in modum corporis collaudat, aut in modum ſtirpis hæc ipſa depingit, & arbores quaſdam, & ſurculos, & flores atque radices proponit; aut fontes aquis manantes, aut lucigenas ſplendorum fœcunditates, aut quaſdam alias ſupernaturales ſacras rerum diuinarum explanatorias deſcriptiones. In ſpiritalibus autem Dei prouidentiis, vel donis, vel manifeſtationibus, vel virtutibus, aut proprietatibus, aut ſtatibus, aut manſionibus, aut emanationibus, aut ſecretionibus, aut vnionibus formam viri Deo & ferarum, aliorúmque animantium & ſtirpium atque lapidum multiformitatem affingit: quin etiam ornatus muliebres, & barbaras armaturas illi circumponit: & figlinam conflatoriámque artem, tanquam opifici cuipiam mechanico attribuit; & equos ipſi, & currus, & ſedes ſupponit, & conuiuia quædam epulia inſtructa apparat, atque bibentem & ebrium, & dormiturientem ac crapulantem exhibet. Quid attinet dicere iras, dolores, varia iuramenta, pœnitentias & maledictiones, iras inueteratas & multiplices, & obliquas rationes fruſtrandi promiſſiones; item illam in Geneſi cum gigantibus pugnam, in quâ dicitur Deus robuſtis illis viris propter metum inſidiatus, cùm alioquin, non vt alios læderent, ſed vt ſe incolumes ſeruarent, illud ædificium moliti eſſent: & concilium illud in cœlo ad decipiendum Achab fabricatum; & illas Canticorum veluti corporeas & meretricias illecebras: & quæcunque alia ſacra ſigna in Deo audaci fictione format, patientia occultis; multiplicata & partita ſimplicibus atque indiuiduis, figuratiua & multiformia, figuræ formæque expertibus obducens; quorum pulchritudinem intus latentem ſi quis intueri poſſit, reperiet omnia myſtica & diuina, & multo lumine Theologico repleta. Neque verò exiſtimemus ſigna formarum apparentium ſuâ tantùm causâ & ratione effecta eſſe, ſed potiùs integumenta eſſe ſcientiæ arcanæ, & vulgo hominum occultæ, vt ea quæ ſanctiſſima ſunt, non ſint profanis facilia ad intelligendum; ſed tantùm verè ſtudioſis ſanctitatis aperiantur, vtpote expeditis ab omni puerili cogitatione in ſacris Symbolis, & qui acie mentis & ingenij facultate ad contemplandum idonea, veritatem ſimplicem, & ſupra naturam Symbolorum collocatam, aſſequi poſſint. Cæterùm hoc aduertendum eſt, duplicem eſſe traditionem Theologorum, vnam quidem arcanam & myſticam, alteram verò apertam & manifeſtiorem: illam quidem ſymbolicam, & ad myſteria pertinentem, hanc verò philoſophicam ac demonſtrantem; éſtque arcanum cum aperto connexum. Atque hoc quidem fidem facit, & aſtringit veritatem eorum quæ dicuntur, illud verò efficit & in Deo, iis quæ non docentur, inſtitutionibus firmat. Atqui nec in ſanctiſſimis myſteriis ſancti Magiſtri ſiue noſtræ ſiue Moyſaicæ diſciplinæ à Symbolis Deo conuenientibus, abſtinuerunt; quin potiùs videmus Angelos omni ſanctitate plenos, per ænigmata res diuinas myſticè promere; & IESVM in parabolis de diuinis loqui, ac deifica Sacramenta per typicum menſæ apparatum tradere. Par enim erat, vt non ſolùm Sancta ſanctorum ſeruarentur vulgò intemerata, ſed vt ipſa vita humana, quæ indiuidua ſimul & diuidua eſt, lucem diuinæ cognitionis conuenienter ſibi caperet; & ea pars animæ, quæ à patiendi neceſſitate libera eſt, ſimplicibus & intimis diuinarum imaginum ſpeciebus contemplandis deſtinaretur; illa verò quæ paſſionibus ſubiecta eſt, vt naturæ eius conuenit, curaretur ſimul, & in diuiniſſimas res per typica Symbola, eis artificioſè obducta protenderetur, vt cui iſtiuſmodi integumenta cognata ſint, quemadmodum declarant, etiam qui auditâ apertâ Theologiâ ſine inuolucris, effingunt in ſe typum quendam, qui illos ad prædictæ Theologiæ intelligentiam manuducat.

Quid diuerſa Symbola ſignificēt. — *Pſ. 109. 4. Pſ. 44. 1. Pſ. 32. 6.* — *3. Reg. 22. Cant. 4. & 5.* — *Theologia duplex, ſcilicet myſtica & philoſophica.*

Quin & ipſius quoque mundi aſpectabilis fabrica inuiſibilibus Dei obducta eſt, ſicut Paulus & vera ratio teſtatur. Quamobrem etiam Theologi alià quidem ciuiliter legaliterque conſiderant, alia verò purè & intemeratè; atque illa quidem humano medioq; modo, hæc autem ſupramundiali ac perfecto. Atque interdum quidem ex apparentibus legibus, interdum verò ex occultis oraculis, prout ſubiectis rebus ſacris, mentibúſque & animis congruit: omnis enim ſermo, qui illis vbique propoſitus eſt, non exilem aliquam hiſtoriam, ſed viuificam continet perfectionem. Quare etiam nos oportet, omiſsâ populari de his opinione, ipſamet ſacra ſigna, ſacrâ, vti par eſt, ratione penetrare, neque eadem inhonorare, cùm natiua ſint & expreſſa rerum diuinarum ſimulacra, nec non imagines perſpicuæ arcanorum & ſupernaturalium ſpectaculorum. Etenim non ſolùm ſupraſubſtantialia, & intellectilia, & ſimpliciter diuina lumina Symbolis figuratis variegantur, vt cùm ſupraſubſtantialis Deus ignis dicitur, & quæ intellectu percipiuntur Eloquia Dei ignea; ſed prætereà etiam diuini ordines Angelorum, qui ſimul ſunt intellectiles & intelligentes, variis formis ac multiplici ſpecie, & igneis figuris depinguntur. Alitérque eandem imaginem ignis accipere oportet, cùm de Deo dicitur, qui intelligentiam ſuperat; aliter cùm de prouidentiis eius, quas intelligentiâ percipimus, aut de ſermonibus; & aliter cùm de Angelis. Atque illam quidem, imaginem ignis de Deo dictam, ſecundùm cauſam accipere oportet; aliam ſecundùm exiſtentiam, aliam verò ſecundùm participationem; & alia aliter, vt eorum contemplatio & conſtitutio ſcienter facta præſcribit. Nec enim oportet fortuitò ac temerè miſcere Symbola, ſed potiùs explanare ea conuenienter cauſis aut exiſtentiis, aut poteſtatibus, aut ordinibus, aut dignitatibus; quæ omnia ſignis declarantur. Cæterùm ne epiſtolæ modum excedamus, iam ad ipſam propoſitam à nobis quæſtionem veniamus. Dicimus itaque, omnem eſcam vim habere perficiendi illos quos nutrit, dum imperfectum eorum & indigentiam replet, & infirmitatem curat, vitámque ſeruat, & refloreſcere facit ac renouat, & vitalem illis affectum donat, ſimpliciterque triſtitiam & imperfectionem abigit, atque lætitiam perfectionémque conciliat.

§. 2. Symbola aliter atque aliter explicāda ſūt. — *Deut. 4. Pſal. 118.* — *Ignis quomodo de Deo & Angelis accipiendus.* — *Eſca quid myſticè ſignificet.*

§. 3.

Quamobrem rectè ſupraquam ſapiens iuxtà ac benigna ſapientia in Eloquiis diuinis perhibetur craterem myſticum proponere, ac ſacram eius potionem propinare, priùs tamen cibos ſolidos apponere, atque clarâ voce omnes eius indignos beneuolè inuitare. Duplicem ergo eſcam diuina ſapientia proponit, ſcilicet vnam ſolidam atque durabilem, aliam verò liquidam ac fuſilem in cratere propinat, quæ beneficas eius prouidentias deſignant. Crater igitur cùm ſit rotundus & apertus, Symbolum eſt generalis prouidentiæ, quæ principio finéque caret, atque omnia continet penetratque. Sed quoniam dum ad omnia procedit, in ſemetipsâ quoque manet, immobili, à quâ nunquam excidit, identitate firmata, crater etiam, conſtanter immotus perſiſtebat. Dicitur autem ſapientia ſibi domum ædificare, in quâ cibos ſolidos, & pocola, craterémque proponit, vt omnibus diuina ritè conferentibus perſpicuum ſit, eum, cuius eſt prouidentia, perfectam eſſe cauſam, vt ſint & benè ſint omnia, cúmque ad vniuerſa pertingere, & in omnibus exiſtere, atque omnia continere, rurſúſque eundem, cùm ſit in ſe excellenter, nihil in vllâ re vllâ ex parte eſſe, ſed ſecretum eſſe ab omnibus, cùm in ſe ipſe eodem æternóque modo ſit, perſtétque & maneat, [illegible] ſemper idem ſit, eodémque modo ſe habeat, nec vllo modo ſe ipſe deſerat, neque ſedem ſuam immobilémque

Quid crater myſticè ſignificet.

manſio

mansionem, & quasi latem relinquat, sed in eâ omnia perfectáque prouidentiæ suæ munera perficiat, & procedat ad omnia, & in se maneat; & insistat semper ac moueatur; & neque insistat neque moueatur; sed ac si quis dicat, vt qui actiones suæ prouidentiæ in perseuerantiâ, & perseuerantiam in prouidentiâ connaturaliter simul ac supra naturam habeat.

§. 4. Verùm quisnam solidus cibus, & quis liquidus est? hos enim benigna sapientia largiri simul & prouidere prædicatur. Arbitror itaque, solidum illum cibum intellectilis ac perseuerantis perfectionis & identitatis signum præ se ferre, quo spiritales isti sensus secundùm constantem ac potissimam & singularem illam indiuiduam scientiam diuina participant, quos diuinissimus quoque Paulus solidi verè cibi à sapientiâ accepti participes facit. Liquidum verò cibum significare doctrinam illam profusam, quæ dum per omnia vagatur, simol etiam per varia illa multipliciáque signa ad simplicem & constantem Dei cognitionem, eos quos nutrit, per accommodatam cuiusque captui bonitatem manuducit. Hanc ob causam Eloquia illa diuina spiritaliáque, & rori, & aquæ, & lacti, & vino ac melli meritò assimulantur, quia viuificandi ac fœcundandi vt in aquâ, & ad incrementum perducendi vt in lacte, & recreandi vt in vino, purgandique simul ac conseruandi vt in melle vim habent: ista nimirum diuina sapientia donat suis asseclis, dum redundantium & indeficientium deliciarum suarum affluentiam eis præbet, & adhuc superefluit. Istud nempe veraciter est epulari; & , idcircò vt viuificans simul & paruulos nutriens, renouansque ac perficiens celebratur.

§. 5. *Quid ebrietas Dei mysticè significet.* Nempe iuxta hanc sacram conuiuij expositionem etiam ipsemet bonorum omnium auctor Deus inebriari dicitur, propter plenissimam, &, quæ omnem intelligentiam superat, diuinæ epulationis, vel, magis propriè loquendo, bonæ habitudinis Dei perfectissimam & ineffabilem immensitatem. Sicut enim ea quæ apud nos est ebrietas, in deteriorem partem capitur, éstque immodica repletio, propter quam mente sensúque destituimur; sic in Deo si meliorem in partem capiatur ebrietas, nihil aliud est intelligenda, quàm plenissima bonorum omnium immensitas, quæ dum emanat, in ipso secundùm causam præexistit. Quin & ipsum sensus excessum, qui ebrietatem comitatur, accipere oportet pro istâ Dei præcellentiâ quæ exuperat omnem sensum, per quam ab intelligendi ratione secernitur, cùm sit supra id quod intelligit & intelligitur, imò supra id quod est. Et cùm simpliciter Deus bonis omnibus quæ sunt, inebriatus esse dicitur, omniáque excedere, vtpote qui eis omnibus, totius immensitatis suæ præcellentiâ supraquam plenus sit, & extra omnia, & supra omnia sursum habitet: hisce loquendi rationibus inducti, sanctorum etiam in regno Dei conuiuia, eodem modo accipiemus. Transiens enim, inquit, ipse Rex, faciet eos discumbere, & ministrabit eis; quæ vtique declarant communem quandam & concordem Sanctorum in diuinis bonis societatem, & Ecclesiam primogenitorum qui conscripti sunt in cœlis, & spiritus iustorum bonis omnibus esse consummatos, bonorúmque omnium plenos. Porrò discubitum illum putamus significare requiem ex multis laboribus, & vitam inuiolatam, conuersationémque diuinam in lumine ac regione viuorum, omni sacrâ iucunditate plenam, & omnigenorum beatorúmque donorum abundantem elargitionem, quâ omni gaudio replentur, Iesv eos exhilarante, & in mensâ collocante, & ipsis ministrante, & æternam quietem largiente, ac perfecta bona tribuente atque infundente.

Luc. 12. 37.

Quid discubitus in cœlis.

§. 6. *Quid Dei somnus & euigilatio.* Postulabis vtique, probè scio, explicari tibi celebrem illum Dei somnum & euigilationem; cumque dixerimus, diuinum quidem somnum esse id quod in Deo arcanum est & incommunicabile rebus iis quæ prouidentiâ gubernantur; euigilationem verò esse ipsius prouidentiæ attentionem circa eos qui disciplinæ vel salutis indigi sunt; illicò ad alia signa Theologica transibis. Itaque superuacaneum ratl eadem iisdem de rebus repetendo alia videri dicere, simúlque nobis conscij, quòd vobis, vti æquum erat, morem gessimus, epistolæ quidem hîc finem facimus, cùm plura putem nos persoluisse, quàm literis tuis deberemus. Symbolicam porrò Theologiam nostram totam mittimus, in quâ vnà cum domo sapientiæ columnas septem explicatas reperies, & solidum eius cibum, in hostias panésque diuisum, prætereà quæ sit vini mixtio, quæ item crapula ex Dei ebrietate prouenìens, & ea ipsa etiam quæ modò tetigimus, ibidem fusiùs inuenies pertractata. Est enim, vt opinor, optima Symbolicarum inuentrix Theologiarum, atque sacris sanctarum Scripturarum traditionibus ac veritatibus conueniens.

SCHOLIA S. MAXIMI.

§. 1. Titus quis. Hic est ille S. Titus Apostoli familiaris, quem & Cretæ præfecit Episcopum; vt Epistola à D. Paulo ad ipsum Titum scripta declarat.

Sed in symbolica.] Quid contineat Symbolica Theologia magni Dionysij.

Imprimvnt.] ἀναμάξασθαι idem est quod ἐναπομάξασθαι καὶ ἐμβαλεῖν, id est instillare & immittere aliquid menti suæ, metaphorâ à pictoribus deductâ, qui attendentes veritati, depingunt imagines. Arcanæ autem sapientiæ Patres vocat Prophetas.

Sic enim spectantes, venerabimvr.] Venerabimur, pro in veneratione habebimus, honorabimus, admirabimur, obstupescemus. Nota autem, de sanctâ & adorandâ Trinitate dici, *vitæ fontem, in se ipsum effusum, & in seipso consistentem*: hinc enim etiam consubstantialitas demonstratur, & quòd vnitas in Trinitatem progrediens ad ipsam vsque sistatur; vti Gregorius quoque Theologus tradit in Oratione 1. de Filio, & in 2. de Pace. Nota item illud, *Ac semper se per seipsam contemplantem*, etiam de sanctâ Trinitate dictum.

Trinitas consubstantialis.

Qvæ enim in ipsa extrinsecvs.] In ipsâ, nempe Symbolicâ fictione. Positum autem hic etiam est ἔνδον pro ἔσω: illud autem *extrinsecus* siue obuio dictionis sensu significatur.

Vtervm Dei corporaliter.] Vterum Dei, propter illud: *Ex vtero ante luciferum.* Verbum in aërem, propter illud: *Eructauit cor meum verbum bonum.* Spiritum exspirantem, propter illud: *Et spiritu oris eius.* Sinus verò, propter illud: *Vnigenitus qui est in sinu Patris.* In modum verò seu formam stirpis, propter illud: *Lignum vitæ*; & illud: *De virgulto fili mi ascendisti*; & illud: *Florebit & germinabit Iacob*, pro Christo acceptum, cuius fructus salute impleuit terram, & similia. Nota igitur quomodo de Deo dictus sit vterus, & eructatio verbi, & similia.

Psal. 109. 4. Psal 44. 1. Psal. 32. 6. Ioan. 1. 18. Apoc. 2. 7. Isa. 27. 6. Ezech. 16. 3.

Avt fontes aqvarvm.] Fontes aquarum, iuxta illud: *Apud te est fons vitæ*, & illud: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuentis*, & quæcunque sunt similia. Splendores verò propter illud: *Qui cum sit splendor gloriæ*; & : *Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in lumine tuo videbimus lumen*, & his similia.

Ps. 35. 10. Ier. 2. 13. Heb. 1. 3. Ps. 98. 16.

De intellectilibvs avtem.] Quæ quidem prouidentias designant, iuxta illud: *Sicut aquila proteget nidum suum*, &c. Ibidem, Bona item, iuxta illud: *Aperis tu manum tuam*, & illud: *Qui dat escam omni carni*, & prouidentiæ hoc magis est indicium. Et ostensiones, vt cùm in figura hominis apparebat veteris Testamenti sanctis; & in specie columbæ, Spiritus sanctus. Ad prouidentiam quoque pertinet punitio impiorum: dictum nempe à Prophetâ: Sicut vrsa indigens, & sicut pardalis. Potentias autem repræsentant oculi; & cæterarum partium corporearum denominationes. Proprietates verò, vt apud Amos, adamas; quoniam, diuinæ naturæ proprium est non posse pati, neque domari. Quemadmodum etiam quia vim habet prauos habitus consumendi dicitur: *Deus noster ignis consumens.* Cætera autem, quæ dicta sunt, studiosis lectoribus manifesta existunt; his etiam anagogica & allegorica contemplatio minime dissentit. Quin etiam accipere liceat fortes & mansiones

Deut. 32. Psal. 144. 16. Gen. 18. Oseæ 13. Amos 7. Adamas quid mysticè. Deut. 4. Quid fortes mansiones, &c.

pro diuinæ naturæ immutabilitate atque constantiâ, quæ per fundamentales lapides insinuatur. Emanationes verò atque secretiones, dicunt communicationem diuinæ bonitatis ipsi naturaliter inexistentis; exempli gratia per lilij fragrantiam, vnde etiam dicitur *flos campi, & lilium conuallium.* Ita etiam Vniones intelligendæ, quòd nimirum Deus vniat secum creaturas, & ad se conuertat, vt cùm dicitur lapis angularis. Ornatus item muliebres, quales sunt apud Isaiam, quibus describitur omne genus diuinæ prouidentiæ. Quemadmodum etiam conflatoriam figlinam officinam accipere oportet, vt significent hæc in Deo prouidentiam reformantem ac refingentem, aut vim & facultatem secernendi & repurgandi. Quod enim ad armorum instrumenta pertinet, quæ hic palàm recensentur, designant vim contraria destruendi & abolendi. Barbaricas autem armaturas fortè illud, *In vestitu deaurato, & accingere gladio super femur tuum potentissime.* Est autem rhomphæa barbaricum telum, vt ait Phylarchus Historicus. Similiter & fornacarius est omnis artifex, qui per ignem operatur.

Cant. 2. Quid vniones, &c. Isaiæ 3. Quid conflatoria mysticè. Psal. 44.

Et convivia quædam.] Conuiuia quædam vocat epulas, vt est in Euangelio, cùm vitulus saginatus occiditur, &c. in reditu filij prodigi.

Luc. 15.

Multiplicis et obliquas.] Frustrationes promissionum vocat hic, cùm ea, quæ promissa sunt, non videntur ad exitum producta, quatenus sensui apparet; v. g. vt ex multis pauca referam, quod promissum fuit Iacob. *Esto Dominus fratris tui*; & de perpetuitate regni, seminis Dauid, quæ videntur exitu frustrata secundùm apparentiam, sed nequaquam secundùm perfectam intelligentiam spiritus. Quod enim promissum fuit Iacob de dominatu, impletum est in Christo ex semine eius: sicut etiam promissiones factæ Abrahæ de possessione terræ, & benedictione gentium. Quæ autem ad Dauid sunt, ad solum Christum referuntur. Similiter etiam quæ de Salomone Psal. 72. dicta sunt. Varias itaque in his acceptiones diuersam explicationem admittentes multiplicia sophismata vocauit, non quasi argutè ac captiosè veritatem deludant, sed claré id quod quæritur explicent.

Quæ sint frustrationes promissionum. Gen. 27.

Compositionum.] Compositiones intelligit eas, quæ symbolicè fiunt, quæ non pro seipsis factæ sunt, hoc est, vt sic ipsæ concipiantur quemadmodum signum propositum continet, & nuda littera insinuat; sed velamenta, inquit, sunt & figura intelligentiarum ac sensuum profundiorum. Hoc autem ait, quod Symbola non propter mysticas ipsas compositiones excogitarint, sed propter indignos, ne, si iis obuia forent, facilè contemptui haberentur.

Symbolicæ compositiones cur adhibeantur.

Vnam quidem arcanam.] Arcanam quidem & mysticam Scripturæ traditionem explicat, dum symbolicam vocat, vtpote per symbola traditam, eandemque τελεστικὴν appellat, vt quæ sacramentorum cærimonias in symbolis tradat per sacerdotalem traditionem. Hanc autem arcanam siue symbolicam dicit oratione implexam esse, id est proferri vnà cum symbolo sibi accommodato, quod tamen etiam arcanum est seu mysticum. Veritas enim in symbolo est adumbrata, nec vulgo propalanda, vt in paschate legali, verum pascha, sicut scriptum est, *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Illa verò altera Theologiæ pars euidens est, & nota, non autem per symbola: hanc vocat philosophicam & demonstrantem, qualis est illa, quæ moralia & naturalia atque opera creationis recenset. Hæc enim manifestiorem quandam vim persuadendi habet, & veritatem coniunctam cum iis quæ narrantur; quare etiam est demonstrans. Symbolica verò nihil habet quo persuadeat, sed habet efficaciam quandam diuinam, quæ animas mysticarum rerum atque contemplationis studiosas, per mystica, id est symbolica ænigmata communit, & in Christo quasi fundat per mysteria, quæ nullo sermone docentur, sed silentio & diuinarum illustrationum reuelatione percipiuntur, nec non mentem ad ineffabilia mysteria percipienda collustrat. Obserua autem quòd duplex sit Theologorum traditio, & quæ qualisque sit.

Theologia Symbolica & demonstrantis differentia. 1. Cor. 5.

Et symbolicam quidem.] Symbolicam & ad mysteria pertinentem vocat illam, quæ ex symbolis conficitur, cuiusmodi sunt mysteria cultus legalis, & mysteria nostri sacri cultus, tametsi altiora sint, & magis spiritalia, nostra. Philosophicam autem ac demonstrantem vocat eam, quæ existit ex perspicientia creaturarum, diuinæquè in quibusdam rebus prouidentiæ, & expositione speculatrice eorum, quæ de Deo in Scripturis dicuntur.

Persuadet et adstringit.] Persuadet & adstringit, id est eorum quæ dicuntur veritatem tanquam sigillo quodam obsignat; & efficit, vt, qui audiunt, credant. Symbolica verò, per ea, quæ fiunt, adiungit ad Deum quodam ipsius rei habitu & informatione, quod etiam vocauit ἀδιδάκτους μυσταγωγίας, id est, sacrorum initiationes à nemine edoctas.

Aut legalis traditionis.] Quoniam non solùm traditio legalis, verùm etiam nostrorum mysteriorum initiatio, sacris symbolis opus habuit. Et nihil id mirum est, cùm etiam Angeli per ænigmata diuina mysteria promant. Quin & ipse Dominus res diuinas in parabolis tradidisse cernitur.

Legalis traditio qualis.

Theologica traditio

alia quidem est arcana & mystica, quæ item symbolica, & initians & efficax;	alia verò perspicua & nota, quæ est philosophica, & demonstrans, & persuadens.

Duplex traditio Theologica.

Symbolis.] Naturæ conformis ratio, cur aliqua quidem Scripturæ loca symbolica sint, aliqua verò pura.

Per ænigmata.] Per ænigmata: vt apud Zachariam Angelus qui de Iesu filio Iosedech, & de stolâ eius in ænigmate loquitur: & apud Danielem Gabriel, qui de Christo disserit, & simul ipsi mystica denuntiat, aliáque similia. Deifica autem vocat, vel quòd sui consortes deificent, vel quòd Dei operâ fiant.

Zach. 3.

Per typicam mensam.] Τραπεζώσιν vocat ea sacramenta, quæ in diuinâ mensâ per sacrum panem & calicem benedictionis consecrata sunt. Nota verò, cùm in antiquâ tum in nouâ lege multa tradi per symbola, & cur.

Typica mensa quæ.

Humanam vitam.] Arbitror humanam vitam ipsum, indiuiduam & diuiduam dixisse. Illud quidem propter animæ indiuiduitatem atque incorporeitatem, hoc verò propter corporis variam ac multimembrem proportionem. Obserua autem quàm mirificè tradat ea quæ sunt animæ. Nam id quod eius est, vocat indiuiduum atque expers passionis: hoc autem est id, quod in animâ sublimissimum est, atque, vt ita quis dicat, flos animi, quod est mens, à quâ etiam profluit vis rationalis, secundùm quam etiam anima intelligit. In hac mente simplicia & quasi nuda mysteria sine symbolicis scitè conspiciuntur. Pars autem eius diuisibilis, quam & passibilem appellat, est ea vis animi, quæ cum sensibus vnitur mediante spiritu animæ & corporis; in quo spiritu fundatæ sunt sentiendi & intelligendi, nec non intuitè contemplando cognoscendi, facultates. Hæc itaque pars animæ patibilis est, in quantum per sensus ad sensilium affectionem commouetur. Hæc autem pars vt ita dicam animæ, v. g. mens, non est omnino pura, nec res diuinas & intellectiles ac spiritales immediatè contueri potest, sed opus habet medio quodam crassiore ipsam quasi manuducente ad simplicia indiuiduáque, quod symbola præstant per res diuiduas, id est sensiles atque apparentes, ad arcana promouendo.

Humana vita partim diuidua, partim indiuidua.

Atque animæ quidem pars impatibilis.] Animæ pars impatibilis est pars intelligens, non quòd omninò expers sit passionis, sed quòd externarum passionum nullæ se causæ offerant, sicut hoc corpus nostrum plurimis expositum est incommodis, quæ anima sine propriâ suâ voluntate non sustinet. Pars verò eius patibilis est ea, quæ per sensus res externas apprehendit, cui connaturaliter ait; per symbola corporea res diuinas tradi, quibus ad immaterialium rerum contemplationem adducimur.

Animæ pars impatibilis quæ.

A *Aperta Theologia qualis.*

APERTA THEOLOGIA.] Quòd etiam ij, qui Theologiam apertam & ab inuolucris nudatam audiunt, figuras aliquas in seipsis effingant, [quibus auditores ad intelligentiam manuducunt. Aliter. Theologiæ apertæ sunt, vt cùm Dominus Abrahamo vel Moysi apparuit, Et dixit Dominus; Et factum est verbum Domini ad Prophetam, & similia. Apertam verò vocat, vtpote non per symbolicas figuras. Figuram denique fictam appellat piam contemplationem, quam in istiusmodi dictis concipimus, & diuinæ naturæ non incongruam.

§. 2. *Typi quales.*

TYPVM QVEMDAM AD INTELLIGENTIAM.] Vt quando D. Athanasius ex arboribus adorandæ Trinitatis personas repræsentat, & alij sancti ex rebus aliis. Quin & ipsa mundi creatura symbolorum vicem obtinens, inuisibilibus Dei obducta est.

Rom. 1. 20.

SICVT PAVLVS AIT.] Sic enim Apostolus ait: Quoniam inuisibilia ipsius, sempiterna quoque virtus eius, in creaturis conspiciuntur. Quin & Christus: (hunc enim vt existimo vocat Verbum verum) cùm ait: *Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo si dixero cœlestia credetis?* & quæ sunt huiusmodi.

B Ioan. 3. 12. *In Scripturis quæ ciuiliter & quæ legaliter accipienda.* Gen. 4. 9. Gen. 18. 21. Ps. 10. 5.

QVAMOBREM ETIAM THEOLOGI.] Ciuiliter quidem & legaliter [considerant] correctorum susceptionem, atque fœlicitatem, & peccantium punitionem ac condemnationem. Quin etiam expiantes ac puras instructiones, ac præseruantes admonitiones. Humano autem ac medio modo [accipiunt] verbi gratiâ interrogationes, iuxta illud: *Vbi est Abel frater tuus?* & illud: *Descendens videbo*, item illud: *Dominus interrogat iustum & impium.* Quæ etiam medio modo se habent, inter ea quæ Deo conueniunt, & inter ea quæ omnino dissona videntur, vt sunt similitudines bestiarum & materiarum inanimatarum. Quædam item supermundiali & perfectâ ratione intelligit, vt miracula, quæ Deus solâ voluntate suâ facit. Leges autem apparentes vocat, vt quando quodammodò excusat virginem in eremo violatam, & similia. Occulta verò oracula sunt, v. g. illud: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui,* aliàque similia. Dixit autem Pater *multiformiter*; quoniam alia quidem symbolicè, alia verò purè & supermundialiter Scriptura tradidit.

Rom. 9. 13. C *Diuersa diuisio philosophiæ.*

ALIA QVIDEM CIVILITER] Philosophia quidem partim est practica, partim speculatiua. Ac practica item alia est publica seu communis, & Politica seu ciuilis appellatur, vt legislatio; alia verò priuata seu particularis, vt Ethica seu Moralis. Media autem inter practicam est Oeconomica, speculatiuæ verò pars illa, quæ res sensiles ac mutabiles spectat, Physica & Cosmologica nuncupatur; quæ verò intellectilia & æterna contemplatur, contemplatiua & Theologica dicitur. Atque hæc impræsentiarum exposuit. Media autem inter speculatiuam est Astronomica, & Mathematica, quæ sempiterna illa sensilia considerat. Hoc Scriptura quidem non dicit, sed Hebræi habent in Deuteronomio.

Sensus Scripturæ multiplex. D

NON ENIM NVDAM HISTORIAM.] Quoniam ea, quæ symbolicè, siue historicè in scriptura narrantur, haud nudam historiam continent, sed viuificam perfectionem. Viuificam autem perfectionem vocat, quòd Sanctis scopus sit, per Scripturas eruditi, & ad vitam æternam perfici. Hæc autem dicit, ostendens, necessario anagogen & allegoriam admittendam esse.

SACRO MODO PENETRARE.] Græcè διαβαίνειν, alia lectio habet διαβαίνειν, id est ingredi & intrare, & intra rem ipsam esse; vti etiam Diogenianus ait.

SVPERNATVRALIA LVMINA.] Supersubstantialia, & intellectilia ac diuina lumina vocat purissimam & sanctissimam Trinitatem, superiores autem Angelos vocat intellectiles. Horum autem differentiam perfectè assignauimus in libro de Diuinis nominibus.

Luc. 12. 49. Ier. 23. 29.

DE INTELLECTILIBVS EIVS PROVIDENTIIS.] De prouidentiis quidem, vt in Euangeliis, *Ignem veni mittere in terram.* De sermonibus verò, vt apud Ieremiam: *Nunquid non verba mea quasi ignis, dicit Dominus?* Imaginem igitur ignis v.g. in Deo aliter accipere oportet, & aliter in intellectilibus siue Angelis, ac Dei prouidentiis ac sermonibus.

E

ATQVE ILLAM QVIDEM SECVNDVM CAVSAM.] Illam igitur imaginem, secundùm causam nimirum, de eloquiis Domini; illam verò secundùm existentiam de Deo; illam denique secundùm participationem, de Angelis [dictam esse.] Illud autem, quod est secundùm existentiam, differt ab eo quod est secundùm participationem, in his, quòd nimirum illud quidem designet substantiam per se existentem, sed adscititiam habentem deformitatem, vt in Angelis; hoc verò rem ipsam secundùm substantiam, siue verbum diuinum, id est à Deo productum.

VT SECVNDVM IPSA CONTEMPLATIO.] Quoniam secundùm subiecta etiam figuræ intelliguntur, quamuis eædem sint.

A NOBIS QVÆSTIONEM.] Venerat etiam in quæstionem propositio quædam è Prouerbiis, vbi de cibi virtute agit.

§. 3.

LIQVIDAM VERO.] Notum, ipsum potum liquidum cibum appellasse.

F

CRATER ROTVNDVS.] Contemplatio crateris, & eiusdem circumferentiæ.

Prouidentia Dei principij expers & infinita.

PRINCIPIO ET FINE CARENTIS.] Principij expertem dicit Dei prouidentiam, non quasi simul cum rebus existere incipiens, ipsis prospiciat, iuxta illos insanos, qui dicunt, Simul Deus, simul omnia: sed quia priusquam res producerentur in ideis siue exemplaribus diuinis, id est, in æternis eius notionibus (quas D. Paulum prædefinitiones appellare, diximus in libro de Diuinis nominibus) secundùm quas ideas & notiones Dei, res futuræ iam erant præformatæ, atque adeò prouidentia Dei absque principio fuit ante omnem creaturam. Prouidentiæ enim diuinæ siue consilij prospicientis erat etiam velle producere creaturam, prouidenti eius bonitate fruituram. Secundùm hoc vtique etiam fine caret. Vel dicitur prouidentia quoad immortales Angelos, & nos ipsos immortalitate donandos, respectu bonorum quæ propter nos erant.

G

SAPIENTIA AVTEM ÆDIFICAT SIBI DOMVM.] Quid sit sapientiam sibi domum ædificare, & in ipsâ apparere quæ narrauit, eámque & extra ipsam & intra ipsam existere.

ET IN VNIVERSO EST.] De hoc etiam dictum est in libro de Diuinis nominibus, quomodo stet & sedeat. Notandum autem, ipsum hic prouidentiam vocare Deum.

IN SE EXCELLENTER.] In his etiam illud *excellenter* accipiendum est pro minimè priuanter, siue non secundùm existentiæ carentiam, vti proposita sumuntur.

Ἑστία vnde deriuetur.

ET STANS.] Hic videtur mihi declarare, quid sit ἑστία, id est, quasi mansio, ita vt nomen ἑστία deriuetur à Verbo ἵστημι.

Quid statio & motio mysticè.

ET NVSQVAM EXTRA SE.] Cùm illud *stans* acceperit de perseuerantiâ secundùm immutabilitatem, illud *se mouens* de rerum prouidentiâ, in vtroque horum nobis intelligendum est & subaudiendum *omnino*, ita vt sit sensus: Neque omnino stans, quasi non ad prouidendum moueatur; neque omnino se mouens, quasi à stabilitate suâ deflectat. Aliter. Illud *semper stare & moueri* de Deo dictum, prouidam eius in stabilitate operationem designat. Illud autem *neque stare neque moueri*, cium in prouidendo perseuerantiam repræsentat. Hæc autem omnia in libro de Diuinis nominibus sæpè exposuimus.

H

§. 4. *Quid solidus cibus designet. Quæ sit indiuidua scientia.*

SOLIDVM QVIDEM CIBVM.] Quis sit solidus cibus, & quis liquidus: atque solidum cibum esse stabilem perfectionem.

ET POTENTEM ET SINGVLAREM.] Singularem & indiuiduam scientiam dicit, cùm nimirùm in iis, qui de Deo sunt, sermonibus, nequaquam in materiales intelligentias mens diuiditur, sed vniformiter supernaturalem & inscrutabilem diuinam naturam reputat, quippe qui sensoria organa hominis interioris habeat admodum exercitata.

Quadiniuna.

ET PER DIVIDVA SEV MVLTIPLICIA.] Per subauditionem censeo hoc iuxta constructionem referendum esse ad *fusam*, &c.

MANVDVCIT.] Neque enim vno ac simplici modo, sed multiformi varióque edoctos ad perfectam illam Dei scientiam promoueri scimus.

DONAT ACCEDENTIBVS.] Quid symbola significent.

VORACITER EPVLARI.] Nota, quòd nomen εὐωχίας hic Pater deriuet ab εὖ, id est *benè*, & ἔχειν *habere*.

VIVIFICANS SIMVL, ET PARVVLOS NVTRIENS.] Educando scilicet iuuenes probos. Hoc autem κουροτρόφος est Homero: nam κόρος est iuuenis, & per redundantiam υ, κοῦρος, vnde etiam κουροτρόφος.

§. 5. DEVS INEBRIARI DICITVR.] Notà, quomodo dicatur Deus inebriari, & vnde, & quæ sit nostra ebrietas, & quomodo de Deo ecstasis dicatur.

SVPRA INTELLIGENTIAM EXISTENS.] Quoniam Deus est tam supra id quod intelligit, quàm supra id quod intelligitur, & supra id quod est.

SIMVL INEBRIATVS.] Nota breuiter, quomodo dicatur Deus inebriatus, & excessum patiens.

EODEM MODO ACCIPIEMVS.] Quænam sint dictæ cœnæ siue conuiuia in regno cœlorum.

DISCVBITVM.] Quis sit discubitus in regno cœlorum, eúmque esse requiem, & vitam noxæ expertem, &c.

QVA GAVDIO REPLENTVR.] Per εὐφροσύνην siue gaudium (id enim significat εὐφροσύνη) verosimiliter IESVM intelligit.

§. 6. ET CELEBREM ISTVM SOMNVM.] Quomodo acceperit in Deo somnum & euigilationem.

SYMBOLICAM THEOLOGIAM.] Nota quid Symbolica Theologia contineat. Vbi *fusius*, id est, latiùs seu planiùs & articulatiùs, explicatum & descriptum est.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§. 1. Quis hic Titus.

HIc est ille sanctus Titus, S. Pauli Apostoli familiaris, quem Cretæ præfecit Episcopum, vt ad eundem scripta indicat Epistola, ad quem Magnus Dionysius hanc epistolam scribens ait: Equidem nescio, num S. Timotheus quidpiam Symbolorum Theologicorum mihi cognitorum non audierit (ad eum enim meliorem operum suorum partem conscripserat) siquidem in Symbolicâ Theologiâ quàm plurima quæ prodigiosa videbantur, distinctè exposuimus. Grauis vtique absurdi speciem animis rudioribus imprimunt (quod sanè indicat verbum ἀπομάττουσι), nam ἀπομάξασθαι idem est quod ἐναπομάξασθαι καὶ ἐμβαλεῖν, id est instillare & immittere aliquid menti suæ, metaphorâ à pictoribus ductâ, qui animo priùs affixi viuis verísque exemplaribus, suas deinde delineant & pingunt imagines) quando nimirum vident reconditæ sapientiæ Patres, id est Prophetas, audacioribus quibusdam ænigmatibus insinuare veritatem. Quapropter eam plurimi censent esse suspectæ fidei, neque satis credunt, cùm ad externa solùm nominum inuolucra attendant. Nos autem, si modò res eiusmodi nudas contemplabimur, religiosè venerabimur sacrosanctam adorandámque Trinitatem, vitæ fontem, in seipsum effusum, & in seipso consistentem: hinc enim ipsum homoüsion esse demonstratur, & quia vnitas in Trinitatem progrediens, ad ipsam vsque sistitur, vti Gregorius quoque Theologus tradit. Consentaneum itaque arbitrati sumus, vt quoad fieri posset, cùm Timotheo, tum aliis, rationem explicaremus istius symbolicæ figurationis quoniam idcircò Symbolicam Theologiam composuimus. Quæ enim in istâ sacrâ fictione extrinsecùs apparent, quàm plena sunt incredibilis & commentitij monstri? vt cùm audimus ventrem Dei. *Ex vtero ante luciferum genui te.* Verbum effusum: *Eructauit cor meum verbum bonum.* Spiritum item, *Et spiritu oris eius.* Et sinus Dei genitoris, vt: *Qui est in sinu Patris.* Et arbores quasdam, vt *lignum vitæ.* Et virgulta: *De virgulto fili mi ascendisti.* Et illud: *Florebit & germinabit Iacob*, pro Christo acceptum, cuius fructus salute impleuit terram. Et radices, vt illud, *Radix mea.* Ponos item aquarum: *Quoniam apud te est fons vitæ*, & illud, *Dereliquerunt fontem aquæ viuentis*, & quæcunque sunt similia. Et lucigenos splendores, vt, *Qui cum sit splendor gloriæ*, &, *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt*, & his similia. Siue etiam plerasque alias descriptiones sacras sensus mysticè declaratiuas, à multiplici Dei prouidentiâ desumptas, vt illud, *Aquila proteget nidum suum.* In donis item: *Aperis tu manum tuam.* De apparitionibus, quia se exhibuit in formâ hominis conspicuum veteris Testamenti sanctis. In virtutibus, vt, *Spiritus concutiens montes.* In proprietatibus, tanquam adamas, propter Numinis impatibilitatem; hæc enim naturæ diuinæ propria est. Quies autem ac mansiones, diuinæ naturæ immutabilitatem, per fundamentales lapides designant. In processionibus item, quoniam per lilij fragrantiam exprimitur bonorum eius naturalium distributio; propterea dicitur, *lilium conuallium.* Vniones, per illitum stanno lapidem, & per ignem diuisiones. Est quoque vbi tribuitur illis virilis forma, vt apud Danielem: *Et antiquus dierum sedit.* Quandoque per feras significatur, iuxta illud: *Cum accubuisset, vt leo obdormiuit*, itémque *quasi pardalis perditis ferociens catulus iuxta viam Assyriorum.* Et sub aliorum quoque animalium specie, iuxta illud: *Ego autem sum vermis, & non homo.* Et aliquando vt planta, veluti à Dauide, ceu *Vitis*, vel ab alio Prophetâ, vt *Oliua.* Denique per diuersos lapides, vt per sapphirum, & ab Amos per adamantem, & per mundum muliebrem, iuxta illud: *In vestitu deaurato.* Item arma illi adnectuent barbarica, vt illud fortè est: *Accingere rhomphæâ tuâ super femur tuum, potentissime.* Rhomphæa sanè armatura est barbarica, vti Phylarchus tradit. Aliquando rursum audimus de Deo diisque figulinis, iuxta illud: *Quasi lutum platearum delebo eos.* Conflatorium itidem: *Igne eos examinasti, sicut examinatur argentum.* Item equos, iuxta illud: Qui ascendisti equos tuos conturbantes aquas multas. Item currus, vt, *Currus Dei decem millibus multiplex.* Thronos item. *Thronus tuus Deus in sæculum.* Et dapes, vt in Euangelio, quando vitulus saginatus cæteráque apparantur in filij prodigi inuentione. Nonnunquam etiam audimus Deum crapulatum esse, vt, *Crapulatus à vino*: ebrium simul & obdormiscentem: *Vt quid obdormis Domine?* Quid opus est plura de his dicere, vt quòd iratus sit Dominus, *Vt quid irasceris nobis?* Contristatus item est Dominus, & irauit Dominus, quin & pœnituit eum, & maledixit, & comminatus est. Quid item opus est narrare multiplices & obliquas rationes frustrandi promissiones (ἀμφιβολίας autem frustrationes promissionum dicit) quia promptum est videre promissa exitum promissioni respondentem minimè accepisse; quale est illud, vt è multis pauca depromam, quod Iacob dictum est, *Esto dominus fratris tui*; & de regno in Dauidis semine permansuro: quæ vtique externo euentu promissioni minimè responderunt, nequaquam tamen secundùm exactam contemplationem eluserunt. Illa enim quæ de Iacob sunt, per posterorum ipsius principatum, & in Christo completa sunt; sicut etiam promissiones Abrahamo factæ de possessione terræ, & gentium benedictione. Quæ verò ad Dauid promissio facta est, haud dubium quin ad solum Christum referenda sit, vti & illa quæ in Psalmis de Salomone dici videntur in Christo completa sunt. Istiusmodi igitur enarrationes, diuersum quid in speciem præ se ferentes, multiformia sophismata vocauit, non quòd deceptoriâ argumentatione veritatem eluderent, sed potiùs id quod quærebatur sapienter explicarent. Item gigantomachiam turrísque ædificationem, vt in Genesi refertur; nec non consilium aduersus Achab initum, sicut in tertio quoque Regum inuenire licet: quo quidem loco diuina Scriptura tradit, quo pacto Iosaphat Rex Iuda cum Achab rege Israël conuenerit. Porrò Rex Israël dixit Regi Iuda: Si ascendes nobiscum in Rhemmath Galaad? Respondit Iosaphat: Sicut ego, ita & tu: vt populus meus, populus tuus, & equi mei, equi tui. Adiecit quoque Iosaphat Regi Israël, dicens: Interrogate hodie Dominum. Et

Symbola præ se ferre speciem absurdã nõ intelligentibus.

Pſ.109.4. Pſ.44.1. Pſ.32.6. Ioan.1.18. Apoc.2.7. Iſa.27.6. Ezec.16.3. Pſ.35.10. Ier.2.13. Heb.1.3. Pſ.98.16. Ier.49.16. Pſal.144.16. Cant.2.1. Dan.7.9. Gen.49.9. Apoc.15.2. Pſal.21.7. Eccli.24.23. Ier.11.16. Ezec.10.1. Pſ.44.10. Pſ.44.4. Pſ.17.43. Pſ.65.10. Pſ.75.7. Pſ.67.18. Pſ.44.7. Luc.15. Pſ.77.65. Pſ.43.10. Pſal.78.5. 3. Reg. 22.4.

congregauit Rex Israël omnes Prophetas quasi quadringentos. Et dixit Rex Israël Prophetis: Si proficiscar in Rhemmath Galaad ad bellandum, an me contineo? Et responderunt: Ascende; dans enim dabit Dominus in manus Regis. Et dixit Iosaphat ad Achaab: Non est hic propheta aliquis Domini, vt interrogemus Dominum per eum? Et respondit Rex Israël ad Iosaphat: Adhuc vir vnus est, per quem interrogare possumus Dominum, sed ego odi eum, quia non loquitur mihi bona, sed mala, Michæas filius Iemblaa. Et dixit Iosaphat Rex Iuda: Ne loquatis ita Rex. Et vocauit Rex Israël eunuchum vnum, & dixit ei: Festina adducere Michæam filium Iemblaa. Et Achaab & Iosaphat reges sedebant in soliis suis armati iuxta portas Samariæ. & omnes illi prophetæ prophetabant coram eis. Fecit quoque sibi Sedechias filius Chanaan cornua ferrea, & ait: Hæc dicit Dominus: His cornibus ventilabis Syriam, vsquequò consumetur. Omnésque prophetæ similiter prophetabant, dicentes: Ascende in Remmath Galaad, & vade prosperè, & tradet Dominus in manus tuas Regem Syriæ. Et nuntius qui ierat ad vocandum Prophetam Michæam, locutus est ad eum, dicens: Ecce, sermones Prophetarum vno ore regi bona prædicant: sit ergo sermo tuus similis eorum, & loquere bona. Et ait Michæas: Viuit Dominus, quia quodcunque dixerit mihi Dominus, hoc loquar. Venit itaque Michæas ad Regem, & ait illi Rex: Si ascendam in Remmath Galaad ad præliandum, an quiesco? Cui ille respondit: Ascende, & vade prosperè, & tradet eam Dominus in manus Regis. Et ait ei Rex: Quoties ego adiuro te, vt loquaris mihi quod verum est, idque in nomine Domini? Et dixit Michæas; Non sic. Vidi cunctum Israël dispersum in montibus, & quasi oues non habentes pastorem. Et ait Dominus: Non habent isti Dominum? reuertatur vnusquisque in domum suam in pace. Et dixit Achaab ad Iosaphat: Nunquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi iste bona, sed potiùs mala? Et adiecit Michæas: Non sic, non ego. Audi verbum Domini. Non sic. Vidi Dominum Deum Israël sedentem super solium suum, & omnis militia cœli steterat in circuitu ipsius, à dextris & à sinistris. Et dixit Dominus: Quis decipiet Achaab Regem Israël, vt ascendat, & cadat in Remmath Galaad? Et dixit vnus sic, & alter aliter. Egressus est autem spiritus, & stetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Et dixit ei Dominus: In quo? Et ille ait: Egrediar & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit Dominus: Decipies, & præualebis: egredere, & fac ita. Nunc igitur, Ecce dedit, Dominus spiritum mendacij in ore omnium prophetarum tuorum qui hic sunt. Sed & Dominus locutus est contra te mala. Accessit autem Sedechias filius Chanaan, & percussit Michæam in maxillam, & dixit: Quis spiritus hoc locutus est in te? Et ait Michæas: Ecce tu videbis in die illâ, quando ingredieris cubiculum intra cubiculum, vt abscondaris. Et ait Achaab: Tollite Michæam, & abducite eum ad Amon principem ciuitatis, vt ponat eum in carcere, & sustentet eum pane tribulationis, & aquâ angustiæ, donec reuertar in pace. Dixitque Michæas Regi: Si reuertens reuerteris in pace, non est locutus in me Dominus. Et ascenderunt duo Reges Achaab & Iosaphat in Remmath Galaad. Et dixit Rex Israël ad Iosaphat Regem Iuda: Sume mihi arma, & ingrediar prælium, & tu induere vestitu meo. Porrò Rex Israël mutauit habitum suum, & ingressus est bellum. Rex autem Syriæ præceperat principibus curruum triginta duobus, dicens: Non pugnabitis contra minorem & maiorem quempiam, nisi contra Regem Israël solum. Factum est cum vidissent principes curruum Iosaphat Regem Iuda, & ipsi dixerunt: Apparet quòd hic sit Rex Israël, & in orbem circumdederunt eum, vt pugnarent. Et exclamauit Iosaphat. Factum est, vt viderunt principes curruum quia non esset hic Rex Israël, & diuerterunt ab eo. Et intendit quidam arcum rectè collineans, & percussit Regem Israël inter pulmonem & stomachum. At ille dixit aurigæ suo: Verte manus tuas, & educ me de exercitu, quia vulneratus sum. Commissum est ergo prælium in die illâ. Et Rex stabat in curru suo contra Syriam, & fluebat sanguis plagæ in sinum currus, & mortuus est vesperè. Et præco militaris stetit in castris, sole iam in occasum inclinante, dicens: Vnusquisque reuertatur in ciuitatem, & in terram suam, quia mortuus est Rex. Et sepelierunt Regem in Samariâ, & abluerunt sanguinem ad fontem Samariæ, & elinxerunt sues ac canes sanguinem eius, sed & meretrices ablutæ sunt sanguine illo, iuxta verbum Domini quod locutus est. Et hæc quidem sunt quæ spectant ad deceptionem Achaab. Nota verò etiam de Cantico canticorum, cuius refert amatorias multas affectiones, & lenocinationes, & osculationes, & cætera, propter quæ Theodorus Mopsuestenus imprudenter hunc librum calumniis traduxit. Et quæcumque alia rerum intellectillum & vnitarum, composita multipliciáque, & indiuiduarum, diuidua sunt signa. Signa porrò multiplia vocat, respectu veritatis illius & vnitatis: illud enim quidquid sit, certè quid vnum est, signa verò quæ id significant sunt multiplicia; tum quia per aliud atque aliud veritatem declarant, tum etiam, inquit, quia quæcunque quis signa protulerit, procul ab illâ vnitate descicunt. Et pro formarum quidem multitudine sermones etiam ipsi diuiduntur: illud verò propter quod hæc & sunt & dicuntur, singulare est & indiuiduum. Neque verò arbitremur signa proposita rerum symbolicè existentium pro se ipsis ficta esse, hoc est, vt sic ipsa concipiantur, quemadmodum signum propositum continet, & nuda littera insinuat, sed prætenduntur, & prælucent sapientiæ vulgo indicibili & diuinæ: nam integumenta sunt & figuræ profundiorum intelligentiarum ac sententiarum; has enim scientiam appellat, sermone nimirum declarante, aliam quandam esse scientiam istis sublimiorem, quam spiritalis contemplator, spiritualia cum spiritalibus conferens, non verbis demonstratiuis sed spiritalibus intelligit. Sic autem sacris formis obumbrata sunt, propter indignos, ne ipsis facilè contemptui habenda viderentur, vtque solis iis perfectis reuelarentur, qui omnem indecoram super his imaginationem reiiciunt, & ad ipsam pertingere valent veritatem, dum signorum quidem varietatem contemplantur, sed ipsam tamen percipiunt vnitatem non demonstratione, nec ratiocinatione, sed simplici mentis apprehensione. Cæterùm, inquit, duplex est traditio Theologorum: vna quidem per symbola, per creaturæ contemplationem, dum ex hac eius auctor agnoscitur. Cumque dicat illam quidem esse arcanam & mysticam, id explicat, dum symbolicam appellat, vtpote per symbola traditam, eandemque τελεστικὴν vocat, vt quæ Sacramentorum cerimonias in symbolis tradat per Sacerdotum institutionem. Hanc autem arcanam siue symbolicam, dicit oratione implexam esse, id est proferri vna cum symbolo sibi accommodato, quod tamen etiam arcanum est seu mysticum. Veritas enim in symbolo est adumbrata, nec vulgo propalanda, sicuti in legali verum Pascha delineabatur, iuxta illud, *Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus.* Illa altera Theologiæ pars euidens est & nota. Hanc vocat philosophicam ac demonstrantem Theologiam, vt quæ existat ex perspicientiâ creaturarum, diuinæque in quibusdam rebus prouidentiæ, & expositione speculatrice eorum quæ de Deo in Scripturis dicuntur. Et hæc quidem, vt manifestior fidem facit, & adstringit veritatem eorum quæ dicuntur, ideoque demonstrans est ac persuadet, & eorum quæ dicuntur veritatem tanquam sigillo quodam obsignat, & quasi vinculo alligat; efficitque vt qui audiunt, credant, quòd magna magnificeque de Deo cogitare debeant; & sicut eorum quæ tractantur decet magnitudinem, non autem simpliciter & obiter, vti vulgus discere cupit. Quis enim vbi Solem splendere viderit, & illius deinde auctorem conditorémque intellexerit, non illicò lucidum ipsum cogitet, imò verò longe lucem eius superantem? Nam si ille talis, an non eius auctor vel vt minùs talis sit? Quis verò rursum viuentia, & operantia, & se mouentia videns, non illicò secum cogitabit, talium opificem præ his incomparabiliter viuere felicius, moueri eminentiùs,

Veritas vna, signa multiplicia.

Cur res sacra sub signis tradantur.

Theologia Symbolica qualis.

1. Cor. 5.

Quæ sit Theologia Philosophica.

ſui videlicet ipſius contemplatione, iuxta magnum illum in diuinis admodum verſatum Gregorium, nec non creaturis omnibus per exceſſum excellentiùs operari. Et talis quidem Theologia euidentior eſt, dum ex naturâ rerum creatarum, earundem demonſtrat creatorem: idcircò enim etiam philoſophica dicitur, quòd perlubenter creaturarum indoli conſiderandæ immoretur, atque hinc ad eorum quæ naturam ſuperant, tranſcendat Theologiam. Symbolica verò nihil habet quo perſuadeat, ſed habet efficaciam quandam diuinam, eámque obſcuram & operoſam, quæ animas myſticarum rerum ac contemplationis ſtudioſas, per myſtica, id eſt ſymbolica ænigmata communit, & in Deo quaſi fundat per myſteria quæ nullo ſermone docentur, ſed ſilentio & diuinarum illuſtrationum reuelatione percipiuntur, nec non mentem ad ineffabilia myſteria percipienda colluſtrat. Nam per ea quæ conſecrantur (hæc enim eius opera ſunt, vnde & τελεστικὴ dicitur) adiungit ad Deum quodam ipſius rei habitu & informatione, quod quidem vocauit ἀδιδάκτους μυσταγωγίας (id eſt ſacrorum initiationes à nemine edoctas.) Qui enim verbi gratiâ immaculatorum munerum particeps efficitur, ſine præceptore ſacris inſtituitur, & ipſo actu ſanctificatur; idcircò etiam iſtiuſmodi quidem Myſtica Theologia operatur, alterâ verò conſideratione fidem conciliat ac perſuadet, adducítque ad veritatem. Atqui non ſolùm traditio legalis, verùm etiam noſtra myſteriorum inſtitutio ſacris illis ſymbolis indiguit. Neque id eſt mirum, cùm etiam ipſimet Angeli per ænigmata diuina myſteria promant; quin & ipſe Dominus id feciſſe videtur, dum in parabolis tanquam ſymbolis de diuinis ageret: item dum in cœnâ deifica illa munera traderet, ſic dicta, vel quòd ſui participes deificent, vel quòd à Domino Chriſto ac Deo noſtro, ſub formâ conuiuij ſint inſtituta. Vocat autem τεχνίζοντι eum, qui tunc diſcipulorum fuit, ad menſam illam ſacram, diſcubitum, & ſacroſancta myſteria, quæ nunc temporis in menſâ diuinâ per ſacri panis calicíſque benedictionem conſecrantur. Etenim duas ob cauſas hæc ita conficiuntur.

Cur data ſit Theologia Symbolica.

Vna eſt, vt ſancta hæc à vulgo ſegregentur, quippe qui aſſequi nequeat, quarum rerum gratiâ hæcce ſymbola conficiantur: altera verò, quòd cùm vita hæc noſtra ab animâ ſimul & corpore, & indiuidua ſimul & diuidua ſit, illud quidem propter animæ indiuiduitatem atque incorporeitatem, hoc verò propter corporis variam ac multimembrem proportionem; hinc fit vt duplex quoque ſit rerum harum diuinarum diſpenſatio, nos pro captu noſtro illuminans. Ac animæ quidem pars impaſſibilis, id eſt ſpiritalis, non quòd omnis ſit expers paſſionis, ſed quòd externarum paſſionum nullæ ſe cauſæ offerant, ſicut hoc corpus plurimis obnoxium eſt incommodis, quæ anima ſine propriâ voluntate non ſuſtinet. Hæc igitur animæ pars impaſſibilis ſpiritalibus ſpectaculis deputata eſt, quæ & ſimplicia dicit, & Intima, id eſt occultiſſima. Pars verò patibilis animæ, quæ nimirum per ſenſus res externas apprehendit, cognata ſibi hæc inuolucra ſuſcipit. Liquet hoc ex eo, quòd nonnulli Prophetæ, perſpicuæ, id eſt nudæ ab inuolucris Theologiæ auditores extiterint. Ità Dominus apparuit Abrahamo, vel etiam Moyſi, & dixit hoc & hoc. Et factus eſt ſermo Domini ad hunc Prophetam. Et hi quidem in ſeipſis imaginem quandam affingunt tali viſioni, vtputa piam contemplationem & diuinæ naturæ non incongruam: quo enim pacto aliàs quis ad præſcriptæ Theologiæ intelligentiam manuduci poſſit?

§. 5. Quin & ipſæ quoque creaturæ inuiſibilibus intellectilibuſque rebus propoſitæ ſunt, & quaſi præſtitutæ; idque non ſolùm diuus Paulus Apoſtolus ait, *Quoniam inuiſibilia ipſius per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur*, ſed etiam verbũ verax, ipſe Dominus noſter IESVS CHRISTVS, quando dicit: *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo ſi dixero vobis cœleſtia, credetis?* Quamobrem etiam Prophetæ alia quidem ciuiliter legaliterque conſiderant, vt Iſaias cùm ait, Venite & diſceptemus, dicit Dominus; nam hoc ad ciuilis vitæ legumque cultum pertinet: alia verò expiatoriè, vt cùm admonent, *Sitientes venite ad aquam, & lauamini; mundi eſtote, & accedite ad eum, & illuminamini.* Hæc enim doctrinam reſpiciunt, ſimul & expiationem. Illa igitur quæ politica ſunt, & legum formam præferunt, rationem obtinent ſignorum: ſunt enim craſſiora, nobíſque manifeſta omnibus. Quæ verò expiatoria, rationem continent, nudæ illius ſignorum Theologiæ: ideóque illa quidem humano, vel etiam aliquantulum ſublimiori, id enim eſt medio, modo; hæc verò ſublimiùs, & ad perfectionem efficaciùs inducuntur. Et illa quidem à conſpicuis legibus, hæc autem ab iis quæ per ſe arcanæ ſunt & diuinæ. Rurſus illa antiquæ legis decreta propalam quidem euulgantur, obſcurè autem intelliguntur. Alioquin quomodo is, qui lege ſanxit ieiunia, ſabbata & neomenias, poſteà per Iſaiam ſic loquitur: Quis enim quæſiuit hæc de manibus veſtris, niſi quia perſpicuè quidem dicuntur, intelliguntur autem obſcuriùs? Congruebat vtique rebus iſtiuſmodi, vt cùm ſint abſtruſiores, ad hunc modum euulgarentur, ne à quamplurimis profanarentur: quin etiam id noſtris ſenſibus atque animis conueniebat, pro captu videlicet ſuſcipientium. Aliter enim Iudæi ſuæ, aliter nos Chriſtiani legis noſtræ decreta interpretamur: illi enim in litterâ vim ſuæ legis conſtituunt, nos in ſpiritu. Neque enim hiſtoriam exilem continet ſermo propheticus, ſed viuificam perfectionem. Hic enim ſanctis ſcopus eſt, vt à ſe eruditos per Scripturam ad vitam promouerent ſempiternam. Hæc autem dicit, vt oſtendat neceſſariò anagogen in diuinis verbis fieri. Quare etiam nos oportet iſtiuſmodi ſigna introſpicere, & quaſi diuinarum intellectiliúmque natiua ſigna figurarum contemplari: non enim ſolæ illæ omnibus adorandæ ſacroſanctæ Trinitatis perſonæ ſymbolis diſtinguuntur, vt cùm Deus ignis dicitur, iuxta illud, Ignis conſumens eſt, & eloquia ipſius ignita; ſed & Angeli ſymbolicè deſcribuntur: nam & de illis dicitur: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.*

Ignis quid ſymbolicè.

Cæterùm quod attinet ad propoſita, etiam figuræ intelliguntur, tales licet ipſæ ſint. Siue igitur imago ignis de Deo ſumitur, ſiue ſecundùm id quod ſupra intelligentiam ignis dicitur, tamen idipſum excedit: nam priùs ignis dicitur, tanquam auctor ignis, & cùm Deus intelligentiam tranſcendat, ab effectis vt cauſa cognoſcitur, ſiue etiam propter prouidentiam, vt in Euangeliis, *Ignem veni mittere in terram.* Hæc enim eius prouidentia, & in rebus omnibus efficacia diſcretióque, ignis appellatur, vel propter efficaciam ſermonis, vt apud Ieremiam, *Nunquid non verba mea quaſi ignis, dicit Dominus?* Item propter omnimodam puritatem & integritatem, vt apud Dauidem: *Eloquia Domini igne examinata, eloquia caſta.* Et hæc quidem de Deo dicta ſunt. Quin & de Angelis quoque ignis dicitur, quatenus ſunt effectus Dei ſecundùm participationem, quemadmodum iidem lux vocantur, & dij, aliíſque nominibus Deo congruentibus. Quin potiùs, vt ſummatim dicam, ignis hic de Deo dictus, ſecundùm cauſam dicitur; vocatur enim vt cauſa ignis. Porrò de Dei rationibus dicitur ſecundùm exiſtentiam. Hoc autem non eò dicit, quòd prouidentiæ Dei in ſe ſubſiſtentes ſint, ſed quia à Deo ſunt & exiſtunt, non tanquam ſubſiſtentes, ſed vt efficaciter operantes. De Angelis verò prædicatur ſecundùm participationem. Cùm enim etiam deiformes dicantur, Deíque conſortes ſint, Deus autem ignis dicatur, ipſi quoque ignis appellantur per participationem. Differt autem diuinitas ſecundùm participationem, ab eâ quæ hîc dicitur ſecundùm ſubſtantiam: quia quæ participatiuè capitur, ſubſtantiam declarat per ſe quidem exiſtentem, ſed adſcititiam habentem deiformitatem: illa verò quæ eſt ſecundùm exiſtentiam, eſt ſpiritus vel verbum Dei, hoc eſt à Deo productum & dictum. Sic enim nominum ſymbolicorum rationes minimè confunduntur, ſed ſubiectis accommodatè intelliguntur, ſicut v.g. de luce dicere liceat.

Quomodo Deus lux.

Lux dicitur Deus, ſed quatenus eſt auctor lucis. Lux item Dei ipſius mandata, ſed ſecundùm ſubſtantiam. Diximus autem ſuperiùs, quomodo accipiat nomen ſubſtantiæ. Cùm lux Deus ipſe dicatur, manda-

Margin references: Iſa. 1. 18. (Rom. 1. 20.; Ioan. 3. 12.; Iſa. 1. 16.; Iſa. 1. 12.; Heb. 12. 29.; Heb. 1. 7.; Luc. 12. 49.; Ier. 23. 29.; Pſ. 11. 7.)

tum

tum autem ab ipso profectum sit, ipsum quoque lux vocabitur, non tamen per participationem: non enim mandatum, vt quid aliud existens, diuinam lucem participauit, sed vt lux exiſtit, ſic à Deo procedit, eſtque diuina, quod Pater hîc vocat ſecundùm ſubſtantiam. Lux itidem Angelus, ſed ſecundùm diuinæ lucis participationem. Lux etiam ſunt ſupremi ordines Angelorum, pro cuiuſque & ordine & merito, prout ad primam lucem propiùs accedant, quodque vim habeant illuminandi & adducendi inferiores: & ſic ſecundùm res ſubiectas ſymbolorum nomina ritè explicantur.

§.3. Quænam esculenta & poculenta dicantur in cælis.

Cæterum ne epiſtolæ modum excedamus, ad præmotam quæſtionem, & deſumptam è Prouerbiis propoſitionem veniamus. Enimuerò cùm quæſitum ſit, quænam eſculenta, quæve poculenta ſint ipſius ſapientiæ; dicimus de cibo, cibum ſupplere defectum, curare infirmitatem, conſeruare vitam, refloreſcere facere, & renouare, & vitalem bonam habitudinem conferre, ſimpliciterque triſtitiam propulſare, & lætitiam conciliare. Quamobrem rectè ſupraquàm ſapiens illa ſapientia craterem tenet, & potum propinat; hoc enim inſinuat verbum κρατήρ. Prius tamen cibos ſolidos apponens, omnes ad epulum inuitat, ipſa inquam eorum qui eius indigent amore clementer inducta, non vt prior inuitetur expectat, inuitat ipſa potiùs præ ſumma benignitate. Dupliciter ergo ſapientia nutrit, cùm per alimoniam tum per potionem. Ipſa verò crateris propinatio multiplicem deſignat prouidentiæ ipſius benignitatem. Crater igitur cùm ſit rotundus & apertus, declarat expenſam ſupra omnes eſſe diuinam prouidentiam, quippe quæ creaturas omnes circumplectitur. Principio autem carere dicit diuinam prouidentiam, non quòd fortè cum rebus exiſtere incipiens, illis prouideat (nihil enim eſt in rebus ſanctæ illi rerum omnium creatrici ac beatæ Trinitati coæternum:) ſed quia priuſquam res producerentur, Ipſarum in Deo rationes erant creandarum, inque Dei mente res futuræ iam erant præformatæ: idcircò etiam prouidentia Dei, ante omnem omnino creaturam præextitiſſe dicitur abſque principio. Prouidentiæ enim diuinæ, ſine conſilij rebus proſpicientis erat, etiam velle producere creaturam, prouidenti eius bonitate fruituram. Ad hunc ſanè ſenſum, quoad immortales Angelos, & nos ipſos immortalitate donandos, fine quoque carere prouidentia perhibetur, vti & reſpectu bonorum quæ propter nos erunt. Cæterùm cùm prouidentia, dum procedit, in ſemetipſâ quoque maneat, immobili, à quâ nunquam recedit, identitate firmata (neque enim diffluit aut euaneſcit) idcircò crater conſiſtere prædicatur. Ædificat autem ſibi domum ſapientia, Ita vt ſit & extra ipſam, & intra ipſam. Et in ipſâ quidem appareat quæ dixit, quia etiam in vniuerſo diuina prouidentia eſt, & vniuerſa continet, & in vniuerſo nihil in nihilo ſecundùm nihil eſt, ſcilicet per exceſſum: neque enim per priuationem, neque per abolitionem, ſed vt exiſtens & ſupra omnia exiſtens, prout in libro de Myſticâ Theologiâ dictum eſt. Eminet enim vniuerſis, non ſecundùm aliud quidem huic, ſecundùm aliud verò illi; neque aliter huic, atque aliter illi; neque huic quidem ſemper, illi verò aliquando, ſed eodem modo & ſempiternè, & ſecundùm eadem & eodem modo ſe habens, nec vſquam à propriâ manſione deſciſcens, extra nimirum ſeipſam. Στάσις ſiquidem hîc dicitur, perinde atque διαμονή, id eſt permanſio) & ſtans in ſeipſâ, & per prouidentiam ſemper mota: neque ſtans ſecundùm prouidentiam, neque per naturam mota; quin potiùs quia *ſtans* accepit de permanentiâ ſecundùm immutabilitatem, *mota* verò de prouidentiâ circa res ipſas, de vtroque nobis intelligendum eſt, & addendum *vniuerſim*, vt ſi hic ſenſus ſententiæ: Neque vniuerſim ita ſtans, vt nullatenus moueatur prouidendo; neque etiam vniuerſim ita mota, vt à propriâ ſtabilitate deſciſcat. Idcircò enim ait, quòd licet ad prouidentiæ functiones moueatur, ſuam tamen obtineat ſtabilitatem, & licet in immutabilitate permaneat, prouidentiæ tamen functionibus moueatur.

Qualis domus sapientiæ.

§.4. Quibus cibus solidus.

Deinde tradit, quis ſolidus ſit cibus, & quis liquidus. Solidus quippe cibus ſymbolum eſt, nempe ſignum & ſignificatio intellectualis ac ſolidæ perfectionis. Sed quæ demum hæc intellectualis eſt & ſolida perfectio? Omnino illa ſecundùm quam in intelligentiâ præditi, digni quoque habiti rerum diuinarum participatione, perficiuntur (ipſa enim intelligentia quædam participatio dicitur perfectionis: ſed ſecundùm ſcientiam conſiſtentem (quandoquidem & hic cibus eſt ſolidus) & ſingularem & Indiuiduam. Hoc autem dicit, quia nimirum in iis qui de Deo ſunt ſermonibus, nequaquam oportet in materiales intelligentias mentem diuidi, ſed vniformiter ſupernaturalem & inſcrutabilem diuinam naturam reputare; idque maximè decet eum qui ſenſoria organa interioris hominis habet admodum exercitata, in quibus Paulus ille admirabilis hauſit diuinæ aquas ſapientiæ. Nam ipſius hic ſermo eſt: *Cum eſſem paruulus, ſapiebam vt paruulus.* Perfectis deinde cibum ſolidum diſtribuit, quos priùs lacte potauerat, quandu nimirum ſenſus intellectiles parum habebant exercitatus. Vt enim infans ſenſus corporeos adhuc habens inexercitatos, quidquid vel videt, vel audit, id vtique non ſicut ſe res habet, videt & audit (laruatam enim perſonam formidabilem putat, & verbum ſæpè lene accipit pro comminatione: ſic qui ſecundùm animam infans eſt, ſenſus animæ habet inexercitatos, & nequit contemplari, neque capere ſublimiorem aliquam conſiderationem, quam ſermo diuinus cibum ſolidum appellat. Proinde liquidam alimoniam rurſum arbitror accipi debere pro compoſito figuratoque ſigno: ſubauditur enim, τῆς διαχυτικῆς ὑπερβλύσεως, id eſt diffuſiuæ inundantiæ, videlicet doctrinæ quæ per plura & diuidua inſtruit. Neque enim vno ac ſimplici modo, ſed multiformi varioque edoctos, contingit ad perfectam illam Dei ſcientiam promoueri; ideoque ſacra Eloquia rori, aquæ, lacti, vino atque melli aſſimilantur: cùm enim liquorem aqueum omnia referant, aqua autem viuificandi & fecundandi vim obtineat, propter hoc aquæ nomine Eloquia designantur. Neque ſolùm hæc aqueum quid habent, ſed ſingula quoque propriam quandam qualitatem. Sic vtique quæ augendi vim obtinent, lacti comparantur, ſiquidem lac & nutrimento & Incremento conducit. Sic item quæ viuificant, excitantve, vino conferuntur, quoniam vinum eſt viuificum, & calorem ſuſcitat naturalem. Sic & quæ purgant conſeruantque, melli aſſimilantur, quia mel vlceroſa quidem purgat, & fructus illi iniectos conſeruat. Hæc itaque quæ animam irrorant diuina ſapienter inundanti ſcaturigine effundit, nec non hiſce Deus ſe dignos lautiſſimè excipit: quin & ipſemet inebriari dicitur, vtpote his plenus, & ſupraquam plenus. Interim nota verbum iſtud εὐωχεῖν hunc Patrem deriuare ab εὖ id eſt benè, & ἔχειν habere, ſicut & dictio εὐεξία.

1. Cor. 13. 11.

Quibus cibus liquidus sapientiæ.

§.5.

Vt igitur in nobis ebrietas in peiorem, ſic in Deo in optimam partem accipitur, vnde etiam apud nos immoderantia in deteriorem, in Deo verò in optimam partem ſumitur. Inſuper exceſſus ille in Deo, de ipſo per eminentiam prædicatur, ſuprà quàm cogitemus aut intelligamus. Neque enim rea cognoſcit prout res ſunt, ſed iuxta præcellentem, & quàm humana ſit auguſtiorem intelligentiam: ſed neque à quamlibet dignis percipitur vt in ſe eſt, quia ſuperat ipſum eſſe, & quæcunque vſquam bona ſunt, & vt ſupraquam plenus horum, dicitur inebriatus. Rurſus quòd extra ſimul & vltra hæc omnia bona ſit conſtitutus, hinc dicitur exceſſiſſe: quòd qui ecſtaſi corripitur, extra omnia fiat, & nihil eorum quæ ſunt, quæve facta iam ſunt, omnino norit. Conueniebat quippe Deo, vt ſic extra omnia exiſteret, ſecundùm quandam omnibus eminentiorem, vt ſic dicam, habitudinem, per quam neque entia ſicut entia ſunt, nouit; ſed præcellentiùs & eminentiùs. Hiſce loquendi rationibus inducti, ſanctorum quoque in regno Dei cœnas ad allegoriam trahemus, vt quæ declarant communem quandam & concordem ſanctorum ſocietatem, quam & Eccleſiam primogenitorum diuinus Apoſtolus appellat. Porrò diſcubitum illum putamus ſignificare, re-

Quæ sint epula sanctorum.

quiem ea multis laboribus. Exhilarat autem illos Saluator noster ac Dominus, iuberque accumbere, quoniam is auctor est vniuersorum, quæ sanctis reposita sunt, bonorum.

S. c.

Dein sciscitabere, quid somnus quid euigilatio de Deo allegoricè dicta insinuent. Cumque diximus, diuinum somnum esse secretissimum Dei recessum, euigilationem quidem verò, esse ipsius ad prouidendum assensionem, rursum alia quæres. Itaque superuacaneum rati, eadem iisdem de rebus repetendo, videri velle alia dicere, præsenti epistolæ finem imponemus, cùm plura putem nos persoluisse quàm litteris tuis exegeris: interim vobis de omnibus scire cupientibus morem gerentes, totam ipsam Symbolicam Theologiam transcribimus, in quâ reperies omnia, & de sapientiâ, & de domo, & de solido cibo in panes hostiasque diuiso, & de cæteris omnibus. Est enim libellus hic talis, vt in eo queas inuenire Symbolicæ totius Theologiæ rationes, mireque consentit cum sacris traditionibus, quas à sancto Apostolo & præceptore nostro accepimus.

EPISTOLA X.

Ioanni Theologo, Apostolo & Euangelistæ, in Patmo insulâ exulanti.

SYNOPSIS.

Beato Ioanni Apostolo & Euangelistæ Christi discipulo dilecto, in Patmo insulâ exulanti, prophetice prædicit celerem ab exilio liberationem, & reditum in Asiam, vbi exemplo suo plurimis profuturus sit.

S. Ioannes discipulus dilectus.

SAluto te sanctam animam, ô dilecte, quòniam id mihi præ cæteris tecum licet familiarius. Salue ô verè dilecte, & perquam dilecte illi, qui verè amandus, & expetendus, & diligendus est. Quid mirum si Christus vera loquitur, & iniqui discipulos è ciuitatibus expellunt, sibi ipsi quæ merentur tribuentes, dum à viris sanctis scelesti se segregant atque recedunt. Reuerà quæ videntur manifestæ sunt imagines eorum quæ non videntur: neque enim in sæculis venturis auctor erit Deus iustarum à se separationum, sed illi ipsi qui se à Deo prorsus sequestrarunt; sicut econtrà iam alios etiam cum Deo hic coniunctos aspicimus, quòd amando veritatem, ab omni rerum materialium affectu procul recedant, & à malis omnibus liberati, diuino prorsus amore pacem omnium bonorum & sanctitatem consectentur, & in præsenti vitâ futuræ vitæ primitias prælibent, inter homines Angelico more conuersantes, cum omni tranquillitate animi, ac Dei benedictione ac bonitate cæterisque donis. Equidem haud ita demens sum, vt arbitrer vos quidquam pati: imò verò passiones corporis hac ex parte tantùm sentire credo, vt easdem sensu tenus percipiatis. Cæterùm eos qui vos iniuriis afficiunt, & perperam se solem Euangelij exterminare posse putant, iure merito reprehendens, opto vt abstineant ab iis quæ contra semetipsos delinquunt, & ad bonum conuertantur; & ad se vos alliciendo, luminis participes existant. Nos autem è diuerso nihil lucidissimo Ioannis radio priuabit; in præsentiarum quidem fruituros memoriâ & renouatione verissimæ Theologiæ tuæ; paulò verò pòst (ausim dicere, licet confidentiùs) vobis ipsis coniungendos. Vtique sum fide dignus, quando præcognita tibi à Deo, & disco & refero, te nimirum ex Patmi ergastulo liberatum iri, & in Asiam reuersurum, vbi præbebis exempla benignum Deum imitandi, eaque posteris relinques.

Mali deserunt probos.

SCHOLIA S. MAXIMI.

EPistola hæc sanctâ illâ antiquitate cum primis digna, vti & discipulo quem diligebat IESVS, cui gratiam annuntiat. Licet autem colligere ex hac Epistolâ, & ex illâ ad S. Polycarpum septima, magnum Dionisium, quando hæc scripsit, annorum circiter nonaginta fuisse. In illâ siquidem ad S. Policarpum ait, se cùm Heliopoli Ægypti degeret, perspexisse solarem istam eclipsim, salutaris Christi crucis tempore, quæ incidit in annum regni Tiberij decimum octauum, huius enim anno decimo quinto exorsus erat prædicationem suam Dominus IESVS, vt in Euangelio secundùm Lucam declaratur. Vbi autem tribus annis & paucis mensibus prædicauerat, Dominus ac Deus noster sponte passus est circa annum Tiberij decimum octauum. Regnauit autem Tiberius annis circiter tribus & viginti, vt sic à salutari passione ad obitum vsque Tiberij ferè sex anni intercesserint. Porrò S. Euangelista Ioannes ablegatus est in Patmum insulam, quæ Cycladum vna est, sub extremum anni regni Domitiani. Hic autem regnauit annis quindecim & mensibus quinque. Ab anno verò Tiberij decimo octauo, quo eclipsis illa contigit, ad mortem vsque Domitiani, colliguntur anni circiter quatuor & sexaginta, & menses septem. Supponamus item, D. Dionysium, quando ista sub crucifixionem Domini vidit, annorum fuisse viginti quinque, quemadmodum me adhuc legisse animo, sic vt omnes anni fuerint circiter nonaginta. Meminit etiam huius relegationis sanctissimi Ioannis sub Domitiano factæ Irenæus in tertio & quinto libro suo aduersus Hæreses, vbi & tempus indicauit; Clemens item Alexandrinus, in eo opere, cui inscriptio, Quis diues saluus?

Quando S. Ioannes in Patmum relegatus fuerit.

NEQVE ENIM IN SÆCVLIS.] Nota, Deum non esse causam separationis peccatorum: quà ad sinistram collocantur, sed sibiipsis peccatores huius rei causæ sunt, dum ipsi se penitus à Deo segregant.

Peccatores ipsi se segregant, nō Deus.

ET DEI NOMINE.] Dei nomen ait, siue quòd omnes actiones suas in Dei semper nomine peragant, aut quia à Deo siue Christo nomen sortiri, ex eo, quòd secundùm ipsum vitam suam instituunt, etiam ipsimet dij appellentur.

EVANGELII SOLEM.] Meritò diuum Ioannem Euangelij solem nuncupat. Iure igitur, inquit, illos reprehendo & increpo, qui se solem Euangelij exterminare posse putant. Attamen opto, vt respiciant, & ad te accurrant, vt illustrati saluentur, Quemadmodum enim insanit, qui se putat solem hunc concludere loco posse, sic & hi insaniunt, qui lucem Euangelij arbitrantur se posse secum intra Patmum insulam circumscribere.

S. Ioannes sol Euangelij.

NOS AVTEM E DIVERSO NEQVE.] Pro, neque longiùs te abesse. Nota autem, magnum Dionysium hîc etiam prophetasse, cùm clarè dicat, sibi, vti & beato Ioanni, reuelatum esse, ipsum intra breue tempus ab exilio Patmi reuocandum esse, quod & contigit. Nam vt diximus, paulò pòst sub vltimum annum regni Domitiani in Patmum insulam fuerat relegatus, Domitiano persecutionem excitante; at interim sub istius Regis exitum, maximus hic Euangelista Ioannes diuinam illam Apocalypsim vidit.

S. Dionysius prophetat.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

EPistola hæc sanctâ illâ antiquitate cumprimis digna, vti & discipulo quem diligebat IESVS, cui gratiam annuntiat. Licet autem colligere ex hac Epistolâ, & ex illâ ad sanctum Polycarpum septimâ, magnum Dionysium, quando hæc scripsit, annorum circiter nonaginta fuisse. In illâ siquidem ad sanctum Polycarpum ait, se, cùm in Heliopoli Ægypti degeret perspexisse solarem illam eclipsim salutaris illius crucis tempore, quæ incidit in annum regni Tiberij decimum octauum. Huius enim anno decimo quinto exorsus erat prædicationem Dominus noster IESVS CHRISTVS, vt in diuino Euangelio secundùm Lucam declaratur. Vbi autē tribus annis & paucis mensibus prædicauerat, sponte suâ passus est Dominus Christus ac Deus noster, circa annum Tiberij decimum octauum. Regnauit autem Tiberius annis circiter tribus & viginti, sic vt à salutari passione

Antiquitas sancti Dionysij hinc colligitur.

sione

De exilio S. Ioannis in Patmo.

sione ad exitum vsque Tiberij sex anni intercessetint Porrò sanctus Apostolus & Euangelista exilio ablegatus est in Patmum insulam, quæ Cycladum vna est, sub extremum annum regni Domitiani: regnauit autem is anni quindecim & mensibus quinque. Ab anno verò Tiberij decimo octauo quo eclipsis illa contigit, ad mortem vsque Domitiani, colliguntur anni circiter quatuor & sexaginta & menses septem. Supponamus item, diuum Dionysium, quando ista sub crucifixionem Domini vidit, annorum fuisse viginti quinque, quemadmodum me adhuc legisse autumo, sic vt omnes anni fuerint circiter nonaginta. Meminit etiam huius relegationis sanctissimi Ioannis ac Theologi, sub Domitiano factæ, Irenæus in tertio & quinto libro suo aduersus Hæreses: Clemens item Alexandrinus in eo Opere cui inscriptio est, Quis diues saluus, in quo de isto latronum principe verba facit. Atque ita qui à Tiberio anni resident, supplentur Caium, Claudium, Neronem, Vespasianum, Titum, Domitianum. Dicit igitur Pater hic sancto Ioanni Theologo, vbi ipsum Scripturæ verbis compellauit: Quid mirum, si Christus vera loquitur, & iniqui sanctos persequuntor, seipsis æquè ac sanctis digna gerentes? Seipsis quidem, quòd sanctorum congressu sint indigni: sanctis autem, quòd hac ratione efficiant, vt quæ sancta sunt, intemerata seruentur ab illorum communione. Isthæc enim visibilia imagines expressæ sunt inuisibilium. Et licet in Euangelio audiamus, Et separabit eos ab inuicem, non oportet putare, Deum auctorem esse istiusmodi separationis peccatorum à sinistris collocandorum, verùm horum ipsi sibi peccatores causa sunt, dum à Deo prorsus ipsi se segregant. Quemadmodum etiam alios cernimus, tanquam bonorum amatores coniungi Deo, iamque ex præsenti primitias quasdam secuturæ mox vitæ præcerpere, inter alios homines angelico more conuersantes cum omni diuini nominis obsecratione ac sanctitate, Dei autem denominationem dicit, siue quòd omnes actiones suas in Dei semper nomine peragant; aut quia à Deo siue Christo nomen sortiti, ipsius quoque vitam exprimant. Numquam autem dixerim vos quidquam pati, & si quid patiamini corporeum, eatenus vos pati censuerim, vt sensu tenus dolorem percipiatis, ne maneatis incoronati. Meritò autem illos reprehendo, qui se solem Euangelij exterminare posse putant? attamen opto vt ad sanam mentem reducantur, & ad te accurrant, vt illustrati saluentur. Quemadmodum enim insanit, qui se putat solem hunc concludere loco posse, sic & hi insaniunt, qui lucem Euangelij arbitrantur se posse tecum intra Patmum insulam circumscribere. Nos autem è diuerso nihil, licet nimirum longiùs absis, tuo lumine priuabit, sed te etiam absente, tuum Euangelium legemus, quod veræ Theologiæ Paulò verò pòst, quando reuocaberis, coràm mutuo alloquio fruemur, quod ex Dei reuelatione præsagio futurum, quoniam intra breuissimum tempus ab exilio reuocabere. Circa postremum enim Domitiani Regis annum in Patmum relegatus est, motâ à Domitiano persecutione: at interim sub istius Regis exitum, diuinam illam Apocalypsim cernit. Deinde Neruas imperio potitus est, qui mox omnes ab exilio reuocat, quando etiam Ioannes Theologus Ephesum reuersus est. Sciendum autem, istiusmodi in insulam relegationem apud Romanos, imaginem quandam retulisse supplicij capitalis, eaque dicebatur deportatio. Non poterat autem quiuis alius princeps nominatim insulam præscribere, præter solum Regem. Sanctissimus igitur Ioannes Apostolus & Euangelista Theologus fuit deportatus, siue in insulam relegatus,

Nota in sequentem Epistolam.

Hanc Epistolam dubiæ licet fidei, omissam tamen nolui, ne aliquid operum S. Dionysij hic desideraretur. Licet autem S. Maximus scholia in eam non ediderit, videtur nihilominus ad eius *notitiam deuenisse, cum in scholiis præcedentis Epistolæ hæc dicat, supponamus S. Dionysium, quando ista propter Domini Crucem prodigia conspexit*, fuisse viginti quinque annorum quemadmodum me adhuc legisse arbitror, quia verba in hac ad Apollophanem Epistola expresse reperiuntur, & alibi nusquam.

EPISTOLA XI.

Apollophani Philosopho.

SYNOPSIS.

1. *Narrat quæ sibi cum Demophilo nondum fidem amplexo intercesserint.*
2. *Reuocat ipsi in mentem memorabilem illam Ecclipsim in morte Christi Domini, cuius insimul testes fuerunt.*
3. *Postquam nunc fidem suscepit, ipsum hortatur vt in ea fideliter stet.*

IAmiam ad te, cordis mei amor, sermonem dirigo, & multas meas curas sollicitudinésque tuà causâ olim susceptas, tibi in memoriam redigo. Nempe tenere quam mihi & beneuolo animo, tuam illam in errore, tametsi leuibus ex causis, pertinaciam redarguerim, vtque istas vanas, quibus illudebaris, opiniones insimulauerim. Nunc autem summam diuinæ erga te benignitatis moderationem, quanto possum maximo affectu venerans, tibi salubriter resipiscenti, pars animæ voce congratulor. Quin & iis quæ olim aspernabare, nunc iuuat te affari; & quorum prius respuebas notitiam, ea modo rursus inculcare. Sæpe enim tibi & quidem accurate exposui, (quod & Moyses litteris prodidit) hominem à Deo primitus è limo factum, & mundi peccata diluuio expiata, & consecutis temporibus ipsum Moysem, amicitiâ cum Deo copulatum, multa in Ægypto & in Ægypti egressione, ipsius Dei causa & virtute patrasse prodigia: neque ipsum modo, sed alio, quoque deinceps diuinos vates similia non rarò edidisse, qui & Deum è Virgine naturam humanam suscepturum multò ante prænouerant. Quibus mihi non semel, sed sæpius respondisti non modo te nescire an hoc vera essent, sed etiam quis ille Muyses, & albus æternæ fuerit, penitus ignorare: Euangelium autem Iesu Christi, qui est Deus totius maiestatis (quod meum vocabas) respuere, Paulum vero mundi circumambulonem & verbi satorem à terrenis ad cœlestia deuocantem nolle recipere. Denique tu me quoque quasi patriæ religionis iura degener abdicassem, inque nefaria sacrilegia præceps issem, reprehendens, hortabare, vt ea, quibus iunitebar dediscerem: aut saltem aliena missa faciens, satis haberem mea retinere, non diuinis nominibus & patriis institutis derogare. Posteaquam vero superna lux paternæ gloriæ, super mentis tuæ tenebras splendoris sui radios suà voluntate demisit, simul intimo cordi meo infudit, vt plenum pietatis negotium tibi memorarem: nempe quomodo vobis heliopoli degentibus (eram tum annos circiter viginti quinque natus, & tu mihi ferme coæuus) die quadam sextâ, & horâ item fere sextâ, Sol horribiliter, subeunte Lunâ, obscuratus fuerit, (non quod Deus, sed quod Dei opus in veræ ipsius lucis occubim lucere non quiuerit) tumque ex te percunctatus sim, quid tibi, vir prudentissime, super hoc videretur, tu autem eiusmodi responsum dederis, quod mentis penitus infixum, nulla prorsus obliuione, nullà vel mortis imagine dilabi possit. Cum enim totus orbis terrâ tenebrarum caligine vniformiter obductus fuisset, ac iam repurgari solis globus & renitescere occepisset, tum assumptâ Philippi Aridei regulâ, & contemplatis cœli orbibus deprehendimus, quod erat quoque aliàs notissimum, non potuisse id temporis defectionem solis euenire deinde obseruauimus, lunam ab oriente solem obiuisse, eiusque radiis obstruxisse, donec totum occularet, quæ tamen aliàs ab occidente solita esset occurrere; quin illam quoque notauimus, cum ad extrema solis peruenisset, eiusque vniuersum orbem obtexisset, tum vero orientem versus recursisse, quamuis id esset tempus, quod vel lunæ præsentiam, vel solis concursum postularet. Ego igitur, ô multiplicis eruditionis

Genes. 1.

Dionysius 25. annos natus tempore passionis Dominicæ.

Eclipsis in Christi occubitu exploratio.

A

Apollophanis de Eclipsi iudiciũ.

ſacrarium, tanti myſterij neſcius cum eſſem, ſic te alloquebar; Quid ſibi vult hoc rei, ô doctrinæ ſpeculum apolio-phanes? Inſolita hæc portenta ex quotumnam tibi myſteriorum videntur *Indicia? tu autem ore diuino magis, quam humana vocis ſermone*; Hæ ſunt ô bone Dionyſi inquiebas, diuinarum rerum mutationes. Denique, cum diem annumque annotaſſem, & tempus illud cum eo, quod Paulus mihi quondam ab ore ſuo pendenti annuntiauerat, ſignis conclamantibus concordare ſenſiſſe tum & veritati manus dedi, & me falſitatis nexibus expedij. Quam proinde veritatem, & mirificè prædico, & tibi ingero quæ eſt vita & via & lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, cui & tu tandem, vt verè ſapiens, ceſſiſti. Nam ceſſiſti vitæ cum mortem abdicaſti. Et optime ſanè deinceps feceris, ſi eidem veritati prorſus adhæſeris; ita quidem nobis à tetiùs coniungêre. Illud enim, illud os nobiſcum poſt hac erit, cuius ſplendore verborum, mentis meæ perſtringens aciem, ſolitus eras, accerſitis hinc inde coloribus, & fucato eloquentiæ nitore intimos pectoris noſtri receſſus pertentare, immo & nonnullis interdum maledicentiæ aculeis nos acriùs fodicare. Quare quemadmodum ante hac, vt tutè fatebare, doctrinæ Chriſtianæ, ſacrarumque litterarum quamuis lapida cognitio, tibi non ſapiebat, ſed cum ad eam vei deguſtandam tantùm accederes, à mentis tuæ palato reſiliens, ac velut dedignans in pectore tuo ſedem ponere, reſiſtebat: ita modò poſtquam cor intelligens ac prouidum es nactus, tete ad ſuperna erige, neque pro iis quæ non ſunt, ea quæ verè ſunt dimitte: adeoque contra eos, qui te ad falſa prouocauerint, tantò in poſterum eſto pertinacior, quantò tu nobis, cum ad veritatem votis omnibus inuitaremus, extitiſti pertinacior. Sic enim ego in Domino Ieſu, (qui eſt eſſe meum & viuere) lætus dehinc moriar, quandoquidem & tu in eo viuas.

Ioan. 1.

B

Humilis ſacrarũ litterarũ ſtylus non ſapit gentilibus.

Finis operum S. Dionyſij Areopagitæ.

C

SANCTI CLEMENTIS Romani, Diuorum Petri & Pauli Principum Apoſtolorum Diſcipuli, & in Rom. Sede ſucceſſoris Pontificis, ſapientiſſimi Philoſophi, Martiriſque fortiſſimi Opera.

CVM NOVA PRÆFATIONE de veris falſiſque B. Clementis ſcriptis, poſtremaque eorumdem fideli emendatione, ac diligenti argumentorum difficiliumque locorum explanatione, Per Dominum Lambertum Gruterum Venradium.

D

PRÆFATIO DE VERITATE, *vtilitate, Præſtabilitatéque ac reſtitutione quorumdam Scriptorum Clementinorum, ad Catholicum Lectorem, Præfatio D. Lamberti Gruteri Venradij.*

PRIVSQVAM de labore noſtro ſtudióque nobis in hoc auctore poſito aliquid dicamus, viſum eſt operæ pretium, Candide & catholice lector, pleraque de libris ipſius paulò copioſiùs præfari, vt conſtet, quinam eorum veri ſint aut falſi, γνήσιοι, νόθοι ἢ παρεμβεβλημένα, quique nunc ex ipſis extent, aut deſiderentur nobis; quod vt commodiùs fiat, abs re profectò non erit, vitæ priùs hiſtoriam auctoris noſtri, ex qua, quiſnam & qualis fuerit, certò cognoſcatur, quando ea hîc in Clementinis ſparſim referatur, apud alios autem variè incertéque deſcribatur, quantum nobis quidem ex veriſſimis & antiquiſſimis ſcriptoribus eam obſeruare licuit, breuiter hoc loco tanquam in tabella ſubiicere. Clemens igitur noſter, Romæ natus fuit, patre quidem, Fauſto, quem Fauſtinianum plerique nominant, matre verò, Matthidia, ex clariſſima Cæſarum familia; puer à parentibus Athenas, vbi tunc maximè florebant ſtudia, ad diſcendam philoſophiam miſſus eſt, in qua ſe cum primis Platonicæ atque Ariſtotelicæ diſciplinæ dedit, quam ſic breui percepit, vt paſſim etiam princeps ſcientiæ exiſtimaretur. Quo tempore matrem cum binis liberis, fratribus ſuis, (Nicetas ſiue Vincentius & Aquila dicti erant, in Græciam vitandæ Zelotypiæ cauſa qua à leuiro premebatur, traiicientem, itemque patrem poſteà ſuos inſequentem, mirabiliter amiſit naufragio: quos tamen omnes diuinâ Petri Apoſtoli dexteritate factus iam Chriſtianus poſtliminio recuperauit, haud minùs certè mirabiliter intereà cùm philoſophari pergeret Clemens opinionúmque varietate, quæ permultæ ſunt in ethnica philoſophia, magis in dies magiſque fluctuaret, ignarus ecquam ex omnibus amplecteretur veriorem de beatitate, animorumque immortalitate ſententiam, proptereaque aditis omnium regionum ſcholis varios ſapientes conſuleret, tandem accepto nuntio de noua Chriſti Ieſu doctrina, ſtudio huius etiam cognoſcendæ commodè in familiaritatem Barnabæ doctoris Euangelij incidit, etiam dum valde iuuenis, vti de ſe, teſtatur: ab eo verò ad Petrum Apoſtolum, qui tunc Cæſareæ Stratonis agebat, ductus, didicit ex ipſo Chriſtianæ religionis myſteria; idque factum non multos poſt annos aſcenſionis Chriſti in cœlum. Porrò aſſumptus à Petro in comitem itinerіs ſic breui profecit, coniuncta cum fide ſapientia illa, quam prius in mundo didiciſſet, vt Petro volente prædicationis munere nonnunquam fungeretur: dignus denique ſit habitus, cui poſt ſe verbi docendi munus apud Romam committeret. Quo tempore bonam partem diſputationum concionúmque Petri contra Simonem Magum primum in Eccleſia hæreticum habitarum, à ſeque adiutarum, perſcripſit; qui libri Recognitionum nunc vocantur; ex quibus ſane, tametſi non ita puri extent, facilè tamen, quantus in philoſophia fuerit, perſpici liceat. Quo tempore etiam ſcripſiſſe videtur canones ab Apoſtolis in Hieroſolymitano Concilio factos; de quo poſteà. Magnum deinde Paulum audiuit, eundem aliquandiu comitatus in docendo Euangelio: cui ſe ita probauit, vt ab ipſo inter præcipuos ſuos collegas ſit numeratus, eius præclarâ mentione factâ epiſtola ad Philip. c. 4. teſtantúrque probati ſcriptores, Paulum hoc interprete dictaſſe epiſtolam Hebræis inſcriptam: proptereaque olim de illa dubitatũ eſſe, quòd ſtilus Paulino diſſimilior foret. Et vt dicam, quod ſentio, hoc interprete exiſtimo dictaſſe Petrum ſecundã ſuam Epiſtolam, paulò ante obitum ſuum ad eccleſiam catholicam datam: quando ea phraſis Paulinæ non adeò ſit abſimilis, & Hieronymus quæſt. 11. ad Hedibiam teſtetur, Petri epiſtolas binas propterea ſtylo & charactere, ſtructuraque verborum diſcrepare, quòd pro neceſſitate rerum Petrus diuerſis vſus ſit interpretibus. Eum interpretem, Clementem fuiſſe, veriſimile eſt, & ex phraſi coniecturo. At enim hac doctrinâ Clemens, vitæque ſanctitate celeberrimus fuit: quem etiam in pura ſanctaque virginitate, omnem vitam tranſegiſſe, refert B. Ignatius martyr, Epiſtola ad Philadelphios. Porrò poſt deceſſum Petri Apoſtoli, qui XIII. Neronis anno, ſuæque prædicationis circiter XXXV. cruci pro fide affixus eſt, ſedem eccleſiamque Romanam abs Petro iam morituro ſibi commiſſam, cum Lino & Anacleto, (qui & Cletus,) viris ſanctiſſimis gubernandam ſuſcepit, vbi non per ſe ſolùm magnâ induſtriâ

E

Ni. Gal. l. 5. c. 35. Eucherius Lugdunenſ. Epiſt. ad Valerianũ, Clem. 8. Recog.

F

Recog. 1.

Recog. 8.

G

Recog. 3. Hieron. in Catalogo. & in 4. cap. ad Philip. Item, Epiſtola ad Dardanum, t. 3. Nic. Gall. l. 2. c. 46.

H

studióque

A

studioque, verbo simul & exemplo fidem in D. N. IESVM CHRISTVM docuit & asseruit, pauperum, viduarum, & orphanorum summam curam habuit, Iudæos & Græcos fortiter & modestè confutauit, sed aliis quoque populis per alios eandem in Gallia passim Germaniaque fidem prædicari curauit. Dionysium siquidem Areopagitam, I X. virum Atheniensem, quem Paulus conuertit, de quo in actis, Romam Athenis, vbi constitutus erat Episcopus, venientem, vt Petrum ante obitum videre posset, cùm is iam martyrio perfunctus esset, in Galliam, ad Parisios, Germaniamque, prædicatum misit. Crescentem quoque Pauli discipulum, Moguntiam in Germaniam misit, cuius meminit Paulus, 2. Timoth. 4. Crescens, inquit, in Galatiam profectus est, quo loco monet Epiphanius, pro Galatia, Galliam legendum esse, & quidem sic habet traditio, primum Moguntinum Episcopum fuisse hunc Crescentem: quem ipse Clemens in Constit. Ap. libro sept. ca. 46. ab ipso

Hildeninus, in Areopagiticis. Metrodorus, M. Syngelus. Epiphan. hæresi 51. contra Alogos.

B

etiam Petro testatur Galliæ ordinatum esse episcopum, sic Eusebius Pamphilius libro 3. H. Eccles. cap. 3. itemque D. Hieronymus in Catalogo referunt in Galliis eundem Crescentem docuisse, sepultumque esse, atqui Moguntiam in Galliis nemo ignorat olim numeratam. Alios item sanctos doctosque viros aliò misit prædicatum, atque ita totum terrarum orbem nostrum instruxit, & velut Sol quidam præstanti luce scientiaque euangelij illustrauit: absentes quidem, scriptis libris, epistolis, Petri concionibus, missisque doctoribus, Romanos autem, coràm, annos I X. ac quo tempore pontifex fuit, laudatissimam epistolam ad Corinthiacam ecclesiam tunc tumultuantem dedit, qua eos ad mutuam reuocat pacem, ita certè præstantem vt etiam sit olim publicè lita legi. Tandem Chersonem Ponti vrbem est pulsus in exilium propter fidem, vbi quòd eam non desineret propagare, submersus est in mari, Traiani cæsaris iussu, annóque tertio, vt notant veteres, tametsi sint, vt Georgius Cedrenus, qui sub Domitiano aiunt necatum. quod est absurdum: alij rursus, qui contendant sic sub-

Euseb. l. 3. c. 34. Hieron. in Cat. Zonaras.

C

mersum, septimo Vespasiani C. anno, * sad hanc dissensionem alias tractabimus. A morte quidem magnis claruit miraculis, quæ præclari nobis scriptores, Ephraimus martyr & Episcopus Chersonis, Symeon Metaphrastes, Nicephorus Callistus, denique & Gregorius Turonicus descripserunt. Corpus autem sancti viri à Cyrillo sancto Sclauorum apostolo repertum esse Chersonæ, vbi in mare proiectum erat, circa annum salutis DCCCLVIII. Romàmque deportatum, scribit Martinus Polonus in supputationibus suis: idque fecisse Constantinum philosophum, magnum virum & apostolicæ vitæ præceptorem testatur Anastasius Bibliotecarius, epistola ad Carolum Regem de scriptis B. Dionysij data. Sed de historia certâ vitæ Clementis, vnde is cognosci queat, pro instituto nostro satis. Porrò seruamus nos animi sui reliquias, libros, inquam, ab eo conscriptos: orbi superest etiam defunctus, his pluribus, & efficaciùs quidem loquitur mortuus, quàm viuus: bis nobis

** Onufr. Pan.*

De libris Clementinis.

D

quoque viuit, spirat, prædicat: de quibus porrò dicendum erit paulò accuratiùs, quòd de iis non minima sit dubitatio. Sunt enim, qui X. Recognitionum libros, vnà cum LXXXIV. seu, vt alij distingunt, LXXXV. Canonibus apostolicis, & V. suis epistolis, quæ nunc dudum exstant omnia, præterea libros octo constit. Apr. quos nuper in concilio Tridentino Ioannes Bouius Episcopus ostunensis à se conuersos foras dedit, non eos omnes germanos, sed fictitios potius, suppositiriosque esse contendant: quos plerosque tamen omnes nunc Catholici pro veris Clementinis habere & agnoscere solemus. Sed vt hæc nostra opinio sit probatior, atque aliis magis perspicua, primum de iis scriptis, qui hoc nomine in manibus sunt, ordine agemus, indicantes argumenta testimoniaque veterum haud leuia, quibus ad credendum illud adducamur. De constitutionibus quidem nihil opus est dicere, simul, quod in eas diligenter fuséque satis R. D. Ioannes Bouius præfatus sit: simul etiam, quod si forte aut alibi dissenserimus, aut in eis

E

quid desideretur, ex his nostris ea desumi deprehendique possint, de cæteris autem, de quibus hactenus nemo, nos agemus. Deinde obiectiones quasdam recitabimus, quibus permulti mori eàs reiiciunt, iisque respondebimus. Hinc pauca de vtilitate & dignitate, nostróque, quod propositum fuit, in his posito studio tractabimus: denique, quæ clementina nobis desiderentur, paucis notabimus, atque his præfationi nostræ finem faciemus. Quantum igitur ad recognitionum clementinarum libros attinet, eos vere Clementi nostro ascribo, tametsi corruptos esse agnoscam, vt dicetur. Sed mihi de his dicturo, pauca de Hieronymo sunt commemoranda prius, is etenim vir, quoniam in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum, horum librorum nullam mentionem facit, plerisque vel quod paulo iniquius de eisdem iudicarit, vel tanquam veros non agnouerit, videri persæpe solet sed audiamus eius verba. Clemens, inquit, de quo Apostolus Paulus ad Philippenses scribens, ait, *Cum Clemente, & cæteris cooperatoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ:* &c. quartus post Petrum Rom.

F

Episcòpus, siquidem secundus Linus fuit, & tertius, Anacletus, tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem, scripsit ex persona Rom. ecclesiæ ad ecclesiam Corinthiam valde vtilem epistolam, quæ & in nonnullis ecclesiis publice legitur: quæ mihi videtur characteri epistolæ, quæ sub Pauli nomine ad Hebræos fertur, conuenire: sed & multis de eadem epistola non solum sensibus, sed & iuxta verborum quoque ordinem abutitur: omnino grandis in vtraque similitudo est. Fertur & secunda eius nomine epistola, quæ à veteribus reprobatur. Et disputatio Petri & Appionis longo sermone conscripta, quam Eusebius in tertio historiæ ecclesiasticæ coarguit. Hactenus Hieronymus. Quos hoc loco doctissimus vir recenset Clementis libros, ij sane nulli exstant, exstant autem eius nomine, quos ille non commemorauit, quosque nos hoc volumine complexi sumus, sed hac reticentiâ equidem adduci nequeo, vt germanos eos esse negare audeam.

Quo tempore scripta fuit hæc præfatio numerus nondum

G

erat reperta Clementis ad Corinthios.

Qui fit igitur vt vir ille antiquitatis omnium studiosissimus, peritissimusque eos omiserit? vel suspectos eum habuisse verisimile est: ne id quidem mihi persuadeo, fortassis in vulgus ita noti erant, vt Hieronymus non putaret opus esse eorum enarratione, nam hac vna de causa multorum se libros preteriisse testatur ipse, vt in Marronisno Eusebio, Cæsariensi & B. Ambrosio, Mediolanensi episcopo: multos etiam præterit omnino ne ipsorum quidem auctorum factâ mentione, haud licet vulgarium: vti, Dionysium Areopagitam, Athenagoram, & alios multos, de quibus apud Suidam, Niceph. Callistum aliosque legere est: qui tamen ipsi nec omnes recitarunt. Verum enim ab Hieronymo non libros Clementis enumeratos esse omnes, vel solus Epiphanius, B. Cypri, Episcopus, qui quidem æqualis & summus amicus ipsius fuit abunde testari potest: qui & hos pluresque illi tribuit alios: itemque alij, quorum mox testimonia adferemus perabsurdum fuerit propterea Clementi hos detrahere quia non recordetur illorum Hieronymus: quin potius eum agnouisse colligamus ex sua confutatione apologiæ Rufinianæ, de adulteratis libris Originis ad Macarium: in qua cum queritaretur Rufi-

H

nus, Origenica exemplaria à peruersis hominibus corrupta esse, exemplique causâ sic recognitonum hos libros corruptos assereret: Hieronymus minuta quidem omnia excutit multa etiam refellit: sed hoc ipsum, quod adfert Rufinus de Clementinis recognitionibus, silentio præterit prorsus, secunda sua in Rufinum apologia: sed est manifestiùs, quàm vt egeat probatione, omnes omnium libros ab Hieronymo enumeratos non esse: vt meritò nihil his scriptis malæ suspicionis Hieronymus suo silentio adferre debeat. Sed nunc videamus ea testimonia, è quibus eorum veritas cuiuis palàm constare possit.

B. Epiphanius, Constantiæ Cypri Episcopus, in Panario, contra XXX. hæresim Ebionitarum, enarrans libros, quibus illi vtantur. Sic scribit Vtuntur (Ebionitæ)

præter corruptum S. Matthæi Euangelium, aliis etiam libris, nimirum Circuitionibus Petri appellatis, quæ per Clementem scriptæ sunt; multa in iis corrumpentes, pauca autem vera relinquentes, velut ipsemet Clemens ipsos per omnia redarguit in epistolis, quas scripsit, encyclicis, quæ in sanctis ecclesiis leguntur: quòd alium habeat characterem fides ipsius atque sermo, ab his, quæ ab illis sub ipsius nomine in Circuitionibus deprauata sunt. Ipse etenim virginitatem docet: at illi non admittunt. Ipse etiam commendat Eliam, & Dauidem, & Sampsonem, omnésque prophetas, quos illi abominantur. Itaque in Circuitionibus totum in se transtulerunt, mentientes contra Petrum multis modis: quemadmodum se ipse in aqua quotidie tinxerit, purificationis causa, sicut & ipsi: ab animatis item & carnibus ipsum abstinuisse, ab omníque edulio alio ex carnibus facto dicunt, quemadmodum & ipsi faciunt; nam & Ebion ipse & Ebionitæ penitus ab his abstinent. Hactenus Epiphanius. Manifestum est, hic ab ipso recognitionum hosce citari libros, quos appellet τὰς περιόδους, circuitiones, vt & Athanasius facit, de quo suo loco posteà, nimirum, quòd in iis profectiones Petri susceptæ euangelij docendi causa describantur; porrò germanos eos Clementis esse, palam suis testatur verbis, τοῖς διὰ Κλήμεντος γεγραμμένοις; nisi, quod Epiphanius hic moneat, ab Ebionitis eosdem deprauatos esse; cæterum perfacile huic vitio potest occurri, cùm ex Epiphanio constet, quibus nam in locis corrupti sint; adeóque peruersæ opiniones istæ ab interprete Rufino, magna quidem ex parte, in conuertendo sint expunctæ, sicut ipse in præfatione sua non obscurè significat: denique nos etiam, si quid suspectum sit ampliùs, diligenter notauerimus de quo pòst. Rursus alias hosce libros valde cum primis honorificè citat idem B. Epiphanius, eodem libro, contra xxx. hæresin Valentini & gnosticorum Verba eius sunt. Nos verò contenti paucis hisce à nobis dictis, & his, quæ ab illis veritatis scriptoribus commemorata compositáque sunt, ac videntes, quod alij laborauerunt (Clemens inquam, & Irenæus, & Hippolytus, aliíque plures, qui mirabiliter etiam ipsorum euersionem fecerunt, siue, ipsis euertendis studuerunt,) non valde quid amplius labori adiungere voluimus, vt diximus, contenti prædictis viris. Hucusque Minùs clarum hoc pro libris hisce testimonium quis fortè dixerit, quando id tam de Alexandrino, quàm nostro Clemente queat intelligi, præsertim cùm nullus titulus libri nominetur. Ego verò, tametsi nihil temerè asseuerare velim, reor non incommodè de nostro auctore, suísque his Recognitionibus hæc Epiphanio citata accipi posse, quòd Petri eiusmodi disputationes habitæ contra Simonem Magum, à quo quidem hæresim suam Valentinus ille hausit, hisce libris contineantur, vt nusquam ea luculentiùs confutetur: quocirca & Epiphanio vbique eæ familiares sunt. Sed quisque, vt velit, accipiat, superius testimonium Epiphanij manifestissimum est.

Doctus ille commentator, qui Chrysostomi nomine titulóque in Matthæum vsurpatur, maximi has Recognitiones fecisse videtur, cum in vna homilia 49. in 24. c. Matthæi ter etiam citet librum secundum. Primum. Hoc & Petrus apud Clementem exponit, loquens de euersione templi Hierosolymitani; exstat autem is locus penè in extremo primo libro. Iterum. Sic petrus apud Clementem exponit loquens de Magicis signis, quæ edidit magus Simon, & edet Antichristus. Locus est libro secundo in principio. Rursum. Sicut in historia Clementis Petrus exponit in fine docens temporis, concedendam diabolo potestatem signa edendi talia, qualia ministri Christi edere solent. Quem scholiastes hoc loco citat, exstat in tertia recognitione, & est profectò locus ἀπομνημονευμάτων. Erasmus negat hunc auctorem, Chrysostomum esse, atque ego libenter in eius hanc sententiam abeo: quibus de causis, aliâs: doctissimum tamen illum scriptorem fuisse fatetur, omnesque vel inuiti fateri cogentur, nec minus commendabunt, quam Erasmus. vbi legerint. Vide igitur, quanti doctus ille auctor, quicunque fuit, has Clementis Recognitiones fecerit? quas vno in loco tertium voluit citare, & quidem in difficillima materia.

Georgius Cedrenus, Græcus Ecclesiæ historiographus, quem latinè conuertit Guil. Xylander, sed plerisque locis paulò liberiùs, quàm par fuit, sua paraphrasi nonnunquam liberiùs adiectâ, aut insertâ, recitat disputationem Petri ex Clemente nostro, hisce incipiens verbis. Alia etiam miracula ediderunt multa, non solùm Romæ, sed & priùs in Syria: quæ Clemens ille Romanus sapientissimus discipulus Petri, Comésque enarrauit, ex quibus pauca hoc loco componemus Dein autem subiicit integram disputationem Petri cum Simone Mago, de deo vno habitam: quæ tota & quidem pleniùs exstat Recognitione secunda. Idemque citat ibidem transformationem Fausti in Simonem Magum, quæ est in X. Recognitione.

Nicephorus Callistus, libro 2. historiæ. Eccl. c. 35. primorum Episcoporum Ro. ecclesiæ narratâ successione, vbi ad Clementem peruenisset summariam mox vitæ ipsius subiicit historiam, quæ quasi argumentum est horum librorum, adeò vt quis non ineptè suspicari posset, ex recognitionibus eam petitam esse: quæ tametsi huc non pertineat multum, subiiciam tamen, ne hæc omnia fabulosiora putet quispiam. Petrus, inquit, vna cum Simone Mago tanquam prodigiorum effector à Nerone Româ pulsus, Hierosolima rursus & orientales ciuitates petiit, & orbem miraculis illustrans in Faustum & Faustinianum siue Nicetam & Aquilam incidit: qui filij quidem clarissimi viri Fausti Romani Cæsarem genere attingentis, fratres autem Clementis erant. hos cum ab Simonis præstigiis prodigiosis abduxisset, ciuitates visebat Simonis semina vbique radicitus euellens. Deinde etiam sacrum Clementem ad se pertraxit, cumque sibi ad arcanas & obscuras illius de anima & restitutione hominis, aliisque rebus ingentibus, quæstiones per appositas solutiones rite præsentique animo respondens, atque insuper miraculis multis, ac secretioris sapientiæ vi familiarius coniunxit. Hæc Nicephorus, atqui vero quæstiones huiusmodi inter Petrum Clementemque tractatas, hic contineri nemo ignorare potest, qui Recognitiones euoluerit, sed quando testimonium id non ita sit perspicuum, quod saltem adductum volui pro veritate materiæ in his libris tractatæ: manifestius audite, quod exstat libro 5. cap. 18. eiusdem historiæ vbi vitam ipsius scriptáque breuiter recenset, de scriptis quidem sic. Epistolam huius S. Clementis nomine editam, magnam admirandamque. Eusebius pamphili attingit, quam Romanæ Ecclesiæ nomine scripsit Corinthiis, cum apud eos seditio esset; eam & antiquitus & suo tempore publice in Ecclesia lectam dicit, in qua multis sententiis epistolæ Pauli ad Hebræos vtitur. Fuit, & alia sub huius nomine Epistola priori illi longè impar, quam veteres ignorauisse, idem Eusebius scribit qui porro & exigua eius scripta, quæ Petri & appionis ait esse dialogum, reprobat: quæ sinceram certamque Apostolicæ orthodoxiæ formam retinere negat. Ego vero illi (Eusebio, scilicet) si de iis, quæ apud nos Clementina dicuntur sentit, non assentior: Ea enim Ecclesiæ recepta sunt. Si vero præterea aliqua sint alia nihil refragor; hunc autem & Apostolicarum Constitutionum, & sacrorum quoque Canonum auctorem esse credimus. Cæterum de Epistola ad Hebræos anceps est opinio, hiccine-ne Clemens, an Lucas Euangelista eam transtulerit, à Paulo, cuius natiua & propria est, dictatam. Hucusque Nic. Quænam, quæso, Clementina poterunt intelligi hoc loco, nisi Recognitionum libri? cum præsertim satis doceat, ex hisce historiam se Clementis recitare, deque cæteris ipsius scriptis suum calculum adiiciat quænam eorum vera vel falsa iudicet, ac indicet, non illa se Eusebiana ἀπαρεμφατα vidisse? è quibus manifestè tum Canones, tum Constitutionum libros excipit, Clementique tribuit; de epistolæ autem Paulinæ ad Hebræos interprete, ecquis fuerit, in medium relinquit: Cæterum hoc Nicephori testimonium magis obseruandum venit: quod in Eusebia-

A

Nota quod falsus sit hic author.

no iudicio, quod habet lib.5. c.38. permulta corrigat, pleraque etiam explanet. Habet idem argumentum Abdias Babilonius, in historia sua de Petro: vt inde vel Recognitionum argumentum affirmari queat: qui si falsus auctor est, vt mihi quidem videtur: certè, quicunque est, aliunde desumpsit, quod refert. Ipse denique Clemens noster haud obscurè meminit argumenti horum librorum lib.6 Const. Ap.c.8.& 10. Sed de Græcorum testimoniis satis; veniamus ad Latina. Quid autem Rufiniano illustrius esse possit, quum & interpres fuit horum librorum Rufinus ille Toranus, æqualis & æmulus Hieronymi, familiaris B. Epiphanij, qui nusquam non apertissime eos tribuit Clementi? Inter cætera memorabile testimonium eius est in apologia sua ad Macarium, cuius supra facta est mentio de adulteratis libris origenis. Clemens inquit, Apostolorum discipulis, qui Rom. Ecclesiæ post Apostolos & Episcopus & martyr præfuit, libros edidit, qui appellantur, ἀναγνωρισμὸς, id est, recognitio: in quibus cum ex persona Petri Apostoli, doctrina

B

quasi vere Apostolica in quam plurimis exponatur, in aliquibus ita Eunomij dogma scribitur, vt nihil aliud, quàm Eunomius disputare credatur, filium Dei creatum ex nullis exstantibus asseuerans; tum etiam illud adulterij inseritur genus, vt naturam diaboli, cæterorúmque dæmonum non propositi voluntariíque malitia, sed excepta ac separata creaturæ produxerit qualitas, qui vtique in cæteris omnem rationabilem creaturam docuerat liberi arbitrij facultate donatam; sunt etiam alia nonnulla, quæ Ecclesiastica regula non recepit omninò. Quid quæso de his sentiendum est, quod Apostolicus vir, imo pene Apostolus, non ea scribit, quæ Apostoli dicunt? cui Paulus Apostolus testimonium dedit, dicens: Cum Clemente & adiutoribus meis cæteris, quorum nomina sunt in libro vitæ, & scribebat hoc, quod libris vitæ contrarium est? An id potius credendum est, peruersos homines assertionem dogmatum suorum sub virorum sanctorum nomine, tanquam facilius credenda inseruisse ea, quæ nec ipsi sensisse, nec scripsisse credendi sunt? Hæc

C

Rufinus, cuius totum locum ascripsimus, ne sit post repetitione opus, in eo siquidem manifestè Clementi tribuit Recognitiones atque cum quidem contra Hieronymum exempli causa adducit, vt supra dictum est: qui si falsus fuisset, nequaquam ille siluisset, cum singula eius verba tam exactè excutiat, ventilet, ponderet, multa quoque tesutet. Fuit enim Rufinus æmulus Hieronymi, vt dixi sed qui adhuc huius veri plenius testimonium requirit, legat eius in Recognitiones versas abs se ad Gaudentium præfationem; de quo etiam Gennadius testatur in Catalogo suo: Rufinus Clementis Romani libros Recognitionum vertit.

Doctus Beda, qui vixit annos D. CCCXL. enarrans in actis Lucæ, historiam captorum à Pharisæis Apostolorum, & per intercessionem Gamalielis dimissorum in illa Lucæ verba, quæ cap.5. leguntur, Surgens autem quidam in Concilio Phariseus, nomine Gamaliel; ex prima Recognitione citat eam historiam plenius. Hic Gama-

D

liel inquit, vt Clemens indicat, Apostolorum erat in fide socius, sed eorum consilio permanens apud Iudæos, vt eorum in tali turbine posset sedare furorem. Extat is locus à Beda citatus, in postrema prima Recognitione, vbi Petrus historiam hanc iis verbis narrans, inducitur. His à me dictis, ingemuit omnis multitudo sacerdotum, quod eis de templi subuersione prædixerim quod cum vidisset Gamaliel princeps populi, qui latenter frater noster erat in fide. &c. Legatur locus nam & tunc, temporis ab homine magni iudicij, ingenióque fide dignos habitos esse conspicier. Idem venerabilis auctor libro de Ratione temporum, cap. tertio, sic scribit. Denique sanctus Clemens Apostolorum discipulus, & Rom. Ecclesiæ tertius post Petrum Episcopus, in sexto historiarum suarum libro, ita scribit. In principio fecit Deus cœlum & terram; terra autem erat inuisibilis & incomposita. Hactenus Beda. Ecce in difficillima quæstione citauit Beda hunc Clementis locum, qui quidem sexta Recognitione paulo post principium, in concione Petri exstat, vt

E

margini annotauimus. Porro duo velim te hic obseruare. Primùm Bedam in grauissima materia Clementinis hisce libenter vti. Deinde & titulus considerandus est, vocat historias, & quidem rectissime, debet enim titulo subiudicari argumentum librorum, ita his perscribit Clemens integram historiam, tum de occasione, qua ad agnitionem fidemque Christi peruenerit, tum, quid sibi & Petro in profectionibus Euangelij causa susceptis acciderit. Et sequitur hic Bedam Bridefertus Ramesiensis vetus librorum de ratione temporum commentator. Sed quid multa? Vel vnus Beda ad testificandum de veritate, adeoque auctoritate Recognitionum harum satis valuerit, quippe, cui eæ per quam sunt familiares.

Freculfus Lexouiensis Episcopus, vir præstanti eruditione, qui vixit anno D. CCCXL. sub Ludouico Pio, Cæsare vodecima nostrate, tomo secundo chronicorum suorum libro secundo, capite decimo, citat verbotenus

F

totum pene principium ex prima Recognitione. Vsque adeo & tunc temporis ab hominibus eruditis & claris certi libri fideque digni sunt habiti. Et hos quidem sequuta posteritas maiorum nostrorum hactenus eosdem pro Clementinis habuit semper. Atque iam nunc tempus foret indicare, quam diuersa ab his recentiorum fuerint quorundam iudicia, sed quando rationes eorum non in has solum, sed & cæteros Clementis libros dirigantur, suo loco de iis nuoc ad canones veniamus.

De Canonibus.

Nam & hos vere equidem ab Apostolis constitutos, à beatóque Clemente conscriptos esse, multis & certis adducor argumentis, vt credam. Primùm, quod ita nobis ab vniuersa Ecclesia Græca simul & Latina traditum sit; quæ traditio cum olim vocaretur in dubium, sub Iustiniano, qui ῥινότμητος est viurpatus, ab vniuersa Constantinopolitana synodo sexta in Trullo habitâ, rursum confirmata fuit, asseueratumque ibidem, Canone secundo, hos ipsos canones & verè apostolicos, & à B. Cle-

G

mente conscriptos esse. Verba Concilij sunt. Hoc quoque huic sanctæ synodo pulcherrime & honestissime placuit, vt ab hoc nunc tempore deinceps ad animarum medelam, & perturbationum curationem firmi stabilésque maneant, qui à sanctis patribus, qui nos præcesserunt, suscepti ac confirmati sunt, atque adeo nobis etiam traditi sunt, sanctorum & gloriosorum Apostolorum nomine, LXXXV. canones. Quoniam autem in his nobis canonibus præceptum est, vt eorumdem sanctorum Apostolorum per Clementem ordinationes susciperemus, &c. quibus adulterina introducta sunt, &c. reiecimus. Rursus canone 3. & cap. 6. citantur hi Canones Apostolici: denique per omnia insistit id concilium hisce Can. quod studiosus lector cognoscet per facile. Idem vero repetitum confirmatúmque est septima synodo œcumenicâ, habitâ sub Constantino & Irenæ matre ipsius, anno DCCLXXXIX. contra Iconumachos. Canone primo hæc sunt Concilij verba inter cætera. Diuinos canones libenter amplectimur, eorúmque constitutionem integram & illabefactabilem confirmamus, QVÆ EDITA

H

FVERVNT A SANCTIS SPIRITVS TVBIS, OMNI EX PARTE BENEDICTIS APOSTOLIS. Scio equidem, à doctis plerisque hosce Canones non recipi, tanquam germanos, quòd nullos eos fecerint illa concilia, vti aiunt; cui obiectioni postea respondebimus; agnouit certè & recepit Beatus Iuo, agnouit Gratianus, agnouit & Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenus, qui & scholiis illustrauit eos suis. Sed ad Canonum probationem redeamus. Nec enim sola traditio eos Clementi tribuit, sed & permulti certissimi auctores: quorum pleraque testimonia indicabimus, omissis prolixioribus sententiis, ne nimis prolixi esse cogamur. Ioannes Chrysostomus non semel citat leges Apostolorum, vt hom. 86. in 26. cap. Matth. & alibi, haud obscurè Canones hos intelligens, alibi Commentator Chrysostomus in c.6. Matth. hom.13. dum librum canonum Apostolicorum citat, intelligit non obscurè Constitutionum libros; sed ad rem: quia enim non tam clanim est hoc testimonium, audia-

mus clariora. Ioannes ille Damascenus, Mansur dictus, vt notat Suidas, vir sanctissimus & doctissimus, quem sub Leone Isauro Iconomacho circa annum Domini DCCXXIV. claruisse plerique scribunt, libro quarto Orthodoxæ fidei, cap. 18. de scripturis tractans, inter Canonicos libros refert hos Canones, hisce verbis post Apocalypsin Ioannis, Κανόνες τῶν ἁγίων ἀποστόλων διὰ Κλήμεντος, id est, Canones sanctorum Apostolorum, per Clementem S. descripti. Iam Photius, Patriarcha Constantinopolitanus qui vixit anno Domini, 877. vir, vt scribit Zonaras, valde doctus, nusquam non in Nomocanono per omnes penè titulos atque capita hos canones agnoscit & allegat. Vide primi tituli cap. 1. 5. 6. 12. 14. 15. Eorum etiam meminit Symeon Metaphrastes in Commentario suo de Petro & Paulo. Et agnoscit pro germanis Nicephorus: eius testimonium suprà positum nobis est. Agnouit & Theodorus Balsamon, qui commentariolos in eos scripsit, tametsi Ecclesiæ nostræ Latinæ non adeò fauerit, in eosdem Constantinus Harmenopulus scripsit: qui commentarij nondum sunt typis excusi, quod sciam, & alibi asseruantur in bibliothecis. Sed satis testimoniorum Græcorum, cum ex his abundè cognosci queat, quid Græci de Canonibus senserint. Verè enim crediderunt Canones hos ab Apostolis statutos, & à Clemente conscriptos esse; neque verò aliter statuit Latina Ecclesia; B. Papa Marcellus, nobilis martyr, qui Romanæ sedi præfuit anno CCCIV. in docta & graui illa epistola, quam ad Aurelium Maxentium, Romæ Christianos grauiter affligentem, pro Christianis scripsit, citat hos canones, clementique manifestè tribuit, dum ita scribit: Quod laici, aut suspecti Episcopos non debeant accusare, neque accusatoribus de inimici domo prodeuntibus credendum sit, & à B. Clemente, ipsis eum instruentibus Apostolis legimus definitum, & nos eadem firmamus. Eadem ferè citat Beatus Zephyrinus, PP. Martyr, epistolâ ad Episcopos Ægypti. Videntur autem canonem 74. intelligere. Idem Zephyrinus ad Episcopos Siciliæ 60. canones Apostolis tribuit. Leo IX. tribuit eis L. Isidorus testatur epistolâ in capita Canonum hos Canones olim à quibusdam habitos apocryphos sed tamen plures eos recepisse, eorumque sententias sanctos patres synodali auctoritate roborasse, & inter canonicas constitutiones posuisse. Quid verò hic obiiciatur, pòst videbimus. Sed, quid multis opus est? Ipsa Romana Ecclesia, quæ diuino quodam priuilegio & est, & vsurpatur Apostolica, à multis inde sæculis illos Clementi tribuit, & vti verè Apostolicos agnouit, prædicauit, obseruauit: nisi fortè ratione temporum, quatenus temporariæ vel perpetuæ causæ fuerunt, quædam aut mitigauerit, aut immutarit. Quin ipse Cæsar Iustinianus claris verbis eos Apostolis ascribit. Denique vt in pauca contraham, illud nemo inficias ire poterit, aut hos canones pro Apostolicis agnosci, aut planè fictitios, & ψευδεπιγράφους æstimari debere: cùm Petrus 28. canone sic loquens introducatur, ὡς Σίμων ὁ μάγος ὑπ' ἐμοῦ Πέτρου: quemadmodum Simon Magus à me, Petro, loquitur hic ipse Petrus; id si quis ab aliquo sic fictum, suppositum, vsurpatúmque nomine Petri dixerit, vide, quæso, quantum is concordi patrum Græcorum & Latinorum Ecclesiæque sententiæ refragetur, qui verba hæc Petri iudicauerunt semper: nullius itaque iam erunt. Atque hactenus de canonibus.

Vide 16. dist. Gratiani 28. c. Si quis dect. 30. cap. Illud autem.

Epistolas paucis porrò aggrediamur, earum nomine quinque nunc exstant quas decretales appellare solemus; sunt, qui ficticias eas esse clamitent, quorum iudicia non tanti fieri debent citra rationes, cum iamdudum ab Ecclesia notata, damnatáque sint. Ego verò, num auctorem habeant Clementem cunctæ, cogor dubitare: tametsi certo statuam, aut germanas esse, aut ex aliis Clementis scriptis consarcinatas; adeo mihi Clementem sapiunt: adeo pulchre etiam non solum historiæ ordinem continuant, vitam Clementis cæteráque acta, atque obitum Petri declarant, sed & doctrinam, postremásque ipsius constitutiones aptissime referunt. Sed de singulis nostram sententiam aperiemus.

Primam omninò Clementi censeo tribuendam: quod ab ipsius inde sæculo pro sua fuerit agnita; & est valde erudita, in qua pulchrè ecclesiastica ἱερουργία describatur: ideoque toties à sanctis vsurpata reperitur.

Anacletus, Clementis successor & collega, tertia sua Epistola nominatim agnoscit, multis inde sumptis sententiis. Alexander I. PP. Martyr, in vtilissima & grauissima sua epistola ad omnes Christianos ex Concilio Romæ ab ipso habito data, locum de ordinatione Clementis, & auctoritate sacerdotum ex hac mutuauit. Damasus PP. pontificali suo in Clemente eandem germanam agnoscit: Clemens, inquit, ex præcepto B. Petri suscepit ecclesiæ pontificatum gubernandum, sicut ei fuerat à Domino Iesu Christo cathedra tradita vel commissa; tamen in epistola, quæ ad Iacobum scripta est, qualiter ei commissa sit à B. Petro ecclesia, reperies. Rufinus Toranus, Clementis interpres non modo agnoscit & citat præfatione sua ad Gaudentium, in Recognitiones: sed & conuersione sua dignam iudicauit. Leo IX. PP. doctus, qui ante quingentos annos vixit ex hac locum citat de constituendis episcopis, epist; ad Petrum & Ioannem, Africanos Episcopos. Denique vt multa testimonia prætercam agnouit germanam, approbauitque antiquum illud VASENSE Concilium, quod habitum est Anno Domini CCCCXLIIII. sub Theodosio iuniore & Leone PP. I. Canone VI. Ex epistola sancti Clementis vtilia quæque præsenti tempore ecclesiis necessaria sunt honorifice proferenda, & cum reuerentia ab omnibus fidelibus & præcipuè clericis recipienda; ex quibus, quod specialiter placuit propter venerandam antiquitatem statutis præsentibus roboramus, quod supradictus B. Martyr de beatissimi Petri Apostoli constitutione Commemorat: dicens. Deinde recitantur quædam verba ex hac Epistola.

II. Epistolam agnoscunt scrinia quidem primitiuæ Ecclesiæ, quæ VVolfgangus Lazius edididit, si modo titulo credendum erit, quo notauit ad Iacobum F.D. eam perscriptam esse; duas autem refertur isthic ad eum scriptas, quarum alia nulla propriè ad illum exstat. Marianus Scotus diligens notator temporum eandem tribuit Clementi lib. 2. historiæ suæ. Equidem vix à communi hominum opinione sententiáque dissentire audeo, præsertim, cum sciam, permulta ex hac tum in ius pontificium à Gratiano decretorum hinc mutuata; at ægre adduci queo, quod vt ingenuè dico, ita modestè accipi peto, eam à Clemente vt sic credam conscriptam; quibus moueat argumentis, haud opus est dici, cum perspicua sint legenti; tametsi libèter mihi persuadeam, totam Clementis sententiam esse, ab aliquo rapsodo collectam ex aliis ipsius libris.

De tertia & quarta, quod vir doctus Ioannes Sichardus sensit eas collectas esse ex Recognitionibus, siue ab auctore ipso, qui Petri doctrinam sic colligere voluerit, siue ab alio quopiam antiquitatis studioso, idem & ego factum existimo. Marianus tribuit Clementi tertiam. Vtriusque doctrina certè est Apostolica Feliciter; profectò, quicunque is fuit, ex tam variis locis tertiam consarcinauit: cui studio fuisse videtur, vt varias Petri conciones summatim comprehenderet; & potest fieri, vt ipsemet Clemens eandem magistri sui doctrinam alio modo ad alios atque alios sic propagare sit conatus; qua in re quisque suo iudicio vti potest. Quarta verò tota desumpta est ad verbum ex sexta recognitione; recitatur Petri tota Concio ad Tripolitanos, accommodato saltem principio & fine.

V. Nihil impedit, si inscribatur Clementi, quo certè non indigna est visa eidem Mariano Scoto. Tria docet hortaturque Hierosolymitanam Ecclesiam. Primum, vt perseuerent in Apostolica rerum omnium communione: quo loco tamen lector sibi cauere debet à Nicolaitis, vbi dicitur, in omnibus sine dubio & coniuges esse: vel locus est corruptus, vel ex margine in textum relatus. Secundò, vt intelligendis scripturis non proprium sensum, sed patrum potiùs traditionem sequantur.

Denique,

Denique, vt citra discrimen ætatis, vitam omnes in pœnitentia sanctam peragant, in quibus omnia certè Apostolica sunt: vt libenter traditioni Ecclesiæ acquiescam, quæ tribuit eam Clementi.

Hæc hactenus de scriptorum Clementis veritate mihi commemoranda sunt visa, vt constare posset, quibusnam causis & testimoniis fidem iis habeamus, deinceps videamus, quid sit, cur eadem plerique impugnent, & ficticia, vt somnia, vt falsò tanto viro inscripta, irrideant, reiiciant, damnentque tum in genere, tum in specie. Primùm igitur Erasmus Roterodamus mihi occurrit, vir certè in diiudicando valdè perspicax, at non minùs plerumque morosus & delicatus: is ait Clementis permulta suppositicia esse, eiusque titulo ab aliquo conscripta, qui notas infercierit studiosè, quò eadem diuino huic viro assignare posset, nec id scribit vno loco, vt in 3. & 16. annotat. epistolæ ad Rom. & in 2. Petr. 3. cap. nec verò satis explicat, quænam scripta intelligat, Recognitiones ne, an canones & epistolas, an verò vniuersa Clementina, vti reor. Nouum quidem non est, plurimos libros, quos nunquam scripserunt, magnis hominibus semper tributos esse: eáque impostura, si vnquam, maximè certè primam Christi Ecclesiam turbauit: quod commemorat Lucas præfatione sui Euangelij nemo enim ignorat, quot Apostolorum titulo nominibúsque prodierint olim Euangelia, vtpotè, Thomæ, Matthiæ, XII. Apostolorum, Nicodemi, adeoque & hæreticorum, Basilidis Apellis, atque aliorum, qua de re Eusebius refert primo libro hist. suæ, itémque Beda præfatione in Lucam, vbi meritò doctorum hominum diligentia commendanda venit, bono iudicio à falsis vera discernentium. Sed nec id quidem nouum est, pleráque veterum scripta à quibusdam tanquam ficticia reiici, quorum fortè palato non ita sapiunt: quod & superioribus seculis factum est, & fit etiam nunc, à quibusdam Ecclesiæ nostræ aduersariis, in diuinis illis quidem, vna Iacobi, vna etiam Iudæ, & altera Petri, epistolis: quæ itidem dixerint suppositicia, vt Eusebius Pamph. Hieronymus, Sophronius, Hieronymi æqualis & contubernalis, Nicephorúsque Callistus testificatur: quod etiam factum est in Epistola ad Hebræos scriptâ, de qua graues quondam auctores dubitauerunt, neque adhuc desunt, qui à Paulo siue dictatam, siue conscriptam pernegent, quin legimus, plerisque priscis hæreticis diuinos legis Euangelicæ libros aut reiectos omnes, aut quosdam: aut, si receperunt, corruptos fuisse: quamobrem & hic opus est diligentiâ. Verùm enim verò reiectionis huius aut sinistræ suspicionis Erasmo causa nulla fuit: cùm præsertim tam præclarè docta de iis vetustas scripserit atque iudicarit, vt suprà indicatum est: cuius iudicia si non fortassis occurrerunt, minúsve perspecta obseruatáque fuerunt, paulò certè modestiùs, neque tam temerè de his homini tam prudenti iudicandum pronuntiandúmque fuit. Planè, quominus eiusmodi sint, vt ille æstimat, refragatur orationis æquabilitas, deinde & doctæ disputationes, eæque personis accommodissimæ, verissimæ topographiæ, perpetua denique historia, quæ quidem citra manifestum vanitatis fucum ita effingi non potuit: cum hic omnia pulcherrimè conueniant in Recognitionibus consentiántque ac enim, quod habet argumentum Erasmus, præter solam sinistram suspicionem? verum hic Rufini, Gennadij, Bedæ, & aliorum supra commemoratorum testimonia manifestiora sunt, quam vt sic refelli queant. Bedæ autem vni quantum tribuerit semper Erasmus, non est ex suis annotationibus obscurum.

Sunt Apocryphi vt testatur quidem B. Athanasius, Alexandrinus Episcopus in synopsi diuinæ scripturæ, citans inter alios Circuitum Petri, & doctrinam Apostolorum Clementinam. Circuitum autem vocat Recognitiones, vt & supra Epiphanius: per doctrinam verò, Constitutiones videtur intelligere. Nihil nunc disputo de hoc scripto, sit ne Athanasij, nihil est opus. Nam & nos inter apocrypha numeramus, discreti namque sunt exemptique ab auctoritate canonicorum, qui vocantur, & diuinorum librorum, qui omni exceptione & contradictione sunt maiores, qua in re modestè ab Ioan. Damasceno atque aliis dissentio. Sed hic intelligendum est, nec Athanasium ipsummet apocryphorum eandem rationem habere. Sunt enim vt ipse ait, ex Apocryphis veriora quædam, spiritúsque Dei instinctum recipientia, quæ transsumpta sunt, & vt legantur, selecta, atque hos ipsos apocryphos testatur Athanasius cognitionis gratia selectos expositósque esse. Sunt autem nothi alij atque reprobi, ab hæreticis vel incertis auctoribus conscripti, hos reiicit Ecclesia, Porrò in prioribus illis numeramus Clementis libros, cùm nec ab incertis, nec ab hæreticis conscripti sint: quando nec in alio loco habuerint eosdem Epiphanius, Rufinus, Beda, Nicephorus Callistus Cedrenus, & alij, & verò talia ἀπόκρυφα, pleraque sunt patrum scripta omnia.

Sed in iure sacro nostro XV. distinctione cap. Sancta Rom. Ecclesia, à beato doctóque PP. Gelasio, in concilium 70. Episcoporum, Recognitiones titulo itinerarij, damnantur? Nihil minus, qui isthic reiecti sunt, libri sunt octo, nostri sunt decem, sic ab ipso Clemente distincti, quod præter manu scripta exemplaria docet vel ipsa argumentorum tractatorum ratio. Sed si ἀπόκρυφα omnia reiicienda erunt, vide quæso, quot bonis auctoribus carendum erit, certè innumeris, optimis, doctissimis, quo circa ratio habenda est ipsorum apocryphorum, quando non omnia sint vnius generis.

At impius ille Ioan. Caluinus in scripto suo de Ecclesia contra doctum & catholicum hominem Ioannem Cochlæum edito, reiicit hæc Clementina, quod Apostolico isthoc viro stilus sibi parum dignus videatur. Quæso, quid huic homini facias? parum nimirum diligenter libros hosce legisse, manibúsque versauisse videtur, inspexit forsitan, & vt fuit impudens censor atque audax τελαμωμανῆ cum minus arrideret inæquabilior latina illa dictio, eos statim virgulâ illâ suâ censoria reiicere fuit ausus. Atqui vero Græcè scriptos esse à Clemente, cogitandum ipsi erat, tum à Rufino Torano parum bene latine conuersos, vt fuit infelicior interpres ille, quemadmodum quidem ex aliis ipsius conuersionibus quiuis potest colligere. Cæterum in eiusmodi spinosa difficilique materia, de qua inter Cepham Magumque controuertebatur, an dilucidius, acutius, & vtrimque firmiùs disputari potuisset? Tentet quis vel hoc sæculo, quo sibi plurimum fidunt & tribuunt docta ingenia, verser modo has materias, illud mihi dubium quidem non est, quin huic tandem series orationis argumentorúmque valde sit placitura. Quod si autem stilus præ se tulerit horridiusculum quid, quod vel ex latina conuersione græcè docti possunt olfacere, profectò non debet id impedire, quo minus Clementi hæc scripta tribuantur: quando constet ex vetustis auctoribus, stylo eiusmodi virum hunc dudum philosophum, & in Christianæ fidei quæstionibus multum studioséque volutatum, vsum fuisse: eáque de causa libentius olim à patribus non paucis ad Hebræos epistolam inscriptam ipsi esse, quippe, cuius character persimilis foret epistolæ suæ ad Corinthios datæ durior scilicet obscuriórque, sed tamen grauis atque grandis, vt B. Hieronymus epistola ad dardanum, & Nic. Callistus, libro 2. cap. 46. H. Eccl. testantur. Mihi verò subolet alia causa reiiciendorum Caluino horum librorum, nimirum, quod in iis tam apertè ipsius impiæ sententiæ de prædestinatione, de seruo arbitrio, & id genus aliæ damnentur Apostolo Petro.

Rursum alius quidam, homo certè quidem diligenter in patribus versatus, sed parum sibi constans, & vel diligentiâ suâ nimis abutens, vel tandem senili quodam delirio abberrans, epistolis Clementinis & aliorum vetustiorum pontificum detrahit veritatem, & auctoritatem, quòd citatæ in eis scripturæ versionem alicubi habeant Hieronymianam. Friuolum profectò argumentum, cum & græcè sint epistolæ scriptæ, & ætate Hieronymiâ Rufino in latinum sermonem conuersæ, qui fortassis ad Hieronymianam dictionem, suam interpretationem accommodare voluerit, quam cerneret auide, vt sit in nouis rebus, à Latino populo arripi & vsurpari, denique casu

potest

potest fieri, vt in Græca sententia latinè reddendâ plerunque conueniant interpretes. Quin venerabilis Beda tanti fecit versionem hanc Recognitionum, vt in explicando principio Geneseos eam adhibuerit, quòd supra dictum est.

Fortassis autem aliquem moueant scrinia illa primitiuæ ecclesiæ, è quibus VVolfgangus Lazius hanc edidit de Clemente suisque scriptis historiolam. Clemens Petri in Episcopatu successor fuit: quo velut amanuensi vsus est etiam Paulus apostolus, quem Philippensibus scribens ob insignem pietatem præ cæteris vxori suæ commendauit: scripsit itinerarij vitæ libros viginti. Disputationis Petri, librum vnum: item epistolas aliquot, in quibus sunt duæ ad Iacobum Apostolum, de morte Petri. item vna ad Corinthios, claruit anno CIII. Hæc in scriniis Lazij, quæ qualia, aut vnde petita sint, ipse viderit. Vtinam haberemus scrinia illa priscorum Rom. Ecclesiæ notariorum? quibus nihil foret vtilius, sed quod attinet ad hanc historiolam, neminem ea mouere debet, quasi ab hoc scriptore, quisquis ille tandem fuit, negentur recognitionum libri: imò astrui hic potius dixerimus, cum præsertim itinerarij libros viginti recenseat: in quibus rationem argumentúmque τῶν ἀναγνωρισμῶν tenere. Recognitiones, nemo negauerit, tametsi sint pleraque quæ mihi testimonium hoc suspectum reddant, primum, quod vxorem Paulus habuisse feratur, quam per ipsius verba intelligit, Philipp. 4. καὶ ἐρωτῶ σὲ σύζυγε γνήσιε, cuius quidem sententiæ fuerunt plerique, vt Clemens Alexand. & Euseb. Pamph. Nam Ignatij locus manifestè corruptus est: sed ea opinio à cæteris patribus, vniuersáque adeo Ecclesia est explosa, quæ Pauli verbis palam refragetur, 1. Cor. 7. velim omnes esse, sicut ego sum. Deinde, quod libri inscribantur antiquis damnato titulo, de quo supra, postremo, quod libri referantur viginti, cum octo Gelasius numerarit alios autem libros, eósque multos Clementi scriptos esse certum est ex 1. & 3. recognit. sed nihil hoc testimonium contra Recognitiones.

Nunc recitemus argumentum, quod fortissimum contra canones à plerisque existimatur. Isidorum aiunt auctorem esse, quod Apostolica sedes non recipiat canones, qui dicuntur, Apostolorum, citatur distinct. 16. cap. Canones, idémque doceri posse ex Leonis IX. testimonio contra Nicetam, eadem dist. cap. Clementis, præterea ex Gelasij censura, dist. 15. cap. S. Rom. Ecclesia. Quantum ad Isidorum, is præfatione in volumen conciliorum satis se explicat, citatúrque eadem 16. distinct. cap. propter eorum auctoritatem: quo loco scribit, vt & supra commemoraui, Canones olim à quibusdam habitos quidem apocryphos, sed plures tamen eos recepisse prætereа sanctos patres synodali auctoritate eorum sententias roborauisse & INTER CANONICAS CONSTITVTIONES CONSTITVISSE. Iam quod attinet ad Leonem IX. certe ille excipit ab apocryphis 50. capita, atque hic videre licet, olim maiores nostros non ita certos fuisse de numero canonum: quod certius deprehenditur ex testimonio Beati Zephyrini qui 60. sententias tribuit Apostolis, vbi qui dicunt, distingui capita à sententiis, aliquid quidem dicunt, sed nihil certum, firmumque. Ego verò priscis aliam incertioremque distinctionem fuisse puto, vt quisquis certè animaduertit aliter atque aliter eos canones distingui posse: donec concilium semel atque iterum de numero statuisset. Ad apocryphorum rationem ex ipso Athanasio sit responsum, nec enim, quod apocryphum, mox haberi debet incertum, aut damnatum, minúsve firmum. At Synodus, inquiunt, Trullana, quæ dicitur statuisse & diffiniuisse de Canonibus Apostolicis, canones nullos fecit. Imò fecit: vti satis vnus Gratianus demonstrat citatis toties Trullanis canonibus, nomine sextæ synodi, vt 16. dist. cap. Placuit 28. dist. cap. Presbyterum de consecrat. dist. cap. Illud autem 27. quæst. 1. cap. Si quis Episcopus. Et de consecrat. dist. 1. cap. Iacobus, iterúmque de consecrat. dist. 2. cap. Didicimus. Quin Innocentius III. de ætate & qualit. ord. cap. à multis, citat sextum canonem Trullanum nomine 6. synodi. Sic Adrianus PP. ad Tharasium Patriarcham synodum hanc, canonésque, tanquam ab illa editas recipit: vt 16. dist. cap. Sanctam sextam synodum, & de consecratione, dist. 3. cap. eodem, Sextam, itémque Ioan. Damascenus, de imaginibus citat, libro 3. Præterea prima actione septimæ synodi approbat eandem Tharasius: itémque act. 4. Petrus Episcopus, & actione 6. Epiphanius, adhæc eadem synodus act. 5. & 6. vtitur Trullanorum Canonum auctoritate. Nicolaus etiam PP. iis vtitur ad Michaëlem Imp. Deníque Florentinum Concilium sessione quinta Ferrariæ celebratâ citat etiam hoc Trullanum siue VI. Const. Concilium. Vides igitur, quantam auctoritatem habeat, quódque Canones fecerit, in quorum altero cùm tam claré, vt suprà recitatum est, canones Apostolici astruantur, Clementique tribuantur, ecquis ampliùs refragabitur? Sed enim nolo prolixior hic esse, illud namque libenter dedero, vti se res habet, concilium hoc VI. nullos canones fecisse, cùm primùm sub Constantino Pogonato circa annum Domini 681. coiisset, contentum sola damnatione Monothelitarum, rectæque fidei confirmatione: sed cùm posteà sub Filio Iustiniano, qui ῥινότμητος ab insecto naso dictus fuit reuocatum & continuatum esset, hosce nimirum tunc fecit canones: in quorum secundo sic Canones Clementini probantur. Vt vt sit, magni certè viri fuerunt auctores eorum: ideóque facilè auctoritatem posterioribus seculis habuerunt. Aiunt rursum, canone 84. tres libri Maccabæorum asseruntur: idque contra consensum omnium penè Ecclesiarum. Quid si dicam, aliter eos libros diuisos fuisse? aut adiunctam Iosephi historiam? quid autem, si dicam, id videri ab aliquo attextum? cuius causa debuerit etiam concilium VI. definire de certo canonum numero. Vt vt sit, causa hæc iusta non videtur damnandorum canonum omnium.

Super est vnum adhuc telum, quo maximè epistolas impeti posse reor: hoc nimirum, quod neque tempori, neque rationi consentaneum videatur, Clementem ad Iacobum F. D. de nece beati Petri scribere potuisse, qui dudum ante Petrum fuerit ob fidem necatus, vnde absurdum sit, eas epistolas Iacobo scriptas à Clemente, germanas esse posse: ideóque vel ipsam horum scriptionem, vel certè inscriptionem necessariò ficticiam videri debere: nam Iacobus frater Domini nostri, cùm XXX. annos administrasset Hierosolymorum Ecclesiam à Iudæis septimo Neronis anno lapidatus scribitur, vindicantibus in illo, quòd Paulum interficere nequiuissent: iam Festo defuncto præside ὑπὸ τῆς ἐξουσίας λαβόντες, τὴν ἀναρχίαν, vt scribit Eusebius Pamph. libro 2. cap. 23. eodémque loco apud eundem Hegesippus, & apud Niceph. Callistum lib. 2. cap. 38. historiæ Eccles. quos etiam sequitur Beda Martyrologio suo. Atqui Petrus vltimo Neronis anno interfectus est, qui eius imperij fuit XIII. tot etenim præfuit, cum diebus octo, Hegesippo teste, lib. 4. cap. 20. excidij Hierosolymitani: tametsi alij plures dies, mensesque aliquot annumerent. Non ergo de nece Petri, suâque ordinatione Clemens potuit Iacobo iam sexennium occiso quicquam perscribere. Quo argumento ita plerique mouentur, viri etiam docti, vt epistolis nihil omnino, aut perparum certè tribuant, neque vero ipse diffiteri possum, hac cogitatione me quoque ad dubitandum vehementer aliquando incitatum fuisse: nisi communis me Ecclesiæ sententia, maiorúmque reuocasset iudicium, animaduertissémque permagnam illam apud priscos passim historicos annos computandi annotandique veritatem, qua motus equidem, longè rem sese aliter habere putaui, quæ cuiusmodi mihi visa sit, haud grauabor explicare. Quod igitur scribunt historici, Iacobum, ad quem à Clemente hic scribitur, cum annos ab ascensione Domini XXX. tenuisset Ecclesiam, in seditione necatum esse, defuncto præside, sic puto intelligendum esse, vt illi anni non mox aut præcisè numerentur inde ab ascensione Domini, quando communi tunc adhuc coniunctáque opera Apostoli tenuerunt Hierosolymorum Ecclesiam: vt & ex acti, Lucæ clarum est, & ex Hegesippo, qui ait, post Apostolos Iacobum gubernandam accepisse Ecclesiam: itémque ex Apollonij Mar-

A *Apud Euseb. loco, vt s.*

tyris, Romani nobilis senatoris testimonio deprehenditur, qui narrat ex veterum traditione accepisse se Apostolis præceptum à Domino, ne ante 12. annum Hierosolymis discederent: vt refert Eusebius libr.4. cap.18. & Nicephorus Callistus libr.4. cap.25. sed alia quadam ratione fortassis à diuisione Apostolorum, qua in vniuersum orbem ad prædicandum Euangelium dispersi fuerunt. Gregorius namque Turonicus libr.1. hist.suæ Iacobum fratrem Domini scribit occisum sub Petri martyrium, & Nicephorus Callistus lib.3. cap.3. breui ante vrbis euersionem refert necatum: quod in causa fuerit, Hegesippo Iosephóque testibus, libr.2. cap.23. apud Eusebium, quare pij Iudæi vrbis excidium cædi Iacobiticæ imputauerint, nimirum, quòd eam breui consequuta foret obsidio: idémque Hegesippus narrat apud Nicephorum Callistum libr. 3. cap.9. post vrbis euersionem, Iacobo Symeonem Cleopæ F. successorem datum esse, & apud eundem libr.2. cap. 3. testatur Euodius Apostolorum successor Antiochiæ, epistola sua φῶς inscripta, ab

B

ascensione Domini ad lapidationem vsque Stephani, annos septem effluxisse: quo certè tempore in Iudæa versabantur Apostoli. Porrò triginta annos Iacobum tenuisse Ecclesiam, testantur pleríque omnes: sed è nullo clare additum memini, mox Christo iam in cœlos enecto ab Apostolis eum constitutum esse Episcopum, illósque annos statim ab assensione computari debere ac annos tot episcopatus sui fuisse, cum necaretur, verum, quorsum hæc omnia? Nimirum hinc colligo, sic annos Iacobi numerari oportere, vt pene pertingant ad initia vsque cæptæ obsidionis: vnde appareat, sub idem propè tempus Hierosolymis quidem, Iacobum Iustum obliam, Romæ verò Petrum Paulumque necatos esse. Nemo hic non videt, quam facilè potuerit fieri, vt Clemens in

Sic Malmo Halbestadinus, in epitome sua hist.

istu contra Hierosulymam bellico apparatu, Romanóque in Neronem tumultu, Petro iam crucifixo, nesciuerit Iacobum Iustum interfectum esse, quod illa mox facta

C

fuerit paulo ante vrbis obsidionem: idcóque suas epistolas iam mortuo, quem tamen viuere putarat, dedicarit & inscripserit. Certè Iacobi ætas, (nam. 96. annos natum scribit Epiphanius hæresi 78. dum occideretur) non multum ab hoc tempore poterit dissentire. Sed hæc disputo, nihil asseuerans, & suum cuique permittens iudicium. Nam alias bene dicere possum, Iusto illi dedicatas hasse epistolas, qui tertius ex ordine fuit Hierosolymorum episcopus, Symeonis successor, vir sanctissimus, suamque functionem ad Trajani vsque tempora perduxit de quo Eusebius lib.3. cap.35. & Nic.Call.lib.3. cap.2. quæ sententia, nescio, quam sit aliis placitura, mihi certè non adeò displicet.

Hactenus igitur dictum sit de veritate scriptorum quorundam nostri Clementis prolixius fortassis sed via paucioribus licuit, si modo tot remouendæ essent obiectiones. Vt formosum corpus agnoscas, fœdæ laceræque vestes detrahendæ sunt lutúmque aspersum est eluendum.

D

Porrò iam per se dignitas & formositas librorum satis se ostendet ipsa, cum enim constet, verè hæc esse Clementina scripta, ecquis non cernit ab Apostolis per Apostolicum virum ad nos ea proficisci? Hoc ipsum qui cum suo cogitat animo, certè non reprehendat ille Ioannem Damascenum virum sanctissimum & doctissimum, quòd inter Canonicos libros numerarit: nam quicquid hic scripsit B.Clemens, scripsit ex ore Petri magni Apostoli, magistri sui: scripsit vir doctus ex ore iussuque ipsius, scripsit testis oculatus, vt testatur Irenæus, adeóque spiritu Dei plenus scripsit. Et quæ scripsit, res illæ sunt omnium grauissimæ, maximéque ad salutem omnibus necessariæ: vt sunt, de vero & vno Deo, de vera ipsius agnitione, de lege ipsius, de Prouidentia, de CHRISTI IESV magni illius prophetæ aduentu, euangelióque, de mysteriis fidei, de Sacramentis Ecclesiæ, de Baptismo, de Eucharistia, & aliis id genus præstantissimis rebus, de rectè constituenda administrandáque Ecclesia. Sed enim, si quis rursus secum cogitet quam versutissimis hæreticorum fraudibus plerique hi libri fuerint defœdati, non mirabitur ille quicquam, B. Athanasium &

E

alios magnos viros remouisse hosce libros ex publico hominum vsu & conspectu, hoc est, ἀπόκρυφ᾽ ὡς iudicasse. Cæterùm cùm huic vitio mediocriter occursum sit, tum ab Epiphanio, qui, quibus in dogmatis corrupti essent, notauit, tum à Rufino Torano, denique & à nobis ipsis, quorum ille quidem, quæ iudicauit suspecta, in versione sua expunxit, ego autem notaui etiam atque indicaui, quæ obscuriora vel fabulosiora visa sunt: perfacilè videbit Catholicus lector, quanta cum vtilitate & iucunditate in horum librorum lectione versabitur. Profectò de grauissimis fidei diuinæque sapientiæ quæstionibus, quæ etiam magnis clamoribus tumultibúsque hoc tempore disputantur, solidissimas inueniet lector institutiones, hic videbit, quibus Satan artibus Ecclesiæ nouellæ iam pullulascenti sit insidiatus, non solùm manifestis persequutionibus, sed etiam hæreticâ perfidiâ astutiâque per aptissimum illud organum suum Simonem Magum: qui nusquam viuidiùs cum pestilentissimâ sua hæresi depingitur, atque hic sit in Recognitionibus: nusquam

F

præterea solidiùs refutatur, quàm eisdem ipsis libris, in qua certè tractatione Clemens noster Epiphanio multò luculentior est, nusquam verò sinceriùs, vel acutiùs, veriúsve, pace omnium, vera sententia [illegible] astruitur, atque tribus postremis recognitionibus. Et certè multò rectiùs intelligetur doctissimus Irenæus in elencho suo falsò nominatæ scientiæ, itémque cæteri prisci scriptores plerique multò faciliùs, cognitis disputationibus & concionibus, quas Petrus de rebus præstantissimis & saluberrimis contra Magum ethnicósque philosophos doctrinam Euangelij oppugnantes, Cæsareæ, Tripoli, Laodiceæque habuit. Deus autem bone, quàm interim iucundum erit spectare, cuiusmodi conciones priscorum Christianæ Ecclesiæ magistrorum fuerint apud ethnicos, cùm necdum scriptura diuina suam apud ipsos fidem & auctoritatem haberet? Sed de hac vtilitate & iucunditate aliquid diximus ad singulos libros. Porrò ex

G

his ipsis libris plurimùm augebimus etiam illustrabimúsque ecclesiasticam historiam, in qua pij persæpè desiderant, quas in euangelio docendo Petrus profectiones, quásque conciones & disputationes instituit & suscepit quo loco necdum me meæ pœnitet sententiæ, quam olim tuli de hisce libris, nempe videri illos mihi non contemnendam accessionem actorum apostolicorum. Lucas siquidem in actis suis, vbi ad Pauli conuersionem peruenit, paulatim intermisit Petri disputationes & prædicationes, contentus narratione mirabilium multorum, & difficilium Pauli laborum in docendo euangelio susceptorum, quàm paucis quàm multa de Petro complectitur, dum ait, Factum est autem, vt Petrus, dum peragraret per omnes, deueniret etiam ad sanctos, qui erant Lyddæ. Multò latiùs Clemens hic enarrat, quomodo Petrus perambularit omnes Ecclesias. Dixi nunc paucis de Recognitionum præstabilitate: dicam etiam paucis de Canonibus & epistolis. Nam videntur mihi Apostoli omnium nudissimè rationes præscribere voluisse regen-

H

dæ Ecclesiæ, atque etiam in sempiternum quoddam tempus eius conseruandæ spectauisse: dum tam modicis quidem, sed claris apertísque verbis officia Episcopi, presbyteri, diaconi, cæterorúmque Ecclesiæ ordinum nobis ante oculos ponunt. Neque vero opus esset diuturnâ deliberatione aut consultatione ipsius reformandæ, si in has modo præceptiones atque canones quisque Ecclesiasticorum hominum diligenter intueri vellet: & quod passim dici vult, esse etiam atque agere studeret, ausim hercule affirmare, vel sexcentis Ecclesiam hæresibus infestantibus, breui tamen benè sperandum esse de repurgatione & reformatione ipsius: cuius nunc in hoc quidem rerum statu vix pij spem habere possunt. Pudet enim quemque sui officij, cui Ecclesiam regendam suscipit, non ordinat, non docet non visitat ipse: nec tuetur auctoritate sua docentes, non promouet, non fouet: aut si promouet atque fouet, indoctum iuxta ac doctum, nebulonem perinde atque bonum virum promouet. Et quod turpissimum fuit olim in sacro viro, id nunc omnium honestissimum augustissimúm-

que

que habetur & contra. Inspiciant quæso 6, 8, 26, 36, 37, 41, 44, 57, 75, 80, 82, cæterósque Apostolicos canones, cum iisdemque studia sua & actiones componant, næ videbunt, quam longè discessum sit ab Apostolicis vestigiis. Ecquem non commonone faciat sui officij vel tam amabilis illa Petri oratio, qua, dum sibi successorem constituit, Clementem affatur? Ecquis non videt in his epistolis, quanta cum religione, decore, honestate, diligentia voluerint sancti Apostoli nostri tractari sacras res? Facilè nimirum sibi constabat Ecclesiæ Dei splendor atque status, etiam in grauissimis hæresibus & persequutionibus, dum modo diuinus iste (vt ait Nicephorus Callistus,) vitæ morúmque disciplinæ ordo doctrinæ sinceritas retinebatur. Et huc nos Canones certè reuocare debebant, breui cerneremus nunc ita deformatam, pulchriorem Ecclesiam.

N.C.l.4. c.5.

Et verò tantæ vtilitates horum librorum, voluptatésque quas inter legendum sum capere solitus, inter cæteras caussas me certè non minimum commouerunt, quare ad editionem repurgationémque huius diuini auctoris venerim: in quo quid à me sit præstitum, potiùs paucis explicabo, primum igitur orationis contextum, quem valde vitiosum deprehendi, conatus sum emendare in quo labore persæpè animum abieci, qua nescio, ægritudine, quod per pusillum videri posset, quod præstandum erat, nec enim nunc cernent, qui nunc lecturi sunt, mendas illas, quibus cum nobis colluctandum fuit, quæ fuerunt certè plurimæ, ita vt coactus sim, totum mihi volumen sumere corrigendum, reuidendúmque, vti loquuntur, magnus fuit mihi labor hic suscipiendus, magnum tædium deuorandum. Quod si lectiones corruptas verè à me sinceréque restitutas indicare velim, liber mihi exsurgeret, tot fuere, sed facilè id ipsum videre licebit, si quis superiora exemplaria, cum isthoc quod apparauimus, modo & illud rectè fideliterque fuerit excusum, quod hercle in mea præsertim tam longè à typographia absentis potestate non fuit, conferre velit, haud molestiam non sentient, quam sensi ego. Præterea autem latinam dictionem feci plerumque æquabiliorem. Palam est, Rufinum interpretem ea bonis Græcis latina fecisse non tam bona, quod norunt docti, versique ab illo libri planè conuincunt, itaque vt sensus foret subinde clarior, perspecta sententia, mutauimus alicubi verbi modum, ita tamen, vt vix aduerti queat: nam manet eadem sententia, & interim suauior est atque æquabilior oratio: modicéque id ipsum & temperanter magnâ cum religione feci, ne in alieno labore doctus aut sapiens esse velle viderer, in quo nihil vereor, quin vel moroso Rufino, si viueret, satisfacturus essem. Vtinam autem Græcam lectionem nancisci potuissem: de integro namque maluissem conuertere, quam sic corrigere; at nusquam volens, quod plerumque factitant scioli dum libros restituere videri volunt, sensum permutaui, testor Deum, sed quemadmodum ij, qui aliis à se inuitatis opipara instruunt conuiuia, ac in gratiam voluptatémque conuiuarum sumptum omnem laborémque facilem & leuem ducunt, ita & ego omnes mihi leues putaui molestias, dum à catholicis doctissimi huius & optimi martyris scripta commodius legi possent. Quamobrem argumentis etiam summam librorum complexus sum: vtque lectio dulcior esset, scholiolis textum, & insolentes quæstiones modicè enarraui, næuos indicaui, quæ denique fabulosa aliquando videri poterant, tum vera, tum grauia esse demonstraui, collatis subinde probatis aliis auctoribus. In iisque ordine sum vsus commodo, maximéque naturali, nam primùm posui Recognitiones, tum quòd contineant certam & dilucidam vitæ Clementis & suorum historiam, & Petri plerásque disputationes & conciones, tum verò, quod ipso tempore priores sint, his subiunximus, Canones & Constitutiones Apostolorum, quòd complectantur doctrinam fidei, rationémque bene constituendæ & administrandæ Ecclesiæ. Hinc epistolas decretales, vti vocant, quod ex Canonibus constitutionibúsque conscriptæ appareant, & eodem pertineant. Demum, auctoris incerti compendium historiæ Clementinæ apposuimus, quòd in eo permulta sint, quæ in hisce non legantur, de quo suo loco, sed nolo laboris mei encomiastes esse, si placuerit Ecclesiæ, piisque, quibus volui, profuerit, vehementer gaudebo. Atque hæc ferè sunt, candidè lector, quæ de exstantibus Clementinis in medium proponere, visum mihi fuit operæpretium: à quibus si quis fortè dissenserit, non ægrè equidem feram: saltem candoris, christianæque modestiæ vt meminerit, velim, nihil hîc præscriptum est Ecclesiæ Catholicæ, cuius sententiam, meam sententiam semper esse volo. Nunc verò tandem accipe, quæ nobis Clementina desiderentur? I. Nominatissima illa epistola † ad Corinthios, cuius meminerunt ferme scriptores omnes: Irenæus, elencho 3. c.3. quem locum græcè citat ex ipso Eusebius Pamph. lib.5. cap.63. & lib.5. cap.16. Hieronymus ex hac sententiam citat memorabilem, lib.2. commentariorum in cap.4. ad Ephesios, inquiens, Cuius rei & Clemens ad Corinthios testis est scribens: VINCVLVM CARITATIS Dei quis poterit enarrare. Idémque rursus in LII. c. Esaiæ in commentariis suis, recitat ex eadem epistola memorabilem locum, hisce verbis. De Christo Clemens, qui post Petrum Romanam rexit Ecclesiam, scribit ad Corinthios. Sceptrum Dei, Dominus Iesus Christus non venit in iactantia superbiæ, cùm posset omnia: sed in humilitate, in tantum, vt verberatus a ministro sacerdotis, responderet: Si malè loquutus sum, argue de peccato: sin autem benè, quid me cedis? habens XII. Angelorum millia. Hactenus ex illa Hieron. Meminerunt autem huius & alij suprà citati II. Encyclicæ epistolæ de quibus supra citato loco Epiphanius, vnius ex ipsis meminit Hieronymus, lib.1. aduersus Iouinianum, hisce verbis. Ad hos, eunuchos, & Clemens successor Apostoli Petri, cuius Paulus meminit Apostolus, scribit epistolas, omnémque pene sermonem de Virginitatis puritate contexuit. Et eandem citat Epiphanius xxx. hæresi Ebionitarum. III. Liber de vero propheta cuius meminit Clemens ipse, 1. Recognitione, idemque, de præfinitione seu prædestinatione Dei. Recog.3. quem vtrumque dictante Petro se scripsisse testatur. Præterea alij x. Libri: quorum argumenta ipse recenset. Petrique solutiones difficilium quæstionum. Recog.3. Hæc desideramus: quæ quisquis in lucem protulerit, omnino benè de Ecclesia merebitur. Benè vale candidè lector, nostrúmque studium & laborem gratum habe.

† Imo iam extat & est in nouissima editione conciliorum.

RVFINI TORANI AQVILEIENSIS,

In Clementis vetustissimos atque eruditissimos 10. Recognitionum libros, præfatio, ad Gaudentium Episcopum.

TIBI quidem, Gaudenti, nostrorum decus insigne doctorum, tantus ingenij vigor, imò tanta spiritus gratia est, vt, si quid à te etiam quotidiani eloquij more dicitur, si quid in Ecclesia declamatur, id in libris haberi, & ad instructionem tradi posteris debeat. Nos tamen, quos & ingenij tenuitas minùs promptos, & senecta iam tardos reddit ac segnes, opus, quod olim venerandæ memoriæ virgo Syluia iniunxerat, vt Clementem nostræ linguæ redderemus: & tu deinceps iure hereditario poscebas, licet multas post moras, tandem aliquando restituimus prædam: quam, vt opinor, non paruam, Græcorum bibliothecis ereptam, nostrorum vsibus & vtilitatibus conuectamus, vt quos propriis non possumus, peregrinis nutriamus alimoniis. Nam & solent suauiora videri peregrina, interdum verò & vtiliora. Denique peregrinum est penè omne, quod medelam corporibus confert; quod morbis occurrit; quod venena depellit. Iudæa balsami lachrymam; Creta comam dictamni via mittit. Arabia aromatum flores; & spicarum nardi India segetem metit: quæ ad nos etiamsi aliquantulò, quàm proprius ager attulit, fractiora perueniunt; odoris tamen gra-

tiam,

tiam, vimque medendi integram seruant. Suscipe igitur, anime mi, redeuntem ad te Clementem nostrum; suscipe iam Romanum: nec mireris, si fortè tibi in eo minùs solitò floridus eloquentiæ vultus appareat. Nihil interest, dummodo sensus idem sapiat. Peregrinas ergo merces multo in patriam sudore transuehimus; & nescio quàm gratus me ciuium vultus accipiat, magnâ sibi gratiâ spolia deferentem: & occultos sapientiæ thesauros nostræ linguæ claue referantem. Sed votis tuis faueat Deus, vt nullus nobis sinister oculus, nec cuiusquam liuidus occurrat aspectus: ne extremo prodigij genere, cum nihil inuideant † illi, quibus aufertur; liuescant tamen isti, quibus confertur. Æquum est sanè tibi, qui hæc etiam Græcè legeris, (ne fortè in aliquibus minùs à nobis seruatum translationis ordinem putes) interpretationis nostræ indicare consilium. Puto quod non te lateat, Clementis huius in Græco, eiusdem operis *ἀναγνώσεων*, hoc est, Recognitionum, duas editiones haberi, & duo corpora esse librorum; in aliquantis quidem diuersa, in multis tamen eiusdem narrationis. Denique pars vltima huius operis, in qua de transformatione Simonis refertur, in vno corpore habetur; in alio penitus non habetur. Sunt autem & quædam in vtroque corpore, de ingenito Deo, genitóque disserta, & de aliis nonnullis, quæ, vt nihil ampliùs dicam, excesserunt intelligentiam nostram. Hæc ergo ego, tanquam, quæ supra vires meas essent, aliis reseruare malui, quàm minùs plena proferre. In cæteris autem, quantùm potuimus, operam dedimus, non solùm à sententiis, sed ne à sermonibus quidem satis eloquutionibúsque discedere. Quæ res quamuis minùs ornatum, magis tamen fidele narrationis reddit eloquium. Epistolam sanè, in qua idem Clemens ad Iacobum fratrem Domini scribens, de obitu nuncians Petri: &, quod se reliquerit successorem cathedræ & doctrinæ suæ: in qua etiam de omni ordine Ecclesiastico continetur: ideo nunc huic operi non præmisi, quia & tempore posterior est, & olim à me interpretata atque edita. Sed quod in ea nonnullis fortasse videbitur inconsequens, si hic explanetur, non puto absurdum videri. Quidam enim requirunt, quomodo, cùm Linus & Cletus in vrbe Roma ante Clementem hunc fuerint Episcopi: ipse Clemens ad Iacobum scribens, sibi dicat à Petro docendi cathedram traditam: cuius rei hanc accepimus esse rationem: quod Linus & Cletus fuerunt quidem ante Clementem Episcopi in vrbe Roma, sed superstite Petro: videlicet vt illi Episcopatus curam gererent, ipse verò Apostolatus impleret officium. Sicut inuenitur etiam apud Cæsaream fecisse: vbi, cùm ipse esset præsens, Zachæum tamen à se ordinatum habet Episcopum: & hoc modo vtrumque verum videbitur: vt & illi ante Clementem numerentur Episcopi, & Clemens tamen post obitum Petri docendi susceperit sedem. Sed iam videamus: scribens Iacobi fratri Domini, opera sui Clemens ipse quod sumat narrationis initium.

† illi. s. Græci, isti. s. Latini.

Episcopo Apostoli, vide 3. lib. Recogn.

ARGVMENTVM IN LIBRVM I. Recognitionum per L. Gruterum Venradium.

OCCASIONEM *perscribit initio B. Clemens, qua ad cognitionem fidei in Christum peruenerit, eam fuisse sibi perpetuam cogitationem de immortalitate, statúque animi post hanc vitam; qua cùm mirabiliter agitatus, húcque ac illuc variè circumlatus sit, tandem Deo ita disponente se in Barnabam Romæ Christum docentem incidisse, cuius operâ adiumentóq; in Petri Apostoli notitiam peruenerit apud Cæsaream Stratonicam, qui eum veram de fide in Iesum Christum sapientiam luculentè docuerit. Narrat autem, statim post amicam consalutationē, Petrum causam sibi explicasse, cur tamdiu vera Dei agnitio mortales fugerit; tum, à quónam & quomodo ea discenda foret: eáque prudenti instructione ita in fide Christi se erudiuisse, vt mox collum fidei subdiderit, ac in Christum crediderit. Subiicit deinde de disputatione Petri apud Cæsaream futurû cum Simone Mago, iam tum ab ipso Mago indictâ, quo pacto, cùm eam Magus differret, à Petro sit magis magísque institutus, verâ doctrinâ repetitâ inde vsq; ab origine mundi, quam mox memoriæ causâ coram Petro repetit Clemens; sibi nimirum expositum esse, quò rerum omnium auctor sit in essentia vnus, trinus in personis; vt creatus mundus, & tempus acceperit, hominum genus creatum, & ex eo constituta Ecclesia, de arcana Dei voluntate, de duobus regnis mundi præsentis quidem sæculi, temporario; futuri autem, æterno, denique de extremo iudicio in quo quidem pij factorū suorum præmium, vitam consequentur, beatitatémque æternam; impij verò supplicium perpetuum. Eam porrò sic à Clemente recitatam, latissimè Petrum apertissiméque, (quæ profectò pulcherrima est instructio,) illustrasse, & à creato mundo ad Christum vsque, cursu religionis ad illud vsque tempus explicato summatim deduxisse, & demonstrasse. Dominum Iesum ipsummet magnum illum vatem esse à Mose in lege (Deut. 18.) promissum, qui legem ea parte, qua fuerit imbecillis, Euangelio suo absoluerit, qui verum se Deum inusitatis signis miraculísque probauerit, quique crucis necem iuxta legem vatésque nostri causa sit acerbissimam perpessus, resurrexerit mirabiliter, cuius doctrinam cum spreuerint Iudæi, (quo loco & de sectis ipsorum meminit,) ipsos iusto Dei iudicio reiectos esse ob incredulitatem; vocatas autem in horum locum ad fidem gentes, quemadmodū Iudæi, quod Apostoli publicè, constanter & vbique Iesum crucifixum Christum esse æternum assererent, persæpe cum ipsis contulerint, inque celebri quadam disceptatione, ob prædictam inter cætera abs Petro templi subuersionem iratos Iudæorum primores mala Apostolis meditatos, sed à Gamaliele, (cuius historia videtur in actis mentio fieri) secreto Christianæ pietatis fautore repressos esse, ac huius consilio alteram consequenti die disputationem orsos, in qua cum ita Gamaliel ageret, quasi aduersarius: atque interim blandos beneuolósque Apostolis auditores faceret, Caiapham colloquium turbasse; ei verò Iacobum Iustum Episcopum dies septem continuos tam fortiter respondisse, vt omnibus ipsis etiam sacerdotibus fidem persuaserit; sed baptizari paratos ab alio quopiam, (quem Paulum fuisse omninò fit verisimile) de sententia sana deiectos; plebem etiam in Iacobum concitatam; in qua deturbatus ille de gradibus crus fregerit; alios item multos cæsos: Fideles ob hanc iniuriam, magnámque persecutionem dispersos; ad quos postea Petrus scripsit Epistolam suam. Apostolos autem refert Hierichuntem secessisse; quò Zachæus Cæsareâ scripserit ad Iacobum de Simone Mago, vt is fidem illic credentésque euerteret; necessum esse, vt aliquis eò confutandi ipsius causâ mitteretur, (se Petrum) eò idcirco missum, cui mox in crastinum à Simone Mago sit indicta disputatio, atque hactenus se in Magum progressum vsque ad ipsius Clementis aduentum. Hæc primo libro Clemens.*

Ex hoc sanè argumento facile cernitur, nec indoctam vel commentitiam rapsodiam hanc historiam esse, neque verò inutilem, sed multò vtilissimam, iucundissimámque. Non solùm namque conuersio Clementis vtilissimi in Ecclesia viri ad fidem narratur; qua nihil piis iucundius: sed & ingratitudo Iudæorum, Apostolorúmque diligentia præter multa doctrinarum genera explicantur: adeóque forma commodissima præscribitur conuertendarum ad fidem gentium. Nusquam non in hoc libro defenditur liberum hominis arbitrium. Baptismi & Eucharistiæ vis, necessitas ac dignitas, Præterea Trinitas personarum vnius Dei, prouidentiáque astruuntur. Docetur item, non contemnenda esse miracula ad martyrum sepulchra edita. Sed sunt hic tamen loci quidā veluti næui, quos pium lectorem vel cautè legere, sanéque intelligere; vel suspectos habere oportet. Ne quis fallatur, eiusmodi hæc sunt, numeris notata suis locis, vt quis obseruare possit.

I.

Petrus inducitur animum dicere corpore vetustiorem, quod Origenicum errorem sapit; seu, vt loquitur interpres Rufinus, antiquiorem; fortasse ob hoc, quem non dubium est.

A

Origenistam fuisse, infertum, aut certè ambiguè positum, nam antiquior idem significat, quod & vetustior & dignior. Nihil absurdi, si intelligamus animum corpore digniorem esse. Sederat hic ambiguitas vitanda.

II.

Ob degustatam carnem, ex parte diluuium accidisse ait. Sanè quidem intellectum, fortasse non est malum. Sed cauendum est ab Ebione, qui carnem tanquam malam mali Dei creaturam damnat.

III.

Abrahamum ait filium habuisse præter Ismaëlem, ante Isaacum, nomine Heliesdron, de quo nihil sacra literæ referunt autem, vnum ante Isaacum habuisse: Et postea ex Chetura, quam eandem quidam, sed sine certis probationibus Agar esse putant, sex. Genes. 25. quorum nullus quidem, sic ibidem appellatur. Et saltem octo fuisse ipsius filios repetens hæc Epiphanius Cyprius Ep. commemorat principio Panarij.

B

IV.

Iosuam Mosis successorem vocat Ausen. Nisi fuerit Sinonymus, aut ipsius epitheton, ac tunc fortassis Amsi, nomen viri apud Nehemiam, cap. 11. quod fortem robustúmque significat.

V.

Christum ait inunctum à Patre, oleo ex ligno vitæ sumpto: quod fabulosius videri posset. Alludit autem ad 44. Psalmum sed locus prudenter intelligatur, ne in fabulas incidamus, quas vitandas monet Paulus. Paulò post enim vocat vnguentum spiritale.

VI.

Barnabam ait eundem esse, qui & Mathias vsurpatur Apostolus subrogatus in locum proditoris Iudæ, cui ex diametro primum actorum caput Lucæ refragari videtur: nisi Sinonymem dicamus, quod equidem me non memini legere.

C

Illud demum intelligendum est, quod Christus Dominus à Petro nomine veri prophetæ semper vocetur, fieri propterea, vt Iudæos & Iudaïcæ legis studiosos peritósque ad agnitionem Christi faciliùs deduceret, quippe, in qua Dominus Deus magnum eiuscemodi vatem fore pollicitus. Deut. 18. Cum enim ipsi peculiariter inter Iudæos ab Apostolis prædicatio commissa esset, teste Paulo, Galat. 1. ipsum his magis attemperare voluisse, verisimile est.

RECOGNITIONVM DIVI Clementis ad Iacobum Fratrem Domini, Liber primus, à Rufino Torano Aquileiense è Græco in Latinum versus: & nunc à L. Grutero Venradio fideliter veréque permultis in locis castigatus, & explanatus.

D

Occasio, qua peruenerit ad cognitionem Christi Clemens; perpetua de statu animæ cogitatio. Orditur simpliciter, more veterum, nomen suum indicans lectoribus, sicut Thucydides 1. libro historiæ suæ: Θουκυδίδης Ἀθηναῖος ξυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων. Et Nicephorus Callistus itidem de nostris sic orditur suam Ecclesi. historiam: in qua lib. 2. cap. 35. huius principij meminit.]

EGo Clemens in vrbe Roma natus, ex prima ætate pudicitiæ studium gessi: dum me animi intentio, velut vinculis quibusdam sollicitudinis & mœroris, innexum teneret: inerat enim mihi cogitatio, (incertum sanè, vnde initium sumpserit.) Crebrò enim ad memoriam meam conditionem mortalitatis adducens, simúlque discutiens; Verúmne sit mihi aliqua vita post mortem, an nihil omninò posteà sim futurus: Si non fuerim antè quàm nascerer: vel, si nulla prorsus vitæ huius erit post obitum recordatio: & ita immensitas temporis cuncta obliuioni ac silentio dabit, vt non solùm simus: sed neque, quod fuerimus, habeatur quod memoria: Sed & illud versabatur in pectore, quando factus sit mundus: aut si omninò factus sit: vel antè quàm fieret, quid erat: an verò semper fuerit. Nam certum videbatur, quod si esset factus, esse profectò soluendus: & si soluatur, quid iterum erit? nisi fortè obliuio cuncta & silentium teget: aut fortè aliquid erit, quòd nunc sentire mortalium non potest mens. hæc & his similia, nescio vndè, indesinenter animo reuoluens, nimietate mœroris incredibiliter tabescebam: & quod est grauiùs, si quando respuerem huiuscemodi curas, vel vt minùs vtiles cogitarem, validiores in me fluctus sollicitudinum consurgebant. Inerat enim mihi comes optima, quæ me quiescere non fineret, Immortalitatis Cupido. Vt enim pòst rerum exitus docuit, & gratia Dei omnipotentis ostendit: hæc me animi intentio ad inquisitionem veritatis, & agnitionem veræ lucis adduxit. Ex quo factum est, vt lugerem postmodùm eos, quos priùs ignorans, beatos credebam. Igitur, cùm à prima ætate in huiuscemodi animorum intentione versaret: cupiens aliquid discere, philosophorum frequentabam scholas: vbi nihil aliud, quàm dogmatum ad sertiones: & impugnationes, videbam agi sine fine certamina: arte syllogismorum conclusionúmque agitari versutias.

Inerat id est. Sollicitum me habebat cogitatio.

Immortalitatis cupido optima comes, ad capessendas virtutes.

E

F

Nam cùm dialectica arte in vtranque partem disputetur: non tam, qui veram defendit, quam, qui acriùs subtiliúsque disputat, vincere solet.]

Etsi quando obtinebat is sermo, quod immortalis esset anima, gratulabar: si quando verò arguebatur, quasi mortalis, cum tristitia discedebam: neutrum tamé in corde meo firmitudinem veritatis tenebat: sed hoc tantùm intelligebam, quod sententiæ ac * definitiones rerum, non pro natura suâ ac veritate causarum, sed pro ingeniis defendentium, falsæ imaginarentur, aut veræ: eóque magis in profundo pectoris cruciabar, quòd neque aliquid ex his, quæ dicebantur, tanquam firmum tenere poteram: neque abiicere desiderium requirendi: sed quantò magis negligere conabar ac spernere: tantò ardentiùs, vt suprà dixi, velut cum quadam voluptate latenter irrepens huiuscemodi cogitatio, mentem atque animum possidebat. Coangustatus igitur inuentione rerum, aiebam apud memetipsum: Quid inaniter laboramus, cùm manifestus sit terminus rerum? Si enim post mortem non ero, nunc superfluò crucior: Si verò erit mihi vita post obitum, seruemus illi vitæ sui temporis motus: ne fortè his, quæ nunc patior, aliqua me ibi tristiora excipiant, nisi piè ac sobriè vixero: & secundum nonnullorum sententias philosophorum, nigri * Phlegethontis fluuio, vel Tartaro, vt Sisiphus & Tityus: sed & vt Ixion, ac Tantalus æternis inferni suppliciis tradar. Et rursus mihi ipsi responde[bam]: Sed hæ fabulæ sunt: aut si ita est, dubiis præstat piè viuere.

G

** Definitionem quam paulò post Petrus repetit & approbat.*

** Pyriphlegethontis.*

H

Fabula de inferis. Vide 6. Æneidos Virgilij.

Vide, quibus cogitationibus æstuet prudentis hominis animus sine certa cognitione Iesu Christi.

Sed iterum reputabam mecum. Quomodo possem sub incerto iustitiæ præmio, à peccati me libidine continere: maximè, cùm etiam, quæ sit ipsa iustitia, quæ Deo placeat, apud me habeatur incertum & neque, si immortalis sit anima: ac sit ea, quæ aliquid sperare possit, agnoscam: neque, quid certi futurum sit, nouerim, nec tamen quiescere ab huiuscemodi cogitationibus possum. Quid igitur agam? hoc faciam: Ægyptum petam, atque ibi Hierophantis vel prophetis, qui adytis præsunt, amicus efficiar: & pecuniâ ab eis inuitatum magum precabor, vt educat mihi animam de infernis, per eam quam Necromantiam vocant, tanquam de aliquo negotio consulere cupiens. Mihi verò hæc erit consultatio, num immortalis sit anima. Probatio autem animæ, quod immortalis sit, non ex eo quod loquitur, erit mihi certa: vel ex eo, quod audio: sed ex eo, quod video: vt oculis meis cernens eam, certissimam de reliquo immortalitatis eius sententiam teneam. Neque enim vltrà poterit veritatem visus, verborum fallacia, &

Hierophantæ, Sacerdotes Ægypti, Necromantia quibus

euocet deos, vide apud Plinium.

auditio incerta turbare. Verumtamen hanc ipsam deliberationem meam retuli ad quendam familiarem meum philosophum, qui mihi consilium dedit, ne hoc facere auderem. Si enim, inquit, euocanti mago non obediat anima: tu post hæc tanquam nihil esse putans post mortem, desperabiliùs viues: quippe, qui & illicita tentaueris. Si verò & aliquid ibi videre tibi visus fueris, quæ tibi religio? aut quæ pietas ex illicitis tradetur & impiis? Exosum namque diuinitati huiuscemodi negocium ferunt: & aduersari Deum his, qui animas post absolutionem corporum vexant. Ego verò his auditis, pigrior quidem sum redditus ad hoc, quod parabam: nec tamen vsquequaque aut desiderium ponere poteram, aut molestiam cogitationis abiicere. Et ne longâ vtar narratione, cùm his ego cogitationis meæ æstibus agitarer, fama quædam sensim in imperio Tibi Cæsaris, initio ex Orientis partibus sumpto, peruenit ad nos, & per singula conualescens, velut à Deo bonus quidam nuncius missus, vniuersum replebat orbem: nec patiebatur diuinam voluntatem silentio tegi. Diffundebatur namque per singula loca, adnuncians, quod esset quidam in Iudæa, qui sumpto à tempore veris exordio, regnum Dei euangelizaret Iudæis: idque percepturos diceret eos, qui mandatorum suorum, & doctrinæ instituta teruasient.

Incerta fama de Christo sparsa multò sincerior, quàm nunc multorum de doctrina Euangelij sententia.

Vt autem sermo eius fide dignus, ac diuinitatis plenus esse crederetur, virtutes multas & signa ac prodigia mira efficere iussione solâ, dicebatur: ita vt tanquam à Deo potestatem habens, surdos faceret audire, & cæcos videre: & claudos erigere: atque omnem infirmitatem, cunctósque dæmones ex hominibus effugaret: sed & oblatos sibi mortuos suscitaret: leprosos quoque eminus videns, curaret: & nihil omninò esset, quod ei impossibile videretur. Hæc & horum similia processu temporis, crebris iam non rumoribus: sed manifestis quodammodo aduentantium ex illis partibus nunciis, firmabantur: & ipsa iam per dies singulos rei veritas patescebat. Denique in vrbe per loca conuentus fieri, & de hoc sermone tractari, atque in admiratione res haberi cœpit: quisnam is esset, qui apparuerit, vel quid nuncij à Deo hominibus detulisset: donec sub eodem anno vir quidam adstans in vrbis loco celeberrimo, proclamaret ad populum, dicens.

Barnabæ oratio ad populum Romanum. Eum primum omnium Euangelium Romæ prædicâsse & docuisse, testatur in vita ipsius Simeon Metaphrastes.

Audite me ô ciues Romani. Filius Dei in partibus adest Iudææ, promittens omnibus volentibus audire se, vitam æternam: si quis tamen secundum voluntatem eius, à quo missus est Dei Patris, actus suos direxerit: Propter quod conuertimini à malis ad bona, & à temporalibus ad æterna. Agnoscite vnum esse Deum, cœli terræque Rectorem, in cuius iustis aspectibus, vos iniusti mundum eius habitatis. Sed si conuertimini, & secundùm voluntatem eius agitis, ad futurum sæculum venientes, & æterni effecti, ineffabilibus eius bonis ac præmiis perfruemini.

Barnabas quis fuerit, describit Clemens. Hebræum fuisse, discipulum Christi (fortè ex LXX.) simplici oratione præditum, non dialecticum.

Erat autem vir iste, qui hæc loquebatur ad populum, ex orientis partibus, natione Hebræus, nomine Barnabas, qui se etiam vnum ex eius discipulis esse diceret: missúmque ad hoc, vt hoc volentibus indicaret. Quibus ego auditis, cum reliquâ multitudine, sequi eum cœpi, & audire, quæ diceret. Intelligebam sanè, quòd nihil dialecticæ artis esset in homine, sed simpliciter & absque vllo dicendi fuco, quæ audisset à filio Dei, vel vidisset, exponeret. Assertiones enim suas non argumentorum virtute muniebat: sed verborum & mirabilium, quæ adnunciabat, testes multos, ex ipso etiam circumstante populo, producebat. Verùm, quoniam ad ea, quæ syncerè dicebantur, libenter annuere populus, & amplecti sermonem simplicem cœpit: hi, qui sibi eruditi videbantur, vel philosophi, ridere hominem, ac spernere cœpere: syllogismorum in eum tendiculas, velut validissima arma, proferre: At ille interritus, & velut deliramenta, argutias eorum ducens, ne responsione quidem dignos eos iudicabat: sed ea quæ proposuerat, exequebatur intrepidus. Denique cùm loquenti ei, quidam proposuisset, cur ita factus esset culex, vt cùm sit animal exiguum, & sex habeat pedes, insuper ei additæ sint & alæ: elephantus verò cùm sit immane animal, neque alas habeat, quatuor tantùm pedes habeat.

Ridicula argutia Philosophorum. Hoc pacto Marcionem creatoris operibus illusisse referunt Irenæus lib. 1. Tertullianus, & Hieron. contra Pelag. Sed his Barnabas eleganter, amicè & perquam humaniter respondet.

Ad hæc ille ne respiciens quidem, sermonem suum, quem importuna propositio interrupetat, continuatâ intentione peragebat: hâc solâ admonitione per singulas quasque interruptiones additâ: Nos eius, qui misit nos, verba, factáque mirabilia adnunciare vobis in mandatis habemus, fidémque eorum, quæ dicimus, non ex argumentis arte quæsitis, sed ex vobis ipsis productis testibus confirmare. Agnosco enim plurimos adstare in medio vestrûm ex his, quos vnà nobiscum memini audisse, quæ audiuimus: & vidisse, quæ vidimus. Sit autem in vestra potestate, vel recipere, quæ adnunciamus, vel spernere. Nos enim quod vobis expedire nouimus, tacere non possumus: quia nobis, si taceamus, damnum est: vobis verò, qui dicimus, si non recipiatis, pernicies. Sed & stultis propositionibus vestris respondere perfacilè possim, si veritatis discendæ causâ quæreretis, de culicis, dico, atque elephantis differentiâ: sed nunc de creaturis dicere vobis aliquid, absurdum est: cùm à vobis ipse omnium creator & conditor ignoretur. Hæc autem cùm dixisset, velut ex vno consensu, indisciplinato ore omnes simul risum dedêre, incutere ei verecundiam, ac silentium imponere cupientes: barbarúmque & minùs sanæ mentis eum adclamantes. Ego verò cùm hæc ita fieri cernerem, zelo quodam, nescio vnde repletus, ac religioso furore succensus, silere non potui: sed cum omni libertate proclamans: Rectissimè, inquam, Deus omnipotens abscondit à nobis voluntatem suam, quos agnitione sui præuidit indignos: sicut ex his, quæ nunc agitis, sanè sapientibus palam est. Nam cùm videatis prædicatores voluntatis Dei aduenisse, quia nullam sermo eorum Grammaticæ artis scientiam profitetur, sed simplicibus & impolitis sermonibus perferunt ad vos diuina mandata, ita vt omnes, qui audiunt, sequi possint, & intelligere quæ dicuntur: ridetis vos, salutis vestræ ministros, & nuncios ignorantes: quæ vestra, qui vobis periti & eloquentes videmini, condemnatio est: quòd apud agrestes & barbaros habetur veritatis agnitio, quæ cùm ad vos aduenerit, nec quasi hospita suscipitur: quæ nisi intemperantia vestra & libido obsisteret, ciuis esse & vernacula debuisset: vt ex his arguamini, quòd non veritatis amici & philosophi, sed iactantiæ sectatores, & vaniloqui estis: qui veritatem non in simplicibus verbis, sed in versutis & callidis creditis habitare: & innumerabilia verborum profertis, vnius verbi nequaquam precio pensitanda. Quid ergo putatis futurum de vobis, vos ô omnis turba Græcorum, si erit iudicium Dei, sicut iste dicit? Sed nunc, omittentes ridere in perniciem vestri virum hunc, respondeat mihi, qui vult ex vobis, quoniam quidem solo latratu vestro obturbatis etiam eorum aures, qui salui esse volunt: & mentes, quæ ad fidem paratæ sunt, ad infidelitatis lapsum, vestris obturbationibus declinatis: quæ vobis erit † vnquam venia, qui diuinitatis nuncium, promittentem vobis agnitionem Dei, ridetis, & iniuriis afficitis: quem vtique, etiam si nihil veritatis adferret, pro ipso tamen benignitatis erga vos proposito, gratum acceptumque habere deberetis. Hæc & his similia cùm prosequerer, plurimus adstantis populi fremitus concitabatur, dum alij velut erga hospitem miseratione mouerentur: meumque sermonem consequenter habitum probarent: alij petulantes, & stolidi, in me quoque pariter, vt in Barnabam, effrenati animi, iracundiam concitarent. Sed cùm ad vesperum iam declinaret dies,

Clementis diuino furore succensi pro Barnaba oratio.

† inquam

A *Familiaritas Clementis & Barnabæ.*

apprehensâ Barnabæ dexterâ, obluctantem licet eum, ad meam tamen adduxi domum, atque ibi manere feci, ne quis fortè ex indocili vulgo iniiceret ei manus. Aliquantulis igitur diebus vnà positi, differente eo paucis, sermonem veritatis libenter audiebam: vrgebat tamen profectionem suam, dicens se diem festum religionis suæ, qui immineret, omnimodis apud Iudæam celebraturum, ibique de reliquo cum suis ciuibus ac fratribus permansuram: euidenter indicans, iniuriæ se horrore perculsum. Denique cùm ego dicerem, tu mihi tantùm eius viri, quem apparuisse dicis, expone doctrinam, & ego meis sermonibus tua dicta componens, omnipotentis Dei regnum, iustitiámque prædicabo: & post hæc, si volueris, etiam nauigabo tecum: valdè enim cupio videre Iudæam, vobiscum fortassis perpetuò permansurus. Ad hæc ille: Tu, inquit, si quidem videre vis patriam nostram, & discere, quæ desideras: iam nunc mecum pariter nauiga: si verò te aliquid detinet, signa tibi habitationis nostræ, derelinquam, vt cùm venire volueris, inuenire nos facilè possis: ego enim crastino ingrediar iter: Quem vbi immobilem vidi, descendi cum ipso vsque ad portum, ac diligenter ab eo signa quæ diceret, habitationis accepi, dicens ei: Quia nisi aliquantulum pecuniæ necessariò mihi esset à debitoribus reposcendum, nihil omninò differrem: velociter tamen insequar iter tuum. Cùm hæc dixissem, commendato eo attentiùs his, qui naui præerant, regressus sum tristis. Habebat enim me recordatio consuetudinis boni hospitis, & optimi amici. Diebus autem paucis remoratus, & his, quæ debebantur, ex parte aliqua profligatis: (plurima enim festinandi studio neglexi, ne à proposito impediret) enauigaui continuò in Iudæam: & post dies XV. Cæsaream Stratonis, quæ est Palestinæ vrbs maxima, adpulsus sum. Cúmque naui egressus, hospitium quærerem, rumore populi comperi, quod Petrus quidam, illius, qui in Iudæa apparuit, & signa multa ac prodigia diuinitùs gesta inter homines ostendit, discipulus probatissimus, crastino cum Simone quodam Samaritano ex castello Githonum, habiturus esset verborum quæstionúmque certamen. Quibus ego auditis, rogabam demonstrari mihi eius hospitium: quod cùm reperissem, atque ante fores constitissem, ingerebam ianitori, quisnam essem, atque vnde aduentarem: & ecce Barnabas procedens, statim, vt me vidit, in complexus meos corruit, gaudio lachrymans, atque apprehensum me manu, introducebat ad Petrum, quem cùm mihi eminùs ostendisset: hic est, inquit, Petrus, quem tibi maximum esse in Dei sapientia dicebam: cuique de te rursus sine cessatione loquutus sum. Ingredere igitur tanquam benè ei cognitus. Omnia enim, quæ in te sunt bona, verissimè comperit, & religiosum propositum diligenter agnouit, ex quo & summo desiderio agitur, videndi te. Vnde magnum ei hodie munus meis te manibus offero: simúlque oblato me, ait, Hic est, Clemens, Petre. At benignissimus Petrus, audito nomine, adcurrens protinus inhæsit osculis meis: & post hæc cùm sedere fecisset me, ait: Benè fecisti prædicatorem veritatis hospitio recipere Barnaban, nihil veritus populi insanientis furorem. Beatus eris. Sicut enim tu legatum veritatis omni honore dignum duxisti, ita te quoque peregrinantem, & hospitem, veritas ipsa suscipiet, & ciuem propriæ vrbis adscribet: & tunc tibi erit gaudium magnum, quòd exiguam nunc impartiens gratiam, æternorum bonorum hæres scriberis. Nunc ergo, ne labores exponere mihi animum tuum: cuncta enim de te & de moribus tuis Barnabas fideli sermone perdocuit, quotidie penè & indesinenter bonorum tuorum memoriam repetens. Et vt tibi breuiter tanquam vnanimi iam amico, quod in te est, definiam: si nihil est, quod te impediat, iter age nobiscum: & audi sermonem veritatis, quem habituri sumus per Loca singula, vsquequo ad ipsam nobis perueniendum sit vrbem Romam: nunc tu si quid desideras, dicito.

B *à prædicatione reuertitur in Iudæam.*

Clemens in Iudæā nauigat, & apud Cæsareā Stratonis, Barnabā C *à ianua quærens, ab ipso deducitur ad Petrū.*

Petrus humaniter excipit Clementem. D

Itinerariū Petri etiā verò vocantur hi libri recognitionū vide sextū senensem lib.2 bibliotecæ sanctæ.

Meminit huius historiæ Nicephorus Callistus libro 2. Historia Ecclesiastica cap.xxxv. hisce verbis inter cætera. Petrus cùm per ciuitates vbique Simonis Magi semina radicitùs euelleret, sacrum etiam Clementem ad se pertraxit, eumque sibi ad arcanas & obscuras illius de anima & restitutione hominis aliisque rebus ingentibus, quæstiones per oppositas solutiones ritè præsentique animo respondens, atque insuper miraculis multis, & secretioris sapientiæ vi familiarius sibi coniunxit. Lege porrò hunc in locum Primam Clementis Epistolam ad Iacobum. Considera quoque præclaras quæstiones, quas doctus Clemens sibi enucupit solui. In his enim potissima consistit Philosophia.

E

Cumque ei exposuissem quid ab initio propositi gesserim, & quomodo per inanes effusus sim quæstiones, & illa omnia quæ tibi * domine mi Iacobe in principiis indicaui, (vti ne eadem repetam) libenter promisi, cum ipso me iter acturum: hoc est enim, aio, quod cupidissime expetebam. Veruntamen priùs mihi cupio rationem veritatis exponi vt sciam, si mortalis, an immortalis est anima: & si immortalis, vtrum pro his quæ hic agit, ducatur ad iudicium. Sed & quæ sit iustitia, quæ Deo placeat, scire desidero. Tunc præterea, si factus est mundus, vel quare factus est: aut si soluendus, & an in melius renouandus: aut si omnino post hæc non erit mundus: & ne per singula progrediar, hæc atque horum similia vt se habeant, dici mihi velim.

* *dilecte Deo*

F

Orditur Petrus fidei doctrinam a causis eius ignoratæ. Vitia non secùs ac fumum quendam excæcâsse mortalium animos: Solum Christum esse, qui & hunc ignorantia fumum dispellat: hunc sibi principio cognoscendum & discendum esse. Elegantissima similitudine hoc explicat, & accommodat fidei, cum dilucida introductione ad veram sapientiam.

Respondit ad hæc Petrus: Breuiter, inquit, tibi ô Clemens, rerum scientiam tradam, & ausculta iam nunc. Voluntas & consilium Dei latuit homines multis ex causis. Primò quidem pro institutione mala: pro sodalitatibus pessimis: pro consuetudine nequam: pro colloquiis non bonis: pro præsumptionibus minus rectis: pro his, inquam omnibus, primùm error, inde contemptus, tum infidelitas & malitia, auaritia quoque & vana iactantia, aliáque his similia mala, velut fumus quidam immensus, vniuersam mundi huius domum repleuit: & habitantibus intrinsecùs, intuendi conditorem suum, aspectum liberum non dedit, neque, quæ ei essent placita, peruidendi. Quid igitur his, qui sunt intrinsecus, conuenit? nisi, vt ex intimis præcordiis clamore prolato, auxilium, inuocent eius, quem solum domus fumo repleta non claudit? & accendens aperiat ianuam domus, quò possit fumus quidem, qui intrinsecus habetur, excludi: lux verò Solis, quæ extrinsecus resplendet, induci. Hunc ergo, qui ad auxilium domus, caligine ignorantiæ, & vitiorum fumo repletæ, perquiritur, illum esse dicimus, qui appellatur verus propheta: qui solus illuminare animas hominum potest, ita vt oculis suis, viam salutis euidenter inspiciant. Aliter enim impossibile est, de rebus diuinis æternísque cognoscere, nisi quis ab isto vero Propheta didicerit: quia, sicut ipse paulò antè memorabas, fides rerum, causarumque sententiæ, pro ingeniis magis defendentium ponderantur.

G

H

Paulò ante) Scilicet in explicatione causa, cur ad Petrum venisset. Locus est. Cumque ei exposuissem. Est autem verissima & elegantissima γνώμη.

Vnde & eadem causa, nunc iusta, nunc iniusta putatur: & quod modò verum videbatur, alterius adiectione falsum videtur: ista de causa, religionis ac pietatis fides, veri Prophetæ præsentiam postulauit: vt ipse nobis diceret de singulis, prout se ipsa veritas habet: & doceret, quomodo oporteat de singulis credi: & ideo ante omnia fidem Prophetæ omni cum examinatione oportet probari: quem cùm cognoueris esse Prophetam, de reliquo cuncta ei credas, oportet: nec vltra discutere eum per singula, quæ docuerit: sed habere firma & sancta, quæ dicit: quæ quidem quamuis fide suscipi videantur, ante habitâ tamen probatione creduntur. Cùm enim semel ex initio, Prophetæ veritas examinata constiterit: reliqua demùm fide audienda sunt & tenenda, qua eum doctorem esse iam constitit. Et sicut certum

1.Ioan.4. Probandi sunt enim spiritus, an ex Deo sint.

est,

Liber hic Clementis de vero Propheta non extat.

est, cuncta secundum veritatis regulam teneri oportere, quæ ad diuinam scientiam spectant: ita indubitatum est à nullo alio, nisi ab ipso solo sciri posse, quod verum est. Et his dictis, tam mihi apertè, & tam lucidè, quis iste esset propheta, & quemodo inueniretur, exposuit, vt ego mihi ante oculos habere, & manu contrectare viderer probationes, quas de prophetica veritate protulerat: ingentique stupore deficerem, quomodo ea, quæ omnes quærunt, ante oculos posita nullus videat. Vnde iubente eo, ea quæ ad me loquutus est, in ordinem redigens, librum de vero Propheta conscripsi, eumque de Cæsarea, ad te, ipso iubente, transmisi. Dicebat enim mandatum se accepisse abs te, vt per singulos annos, si qua essent à se dicta, gestáque ad te descripta transmitteret. Interea initio sermonis sui, quem primo die habuit ad me de vero Propheta, & de aliis plurimis, cùm me instruxisset plenissimè, addidit etiam hæc: Vide, inquit, de reliquo, & interesto tractatibus meis, quos, si quando necessitas attulerit, habebo cum his, qui contradicunt: aduersus quos disputans, etiam si fortè inferior visus fuero, non verebor, ne forté tu, de his, quæ tibi à me sunt tradita, in dubium venias: quia etiam si ego visus fuero superari, non tamen idcirco ea, quæ nobis verus Propheta tradidit, infirma videbuntur. Spero tamen, quod nec in disputationibus superemur: si modò rationabiles sint auditores, & amici veritatis, qui discernere valeant vim, speciemque verborum: & agnoscere, qui sermo ex arte sophistica veniat, non veritatem continens, sed imaginem veritatis: & qui sit, qui simpliciter, ac sine fuco prolatus, omnem vim non in specie & ornatu, sed in veritate & ratione possideat.

εὐχαριστία Clementis pro tam erudita Petri fidelique institutione. Est hic videre, quam Dei verbum sit efficax prudenter doctum.

Ad hæc ego: Omnipotenti, inquam, Deo gratias ago, quia, vt optaui & desideraui, instructus sum, Veruntamen de me in tantum esse debes securus, quod de his, quæ didici abs te, in dubium venire non possim, vt si tu ipse velis aliquando fidem meam à vero Prophetâ transferre, omninò non possis: quia pleno spiritu hausi, quæ tradidisti. Et ne putes magnum tibi me aliquid polliceri, quod ab hac fide negem me posse transferri: certum est apud me, quia quicunque hominum hanc de vero Propheta acceperit rationem, dubitare vltra de veritate nullatenus poterit. Et ideo confido de hoc diuino dogmate cœlitus definito, in quo omnis ars malitiæ superatur. Aduersus prophetiam etenim neque ars vlla stare sufficit, neque sophismatum, syllogismorumque versutiæ: Sed omnis qui audierit de vero propheta: necesse est, vt statim desiderium capiat ipsius veritatis: nec vltrà sub occasione veri quærendi, diuersos patietur errores. Propter quod Domine mi ô Petre, nolo sis vltra sollicitus, tanquam de eo, qui nesciat, quid acceperit: & quantum sibi commissum sit muneris: certus esto, quod scienti & intelligenti gratiam contulisti: nec facilè possum decipi, pro eo, quòd, quæ diù desiderabam, citò videor adeptus. Potest enim fieri, vt alius desiderans citò adipiscatur, alius nec tardè ad desiderata perueniat. Et Petrus, his à me auditis: Gratias ago, inquit, Deo meo, & pro salute tua, & pro requie mea: valde enim delector, quòd intellexisse te videam, quanta sit virtutis propheticæ magnitudo, & quòd, vt ais, nec si ego ipse cupiam, quod absit, possim te transuertere in aliam fidem. & ex hoc iam incipe esse nobiscum, & crastino die interesto disputationibus nostris: erit enim mihi certamen contra Simonem Magum. Cumque hæc dixisset, secessit vt cibum caperet cum suis, me autem seorsim vesci iussit: & post cibum, cùm laudem dixisset Deo, & gratias egisset, etiam huius ipsius facti mihi reddidit rationem, & addidit, dicens. Det tibi Dominus exæquari nobiscum in omnibus, vt percepto baptismate possis ad eandem nobiscum conuenire mensam & his dictis, quiescere me iussit: iam enim somnum natura corporis, & ratio temporis inuitabat.

Petrus seorsim à gentibus comedebat. Tantus enim fuit zelus eorum, qui nouerant fidem in Christum, vt ne verbo quidem communicarent cum contemptoribus, idéoque ab iis etiam, qui baptisati non forent, abstinerent. Quo de Irenæus lib. 3. cap. 3.

Postera verò die matutinus ad nos ingrediebatur Zachæus, & cùm salutasset, ait ad Petrum:

Zachei oratio renunciatoria, de Magni comperendinatione, qua consulit, vt interea de doctrina Christiana inter ipsos conferatur ob maiorem certitudinem.

Differt Simon certaminis diem in vndecimam mensis præsentis, quæ est post septem dies. Tunc enim magis vacuum sibi disceptandi tempus affirmat. Sed & mihi videtur comperendinatio eius etiam nobis esse necessaria: vt plures conueniant, qui disputationis nostræ vel auditores vel iudices fiant. Veruntamen si probabile tibi videtur, inter moras, ea, quæ in controuersiam venire posse opinamur, inter nosmetipsos priùs discutiamus, vt vnusquisque nostrûm, cùm, quæ proponenda sunt, & quæ respondenda, cognouerit, apud semetipsum pertractet, si rectè se habeant, aut si inuenire poterit aliquid aduersarius quod obiiciat, aut quod obiecta frustretur. Si verò ex omni latere, quæ à nobis dicenda sunt, claruerit esse munita, ita demùm confidenter quæstionis ineatur exordium; & quidem mea hæc est sententia, quod ante omnia requiri oporteat, quid sit omnium primum, quidve * immaculatum, quòd etiam causam esse omnium quæ sunt, docendum est: deinde cuncta quæ sunt, si facta sunt, & à quo, vel per quem; vtrum ab vno, an ex duobus, an à multis accepere substantiam: & vtrum ex nullis substantibus, an ex aliquibus sumpta sint, ac adornata: tum si aliqua virtus est in altissimis, aut in inferis: Si est, quid melius est omnibus, aut cunctis inferiùs: Si sint aliqui motus, aut nulli? si hæc, quæ videntur erant semper, & erunt? Si extitêre nullo operante, & nullo soluente dilabantur? Si, inquam, ex his initium acceperit disputatio, puto quod ea, quæ quærentur diligenti examinatione discussa, facilè clarescant. Cum autem hæc claruerint, eorum quæ sequuntur in promptu reperietur agnitio. Ego quid senserim protuli? qoid etiam tibi videtur, indicare non pigeat: Ad hæc Petrus: Dic, inquit, interim Simoni, faciat vt libet: certus, quod diuinâ prouidentiâ largiente, semper nos inueniet paratos. Et Zachæus qoidem quæ audierat, egressus est Simoni nunciare. Petrus verò respiciens ad nos, & intelligens contristatum me esse pro dilatione certaminis, ait:

Legant hoc qui ignauia sua spiritum prætexant.

** immediatum.*

Prudentem vide Petri pietatem. Cum Clemens contristaretur tanquam nouitatis adeòque sapientiæ studiosus ob dilatam disputationem, Petrus, refert eam ad diuinam prouidentiam.

Qui credit summi Dei prouidentiâ dispensari mundum, non debet ô amice Clemens, de singulis, quæ quoquo modo accidunt, aspernanter accipere certus qood iustitia Dei, etiam ea, quæ superflua videntur, aut contraria in vnoquoque negotio opportuno exitu, competentique dispensat: præcipuè tamen erga eos, qui eum familiariùs colunt: & ideò, qui de his, vt dixi, certus est, si quid eueniat contra sententiam, nouit pro eo mœrorem de animis expellere: meliore sententia manifestum habens, quod dispensatione boni Dei, etiam, quod contrarium putatur, vertatur in meliùs. Propter quod, ô Clemens, etiam nunc non te contristet magi Simonis ista dilatio. Credo enim, quod per Dei prouidentiam gestum sit ad vtilitatem tuam, vt possim tibi rationem fidei nostræ, in hac septem dierum comperendinatione, absque aliquo strepitu, ordinemque consequenter exponere secundum traditionem veri Prophetæ, qui solus scit, quæ facta sunt, vt facta sint: & quæ fiunt, vt fiant: quæque erunt, vt erunt: quæ taman manifestè quidem dicta, non tamen manifestè scripta sunt: in tantùm, vt cùm leguntur, intelligi sine expositore non possint: propter peccatum, quod coadoleuit hominibus, sicut superiùs diximus. Idcircò igitur explanabuntur tibi per me omnia: vt in his, quæ scripta sunt, dilucidè, quæ sit sententia legislatoris agnoscas. Cúmque

Locus communis, valdè consolatorius. ἀξιόλογα. Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum Rom. 8. Litera Sacra obscura D. Petro

hæc dixisset, exponere mihi singula de his quæ in quæstione esse videbantur legis, capitulis cœpit, ab initio creaturæ vsque ad id temporis, quo ad eum Cæsaream deuolutus sum. Hæc mihi dicens, dilatio Simonis contulit, vt per ordinem cuncta cognoscerem. Aliâs, inquit, secundum ea, quæ opportunitas sermoni adtulerit, de singulis quibúsque, quæ nunc compendiosiùs diximus, latiùs differemus: vt secundum ea, quæ pollicitus sum tibi, pleniùs de omnibus perfectiúsque cognoscas. Quia ergo hodierna adhuc nobis superest dies, ex his, quæ dilatæ sunt, volo tibi rursus ea quæ dicta sunt breuiter iterare, vt magis tibi ad memoriam reuocentur.

Repetitio doctrinæ Petri summaria. Dein subijcitur latior διακοσμή.

Et incœpit hoc modo mentibus meis innouare, quæ dixerat. Meministi, ô amice Clemens, quæ mihi fuerit de æterno seculo, ac finem nesciente, narratio? Tunc ego, nihil, inquam, ô Petre aliquando retinebo, si hoc omittere, aut obliuisci potuero. Et Petrus libenter hac meâ responsione susceptâ: Gratulor tibi, inquit, quod ita responderis: & non quod hæc ipsa facilè dicas, sed te meminisse protuleris: quæ enim summa sunt, silentio honorari volunt. Ad fidem tamen eorum, quæ de ineffabilibus meministi, dic, quæ retines ex his, quæ in loco secundo à nobis dicta sunt, quæ proferri facilè queunt, vt peruidens tenacitatem memoriæ tuæ, de quibus volo, promptiùs tibi indicem, & liberoter aperiam. Tunc ego, vbi aduerti eum auditorum memoriâ gaudere: Non solùm, inquam, definitionis tuæ memor sum, sed & præfinitionis illius, quæ ante definitionem posita est, & omnium penè quæ exposuisti, sensum integrum seruo: etiam si verba non omnia: quia tanquam vernacula animæ meæ, & ingenita effecta sunt, quæ dixisti. Nimium enim sitienti mihi dulcissimum poculum porrexisti. Et ne putes quod rerum immemor, verbis te occupem, iam nunc quæ dicta sunt in memoriam reuocabo: in quo me plurimum iuuat ordo disputationis tuæ.

Ordo memoriam iuuat.
1. Trinitas.

Clemens ordinem doctrinæ Petri, methodúmque laudat. Hoc est, quod paulus desiderat in Concionatore, vt rectè secet sermonem veritatis. 2. Tim. 2.

Etenim, quia consequenter directa sunt, & liberè ordinata, quæ dicis, ideircò & facilè ad memoriam ordinis sui lineis reuocantur. Multùm namque ad recordandum prodest ordo dictorum cùm enim recolere singula per consequentiam cœperis, vbi aliquid deest, statim sensus inquirit: & cùm inuenerit, seruat: aut certè, si inuestigare nequierit, à magistro requirere non pigebit. Sed ne moram faciam in reddendo ea, quæ poscis à me, retexam breuiter, quæ de veritatis definitione tradidisti. Erat semper, & est, & erit illud, à quo prima voluntas genita sempiternitate constat, & ex prima voluntate iterùm voluntas. Post hæc mundus, ex mundo tempus: ex hoc hominum multitudo: ex multitudine electio amicorum: ex quorum vnanimitate pacificum construitur Dei regnum. Reliqua verò, quæ hæc consequi deberent, aliâs te mihi dicturum esse promiseras. Post hæc, cùm de creatura mundi exposuisses: * definitionem Dei, quam in conspectu omnium primorum Angelorum de sua † voluntate promisit, quamque æternam legem cunctis statuit, intimâsti: & quod duo regna posuit, præsentis dico temporis, & futuri: & tempora vtrique constituit, statuitque expectati iudicij diem, quam ipse definiuit: in qua habenda sit rerum, animarumque discretio, vt impij quidem pro peccatis suis igni tradantur æterno: hi verò qui secundum voluntatem conditoris Dei vixerint, pro bonis operibus benedictione susceptâ clarissima luce fulgentes, introducti ad æternam Sedem & in incorruptione durantes, ineffabilium bonorum munera æterna percipiant. Hæc me prosequente, gaudio perfusus Petrus, tanquam super filio tripudians, ne fortè in reliquorum memoriâ titubans, erubescerem: propter eos, qui aderant, sufficit, inquit, ô Clemens: euidentiùs enim hæc, quàm à meipso exposita fuerant edidisti. Et ego aio: Narrandi ordinem, & lucidiùs ea, quæ res expetit, proferendi, eruditio nobis contulit liberalis: qua si vtamur in antiquitatis erroribus, in perniciem vitæ, verborum decore ac suauitate decidimus. Si verò ad adserendam veritatem, eruditionem sermonis, & gratiam conferamus, puto ex hoc non parum vtilitatis acquiri. Veruntamen mi domine Petre, quanta me arbitraris gratulatione sublatum, cùm in cæteris omnibus, tum præcipuè in illius doctrinæ sententia: qua ais, vnus est Deus, cuius opus mundus est, quique quia iustus est omnimodis, vnicuique pro actionibus suis reddet. Et post hæc addidisti, dicens: Pro * cuius dogmatis adsertione innumera verborum millia mouebantur: sed in his, quibus veri Prophetæ concessa est scientia, omnis ista verborum sylua succisa est. Et propter hoc, cùm mihi tradideris de vero Propheta sermonem, omni me adsertionum firmitate roborasti. Inde denique ego cùm aduertissem, in hoc summam totius religionis pietatísque consistere, illicò respondi: Optimè prosequutus es Petre, propter quod de reliquo iam tanquam scienti, quæ sint fundamenta fidei, & pietatis, veri prophetæ traditiones incunctanter expone: cui soli credendum esse, euidenter probatum est. Illam vero expositionem, quæ adsertionibus & argamentis indigeat, infidelibus serua: quibus nondum committere propheticæ gratiæ indubitabilem iudicaueris fidem. Et cùm hæc dixissem: Tu vtrumque, inquam, pollicitus es, te hanc mihi simplicem expositionem, ac totius erroris expertem, & illam, quæ per singulas quasque quæstiones explicatur, quæ * & à te mouebantur, in tempore traditurum. Et post hæc exposuisti per ordinem, à principio mundi, vsque ad præsens tempus consequentiam rerum: &, si placet, possum memoriter vniuersa retexere. Ad hæc Petrus: Magnificè, inquit, delector ô Clemens, quòd tam tuto cordi verba committam: memorem namque esse eorum, quæ dicuntur, indicium est, in promptu habere operum fidem. Cùm verò malus dæmon salutis verba furatur, & de memoria rapit: etiam si velit, saluari non poterit. Perdit enim viam, qua peruenitur ad vitam: propter quod eò magis repetamus, quæ dicta sunt, & confirmemus ea in corde tuo: id est, quomodo, vel à quo factus sit mundus, vt tendamus ad amicitiam conditoris. Amicitia autem efficitur benè viuendo & voluntati eius obediendo, quæ voluntas omnium viuentium lex est.

*Æternas voluntates appellat filium & spiritum sanctum. Mundi creatio: Tempus. Hominũ creatio Ecclesia cõstituta. * præfinitionem. nam videtur intelligere Prædestinationẽ. † consilio*

Artiũ liberalium quæ vtilitas, & quis debeat esse scopus.
** cuius) fortè, alicuius*
Summa religionis nostræ in vnô Deo consistit.
** quidem*
Lucæ 8.
Voluntas Dei) scilicet, Fiat lux. Gen. 1.

Latiùs Petrus suam doctrinam repetit inde à creato mundo, doctissimè sed obscuriùs.

Breuiter ergo tibi hæc eadem firmioris causâ memoriæ retexemus. In principio cum fecisset Deus cœlum & terram, tanquam domum vnam, ipsa, quæ ex corporibus mundi reddita est vmbra, his, quæ intrinsecus clausa fuerant, tenebras ex se dedit. Sed cùm voluntas Dei introduxisset lucem, tenebræ illæ, quæ ex vmbra corporum factæ fuerant, continuò deuoratæ sunt: tunc deinde lux in diem, tenebræ deputantur in noctem. Iam verò aqua, quæ erat intra mundum, in medio primi illius cœli, terræque spatio, quasi gelu concreta, & cristallo solidata, distenditur: & huiusmodi firmamento velut intercluduntur media cœli ac terræ spatia, idque firmamentum, Cœlum conditor appellauit antiquioris illius vocabulo nuncupatum: & ita totius mundi machinam, cùm vna domus esset, in duas diuisit regiones. Diuisionis autem hæc fuit causa, vt superna regio angelis habitaculum, inferior verò præberet hominibus. Post hæc quòd reliquum fuit, in inferioribus aquarum, iussu voluntatis æternæ, locus maris & chaos effectum recipit: eisque ad demersa & concaua defluentibus, arida quidem apparuit terra. Congregationes autem aquarum, effecta sunt maria. Et post hæc terra quæ apparuerat, herbarum & virgultorum diuersa genera produxit: fontes quoque & fluuios, non solùm in planis, sed & in montibus protulit: & sic cuncta præparata sunt: vt hominibus qui habitarent in ea, esset facultas his omnibus pro arbitrio, vti, id est, siue ad bona velint siue etiam ad mala.

Lux. Tenebra. Aqua. Cœlum. supera regio, beatorũ angelorũ domiciliũ. Malè igitur, qui vbique illud constituunt.
Maria Terra. Fontes. Liberum arbitriũ hominus.

Astronomiæ finis, vsus & approbatio. Caue autem intelligas hic superstitiosam Astrologiam, quam nonus liber insectatur: sed è qua homini ex prodigiis, qualia tempore

Ezechia,

A

Ezechia, Iosue, aduentus & passionis Christi visa sunt, & iudicij die futura, liceat diuinare alsum statum rerum.

Posthæc stellis adornat cœlum istud visibile. Solem quoque & lunam ponit in eo, vt alterius lumine dies, & nox vteretur alterius: simúlque, vt essent iudicio rerum præteritarum, præsentium, & futurarum. Pro signis enim temporum facta sunt ac dierum, quæ videntur quidem ab omnibus: intelliguntur autem ab eruditis & intelligentibus solis. Cúmque post hæc de terra & aquis produci iussisset animantia, Paradisum fecit, quem & deliciarum locum nominauit. Post hæc autem omnia, hominem fecit; propter quem cuncta præparauerat, cuius interna species est antiquior, * & ob cuius causam omnia, quæ sunt, facta sunt: ministerio eius concessa, & habitationis eius vsibus data. Igitur consummatis omnibus, quæ in cælo & in terris sunt, atque in aquis, multiplicato etiam hominum genere, octaua generatione homines iusti, qui Angelorum vixerant vitam, illecti pulchritudine mulierum, ad promiscuos & illicitos concubitus declinauerunt, & inde iam indiscretè & contra ordinem cuncta agentes, statum rerum humanarum, & diuinitùs traditum vitæ ordinem permutarunt: ita vt omnes homines, vel persuasione, vel vi peccare in creatorem suum cogerent Deum. Ex nona generatione nascuntur Gigantes, illi, qui à sæculo nominantur, non δρακοντόποδες, vt Græcorum fabulæ ferunt: sed immensis corporibus editi, quorum adhuc, ad incidium, in nonnullis locis ossa immensæ magnitudinis ostenduntur. Sed aduersum hos iusta Dei prouidentia diluuium mundo introduxit: vt orbis quidem terrarum ab eorum contagione dilueretur: omnis vero locus ab impiorum nece verteretur in pelagus. Vnus tamen tunc inuentus est iustus, nomine Noë, qui in arca cum tribus filiis, eorúmque vxoribus liberatus, post aquarum decursus, cum his animalibus quæ secum clauserat, & seminibus, mundi habitator effectus est. Duodecima generatione, cum Deus benedixisset homines, & multiplicari cœpissent: acceperunt præceptum, ne sanguinem degustarent: † propter hoc enim etiam diluuium factum est.

Primus hic huius libri naeuus est. Prudenter est hoc intelligendũ.

B

de quo post Argumentũ suprà admonuii.

Genes. 6. Diluuiũ. Noe iustus.

C

Genes. 9. Cham seruorum pater.

† *Propter hoc.*) *Alter naeuus; de quo item suprà.*

Tertiadecima generatione, cùm, ex tribus filiis Noë, vnus, qui erat medius patri fecisset iniuriam, posteritati suæ ex maledicto conditionem seruitutis induxit, cuius interim senior frater habitationis sortem, eam, quæ est in medio terræ, suscepit, in qua est regio Iudeæ. Iunior verò Orientis plagam sortitus est: ipse autem Occidentis accepit. Quartadecima verò generatione ex maledicta progenie quidam propter artem magicam primus aram statuit dæmonibus, honorem sanguinis litans. Quintadecima generatione primò omnium homines idòlum statuentes, adorauerunt: & vsque ad illud tempus diuinitùs humano generi data Hebræorum lingua, tenuit monarchiam. Sextadecima generatione mouerunt se ab Oriente filij hominum: & venientes ad terras patrum suorum vnusquisque sortis suæ locum, proprij vocabuli appellatione signauit. Septimadecima generatione apud Babyloniam Nemroth primus regnauit, vrbemque construxit, & inde migrauit ad Persas, eósque ignem colere docuit.

vsque) vsque ad constructionem famosæ illius Babylonicæ turris.

D

Gen. 10. Gen. 11.

Ignem hunc Vr dictum coluerunt, conati sacrum ignem, qui in piorum sacrificia solebat cœlitùs decidere, imitari. Vocant historiæ Orimasda, id est, sacrum ignem, quem tanti fecêre Persici reges, vt equo impositum sibi anteferri vellent. Græci πυρεῖα vocarunt, sacrum illum focum, & ignis templum. Eius Dei ignei cultum ad Theodosii tempora vsque & vltra durâsse, scribit Niceph. Callistus, libro hist. Eccl. 14. cap. 19. cuius ob cultus abrogationem Abdas Sanctus Episcopus Persidis à Varane Persarum rege occisus fuit.

Octauadecima generatione muratæ vrbes factæ sunt: & exercitus instituti: armáque & iudices legésque sancitæ: templa constructa: & principes gentium, tanquam dij, adorati sunt. Nonadecima generatione, posteri illius, qui post diluuium maledictus est, proprios terminos excedentes, quos in Occidentalibus partibus sorte susceperant, eos, qui medium terræ fuerant sortiti locum, in terras Orientis expellunt: & vsque ad Persidem fugant: ipsique in expulsorum locis iniquâ sorte succedunt. Vicesima generatione ob incesti crimen, primus morte propriâ filius ante patrem defunctus est. Vicesimaprima generatione extitit vir quidam sapiens, ex genere eorum, qui fuerunt expulsi, ex semine primogeniti filiorum Noë, nomine Abraham, à quo nostrum Hebræorum ducitur genus. hic, cùm vniuersus iterum mundus diuersis erroribus esset oppressus, & pro immanitate scelerum maturum ei pararetur excidium, non iam per aquam, sed per ignem: cúmque iam plaga initio à Sodomis sumpto, immineret & vniuerso orbi terrarum: pro amicitiis, (quibus erat ei familiaritas cum Deo; (cui bene placuerat, vniuersum mundum ne pariter periret, eripuit. Ab initio tamen, cæteris omnibus errantibus, ipse, cùm arte esset astrologus, ex ratione & ordine stellarum agnoscere potuit conditorem, eiúsque prouidentiâ intellexit cuncta moderari. Vnde & Angelus adsistens ei per visionem, pleniùs eum de his, quæ sentire cœpit, edocuit. Sed & quid generi eius ac posteritati deberetur, ostendit, & non tam eis danda hæc loca, quàm reddenda promisit. Igitur Abraham cùm rerum causas desideraret agnoscere, idque secum intentâ mente peruolueret, apparuit ei verus Propheta, qui solus omnium corda & propositum nouit: & omnia ei, quæ desiderabat, aperuit: diuinitatis scientiam docuit: mundi originem, finémque pariter indicauit: Animæ immortalitatem ac viuendi instituta, quibus Deo placeretur, ostendit: Resurrecturos quoque mortuos; ac iudicium futurum: bonorum remunerationem: malorum pœnas: iusto cuncta moderanda iudicio, declarauit. Omnibúsque ritè ac sufficienter edoctis, ad sedes rursus inuisibiles secessit. Verùm cùm adhuc Abraham in ignorantia versaretur, sicut tibi & anteà iam diximus, nati sunt ei filij duo, quorum vnus Ismaël alius Heliesdros appellati sunt.

E

Bellorũ origo.

Gen. 17.

F

Gen. 18.

Psalm. 7. Act. 5.

Tertius hic libri naeuus; de quo supra dictum est.

G

Ex alio Barbaræ gentes, ex alio Persarum populi descendunt: è quibus nonnulli Bracmanorum vitam, & vicina instituta sectari sunt. Alij apud Arabiam consederunt, ex quorum posteris nonnulli etiam in Ægyptum dispersi sunt. Indè denique & Indorum quidam & Ægyptiorum circuncidi didicêre, ac purioris obseruantiæ esse, quàm cæteri: licet processu temporis quàm plurimi eorum ad impietatem verterent argumentum, & iudicium castitatis.

Consule Philonem, libello, de Circuncisione.

Veruntamen cùm hos duos filios tempore, quo adhuc in ignorantia rerum vixerat, suscepisset, Dei agnitione perceptâ petit ab eo, qui erat iustus, vt ex Sarâ, quæ ei erat coniunx legitima, cùm esset sterilis, habere progeniem mereretur, & accepit, quem & Isaac nominauit, ex quo natus est Iacob. De Iacob autem 12. Patriarchæ, & ex ipsis duodecim septuaginta duo. Hi fame exorta in Ægyptum veniunt, cum omni domo sua, & intra annos. CCCC. benedictione & promissione Dei multiplicati, adfligebantur ab Ægyptiis. Cúmque affligerentur, apparuit verus Propheta Moysi, & Ægyptios quidem resistentes, ne Hebræorum populus exiret ab eis, & rediret ad patriam terram, decem plagis cœlestibus affecit: populum verò Dei eduxit ex Ægypto. Sed qui superfuerant ex Ægyptiis, conspirati cum animositate regis sui, insequuti sunt Hebræos: quos cum reperissent super littus maris & interimere omnes, ac delere cogitarent Moyses oratione ad Deum fusâ, mare in duas partes diuisit, ita vt aqua dextera leuáque quasi gelu concreta teneretur, & populus quidem Dei transiret velut iter aridum: insequentes verò eos Ægyptij temerè ingressi necarentur. Vbi enim vltimus ex Hebræorum populo ascendit, Ægyptiorum quoque vltimus descendit in mare, & continuò aquæ maris, quæ vt gelu constrictæ, tenebantur, præcepto eius qui constrinxerat, relaxatæ, pœnâ de impiorum populo receptâ, Naturæ suæ libertatem sumpserunt.

Gen. 17. Vide Genes. 46.

H

Gal. 3. & Suidas in Mose. X. Plagæ. Exod. 7. Exod. 14. In deserto Sur. Psal. 117.

A

Exod. 20. præcepta.

Cur non compendio sed longis ambagibus Deus Israelitas deduxerit in promissam terram, pulcrè explicat Petrus. Nimirum, vt mala ex Ægyptiorum consuetudine tacitè percepta dediscerent.

Post hæc Moyses Dei omnia prouidentis præcepto, Hebræorum populum eduxit in deserto: & iter breuissimum, quod fert de Ægypto ad Iudæam relinquens, per longos eremi plebem ducit anfractus, vt quadraginta annorum exercitiis, mala, quæ eis, ex Ægyptiorum moribus, vsu longi temporis inuoluerant innouatione mutatæ consuetudinis aboleret. Intereà venitur ad montem Sinâ, & inde lex eis, vocibus & visionibus cœlestibus traditur, decem conscripta præceptis: quorum primum & maximum fuit, vt ipsum solum colerent Deum, nec vllam sibi aliam speciem vel formam statuerent ad colendum. Sed cùm Moyses ascendisset ad montem, ibique diebus quadraginta moraretur: populus, qui decem plagis percussam viderat Ægyptum, & disruptum mare, ac pedibus ingressum: manna quoque sibi pro pane cœlitùs datum: & ex sequenti petra poculum ministratum: quæ species sibi per virtutem Dei, in quem quisque desiderasset, verteretur saporem: cumque sub plaga cœli ardentiore positi, ne æstibus coquerentur, nube obumbrabantur in die, nocte verò columnâ ignis illuminabantur, ne ad eremi vastitatem horror quoque accederet tenebrarum: Cùm, inquam, moraretur Moyses, ipsi secundum speciem Apidis, quem coli in Ægypto viderant, aureum caput vituli facientes adorauerunt: & post tot ac tanta, quæ viderant, mirabilia, veteris consuetudinis sordes eliminare à se, atque abstergere nequiuerunt: & ob hoc breui spatio iter, quod ex Ægypto ducit ad Iudæam relinquens, immenso eremi ambitu egit eos Moyses, si fortè posset, vt superiùs memorauimus, vetustæ consuetudinis mala nouellæ institutionis permutatione discutere.

Deut. 2.

B

Cur Iudæis sint permissa & diuinitùs per Mosen præscripta sacrificia. Elegans & doctus locus pulcrè ad Euangelij gratiam accommodatus.

C

Cum interim fidelis & prudens dispensator Moyses peruidens, populo ex Ægyptiorum consortio altiùs inoleuisse vitium idôlis immolandi, nec posse de eis radicem mali huius excidi, immolare quidem eis concessit: sed Deo soli hoc fieri permisit; vt mediam quodammodo partem vitij altiùs inoliti resecaret. Aliam verò mediam, per aliud & aliud tempus reseruaret emendandam, per illum, scilicet, de quo ipse dixit: Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester, quem sicut meipsum audite, secundum omnia, quæ dixerit vobis. Quicunque non audierit Prophetam illum, exterminabitur anima eius de populo suo. Adhæc autem, etiam locum statuit, in quo solo liceret eis immolare Deo. Hoc autem totum eo prospectu gerebat, vt cùm tempus opportunum venisset, & didicissent per Prophetam, quia Deus misericordiam vult, & non sacrificium: viderent eum, qui eos doceret locum Dei electum, esse sapientiam eius, in quo conueniret offerri hostias Deo. Hunc autem locum, qui ad tempus videbatur electus, incursionibus hostium & excidiis sæpè vexatum, & ad vltimum quoque audirent penitus excidendum: ad cuius rei fidem etiam ante aduentum veri Prophetæ, qui esset hostias cum loco pariter repudiaturus, sæpè ab hostibus populatus est: & igni incensus: atque in captiuitatem populus abductus, in exteras nationes: & exinde, cùm ad misericordiam Dei confugeret, reuocatus est: vt per hæc doceretur, quia sacrificia offerens expellitur, & in manus hostium traditur: misericordiam verò faciens, & iustitiam, sine sacrificiis de captiuitate liberatur, & in terram patriam restituitur. Sed hoc intelligere paucos admodum accidit.

Deut. 18. Oseæ 6. Matth. 8. *In Christo qui sapientia est patris, hostia oblata est.*

D

Pauci rectè sapiunt in fidei negocio. Hinc illud Pythagoræ in aureis syngrammatis, Publicam viam ne ingreditor.

Anses, qui & Iosue dictus. IV. nauis, de quo suprà.

Plures enim etiamsi sentire hæc & aduertere poterant, vulgi tamen irrationali opinione tenebantur. Paucorum namque est recta cum libertate sententia. Igitur Moyses his administratis Ansem quendam nomine, præponens populo, qui eos reuocaret ad patriam terram, ipse ad montem quendam præcepto Dei viuentis ascendens, illic defunctus est: cuius tamen talis fuit mors, vt vsque in hodiernú diem sepulturam eius nullus inuenirit. Vt ergo populus patrium contigit solum per prouidentiam Dei, primo statim ingressu iniquarú gentium habitatores fugantur: & ipsi hæreditatem paternam iudices sorte suscipiunt. Tum deinde per aliquantum temporis iudicibus non Regibus gubernati, statu tranquilliore durarunt. Vbi verò tyrannos sibi magis quæsiuere, quam reges, tunc etiam in loco, qui eis orationis causa fuerat prædestinatus; templum pro ambitione regiâ construxere; & sic per ordinem regibus impiis sibi inuicem succedentibus, ad maiores impietates etiam populus declinauit.

E

Deut. 34.

1. Reg. 8.

Multa paucis complexus Petrus festinat ad docendum Christum; hunc esse promissum in lege magnum illum Vatem: hunc legem ea parte, quâ erat imbecillior absoluisse: hunc signis et prodigiis se Deum demonstrasse.

F

Vt autem tempus adesse cœpit, quo id quod deesset Moysis institutis, vt diximus, impleretur, & Propheta quem præcinuerat, appareret, qui eos primò per misericordiam Dei moneret cessare à sacrificiis: & nè fortè putarent, cessantibus hostiis remissionem sibi non fieri peccatorum, Baptisma eis per aquam statuit, in quo ab omnibus; peccatis, inuocato eius nomine soluerentur: & de reliquo perfectam vitá sequentes, in immortalitate durarent: non pecudum sanguine, sed sapientiæ Dei purificatione purgati. Denique etiam hoc ponitur euidens magni mysterij huius indicium, vt omnis qui credens Prophetæ huic, qui à Moyse prædictus est, baptizaretur in nomine ipsius ab excidio belli, quod incredulæ genti imminet ac loco ipsi, seruaretur illæsus: non credentes verò extorres loco & regno fiant, vt vel inuiti intelligant, & obediant voluntati Dei.

Baptismus in locum sacrificiorú cessit. Heb. vlt.

Nam Christianos vrbe Hierosolyma ante excidium Pellam ex vrbe commigrasse diuinitus monitos testatur Eusebius 5. Pamp. lib. 3. H. Eccl. 5. & Nic. Call. lib. 3. cap. 3.

G

His igitur præordinatis, adest, qui expectabatur: indicia: sui, quibus fieret manifestus, signa & prodigia deferens. Sed ne sic quidem populus credidit, qui ad hæc credenda tot sæculis eruditus est: & non solùm non credidit, sed addidit infidelitatis blasphemiam, voracem hominem, & ventri seruientem, ac dæmone agi eum, qui ob salutem suam venerat, dicens: In tantum nequitia, malorum mynisteriis valet: quod nisi sapientia Dei adfuisset his, qui diligunt veritatem, omnes penè simul impius error inuoluerat. Nos ergò primos elegit duodecim sibi credentes, quos Apostolos nominauit. Postmodum alios septuaginta (duos) probatissimos discipulos, vt vel hoc modo recognitâ imagine Moysis, crederet multitudo quia hic est, quem prædixit Moyses, venturum Prophetam.

Ioan. 7. Matt. 11. *ἐμφάνεια.* Matt. 10. *Duos (vídetur ex Latina lectione adiectū.*

Sed fortassis dicat aliquis, quia imitari numerum cuicumque possibile est: at quid de signis & virtutibus dicet, quæ iste faciebat? Etenim Moyses virtutes & sanitates fecerat in Ægypto. Is quoque quem ipse prædixit, sicut seipsum, surrecturum Prophetam, cùm omnem languorem, & omnem infirmitatem curaret in plebe, virtutes faceret innumeras, vitam euangelizaret æternam, ab impiis actus est in crucem, quod tamen factum, virtute eius conuersum est in bonum. Denique cùm pateretur omnis ei compassus est mundus: nam & Sol obscuratus est, & astra turbata sunt: mare commotum est, montesque disrupti & sepulchra patefacta sunt: velum templi scissum est, velut lamentans excidium loco imminens. Et tamen cùm omnis mundus commotus sit, ipsi etiam nunc ad inquisitionem tantarum rerum nullatenus commouentur. Verùm, quoniam necessarium erat, vt in locum eorum, qui in creduli permanebant, vocarentur gentes, vt repleretur ille numerus, qui demonstratus fuerat Abrahæ, mittitur in vniuersum mundum, salutaris regni Dei prædicatio: Perturbantur ob hoc mundani Spiritus, qui libertatem quærentibus semper obsistunt: & ad destruendam Dei ædificationem errorum machinas quærunt; quibus hi, qui ad salutis & liber-

H

In locum Iudæorú vocatæ sūt gētes. Rom. 11. Matt. 27. *Tenebræ Christo patiente.*

A

tatis gloriam tendunt, obsistentes, & agônes aduersum eos nou minimos desudantes, fortiores effecti, ad salutis cornnam veniant, non sine palma victoriæ. Interim cùm passus esset, & ab hora sexta vsque ad nonam mundum tenebræ pressissent. Sole reducto, ac reb. in ordinem restitutis, etiam homines nequam ad se atque ad mores suos, metu cessante, regressi sunt. Nam quidam eorum, cum omni custodia seruantes locum, quem non potuête resurgentem tenere, mâgum dicebant: alij finxerunt furatum. Veruntamen veritas vbique vincebat. Ad indicium enim, quod hæc diuinâ virtute agerentur, nos, qui fueramus paucissimi, processu dierum, adstipulante Deo, multò plures, quam illi efficiebamur: ita vt aliquando pertimescerent Sacerdotes, ne fortè per Dei prouidentiam, ad confusionem ipsorum, in fidem nostram vniuersus populus conueniret: frequenter mittentes ad nos, rogabant, vt eis de Iesu dissereremus, num ipse esset propheta, quem Moyses prædixit, qui est Christus æternus. De hoc enim solo, nobis, qui credidimus in Iesum, aduersum non credentes Iudæos, videtur esse differentia. Verum cùm frequenter super hoc rogarent, nos autem opportunum tempus requireremus: septimana iam vna ex passione Domini complebatur annorum, & Ecclesia Domini in Hierusalem constituta, copiosissimè multiplicata crescebat per Iacobum, qui à Domino ordinatus est in Episcopum, rectissimis dispensationibus gubernata.

Matth. 28. Actor. 2. 3.

B

Iacobus à Christo ordinatus Episcopus.

Cùm autem nos duodecim Apostoli ad diem Paschæ cum ingenti multitudine conuenissemus, ingressi Ecclesiam fratrum, vnusquisque nostrûm, Iacobo interrogante, quæ a nobis per loca singula gesta sint, audiente populo, breuiter exponimus. In quibus Caiphas pontifex, missis ad nos sacerdotibus, rogat venire ad se, vt aut ratione doceremus eum, quòd Iesus æternus esset Christus: aut ipse nos doceret, quod non esset: quò in vtramlibet fidem vniuersus populus conueniret: & hoc facere nos frequenter exorat. Nos verò sæpe distulimus, tempus semper opportunius requirentes. Et ego Clemens respondi ad hoc: Puto hoc ipsum, quod quæritur vtrum ipse sit Christus, multum prodesse ad fidei rationem: alioqui nunquam Pontifex pro hoc tam frequenter rogaret, vt de Christo vel disceret, vel doceret. Et Petrus. rectè respondisti ô Clemens.

C

Elegans similitudo, demonstrat Petrus fidei necessitatem ad salutem nam hanc ob rem vocat eam Paulus ὑπόστασιν Heb. 11.

Sicut enim sine oculis cernere nemo potest: nec sine auribus capere auditum: vel absque narib. odoratum: neque sine lingua gustum sumere: aut absque manibus aliquid contrectare: ita impossibile est absque vero Propheta, quæ Deo placeant, noscere. Et ego respondi: Quod ipse sit verus Propheta Christus, te docente iam didici, sed, quid sit hoc ipsum Christus; aut cur ita appelletur, velim discere, vti ne vaga mihi sit & incerta res tantæ notitiæ. Tunc Petrus docere me hoc modo cœpit. Deus cum fecisset mundum, tanquam vniuersitatis Dominus, singulis quibusque creaturis principes statuit: ipsis quoque arborib. montibusque: ac fontibus: & fluminibus: & vniuersis, vt diximus, quæ fecerat: Multùm enim est ire per singula. Statuit ergo Angelis Angelum principem: & spiritibus spiritum: siderib. sidus: dæmonibus dæmonem: auibus auem: bestiis bestiam: serpentem serpentibus: piscem piscibus: hominibus hominem: qui est Christus Iesus. Christus autem dicitur eximio quodam religionis ritu: nam sicut regum sunt quædam communia nomina, ita vt apud Persas, Arsaces, apud Romanos, cæsar: apud Ægyptios Pharao: ita apud Iudæos, Christus, communi nomine, Rex appellatur. Causa autem huius appellationis hæc est. Quoniam quidem cùm esset filius Dei, & initium omnium, homo factus est: hunc primùm pater oleo perunxit, quod ex ligno vitæ fuerat sumptum: ex illo ergo vnguento Christus appellatur.

D

Quinti nam loco hoc suprà notauimus. Quod enim ait Petrus hic Christum vnctum à patre, oleo ex ligno sumpto, poterat fabulosumque videri: etsi & ad Psalmum 44. alludat: & mox appellet mysticum vnguentum. Nihil habet locus incommodi sanè intellectus.

E

Inde denique etiam ipse secundum prædestinationem patris, pios quosque cùm ad regnum eius peruenerint, velut qui asperam superauerint viam, pro laborum refectione simili oleo perunget: vt & ipsorum lux luceat: & Spiritu sancto repleti, immortalitate donentur. Virgulti verò huius, ex quo sumptum est istud vnguentum, vniuersam Naturam tibi sufficienter exposuisse me memini. & Sed nunc per breuissimam speciem de omnibus te in memoriam reuocabo. In præsenti vita primus pontifex Aaron, chrismatis compositione perunctus: quod ad imaginem illius, de quo suprà diximus, spiritalis vnguenti factum est: princeps populi fuit, & tanquam Rex primitias & tributum per capita accepit à populo, & iudicandi plebem sorte susceptâ, de mundis immundisque iudicabat. Sed & si quis alius ex ipso vnguento perunctus est, tanquam virtute inde conceptâ, etiam ipse Rex, aut propheta fiebat, aut pontifex. Quod si temporalis hæc gratia ab hominibus composita, tantùm potuit: intellige iam tu, quantùm sit illud vnguentum, quod à Deo de virgulto vitæ prolatum est, cum hoc quod ab hominibus factum est, tam eximias inter homines conferat dignitates? Quid enim in præsenti sæculo prophetâ gloriosius? pontifice clarius? Rege sublimius? Et ego ad hæc respondi: Memini Petre dixisse te de primo homine, Adamo, quod propheta fuerit: quod autem vnctus fuerit, non dixisti. Si ergo sine vnguento propheta nullus est, quomodo primus homo, cùm non esset vnctus, fuit propheta? Tum subridens Petrus: Si primus, inquit, homo prophetauit, certum est, quod & vnctus sit. Licet enim vnctionem illius siluerit ille, qui legem in paginis condidit: nobis tamen intelligenda hæc euidenter reliquit. Sicut enim, si vnctum eum dixisset, non dubitaretur & prophetam eum fuisse: etiam si scriptum non esset in lege: ita, cùm certum sit eum prophetam fuisse, similiter certum est & quod vnctus sit quia sine vnguento prophetare non poterat. Verùm hoc magis dicere te oportuit quoniam chrisma arte myropolica compositum est ab Aaron: quomodo primus homo perungi potuit vnguento, antè, compositionis artib. nondum repertis? Et ego respondi: Non me traducas Petre, non enim de vnguento composito & temporali oleo loquor, sed de illo simplici & æterno, quod a Deo factum esse docuisti: ad cuius similitudinem istud compositum esse ab hominibus dicis. Et Petrus ad hæc, vt videbatur, indignans: Quid putas Clemens, num omnes omnia ante tempus scire possumus? sed nunc, vti ne à proposito sermone recedamus, aliàs tibi, cùm profectus tuus manifestus fuerit, de his apertiùs exponemus. Tunc autem vnguento composito perunctus pontifex, vel propheta Dei altare succendens, in omni mundo clarus habebatur. Sed pòst Aaron, qui pontifex fuit, alius ex aquis adsumitur, non Moysen dico, sed illum, qui in aquis baptismi, filius à Deo appellatus est: Iesus namque est qui ignem illum, quem accendebat pontifex pro peccatis, restinxit per baptismi gratiam: ex quo enim hic apparuit, cessauit chrisma, per quod pontificatus præbebatur: vel prophetia: vel regnum. Hunc igitur ante futurum prædixit Moyses, qui legem Dei hominibus tradidit: sed & alius ante ipsum * sicut tibi & antè iam tradidi. Ipse ergo indicauit eum venturum, primo quidem aduentu humilem: secundo verò gloriosum. Et primum quidem iam impletum est: cùm venit & docuit, & Iudex omnium iudicatus est, ac peremptus. Secundo verò aduentu iudicaturus adueniet: & impios quidem condemnabit, pios verò in consortium regni, societatémque suscipiet. Fides verò secundi aduentus constat ex primo. Prophetæ enim de primo loquuti sunt: & præcipue * Iacob & Moyses: nonnulla tamen de secundo. Sed magnificentia prophetiæ in hoc maximè comprobatur, quod nihil secundum consequentiam rerum, de futuris dixerunt: alióqui æstimaille potiùs sapientes viri, quòd rerum consequentia dictauerat, viderentur.

F

Chrismate vngebantur reges & prophetæ.

G

Sine vnguento nemo prophetabat

Hunc ad locum fortassis alludens Ioan. 1. epi. cap. 2. scripsit. Non necesse habetis, vt quis vos

H

doceat. Chrisma sine vnctio, quâ habetis à sancto illo, docebit vos de omnibus

** (Abrahamum vnâ intelligit.)*

** Iacobus, Gen 49. Fides prophetiæ vnde probetur.*

Nam

A

Nam hoc impius Porphyrius nostris obiecit. Vide Hieron. in Danielem.

Quod autem dicis, tale est. Christum suscipi à Iudæis, ad quos venerat: & credi ei, qui expectabatur ad salutem populi, secundum traditiones Patrum consequens erat: gentes verò alienas ab eo fore, quibus neque promissum quicquam de eo, neque adnuntiatum fuerat, imò quibus ne nomine quidem ipso aliquando innotuerat, & tamen prophetæ contra ordinem & consequentiam rerum, dixêre eum expectationem gentium, & non Iudæorum futurum. Ita denique & gestum est; Cùm enim venisset, ab his qui eum expectare videbantur ex traditione maiorum, omnino agnitus non est. Hi verò qui nihil de ipso penitus audierant & venisse credunt, & venturum sperant: & ita in omnib. prophetia fidelis apparuit, quæ dixit ipsum esse expectationem gentium. Errauerunt ergo Iudæi, de primo Domini aduentu: & inter nos atque ipsos de hoc est solum dissidium. Nam quod venturus sit Christus, nôrunt etiam ipsi, & expectant: quod autem iam venerit in humilitate, hic qui dicitur Iesus, ignorant. Et in hoc maximè eius confirmatur aduentus, quod ei non omnes credunt. Hunc ergo Deus destinauit in fine mundi: quia impossibile erat mortalium mala purgari per alium, integrâ duntaxat permanente humani generis creaturâ, hoc est, salua arbitrij libertate. Hoc igitur statu incolumi reseruato, inuitare venit ad regnum iustos quosque, & eos, qui placere studuerunt ei, & quibus bona ineffabilia præparauit, & Hierusalem ciuitatem cœlestem, quæ super splendorem Solis fulgebit in habitatione sanctorum. Iniustos verò & impios, & eos, qui pro nihilo habuerunt Deum, commissamque sibi vitam diuersa ad flagitia contulerunt, ac tempus operis iusti, exercitium fecêre malitiæ, competentibus, ipsisque dignis vltionibus tradet. Cætera verò quæ ibi geruntur, proferri & eloqui, neque Angelis, neque hominibus fas est: sed hoc tantùm scire nos sufficit, quod bonis æternam bonorum possessionem conferet Deus. His ab eo dictis, ego respondi: Si Christi regno fruentur hi, quos iustos inuenerit eius aduentus: ergo, qui ante aduentum eius defuncti sunt, regno penitus carebunt? Tum PETRVS.

Iudæi à christianis in quo dissentiant.

B

Liberum arbitriũ.

C

Perpende, quanta religione arcana cœlestis sapientiæ communicârint rudioribus & infirmioribus: nolentes ante porcos margaritas mittere.

Cogis me, inquit, ô CLEMENS, aliqua de ineffabilibus publicare. Veruntamen quo adusque proferri licet, facere non pigebit. Christus, qui ab initio, & semper erat, per singulas quasque generationes piis, latenter licet, semper tamen aderat, his præcipuè, à quibus expectabatur, quibusque frequenter apparuit: sed non erat tempus, vt tunc resolutis corporibus fieret resurrectio sed hæc magis remuneratio videbatur à Deo: vt qui inueniretur iustus, diutiùs permaneret in corpore: aut certè, sicut de quodam iusto euidenter refertur in litteris legis, quod transtulerit eum Deus. Simili exemplo etiam cum cæteris gestum est, qui eius voluntati placuerunt, vt ad Paradisum translati, seruentur ad regnum. Eorum verò, qui non ad integrum potuêre explere normam iustitiæ, sed aliquas in sua carne malitiæ reliquias habuêre, corpora quidem resoluuntur, animæ verò seruantur in bonis lætisque regionibus, vt in resurrectione mortuorum cùm corpora sua receperint, ipsa iam resolutione purgata, pro his quæ bene gesserant, æterna hæreditate potiantur.

Enochum intelligit, de quo Genes 5. & Eccles. 44.

D

Petrus sentit animas defunctorum detineri alicubi in loco læto & bono, vsque in iudicij diem: illamque resolutionem corporis & animæ quoddam esse expiationis genus, fortasse, quod nunc vulgò purgatorium appellamus.

Et ideo beati sunt omnes, qui regnum Christi fuerint adepti, quia non solùm inferni pœnas effugient: sed & incorruptibiles permanebunt: & primi Deum patrem videbunt: atque inter primos apud Deum honoris ordinem consequentur. Propter quod non minima de Christo quæstio habetur, & infideles quique est Iudæis immensa aduersum nos insania commouentur, verentes, ne fortè ipse sit, in quem peccauerunt. Et eò magis metus increscit, quod sciunt statim, vt eum cruci adfixêre, vniuersum compassum esse mundum corpusque eius diligenti à se custodiâ conseruatum, nusquam comparuisse: atque ad fidem nominis eius innumeras multitudines conuenire. Vnde & compulsi sunt vnà cum pontifice Caiaphâ, sæpiùs mittere ad nos, vt de nominis eius veritate quæreretur. Cùmque crebrò deposcerent, vt de Iesu aut discerent, aut docerent, vnum, ipse esset Christus: visum nobis est ascendere ad templum: & coram omni populo protestari de eo, simul & arguere Iudæos de multis, quæ ab eis absurdè gerebantur. In multas etenim iam partes populus scindebatur, initio sumpto à Ioanne Baptista. Cùm enim iam immineret ortus Christi, ad sacrificia quidem reprimenda, baptismi verò gratiam largiendam, inimicus, ex his, quæ prædicta fuerant, adesse tempus intelligens diuersa schismata operabatur in populo, vt si fortè prius peccatum potuisset aboleri, secunda corrigi culpa non posset. Erat ergo primum schisma eorum, qui dicebantur Sadducæi, initio à Ioannis iam penè temporibus sumpto. Hique, vt cæteris iustiores, segregare se cœpêre à populi cœtu & mortuorum resurrectionem negare: idque argumento infidelitatis adserere, dicentes, non esse dignum, vt quasi sub mercede proposita colatur Deus. Auctor verò sententiæ huius primus Dosithæus: secundus Simon fuit. Aliud Samaræum schisma est, & ipsi enim resurrectionem mortuorum negantes, adserunt, non in Hierosolymis, sed in monte Garazin adorandum esse Deum. Qui tamen vnum verum Prophetam ex Moysis vaticinationibus rectè expectantes, prauitate Dosithei impediti sunt, ne hunc, quem expectabant, crederent esse Iesum. Scribæ quoque & Pharisæi in aliud schisma deducuntur: sed hi baptizati à Ioanne & velut clauem regni cœlorum, verbum veritatis tenentes ex Moysis traditione susceptum, occultârunt ab auribus populi. Sed & ex discipulis Ioannis, qui videbantur esse magni, segregârunt se à populo: & magistrum suum veluti Christum prædicârunt. Hæc autem omnia præparata sunt schismata, vt & fides CHRISTI per hæc impediretur & baptisma. Veruntamen vt dicere cœperamus, cùm frequenter nos Pontifex per sacerdotes rogâsset, vt de Iesu sermo nobis haberetur ad alterutrum vbi opportunum visum est, & omni Ecclesiæ placuit, ascendimus ad templum: & stantes in gradibus vnà cum fidelibus fratribus nostris, facto populi summo silentio, prior Pontifex cœpit adhortari populum, vt patienter & cum quiete audirent, simulque eorum, quæ dicenda sunt, testes & iudices fierent. Tum deinde, cùm multis laudibus efferrent sacrificiorum ritum, qui ad remissionem peccatorum humano generi diuinitùs esset indultus, causabantur Iesu nostri Baptisma, velut contra, hæc nuper inductum. Sed propositionibus occurrens Matthæus, euidenter ostendit, quod si quis Iesu baptisma non fuerit consequutus, is non solùm cœlorum regno fraudabitur, verùm & in resurrectione mortuorum non absque periculo erit: etiamsi bonæ vitæ, & rectæ mentis prærogatiuâ muniatur. Hæc & his similia prosequutus, siluit Matthæus. Sed Sadducæorum pars, quæ negaret resurrectionem mortuorum, indignata est: ita, vt quidam ex ipsis de medio populi exclamaret, dicens, multùm errare eos, qui putant mortuos aliquando resurgere. Contra hunc Andreas meus frater respondens, docuit errorem non esse: sed certissimam fidem, quod mortui resurgant, secundum ea, quæ docuit is, quem Moyses prædixit venturum Prophetam. Aut si non videtur eis ipse esse, quem prædixit Moyses: de quo, inquit, primò requiratur, vt cùm euidenter ipse fuerit probatus, nihil de reliquo super his, quæ docuit, ambigatur. Hæc autem, & his similia plura protestatus, siluit Andræas. Samaræus verò quidam, contraria populo & Deo loquens, & neque mortuos adserens resurrecturos, neque eum, qui est in Hierusalem, cultum Dei tenendum, sed montem Garizin venerandum, addidit etiam contra nos hæc, quod Iesus noster non esset ipse, quem Moyses Prophetam venturum esse prædixerit. Aduersum hunc, & alium, qui cum ipso hæc eadem prosequebatur, Ze-

E

F

Primũ schisma Sadducæorum. Dosithæus & Simon principes sadducæorum. Ioan. 4. 2. Pharisæorum secundum schisma. Discipuli Ioannis iniquiores erant Christo pro suo præceptore.

G

** ad alter. id est inter nos mutuo. Baptismus Iudæos malè habuit: vt eius efficacitas & necessitas hunc plorosque.*

H

bedæi

bedæi filij Iacobus & Ioannes vehementer obnisi sunt: Et quamuis haberent mandatum, ne ingrederentur ciuitates eorum, neque verbum eis prædicationis inferrent: tamen, ne sermo eorum si confutatus non esset, aliorum læderet fidem, ita prudenter & fortiter responderunt, vt perpetuum eis silentium darent. Nam Iacobus de resurrectione mortuorum cum totius populi fauore perorauit: Ioannes verò ostendit, quia si cessarent ab errore montis Garizin, consequenter agnoscerent ipsum esse Iesum, qui secundum prophetam Moysen, expectatur esse venturus; quoniam quidem signa & prodigia, vt fecit Moyses ita fecit etiam Iesus: & dubium non est, quin similitudo signorum ipsum esse testetur, quem, sicut se, dixit esse venturum. Hæc & alia plura his similia protestati, siluère: & ecce quidam de Scribis de medio populi adclamans, ait: Iesus vester signa & prodigia, quæ fecit, vt magus, non vt Propheta, fecit. Huic Philippus vehementer occurrit, ostendens, quòd hac ratione accusarent etiam Moysen. Cùm enim Moyses signa & prodigia in Ægypto fecerit, similiter autem & Iesus in Iudæa: dubitari non posset, quin quod de Iesu diceretur, hoc etiam de Moyse dici videretur.

Hac, opinor, fuit causa, cur Ammonius de consonantia Iesu & Moysi librum conscriberet, vt testatur Eusebius.

Hæc & his similia plura protestatus, siluit Philippus. Pharisæus autem quidam audiens hæc, insimulabat Philippum, quòd Moysen æqualem diceret Iesu. Cui Bartholomæus respondens, constanter edocuit: quia non dicimus Iesum solùm æqualem Moysi, sed maiorem: quia Moyses quidem Propheta fuit, quod fuit & Iesus: quòd autem fuit Iesus, Moyses non fuit, Christus. Et ideo maior ille sine dubio, qui & Propheta, & Christus est: quàm ille, qui solùm propheta est. Hæc & his similia plura prosequutus, siluit. Post hunc Iacobus Alphæi sermonem fecit ad populum, quo ostenderet, non ideo credendum esse Iesu, quia de eo prophetæ prædixerint: sed ideo magis credendum esse prophetis, quod verè prophetæ sint, quia eis Christus testimonium reddat. Nam præsentia & aduentus Christi, illos verè prophetas fuisse designat. Decebat enim non ab inferioribus maiori, sed à maiore inferioribus fidei testimonium dari. Hæc & multa his similia prosequutus, etiam Iacobus siluit. Post hunc Lebbæus* populum cœpit vehementer arguere, quòd non crederet Iesu, qui eis tantùm profuerit docendo, quæ Dei sunt: solando afflictos: medendo infirmis, pauperes consolando: sed pro his omnibus bonis, odia, mortemque reddiderint. Hæc & his similia plura cùm esset populo protestatus, siluit. Et ecce vnus ex discipulis Ioannis adfirmabat Christum Ioannem fuisse, & non Iesum: in tantùm, inquit, vt & ipse Iesus omnibus hominibus & Prophetis maiorem esse pronunciauerit Ioannem. Si ergo, inquit, maior est omnibus, sine dubio & Moyse, & ipso Iesu maior habendus est. Quod si omnium maior est, ipse est Christus. Ad hæc Chananæus Simon respondens, asseruit Ioannem maiorem quidem fuisse omnibus Prophetis, & omnibus, qui sunt filij mulierum: non tamen maiorem esse filio hominis: & ideo Iesus quidem & Christus est: Ioannes verò solùm Propheta: & tantùm interest inter ipsum & Iesum, quantum inter præcursorem, & eum cui præcurritur: & quantum inter eum, qui legem dat & eum qui legem seruat. Hæc autem & his similia prosequutus siluit etiam Chananæus. Post quem Barnabas, qui & Mathias, qui in locum Iudæ subrogatus est, Apostolus, monere populum cœpit, ne odio haberent Iesum, neque blasphemarent eum.

Tres fuisse Iacobos hinc intelligimus, de quo in fine huius lib. 1. Iacob. filius Zebedæi, 2. Iacobus Alphæi. 3. Iacob. Iustus, ad quem hi scripti libri.

** (Qui Thaddæus dictus est, Iudas Iacobi Alphæi frater.*

Vt hoc vnus sine suspectius in hoc libro locus est, Mathiam Barnabam dici, de quo suprà.

Multò enim esse tutiùs, etiam ignoranti, vel dubitanti de Iesu, amare eum, quàm odisse. Charitati enim Deus præmium posuit, odiis pœnam. Hoc ipsum enim, inquit, quòd Iudaicum corpus adsumpsit, & inter Iudæos natus est, quomodo non omnibus vobis incentiua sui amoris incussit? Hæc & his similia quùm perorâsset, dicendi finem fecit.

Caiaphas arguit contra Apostolos Christum absurdæ peruersæque doctrinæ.

Tunc Caiaphas doctrinam Iesu culpare tentabat, dicens eum res vanas loquutum: Beatos enim pauperes dixit: & terrenas fore remunerationes promisit: ac summam muneris in terrena hæreditate constituit: cibisque ac potu eos, qui iustitiam seruarint, promisit esse saturandos. Et his similia multa docuisse deprehenditur. Cui Thomas respondens, arguit eum frustrà causantem: ostendens, quia Prophetæ magis, quibus etiam ipse credit, ista docuerint: nec tamen, quomodo erunt hæc, aut quomodo percipientur, ostenderint: Iesus verò, qualiter accipi hæc debeant, demonstrauerit. Et quùm hæc atque his similia plura dixisset, siluit etiam Thomas.

Confutatio Thomæ.

Caiaphas precipuè Petrum accusat, ceu coryphæum: hortatúrque à Christo docendo vt desistat. Primùm ait, in perniciem suam id fieri. Secundò, deceptum se alios decipere. Denique, temerarium videri imperitum piscatorem, doctorem velle agere. Sed Petrus huic doctè respondet.

Post hæc rursum Caiaphas me intuens: & nunc vt monens, nunc verò vt culpans, dicebat, cessare me debere de reliquo à prædicatione Christi Iesu: ne in perniciem mei hoc agerem, neùe ipse errore deceptus, alios quoque meo errore deciperem. Tunc præterea arguebat me temeritatis, quòd quum essem ipse imperitus piscator, & rusticus, officium subire Doctoris auderem. Hæc & alia plura his similia dicenti, ego quoque in hæc verba respondi: Mihi quidem minus esse periculi, si, vt ipse ait, iste non sit Christus: quia doctorem legis receperim: ipsi verò ingens esse discrimen, si hic ipse sit Christus, sicut & certè est. Ego enim credo huic, qui apparuit: ipse autem, cui alij fidem seruare se credit, qui nullus apparuit? Si verò & idiota, vt ais, & imperitus, ac piscator, & rusticus, super presbyteros sapientes intelligam: hoc tibi, inquam, magis metum debet incutere. Nam si ex eruditione aliqua disputans, obtinerem vos sapientes & eruditos, videretur vtique, doctrinam hoc mihi longi temporis, & non diuinæ virtutis gratiam contulisse: nunc autem, cùm, vt dixi, nos imperiti, vos sapientes conuincimus & superamus: cui sensum habenti non palam est, quia hoc non humanæ argutiæ opus est: sed diuinæ voluntatis & muneris?

Docta apologia Petri.

Elegans summa totius Christianæ doctrinæ Petri ad Iudæos.

Hæc igitur & alia huiusmodi prosequentes, consequenter protestati sumus, ac docuimus nos imperiti & piscatores, Sacerdotes quidem, de vno solo Deo cœli: Sadducæos, de resurrectione mortuorum: Samaritas de consecratione Hierusalem: Non tamen ingressi ciuitatem ipsorum, sed publicè disputantes: Scribas verò & Pharisæos, de regno cœlorum: Discipulos Ioannis, ne scandalum paterentur in Ioanne: Omnem verò populum, quia Iesus est Christus æternus. Ad vltimum autem monui eos, vt priùs, quàm progrederemur ad gentes prædicare eis agnitionem Dei Patris, ipsi reconciliarentur Deo, suscipientes filium eius: aliter enim nullo modo eos ostendi posse saluari, nisi per sancti spiritus gratiam, trinæ inuocationis dilui Baptismate properarent: & Eucharistiam Christi Domini sumerent: cui soli, de his, quæ docuit, credere deberent, vt sic æternam salutem consequi mererentur: aliter verò impossibile prorsus esse reconciliari eos Deo, etiam si mille ei aras, & altaria mille succendant. Nos enim, inquam, pro certo comperimus, quòd super sacrificiis, quæ offertis, multo magis exasperatur Deus, sacrificiorum tempore etiam nunc expleto: & quia vos non vultis agnoscere, emensum esse iam tempus hostias offerendi: ob hoc destruetur & templum, & abominatio desolationis statuetur in loco sancto: & tunc gentibus Euangelium prædicabitur ad testimonium vestri, vt ex illorum fide vestra infidelitas iudicetur. Omnis etenim mundus diuersis temporibus, diuersas malitiæ ægritudines patitur, vel per omnes gene-

Baptisma. Eucharistia.

Dan 9. Matth. 24.

Christus medicus est.

raliter, vel per singulos quosque specialiter: & ideo indiget medico, qui eum visiter ad salutem. Nos ergo protestamur vobis, & quod vnumquemque vestrum latuit, nunciamus. Vestrum est deliberare, quid expediat vobis. His à me dictis ingemuit omnis multitudo sacerdotum, quod eis de templi subuersione prædixerim.

Gamaliel clanculum fauebat Apostolis, Actor. 5. citat ibidem hunc locum venerabilis Beda. Ergo hi libri fide sunt digni habiti, ante annos 834. Quo de copiosius in sententia nostra suprà.

Quod cùm vidisset Gamaliel princeps populi, (qui latentes frater noster erat in fide: sed concilio nostro inter eos erat,) quia valde fremerent, & ingenti aduersum nos furore mouerentur, adsurgens, ait. Quiescite paulisper, ô viri Israëlitæ, non enim aduertitis tentationem, quæ imminet vobis: propter quod definite ab hominibus istis: & si quidem humani consilij est, quod aguut, citò cessabit: si autem à Deo est, cur sine causa peccatis, nec proficitis quicquam? Dei enim voluntatem quis potest superare? Nunc ergo, quoniam quidem in vesperam iam vertitur dies, in crastino, hoc ipso in loco audientibus vobis, ego ipse cum istis disputabo, vt omnem errorem palàm arguam, dilucideque confutem. Et his dictis, repressus est eorum aliquatenus furor, ea præcipuè spe, quòd die crastino erroris nos publicè arguendos sperarent: & sic cum pace populum dimisit. Nos verò cùm venissemus ad Iacobum nostrum, omnia quæ dicta gestaque fuerant, exponentes, apud eum cibo sumpto mansimus: omnipotenti Deo per totam noctem supplicantes, vt futuræ disputationis sermo indubitatam fidei nostræ ostenderet veritatem. Igitur posterà die Iacobus Episcopus nobiscum simul, & cum omni Ecclesia ascendit ad templum, vbi ingentem reperimus multitudinem, à medio noctis expectantem nos. Stetimus ergo in locis, quibus & priùs, vt eminentiùs stantes, ab vniuerso populo cerneremur. Cúmque esset summum silentium factum, Gamaliel, qui vt suprà diximus, nostræ fidei erat, dispensatione verò manebat inter ipsos, vt si quando iniquum aliquid aduersum nos, aut impium molirentur, vel ipsos consilio reprimeret prudenter apto: vel nos commoneret, vt aut curare, aut declinare possemus: Is ergo tanquam aduersum nos agens, prior omnium Episcopum Iacobum intuens, hoc modo alloquutus est.

Gamaliel ex industria voluit videri dissentire ab Apostolis.

Gamalielis oratio ad Iacobum, qua orditur alterius diei disputationem cum ipso de Christo domino: ita instituta vt & placidos apostolus auditores faciat: & quasi aduersarius eos ad disp. inuitet certè docta: vt omnia.

Si ego Gamaliel neque eruditionis meæ, neque senectutis opprobrium duco, discere aliquid à paruulis, & ab imperitis, si quid fortè est vtilitatis aut salutis acquirere: (Qui enim rationabiliter viuit, scit, quia nihil est anima pretiosiùs,) quomodo non omnibus hoc amabile est, cunctisque exoptatum, vt quæ ignorat, discat? quæ didicerit, doceat? Certissimum namque est, quod neque amicitia, neque propinquitas generis: neque regni sublimitas, homini debet esse pretiosior veritate. Et vos ergo fratres, si quid ampliùs nostis, populo Dei, qui adest, itémque fratribus vestris proferre non pigeat, omni populo libenter & tota cum quiete, quæ dicitis, audiente. Quomodo enim non hoc faciat populus, cùm me ipsum videat secum pariter velle à vobis discere, si quid fortè ampliùs vobis reuelauit Deus? Si verò vos in aliquo indigetis, similiter etiam vos à nobis non pigeat doceri: vt erga vtramque partem, si quid deest, adimpleat Deus. Quod si aliquis vos fortè nunc solicitat metus, propter nonnullos nostrorum, qui præiudicatis aduersum vos animis vtuntur: & insidias eorum verentes, non audetis apertè dicere id quod sentitis, apertiùs ego, vt vos etiam huius occasione timoris absoluam, iuro vobis omnipotentem Deum, & viuentem in sæcula, quia nullum permittam iniicere vobis manus. Habentes ergo huius iuramenti mei omnem hunc populum testem, & idoneum pignus, sacramenti nostri fœdus tenentes absque vlla cunctatione vnusquisque vestrûm quod didicit, proferat: & nos fratres intentè, & cum silentio audiamus.

Veritate nihil pretiosius est.

Hæc dicens Gamaliel, non valde placebat Caïaphæ: &, vt videbatur, suspectum habens eum, ipse magis inserere se subtiliter disputationibus cœpit.

Caïaphas perturbat astum colloquij Iudæorum & Apostolorum de Christo, more hæreticorum ad scripturas confugiens. Iacobus occurrit ipsi, per distinctionem scripturarum.

Subridens enim ad ea, quæ Gamaliel dixerat, Iacobum Episcoporum principem, Sacerdotum princeps orabat, vt de Christo non aliunde sermo, quàm de scripturis fieret: vt sciamus, inquit, vtrum Iesus ipse sit Christus, an non? Tunc Iacobus primò, inquit, requiramus, ex quibus scripturis potissimùm disputationem habere oporteat? At ille, vix aliquando ratione ipsâ superatus, respondit: ex lege habendam: post hoc etiam Prophetarum addidit mentionem. Cui Iacobus noster cœpit ostendere, quia & Prophetæ, quæ dicunt, ex lege sumpserint: & legi consona sunt loquuti. Sed & de libris regnorum disseruit aliqua, quomodo & quando, & à quo scripti sint, & quomodo eis vti oporteat. Cúmque & de lege plenissimè disputasset, ac singula quæ de Christo sunt, purissimà expositione protulisset in lucem, ostendit abundantissimis probationibus, quia Iesus est Christus, & in ipso vniuersa, quæ de humili eius aduentu fuerant prædicta, complentur. Duos enim eius prædictos esse docuit aduentus. Vnum humilitatis, quem adimpleuit: alium gloriæ, qui speratur implendus, cùm veniet dare regnum credentibus in se: & seruantibus omnia, quæ præcepit. Cúmque de his omnibus euidenter populum docuisset, addebat etiam hoc, quia: Nisi quis baptizatus fuerit in aqua, sub appellatione trinæ beatitudinis: sicut docuit verus Propheta, neque remissionem acciperet peccatorum, neque introiret in regna cœlorum: & hanc esse Dei ingeniti præfinitionem, confirmauit. Quibus etiam hæc addidit: Nolite putare duos ingenitos dicere Deos, aut vnum diuisum esse in duos: vel sicut impij dicunt, eundum masculum & fœminam, sui effectum: sed filium Dei vnigenitum dicimus, non est alio initio, sed ex ipso ineffabiliter natum. Similiter etiam de paracleto dicimus. Sed & de baptismate, cùm aliquanta dixisset, per septem continuos dies persuasit omni populo & Pontifici, vt confestim ad percipiendum baptismum festinarent. Cúmque in eo iam res esset, vt venirent & baptizentur; homo quidam inimicus, tunc cùm paucis admodum ingrediens templum clamare cœpit & dicere: Quid facitis ô viri Israëlitæ? cur vobis tam facilè subripitur? cur præcipites ducimini ab hominibus infœlicissimis, & à Simone Mago deceptis? Cumque hæc diceret, & ad hæc adderet, ac superaretur, ab Episcopo Iacobo: conturbare populum, & seditiones suscitare cœpit, vti ne ea, quæ dicebantur plebs posset audire. Igitur exagitare cuncta clamoribus, & quæ fuerant multo labore ordinata, conuellere: simulque incusare sacerdotes & opprobriis atque increpationibus cœpit accendere, & velut furibundus, singulos quosque ad cædem concitare, dicens: Quid agitis? quid cessatis? O segnes & desides, cur non manibus nostris inuadimus, & discerpimus omnes hos? Et cùm hæc dixisset, primus rapto ex ara torre * robusto, cædis fecit exordium. Tunc deinde & cæteri videntes eum, simili efferebantur insaniâ: fit omnium clamor, cædentium pariter & cæsorum sanguis plurimus funditur, fuga permixta habetur: cùm interim ille inimicus homo Iacobum aggressus, de summis gradibus præcipitem dedit: quem cùm mortuum credidisset, vlterà mulctare neglexit. Nostri verò sublatum eum colligebant: erant enim & numero plures, quàm illi, & virtute maiores; sed propter reuerentiam Dei, ipsi magis interemi se à paucioribus, quàm interimere alios patiebantur. Cùm autem vespera adfuisset, templum quidem sacerdotes claudunt: nos verò, ad domum Iacobi regressi & pernoctantes ibi in oratione, ante lucem descendimus Hiericho ad quinque millia virî. Post triduum autem, venit ad nos ex fratribus quidam à Gamaliele, de quo suprà diximus, occultos nobis nuncios deferens, quòd inimicus ille homo legationem suscepisset

Duo aduentus Christi. Sic Luc. 24. De 1. Persona Christi.

2. De trinitate & Natura vnius Dei patris, F. & S. S.

** fortè. combusto.*

Patientia Christianorum.

scepisset

ſcepiſſet à Caiapha Pontifice, vt omnes, qui crederent in ieſum, perſequeretur: & Damaſcum pergeret cum epiſtolis eius, vt etiam inibi auxilio vſus infidelium, fidelibus inferret exitium: idcirco autem præcipuè Damaſcum feſtinaret, quod & illuc confugiſſe crederet Petrum.

Veriſimile videtur hunc Paulum fuiſſe; de quo hiſtoria. Actor. cap.8. & 9.

Et poſt dies ferè triginta digreſſus eſt per Hiericho, Damaſcum tendens: cùm per idem temporis progreſſi eſſemus nos ad ſepulchra duorum fratrum quorundam, quæ ſponte ſua, per annos ſingulos dealbabantur.

(Vides, non contemnenda miracula ad ſepulcra martyrum & piorum contingentia; Et cur accidant, ex hoc loco licet cognoſcere.

Quo miraculo multorum aduerſum nos repreſſus eſt furor, videntium haberi noſtros in memoria apud Deum. Poſitis itaque nobis in Hiericho, ibique orationibus & ieiuniis operam dantibus: Iacobus Epiſcopus acceſſitum me inde hùc Cæſaream mittit, dicens: quia Zachæus de Cæſarea ſcripſerit ſibi, Simonem quendam Samaræum Magum plurimos noſtrûm ſubuertere, adſerentem ſe eſſe quendam Stantem: hoc eſt, alio nomine, Chriſtum: & virtutem ſummam excelſi Dei, quæ ſit ſupra conditorem mundi ſimulque mirabilia plurima oſtendens, alios dubitare, alios declinare fecerit ad ſe: cunctaque diligenter comperta ab his, qui priùs vel ſocij eius, vel diſcipuli fuerant, & poſt hoc ad Zachæum conuerſi ſunt, indicauit. Multi ſunt ergo, inquit Iacobus, ô Petre, quorum ſalutis cauſâ proficiſci te oportet: & arguere Magum: ac ſermonem veritatis docere: ſed nihil moreris, neque te contriſtet, quod ſolus proficiſceris, ſciens comitem tibi & adiutorem Deum per Ieſum, & citò per eius gratiam multos tibi ſocios & vnanimes fore. Dato ſanè operam, vt per ſingulos annos præcipua quæque ex dictis geſtiſque tuis ſcripta mittas ad me, & maxime per ſeptimanas annorum. Et his dictis dimiſſus ab eo, ſex diebus perueni Cæſaream. Ingredienti autem mihi occurrit Zachæus dilectiſſimus frater noſter, & inhærens amplexibus meis, perduxit adhoc, in quo ipſe commanebat, hoſpitium, requirens à me de ſingulis quibuſque fratribus, præcipuè tamen de honorabili fratre noſtro Iacobo: Cúmque audiſſet à me, quod vno adhuc claudicâret pede: percontanti continuò cauſam, omnia hæc, quæ nunc tibi expoſuimus, ei enarraui: quomodo euocati eſſemus à Sacerdotibus & Pontifice Caiapha ad templum: & Iacobus Archiepiſcopus ſtans in ſummis gradibus per ſeptem continuos dies vniuerſo populo de ſcripturis dominicis adſignauerit, quod Ieſus eſſet Chriſtus: quóve modo, omnibus iam adquieſcentibus, vt ab eo baptizarentur in nomine Ieſu, inimicus homo effecerit illa omnia: quæ ſuprà diximus, vt ne eadem iterum dicamus.

Act. 22.

Iacobus altero pede claudicabat.

Operæpretium fuerit hoc loco ſcire, quod plures fuerint Iacobi, propter hiſtoriæ huius veritatem, certitudinémque: vt apud Euſebium Pamphilum libro H. E. 2. cap. 23. & Niceph. Caliſtum lib. 2. cap. 28. itémque Hieronymum in catalogo teſtatur Hegeſippus antiquiſſimus Eccleſiæ ſcriptor. Primus fuit Iacobus Zebedæi filius, Ioan. Euangeliſtæ frater, ab Herode Agrippa iam tunc occiſus, Actor. 12. Alter Iacobus Alphæi filius; Iudæ Lebbæi ſiue Thaddæi frater, vt teſtatur Iudas initio ſuæ Epiſtolæ: Qui ad differentiam aliorum præter ſuperiora cognomina dicitur etiam à Marco 15. cap. μικρὸς Oſtratinæ, quæ vrbs eſt extremæ Ægypti, cùm diu fidem docuiſſet, cruci affixus, vt refert Niceph. C. lib eodem, cap. 40. Vterque hi Domini de numero duodecim Apoſtoli. Tertius fuit Iacobus Oblias ſiue Iuſtus vſurpatus, domini noſtri frater, hoc eſt conſobrinus, Eccleſiæ Hieroſolymitanæ primus Epiſcopus poſt aſcenſionem domini, dum præfuit ille Eccleſiæ, ad annos triginta: quanquam hic numerus mihi falſus videatur; quod alias demonſtrabimus. Primam illam è ſeptem Catholicis Epiſtolam ſcripſiſſe putatur: Liturgiamque de qua aliâs. Occiſus tandem ob Chriſti confeſſionem à Iudæis: cum templo deiectus eſſet, & adhuc pro inimicis Deum precaretur fullonis ligno, quo veſtes complanantur. Vide plura apud Niceph. Caliſt. & Euſeb. P. locis citatis ex Hegeſippo & Ioſepho. Huius hic fit à Petro mentio; & ad hunc hi ſcripti ſunt libri. Magnus eſt de Iacobis error, etiam doctorum hominum ideòque ſemel fuit iſthoc annotandum.

Quibus cognitis Zachæus, rurſus mihi, quæ à Simone agerentur, exponit: & inter hæc, neſcio vnde, cognito aduentu meo, ipſe mandat ad me Simon: Audiente, inquit, populo, die craſtinâ diſputemus. Cui ego: Fiat, inquam, vt libet: vt hæc pollicitatio mea vniuerſæ innotuit ciuitati, ita vt etiam tu, qui ipſa die adueneras, diſceres, me die poſtera cum Simone habiturum eſſe certamen: & requiſita manſione noſtra ſecundum indicia, quæ à Barnaba acceperas, venires ad nos: ego verò ingreſſu tuo ita gratulatus ſum, vt neſcio vnde motus, feſtinauerit animus meus exponere tibi cuncta velociter: præcipuè tamen, quod eſt in fide maximum de vero Propheta: quod vnum ad totius doctrinæ fundamentum ſufficere poſſe non ambigo: tum etiam ſcriptæ legis per ſingula quæque capitula, quorum ratio poſcebat, ſecretiorem tibi intelligentiam patefeci: non occultans à te, * nec traditionum bona: quæ verò ſuperſunt incipiens à die craſtina, ex his, quæ in quæſtionibus cum Simone mouebuntur, per dies ſingulos audies: vſquequo, Deo fauente, perueniatur ad ipſam, quò iter noſtrum dirigendum credimus, vrbem Romam. Cùmque ad hæc ab eo dicta, omnem gratiam me ei debere profiterer: facturúmque omnia me, quæ præciperet, promptiſſiméque pollicerer: cibo ſumpto quieſcere nos iuſſit: ſibique ipſe quietem dedit.

Simon Magus Petro certamē denunciat.

Clarius erat. Ne traditionum quidē bona. Hinc ſatis liquet, Apoſtolos à Seruatore quædam dogmata fuiſſe tradita, quæ non cuiuis communicarent.

ARGVMENTVM LIBRI II.
Recognitionum, per L. Gruterum Venradium.

QVID in dicto diſputationis die inter Simonem Petrum & Magum acciderit apud Cæſaream, ſecundo hoc libro deſcribit Clemens. Petrum inmiram maturè cubitu ſurrexiſſe, ſuóſque excitaſſe: ac ne quid duri fore putarent in tam mature ſurgendo, de Conſuetudinis natura, quæ cuncta fierent facilia, licet difficilia, ipſos admonuiſſe, quibus amicè collatis Petrum porrò cum ſuis conſultaſſe de ineunda ratione cum Mago diſputandi diligenter id prouidendum, quod indignum ſit adeóque nefarium, cuiuis immortalitatis verba committere: & ex iſthac collatione facilius poſtea poſſit, quis ſit animus Simonis deprehendi, ne veritas vel diſputando periclitetur vel iniquius tractetur: cum impio non tam diſputari poſſe, quàm ipſum ad mentem vitámque ſaniorem hortandum: Nicetam his ſubieciſſe: Magum dialecticum eſſe, diſputationibúſque fidere: cauendum itaque, ne ſuis artibus & magiâ rudi populo ſuperare videretur; eam verò orationem exceptam ab Aquila, qui latius vim & efficaciam Magiæ illius, quàm ipſemet ſuus adhuc diſcipulus coram apud illum viderit: tam ortum Magi, patriam, parentes, gentem, ſtudia, mores, doctrinam, eiuſque originem elegantiſſimè explicarit. (Atque hanc deſcriptionem Clemens artificioſè inſeruit, vt lectori melius Magus, de quo permulta poſt recenſebit, ſit cognitus.) Petrum autem iſtis auditis, demiratum magnam Dei iſthac permittentis bonitatem: Magique periculoſam cæcitatem & impietatem: cum explicatione cauſarum, cur & vnde mortales plerique Chriſto & religioni aduerſentur, dæmoniciſque vexationibus tradantur: item, cur in homines Deus ipſis aliquid permittat dæmonibus dixiſſe autem iſthæc obiter in hiſtorica narratione de Mago Nicetæ & Aquilæ: ad quam cum redire ij vellent interturbatos, quòd iam Magus diſputationi accinctus nuntiaretur à Zachæo Petrum à ianua quærere: Petrum porrò diſputaturum Deum inuocaſſe, & hortatum cæteros ad orandum, vt ſucceſſus fælix foret: Ingreſſum deinde turbam amicè conſalutaſſe, precatumque ipſi pacem: redditâ cauſâ, cur initio eam iis optaret, ac docuiſſe de quibus diſputandum veniret. Magum mentionem pacis velut

inepta ad veritatis inquisitionem reiecisse, occurrente Petro, suámque sententiam non solum per elegãtem similitudinem explicante, sed & illustrante, causísque datis confirmãte, cur velit, vt modestè & ordine veritas quæreretur: Magum contra, quòd Magister suus Iesus contraria sæpe docuerit, obiecisse: Petro rursus monente, ne non intellecta carperet & reiiceret, sui officij esse, ex magistri præcepto docere illa, non sua docere, in quibus si recitandis aut docendis aberraret, reprehendi posset: potius tamen inquirendum. Num Christus Propheta ille fuerit, Simonem Magum contra, quòd cerneret hoc se causâ casurum, diuerticula quæsiuisse: versisse repugnantiam doctrinæ Christi: Petrum verò caput quæstionis ventilandum de Christo valde monuisse, quam cùm Magus pertinaciter reiiceret tergiuersando, aliam abs Petro propositam: Num esset vnus Deus: eam ægrè quidem admisisse, tandem tamen, vt disputaretur, in eam consensisse. Asserere Magus contra Petrum tunc, Non vnum sed plures Deos esse: quibus sit vnus Iudæorum Deus, cæterorum quidem facile princeps: sed tamen suprà hunc extare alium: eumque sæculis omnibus incognitum fuisse, quem solus ipse nosset, mundóque patefacere vellet: Narrat porrò Clemens, Petrum quæsiuisse, vnde Magus isthanc sententiam probare vellet, num ex scripturis? quod si vellet, qua intelligentia? sin aliunde, qua authoritate? Magum legem Moysis in medium attulisse: sed eam pro suo arbitratu explicare voluisse (sicuti nunc quoque factitant hæretici nostrates:) magnáque scripturæ testimoniorum copiâ plures vno deos probare conatum. Petrum autem modestè, neque fugientem nec aures occludentem, quod aduersarius vereri se dixerat: non modo scripturis multis plures scripturas opposuisse: sed & doctissimè explicasse, qua ratione multi Dij in diuinis literis afferantur: quemadmodum Moyses dicatur Pharaonis Deus? Item, Iudices, simulacra, sancti homines, Angeli, quóque modis, & cur ita dicantur, copiosè probasse, vnum & summum Deorum omnium Deum esse Iudæorum Deum, cuius germanus sit filius, verus ille Propheta Iesus, quem ipsum & lex & vates annuntient: hancque sententiam Petrum doctè & fortiter defendisse. Mago interim, astutissimè & acutissimè, variè tamen, vt solent ij, qui malam causam agunt, nunc hoc, nunc illud proponente, nunc vtroque relicto ad aliud confugiente, eam oppugnante, quod latius tam ex scholijs nostris, vbi opus fuerit quam ex ipsa historia Clementinæ seriæ cum summa voluptate & vtilitate cognoscere poterit studiosus lector.

Vtilissima certe lectoris huiusce libri lectio erit. Præterquam quod vera fides de vno & vero Deo nostro ac Seruatore Christo luculentissimè & firmissimè docetur demonstratúrque, præterea Magi impia hæresis, tam copiosè, vt nusquam apud alium ita describatur: per multa etiam alia scitu sanè necessaria & iucunda ex eo cognosci poterunt.

Proponitur in hoc quidem Mago, pulcher typus & imago omnium hæreticorum quomodo confidant hæreticis disputantibus quo suo arbitratu scripturas sacras explicent: easque quanta cum copia citent, quæ omnia, conducet in hoc homine considerare, & quemuis ob oculos ponere, ne mox scripturis auditis à fide catholica ob hominum vel doctrinam vel suauem eloquentiam deficiamus. Est & illud in hoc ipso præterea bene considerandum, Magum accusare bonum Deum, quod præter fidem suíve agnitionem etiam legem velit compleri, nam quid aliud nunc Ecclesiæ obiectans hæretici? qui legem datam aiunt, non vt obseruetur, sed vt saltem peccatum inde noscatur: quod nos fatemur quidem: sed & illud alterum verum esse persuasum habemus. Perspicitur denique in Mago, quam perniciosæ sint artes, quando in malum peruersúmque hominem incidant.

Docet autem Petrus, quomodo congrediendum ac disputandum sit cum hæreticis: & quantum humanæ rationes ac quatenus fidem confirment; cur diaboli hominum corpora frequenter animósque inuadant; atque hæc omnia præter veram fidem, miram modestiam & sapientiam, quæ hic in ipso est cernere.

Postremum, nihil hîc est, quod non sit planè Catholicum atque eruditum. Si cui tamen Petrus de summa diuinitate obscuriùs quadam locutus fuisse videtur: is cogitet, velim, noluisse eum apud indoctum incredulúmque populum, acerbissimúmque adeò religionis hostem, mysteria fidei apertius prædicare, neque verò debuisse, quod ipsemet ad suos in principio sequentis libri palàm testificatur.

RECOGNITIONVM

Diui Clementis ad Iacobum Fratrem Domini, Liber secundus Rufino Torano Aquilejense Interprete.

Disputatio I. Simonis Petri cum Mago apud Cæsaream.

CVM Autem dies, quæ ad disceptandum cum Simone statuta fuerat, inluxisset: Petrus primis gallorum cantibus surgens, excitauit etiam nos, eramus enim in eodem conclaui cubitantes, simul omnes tredecim: in quibus primus post Petrum, Zachæus: deinde Sophonias: Iosephus: & Michæas: Eliesdros, & Phineas: Lazarus & Hæliseus: post hos ego Clemens, & Nicodemus: deinde Niceta & Aquila, qui fuerant priùs discipuli Simonis: & docente Zachæo, conuersi sunt ad fidem Christi. Mulierum sanè nulla prorsus aderat. Cumque adhuc vespertinum lumen duraret, omnes resedimus: & Petrus videns vigilare nos, ac sibi intendere, salutatis nobis, continuò dat sermonis exordium. Mirari me equidem fateor, fratres, humanæ naturæ vim, quam ad omnia aptam, habilemque esse video. Hoc autem dicere in memoriam venit ex his, quæ rebus ipsis expertus sum, vt cùm transierit medium noctis, ego sponte iam suscitor, & vltrà somnus nequaquam venit ad me: quam mihi accidit ex eo, quia in consuetudine habui, verba Domini mei, quæ ab ipso audieram, reuocare ad memoriam, & pro ipsorum desiderio, suscitari animis meis, & cogitationibus imperaui: vt euigilans ad ea, & singula quæque recolens ac retexens, possim memoriter retinere. Ex hoc ergo, dum omni cum dulcedine sermones Domini versare in meo corde desidero, consuetudo obtinuit vigilandi: etiam si nihil sit, quod cogitare velim. Ita ergò ineffabili quadam ratione, introductâ aliâ consuetudine, vetus consuetudo mutatur: & id reuera, si non supra modum cogas, sed quantum recipit mensura naturæ. Neque enim penitus somno carere possibile est: alioqui nec facta nox fuisset ad quietẽ. Et ego cùm audissem: Optime, inquam, dixisti Petre, quia consuetudo consuetudine commutatur. Nam & ego cùm nauigarem, primò turbabar, & intra me mihi omnia vertebantur, ita vt suggillari viderer, nec ferre possem brumam & molestiam maris: post paucos autem dies, vbi consuetudo facta est, tolerabiliter ferre cœpi: ita vt manè statim vnà cum nautis cibum sumere delectarer, cùm priùs ante horam septimam capiendi cibi consuetudo non esset. Nunc ergo, ex ista sola consuetudine, circa illud tempus, quo comedere cum nautis solebam, esuries admonet me: quod tamen rursus depellendum spero, cùm alia fuerit consuetudo suscepta. Credo ergo etiam tibi vigiliarum consuetudinem, vt perhibes, institutam, & opportunè hoc nobis exponere voluisti, vt & nos aliquantulum somni à nobis abiicere atque effugare non pigeat: vt possimus doctrinæ viuentis instituta suscipere. Vbi enim decocti fuerint cibi, & mens acceperit nocturna silentia, oportunissimè quæ docentur, insident. Et Petrus libenter accipiens, quod intellexerim præfationis eius causam, ad vtilitatem nostram prolatam, conlaudans me, adhortandi & incitandi sine dubio gratiâ, consequentem cœpit expedire sermonem. Opportunum mihi nunc & necessarium videtur, de his, quæ imminent aliqua discutere, id est, de Simone.

Petrus vult vt deliberetur, qua ratione disputandum sit cum Mago piè, ita, ne veritas periclitetur, aut iniquè tractetur, indignum, cuius comperire verba Dei. Facilius etiam fore exploratu, quis sit Simonis animus, cum impio hoste non disputandum, sed hortandum esse ad meliorem tum mentem, tum vitam.

Consuetudo.

Silentium studijs fauens.

A B C D E F G H

Scire

Scire enim velim, quibus sit moribus, & quibus sit actibus: quòd mihi, si quis scit, indicare non cesset: refert enim ista praenoscere. Nam si in mandatis habemus, vt venientes ad ciuitatem, discamus priùs, quis in ea dignus sit, vt apud eum cibum sumamus: quantò magis conuenit noscere, quis, qualisùe sit is, cui immortalitatis verba credenda sunt? Soliciti enim, & valde soliciti esse debemus, ne margaritas nostras mittamus ante porcos. Sed & alias ob causas vtile est, viri huius habere me notitiam. Si enim sciam, quia in his, de quibus non potest dubitari quòd bona sint, emendatus est, & inculpabilis: hoc est, si sobrius, si misericors, si iustus, si mitis & humanus est, quae vtique bona esse nullus ambigit: tunc consequens videbitur, vt ei, qui obtinet bona virtutum, etiam quod deest, fidei, & scientiae conferatur: & in quibus maculari videtur eius vita, quae est in reliquis probabilis, emendetur. Si verò in his, quae palàm sunt, peccatis inuolutus permanet, & inquinatus, non me oportet ei aliquid de secretioribus & remotis diuinae scientiae proloqui: sed magis protestari & conuenire eum, vt peccare desinat, & actus suos à vitiis emendet. Quod si ingesserit se, & prouocauerit nos dicere, quae eum minùs rectè agerē non oportet audire, prudenter eum debemus eludere: nam nihil omnino respondere, auditorum causa vtile non videtur, ne fortè existiment nos responsionis penuriâ declinare certamen: & fides eorum laedatur, non intelligentium propositum nostrum. Cumque haec Petrus dixisset ad nos, Niceta rogat permitti sibi dicere aliquid: atque indulgente Petro, Cum venia inquit:

Niceta monet Magum dialecticum esse, & confidere disputationibus: quo graphicè haereticorum natura depingitur quin & Magum esse.

Obsecro te Domine mi Petre, audias me valde solicitum esse, & verentem, ne forte in certamine, quod tibi est cum Simone, superari videaris. Solet enim frequenter accidere, vt qui veritatem defendit, non semper obtineat: dum aut in aliquo praeuenti sunt auditores, aut non grandem curam melioris sententiae gerunt. Super haec autem omnia, & ipse Simon vehementissimus est orator, in arte dialectica, & syllogismorum tendiculis enutritus: quod autem est omnium grauius, & in arte magica valde exercitatus: & ideo metuo, ne fortè tam valide ex omni parte munitus, apud eos, qui ignorant eum, falsa allegans, putetur vera defendere. Neque enim vel nos ipsi eum potuissemus effugere, & conuerti ad Dominum, nisi dum adiutores eius & errorum socij sumus, agnouissemus, quod deceptor esset, ac magus.

Confirmat Aquila Nicetae sententiam, latiùs explicans Magiam ipsius, quam apud eum, cum suus discipulus esset, viderit: item etiam, patriam, parentes, gentem, studia, mores, doctrinam, denique eius originem.

Cumque haec Niceta dixisset: Aquila quoque rogans sibi dicendi facultatem dari, hoc modo etiam ipse prosequutus est: Suscipe, quaeso, & mei erga te amoris curam, optime Petre, & ego enim valde solicitus sum pro te. Nec reprehendas nos in hoc: quia curam gerere alicuius, ex affectu venit: negligere autem, non minus est, quàm odisse. Testem verò inuoco Deum: quia, non, vt segniorem te in certamine sciens, metuo pro te, quippe, qui nec vnquam tibi praesto fuerim disputanti: sed (qui illius impietates bene nouerim,) existimationem tuam cogito, simul & animos auditorum, & ipsius ante omnia veritatis statum. Vehemens enim est hic Magus ad omnia, quaecunque voluerit: & supra modum scelestus:, in omnibus enim eum diligenter agnouimus, vtpote qui à puero malorum eius auditores fuerimus & ministri: & nisi nos Dei amor abrupisset ab eo, in eisdem cum ipso etiam nunc versaremur malis: sed ingenitus quidam nobis erga Deum affectus, scelera quidem eius exosa, cultum verò Dei amabilem fecit. Vnde & arbitror opus fuisse diuinae prouidentiae, vt nos primò familiares eius effecti notitiam caperemus, quomodo, vel quali arte, prodigia, quae facere videtur, efficiat. Quis enim est, qui non obstupescat super his, quae facit, mirabilibus? & non putet eum de caelis Deum ad salutem hominum descendisse? Ego de meipso fateor, nisi interiùs eum scissem, & interfuissem actibus eius, subripi mihi facilè potuisset: vnde non fuit magnum nos ab eius consortio separari, scientes eum magicis artibus, & commentis scelerum niti. Quod si vis etiam ipse de eo cuncta cognoscere, quis ipse sit, qualisùe, & vnde, vel qualiter patrentur, quae gerit, ausculta. Simon hic, patre Antonio, matre Rachele natus est: gente Samaraeus: ex vico Gytthorum: arte magus: Graecis tamen literis liberalibus adprimè eruditus, gloriae ac iactantiae supra omne genus hominum cupidus, ita vt excelsam virtutem, quae supra creatorem Deum sit credi se velit: & Christum putari, atque Stantem nominari. Hac autem appellatione vtitur, quasi, qui neget posse se aliquando dissolui: adserens carnē suam ita diuinitatis suae virtute compacta, vt possit in aeternum durare. Hinc ergo Stans appellatur, tanquam qui non possit vlla corruptione decidere. Interfecto etenim, sicut scis & ipse, Baptista Ioanne, cùm Dositheus haereseos suae inisset exordium, cum aliis triginta principalibus discipulis, & vna muliere, quae Selene, hoc est, Luna vocitata est.

Simon magus quis fuerit.

Luna) Praestat retinere ipsum Graecum vocabulum. Itaque nos restituimus, Selene, hoc est nostris, Luna. Vsitatius hoc est in omnibus historicis. Ne dicam ineptum videre solere in aliam linguam transferri propria nomina, vbi gratiam & vim suam pleraque amittunt. Vocatur hoc scortum a plerisque Helena. quod hanc in Helena illa Troiana inhabitasse credi vellet Magus. Vtroque nomine illa celebrata. Porrò de Simone hoc Mago consule latius Irenaeum, contra haereses, libro primo Elenchi. Et Epiphanium, in Simonianis. Vnum locum, quo haec historia plurimum illustrabitur, ex Iustino Martyre Philosopho, quemadmodum is de Mago ad Antoninum Imp. perscripserit, in priore sua pro fide nostra defensione adiicere non grauabor. Verba ipsius sunt. Scimus praeterea post Christi in caelum ascensum, nonnullos homines à daemonibus inductos, qui deos se esse iactarent, qui non modo a vobis supplicio affecti non sunt, sed etiam honoribus venerationéque digni habiti. Hinc enim quendam Samaritanum, ex vico qui Trithon dicebatur, qui Claudio Caesare regnante, cum arte daemonum magica opera edidisset, in Regia vestra vrbe Roma, Deus iudicatus est, statuaque honos & vt Deo à vobis tributus est: eaque statua in Tiberi inter pontes duos erecta est cum hac Latina inscriptione, Simoni Deo Sancto; omnésque fere Samaritani, & aliarum etiam nationum pauci, eum tanquam primum Deum profitentur, colunt atque venerantur. Helenámque quandam, quae cum eo tum versata & peregrinata est, primum in tecto stetuerant, deinde eius notionem primam extitisse ferunt. Luculentum hoc testimonium, eius viri in primis, qui proximè ad Clementis tempora accessit. Quanquam nesciam, an quicquam hac historica descriptione possit esse dilucidius; adeò apertè omnia ab origine de initiis sectae huius Magi repetit, & quidem planius, quàm alij omnes. Qui tamen plura desiderat, Eusebium Pamphili legat, lib. 2. hist. Eccles. cap. 12. 13. 14. Et, Niceph. Call. lib. 2. c. 14.

Vnde & illi triginta quasi secundum Lunae cursum in numero dierum positi videbantur: Simon hic malae, vt diximus, gloriae cupidus, accedit ad Dositheum: & simulatis amicitiis, exorat, vt, si quādo aliquis ex illis triginta obiisset, in locum defuncti se continuò subrogaret: quia neque statutū numerū excedere apud eos fas erat: neque ignotum aliquem inserere, aut nondum probatum: vnde & caeteri studentes digni loco ac numero fieri, secundum sectae suae instituta placere per omnia gestiunt: quò possit vnusquisque ex his, qui illum numerum sequuntur, cùm fortè aliquis, vt diximus, decesserit, dignus videri, qui in locum defuncti substitui debeat.

Meminit Dosithei Dositheanorúmque assectarū, Niceph. Callistus lib. 4. hist. Eccles. c. 7. ex Egesippo. Et Hieronymus aduersus Luciferianos; &, in Epitaphio Paulae. Item. Epiphanius Cypri libro primo Panarij, haeresi 13. Sed nusquam luculentius tota historia ab initio pertexitur, atque hic fit à Clemente.

Igitur Dositheus plurimis ab hoc exoratus, vbi locus intra numerum factus est, introduxit Simonem. Sed hic

non multò pòst incidit in amorem mulieris illius, quam Selenen, id est Lunam vocant, nobisque, vt pote familiaribus suis omnia concredebat, quòd magus esset, & quòd amaret Selenen, quodque gloriæ cupidus, noluit ea inglorius frui: sed expectare patienter, donec honestè ea vti liceret: si tamen etiam nos conspiraremus ei ad omnia quæ vellet: sed & mercedem ministerij huius daturum se nobis pollicebatur: summis vt honoribus affici, & dij esse ab hominibus crederemur: tantùm vt mihi, inquit, Simoni deferatis primatus, qui possum magica arte multa signa & prodigia ostendere, per quæ possit vel gloriæ, vel sectæ nostræ ratio constare. Possum enim facere, vt volentibus me comprehendere, non appaream: & rursus volens videri, palam sim: Si fugere velim, montes perforem, & saxa quasi lutum pertranseam: si me de monte excelso præcipitem, tanquam subuectus ad terras illæsus deferar: Vinctus memetipsum soluam: eos verò, qui vincula iniecerint, vinctos reddam: in carcere colligatus, claustra sponte patefieri faciam: statuas animatas reddam: ita vt putentur ab his, qui vident, homines esse: nouas arbores subitò oriri faciam, & repentina virgulta producam: in ignem memetipsum iniiciens non ardeam. Vultum meum commuto, vt non agnoscar: sed & duas facies habere me, possum hominibus ostendere: Ouis aut capra efficiar: pueris paruis barbam producam: in aërem volando inuehar: aurum plurimum ostendam: Reges faciam, eosque deiiciam. Adorabor vt Deus, publicè diuinis donabor honoribus, ita vt simulacrum mihi statuentes, tanquam Deum colant & adorent. Et quid opus est multa dicere? quicquid voluero facere, potero. Multa etenim iam mihi experimenti causâ consummata sunt. Denique aliquando, inquit, cùm mater mea Rachel iuberet me exire ad agrum, vt meterem: ego falcem videns positam, præcepi ei, vt iret & meteret: & messuit decuplo ampliùs cæteris. Multa iam noua virgulta produxi de terra, & conualescere ea feci: & sub momento temporis apparere feci: & montem proximum, ego secundo perforaui. Sed hæc cùm diceret de virgultis productis, & monte perforato, stupescebam pro eo, quòd etiam nos circumuenire vellet, quibus se commendare & concredere videbatur: sciebamus enim, quod à proauis hæc fuissent, quæ à se nuper facta perhibebat. Hæc ergò nos ab eo flagitia audientes, & horum deteriora, sequebamur tamen & ipsi eius scelera: & alios ab eo decipi patiebamur: multa etiam mentientes pro eo: & hoc, priusquã aliquid faceret eorum, quę promiserat, ita vt nullis adhuc gestis, à nonnullis tamen putaretur Deus. Interim in initio, cùm adhuc inter triginta Dosithei discipulos haberetur, cœpit ipsi Dositheo derogare, tãquam qui non integrè nec perfectè doceret, idque eum non inuidiâ facere sed inscientiâ. Verùm Dositheus, vbi sibi derogari sensit à Simone, verens, ne opinio sua obscuraretur apud homines, qui eum putabant, ipsum esse Stantem, furore commotus, cùm ad scholam solito conuenissent, virgâ correptâ verberare Simonem cœpit, & repentè per corpus eius, quasi per fumum, visa est virga transire: super quo obstupefactus Dositheus, ait ad eum: Dic mihi, num tu es Stans? vt adorem te: Cumque Simon respondisset, ego sum: Dositheus videns se non esse Stantem, cecidit & adorauit eum: & Simoni quidem cedit principatu suo, ipsique obedire omnem triginta virorum ordinem iubet: semetipsum verò in locum Simonis statuit, & non multò pòst defunctus est. Igitur post obitum Dosithei, Simon accepit Selenen, cum qua vsque ad præsens circuit: vt videtis, decipiens turbas: & asserens semetipsum quidem virtutem esse quandam, quæ sit supra conditorem Deum: Selenen verò quæ secum est, esse, de superioribus cœlis deductam, eandemque cunctorum genitricem, asserit esse sapientiam: pro qua, inquit, Græci & barbari confligentes, imaginem quidem eius aliqua ex parte videre potuerunt: ipsam verò, vt est, penitus ignorârunt: quippe, quæ apud illum primum omnium, & solum habitaret Deum.

Quanta efficeris Simon per magiam.

Quod de se est pollicitus Simon, id est consequutus.

Nam in Tiberi simulacrũ erat, cui inscriptio fuit, Simoni Deo sancto vt ex Iustino suprà retulimus.

Dositheus moritur. De ipsius morte, consule Epiphanium.

Silenam Simon sapientiam voluit videri: πρώτην ἔννοιαν, id est, primã animi conceptionem, siue intelligentiam auctore Iustin.

Et hæc, atque alia his similia cum verborum pompa proferens, decepit multos. Sed & hoc indicare debeo, quod ipse ego vidisse me memini cùm esset aliquando Selene illa eius in turre quadam, multitudo ingens ad eam conuenerat peruidendam, & vndique circa turrim stabat: at illa per omnes fenestras turris illius omni populo procumbere ac prospicere videbatur. Et multa alia mirabilia fecit, & facit, ita vt stupentes pro his homines, putent eum ipsum esse summum Deum. Nam mihi aliquando, & Nicetæ rogantibus, vt exponeret, quomodo hæc possint arte magica effici, & quæ esset huius rei natura Simon tanquam familiaribus suis, explanare ita cœpit: Pueri, inquit, incorrupti, & violenter necati, animam adiuramentis ineffabilibus euocatam adsistere mihi feci, & per ipsam fit omne, quod iubeo. Et ego: Est ne, inquam: possibile animæ hæc facere? Ille respondit: Hoc vos scire volo, quia secundum locum post Deum obtinet anima hominis, cùm exuta fuerit à corporis sui tenebris. Statim denique & præscientiam habet, propter quod euocatur ad necromantiam. Et ego respondi: Cur ergò interfectorum animæ non vlciscuntur interfectores suos? At ille: Non meministi, inquit, quod dixi, quia cùm exierit de corpore, etiam præscientiam habet? Memini inquam. Ob hoc, inquit, cùm excedit è corpore, statim prænoscit futurum esse iudicium: & vnumquemque pro his, quæ hîc, egerit malis, pœnas daturum: & ideo nolunt vlcisci interfectores suos, quia & ipsæ pro suis malis, quæ hîc commiserant, perferunt cruciatus: & illos sciunt in iudicio grauiora manere supplicia. Super hæc autem omnia; nec permittitur eis exire, aut facere quicquam, ab Angelis qui eis præsunt. Et ego respodi: Si non permittitur eis ab Angelis huc venire, aut facere, quod volunt: quomodo Mago euocanti obtemperat anima? Ipsis, inquit, animabus venire volentibus non indulgent: cùm verò hi, qui præsunt Angeli, adiurati fuerint per maiorem suum, excusationem habens nostræ, qui eos adiuramus, violentiæ: vt permittant exire animas, quas euocamus: non enim illi peccant, qui vim patiuntur, sed nos, qui inferimus necessitatem. Ad hæc Niceta, vltrà non ferens, præproperè respondit, quod & ego quidem facturus eram: sed priùs eum expiscari de singulis cupiebam: sed, vt dixi, Niceta præueniens: Et tu, inquit, non times diem iudicij, qui vim Angelis facis? & animas euocas? & homines decipis? & honorem tibi diuinum ab hominibus mercaris? Et quomodo nobis persuades, quod neque iudicium erit: vt nonnulli Iudæorum fatentur: neque animæ immortales sint, quod videtur pluribus cùm ipse oculis tuis videas eas, & commonitionem diuini iudicij capias ex ipsis.

Absurdũ commentum Simonis de puero necato, etiã hodie receptum apud magos.

Simon semetip. se confodat.

Ita nusquam sibi constat Mendacium.

Genij præsides animarum.

Nonnulli Iudæorum. Hi dicebantur Sadducæi hac & iudicium extimum, & resurrectionem, & immortalitatem negantes animæ: vnde Christo memorabilem illam quæstionem de Resurrectione. Matth.22. proposuerunt; ea nota est.

His ab eo dictis impalluit Simon, & tamen post paululum recolligens se, ita respondit: Ne puteris, inquit quòd generis vestri homo sim ego, neque Magus sum: neque amator Selenes: neque Antonij filius. Antè enim, quàm mater mea Rachel conueniret cum eo, adhuc virgo concepit me, cùm esset in potestate mea, vel paruum esse, vel magnum: & hominem inter homines apparere. Tentandi ergo gratiâ vos primos assumpsi amicos, vt in cœlestibus & ineffabilibus locis meis primos vos collocem, cùm probauero. Humana ergo de meipso mentitus sum, vt vos manifestiùs comprobarem, num integrum erga me seruaretis affectum. Ego verò hæc audiens, ipsum quidem miserum iudicans: impudentiam tamen eius admirans: & pro eo ipse erubescens: simul & veritus, ne quid in nos moliretur mali, innuo Nicetæ, paulisper vna mecum simulare: & aio ad eum: Non nobis indigneris hominibus corruptibilibus, incorruptibilis Deus: sed suscipe magis affectum nostrum, & animum volentem scire, qui sit Deus: nondum enim sciebamus, quis esses: & nec aduertebamus, quia tu es quem quærebamus. Hæc & his similia vultu pro re aptato prosequentibus nobis, vanissimus credidit nos deceptos, & eò magis elatus addidit etiam hæc: Propitius vobis iam sum, pro affectu, quem erga me Deum geritis: me enim diligentes, nesciebatis: & me

Simon mentitur se ex virgine natum.

quærentes,

Præfert se Deo Simon: à numeratis futilibus & inutilibus miraculis.

quærentes, ignorabatis. Sed nolo dubitetis, quia hoc est verè Deum esse, cùm potest quis paruus effici, vel magnus, si voluerit: nam quoquomodo apparere hominibus poteram. Nunc ergo incipiam vobis aperire, quod verum est. Ego virtute mea quodam tempore aërem vertens in aquam: & aquam rursum in sanguinem, carnemque solidans, nouum hominem puerum formaui: & opus, conditore Deo multò nobilius, protuli. Ille enim creauit hominem è terra; ego autem, quod est difficiliùs, ex aëre: quemque rursus resolueos aëri reddidi: speciem tamen eius, imaginemque depictam in interiore cubiculo collocaui, vt esset indicium ac memoria operis mei. Hæc autem intelligebamus eum dicere pro puero illo, cuius vi necati animâ ad ea, quæ volebat, ministeria vtebatur. Petrus ergo hæc audiens, cum lachrymis ait:

Petri lacrimabunda de ipsius Magi impietate & periculosissima cæcitate oratio, causas recensens, vnde & cur homines Christo & religioni aduersentur.

Miror admodum immensam Dei patientiam: & è contrario, in nonnullis humanæ temeritatis audaciam. Quæ enim ratio inueniri vltra poterit, quæ Simoni suadeat, quod Deus iudicet iniquos, cùm ipse sibi persuadet, quòd animarum obedientiâ ad scelerum suorum vtatur ministerium? te autem vera à dæmonibus illuditur: tamen, cùm per hæc ipsa certus sit, quod immortales sunt animæ, & iudicantur pro his quæ gesserint: & qui se putet reipsa videre ea, quæ nos fide credimus, quamuis, vt dixi, illudatur à dæmonibus: tamen arbitratur se ipsam animæ videre substantiam: Quando hic, inquam, fatebitur vel malè se agere in tanto malo positus? vel iudicandum se pro his, quæ gerit? qui sciens, Dei iudicium contemnit, & inimicum se exhibet Deo, & audet tam nefanda committere?

Tres docet causas Petrus, quæ cogunt aduersari mortales Christo, & veræ religioni: Ignorantiam, peccatorum multitudinem, superbiam.

Vnde certum est, fratres mei, nonnullos veritati ac religioni Dei non ideo aduersari, quod eis nequaquam ratio fidei constare videatur: sed, quia aut nimietate quadam peccatorum inuoluti: aut malis suis præuenti, & tumore cordis elati sunt: ita, vt nec ea quidem credant, quæ oculis suis se videre arbitrantur. Verùm, quoniam ingenita erga conditorem Deum sufficere ad salutem videbatur affectio, his, qui diligerent eum, studet inimicus hanc affectionem in hominibus peruertere: & inimicos eos efficere, atque ingratos conditori suo. Testor autem cœlum ac terram, quòd si, quantum cupit inimicus desæuire, permitteretur etiam à Deo, olim omnes homines deperissent: sed misericordiæ causa non sinit Deus. Quod si affectum suum homines conuerterent ad Deum, omnes sine dubio saluarentur, etiam si pro aliquibus delictis ob iustitiam corripi viderentur. Sed nunc plurimi hominum inimici effecti sunt Dei, quorum malignus corda penetrauit: & affectum, quem eis conditor Deus inseruerat, vt erga se haberent, in semetipsum deflexit. Aliorum verò iis, qui aliquantulùm vigilare videbantur, in phantasia gloriæ & splendoris apparens: & magna quædam atque ingentia repromittens: euagari nihilominus à Deo vero mentem atque animum fecit: quæ tamen perpetrare, ei iusta quadam permittitur ratione.

Aquilæ docta quæstio, Cur aliquid dæmonibus in homines permittatur. Quam Petrus eleganti similitudine doctè explicat.

Ad hæc Aquila respondit: Quid ergo delinquunt homines, si malignus transformans se in splendorem lucis, maiora repromittit hominibus, quàm ipse conditor Deus? Et Petrus: Puto, inquit, hoc iniustiùs nihil esse: & quatenus iniustum sit, audi. Si filius tuus qui à te omni diligentia eruditus est, & nutritus, atque ad virilem perductus ætatem, ingratus tibi sit: & relinquens te, ad alium, quem fortè ditiorem viderit, eat: & honorem, quem tibi debebat, illi exhibeat: ac spe maioris lucri, Naturam neget, & iura paterna defugiat, rectum tibi videtur, an impium? Et Aquila respondit: Omnibus palam est, quod impium sit. Et Petrus: Si ergo in hominibus hoc impium dicis: quantò magis in Deo, qui supra omnes homines honore ab hominibus dignus est? cuius non solùm beneficiis fruimur: verum & ope ac virtute esse cœpimus, cum non essemus: cuique si placeamus, merebimur ab eo, vt etiam æterni in bonis simus. Vt ergo infideles à fidelibus: & pij discernantur ab impijs: permissum est maligno, vti his artibus, quibus singulorum erga verum parentem probentur affectus. Quòd si verè esset aliquis Deus alienus: tamen ab eo, qui nos creauerat, quique nobis pater, & conditor fuerat, rectúmne erat, relicto proprio transire ad alienum? Et Aquila: Absit, inquit. Tum Petrus: Quomodo ergo dicemus malignum esse causam peccati nostri? cùm hoc permissu Dei fiat, vt per ipsum probentur, & in die iudicij arguantur, hi, qui maioribus pollicitationibus inuitati, veri patris & conditoris sui reliquerint pietatem: hi verò, qui fidem & charitatem proprij patris, etiam cum paupertate, si acciderit, & cum tribulatione seruauerint, donis cœlestibus in regno eius, & immortalibus muneribus perfruantur? Sed hæc aliàs diligentiùs exponemus. Quid autem Simon egerit post hæc, scire cupio, & Niceta respondit.

Solutio. Tamen adsistunt vt probetur constantia nostra.

Redit volente Petro ad historicam narrationem Niceta de Mago, vsque ad suam conuersionem.

Vbi intellexisse eum sensimus, quod deprehensus esset à nobis, colloquuti inter nos de sceleribus eius, reliquimus eum: & ad Zachæum venimus, hæc ipsa ei, quæ tibi nunc protulimus, indicantes. At ille benignissimè nos suscipiens, & de fide Domini nostri Iesu Christi edocens, fidelium numero sociauit. Cumque hæc Niceta dixisset, Zachæus qui paulò ante egressus fuerat, ingrediebatur, dicens: Tempus est, vt procedas ad disputandum Petre: turba enim multa in atrio domus congregata te * operitur: quorum in medio, multis fultus ad scelus asseclis, constitit Simon. Tum Petrus, vt hæc audiuit, orationis gratiâ secedere me iubens, nondum enim eram dilutus à peccatis, quæ in ignorantia commiseram, ait ad reliquos: Oremus fratres, vt Deus per Christum suum pro ineffabili misericordia sua adiuuet me exeuntem pro salute hominũ, qui ab ipso creati sunt, & hæc cùm dixisset, oratione facta, processit ad atrium domus, in quo erat multitudo plurima populi congregata: quos vbi omnes summo silentio ad se intentos vidit, & magum Simonem in medio eorum, velut signiferum, stantem, hoc modo cœpit.

Disputatio Petri cum Mago.

** id est, expectat.*

Principio Petrus cõgressurus cum Simone, orat. & hortatur cæteros, vt orent, pro fœlici disputationis successu.

Salutatio pacis, principium disputationis iuxta Christi præceptum, Matth. 10. quam eleganter Petrus enarrat, vt auditores faciat attentos, amantésque veritatis.

Pax vobis sit omnibus, qui parati estis dare dexteras veritati, quicunque enim obediunt ei, videntur quidem aliquid gratiæ referre Deo porrò autem ipsi ab eo donum summi muneris consequuntur, iustitiæ eius semitis incedentes, propter quod primum est omnium, iustitiam Dei, regnúmque eius inquirere. Iustitiam quidem, vt rectè agere doceamur: regnum verò, vt quæ sit merces posita laboris & patientiæ nouerimus: in quo est bonis quidem æternorum bonorum remuneratio: his autem, qui contra voluntatem Dei egerint, pro vniuscuiusque gestis pœnarum digna restitutio. Hic ergo, hoc est, in præsenti vita positos, oportet vos agnoscere voluntatem Dei, vbi & agendi locus est. Nam si quis velit antè, quàm actus suos emendet, de his requirere: quæ non potest inuenire stulta & inefficax erit, huiuscemodi inquisitio. Tempus enim breue est, & iudicium Dei, gestorum causa agetur: non quæstionum. Ideoque ante omnia hoc quæramus, quid nos, aut qualiter agere oporteat, vt æternam vitam consequi mereamur? Nam si exiguum hoc vitæ tempus per inanes occupemus & inutiles quæstiones: inanes sine dubio & vacui ab operibus bonis pergemus ad Deum: vbi iudicium, vt dixi, operum nostrorum fiet. Vnaquæque etenim res, suum tempus habet & locum. Operum hic locus, hoc tempus est: meritorum sæculum futurum. Ne ergo impediamur, ordinem locorum, ac temporum permutantes: primò

Matth. 6.

De quibus disputari velit, doctè docet.

Veniet enim non

A

vbi nemo operari poterit, Ioan 9. Rom. 1. Propositio.

Nihil proficitur in scripturis diuinis sine spiritu sancto & studio iuncto viuendi.

quæ sit Dei iustitia requiramus: vt tanquam iter acturi, abundanti viatico bonis operibus repleamur, quo possimus ad regnum Dei, tanquam ad vrbem maximam peruenire. Deus enim his, qui rectè sentiunt, per ipsa opera mundi, quæ fecit manifestus est, ipsius creaturæ suæ vtens testimonio: & ideo, cùm de Deo dubitatio esse non debeat, de sola nunc eius iustitiâ requiramus & regno. Quod si aliquid nobis de secretis & reconditis inquirendum suggerit mens nostra, antequam de operibus iustitiæ requiramus, rationem reddere nobismetipsis debemus: quia si bene agentes salutem consequi meruerimus, tanquam casti & mundi euntes ad Deum, spiritu sancto replebimur: & omnia, quæ sunt secreta & occulta, sine vlla quæstionum cauillatione noscemus: quæ nunc, etiam si totum quis vitæ suæ tempus in inquirendo consumat, non solùm non poterit inuenire: sed & maioribus se erroribus infert: quia non per viam priùs iustitiæ incedens, ad portum vitæ peruenire contendit. Et propterea suadeo, primò iustitiam eius esse requirendam: vt per hanc iter agentes, & in via positi veritatis, verum Prophetam inuenire possimus: non velocitate pedum: sed operum bonitate currentes: vt ipso duce vsi, nullum viæ huius patiamur errorem. Si enim ipsum sequentes, ingredi meruerimus illam, quò peruenire cupimus, ciuitatem: omnia iam, de quibus quæritur, oculis videbimus, tanquam hæredes omnium facti. Intelligite itaque viam, esse hunc vitæ nostræ cursum. Viatores, eos, qui bona opera gerunt. Portam, verum Prophetam, de quo dicimus. Vrbem, regnum esse, in quo residet omnipotens pater, quem soli videre possunt hi, qui mundo sunt corde. Non ergo nobis difficilis videatur huius itineris labor: quia in fine eius requies erit: nam & ipse verus Propheta ab initio mundi, per sæculum currens, festinat ad requiem. Adest enim nobis omnibus diebus: & si quando necesse est, adparet, & corrigit nos, vt obtemperantes sibi ad vitam perducat æternam. Mea ergo ista sententia est, sicut & vero Prophetæ visum est, vt primò de iustitia requiratur: ab his maximè, qui Deum se nosse profitentur. Si ergo habet aliquis, quod esse rectiùs putet, dicat: & cùm dixerit, audiat: sed cum patientia & quiete. Propter hoc enim ab initio, salutationis specie pacem cunctis precatus sum.

B

Pulcherrima descriptio cursus huius vitæ. Via. Viatores. Porta. Vrbs.

C

Magus reiicit, tanquam ad veritatis inquisitionem, Pacem, atque Simonis illud hactenus in plerisque scholis theologorum mire locum habuit. Philosophatur autem Magus eleganter, iuxta mundi sapientiam optat, euehitque pugnam pro pace, eámque pacis matrem vocat, estque ea sententia Hesiodi priore de officiis & diebus libro Κακῇ δ' ἐρι ἠδ' ἐριτίσει. Atque hic cernitur, quam inutilis sit ad regni Dei mysteria, carnis prudentia. Petrus explicat contra, quam pacem velit, vt cum quiete scilicet & ordine veritas, non rixose quæratur, ac suam sententiam illustrat eleganti similitudine, causísque firmat.

Ad hæc Simon respondit: Nos pace tua opus non habemus: si enim pax sit & concordia, ad inueniendam veritatem nihil proficere poterimus: habent enim inter se pacem & latrones: & scortatores &: omnis nequitia cum semetipsa concordat: & nos ergo, si ob hoc conuenimus, vt pacis causa omnibus, quæ dicuntur, præbeamus ad sensum, nihil auditoribus conferemus: sed è contrario illusis eis, nos amici discedemus: propter quod noli inuocare pacem: sed magis pugnam matrem eius, & si potes expugna errores. Nec requiras amicitiam iniustis adsentationibus paratam: hoc enim te ante omnia scire volo, quia duobus inter se dimicantibus, tunc erit pax, cùm alter ceciderit superatus: & ideo pugna, vt potes, nec requiras pacem sine bello, quod impossibile est: aut si potest fieri, ostende. Ad hæc Petrus. Attentiùs audite, ô viri, quæ dicimus. Ponamus mundum hunc campum esse aliquem magnum: & ex duabus ciuitatibus, quarum Reges sibi inuicem sint contrarij, missos esse singulos ad dimicandum Duces: & illum quidem boni Regis ducem, consilium dare, vt vterque exercitus absque sanguinis profusione, melioris sui regis iura concedat: quo sine periculo omnes salui fiant: illum verò contrarium dicere: Non, sed pugnetur: vt non, qui dignus est, sed qui fortior ipse cum his, qui euaserint: regnet. Quæso vos, quid magis eligeretis? non dubito, quin, vt cum incolumitate omnium, Regi meliori manus darentur: & ego nunc non, vt Simon ait, pacis causa adsensum volo commodari, his quæ malè dicuntur: sed vt cum quiete & ordine veritas requiratur. Nonnulli enim in disputationum certamine, vbi errorem suum senserint confutari, causà perfugij conturbare continuò incipiunt, & mouere lites, ne palàm fiat omnibus, quod superantur: & propterea ego frequenter exoro, vt cum omni patientia & quiete indago disputationibus habeatur, vt si fortè aliquid minùs rectè dictum videatur, repetere id, & apertiùs liceat explanare: solet enim interdum aliter dici quid, & aliter audiri: dum aut minùs lucidè profertur, aut minùs vigilanter aduertitur: & ob hoc patienter cupio haberi sermonem, vt neque subripiat alter alteri: neque sermonem dicentis, intempestiuus sermo contradicentis interrumpat: neque reprehendendi studium geramus: sed liceat, vt dixi, minùs planè dicta repetere: vt examinatione iustissima clarescat veritatis agnitio. Scire enim debemus, quia, si quis à veritate vincatur, non ipse vincitur, sed ignorantia, quæ in ipso est, quæ est dæmon pessimus: quàm qui potuerit effugare, salutis accipit palmam.

D

E

Verè enim dictū est. Nimium altercando veritatem amittis.

F

Respondet ei, quod Magus Petrum dixerat mentione pacis diuerticula quærere.

Propositum namque nobis est, prodesse auditoribus: non, vt malè viuamus, sed vt pro agnitione veritatis bene viuamus. Si enim veritatis inquirendæ studio sermo moueatur, etiam si quid minùs plenè pro humana fragilitate dicemus: Deus pro ineffabili sua bonitate, ea quæ desunt, latenter auditorum sensibus adimplebit. Iustus est enim, & secundum vniuscuiusque propositum, aliis quidem in promptu facit esse, quod quæritur: aliis verò obscurum reddit, etiam quod palàm positum est. Quia ergo via Dei, via pacis est: cum pace, quæ Dei sunt, requiramus. Ad hæc si quis habet, quod prosequatur, locus est. Si verò nullus est, qui respondere velit, ego dicere incipiam, & quæ mihi ab alio possunt obijci, ipse in medium prolata, dissoluam. Cùm ergo Petrus cœpisset cõtinuare sermonem, Simon interrupta oratione eius.

Pro cuiusque studio vel clara, vel obscura sunt mysteria diuina.

G

Magus rursus interturbat & interpellat Petrum, pacem modestiámque in disputando reiiciens, arguens eum imperitiæ, quod contraria magistro doceat, quod is gladium, non pacem docuerit, peruertens in aliam sententiam Christi domini verba.

Cur, inquit, festinas ipse tibi dicere, quæ tibi videntur? Intelligo versutias tuas: vis enim tibi ea ipse proponere, quorum absolutio benè tibi meditata est: vt ignorantibus nobis, videaris rectè aliquid dicere: sed apud me non tibi erit horum locus. Nunc ergo, quoniam, vt vir fortis polliceris te omni volenti proponere responsurum, mihi interim primò respondeto. Et Petrus: Paratus, inquit, sum: tantùm vt cum pace sit sermo. Tunc Simon: Non vides, inquit, imperitissime, quòd contraria agis magistro tuo? pacem deposcens, quod vtique non conuenit ei, qui expugnaturum se promittit ignorantiam? Aut, si tu rectè pacem ab auditoribus poscis, non rectè magister tuus dixit. Quia non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Aut enim tu bene dicis, & ille non bene: aut si magister tuus benè: tu pessimè: qui non intellexisti contraria te proferre ei, cuius te discipulum profiteris.

H

Petrus rectè seruatoris sententiam explicat à Mago peruersam.

Ad hæc Petrus: neque qui misit me, malefecit, gladium mittere in terram: neque ego contraria ei ago, auditorum pacem requirens. Sed tu & imperitè & temerè reprehendis ea, quæ non intelligis: etenim quia pacem non venit mittere in terram magister non audisti: quod autem dixerit audisti: Beati pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur: Propter quod non ego magistro diuersa sentio, pacem persuadens: quam ille seruantibus beatitudinem posuit.

Matth. 5.

Matth. 10.

Simon magus instat, sophisticè garriens, seruatorem non seruâsse pacem, ideòque nec discipulos seruare debere.

Et Simon ait: Pro magistro respondere cupiens, ô Petre, multò eum grauiùs accusasti, si cùm ipse non venerit pacem facere, hanc aliis seruare præceperit. Et quomodo alius ille eius sermo constabit, quem dixit? Quia sufficit discipulo, vt sit, sicut magister eius.

Distinguit Petrus pacis & Gladij vocabula. Gladium esse difficultatem patientiæ, labores & molestiam ob pietatem. Præterea Gladium vocari, bellum verbi & confutationem falsæ doctrinæ: denique punitionem contemptorum Euangelij, elegantissime.

Petrus ad hæc: Magister, inquit, noster, qui erat verus Propheta, & sui in omnibus memor, neque sibi contraria loquutus est: neque nobis ab his, quæ ipse gerebat, diuersa mandauit. Quòd enim ait: Non veni pacem mittere in terram, sed gladium: & ex hoc videbitis separari patrem à filio: filium à patre: virum ab vxore: & vxorem à viro: & matrem à filia: filiam à matre: fratrem à fratre, socrum à nuru: amicum ab amico: Hæc omnia continent doctrinam pacis: & quomodo, audi. Initio prædicationis suæ, vtpote, qui vellet omnes inuitare & adducere ad salutem, ac patientiam laborum, tentationúmque habendam suaderet: pauperes beatificat, eósque pro penuriæ tolerantia adepturos esse pollicebatur regna cœlorum: vt sub tanta spe æquanimiter paupertatis pondus, spreta cupiditate portarent. Est enim vnum & maximum ex perniciosissimis peccatis, cupiditas. Sed & esurientes, & sitientes æternis bonis iustitiæ saturandos esse promisit, vt egestatem toleranter ferentes, nihil pro hac iniusti operis molirentur. Mundos quoque corde similiter beatos dicebat, & per hoc Deum visuros: vt vnusquisque adipisci tantum cupiens bonum, semetipsum à pessimis & pollutis cogitationibus contineret. Sic ergo magister noster discipulos ad patientiam virtutis inuitans, bonum pacis, etiam cum labore patientiæ, suadebat esse seruandum. Econtrario verò eos, qui in diuitiis ac luxuria versabantur, lugebat, qui nihil pauperibus largiebantur, arguens eos rationem reddituros: quia proximos suos, quos diligere, sicut seipsos debuerant, ne in egestate quidem positos miserati sunt. Hæc autem dicens, altos quidem obedire fecit: alios verò reddidit inimicos. Credentibus ergo & obedientibus pacem habere inter se inuicem iubet, & ipsis dicit: Beati pacifici, quia ipsi filij Dei vocabuntur. His autem, qui non solum non credidere, verùm & aduersarij doctrinæ eius facti sunt: bellum verbi & confutationis indixit: quia ex hoc videbitis separari filium à patre: & virum ab vxore: & filiam à matre: & fratrem à fratre: & nurum à socru: & inimici hominis domestici eius. In vnaquáque enim domo, cùm inter credentem & non credentem cœperit esse diuersitas, necessariò pugna fit: incredulis quidem contra fidem dimicantibus: fidelibus verò in illis errorem veterem, & peccatorum vitia confutantibus. Similiter quoque etiam erga Scribas & Pharisæos vltimo doctrinæ suæ tempore bellum gerit, arguens eos super actibus non bonis, & non recta doctrinâ, & quòd clauem scientiæ, quam à Moyse traditam susceperunt, occultarent: per quam possit ianua regni cœlestis aperiri. Sed & nos ad prædicandum mittens Dominus noster præcepit nobis, vt in quamcunque ciuitatem vel domum introierimus, dicamus: Pax huic domui: & siquidem, inquit, fuerit ibi filius pacis, veniet super eum pax vestra: si verò non fuerit, pax vestra ad vos reuertetur. Exeuntes autem de domo, vel de ciuitate illa, vt etiam puluerem, qui adhæserit pedibus nostris, excutiamus super eos. Tolerabilius autem erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati vel domui. Quot vtique ita demum præcepit fieri, si priùs in ciuitate vel domo veritatis sermo prædicetur: ex quo vel recipientes veritatis fidem, filij pacis & filij Dei fiant: vel non recipientes arguantur, quasi inimici pacis & Dei. Ita ergo & nos, magistri instituta seruantes, pacem primò proponimus auditoribus, vt absque vlla perturbatione possit via salutis agnosci. Quod si quis pacis verba non suscipit, neque acquiescit veritati: scimus aduersum eum pugnam verbi mouere, & arguere acriùs: confutando ignorantiam, & redarguendo peccata. Necessario igitur pacem proponimus, vt si quis est filius pacis, pax nostra veniat super eum: ab eo autem, qui se alienum pacis effecerit, regredietur ad nos pax nostra. Non ergo, vt putas, consensu malorum pacem proponimus: nam vtique continuò tibi dexteram dedissemus: sed vt per quietem & patientiam differentibus nobis, qui sit sermo verus, faciliùs ab auditoribus dignoscatur. Si autem dissideas & discordes à temetipso, quomodo stabis? Necesse est, vt cadat, qui in semetipso diuiditur. Omne enim regnum in semetipsum diuisum, non stabit. Ad hæc si quid videtur, dicito.

Spe mercedis Christus labores huius vitæ nobis edulcauit.

Pax.

Bellum verbi intelligendū in gladio.

Luc. 11.

Math. 10.

Math. 12.

Fugit Magus ad alia: causatúrque Christum docuisse contraria: ideòque nec Prophetam esse posse. Sed in his, quæ sunt aperta, nihil porrò notabimus: contenti argumenti explicatione. Sit hæc hactenus ad librorum lectionem commodiorem ἀναγωγὴ quædam.

Et Simon: Stultitiam tuam demiror. Sic nobis magistri tui verba proponis, quasi certum de eo habeatur, quod Propheta sit: quem ego perfacilè demonstrare possum, multa sibi contraria loquutum. Denique ex his, quæ ipse protulisti, arguam te: ais enim dixisse eum, omne regnum, vel omnis ciuitas diuisa in semetipsa, non stabit. Et alibi iterum ais eum dixisse, quia ipse miserit gladium, vt separaret eos, qui in domo sunt: ita vt diuidatur filius à patre: & filia à matre & frater à fratre: vt si fuerint in vna domo quinque diuidantur tres aduersum duos, & duo aduersum tres. Si ergo omne quod diuiditur, cadit: iste, qui diuisiones facit, cadendi præstitit causas: & si talis est, vtique malus est. Ad hæc responde si potes. Et Petrus: Non temerè deroges, ô Simon his, quæ non intelligis. Primò ergo respondeam pro eo, quod ais, me magistri mei verba proponere, atque ex ipsis ea, de quibus dubitatur, absoluere. Dominus noster mittens nos Apostolos ad prædicandum, præcepit nobis, vt doceamus omnes gentes, de his, quæ mandata sunt nobis: Neque ergo dicere ea, vt ab ipso dicta sunt, possumus. Non enim dicere, sed docere ea in mandatis habemus: & ex ipsis ostendere, quomodo vnumquodque eorum veritate subnixum sit. Neque rursus proprium nobis aliquid dicere permissum est. Sumus enim missi: & necessariò, qui missus est, illud quod iussus est, nuntiat: & voluntatem mittentis exponit. Nam si aliud dicam, quàm præcepit mihi ille, qui me misit, falsus ero Apostolus: qui non illud dico, quod iussus sum dicere: sed quod mihi videtur: quod qui facit, vtique se meliorem vult ostendere, quàm est ille à quo missus est: & est sine dubio præuaricator. Si verò ea, quæ iussus est, prosequatur: eorumque assertiones manifestissimas proferat, Apostoli opus exequi videbitur: quod ego nunc implere contendens, non tibi placeo. Non ergo reprehendas, quod eius, qui me misit, proferam verba: sed si est in illis aliquid, quod non sit integrè dictum, inde me vt arguas, licet, quod tamen nullo modo fieri potest. Aut si non putas eum Prophetam esse, hoc primò requiratur.

Apostolorum est docere, non dicere, id est Christum sua proponere. Apostolorum opus quale.

Et Simon: Non opus habeo hoc discere abs te: sed quomodo sibi ista conueniant. Si enim inconsonans ostendetur: simul etiam Propheta non esse docebitur. Tum Petrus: Sed si priùs, inquit, ostendero eum Prophetam, hoc quod videtur esse inconsonans, non erit: neque enim ex consonantia, quis Propheta esse probatur: quia hoc multis possibile est facere: quod si consonantia Prophetam non facit, multò magis nec inconsonantia. Quia ergo multa sunt, quæ videntur quidem inconsona esse nonnullis: habent tamen profundiore ratione in semetipsis consonantiam: sicut & aliqua videntur habere consonantiam discussa diligentiùs, inueniuntur inconsona: hac de causa aliam non puto rectiorem esse viam ad horum discrimen, nisi, vt priùs cognoscamus, si is qui loquutus est ea, quæ videntur inconsona, Propheta sit. Si enim inuenitur Propheta esse, omnia illa quæ videntur sibi esse contraria, constat habere conso-

A capite vult Petrus progredi.

Consonātia non facit prophetam.

A

Nihil proprii dicere, Apostoli est.

nantiam, sed non intelligi. De his ergo probamenta tectiùs requirentur. Nos enim Apostoli illius, qui nos misit, verba exponere missi sumus, & adfirmare sententias: proprium verò dicere aliquid, non habemus in mandatis: sed verborum illius, vt dixi, aperire veritatem. Et Simon ait: Doce ergo nos, quomodo conueniat, vt is, qui diuisiones facit, quæ diuisiones cadere faciant eos, qui diuiduntur: vel bonus videatur, vel ad hominum salutem venisse? Et Petrus: Audi, quomodo magister noster omne regnum, & omnem domum diuisam aduersum semetipsam, dixit stare non posse. Hoc autem cùm ipse fecit, vide, quomodo ad salutem cedat. In errore positum mundi regnum, vel vnamquamque in eo domum, verba veritatis diuidit: proculdubio vt cadat error, & veritas regnet.

Veritatis verbum diuidit homines.

Quod si alicui accidat domui, vt error introductus per aliquem diuidat veritatem: cùm error obtinuerit, certum est, veritatem stare non posse. Et Simon: Sed incertum est, vtrum magister vester errorem diuidat, an veritatem.

B

Et Petrus: Illud alterius quæstionis est. Sed si constat apud te, quia omne, quod diuisum fuerit, cadit: superest, vt ostendam, si tantùm cum pace audire vis, quod Iesus noster errorem diuiserit, ac resoluerit: docendo veritatem. Tum Simon. Omitte, inquit, sermonem pacis frequenter iterare: quid verò sit, quod sentis, aut credis, breuiter expone.

Ecce, quàm sit impio inuisa pax.

Perfectio legis est pax.

Et Petrus ait: Quid times crebrò audire de pace: an ignoras, quia perfectio legis pax est? ex peccatis enim bella nascuntur & certamina: vbi autem peccatum non fit, pax est animæ: vbi verò pax est, in disputationibus veritas, in operibus iustitia inuenitur. Et Simon: Videris mihi non posse profiteri, quod sentis. Et Petrus: Dicam ex arbitrio, tamen non tuis versutiis coactus. Cupio enim, quod salutare & vtile est, omnibus adduci in notitiam: & ideo proferre quàm breuissimè non morabor: Vnus est Deus, idem qui conditor mundi, iustus iudex, & vnicuique pro actibus suis quandoque restituens.

Sîmatim aliâ proponitque.

C

Sicut Petrus: An sit vnus Deus.

Iam verò pro adsertione horum, scio innumera posse verborum millia commoueri. Et Simon ait: Miror quidem velocitatem ingenij tui: non tamen amplector errorem fidei tuæ: prudenter enim præuidisti, quod tibi contradici posset è turba: ideo etiam ipse professus es, quòd pro assertione horum, innumera verborum millia mouebuntur: nulli enim concordat professio fidei tuæ. Denique, quod vnus sit Deus, cuius sit opus mundus: hoc primùm quis recipiat? puto, quia neque paganorum quisquam, quamuis ille sit idiota: philosophorum autem omninò nullus: sed ne Iudæorum quidem imperitissimus quisquam & miserrimus neque ego ipse, qui eorum legem benè noui. Et Petrus: Omitte, inquit, opiniones, absentium: tibi quid videtur, præsens præsenti dicito: tum Simon: Possum, inquit, exponere, quod verè sentio: sed pigriorem me facit illa consideratio: quia si dixero, quod neque tibi sit consonum: neque vulgo huic imperito rectum videtur: tu quidem quasi obstupefactus, aures continuò occludens, velut ne blasphemia polluantur, verteris in fugam: quia quod respondeas, non inuenies.

D

Populus autem irrationabilis adsectatus tibi, te quidem amplectitur: quasi ea docentem, quæ in vsu eis sunt: me verò execrabuntur, veluti noua quædam, atque inaudita profitentem, meúmque errorem alienis mentibus inserentem. Tum Petrus: Nunquid non tu, in quo nos accusas, ipse ambagibus vteris? nihil habens, quod adseras veritatis? aut si habes, incipe absque circuitionibus: si tantùm confidis: & si quidem non placuerint alicui auditorum, quæ dicis, abscedet: qui verò permanserint, cogentur adsertionibus tuis, probare, quod verum est. Incipe igitur quod tibi rectum videtur, exponere.

Tandem post multas variásque tergiuersationes consensione in quæstionem, asserit contra multos Deos, quorum sit primus & incognitus Vnus.

Et Simon ait: Ego dico multos esse Deos: vnum tamen esse incomprehensibilem, atque omnibus incognitum, horúmque omnium Deorum, Deum. Tum Petrus: Hunc, inquit, quem dicis esse incomprehensibilem, & incognitum omnibus Deum, ex scripturis Iudæorum, quæ in auctoritate habentur, probare potes? an ex aliis aliquibus, quas omnes ignoramus? an ex Græcis auctoribus? an ex tuis scriptis propriis? certè ex quibuscunque vis, dicito, ita tamen, vt ostendas eas priùs esse Propheticas: ita enim fiet, vt earum indubitata habeatur auctoritas.

E

Lege Iudæorum. admittit Simon.

Et Simon ait: Ex lege Iudæorum solà adsertiones adhibebo. In omnibus enim, qui religionis curam gerunt, manifestum est, totius esse auctoritatis hanc legem: vnumquemque tamen secundum proprium sensum intelligentiam legis huius accipere.

Quod Magus dixit, id nunc factitant aduersarij Ecclesiæ. Pro suo quisque arbitrio scripturas, etsi variè explanant. Fœliciter nimirum ab hoc Mago idem successores heretici didicerunt.

Ita enim ab eo, qui mundum condidit, scripta est, vt in ipsa rerum fides habeatur. Vnde siue quis vera, siue etiam falsa proferre velit, absque hac lege nulla recipietur adsertio. Quia igitur scientia mea plenissimè cum lege concordat: rectè multos esse pronunciaui Deos: quorum vnus est eminentior, & incomprehensibilis: ipse, qui est Deus Deorum. Quòd autem multi sint Dij, ipsa me edocuit lex.

F

I. Argum. Magi, multos esse Deos. Ecce, quantum malum ex mala interpretatione?

Gen 3.

Primo quidem: vbi ex persona serpentis dicitur ad Euam, primam mulierem: Quacunque die manducaueritis de ligno sciendi bonum & malum, eritis sicut Dij: hoc est, sicut hi, qui hominem fecêre. Posteaquàm gustauere de ligno, ipse Deus testatur dicens ad reliquos Deos: Ecce Adam factus est, sicut vnus ex nobis. Sic ergo constat multos esse Deos, qui hominem fecerint: quia & initio ita dicit Deus ad cæteros Deos: Faciamus hominem, ad imaginem & similitudinem nostram. Sed & quod ait: Eiiciamus eum, & iterum: Venite, descendentes confundamus linguas eorum. Omnia hæc multos esse indicant Deos.

Probatio Gen. 1. Gen. 11. 2. Arg 3. & 4. arg. Exo. 22. 5. Arg. Deut. 32. 6 Arg.

G

Sed & illud scriptum est: Deos non maledices, & principem populi tui non maledices. Et rursum, quod scriptum est: Dominus solus ducebat eos, & non erat cum illis Deus alienus multos esse ostendit Deos. Sunt & alia plurima, quæ proferri possunt ex lege testimonia, non solum obscuriora, sed & manifesta, quibus multi esse doceantur Dij. Ex quibus vnus, vt Iudæorum populo Deus esset, fortè electus est. Ergo autem non hunc adsero: sed illum, qui etiam huius Deus est, quem ne ipsi quidem Iudæi nôrunt. Neque enim ipsorum est Deus: sed eorum, qui agnouerint eum. His auditis Petrus.

Modestè Petrus respondit, se non fugere, aut aures occludere, quod odiosè Simon finxerat se vereri: sed se veritatis studio disputare velle. Quis autem tam benignè tot scripturæ torsiones ferre potuisset? Atque, vnum & summum Deorum Deum esse Israeliticum, opponendo scripturæ scripturis, & explicando vocabulum Dei.

Nihil, inquit, verearis Simon. Ecce enim neque aures claudimus, neque fugimus, sed ad ea, quæ falsò prosequutus es, veritatis sermonibus respondemus: Illud primò adserentes, quia vnus est Deus, hic ipse Iudæorum: qui est solus Deus, cœli creator ac terræ, qui & omnium, etiam, quos dicis, Deorum, Deus est.

H

Si ergo ostendero nullum esse hoc superiorem, sed ipsum esse super omnia, fateberis errorem tuum esse super omnia. Et Simon: Quid enim, inquit, etiam si ego nolim fateri: quia adsistunt auditores, nónne arguent me nolentem, quæ vera sunt, profiteri? Ausculta ergo, ait Petrus, vt scias primò, quòd etiamsi multi sint Dij, vt dicis: Iudæorum Deo subditi sint: cui neque æqualis quisquam, neque maior esse potest.

Deut. 10. 1. Arg.

Scriptum est enim, quod ita dicat ad Iudæos Moyses Propheta. Dominus Deus vester, hic est Deus Deorum, & Dominus Dominorum, Deus magnus: ita etiamsi multi sunt, qui dicuntur Dij, vnus est tamen maior omnium Iudæorum Deus, qui & Deorum Deus dictus est. Neque enim quicunque dictus fuerit Deus, continuò Deus est. Denique & Moyses Deus dicitur Pharaonis, & certum est, eum hominem fuisse.

Iudices Dij, Ps. 81.

Et iudices, Dij appellati sunt: & constat eos fuisse mortales.

les. Simulacra quoque gentium, Dij appellantur: & omnes scimus, quia non sunt: sed impiis quasi pro pœna hoc datum est, vt, quia verum Deum cognoscere noluerunt quæcunque eis forma & imago occurrisset, haberetur ab eis Deus. Quoniam vnius, vt dixi, qui est omnium Deus, agnitionem suscipere recusarunt: ideo ergo conceditur eis, illos habere Deos, qui præstare supplicantibus nihil possunt. Quid enim aut exanima simulacra conferre hominibus queant, aut animantia cùm potestas omnium apud vnum sit? Tribus igitur modis Deus quis dicitur: vel, quia verè est: vel, qui ei, qui verè est, ministrat: & ob honorem mittentis, vt plena sit eius auctoritas, hoc dicitur iste, qui missus est, quod est ille, qui misit: vt sæpè factum est de Angelis: qui tamen cum apparuerint homini, si sit prudens, & eruditus vir, interrogat eius, qui apparuit nomen: vt simul & honorem missi, & auctoritatem mittentis agnoscat.

Angelus Dei iis plerunque, quibus apparet, ob repentinam visionem, Deus videri solet: sed is, ne suis clientes errent, hunc sibi honorem nequiquam vendicat. Quod quidem palam videre licet in Reuelatione Ioannis, cap. 18. 19. & 22. Cum Angelus renunciasset Idololatriæ vastitatem: eúmque Ioannes ob latum nuntium, cum præsertim Deum putaret, vellet adorare, seriò prohibetur. Vide (inquit) ne feceris: conseruus tuus sum & fratrum tuorum, habentium testimonium Iesu. Deum adora. Porrò, quod consequenter ait, Vnicuique genti Angelum præfectum, nemo fabulosum putet: cùm idem manifeste diuinæ literæ testificentur. Apud Danielem vatem cap. 10. legitur de Angelo præside Persarum: de Præside Græcorum, Angelo: de Angelo Ecclesiæ, quæ olim apud Iudæos, nunc apud Christianos est. In Apocalypsi, de Angelis Ecclesiæ Ephesinæ, Smyrneorum, Pergamensis, Thyatyrensis, & cæt. cap. 2. & 3. Et diuinus Moyses ait in cantico, Deuteron. 32. Deum constituisse terminos populorum, iuxta numerum Angelorum Dei: vt legunt 70. Mihi hanc sententiam hinc mutuatus videtur Athenagoras nobilis ille & vetustus Atheniensis scriptor, in Apologia pro Christianis ad Antoninum & Commodum Imperatorem, quæ extat. Hinc & Paulus vocat eos λειτουργικὰ πνεύματα. Hebr. 1. Quæ omnia notamus, ne quis fabulosa hæc Petri verba putet a Clemente relata. Quin idem & ethnici testantur. Hesiodus 1. ἔργων Pytagoras in parangelmatis. Plato, in Epinomida. Alibi plura.

Est enim vniuscuiusque gentis Angelus, cui credita est gentis ipsius dispensatio à Deo: qui tamen, cùm apparuerit, quamuis putetur & dicatur ab his, quibus præest, Deus: tamen interrogatus, non sibi dabit ipse tale testimonium, Deus enim excelsus, qui solus potestatem omnium tenet in septuaginta & duas partes diuisit totius terræ nationes, eisque principes Angelos statuit. Vni verò, qui in Archangelis erat maximus sortè data est dispensatio eorum qui præ cæteris omnibus, excelsi Dei cultum, atque scientiam receperunt. Sed & sancti homines, vt diximus, Impiorum efficiuntur Dij, tanquam qui potestatem acceperint in eos vitæ ac necis: vt de Moyse, & iudicibus suprà memorauimus. Propter quod scriptum est de eis: Deos non maledices: & principem populi tui non maledices. Principes ergo singularum gentium, Dij appellantur. Principum autem Deus, Christus est: qui est omnium iudex. Verè ergo neque Angeli, neque homines, neque vlla creatura, Dij esse possunt: quippe, qui sub potestate sunt positi, tanquam creati & mobiles: Angeli quidem, vt qui non fuêre & sint: homines autem, vt mortales: omnis verò creatura, vt quæ solui possit: sed verè si soluerit ille, qui fecit. Et ideo ille solus verus est Deus: qui non solùm ipse viuit: sed & aliis vitam præstat: quam & auferre potest, cùm vult. Propterea ergo clamat scriptura ex persona Dei Iudæorum, & dicit. Videte, videte, quoniam ego sum Deus: & non est alius præter me: Ego occidam, & viuere faciam: percutiam, & ego sanabo: & non est, qui eripiat de manibus meis. Vides ergo, quomodo, ineffabili quadam virtute, scriptura occurrens futuris erroribus eorum, qui alium Deum, præter eum, Iudæorum, vel in cœlis esse, vel in terris, adfirmarent pronunciat, dicens: Dominum Deus tuus, Deus vnus est, in cœlo, sursum & in terra deorsum: & præter ipsum, alius non est. Quomodo ergo ausus es dicere, alium esse Deum, præter eum, qui Iudæorum est Deus? Et iterum dicit scriptura: Ecce Domini Dei tui, cœlum: & cœlum cœli: terra, & omnia, quæ in eis sunt. Veruntamen patres tuos elegi, vt diligerem eos, & vos post ipsos. Ita ex omni parte ab scriptura munitur ista sententia, quia ipse, qui mundum creauit, verus & solus est Deus. Quòd & si sunt alij, vt diximus, qui dicuntur Dij: sub potestate sunt Iudæorum Dei: quia ita dixit scriptura Iudæis: Dominus Deus noster, hic est Deus Deorum, & Dominorum: hunc etiam solùm colendum monet scriptura, dicens: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Et: Audi Israël, Dominus Deus tuus vnus est. Denique & sancto Spiritu Dei repleti, & guttis misericordiæ eius irrorati exclamabant, dicentes: Quis similis tibi in Diis Domine, quis similis tibi? Et iterum: Quis Deus præter Dominum? & quis Deus præter Dominum nostrum: Itaque Moyses, vbi proficere populum vidit, paulatim eos ad intelligentiam monarchiæ, & fidem Dei vnius initiauit, vt in consequentibus dicit. Nomina Deorum aliorum non commemorabis, recordatus sine dubio, quali pœna damnatus sit serpens, qui primus nominauerat Deos. Terram denique comedere condemnatur, & tali cibo dignus iudicatur: ob id, quòd primus omnium appellationem Deorum introduxit in mundum. Quod & si tu multos Deos vis introducere, vide, ne exitum serpentis similem sortiaris. Certus autem esto, quod nos huius ausi socios non habebis: nec decipi nos patiemur abs te. Neque enim proderit nobis ad excusationem in iudicio, si dicamus, quòd tu deceperis nos, quia nec primam mulierem excusare potuit, malè credidisse serpenti: sed morte, quia malè crediderit, condemnata est. Hac ergo de causa Moyses, visus Dei fidem populo commendans, ait: Obserua tibiipsi ne seducaris à Domino Deo tuo. Vide, quia eodem verbo vtitur, quo & prima mulier in excusatione vtebatur seductam se dicens, sed nihil profuit. Super omnia autem, si verus aliquis surgeret Propheta, qui signa & prodigia faceret, suadere autem velit, vt coleremus Deos alios, præter Iudæorum Deum: nunquam ei credere possemus. Sic enim nos docuit lex diuina, secretum sermonem potiùs ex traditione commendans. Ait ergo: Si surrexerit in te Propheta: aut somnians somnum: & dederit signa vel prodigia: & euenerint signa illa, vel prodigia: & dixerit ad te, eamus & colamus Deos alienos: quos nescitis; non audietis verba Prophetæ illius. neque somnium somniatoris illius: quia tentans tentauit vos, vt videat, si diligitis Dominum Deum vestrum. Propterea ergo & Dominus noster signa & prodigia faciens, Deum prædicabat Iudæorum, & ideò rectè prædicationi eius creditur. Tu autem, etiamsi verè Propheta esses, & signa faceres ac prodigia, sicut promittis: & alios adnunciares Deos, præter eum, qui verus est, manifestum esset ad tentationem populo Dei suscitatum: & ideo credi tibi omninò non potest. Vnus est enim verus, qui est Iudæorum Deus: & ob hoc Dominus noster Iesus Christus docebat, quærendum esse, non Deum, quem benè nouerant; sed regnum & iustitiam eius: quam Scribæ & Pharisæi, suscepta scientiæ claue, non concluserant: sed excluserant, Nam si ignorassent verum Deum: nunquam vtique huius rei scientiam relinquens, quæ erat omnium caput, culparet eos de paruis & minimis; id est, quod dilatarent fimbrias suas, & primos accubitus in conuiuiis vindicarent: & quod, in quadriuiis stantes orarent: & alia his similia; quæ vtique ex comparatione magni huius capitis, Ignorantiæ Dei, exigua videntur & parua.

Magus contendit è verbis Christi probare, Dominum ipsum, ignotum etiam Deum prædicasse ex Matth. 11.

Ex Simon ad hæc, ait: Ex verbis magistri tui conuincam te, quia etiam ipse ignotum quendam omnibus introducit Deum. Cùm enim & Adam creatorem suum scierit Deum, mundique conditorem; & Enoch, quippe qui ab eo translatus est: & Noë, vtpote ab eo iussus arcam construere. Cúmque & Abraham, & Isaac,

&

Marginal notes: Exo. 20. — 2. Arg. Deut. 32. *Quid hoc testimonio potuit esse apertius?* — 3. Arg. Deut. 4. — 4. Arg. Psal. 88. — 5. Arg. *Alios Deos huic subiectos esse.* Deut. 10. — 6. Arg. Luc. 4. Deut. 6. Psal. 34. Psal. 17. — 7. Arg. 8. — *Serpens dānatus quia decepit Euam: & Deos nominauit primus.* — 9. Arg. 10. Arg. Deut. 13. *Pseudopropheta ad tentationē mittuntur.* — *Vide Vincentiū Lirinensem, Christus nō docuit nouum & incognitū Deū quærendū, sed cognitum, & iustitiā regnūque.* — Matth. 23. — Luc. 10.

& Iacob & Moyses, & omnes patres, omnisque populus, atque omnes gentes nouerint conditorem mundi, & fateantur Deum: Iesus vester, qui longè posterior patribus apparuit, dicit: Nemo nouit filium, nisi pater: neque patrem quis, nisi filius: &, cui voluerit filius reuelare. Ita ergo & Iesus vester alium esse Deum incomprehensibilem omnibus, & incognitum fatetur. Tum Petrus:

Rectè & acutè Petrus instat, Magum ipsum sibi contraria loqui probans. Dixerat enim antea summum omnium Deum se nôsse solum, nunc & Iesum nouisse ait, ergo non nouit solus. Doctè praeterea respondit, patribus lege naturæ & Mosaica, Deum cognitum fuisse.

Contraria, inquit, tibimetipsi te proferre, non sentis? Si enim & Iesus noster scit istum, quem dicis, incognitum Deum: ergò, iam non à te solo est cognitus. Imò si Iesus noster eum nouit: Moyses quoque, qui & Iesum venturum esse prophetauit, sine dubio nec ipse ignorauit eum, Propheta enim erat: & qui de filio prophetauit, sine dubio cognouerat patrem. Si enim in voluntate est filij reuelare patrem, cui voluerit filius, qui ab initio & semper cum Patre fuit per singulas quasque generationes, sicut reuelauit Moysi patrem: ita & aliis Prophetis: quod si est, nulli patrum fuisse eum incognitum constat. Tibi verò, qui filium non credis, quomodo potuit reuelari pater? qui nulli notus est, nisi cui voluerit filius reuelare? Reuelat autem filius Patrem his, qui ita honorificant filium, sicut honorificant patrem.

Magus absurdum ait, Deum filium habere: sed ex humana ratione arguatur, vt nunc Iudæi & Turcæ: nec vult de eo disputare, explicans suam sententiam, de incognito Dei, qua de vide supra Epiphanij notatum locum.

Tum Simon: Memento, inquit, quia filium dixisti habere Deum, quod est iniuriæ, quomodo enim habere filium potest, nisi similia hominibus, aut animalibus patiatur? Sed de his non est nunc tempus arguere profundam stultitiam tuam: festino enim de immensitate summæ lucis exponere, & iam nunc audi. Puto esse aliquam virtutem immensæ & ineffabilis lucis: cuius magnitudo incomprehensibilis habeatur, quam virtutem etiam mundi conditor ignoret, & legislator Moyses, & magister vester Iesus. Tunc Petrus: Non tibi videntur amentiæ res esse, adserere velle quempiam, quod sit alius Deus, quàm Deus omnium, & dicere: Puto esse virtutem quandam: & priùs quàm ipsi certum sit, quod loquitur, hoc velle aliis confirmare? Estne aliquis ita præceps, qui verbis tuis credat? in quibus teipsum videat dubitantem? & admittat esse aliquam virtutem incognitam creatori Deo, & Moysi, & Prophetis, & legi, & Iesu etiam magistro nostro? quæ virtus ita bona sit, vt nulli velit innotescere, nisi vni tantùm, & hoc tibi tali? Tum deinde si noua est ista virtus, quomodo nobis non dat nouum aliquem sensum, præter hos, quos gerimus quinque? vt ex ipso ab eo nobis largito nouo sensu, ipsam, quæ noua est, capere & intelligere possimus? aut si non potest largiri, quomodo tibi largita est? aut si tibi reuelauit, cur non & nobis? Si verò à temetipso intellexisti, quæ ne Prophetæ quidem sentire aut intelligere potuerunt: dic age nobis nunc, quid vnusquisque nostrûm cogitat.

Insania Magi demonstrata à Petro.

Rectè Petrus à Mago scientiam hominum noscendi cogitata requirit, quando is vendicet sibi notitiam incognitæ (nescio cuius) virtutis ex se habere, nam hæc solius Dei propria est. Solus is ὁ καρδιογνώστης est vt ait Petrus Actor. 1. Solus Deus (Hebr. 4.) ὁ κριτικὸς ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν καρδίας· καὶ οὐκ ἔστι κτίσις ἀφανὴς ἐνώπιον αὐτοῦ, πάντα δὲ γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ. Verba hæc vt sunt elegantissima, ita & doctissima. Quin Seruator ipse apud Matthæum nono cap. probat Pharisæis hoc argumento suam diuinitatem, quòd cogitata cordisque occulta videat. Nimirum scrutans corda & renes solus Deus, ait Dauid Psalm. 7. & 43.

Si enim tantus est in te spiritus, vt ea, quæ super cœlos sunt, incognita omnibus, & omnibus incomprehensibilia cognoscas, multò faciliùs cogitationes humanas, quæ in terris habentur, agnoscis. Quod si cogitationes nostras, qui hîc stamus, non potes scire: quomodo ea, quæ nullis esse cognita adfirmas, scire te dicis? Crede autem mihi, quia nunquàm scires, quid esset lux, nisi ab ipsa luce accepisses & visum & intellectum videndi: sic & in cæteris: hinc acceptâ intelligentiâ, maius aliquid & sublimius somnij instar excogitas, occasione tamen ex istis quinque sensibus sumpta: quorum largitori ingratus es. Certum autem esto, quòd, donec non inuenis nouum aliquem sensum, qui extra hos quinque sit, quibus omnes vtimur, nouum adserere non poteris Deum. Et Simon: Cùm quinque sensibus constent omnia quæ sunt: nihil nouum addere, virtus illa cunctis eminentior, potest. Et Petrus ait: falsum est. Est enim & alius sextus sensus, id est, prænoscendi: isti enim quinque sensus scientiæ capaces sunt, sextus autem, præscientiæ est, quem habuêre Prophetæ. Tu ergo quomodo potes Deum omnibus incognitum nosse, qui nec Propheticum sensum, qui est præscientiæ, meruisti? Tum Simon cœpit dicere: Hanc, quam dico, virtutem incomprehensibilem, & eminentiorem cunctis, etiam ipso, qui mundum condidit Deo, neque angelorum quisquam, neque dæmonum nouit, neque Iudæorum, neque vlla omninò, quæ à conditore Deo substitit creatura. Quomodo enim poterat, quam creator ipse non nouerat, lex me ipsius creatoris edocere? cùm nec ipse sciret, quod doceret? Et Petrus: Miror, inquit, quomodo tu ex lege plùs potueris discere: quàm docere vel scire lex poterat? & quomodo horum, quæ adserere vis, probationes dicas te ex lege proferre: cùm neque legem adferas nosse ea, quæ dicis: neque eum, qui legem dedit, id est, mundi creatorem? Sed & hoc miror, quomodo tu, qui solus hæc nôsti, hîc modò cum omnibus stes, breuis atrij huius ambitu circundatus. Et Simon, videns cum omni populo ridentem Petrum: Rides, inquit, Petre, cùm sermo de tantis rebus, & tam eminentibus habeatur? Tum Petrus: Noli, inquit, indignari Simon: nihil enim præter promissionem nostram gerimus: neque aures nostras claudimus vt tu dicebas: neque statim vt audiuimus, à te ineffabilia proferri, in fugam versi sumus: sed ne loco quidem moti. Neque enim verisimilia saltem aliqua proferuntur abs te, quæ nos possint aliquatenus deterrere: aut certè aperi nobis intelligentiam dicti huius, quomodo tu ex lege didiceris Deum: quem lex ipsa nescit, & quem ipse, qui legem posuit, ignoret? & Simon: Si inquit, ridendo cessâsti, euidentibus adsertionibus comprobabo. Et Petrus ait: Quin desinam, vt possim discere à te, quomodo tu à lege didiceris, quæ lex nescit, & quæ ipse Deus legis ignoret. Et Simon. Audi, inquit.

Quibus argumentis Petrus diuinitatem Simonis probauit.

Sextus sensus, præscientia: Verùm non hic est natura- lis: sed potiùs diuinus.

Elegans scomma Petri in Simonis diuinitatē. Tantus Deus tam paruo spatio loci contineris mirum.

Nescit) vt mutuetur scilicet, vt astruis tu ò Simon.

Simon infirmum nostrum Deum cauillatur: ideòque maiorem eo aliquem esse debere, colligit.

Manifestum est omnibus, & ineffabili quadam ratione compertum, vnum esse Deum, qui sit omnium melior: à quo omne quod est, sumpsit exordium: vnde & necessariò subiecta sunt ei omnia, quæ post ipsum sunt, velut principi omnium & eminentiori. Ego ergò, cùm cognouissem Deum hunc, qui creauerat mundum, secundum quod lex docet, in multis esse infirmum (longè autem abhorret infirmitas à perfecto Deo,) & hunc viderem non esse perfectum: necessariò alium esse intellexi, qui esset perfectus. Hic enim, vt dixi, secundum quòd scriptura legis docet, in multis infirmus esse deprehenditus. Primò, quòd homo quem plasmauit, non potuit permanere talis, qualem ipse voluerat: & quia nec bonus est, qui primo homini posuit legem, vt de omnibus quidem lignis Paradisi ederet, de ligno autem scientiæ non contingeret: sed si gustâsset, moreretur. Cur enim vetaret eum vesci, vt sciret, quid esset bonum, vel quid malum: vt sciens, mala quidem vitaret, bona verò eligeret? Sed neque ipse hoc concessit: & quia ille præter mandatum gustauit, & agnouit quid esset bonum: ac didicit honoris gratiâ verenda contegere (indecorum enim sensit reuelatis pudendis stare ante creatorem suum:) ille eum, qui honorem Deo deferre

Argumenta infirmitatis Dei; primum aliquo impie ex lege sumit.

didicerat,

A Transgressionis causam Simon imputat Deo. Vide, quā solerter

didicerat, morte condemnat: & serpenti, qui hæc ostenderat, maledicit. Sed vtique si lædendus ex hoc erat homo, cur omninò lædendi causam in Paradiso posuit? Si verò bonum erat, quod in Paradiso posuit: non est boni prohibere à bono. Sic ergò, cùm is, qui hominem fecit & mundum, secundum ea, quæ lex refert, imperfectus sit: alium sine dubio dat intelligi, qui perfectus sit. Necesse est enim esse aliquem omnium præstantiorem: propter quem, & omnis creatura ordinem suum seruat. Vnde & ego sciens, quia omni modo necesse est aliquem benigniorem & potentiorem eo, qui legem dedit, imperfecto Deo ex comparatione imperfecti, perfectum quid sit intelligens, ex ipsa scriptura Deum illum, de quo scriptum non erat, intellexi. Et hoc modo potui, ô Petre ex lege discere, quod nesciebat lex. Quod & si lex non dedisset indicia, quibus colligeretur, imperfectum esse Deum qui condidit mundum, mihi, possibile erat, etiam ex his, quæ in hoc mundo geruntur, malis, nec emendantur, colligere: vel quia impossibilis est creator eius, qui malè gesta non corrigit, si non potest: vel si non vult auferre mala, ipse malus sit. Si verò neque potest, neque vult, nec potens, nec bonus sit: & ex his necesse est colligi, quod alius sit Deus omnium præstantior & potentior. Ad hæc, si quid habes dicere, non moreris. Petrus respondit:

Alia argumenta Magi ex B humana vita inæqualitate

Petrus contrà primum ostendit ea argumenta ex peruersa & contorta interpretatione venire. Præterea, tam bene quadrare in fictitiam illam magnam Magi virtutem, quam in verum Deum. Tum Deum hunc ex creatione vniuersi huius se patefecisse: illam autem virtutem nullum de se suáque potentia præbuisse specimen vel indicium. Itaque videri perabsurdum; Deo in cuius mundo viuamus, & à quo bona omnia consequamur, relicto, adhærere ignoto, nescio cui.

Lex sine magistro C non facile intelligitur.

Solent ista, ô Simon, absurda aduersum Deum meditari hi, qui legem non magistris tradentibus legunt, sed semetipsos doctores habent, & putant se intelligere posse legem, quam sibi non exposuit ille, qui à magistro didicerit. Veruntamen nunc, vt & nos secundum tuum sensum scripturam legis sequi videamur: quia & impossibilem, & non bonum dicis ostendi conditorem mundi: quomodo non vidisti, quod iisdem ipsis reprehensionibus succumbit & subiacet etiam ista virtus tua, quam dicis esse eminentiorem omnium? Eodem namque modo de ipsa dici potest: quia omnia, quæ hîc malè geruntur, aut impossibilis est, quæ non corrigit: aut si potest, & non vult, mala est: Si verò neque potest, neque vult, & impossibilis & imperfecta est. Vndè non solùm simili culpæ virtus ista tua noua, sed & deteriori inuenitur obnoxia: si super hæc omnia, etiam cùm non sit, esse credatur. Nam is qui mundum creauit, hoc ipsum quod subsistit ex opere eius, quo mundum condidit, palàm est, sicut etiam ipse confiteris. Ista verò virtus, quam te solùm scire dicis, nullum de se indicium præbet per quod hoc ipsum, saltem quod est & subsistit, possimus aduertere. Quale est ergo, vt derelinquamus Deum, in cuiùs mundo viuimus: & omnibus ad vitam necessariis fruimur: & sequamur nescio quem, cuius non solùm nihil consequimur boni, sed ne hoc ipsum quidem, quod sit, scire possumus: scilicet, quia non est: siue enim eum lucem appelles, & luce ista, quam cernimus clariorem, nomen ipsum à mundi conditore mutuaris: siue substantiam dixeris super omnia, intelligentiam hinc profers cum sermonis augmento: siue mentem: siue bonitatem: siue vitam: siue aliud quid memoraueris, hinc vocabula mutuaris. Cùm ergo nihil noui de illa virtute, quam dicis, non solùm ad intelligendum, verùm ne ad nominandum quidem habeas, quomodo introducis nouum Deum, cuius ne appellationem quidem inuenis nouam? Virtus enim non solùm creator mundi dicitur: sed & ministri gloriæ eius, omnisque malitia cælestis. Non tibi ergo melius videtur esse, vt sequamur factorem nostrum Deum, tanquam patrem erudientem nos, & imbuentem sicut ipse nouit? Quod & si sit aliquis, vt tu dicis, benignior omnium Deus, certum est, quia non

D

Virtus.) Angeli plerique in sacris literis vocantur virtutes. Respondit hic Magi obiectioni, non Deū

E irasci, non malum: sed, vt iustum. Iustus est Dominus si corrigit, sumus enim filij.

irasceretur nobis: si vero irascitur, malus est. Noster autem Deus si irascitur & vindicet: non est malus, sed iustus: proprios enim filios corripit & emendat. Ille verò, qui nihil nobiscum habet negotij, si vindicare velit in nos, quomodo bonus erit? supplicia sumens de nobis, quòd non derelicto patre nostro ipsum sequuti sumus, inanibus suspicionibus tracti: quomodo ergo iste talis bonus à te adseritur, qui nec iustus intelligi potest? Tum Simon.

Magus infert aliquid in hoc mundo incognitum Deum habere. Animas.

Tantùmne erras Petre, vt nescias, quia animæ nostræ à bono Deo sunt illo omnium præstantiores sed captiuæ deductæ sunt in hunc mundum? Et Petrus: Ergo non est omnibus incognitus, sicut paulò antè dicebas: & tamen, quomodo indulsit bonus Deus captiuitatem fieri animarum suarum, si erat super omnes potentior virtus? Et Simon: Ipse misit creatorem Deum, vt conderet mundum: sed ille, mundo condito semetipsum pronunciauit Deum. Et Petrus: Ergo non ignoratur ab eo, qui condidit mundum, vt superiùs dixeras: sed neque animæ ignorant eum, siquidem ab ipso abductæ sunt. Cui ergo iam erit incognitus, si & mundi creator nouit eum: vi pote ab ipso missus, secundum ea, quæ tu dicis, & omnes animæ tanquam ab ipso huc violenter abstractæ? Tum deinde dicas velim, qui vi mittebat conditor mundi, non sciebat eum, qui mittebatur, fidem non seruaturum? si nesciebat, præscius non erat: si verò præsciit & passus est, facti huius ipse reus est, qui non vetuit quòd si non potuit, omnipotens non est. Si verò, quasi bonum id sciens, non prohibuit: Inuenitur ille esse melior, qui præsumpsit facere id, quod ille, qui mittebat, ignorauit bonum. Et Simon. Volentes, inquit, ad se venire suscipit, & ipsis benefacit. Et Petrus: Nec hoc nouum est: hoc enim facit & hic, quem mundi creatorem fateris. Et Simon. Sed bonus Deus, tantùm si agnoscatur, salutem præstat.

Vide hic, quam parùm cohæreat F & consentiat sibi mendacium,

G

Aduerte diligenter, Magum in eo accusare deum nostrum, quod legem iubeat velitque compleri. Quod in ecclesia Catholica plerique hæretici nunc aliud carpunt.

Mundi autem conditor exigit etiam legem impleri. Et Petrus: Ergo & adulteros, & homicidas saluat, si cognouerunt eum: bonos autem & sobrios, vel misericordes: si nullum de eo indicium capientes, ignorauerint eum, non saluat. Magnum bonum prædicans; qui non tam malos saluet: quàm, qui bonis nullam misericordiam præstet. Et Simon: Magnus sanè labor est agnoscere eum homini in carne posito. Omnibus enim tenebris tetrius, & omni luto grauius est corpus hoc, quo circundatur anima. Et Petrus: Ergò bonus iste Deus, quæ difficilia sunt, quærit. Qui autem verè Deus est, faciliora expetit. Dimittat itaque nos, quasi bonus, apud patrem & creatorem nostrum, & quando discesserimus è corpore, & istas, quas dicis, tenebras reliquerimus: tunc eum faciliùs agnoscemus, & tunc magis anima conditorem suum esse intelliget Deum: & apud ipsum permanebit: nec vltrà diuersis cogitationibus fatigabitur: neque volet ad aliam confugere virtutem, quæ nulli cognita est, nisi Simoni soli: quæ tantæ bonitatis est, vt nisi quis priùs impius extiterit in parentem suum, ad ipsam venire non possit. Nescio quomodo hæc virtus vel bona, vel iusta appellanda sit: cui placere non potest, nisi quis impie se gesserit in eum, à quo factus est. Et Simon: Non est impium, vtilitatis gratià, & lucri maioris confugere ad eum, qui opulentioris est gloriæ. Et petrus: Si, vt tu ais, non est impium confugere ad alienum, multò magis pium est permanere apud proprium patrem, etiam si pauper sit. Aut, si non putas impium, vt relicto patre nostro confugiamus ad alium quasi meliorem: neque indignari credis pro hoc, creatorem nostrum: Multò magis bonus Deus non indignabitur, quòd cùm essemus ab eo alieni, non confugimus ad eum, sed permansimus apud creatorem nostrum: & puto, quod ex hoc magis collaudabit nos, quia fidem seruamus creatori nostro Deo: considerans, quia

ignorantis.

H

si

si suiipsius fuissemus, nunquam relinquentes ipsum, seduci illecebris potuissemus alienis. Nam, si quis opulentioribus illectus pollicitationibus, relicto proprio parente, confugiat ad alienum: potest fieri, vt iterum relicto eo, ad alium pergat, qui maiora promiserit: eò magis, quòd ipsius proprius non erat filius; quippe, qui etiam eum, qui ei naturâ pater erat: relinquere potuit. Et Simon: Quid si ab illo sint animæ: & ignorant eum, & ille est verè pater ipsarum? Et Petrus: Satis, inquit, ostendis eum inualidum. Nam si potentior, vt ais, omnibus est, nunquam potentiori inualidior spolia detraxisse credendus est: aut, si potuit vi ab eo animas deducere in hunc mundum creator Deus, quomodo eas corpore emissas, & captiuitatis vinculis resolutas, bonus Deus vocabit ad pœnam? quæ per ipsius vel desidiam, vel infirmitatem, abstrahi ad hunc locum & inuolui corpore quasi tenebris ignorantiæ potuerunt? Videris mihi ignorare, quid sit pater, & Deus: verùm & animæ vnde sint: vel quando, & quomodo factæ, possem dicere: sed hæc nunc tibi aperire fas non est, in tanto errore posito de scientia Dei. Tum Simon. Erit, inquit, tempus, cùm pœnitebit te, quod dicentem me ineffabili virtute non intellexeris. Et Petrus ait: Da ergo nobis, vt sæpè iam dixi, tanquam nouus Deus, aut qui ab illo descenderis sensum aliquem nouum, per quem, nouum quem dicis Deum, possimus agnoscere: isti enim quinque sensus, quos nobis dedit creator Deus, creatori suo fidem seruant: nec alium quenquam esse sentiunt Deum, hoc eis ipsâ sui præstante naturâ. Adhæc Simon: adhibe, inquit animum ad ea, quæ dicturus sum, & tacito eum inuisibilibus semitis incedentem, peruenire ad ea, quæ tibi demonstrauero. Ausculta ergo nunc. Nunquàmne in cogitatione positus, extendisti mentem tuam in regiones vel insulas portò positas, & ita in eis fixus animo mansisti vt ne præsentes quidem videre, aut temetipsum scire, vbi sederes, præ suauitate eorum, quæ habebantur in oculis, posses? Et Petrus ait: Verum est Simon: hoc mihi frequenter accidit. Et Simon: Ita & nunc sensum tuum extende in cœlum: & iterum super cœlum: & vide, quia debet esse aliquis locus, qui sit vltra mundum, vel extra mundum, in quo neque cœlum sit, neque terra, ne vmbra horum etiam ibi tenebras operetur. Et ob hoc, cùm neque corpora aliqua in eo sint, neque ex corporibus tenebræ: necessariò sit lumen immensum: & lumen, considera, cuiusmodi esse possit, cui tenebræ nullæ succedunt. Nam si vniuersum hunc mundum, Solis huius replet lux: quantum æstimas esse illud incorporeum lumen, & infinitum? tantum sine dubio, vt istud Solis lumen, ad illud, tenebræ: & non lux esse videatur. Hæc cùm diceret Simon, Petrus respondit. De vtroque ergo patienter ausculta; id est, & de exemplo extendendi sensus, & de immensitate lucis. Scio meipsum, ô Simon, aliquando in cogitatione positum extendisse sensum meum in regiones, vt ais: & insulas procul positas, easque mente non minùs, quàm oculis perspexisse: cùm essem apud Capernaum in captura piscium positus, & sederem supra saxum, hamum setæ innexum, & decipiendis piscibus aptatum habens in manu: ita vt hærentem ei non senserim piscem, dum mens mea per desiderabilem mihi Hierusalem distenta percurreret, ad quam sanè, oblationum gratiâ & orationum, vigilans frequenter ascenderam. Verùm & Cæsaream hanc mirari ab aliis audiens, & desiderare solebam: & eam, in qua nondum fueram, videre mihi videbar: & cogitabam de ea, quæ conueniret de ciuitate magna cogitari, portas, muros, lauacra, plateas, angiportus, fora, & horum consequentia, secundum ea scilicet, quæ in aliis vrbibus videram: & in tantum intentione huiuscemodi inmitils delectabar, vt verè, sicut ipse dixisti, nec præsentem atque adstantem viderem, nec ipse, vbi sederem, nossem. Et Simon: Modò, inquit, rectè dicis. Et Petrus denique: Cùm piscem maximum, qui hamo inhæserat, mente occupatus habere minimè sentirem: & id quidem, cùm hami lineam de manibus meis violenter arriperet, stupentem me videns frater meus Andreas, qui mecum sedebat, ac penè casurum, latus fodiens cubitu, velut dormientem excitat, dicens: Non vides Petre, quàm magnum piscem cœperis? nunquid nam mente excidisti, quòd sic attonitus stupes? quid est, quod pateris? dic mihi. Et ego indignatus ei paululum, quòd me à dulcedine eorum, quæ intuebar, abstraxerit: respondi nihil me mali pati: sed animo desiderabilem mihi intueri Hierusalem: simulque Cæsaream: & corpore quidem cum ipso esse, mente verò illuc penitus auferri. At ille, nescio vnde inspiratus, reconditum & secretum veritatis protulit verbum.

Luc. 21.

Impudentia nescit vinci Petrus vult ex opere opificem incognitũ cognoscendum esse.

M supra Deum imaginatur aliũ.

Lumen immensũ suprà cœlos, iuxta somnium Magi Docet P. imaginationẽ subinde fallere. doctissimè.

Petrus grauissimum & vtilissimum Andreæ fratris dogma in phantasiis & contemplationibus obseruatu digniss. recitat.

Desine, inquit, Petre: quid est quod agis? hi enim, qui dæmone incipiunt repleri: vel mouери mente: huiuscemodi initia habent, per phantasias primò ad iucunda quæque & delectabilia transferuntur: deinde ad ea, quæ non sunt, vanis & inanibus motibus effunduntur. Hoc autem accidit ex languore quodam animæ, quòd ea quidem, quæ sunt, non vident: desiderant verò adducere ad conspectus suos ea, quæ non sunt. Sed & illis ita accidit, qui Phrenesin patiuntur, & videntur sibi multas imagines videre, pro eo, quòd nimietate frigoris vel caloris anima ipsorum conuulsa & emota locis suis, errorem patitur ministerij naturalis. Sed & hi, qui laborant siti, cùm in soporem venerint, flumina & fontes videre sibi videntur, ac bibere: hoc autem patiuntur, ariditate intemperati corporis laborantes. Propter quod certum est, hæc vitio quodam, vel animæ, vel corporis fieri. Denique vt accipias rei fidem, de Hierusalem, quam sæpè videram, dicebam fratri meo, quæ loca, quósue conuentus, visus mihi fuissem videre. Sed & de Cæsarea, quam nunquam videram, nihilóminus contendebam, quod esset talis, qualem mente & cogitatione conceperam. Cùm autem venissem huc, nihil omninò simile rescipiens eorum, quæ per phantasias videram, reprehendi memetipsum, & notaui valdè, quia ex aliis, quæ videram, portas ei, & muros, aliasque ædes, reuerà similitudinem ex aliis capiens, dederam. Neque enim quis potest nouum aliquid, & cuius forma nulla vnquam extiterit, cogitare. Nam & si velit aliquis tauros, cum quinis capitibus, ex sua cogitatione formare: ex istis, quos vidit cum singulis capitibus, illos quinis capitibus fingit. Et tu ergo nunc, si verè aliquid tibi videris tuâ cogitatione perspicere, & supra cœlos intueri, non dubium, quin ex his ea consideres, quæ in terris positus vides. Aut si putas facilem menti tuæ accessum esse super cœlos, & considerare te posse, quæ illic sunt, atque immensæ illius lucis scientiam capere: puto ei, qui illa potest comprehendere, faciliùs esse, vt sensum suum, qui illuc nouit ascendere, in alicuius nostrûm, qui adsistimus, cor & pectus inĳciat, & dicat, quas in eo cogitationes gerat. Si ergo potes alicuius nostrum, qui tamen non sit erga fauorem tuum occupatus, enuntiare cogitationes cordis, poterimus tibi fortasse credere: quod & ea, quæ super cœlos sunt, scire potueris, licet illa multò sint celsiora. Adhæc Simon: Qui verò, inquit, multas nænias texuisti, audi iam nunc. Impossibile est ad omne, quod ad cogitationem hominis venerit, non etiam re ipsa ac veritate subsistere: quæ enim non subsistunt, nec speciem habent: quæ autem speciem non habent, nec cogitationi possunt occurrere. Et Petrus: Si omne, inquit, quod ad cogitationem venire potest, subsistit: istum, quem dicis extra mundum esse immensitatis locum, si eum quis in corde suo lumen esse cogitet: alius verò tenebras, quomodo poterit vnus atque idem locus secundum eos, qui diuersa de eo cogitarunt, & lumen esse, & tenebræ? Et Simon: Omitte nunc ista, quæ ego dixi: tu, quid esse putes super cœlos, dicito. Et Petrus: Si de vero, inquit, fonte luminis crederes, possem te docere, quid, & quomodo esset: quod immensum est: & non phantasiam vanam, sed & consequentem & necessariam rationem redderem veritatis: nec adsertionibus sophisticis, sed legis & naturæ testimoniis vterer: v-

Phreneticï, vnde & cur insaniant in phantasiis.

Imaginatio si extendatur in ea quæ non sunt, errat. Imaginandum ex iis, quæ sensib. cognoscuntur.

scires,

sciret, quia immēsitatis fidem præcipuè cõtinet lex. Quod si immēsitatis ratio nõ latet legẽ, nihil profectò aliud eam latere potest: & ideò falsum est, quod putasti esse aliquid quod ignoret lex. Multò autem ampliùs nihil latebit eum, qui legem dedit. Nec tamen possum tibi aliquid de immensitate, & his quæ sine fine sunt, loqui, nisi priùs de his, qui certo fine terminantur, cœlis; rationem vel receperis nostram, vel ipse protuleris tuam. Quòd si de his, quæ certis finibus concluduntur, intelligere non potes: multò magis de his, quæ sine fine sunt, neque scire aliquid poteris, neque discere. Ad hæc Simon: Melius, ait, mihi videtur simpliciter credere: quia solum istud, quod videmus, sit cœlum in vniuerso mundo. Et Petrus: Non ita, inquit, sed vnum quidẽ confiteri conuenit Deum, qui verè est. Cœlos autem esse, qui ab eo facti sunt, sicut & lex dicit: quorum vnum cœlum sit superius, quo continetur etiam visibile firmamentũ illud esse perpetuum & æternũ, cum his, qui habitant ibi. Istud autẽ visibile in cõsummatione sæculi resoluendũ esse, & trãsire, vt illud cœlũ, quod est antiquius & excelsius, post iudiciũ sanctis & dignis appareat.

Duo cœli.

Visibile cœlum resoluetur in nouissimo die.

(*Vide in hunc locum copiosius disserentem Petrum, altera sua epistola, capite tertio.*)

Ad hæc Simon respondit. Hæc ita esse, vt tu dicis, credentibus possent videri: Ei autem, qui horum expectat rationes, impossibile est ex lege proferri: & præcipuè de immẽsitate lucis. Et Petrus: Noli, inquit, putare nos, quod ex fide sola recipienda esse dicamus, sed ex ratione adserenda. Neque enim tutum est, nuda hæc fidei, absq; ratione cõmittere; cùm vtique veritas ratione non careat. Et ideò qui hæc ratione munita susceperit, perdere eam nunquam potest: qui verò absque adsertionibus ea suscipit, simplicis sermonis adsensu, neque seruare ea tutò potest: neque, si vera sint, certus est, quia qui facilè credit, facilè & recedit: qui autem rationem quæsiuit eorum, quæ credidit, & accepit, quasi vinculis quibusdam rationis ipsius colligatus, nunquam ab his, quæ credidit, diuelli, aut separari potest. Et ideò quantò quis propensior fuerit in expetenda ratione, tantò erit firmior in conseruanda fide. Ad hæc Simon: Magnum est, inquit, quod repromittis, vt immensæ lucis æternitas ex lege possit ostendi. Cúmque Petrus dixisset, quando volueris; Simon ait: Quoniã hora iam multa est, crastino adstanti mihi & renitenti, si probare potueris, factum esse hunc mũdum, & animas esse immortales, habebis me adiutorem prædicationis tuæ. Et cùm hæc dixisset egressus est: sequuta autẽ est eum ex omni populo, qui cum ipso venerat pars tertia, qui erãt quasi mille viri: cæteri verò flexis genibus prostrabant se Petro, super quos ille, inuocato Dei nomine, alios dæmonia habentes curauit: alios etiam languentes sanauit: & ita lætantem populũ dimisit, mandans ei, vt in crastinum diem maturiùs cõuenirent. Petrus verò, cùm recessissent turbæ, sterni iussit humi subere atrij nudo vbi fuerat disputatũ, & recubuit vnà cum illis vndecim: ego verò cum aliis quibusdam, qui & ipsi initia audiendi verbi Dei acceperant, & erant charissimi, recumbens sumebam cibũ. Sed benignissimus Petrus considerans, ne fortè tristitiã mihi inferret ista sequestratio ait ad me. Non pro superbia, ô Clemens, conuiuium non ago cũ his, qui nondũ purificati sunt: sed vereor, ne fortè mihi quidem noceam, ipsis autem nihil prosim. Hoc enim pro certo scire te volo, quia omnis, qui idola coluit aliquando, & eos, quos pagani nominant deos, adorauit, vel de immolatis eorum degustauit spiritu immundo non careat: conuiua enim factus est dæmonum, & participium sumpsit eius dæmonis cuius in mente sua speciem, vel timore, vel amore, formauit: & per hæc mundus non est, à spiritu immũdo: & ideo purificatione indiget baptismi, vt exeat ab eo spiritus immũdus, qui interiores animæ ipsius insedit affectus: & quod est deterius, nec, quod intrinsecus lateat, indicatur, vti ne publicatus fugetur. Amãt enim isti spiritus immundi inhærere corporibus hominum, vt ipsorum ministerio cupiditates suas expleãt: & ad ea, quæ ipsi desiderant, inclinantes animæ motus, suis eos parere libidinibus cogant: vt efficiantur ex integro vasa dæmonum.

Doctissima Petri instructio, quomodo fides ex humana ratione confirmãda veniat. Inductio alterius disputationis.

Petri miracula.

Vndecim scilicet, quorum fuit principio huius libri.

Clemens exclusus à mensa.

Spiritus immundi cur occupent homines.

Eandem sententiam repetit 4. lib. copiosius & dilucidius, consimiliter & August. lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 24.

Ex quibus vnus est Simon hic, qui tali quodam morbo comprehensus, nec sanari iam potest, quia voluntate & proposito ægrotat. Nec contra voluntatem eius habitat in eo dæmon: & ideo, si eum quis fugare velit & expellere ab eo, cùm sit inseparabilis, & vt ita dicã, anima iam eius effectus, videbitur magis necare eum, & homicidij crimẽ incurrere. Nemo ergo vestrûm cõtristetur à conuiuio nostro separatus, tẽpore enim aliquo obseruare debet, vnusquisque sanè, quanto ipse voluerit. Paruo enim tempore sequestratur, qui citò voluerit baptizari: multo autem, qui tardiùs. Vnusquisque ergo in sua habet potestate, breue aut longũ pœnitẽtiæ suæ tẽpus exigere: & ideo in vobis est, quando velitis ad nostram cõuenire mẽsam, & non in nobis, quibus permissum nõ est, sumere cum aliquo cibũ, nisi priùs fuerit baptizatus. Vos ergo magis nos prohibetis à vestro cõuiuio, si ad purificandum moras habeatis, & tardiùs baptizemini. His dictis, cùm benedixisset, cibum sumpsit. Et post hæc cum gratias egisset Deo, ingressus quieuit, similiter autẽ & nos omnes. Erat enim iam nox.

Baptizati non comedebant cũ illotis.

ARGVMENTVM III. LIBRI RECOGNITIONVM Clementinarum, per eundem L. Gruterum Venradium.

BINAS *disputationes Petri, cum Mago biduo habitas hoc libro perscribit B. Clemens. Narrat principio, (vt paulò latius summam in tanta libri prolixitate repetamus.) Petrum, cùm ipsi rursus à Mago disputatio foret indicta, vbi maturè de more suo surrexisset cubitu, suos de magna apud indoctum vulgus disputandi difficultate commonefecisse, quod veritatem studiosos celare, esset inutile, adeóque impium: indignum verò Christo & ipsius Euangelio, diuina mysteria, apud quósuis infideles & contemptores passim publicare: tum clarius ipsum pleraque superiore libro obscurius dicta, hic de personarum vnius Dei Trinitate repetisse. Dein subiicit alteram disputationem Cæsareanam. Initio scilicet rixatum Magum cum Petro, quòd in ipsum animos auditorum cerneret propensiores: cui cùm satisfaceret, quòd id ex populari suoque erga veritatem studio vsu veniret, Magum ad disputationem accelerâsse, cúmque superiorum repetitione, de lucis immensitate atque vno Deo quæstionem mouisse, ad quam Petrus monuerit, talem non contradictionis, sed veritatis potiùs studio quærendam esse: idque à Mago acceptum, ac si Petrus irasceretur, verum Petrum retorsisse calumniam, Magum ipsum conari veritatis disputationem eludere, quòd se eâ sciret arguendum, atque ita relicto instituto Magum ad aliam confugisse quæstionem: Vndenam malum foret? Ac Petrum sophismatis capere voluisse: Apostolum monuisse, non esse disputantis proprium, interrogare, sed discentis: quod si discere vellet, prius se submittere & audire debere, quam disputaret: sin nollet, suam cuique sententiam prius ab vtroque explicandam esse, iudicium autem penes auditores relinquendum: ac Magum ironicè fictéque discipulum agentem, imperitia in proponenda quæstione reprehensum ab Apostolo, negligentem, an sit, quid sit & cui malum sit, ante hoc proponere porrò ludentem Magum in ambiguo vocabulo, ridentémque Petrum, simulantémque suam inscitiam, rursus admonitum à Petro officij disputantis, petente præterea, vt se declararet, auditoribus permittenda iudicia, fugiente hoc Mago, ac variè disceptante, visum Petro, de libero hominis arbitrio, vt quæreretur: quòd mali quæstio omnis ex eo solùs posse videretur: maluisse eum de Deo, quem cupiebat mali auctorem videri, disputaretur: tandem tamen suum, seruúmque hominis arbitrium, vt nunc vocant contra, Apostolum adstruisse. Hic primùm eruditè demonstrat Petrus, esse liberum arbitrium: tum, quid id sit, Mago quærenti, ita definit, vt & ab aduersario laudetur: Rebus itaque Mago minùs succedentibus varias ipsi quæstiones agitatas esse, quibus vel impotentem Deum, vel certè mali auctorem faceret: sed eas à Petro fælicissimè solutas, atque ita vt diem fuisse consumptum disputando. Refert autem Clemens, insignitatis miraculis Petrum a disputatione suam doctrinam illustrasse & confirmasse. Altero de hinc die post somnũ, repetitionem superiorum & precationem Petri, rursus habitam disputationem, qua monuerit ille post salutationem, initio.*

A

ordine disputandum : reique, de qua disceptatio instituitur, principia prius discenda fontésque, quam docendum, fieri isthoc in profanis multò rectius in rebus diuinis fieri debere. Magum conatum refellere Petri sententiam, tandem verò finxisse, quid primùm veritatis studioso sciendum esse discere se velle: cui cùm Apostolus astrueret, Ἐπιφωνῶν, ante omnia, quid bonum sit, quærendum in vita, idque inuentum perficiendum esse : nec de rebus fidem naturámque excedentibus curiosè vestigandum : Magum proposuisse de Animi statu, mortalis isne foret an immortalis? sed Apostolum rectiùs hic de iustitia Dei disputandum esse, dixisse: quòd ea probata, de animi immortalitate quæri posset, contrà illum in sententia perstitisse, quòd animi probata mortalitate, religionem Christianam penitus sciret collapsuram. Ei cùm Petrus obiiceret acerbius impietatem & isthanc doctrinæ suæ inconstantiam, indicans, quàm noxia ea humana vita futura esset, fuga quæsitam occasionem : idcóque Petrum admissâ importunâ ipsius, licet vtili, quæstione, docuisse animum vel ex Magi persuasione, qui necati imagine domi detentâ quiduis se posse putaret, immortalem esse:

B

quibus stupefacto Mago, & iam ob patefacta arcana sua simulante pœnitentiam, Apostolum non se diuinitùs id, sed ex auditione accepisse, quò hominis improbi simulationem declararet, dixisse, sic Magum reuersum ad priorem mentem, & Petrum quasi malitiosè ageret, calumniatum : ac cùm Petro ipsíque adeò Christo maledicendo pergeret, à populo ædibus eiectum esse. Porrò Apostolum admonuisse turbam magnæ Dei bonitatis in ferendis impiis, eique benedixisse & cum lacrymis ac precatione Deo commendasse. Sic finita est illa quoque disputatio, atque ille transactus dies. Tertium diem refert Clemens inter familiares consumptum: quomodo Nicetu consuluerit Apostolum de Dei Opt. consilio tanta Mago permittentis : item, qui factum esset, vt Magis Ægyptij potius, quàm Mosi fidem habuissent : quæ cum luculentè explicasset ille, renunciatum fuisse, vt Magus Romam aufugerit versus, huius insectandi causa : mox vrbis Zachæum per impositionem manuum, oratióncmque iam abs se ordinatum, Episcopum Cæsareæ constituisse, diaconis quatuor ac presbyteris duodecim adiunctis : docendi

C

vineadique præcepta dedisse, mœstam denique turbam de suo discessu consolatum : postremò Clementi huic, vt harum rerum historiam perscriberet commisisse. Atque hactenus de disputationibus Petri cum Mago, cæterisque apud Cæsaream Stratonicam gestis.

Et hic permulta scitu reperies vtilia, necessariaque. Nostro sæculo magno tumultu disputatum est hucusque de hominis arbitrio, liberúmne sit illud an seruum, & quasi fatale. Ea de re habes hic doctissimam Petri Apostoli orationē, qua, an sit, quid sit, in quibus & quatenus sit, pulcherrime explicatur, defenditúrque contra Magum, priore huius libri disputatione, ex qua clarè cernas, quæ sit Apostolica & vera in tanta dissensione doctorū hominū quæne hæretica sententia.

Vis scire, quam sit vetustus vsus vngendi iam baptizatos, oleum consecrandi? quæ nunc passim ridentur? Agnosces hic sanè, traditionem verè Apostolicam esse, agnosces ipsam eius ceræmoniæ vetustatem, qua de re copiosè Dionysius in Ecclesiastica hierarchia. Describuntur hic & ordo,

D

gradus, officiáque ministrorum in Ecclesia, atque hæc omnia secundum veram doctrinam fidei.

RECOGNITIONVM DIVI CLEMENTIS

Ad Iacobum Fratrem Domini, Liber tertius, Rufino Torano Aquileiense Interprete.

II. & III. Petri cum Mago disputationes, Cæsareæ habitæ.

Difficile esse apud promiscuam plebem de veritate dicere.

INTEREA Petrus gallorum cantibus surgens, & excitare nos volens, inuenit vigilantes, vespertino adhuc lumine perdurante : cúmque ex more salutauisset: & resedissemus omnes, ita exorsus est: Nihil est difficilius, fratres mei, quā de veritate apud permixti populi multitudinem disputare. Quod enim est: omnibus, vt est, dici nō licet, propter eos qui malignè & insidiosè audiunt: fallere verò non expedit, propter eos qui sincerè audire desiderant veritatē. Quid ergo faciet, cui ad indiscretum populum sermo est: occultet, quod verum est? Et quomodo instruet eos, qui digni sunt? Sed si meram proferat veritatem his, qui salutem consequi non desiderent, illi, à quo missus est, iniuriam facit: à quo & mandatum accepit, ne mittat verborū eius margaritas ante porcos & canes : qui aduersum eas, argumentis ac sophismatibus reluctantes, ipsas quidē cœno intelligentiæ carnalis inuoluant: latrantibus autē suis & responsionibus sordidis, rumpant & fatigent prædicatores Verbi Dei. Propter quod & ego in plurimis circuitu quodam verbi vtens, tentare nitebar, ne principalē de summa diuinitate intelligētiam, minùs dignis auribus publicarē. Et post hæc incipiens de Patre, & Filio, & Spiritu sancto, breuiter nobis & euidenter exposuit, vt omnes audientes miraremur, quomodo homines, derelicta veritate, conuersi sint ad vanitatem.

E

Cœno carnalis intelligētia corrumpitur scriptura.

Sed cùm illuxisset dies, ingressus est quidam, dicens: Multitudo plurima expectat in atrio: in quorum medio stat Simō, persuasionibus pessimis præuenire aures populi cupiens. Et Petrus statim egressus, stetit in loco, in quo pridie disputauerat: omnísque ad ipsum populus conuersus, cum gaudio intēdebat in eum. Simon verò vbi sensit gauisum esse populum de conspectu Petri, & erga affectum eius moueri, obstupefactus, ait: Miror hominum stultitiam qui me Magū dicunt: & Petrū diligunt: cùm vtique olim habētes notitiam mei, me magis diligere deberēt: & ideo ex hoc indicio, qui habent sensum, possunt intelligere, quia magis Petrus magus videri potest: cùm mihi, cui ex cōsuetudine debitus propemodum est, nō defertur affectus: illi autem, cui nullo vsu debetur, abūdanter expēditur.

Secundus congressus Petri cum Simone.

F

Et cùm multa huiuscemodi Simon diceret: Petrus salutato ex more populo, ita respondit: Sufficit vnicuique, ô Simon ad confutandum cōscientia sua: quod si hoc miraris, quod noti nō solùm te non diligunt, sed & oderunt, tui causam disce à me. Cùm sis seductor, veritatem te prædicare profiteris: ob hoc plures desiderium gerentes discendæ veritatis, amicos habuisti. Sed hi, vbi contraria in te, quàm profitebaris, viderunt, qui amatores erant, vt dixi, veritatis, non solùm nō diligere te, sed & odisse cœperunt : Non autem statim ab eis desertus es: quia vel pollicebaris adhuc, te eis ostēdere

G

posse, quod verū est. Donec ergo nōdum aderat, qui posset ostendere, patiebantur te, vbi verò spes eis doctrinæ melioris arrisit, te cōtemnentes, quod meliùs intelligūt, nosse desiderant. Et tu quidē nefariis artibus agens, ab exordio latere te posse credidisti, sed non lates: vrgeris enim, & cōtra spem publicaris, quia non solùm ignorasti veritatē: sed nec audire voluisti ab his, qui eam sciebant. Si enim audire voluisses, innotuisset vtique tibi ille sermo eius, qui ait: quia nihil est occultum, quod non agnoscatur : neque opertum, quod non reueletur.

Luc. 8.

Hæc & his similia dicente Petro, Simon respondit. Nolo me verbis occupes, Petre: repeto abs te, quæ hesterno promiseras: dicebas enim ostēdere te posse, quia lex doceat de immēsitate lucis æternæ: &, quod duo tantùm sint cœli, & ipsi creati: sed superius esse lucis illius sedem, in qua solus in æternum residet ineffabilis pater. Ad illius verò cœli similitudinē, factū esse etiam illud visibile cœlum, quod & transiturum confirmabas. Vnum ergo dixisti esse patrem omnium, quia non possunt duo esse immensi: alioqui neuter eorum immensus erit: quia in eo, quo alter subsistit, alteri finem subsistē-

Proponit Magus cū ἀθανασίᾳ ... superiori illo Vnus immensus.

H

di facit. Si ergo hæc non tantùm polliceris, sed & ostendere potes ex lege, omittens plura loqui, hinc incipe. Et Petrus: Si propter te, inquit, qui ad contradicendum tantummodò venis, rogarer de his dicere, nunquam à me vnum saltem posses audire sermonē. Sed quoniam necesse est agricolam, qui vult bonam terram seminare, nonnulla semina perdere, aut in petricosis aut in his, quæ ab hominibus conculcanda sunt: vel in dumosis ac repletis sentibus locis, sicut & magister noster exposuit : diuersitatem propositi vniuscuiusque animæ per hæc indicans, non morabor. Tum Simon: Videris mihi, inquit, irasci : quod si est, non necesse est inire conflictum. Et Petrus : Video te sentire quod arguendus sis, & vis vrbanè subterfugere certamen: nam quid vidisti me iratum fecisse to te homi-nem, tantùm populum decipere cupientem? & cùm nihil habeas, quod dicas, modestiam simulantem? qui & auctoritate tuâ iubes, vt quomodo ipse vis, & non quomodo

Prædicatoribus velut agricolis nonnulla semina pereunt. Elegās similitudo.

ordo postulat, controuersia moueatur? Et Simon: Imperabo mihiipse sapientiâ vti ac imperitiam tuam, vt ostendã te quidem velle populum seducere: me autẽ docere, quæ vera sunt. Sed nunc ommitto de immensa luce disceptere: quod interrogo te, hoc mihi responde. Cum Deus fecerit vniuersa, vt tu dicis, vnde est malum? Et Petrus: hoc modo interrogare non est aduersantis, sed interrogantis. Si ergo vis discere, confitere: vt priùs te doceam, quomodo debeas discere: & cùm didiceris audire, tunc iam te incipiam cõsequenter docere. Si verò non vis discere tanquam sciens omnia, ego priùs exponam fidem, quam prædico: expone & tu, quod tibi verum videtur. Et cùm manifesta fuerit vtriusque professio, iudicetur ab auditoribus, cuius nostrũ sermo sit veritate subnixus. Et Simon ad hæc respondit: Risus mihi est. Ecce, qui promittit, quod me doceat. Veruntamen patiar te, & imperitiam tuam atque arrogantiam feram: confiteor, discere volo: videam, quomodo me poteris docere. Et Petrus: Si, inquit, verè vis discere, disce hoc primùm, quàm imperitè interrogaueris: ais enim, cùm Deus vniuersa creauerit, vnde est malũ? Ante enim, quàm hoc rogares, tres interrogãdi species præcedebant. Primò, si est malum? Secũdò, quid sit malũ? Tertiò, cui sit, & vnde?

Discentibus primo imperitia sua est agnoscenda.

Hæc de re etiam contra Simonem Magum Dionysium Areopagitam de malo disputasse, in libro, quem de diuinis nominibus scripsit, testatur Hilduinus in Areopagiticis. Et Maximum quendam de hac quæstione in primitiua Ecclesia commentarium scripsisse, πόθεν ἡ κακία, καὶ περὶ τοῦ γενητὴν ὑπάρχειν τὴν ὕλην, refert Eusebius Pamphilus lib. 5. Eccles. hist. cap. 27. Eruditè quoque in hanc materiam scripsit Augustinus, libro de duabus animabus, contra Manichæos, & alius multis.

Ad hæc Simon: O imperitissimè, inquit, & ineruditissimè, estne hominum quisquam, qui non confiteatur, quia sit in hac vita malum? Vnde & ego putans te vel communem omnium habere sensum, interrogaui, vnde sit malum: non vt discere volens, qui omnia sciam: abs te præcipuè, qui nihil noueris: sed, vt te ostendam ignarum esse omniũ: & ne putes, quia iratus sum, quod ita tecum austeriùs loquar: miseratio me habet horum, qui adsunt, quos tu decipere conaris. Et Petrus ait: Multum malus es, si tantas iniurias non iratus facis: sed impossibile est fumum consurgere, vbi ignis non est. Veruntamen dicam ne te verbis videar occupare: quo minùs ad ea, quæ abs te inconuenienter sunt dicta, respondeam. Ais omnes fateri, quia sit malũ: quod vtiq; falsum est: nam primò omnium, quia subsistat malum, vniuersa Hebræorum negat gens. Et Simon interrupto sermone, Rectè, inquit, faciunt, qui dicunt non esse malum. Et Petrus: Non de hoc nunc proposuimus dicere: sed quod non omnes dicunt esse malum. Secundum autẽ erat, interrogare te, quid est malum, substantia, an accidẽs, an actus? sed & alia multa huiusmodi. Et post hæc, erga quid, vel quomodo sit, aut cui sit malum? verum Deo, an Angelis: an hominibus piis, an impiis, omnibus, an aliquibus: an sibi ipsi, an nulli? Et tunc interrogares, vnde sit? verum nam à Deo, an ex nihilo? semper ne fuerit, an ex tempore cœperit? vtile sit, an inutile? & alia multa, quæ huiuscemodi propositio exigit. Ad hæc Simon respondet: Ignosce mihi, erraui de prima interrogatione: sed puta me nunc primùm interrogare, est malum, an non? Et Petrus ait: Quomodo interrogas, quasi discere volens, an docere? an quæstionis mouendæ gratia? Siquidem, quasi discere volens, habeo, quod te priùs doceam: vt per consequentiã & ordinem doctrinæ veniens, ex teipso intelligas, quid sit malum. Si verò, vt docens proponis, non indigeo abs te doceri: habeo enim magistrum, à quo omnia didici. Quòd si quæstionis mouendæ, & disputandi grãtia; vterque nostrum priùs, quod sibi videtur, exponat: & ita certamen habeatur. Neque enim verum est, vt interroges, quasi discere volens: & contra dicas, vt docens: vt post responsionem meam in tuo iudicio sit dicere, si benè an malè dixerim. Propter quod non potes in loco contradicẽtis stans, iudex esse eorum, quæ dicimus: & ideo, vt dixi, si certamẽ habendum est, vterque nostrum, quod sentit, exponat: & nobis in conflictu positis, religiosi auditores hi, iusti iudices erunt. Et Simon: Non tibi videtur absurdum, vt imperitus populus de nostris dictis habeat iudicium? Et Petrus: Non ita est, quod enim vni fortasse minus liquet, inuestigari à plurimis poterit: nam sæpè etiam fama vulgi, Prophetiæ speciem tenet. Super hæc autem omnia, præsens hic omnis populus amore Dei constrictus, hîc adstat, veritique cognoscendi gratiã: & ideo omnes isti, quasi vnus habendus est, pro vno eodémque erga amorem veritatis affectu: sicut è contrario duo inter se si dissentiant, multi sunt, & diuersi. Si autem vis iudicium capere, quomodo omnis hic populus, qui adstat, quasi vnus sit homo, ex silentio eius ipso, & quiete considera: quomodo cum omni patientia, vt vides, etiam, antequam discant, veritati Dei honorem deferunt. Non dum enim maiorem cultum, quẽ ei deferre debeant, didicerũt. Propter quod spero de Clementia Dei, quod religiosum propositum mentis eorum amplectetur erga se, & veritatem prædicanti, victoriæ palmam dabit: vt manifestum eis faciat veritatis præconem. Tum Simõ: De quo, inquit, vis haberi certamen: dic, vt & ego definiam, quod mihi videtur, & ita quæstio incipiat. Et Petrus respondit: Si quidem, vt mihi videtur, facere vis, ego secundum magistri mei præceptum fieri volo, qui primò omnium Hebrææ genti, quam sciebat habere cognitionem Dei: & quod ipse esset, qui fecerit mundum: præcipit, non vt eum quæreret: quem sciebat: sed voluntatem eius iustitiamque perquireret: sciens, quia in hominum arbitrio positum est, vt hoc quærentes inueniant: & faciant, atque obseruent ea, de quibus iudicandi sunt. Et ideo iussit nos quærere, non, vnde sit malum, vt tu paulò antè requirebas, sed iustitiam boni Dei, regnumque eius, & omnia, inquit, hæc adiicientur vobis. Et Simon: Quoniam, inquit, Hebræis ista mandantur, velut rectè scientibus Deum, & opinantibus, quod vnusquisque in suo arbitrio habeat, agere ea, de quibus iudicandus est: mihi autem ab illis discrepat sententia: vnde vis, vt incipiam? Tum Petrus: Ego, inquit, suadeo, primò quærendum esse, num in potestate nostra sit scire, vnde iudicandi simus. Et Simon: Non ita, inquit: sed de Deo: vnde & omnes, qui præstò sunt, audire cupiunt. Et Petrus: Constat ergo apud te, quia est aliquid in arbitrij potestate facere? hoc tantùm si est, & requiramus, vt dicis, de Deo. Simon ad hæc respondit: Nequaquam. Et Petrus: Si ergo nihil est in nostra potestate, superfluum est, nos quærere aliquid de Deo: cùm in potestate non sit quærentibus inuenire. Vnde benè dixeram, hoc primò quærendum esse, si est aliquid in arbitrij potestate. Tum Simon: Non possum, inquit, ne hoc ipsum quidem intelligere, quod dicis, num sit aliquid in arbitrij potestate. At Petrus videns, quod ad partem se ad contentiosiorem declinaret, superari metuens, vt quasi in incertum confunderet omnia respondet. Quomodo ergo scis, quia non est in hominis potestate scire aliquid: cùm hoc ipse scias? Et Simon: Nescio, inquit, si vel hoc ipsum sciam, vnusquisque enim, sicut ei fato decernitur, vel sapit aliquid, vel intelligit, vel patitur. Tum Petrus: Videte, inquit, fratres, in quæ absurda deciderit Simon, qui ante meum aduentum docebat, quod homines in potestate habere, & sapere, & facere, quæ vellent: Nunc in angustum redactus necessitate verborum, negat esse in hominis potestate, aut sciendi aliquid, aut agendi: & tamen audet se doctorem profiteri.

Hebræi negant esse malum.

Ordine discendum est.

Obseruare mandata, situ non liberi arbitrij. Matth. 6.

Liberum arbitrium, hominis esse vult & astruit Petrus: negat Magus, quo tandem aduersarij fidei Catholicæ viri credendum?

1. an sit.

Firmissimum argumentum Petrus hic contra fatum, seruúmque adeò arbitrium recitat, quod tamen contra Ecclesiam magnis laterribus à plerisque, qui ipsius Ecclesiæ restauratores uideri volunt, nunc asseritur. Idem hinc mutuatus mihi uidetur Eusebius Pamphili, libro sexto προπαρασκευῆς, quem locum consulat lector.

Sed dic: quomodo ergo Deus iudicat secundum veritatem vnumquémque pro actibus suis, si agere aliquid in potestate non habuit? hoc si teneatur, conuulsa sunt omnia: frustrà erit studium sectandi meliora: sed & iudices seculi frustrà legibus præsunt: & puniunt eos, qui malè agunt: non enim in sua potestate habuerunt, vt non peccarent: Vana erunt & iura populorum, quæ malis actibus pœnas statuunt: miseri erunt & hi, qui seruant cum labore iustitiam: beati verò illi, qui in deliciis positi, cum luxuria & scelere viuentes tyrannidem tenent. Secundum

hæc ergo,nec iustitia erit, nec bonitas : nec vlla virtus:& vt vis,nec Deus.Sed hæc,ô Simon,cur dixeris,scio:volens profectò effugere quæstiones, ne possis manifestiùs conutari : ideo ais non esse in potestate hominis sentire aliquid,aut inuenire. Si enim verè hoc ita sensisses,non vtique etiam ante aduentum meum apud populum te,profitereris doctorem. Ego igitur dico, sui esse arbitrij hominem.Et Simon : Quid est sui arbitri ? dic nobis.Petrus ad hæc:Si nihil potest disci,cur & audire vis?Et Simon:Nihil habes ad hoc, quod respondeas?Tum Petrus:Dicam non à te compulsus , sed ab auditoribus rogatus. Arbitrij potestas est sensus animæ, habens * virtutem,qua possit, ad quos velit,actus inclinari.

Liberũ arbitriũ quid.

** virtutẽ, id est, facultatem*

Hæc non est nostrorum absimilis definitio. Liberum arbitrium est libera potestas, & habitudo voluntatis rationalis, qua potest homo eligere, & ratione iudicare ac discernere. Augustinus libro de gratia & lib.arb.sic. Liberum arbitrium est facultas voluntatis & rationis, qua bonum eligimus gratiâ assistente,& malum, gratiâ desistente.

Tum Simon collaudans Petrum super his,quæ dixerat: Verè,inquit,magnificè,& incomparabiliter exposuisti,benè enim dicenti tibi debeo testimonium dare:hoc tamen, quod te interrogo nũc,si exposueris mihi, in cæteris omnibus obtemperabo tibi : quod ergo volo discere,hoc est: Si quod Deus vult esse, est ? & si quod non vult esse, non est?de hoc responde mihi. Et Petrus?Si ignoras,quòd absurdè & incompetenter interroges,ignoscens tibi ipse exponam:Si autem scis,quod inconsequenter interrogas,nõ rectè facis.Tum Simõ:Iuro,inquit, ipsam,quæcũque illa est,summam diuinitatem,quæ habet iudicium & vindictã in eos, qui peccant, quia ignoro quid incompetenter dixerim : & quid in verbis meis habeatur absurdum , in his dumtaxat,quæ proposui. Ad hæc Petrus:Quoniam,inquit, te ignorare cõfessus es,disce.Interrogatio tua duobus sibi inuicem contrariis , vnam sententiam postulauit : etenim omnis motus in duas partes diuiditur:vt quædam necessitate, quædam voluntate moueantur:& ea quidem, quæ necessitas mouet,semper in motu sunt:quæ verò volũtas, non semper:vt verbi gratia dicam:Solis motus necessitate ducitur, vt statutum compleat cursum : omnisque status cœli , & ministeria necessariis motibus constant. Homo verò actuum suorum motus voluntarios gerit.Et ideo alia sunt, quæ ob hoc creata sunt,vt in ministeriis suis necessitate deseruiant, nec facere aliud quippiam possint : nisi quod eis statutum est.Cum autem expleuerint ministeriũ, creator omnium,qui ita constituit ea, prout voluerit,cõseruat ea. Alia verò sunt,vbi potestas est voluntatis : & in quibus agendi,quæ velint,liberũ habetur arbitrium.Hæc, vt dixi,non semper in eo ordine,quo creata sunt, permanent:sed prout voluntas duxerit,& animi iudicium declinauerit,siue bonis,siue malis studebunt,& ideo benè agẽtibus munera posuit:malè agentibus,pœnas.Ais ergo tu, si Deus vult aliquid esse,& est:& si non vult,non est:scilicet,vt si responderem,quia quod vult,& est : quod autem non vult,non est : diceres, ergo ipse vult esse mala,quæ in hoc mundo geruntur : quia omne quod vult , hoc & est: quod autem non vult,non est : Si verò respondissem, non esse hoc,vt quod vult Deus,sit : & quod non vult,non sit, tum retorto sermone diceres, ergo impossibilis est Deus, si quod vult,non potest:& existeres petulantior,vt qui nihil rectum dixeris, vicisse te crederes. Et ideo ignoras Simon,& valdè ignoras, quomodo in singulis quibusq; voluntas sit Dei:quædam enim voluit,vt diximus,ita esse,vt aliud esse non possent , quàm id , quod ab ipso instituta sunt:& his neque præmia,neque supplicia statuit.Ea verò, quæ ita esse voluit,vt in sua potestate habeant agere quod velint : his,pro actibus ac voluntatibus suis statuit,vt aut remunerationes mereantur,aut pœnas.Cùm ergo in duas, vt edocui,partes diuidantur cuncta, quæ mouentur:secundùm eam,quam suprà diximus,distinctionem,omne quod vult Deus,est:quod autem non vult,non est.Et Simon adhæc : Nonne poteras nos omnes facere tales, vt essemus boni?& aliud esse non possemus?Petrus respondet:Et hoc absurdè interrogas.Si enim nos inconuertibiles naturæ fecisset & immobiles à bono, non essemus verè boni, quia aliud esse non possemus:& non erat nostri propositi,quod eramus boni : nec nostrum erat, quod agebamus, sed necessitatis naturæ.Quomodo ergo hoc bonũ dicetur,quod ex proposito non agitur?Ob hoc autem & prolixioribus indiguit mundus iste temporibus : donec animarum,quæ prædestinatæ sunt , ad expletionem eius numerus impleretur:Et tunc, istud quidem visibile cœlum reuolueretur, vt liber:Illud verò,quod est superius, appareret:& animæ beatorum corporibus suis redditæ inducerẽtur in lucem. Impiorum verò animæ, pro immundis actibus suis spiritu flammeo circundatæ, in profundum ignis inextinguibilis mergerentur, per sæculum expensuræ supplicia.Hæc autem ita esse,verus nobis propheta testatus est:de quo, si vis agnoscere,quia Propheta sit, innumeris adsertionibus edocebo. Ex his enim, quæ ab eo dicta sunt,& nunc singula quæ dixit implentur:etiam ea,quæ futura dixit, creduntur implenda:FIDES enim futuris,ex his,quæ iam gesta sunt,datur.At Simon,cui compertum erat, Petrum de Prophetiæ titulo dilucidè adsignare rationẽ,ex quo quæstio omnis absoluitur, sermonem de hoc fieri declinauit: & respondens,ait:Ad ea,quæ volo, responde mihi,& dic: Si visibile istud,vt ais,cœlum resoluetur,cur ex initio factum est:Respondit Petrus:Propter hominum præsentem hanc factum est vitam,vt esset interiectio quædam & diuisio:ne quis fortè indignus, habitationem cœlestium, & Dei ipsius sedem videret : quæ his solis, qui mundi corde sunt,videnda præparantur.Nunc autem,id est,agônis tempore, inuisibilia esse placuit ea, quæ vincentibus ad præmium destinata sunt.Et Simon ait:Si conditor bonus est, & mundus bonus : quomodo bonus bona dissoluet aliquando ? Si autem quasi malum resoluit & destruit:quomodo non videbitur malus, qui malum fecit ? Petrus adhæc:Quoniam,inquit, spopondimus tibi,ne blasphemantem te fugiamus : ipse enim reddes pro his,quæ loqueris, rationem:patienter ferimus. Audi ergo nunc:Cælũ istud, quod visibile est & pertransit , si quidem propter semetipsum factum esset,haberet fortasse,quod dicis aliquid rationis,quia resolui minime deberet.Si verò propter aliud quid factum est, & non propter se:necessariò soluetur, vt illud,pro quo factum videtur,appareat.

Duæ partes motus.

Solerter aperit Petrus causam cur ab agat hæc quæstiones[?] tuũ merũ, numerũ, vt faceret Deũ mali auctorẽ, aut imbecillum.

Rom.2.

Alia Magi quæstio, sibi pertinens.

Vnde & cur Prædestinatio.

Egregia sententia ad confirmandam fidẽ de futuris vaticiniis.

Alia rursus quæstio eodem spectans.

Matth.5.

Elegans similitudo cur cœlum resolui debeat, ab ouorum testa.Vide plura,2.Pet.3.

Sicut verbi gratia dixerim:testa ouorum,quamuis pulchrè facta, & diligenter formata videatur, necesse est tamen eam frangi,& resolui:vt inde pullus procedat,& illud,pro quo totius oui forma : expressa videtur, appareat. Ita ergo & huius mundi necesse est transire statum,vt status ille sublimior regni cœlestis effulgeat. Et Simon:Non mihi videtur,quia resolui possit cœlum,quod a Deo factũ est. Ab æterno enim æterna fiunt : à corruptibili temporalia & caduca.Et Petrus:Non ita,sed à mortalibus quidẽ omnimodis corruptibilia fiunt,& temporalia : ab æterno verò,non semper corruptibilia, neque semper incorruptibilia : sed prout voluerit creator Deus , ita & erunt illa quæ creat.Neque sub lege est virtus Dei, sed lex creaturis suis voluntas eius est.

Virtus Dei nõ est sub lege.

Vtinam hanc sententiam veram esse firmiter statuerent omnes , tanta me hercule lis non foret de veritate corporis IESV CHRISTI in mysteriis cœnæ. Atque huc allusisse mihi videtur B.Irenæus lib.2.Elenchi,cap.56. SVBSTANTIA OMNIVM , inquit, VOLVNTAS EIVS EST. Quod in primis est sciendum, contra quæstionem incredulorum,Quomodo?

Respondit & Simon : Reuoco te , inquit , ad primam quæstionem. Dixisti Deum nunc quidem nulli esse visibilem : cum verò resolutum fuerit cœlum istud,& supernus ille status regni cœlestis obfulserit:tunc eos, qui mũdi sunt corde, etiam Deum visuros,quæ sententia contraria est legi , ibi enim scriptum est, Deum dixisse : Nemo videbit faciem meam, & viuet. Et Petrus respondit, His, qui legem non ex traditione Moysi legunt , contrarius videtur sermo meus : Sed audi ergo , quomodo non sit contrarius. Deus videtur mente , non corpore : spiritu, non carne. Vnde,& Angeli, qui sunt spiritus,vident Deũ: & homines donec homines sunt, Deum videre non possunt.

Exod.33.

A Matt. 22.

sunt. Ex resurrectione autem mortuorum, cùm facti fuerint sicut Angeli, videre poterunt Deum. Et hoc modo non est sermo meus legi contrarius: neque illud, quod magister meus dixit: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Futurum enim tempus ostendit, in quo ex hominibus Angeli fient, qui in spiritu mentis Deum videbunt.

Rectè hoc est intelligendum, quod ait Petrus ex hominibus mutus post resurrectionem Angelos futuros: non enim asserit naturam, abiecto corpore, fore humanam: sed eiusmodi fore qualitates. Qualitas transibit, non deficiet natura, vt ait M. Leo. idcòque paulò antè ait. Cùm facti fuerint, sicut Angeli, quo loco allusum est ad Christi verba. Matth. 22. Erunt, sicut Angeli Dei in cælo. Sicut, ait: non simpliciter Angeli erunt. Sic & Paulus Phil. 3.

Discipuli Simonis deficiunt ad Petrū.

Post hæc autem verba multáque alia his similia, cùm iuramentis pluribus adfirmare Simon cœpit, dicens. De hoc mihi solo rationem redde, si immortalis est anima? & obsequar in omnibus voluntati tuæ, sed crastino, inquit, nam hodie iam tardum est. Vbi ergo cœpit dicere Petrus, Simó egressus est, & cum ipso perpauci ex sodalibus eius, & hoc præ verecundia. Cæteri verò omnes ad Petrum cóuersi, genibus positis prosternebant se ante eum, ex quibus aliquanti diuersis languoribus adstricti, aut dæmonibus incursati, oratione Petri sanabántur, & discedebát gaudentes, quasi veri Dei doctrinam, simul & misericordiam cósequuti. Cùm ergo abscessissent turbæ, & soli familiares eius remansissemus cum eo, stratis humi redditis, accubuimus, solitum vnusquisque recognoscens locum: sumptóque cibo, cùm gratias egissemus Deo, quieuimus. Sequenti verò die, Petrus ex more ante lucem surgens, iam nos inuenit vigilantes, & paratos ad audiendum. Atque ita is exorsus est: Deprecor vos, fratres & conserui mei, vt si quis fortè vestrûm non potest vigilare, non sibi extorqueat, erubescens præsentiam meam: quia difficilis est subita permutatio. Longo autem tempore, si paulatim adsuescat: labor non erit, quod ex vsu venit. Non enim omnes eiusdem institutionis fuimus: licet processu temporis in vnam temperati cósuetudinem poterimus: aiunt enim, quod secundum naturæ locum obtineat consuetudo. Testem autē Deum inuoco, quod non indignor, si quis fortè non potest vigilare: sed hoc magis, si cùm totam quis noctem dormiat, per diem non replet id, quod omisit in nocte. Necessarium namq; est, doctrinæ studiis intentè & indesinenter operam dare: vt mens nostra Dei solius memoriâ repleatur: quia mētem, quam repleuerit memoria Dei, maligno in ea non dabitur locus. Cùm hæc diceret ad nos Petrus, vnusquisq; nostrum sollicitè satisfaciebat ei, quod olim breui somno satiati, vigilaremus, sed vereremur excitare eum: quia nec deceret discipulos magistro imperare: quod tamen penè, ô Petre, ausi fueramus præsumere, dú cor nostrum, nimio verborum tuorum desiderio tripudians, somnum penitùs fugaret ab oculis. Sed iterum affectus erga te noster obstitit, & violenter te à nobis non tulit excitari. Tum Petrus: Quoniam igitur audiendi, inquit, desiderio libenter vos adstetitis vigilare, volo vobis ea tantùm, quæ hesterno sparsim dicta sunt, repetens, diligentiùs & cum suo ordine explicare. Quod & per singulas quasque disputationes diurnas facere dispono: vt per noctem, vbi secretum loci & temporis datur si quid fortè, vtpote in certamine, minùs plenè dictum est: id integro ordine, lineâ directè explanationis aperiam. Et post hæc cœpit nobis ostendere quomodo hesterno haberi debuerit disputatio, & propter contentionem, vel imperitiam contradicentis haberi non potuit: & ideò sola professione vsus sit, atque ea, quæ ab aduersario dicebantur, tantum destruxerit: sua verò neque omnia, neque manifestè exposuerit: & singula nobis repetens, integro ordine, & plena ratione disseruit. Cùm verò iam albesceret dies, egressus ad turbas post orationem, solito ad disputandum constitit loco, & videns Simonem in mediis turbis stantem, ex more priùs salutato populo, ait: Dolori mihi esse fateor, de nonnullis hominibus, qui, cùm ita ad nos veniunt, vt discant aliquid, vbi eos docere cœperimus; ipsi rursus magistros se esse profitentur: & interrogant quidem, vt ignorantes, contradicunt autem, vt scientes. Sed fortasse dicat aliquis, quod qui interroget, ob hoc quidem, vt discat, interroget: vbi verò id, quod audierit, non ei rectè dictum videatur, necesse esse, vt respondeat: & hæc ei videtur esse contradictio, quæ non est contradictio: sed rei interrogatio. Audi ergo ad hæc: Totius doctrinæ disciplina, certum habet ordinem: & sunt quædam, quæ primo tradenda sunt: alia verò, quæ secundo in loco: & alia, tertio: & sic singula quæque per ordinem, quæ vtique, si per consequentiam tradantur, manifesta fiunt. Extra ordinem verò, si proferantur, etiam contra rationem dicta videbuntur. Et ideo in primis ordo seruandus est: si tamen hoc proposito quæramus, vt possimus, quod quærimus inuenire. Etenim qui rectum initium viæ acceperit, etiam secundum locum consequenter aduertet: & ex secundo, tertium faciliùs inueniet: & quantò vltrà processerit, tantò magis ei via agnitionis apertior fiet: vsquequo ad ipsam, quò tendit & desiderat, vrbem perueniat veritatis. Qui verò imperitus est, & quærendi viam nescit, sicut peregrinus viator, ignorans & errans, si ciue & indigenâ nolit vti duce, sine dubio, cùm aberrauerit à via veritatis, extra vitæ ianuas remanebit: & ita noctis atræ tenebris inuolutus, per semitas perditionis incedet. Quia ergo, si per ordinem, quæ quærenda sunt, inquirantur, inueniri facillimè possunt: ordinem verò requirendi, imperitus ignorat: rectum est, vt scienti cedat ignarus: & primò quærendi ordinem discat: vt ità demùm interrogandi, & respondendi inueniat disciplinam. Et Simon ad hæc: Non ergo omnium est veritas, sed eorum tantummodò, qui artem nouerint disputandi: quod vtique absurdum est, cùm æqualiter sit Deus omnium, non omnes æqualiter posse voluntatem eius agnoscere. Et Petrus: Æquales, inquit, omnes ab eo facti sunt, & æqualiter cunctis dedit capaces esse veritatis. Verùm, quod nullus eorum, qui nati sunt, eruditus natus sit: sed posterior sit natiuitate eruditio, nulli dubium est. Cùm igitur natiuitas hominum in eo teneat æquitatem, vt omnes similiter percipiendæ disciplinæ capaces sint: non est in natura, sed in eruditione diuersitas. Aut quis nescit, quod ea, quæ vnusquisque didicit, priusquam disceret, ignorabat? Et Simon: Verè inquit, dicis. Tum Petrus: Si ergo in his artibus, quæ vsus communis habet, primò disciturǃ deinde docetur: quantò magis oportet eos, qui eruditores se profitentur animarum, primò discere, & ita docere? ne, cùm sint ipsi imperiti, ridiculum videatur, si aliis se præstituros scientiam repromittant. Tum Simon: In artibus, inquit, his, quæ vsus communis habet, verum est, quod vnusquisque, nisi didicerit, nesciat. In verbo verò scientiæ statim vt audierit quis, didicit. Et Petrus: Si quidem per ordinem, & consequenter audiat, potest scire, quod verum est: sed qui emendatioris vitæ regulam, conuersationisque castioris suscipere recusat: quæ vtique sequela est scientiæ veritatis: scire se, quod scit, non vult fateri. Sicut etiam nonnullos videmus, qui artibus, quas à puero didicerant, derelictis, ad alias se actus conferunt: & vt excusatio sit eis desidiæ suæ, culpare incipiunt artem, velut infructuosam. Et Simon: Deberent omnes audientes credere verum esse, quod audiunt? Tum Petrus: Qui audierint per ordinem sermonem veritatis, contradicere omninò non possunt: sed sciunt verum esse, quod dicitur: si tamen libenter etiam vitæ instituta suscipiant. Hos verò, quos audientes ad bona opera conferre se piget: malè agendi libido acquiescere his, quæ recta iudicant, non sinit. Vnde ostenditur, positum esse in auditorum potestate, eligere, verum malint. Quod si omnes, qui audiunt, obedirent: naturæ magis esset necessitas, quæ vnâ omnes ageret viâ. Sicut enim suaderi quis non potest, vt fiat breuior aut longior: quia non sinit vis naturæ: Ita & ad veritatem, si omnes verbo conuerterentur, aut omnes non conuerterentur, naturæ esset vis: quæ cogebat verbo omnes conuerti, aut nullum omninò conuerti. Et Simon: Doce ergo nos, quid primò oportet discere eum, qui veritatem scire desiderat? Et Petrus: Ante omnia, inquit, quæri oportet: quid sit homini quærenti, inuenire possibile? Necesse est enim iudicium Dei in hoc stare, num potuit

Vide humanitatē Petri.

Tertius conflictus Petri cum Simone II. dies bui in dibol.

Ordine omnia facienda.

Ordo quærendi primò discendus.

Sequela, id est, consectariū.

Elegās est sententia. Benè vt vere, sequela est scienda veritatis. Eligere est nostri arbitrij.

A

homo bonum facere, & non fecerit: & ideo quærendum est hominibus, num habeant in potestate sua quærentes inuenire, quid sit bonum: & ,cùm inuenerint, facere? hoc enim est, pro quo iudicandi sunt. Ampliùs autem his, solùm scire fas est Prophetam, & meritò: Quid enim opus est, hominibus, scire, quomodo factus sit mundus? Hæc enim discenda necessariò viderentur, si simile ineundum nobis esset artificium. Nunc autem sufficit nobis ad cultum Dei, vt sciamus, quod ipse fecerit mundum: quomodo autem fecerit, quærendum non est, quia vt dixi, non nobis imminet, tanquam simile aliquid facturis, artis ipsius scientiam discere.

(Ampliùs) id est, quod suprà hac est, vel. hac excedit.

Vtinam & hæc ratio nobis in cœna mysterijs placeret: non profectò propterea dissiparetur ita Ecclesia. Quid enim ad me? quomodo verum Christi D. corpus in Eucharistia possit esse? cùm præsertim meum non sit, nec à me ad salutem requiratur, idem efficere, vt meum corpus sub panis specie lateat?

B

Sed neque pro hoc iudicandi sumus, quum non didicerimus, quomodò factus sit mundus: sed hoc tantùm, si ignoremus conditorem eius. Sciemus autem conditorem mundi iustum, & bonum Deum, si eum semitis iustitiæ requiramus. Nam si hoc tantùm sciamus de eo, quòd bonus sit, huiusmodi scientia non sufficit ad salutē. In præsenti enim tempore, bonitate eius & beneficiis perfruuntur, non solùm digni: sed etiam indigni. Si verò non tantùm bonum, sed etiam iustum eum credamus: & secundum hoc, quod de Deo credimus, in omni vita nostra iustitiam teneamus: etiam bonitate eius in æternum fruemur. Denique Hebræis, qui de Deo ita opinabantur, quod solùm bonus esset, dicebat magister noster, vt & iustitiam eius quærerent: hoc est, vt scirent eum præsenti quidem tempore bonum esse, vt omnes in bonitate eius viuant: Iustum verò eum futurum in die iudicij, vt dignis præmia æterna restituat; à quibus excludet indignos. Et Simon: Quomodo potest vnum atque idem, & bonum esse, & iustum? Petrus ait: Quia sine iustitia, bonum quodammodo videbitur: boni est enim, Solem suum & pluuiam, ex æquo iustis & iniustis præbere: sed hoc videretur iniustum, si bonos malósque æquali semper sorte censeret: & nisi frugum causâ hoc faceret, quibus perfrui æqualiter omnes, qui in hoc mundo nati sunt, conueniret. Sed sicut data à Deo pluuia, ex æquo & fruges nutrit, & lolium: messis autem tempore, frumenta quidem congregantur in horreum, paleæ verò vel lolium igni consumuntur: Ita in die iudicij, cùm iusti introducentur in regnum Dei, iniusti autem abiicientur foras, tunc etiam iustitia Dei ostendetur. Nam si æqualis permaneret perpetuò malis & bonis, iam hoc non solùm bonum non esset: sed & iniustum atque iniquum videretur, vt iusti & iniusti vno apud eum haberentur ordine meritorum. Et Simon: Vnum est, de quo mihi velim satisfieri, num immortalis sit anima: non enim possum onus subire iustitiæ, nisi priùs de immortalitate animæ sciam: quæ vtique si immortalis non est, nec prædicationis tuæ poterit stare professio. Tum Petrus: Quæramus, inquit, priùs, num iustus sit Deus: quod si claruerit, integer profectò religionis ordo constabit. Et Simon: Videris mihi tu, qui te iactas disputandi ordinem nosse, nunc contra ordinem respondisse: Me enim rogante, vt ostendas, num immortalis sit anima: tu ais, primò nos quærere oportet, num iustus sit Deus. Et Petrus ait: Valdè consequenter, & rectè se habet. Simon: Velim discere, Petrus: Audi, inquit, nonnulli hominum blasphemantes Deum, & omnem vitam suam iniustitiæ voluptate ducentes, in lectulis suis defuncti sunt, consequuti finem vitæ inter suos, & honorabilem sepulturam: alij verò Deum colentes, & cum omni iustitia & sobrietate, vitam suam in parsimonia conseruantes, pro iustitiæ obseruantia, in desertis interiêre, ita, vt ne sepultura quidem haberentur digni. Vbi est ergo iustitia Dei, si anima immortalis non est, quæ vel, si impiè egerit, pœnas in futuro: vel, si piè & iustè, præmia consequatur? Et Simon ait: Hoc vtique est, quod nos incredulos facit, quia multi benè agentes, malè pereunt: & rursum, multi impiè agentes, longi temporis cùm beatitudine vitam finiunt: Et Petrus: Hoc ipsum, inquit, quod te ad incredulitatem trahit, nobis certam fidem facit, quia iudicium erit.

Math 6.

Magus ludit in vocabulo. Bonum atque ex hoc consedit, nihil simul bonum esse

C

posse & iustum.

Math 5.

8. auer.

D

E

Quia boni aliquando malè pereunt, argumento est esse aliam vitam post hanc. Atque hoc argumentum contra negantes Prouidentiam vsurpat eleganter Gregorius Nazianzenus.

Etenim cùm certum sit, Deum iustum esse necessarium & consequens est, aliud esse seculum, in quo vnusquisque pro meritis recipiens, iustitiam Dei probet. Quod si nunc omnes homines pro meritis suis reciperent, verè nos fallere videbamur, dicentes futurum esse iudicium: & ideo hoc ipsum, quod in præsenti vita non redditur vnicuique pro actibus suis, fidem indubitabilem facit, scientibus. Deum esse iustum quia Iudicium erit. Et Simon: Cur ergo mihi non persuadetur? Petrus ait: quia verum Prophetam non audisti, dicentem: Quærite primò iustitiam eius, & hæc omnia adponentur vobis. Et Simon: Indulge, inquit, mihi, nolenti primò iustitiam quærere, antequam sciam, an immortalis sit anima. Et Petrus: Et tu mihi hoc vnum indulge, quod non possim facere aliter, quàm me Propheta veritatis edocuit. Tum Simon: Certum est, inquit, non posse te adserere, quòd immortalis sit anima: & ob hoc cauillaris, sciens, quod si mortalis probetur, radicitus conuellatur religionis istius, quam conaris adserere, tota professio: & ideo laudo quidem prudentiam tuam, non tamen probo persuasionem: multis enim persuades suscipere religionem, & libidinis subire continentiam sub spe futurorum bonorum: quibus euenit, vt neque præsentibus perfruantur, & decipiantur futuris. Simul enim vt mortui fuerint, etiam anima pariter extinguetur.

F

Matth. 6.

Magus Petrum carpit, quòd doceat castitatem & moderationem à voluptatibus, cœlibatúmque. Quánam alia de causa nunc carpitur Ecclesia Catholica? Huic grauiter irascitur Apostolus, monstrans, & exprobans calumniosam ipsi impietatem, & inconstantiam suæ doctrinæ, id est, obiicit, Multos eum Deos asseruisse. 2. nullos. 3. supra verum Deum mundi opificem alium ignotum quendam esse. 4. Deum malum esse. 5. imbecillum. 6. Animas mortales. Indicat denique, quàm istiusmodi doctrina vitæ communi sit perniciosa futura.

G

Petrus verò hæc audiens, dentibus frendens, frontémque atterens manu, & profundo dolore suspirans, ait: Astutia serpentis antiqui, ad hominum decipiendas animas, armatus adsistis, & ideo, vt serpens sapientior cæteris bestiis ab initio doctorem te esse professus es. Et rursus, vt serpens multos introducere Deos volebas: super quo confutatus, nullum omninò nunc esse Deum. Nam per occasionem, nescio cuius ignoti Dei, conditorem mundi Deum negâsti: sed eum vel malum esse, vel multos habere sibi æquales: vel omninò, vt diximus, non esse Deum confirmabas. Post hæc, cùm etiam in hoc superatus fuisses, animam nunc adseueras esse mortalem: vti ne futurorum spe rectè iustéque viuatur. Nam vtique, si desperantur futura, quid non, nisi abscindatur misericordia? luxuriæ indulgeatur, & voluptatibus? Ex quibus omnem consurgere iniustitiam constat. Et cúm tantæ impietatis doctrinam, miseræ huic introducas mortalium vitæ, teipsum pium, me impium vocas: quasi qui homines non sinam sub spe futurorum bonorum arma corripere, & impugnare se inuicem: diripere ac subuertere vniuersa, & moliri omnia, quæ libido dictauerit. Et quis erit iste vitæ status, qui à te introducitur, vt pugnent homines, & impugnentur? vt irascantur, & perturbentur? & semper in metu viuant? Necesse est enim eos, qui aliis inferunt mala, etiam ipsos sperare similia. Vidéne te ducem perturbationis, & non pacis? iniquitatis & non æquitatis existere? Verùm ego, non quasi, qui ostendere non possim immortalem esse animam, simulaui iracundiam: sed misereor animarum hominum, quas tu decipere conaris. Dicam ergo, sed quasi te cogente: scio enim, quomodo dicam: & solus eris, qui de hoc non tam persuasione indigeas: quam commonitione, eos,

H

A

hoc qui verè ignorant, docebo, vt conuenit. Tum Simon: Si irasceris, inquit, non interrogabo, nec audire volo. Et Petrus: Tu, siquidem nunc occasionem quæris subterfugiendi, habes licentiam, & sine occasione cuiusquam. Omnes enim audierũt te nihil rectè dicentem, nec potuisse aliquid confirmare: sed ob hoc tantùm interrogasse, vt contradiceres: quod quiuis facere potest. Quid enim difficile est post euidentes adsertiones, respondere, nihil dixisti? Vt autem scias, quia possum tibi vno sermone ostendere, quod immortalis sit anima: interrogo te verbum, quod omnes nôrunt: responde mihi, & vno sermone immortalem esse comprobabo. Tum Simon, qui iam occasionem sibi visus fuerat inuenisse ex iracundia Petri, vt discederet: restitit, pro eo, quòd mirum ei aliquid promittebatur, & ait: Interroga me, vt tibi respondeam, quod omnes nôrunt, & audiam vno vt pollicitus es sermone, quomodo anima immortalis sit. Et Petrus. Dicam ita vt præ cæteris omnibus tibi magis probetur. Responde ergo mihi: * quid est, quod incredulum magis suadere potest, visus, an auditus? Et Simon: Visus. Tum Petrus: Quomodo ergo à me via discere verbo, quod tibi re ipsa probatur & visu? Et Simon: Nescio, inquit: quomodo dicas. Et Petrus: Si nescis, perge nunc in domum tuam: & ingressus interius cubiculum, videbis imaginem positam, continentem pueri violenter necati effigiem, purpurâ coopertam: ipsum interroga, & docebit te, vel responsione vel visu. Quid enim opus est audire ab eo, num immortalis sit anima, cùm adstare eam videas præsentem? Si enim non esset, nec videri vtique poterat. Quod si nescis, quam dico imaginem: hinc è vestigio cum aliis decem viris, ex his, qui præsentes sunt, eamus ad domum tuam. At Simon hæc audiens, & conscientiâ percussus, colore mutato, exanguis effectus est: extimuit enim, nè fortè, si negaret, perscrutaretur domus eius, aut, ne indignans Petrus manifestiùs eum proderet: & omnibus, quis esset, innotesceret: ita respondit: Obsecro te Petre, per illum bonum Deum, qui in te est, vt vincas malitiam, quæ in me est: suscipe me ad pœnitentiam, & habebis me adiutorem prædicationis tuæ. Nunc enim verè rebus ipsis didici, quia Dei veri Propheta es: & ideo secreta hominum solus, atque arcana cognoscis. Et Petrus ait: Videtis fratres, Simonem pœnitentiam quærentem? paulò pòst videbitis eum rursus ad infidelitatem suam reuerti. Putans enim me Prophetam esse, pro eo, quòd publicaui mala eius, quæ in secretis habebat & in occultis, pœnitentiam se acturum promisit: Me enim mentiri fas non est neque, vt infidelis hic saluetur, aut non saluetur, ego fallere debeo. Testor enim cœlum & terram, quia non propheticè dixi, quæ dixi: vel quæ, quantum possibile erat, turbis audientibus indicaui: sed à quibusdam, qui tunc ei socij fuerant in operibus suis, nunc autem conuersi sunt ad fidem nostram, quid ei in secreto gestum sit, didici: cognita ergo, non præcognita loquutus sum. Simon verò vt hæc audiuit, maledictis his & conuiciis agreditur Petrum, dicens: O nefandissime omnium, & dolosissime, cui victoriam fortuna, non veritas dedit. Verùm ego non pro penuriâ sciẽtiæ pœnitentiam petij: sed vt tu, putans me per pœnitentiam discipulum tuum fore, omnia secreta professionis tuæ concrederes mihi: vt ita demum te cunctis agnitis confutarem. Sed, vt callidus, intellexisti, quam ob causam pœnitudinem simulâssem: & acquieuisti, tanquam meum non intelligens dolum, vt priùs me apud populum exponeres, quasi imperitum: tum deinde præuidens, quod ego ita populo expositus, necesse habeo indignari, & confiteri, me non verè pœnitudinem gerere, præuenisti, vt diceres me ad infidelitatem meam post pœnitentiam regressurum, vt omni ex parte vicisse videreris: siue permanerem in pœnitentia quam professus fueram, siue non permanerem: vt tu sapiens crederetis, qui ista præuideris; ego autem deceptus viderer, quia tuum non præuidi dolum: tu verò meum præuidens, calliditate vsus circunscripsisti me. Sed vt dixi, fortunæ est, non veritatis ista victoria: Scio tamen, Cur ego ista non præuiderim:

** hoc est, quid sit, quod incredulo magis fidem facere possit.*

B

C

Mentiendum non est in gratiam proximi.

Simulata pœnitentia.

D

Simonis Magi.

quia adstans loquutus sum tibi per bonitatem meam, & patienter egi tecum: Nunc autem tibi ostendam diuinitatis meæ potentiam, vt repentè procidas, & adores me. Ego sum prima virtus, qui semper & sine initio sum. Ingressus autem vterum Rachel, natus sum vt homo ex ea, quò ab hominibus videri possem: Ego per aërem volaui: igni commixtus vnum corpus effectus sum: statuas moueri feci: animaui exanima: lapides panes feci: de monte in montem volaui: transmeaui: manibus Angelorum sustentatus ad terras descendi. Hæc non solùm feci, sed & nunc facere possum, vt rebus ipsis probem omnibus, quia ego sum filius Dei, stans in æternum, & credentes mihi, similiter stare in perpetuum faciam. Tua autem verba vana sunt omnia: nec vllum potes opus ostendere veritatis: sicut & ille, qui misit te Magus, qui nec seipsum potuit liberare de crucis pœna. His dictis à Simone, Petrus respondit: Ne agas aliena, tu enim, quod sis Magus, ex ipsis, quæ gessisti, confessus es, & manifestatus. Noster autem magister, qui est filius Dei & hominis, manifestè bonus est. Quod autem verè sit filius Dei, quibus oportuit, dictum est, & dicetur. Tu autem si non vis confiteri, quod Magus es, cum omni hac turba pergamus ad domum tuam, & tunc apparebit, vter sit magus. Hæc autem Petro dicente, Simon blasphemiis & maledictis agere cœpit, vt seditione factâ, perturbatis omnibus, argui non posset, & Petrus, quasi blasphemiæ causâ secedens, victus videretur. Sed perstitit, & arguere eum vehementiùs cœpit. Tunc populus indignatus, Simonem atrio eiectum, extra ianuam domus pepulit: eumque depulsum, vnus sequutus est solus. Facto autem silentio, Petrus adloqui populum hoc modo cœpit: Patienter, fratres, malos ferre debetis: scientes, quia Deus, cùm possit eos excidere, patitur tamen durare vsque ad præstitutam diem: in qua de omnibus iudicium fiet? Quomodo ergo nos non patiemur, quos patitur Deus? Cur autem non forti animo illatas ab eis toleramus iniurias: cùm suas ille, qui potest omnia, non vlciscatur? vt & ipsius bonitas, & malorum noscatur impietas: Verùm, si non inuenisset Simonem malignus ministrum sibi, inuenisset alium sine dubio. Necesse est enim, sæculo huic venire scandala: væ tamen illi, per quem veniunt. Et ideò magis deflendus est Simon, quòd vas electionis factus est maligno: quod vtique non fuisset, nisi potestatem in eum pro peccatis prioribus accepisset. Nam inde qui dicam, quòd & Iesu nostro crediderat: & quòd immortales esse animas sibi ipse persuasit? Quamuis in eo ludatur à Dæmonibus, tamen persuasit sibi, quod pueri violenter necati habeat animam ministrantem sibi, ad quæcunque voluerit: in quo verè, vt dixi, à dæmonibus illuditur; & ideò ego secundum ea, quæ ipsi videbantur, loquutus sum ad eum: nam & a Iudæis didicit, quia sit iudicium, & vltio proferenda aduersum eos, qui contra veram fidem veniunt, nec pœnitudinem gerunt; sed isti sunt, quibus malignus, tanquam perfectis in sceleribus, apparet, vt decipiat eos, ne aliquando ad pœnitentiam conuertantur. Vos ergo, quia ad Dominum conuertimini per pœnitentiam, curuate ei genua. Hæc cùm dixisset, omnis multitudo genua flexit Deo. Et Petrus respiciens ad cœlum, cum lachrymis orabat super eos, vt Deus pro sua bonitate suscipere eos dignaretur, confugientes ad se. Et postquàm orauit, & præcepit, vt postera die matutiùs conuenirent, multitudinem missam fecit. Tùm deinde, secundum consuetudinem, cibo sumpto, quieuimus. Igitur Petrus solita noctis hora consurgens, inuenit nos vigilantes: & cùm ex more salutans consedisset, primus Niceta ait: Si permittis, mi Domine Petre, habeo, quod rogem. Et Petrus. Permitto, inquit, non solùm tibi, sed & omnibus: & non solùm modò, sed & semper, vt vnusquisque quod eum mouet, & partem, quam dolet in animo, fateatur: vt possit consequi medicinam. Quæ enim silentio conteguntur, nec innotescunt nobis, velut multi temporis vitia difficilè curantur: & ideo, quoniam tacentibus non facilè potest medela opportuni & necessarij sermonis adhiberi, proferre debet vnusquisque,

E

Vide principiũ libri 2. suprà. Magi de se falsissima professio.

IESVS. θεάνθρωπος.

F

Simon desertus ab omnibus eycitur ex atrio. Petri mansuetu

G

oratio ad turbam. Mat. 18, 12.

Credidisse aliquando Christo Simonẽ, ex actis constat Apostolorũ, cap 8.

H

III. dies huius libri. Petri facilitas.

A

in quo animus per ignorantiam languet: tacenti verò dare remedium, solius est Dei: possumus autem & nos, sed circuitu multi temporis. Necesse est enim, vt sermo doctrinæ ab initio per ordinem currens, & singulis quibusque quæstionibus obuians cuncta aperiat, & cuncta dissoluat: & perueniat etiam ad hoc, quod vnusquisque in animo suo requirit: sed hoc, vt dixi, per multum tempus fieri potest. Nunc autem, quod desideras, roga. Et Niceta ait: Vberes tibi gratias ago, ô Clementissime Petre, verùm hoc est, quod dicere cupio: Cur Simon, qui aduersatur, facere tanta hæc, & talia potuit? Non enim mentitus est aliquid ex his, quæ se fecisse professus est. Adhæc beatus Petrus ita respondit: Deus, qui vnus & verus est, primo germini suo amicos bonos & fideles instituit præparare: sciens autem, quia boni esse non possunt, nisi habeant in potestate sensum, quo fiant boni: vt ex suo proposito hoc sint, quod volunt: alióqui non possunt esse verè boni, si non proposito sed necessitate tenerentur in bono: potestatem dedit vnicuique arbitrij sui, vt hoc esse possit, quod vult. Et rursum præuidens, quia ista potestas arbitrij, alios quidem faceret eligere bona, alios verò mala: & per hoc in duos ordines necessariò propagandum esset hominum genus: vnicuique ordini concessit & locum, & Regem, quem vellet, eligere: bonus enim rex, bonis gaudet; & malignus, malis. Et quamuis hæc tibi, ô Clemens, in hoc tractatu, quem de præfinitione & fine disserueram, plenius exposuerim: tamen & nunc requirenti Nicetæ manifestare me conuenit: quæ sit ratio, cur Simon, qui contra Deum sentit, tanta facere mirabilia potuit. Igitur primò omnium, malus esse iudicatur apud Deum is, qui requirere non vult, quod sibi expedit: Quomodo enim talis iste alium diliget, qui semetipsum non diligit? Aut cui non iste inimicus erit, qui sibiipsi amicus esse non potuit? Vt ergo distinguerentur, qui bona, & qui eligunt mala: Deus, quod vtile est, occultauit hominibus: id est possessionem regni cælorum, eamque velut thesaurum secretum reposuit & abscondit, vt ad eam non facilè quis possit virtute, & scientiâ peruenire propriâ: famam tamen eius, diuersis nominibus & opinionibus, per generationes singulas ad omnium perduxit auditum: vt, si qui fortè essent amatores boni, audientes, quod sibi esset vtile & salutare, requirerent, & inuenirent: Requirerent autem non à semetipsis, sed ab eo, qui occultauit: darique sibi accedendi aditum, & viam scientiæ precarentur, quæ illis solis panditur, qui eam super omnia mundi huius diligerent bona. Nec alio quis pacto vel intelligere eam possit, etiamsi prudentissimus videretur. Hi verò, qui neglexissent, quod sibi vtile & salutare esset, inquirere, tanquàm seipsos odio habentes, & sibimetipsis inimici, fraudarentur eius bonis, velut qui diligerent mala. Oportet ergo bonos diligere eam super omnia, id est, super diuitias, gloriam, requiem, parentes, propinquos, amicos, & omne, quod in hoc mundo est: Qui verò perfectè diligit possessionem hanc regni cælorum, abiiciet sine dubio omnem malæ consuetudinis vsum, negligentiam, desidiam, malitiam, iram, cunctaque his similia. Nam si quid horum prætuleris ei, tanquam qui plùs dilexeris propriæ libidinis vitia, quàm Deum, ad possessionem regni cœlestis peruenire non poteris: quia & verè stultum est, aliquid plùs amare, quàm Deum. Siue enim parentes sunt, moriuntur: siue propinqui, non permanent: siue amici mutantur. Solus est autem Deus æternus, & indemutabilis parens. Qui ergo non vult inquirere, quod sibi vtile est: malus est, in tantum, vt malitiâ suâ ipsum impietatis principem superet. Ille enim bonitate Dei abutitur ad propositum malitiæ suæ: & sibi placet: Hic aũt salutis suæ bona negligit, vt perditione sui malo placeat. Propter hos ergo, qui salutis suæ neglectu placent malo: & eos qui studio vtilitatis suæ placere cupiunt bono: paria quædam ad tentationem præsenti huic seculo statuta sunt decem secundum numerum decem plagarum, quæ illatæ sunt Ægypto. Cum enim Moyses secundum præceptum Dei peteret à Pharaone, vt emitteret populum: & ad testimonium cælestis imperij signa ostenderet, proiectam in terram virgam: conuersa est in serpentem. Cumque ob hæc Pharao non vellet adquiescere, vt potè habens arbitrij libertatem: rursum Magi similia signa facere visi sunt, permittente Deo: vt propositum Regis probaretur ex arbitrij libertate, si magis crederet signis Moysi, qui à Deo missus est, quàm his, quæ Magi videbantur potiùs facere, quam faciebant: quos ipso vtique nomine intelligere debuerat, non esse operarios veritatis: quòd non à Deo missi, sed Magi appellabantur: sicut & ratio indicat. Denique vsque ad aliquem locum visi sunt habere certamen, & Post hæc confessi de se, cessere meliori. Inducitur ergo plaga vltima, interitus primitiuorum: & tunc Moyses iubetur populum conspersione sanguinis consecrare, atque ita magnâ cum prece, oblatis etiam muneribus, cum populo rogatur abscedere: Simili ergo modo etiam nunc per me video geri. Sicut enim tunc Moyse hortante Regem, vt crederet Deo, obsistebant Magi, quasi ostentatione similium signorum: & à salute incredulos prohibebant: ita & nunc, cùm ego exierim docere omnes gentes, vt credant vero Deo, Simon Magus resistit, eadem agens aduersum me, quæ & illi tunc egerunt aduersum Moysen vt si qui sunt ex gentibus, qui non recto iudicio vtuntur, appareant: saluentur autem, qui signorum rectum discrimen habuerint. Hæc dicente Petro Niceta respondit: Obsecro te, vt si quid ad memoriam venit, permittas mihi proferre. Tum Petrus delectatus super studio discipulorum: Dic, inquit, quod vis. Et Niceta ait: Quid peccauêre Ægyptij, si non crediderũt Moysi, cùm & Magi similia signa fecerint, etiamsi viderentur potiùs fieri, quam veritate fierent? Nam & si ego fuissem tunc, ex eo, quod magi similia faciebant, nonne aut Moysen Magum credidissem? aut Magos, quæ ostendebant, diuinitus facere putassem? quia non mihi verisimile videretur, licet per phantasiam, eadem tamen effici à Magis posse, quæ ille, qui à Deo missus est, perpetrabat. Et nunc ergo, quid peccant hi, qui Simoni credunt? cùm videant eum tanta facere mirabilia? Aut non est mirabile per aerem volare? igni admixtum, vnum corpus effici? facere statuas ingredi? canes æreos latrare? & alia his similia, quæ vtique discretionem nescientibus, satis mira sunt. Sed & de lapidibus visus est panes facere. Quod si peccat, qui signa facientibus credit: quomodo non peccasse videbitur & is, qui Domino nostro pro signis & virtutibus credidit? Et Petrus ait: Libenter accipio, quod de veritate ad amussim requiris: & impedimenta fidei in anima tua latere non pateris: vnde & medelam consequi facile potes. Meministi, quod peius omnium esse dixi, cùm quis negligit, quod sibi expedit discere? Et Niceta respondit: Memini. Petrus Et rursum, quod Deus occultauit veritatem suam, vt eam his, qui se fideliter, sectantur, aperiat? Et Niceta: Ne hoc quidem oblitus sum. Tum Petrus: Quid ergo putas, quia in terram defossam absconderit Deus veritatem: & montes ei superposuerit, vt ab his, qui in profundum fodere valent, tantummodo inueniri possit? Non ita est, sed sicut montes & terram cæli ambitu circumdedit, ita & veritatem charitatis suæ velamine contexit, vt ille ad eam solus peruenire possit, qui prius ianuam dilectionis diuinæ pulsauerit. Etenim, quod priùs dicere cœperam, paria quædam huic mundo destinâsse Deum: ille qui primus ex paribus venit, à malo est: qui secundus, à bono. In quo vnicuique hominum iusti occasio iudicij datur: siue simplex ille sit, siue prudens. Nam si simplex est, & crediderit illi, qui primus venit; signis enim & prodigiis motus, necesse est eadem ratione, vt etiam illi, qui secundò venerit, credat: signis enim & prodigiis suadebitur, & nunc, sicut prius. Dum verò crediderit huic secundo, discet ab eo, quòd primo illi, qui à malo venit, credere non debeat: & ita prioris error secundi emendatione corrigitur. Si verò, quia primò credidit, secundum recipere noluerit meritò vt iniustus condemnabitur: iniustum enim est, vt cùm primo propter signa crediderit, secundò eadem aut etiam potiora ferenti signa, non credat.

Prima Nicetæ quæstio. Cur Deus tãta Mago permittat? Petri docta explicatio. Duo ordines hominũ.

B

Rex bonorum Christus, malorũ diabolus.

Clemens dictante Petro librũ conscripsit de Præfinitione Dei, is nunc nõ extat. Vnde requirenda veritas.

C

D

Decẽ paria ad numerũ decẽ plagarũ constituta. Exod. 7.

E

Vide Philonem, 1. lib. de vita Moysis.

Exod. 12.

F

Altera Nicetæ quæstio cur signa faciant, ut Magis Ægyptij potius, quam Mosi credi derint.

G

Pro signis id est, propter signa. Impedimenta fidei. dubitationes. Platonicum nam hoc Plato eodẽ modo de dialectica scripsit.

H

Paria quædam mundi.

Psal. 83. Ibunt de virtute in virtutem.

Si verò credidit primo, consequens est, vt vel in secundo moueatur ad credendum. Neque enim in tantum animo stertit, vt ingeminatis mirabilibus non valeat suscitari. Si verò prudens est, discretionem potest capere signorum. Et si quidem primo credidit, augmentis virtutum mouebitur ad secundum: & ex comparatione, quæ sint potiora, deprehendet: quamuis manifesta habeantur indicia apud eruditos quosque sicut per ordinis consequentiam demonstrauimus. Si verò, tanquam sanus quis, & qui medico non indigeat, non commotus ad primum, rei ipsius perseuerantiâ suscitabitur ad secundum: distinctionemque signorum & mirabilium faciet, in hunc modum. Ille, qui à malo est, signa quæ facit, nulli prosunt? illa verò quæ facit bonus, hominibus prosunt. Nam, dic quæso, quæ vtilitas est ostendere statuas ambulantes? Latrare æreos aut lapideos canes? salire montes? volare per aërem? & alia his similia, quæ dicitis fecisse Simonem. Quæ autem à bono sunt, ad hominum salutem deferuntur, vt sunt illa, quæ fecit Dominus noster, qui fecit cæcos videre: fecit surdos audire: debiles, claudos erexit: languores & dæmones effugauit: mortuos fecit resurgere: & alia his similia, quæ etiam per me fieri videtis. Ista ergo signa, quæ ad salutem hominum prosunt, & aliquid boni hominibus conferunt, malignus facere non potest nisi in fine mundi tantum. Tunc enim admiscere ei conceditur aliqua etiam de dextris signis, id est, vt vel dæmones fuget, vel ægritudines sanet: & propter hoc, tanquam qui excesserit terminos suos, & in semetipsum diuisus sit, ac semetipsum impugnauerit, destruetur. Et propterea Dominus prædixit, in nouissimis temporibus tentationem futuram talem, in qua decipiantur, si fieri potest, etiam electi confusis scilicet indiciis signorum, perturbari necesse est etiam eos, qui in discernendis spiritibus, ac distinguendis virtutibus videntur eruditi. Decem ergo, quæ diximus, paria, huic mundo destinata sunt ab initio seculi: Cain & Abel, vnum fuit par. Secundum vero, Gigantium, & Noë. Tertium Pharaonis & Abraham. Quartum Philistinorum & Isaac. Quintum, Esau & Iacob. Sextum, Magorum & legislatoris Moysi: Septimum, tentatoris & filij hominis. Octauum, Simonis & meum, Petri. Nonum, omnium gentium, & illius, qui mittetur seminare verbum inter gentes. Decimum Antichristi & Christi: de quibus paribus aliâs vobis per singula latius exponemus. Et cùm hæc diceret Petrus. Aquila ait: Vere assiduâ doctrinâ opus est, vt de singulis possit quis scite rationem. At Pet. Quis est, qui assiduus sit erga doctrinam, & studiose singula quæque perquirat? nisi, qui animam suam diligit ad salutem, & omnibus renunciat huius mundi negociis, vt soli verbo Dei vacet: quem solum prudentem iudicat verus Propheta, vendentem omnia, quæ sua sunt? & ementem vnam veram Margaritam; & intelligentem, quæ sit differentia à temporalibus ad æterna: paruis ad magna: hominibus ad Deum. Intelligit enim, quæ sit æterna spes apud verum & bonum Deum. Quis autem est, qui diligit Deum, nisi qui sapientiam eius cognouit? quomodo autem quis agnoscere poterit sapientiam Dei, nisi assiduus sit ad audiendum verbum eius? ex quo accidit, vt amorem eius concipiat, & digno eum honore veneretur: hymnis & orationibus ad eum fusis, & in his libentissimè requiescens, summumque deputans detrimentum, si quando aliquid aliud vel ad momentum temporis loquatur, aut agat: quia reuera nec potest anima, quæ Dei amore repleta est, aliud aliquid intueri: nisi, quod ad Deum pertinet: nec satiari potest præ amore eius ea, quæ ipsi scit esse placita, meditando. Hi verò, qui effectum eius minimè concepere, nec illuminatam charitatem eius gerunt mente, velut in tenebris positi, lucem videre non possunt. Et ideo etiam priùs, quam incipiant requirere de Deo quasi labore oppressi, statim deficiunt: ac tædio repleti continuò à propria consuetudine rapiuntur ad ea verba, quibus delectantur. Nam de Deo audire aliquid, talibus tædiosum est & molestum: pro eo, vt dixi, quia mens eorum nullam dulcedinem diuinæ charitatis accepit. Hæc Petro dicente, dies exortus est: & ecce veniens quidam ex discipulis Simonis clamabat, dicens: Obsecro te Petre, suscipe me miserum, à Mago Simone deceptum: cui ego velut cœlesti Deo intendebam ob illa, quæ ab eo fieri mirabilia videbam: Auditis tamen sermonibus tuis, cœpit iam mihi homo videri: & quidem malus. Veruntamen cùm hinc exiret, ego eum subsequutus sum solus, nondum enim ad liquidum impietates eius agnoueram. Cùm autem vidisset me subsequentem, beatum me dicens, perduxit ad domum suam: circa medium verò noctis ait ad me: Omnium te hominum faciam meliorem, si volueris vsque ad finem perseuerare mecum: cui cùm promisissem, exigit à me iuramentum perseuerantiæ: eoque accepto, imposuit super humeros meos polluta quædam & exectabilia secreta sua, vt portarem: & sequi me iussit. Vbi verò ventum est ad mare, nauigium, quod fortè aderat, ingressus, id à ceruicibus meis, quod portare me iusserat sumpsit. Et paulò post egressus, nihil extulit: certum, quod in mare id iecerat: rogabat autem me, vt cum ipso proficiscerer, deinceps se Romam petere: ibi enim in tantum placiturum, vt Deus putetur: & diuinis publicè donetur honoribus* Tunc, inquit, te omnibus diuitiis repletum, si huc redire placuerit, & pluribus fultum ministeriis, mittam. Hæc ego audiens, & nihil in eo, secundum banc professionem videns: sed Magum & deceptorem esse intelligens, respondi: Quæso te, ignosce mihi, quia pedibus doleo: & propterea exire à Cæsares non valeo: præterea est mihi vxor: sunt paruuli liberi: quos relinquere omnino non possum. At ille hæc audiens, & ignauiæ me incusans, profectus est contra Doram, dicens: Cùm audieris, quanta mihi gloria erit in vrbe Roma, pœnitebit te.

Annosse ad quam prodigia exigere conueniit, an ex Deo sint.

Signa diaboli qualia.

Matth. 24.

Decem paria totius mūdi collata inter se.

Gen. 4. Gen. 6. 7.

Matth. 19. 13.

Nemo diligit Deū, nisi qui sapientiā eius cognouerit.

Hactenus de ante Lucanis

quæstionibus dicēturij.

Simon artis suæ mysteria in mare proiecit.

** Factum hoc, suprà in librum 2. annotatum est ex Iustino Martyre.*

Simon Romam proficiscitur.

Quæ sit Dora, vide initio quarti libri. Et Egesippum. lib. 1. de excidio vrbis Hierosol. cap. 35. quo loco notatur Cæsaream Stratonis sitam fuisse inter Ioppen, quæ nimirum ad meridiem mari adiacet Syriaco: & Doram, quæ eidem imminet versus aquilonem, ambas maritimas.

Et post hæc ipse quidem, vt aiebat Romam petit: ego autem confestim redij huc, orans, vt me suscipias ad pœnitentiam, quia ab eo deceptus sum. Cùm hæc dixisset is, qui à Simone egressus est, iussit eum Petrus in atrio residere. Procedens autem ipse, & turbas plurimas videns multò plures, quam superioribus diebus, stetit in loco solito: & ostendens eum, qui à Simone venerat, sermonem facere hoc modo cœpit. Iste, fratres, quem ostendo vobis, paulo antè venit ad me, de Simonis mihi malis artibus nuncians: quomodo ipsam sceleris sui officinam proiecerit in profundum: non, quasi pœnitentia ductus: sed metuens, ne deprehensus publicis legibus subiaceret. Rogabat autem bunc, vt dicit, munera immensa pollicens, secum manere. Cui cùm persuadere minimè potuisset, tanquam ignauum increpans, derelinquit: ipse verò Romam petens. Cumque hæc Petrus indicasset turbis, ipse qui regressus à Simone fuerat, publicè stans, singula quæque cœpit populo exponere de sceleribus Simonis. Et cùm grauiter ferrent de his, quæ audiebant per artes magicas gesta à Simone, ait Pet. Nolite fratres grauiter ferre de his, quæ transacta sunt: sed obseruate de futuris: quæ enim transierunt, iam finita sunt: quæ verò imminent, periculosa sunt his, qui incurrerint: scandala enim nunquam deërunt huic mundo, donec permittitur inimico agere pro voluntate sua: vt prudentes quique & intelligentes astutias eius, suscitatos sibi ab eo superent agones. Hi verò, qui negligunt discere, quæ ad salutem pertinent animæ suæ, iustis ab eo deceptionibus capiantur. Quia ergo, vt ipsi audistis, Simon egressus est: aures gentilium, qui ad salutem vocati sunt, præuenire necesse est: & me vestigia insequi: vt, si quid fortè ab illo dissipatum fuerit, corrigatur à nobis. Sed quoniam iustum est de vobis maiorem solicitudinem geri, qui iam intra muros vitæ continemini quia, quod adquisitum est si pereat, damnum infert: quod autem nondum, si quidem inueniri potuerit, lucrum est: si minus, hoc solùm damni est, quod lucrum factum non est.

Matth. 18.

Mala præterita bona consulenda.

Igitur cùm ex singulis ciuitatibus studiosè quique comitarentur Petrum, electorum multitudo plurima ingredimur Tripolim. Continuò autem ante portas ciuitatis, fratres, qui præmissi fuerant, occurrunt: & suscipientes nos abducunt per hospitia, quæ præparauerant. Commotio autem & concursus plurimus fiebat in ciuitate, desiderantium videre Petrum. Et cùm venissemus ad domum Maronis, in qua Petro fuerat præparatum: conuersus ad turbas, post diem crastinum, sermonem se ad eos promisit facturum. Igitur qui præmissi fuerant, fratres omnibus, qui nobiscum venerant, hospitia diuidunt. Petrus verò Maronis domum ingressus, cùm rogaretur cibum sumere, nequaquam se facturum respondit: nisi prius scisset, si omnes, qui eum fuerant comitati, hospitiis requiescerent. Comperit autem à fratribus, qui præmissi sunt, quia à ciuibus, pro desiderio, quod erga Petrum conceperant, non solùm hospitiis, sed & omni humanitate suscepti sint: in tantùm, vt & contristarentur aliquanti, quibus defuêre, quos susciperent: Ita enim omnes paratos fuisse, vt si multò plures venissent, adhuc tamen suscipiendos magis, quam suscipientes fuisse defuturos. Super his Petrus valde delectatus, collaudauit, & benedixit eos: ac secum manere iussit: ipse verò, cùm lauisset in mari, cibo sumpto, quieuit in vespera.

Petri pro suis sollicitudo.

Initio nascentis ecclesiæ, sic proferebatur Euangelij doctrina: vt legis quoque obseruatio non interdiceretur. Nam debes tibi ab Ebionis cauere hæresi, qui corporis lotionem ad animi purgationem permultum facere putauit. Porro Ebionis & Eunomij erroribus contaminatos esse plerisque locis hos libros, fatetur Rufinus interpres, & Epiphanius Cyprius. Locos vide supra, in Iudicio nostro.

Et ex more, pullorum cantibus surgens, vespertino adhuc lumine perdurante, cunctos inuenit vigilantes: eramus autem omnes cum eo sedecim, Petrus & ego Clemens: Niceta & Aquila: & illi, qui præcesseraot, duodecim. Salutans itaque, vt solebat, Petrus ait: Hodie, quia aliis occupati non sumus, nobis simus. Et ego quidem vobis, quæ apud Cæsaream, post digressum vestrum gesta sunt, enarrabo. Vos autem mihi, quæ hîc à Simone perpetrata sunt, indicate. Et cùm de his ab alterutro sermo cederetur, illucescente die, ingressi quidam de familiaribus, nuntiant Petro: quod Simon, vbi eum didicisset ingressum, per noctem profectus esset in Syriam tendens. Turbæ autem diem hanc, inquiunt, quam interposuisti eis, desiderio tui longissimum sibi esse tempus opinantur: denique non ferentes, stant ante ianuam, inter se inuicem de his, quæ audire cupiunt, conferentes: & te ante præfinitum tempus omnimodis se visuros sperant: quantóque magis dies clarescit, multitudines colliguntur: & audituros se sermonem tuum, nescio vnde præsumentes, certissimè confidunt. Nunc ergo, quod tibi videtur, iube, vt dicamus eis: absurdum namque est, tantam multitudinem conuenisse, & discedere cum mœstitia, quippe si responsa eis nulla reddantur: Non enim cogitabunt, quod ipsi statutum non exspectauerint diem: sed quòd à te magis videantur esse contempti. Tum Petrus admirans ait: Videtis fratres, quomodo vnusquisque sermo Domini prophetìcè dictus, impletur? Memini enim dixisse eum: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt eiiciat operarios in messem suam. Ecce ergo nunc, quæ in mysterio prædicta sunt, adimplentur. Sed & quod dixit: multi venient ab oriente, & occidente, à septentrione, & meridie: & recumbent in finibus Abraham, & Isaac, & Iacob: etiam hoc pariter, vt videtis expletur. Propter quod deprecor vos conseruos & adiutores meos, vt discatis attentiùs prædicandi ordinem, & solutionum vias: vt possitis saluare animas hominum, quæ occulta Dei virtute, quem debeant diligere, priùs etiam quam doceantur, agnoscunt. Videtis enim eos, quasi bonos seruos desiderare eum, quem sibi sperant aduentum sui Domini nunciare: vt possint voluntatem eius, quam didicerint, implere. Desiderium ergo audiendi verbi Dei, & voluntatem eius quærendi, ex Deo habent: & hoc est initium doni Dei quod gentibus datur, vt possint per hoc doctrinam recipere veritatis. Sic enim & Hebræorum populo ex initio datum est, vt diligerent Moysen, & crederent verbo eius. Quod ergo fuit proprij muneris à Deo erga Hebræorum gentem, hoc nunc videmus dari etiam his, qui ex gentibus conuocantur ad fidem. Operum verò ratio, potestati & arbitrio vniuscuiusque permittitur: & hoc ipsorum est proprium, hoc à patre cœlesti donatum est, vt voluntatem eius, cuius amorem & desiderium, Deo largiente, conceperis, facias: ne dicatur ad te ille sermo eius, quem dixit: Quid autem dicitis mihi, Domine Domine, & non facitis, quæ dico? Est ergo proprij muneris à Deo concessi Hebræis, vt Moysi credant: gentibus autem, vt Iesum diligant. Hoc enim indicabat & magister, vbi ait: Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quia occultasti hæc à sapientibus & prudentibus & reuelasti ea paruulis; per quod vtique declaratur, quia Hebræorum populus, qui ex lege eruditus est, ignorauit eum. Populus autem gentium agnouit Iesum, & veneratur: propter quod & saluabitur, non solùm agnoscens eum: sed & voluntatem eius faciens. Debet autem is, qui ex gentibus est, & ex Deo habet, vt diligat Iesum: proprij habere propositi, vt credat & Moysi. Et rursus Hebræus, qui ex Deo habet, vt credat Moysi: habere debet, & ex proposito suo vt credat in Iesum, vt vnusquisque eorum, habens in se aliud diuini muneris, aliud propriæ industriæ, sit ex vtroque perfectus. De tali enim dicebat Dominus noster viro diuite, qui profert de thesauris noua & vetera. Sed de his satis dictum, vrget enim tempus: & populi religiosa deuotio inuitat nos, ad ipsos facere sermonem. Et cùm hæc dixisset, requirebat, vbi oportunus esset locus ad disputandum. Et Maro ait: Est mihi ædes amplissima, quæ plus quam quingentos recipiat viros: est & hortus intra domum: aut si in publico aliquo placet loco, hoc magis omnes desiderant, nemo enim est, qui non cupiat vel faciem tuam videre tantùm. Et Petrus: Ostende mihi, inquit, ædem, vel hortum. Et cùm vidisset ædem, ingrediebatur, vt & hortum perspiceret: & subitò omnis multitudo, quasi ab aliquo euocata, cum festinatione ingressa est domum: atque inde ad hortum prorupit, vbi iam stabat Petrus, considerans, quis esset aptus ad disputandum locus. Vt autem vidit turbas, velut ingentis fluuij inundasse lenem meatum: ascendens super basim quandam, quæ fortè iuxta horti parietem stabat, primò, religionis more, populum salutauit: quidam autem ex his, qui aderant, & multo tempore à dæmonibus fuerant fatigati, in terram proruunt: obsecrantibus spiritibus immundis, vt vel vno die indulgeretur eis in obsessis corporibus permanere: quos Petrus increpans, iussit abscedere: & sine mora discesserunt. Post hos alij longis affecti languoribus, rogabant Petrum, vt reciperent sanitatem, pro quibus se supplicaturum Domino pollicetur, cum priùs sermo doctrinæ fuisset expletus. Sed statim vt promisit, languoribus resoluti sunt, & iussit eos seorsim residere cum his, qui à dæmonibus fuerant curati, quasi post laboris fatigationem. Interea dum hæc aguntur, plurima multitudo conuenit, quos non solùm desiderium Petri, sed & sanitatum, quæ perpetratæ fuerant, fama pertraxerat. At Petrus manu quiescere populum docens, & turbas in tranquillitate componens, hoc modo fecit exordium,

Simon reformidans Petri conspectum delabitur in Syriã.

Matth. 9. Matth. 8.

Proprium Hebræorum munus factum est & gentil.

bus commune.

Liberum arbitriũ.

Matth. 7. Matth. 11.

Saluantur, non qui agnouerint Deum: sed qui voluntatem eius fecerint.

Matth. 13.

Oratio Petri, eruditissima atque elegantissima adeoque feruentissimo ipsius spiritu referta, qua ab idolis ad veram in vnum Deum & Christum fidem, efficacissimis variisque argumentis hortatur Tripolitanos.

Incipienti de vero Dei cultu facere sermonem, necessarium mihi videtur, eos qui nondum de hoc aliquid scientiæ consequuti sunt, primò omnium docere, per omnia inculpabilem ponendam esse diuinam prouidentiam: per quam mundus regitur & gubernatur. Hunc autem nobis exordij titulum dedit præsentis operis ratio: & eorum, quos Dei virtus sanauit, occasio: vt ostendamus, quòd recta ratione quàmplurimi à diuersis dæmonibus obtinentur, vt per hoc appareat iustitia Dei. Inuenietur enim omnium penè malorum mater, esse

Principiũ Christianismi est, credere prouidentiam diuinam, eamque inculpabilem.

ignorantia.

A

ignorantia. Sed iam veniamus ad causam. Deus cùm fecisset hominem ad imaginem & similitudinem suam, operi suo spiramen quoddam, & odorem suæ diuinitatis inseruit, vt per hoc participes facti mortales vnigeniti eius: per ipsum etiam, amici Dei & filij adoptionis existerent: vnde & qua via id possint adipisci, ipse eos, vt Propheta verus edocuit: sciens, quibus actibus hominum delectaretur pater. Vnus itaque apud homines tunc Dei cultus erat, mens pura & spiritus incorruptus: Et ob hoc, omnis creatura humano generi fœdus inuiolabile conseruabat. Ob reuerentiam namque creatoris, nulla ægritudo in eos, nullum vitium corporis, nulla ciborum dominata corruptio est: ex quo fiebat, vt mille annorum ætas in fragilitatem non incideret senectutis.

Præcipuus cultus Dei consistit in mente pura.

Sed, vbi vita laboris expers, bonorum perseuerantiam non putauit diuina largitione, sed rerum sorte concessam: & sine vllo sudore diuinæ amœnitatis delitiis perfrui, naturæ debitum: & non Dei bonitatis munus accepit: in contrarias, per hæc homines & impias cogitationes, ocio docente, perueniunt: putantes, Deorum sibi vitam, nullis laboribus nullisque meritis natam. Hinc proficiunt in deterius, vt neque prouidentia Dei mundum regi credant, neque virtutibus esse aliquem locum: quandoquidem semetipsos sciant nullis priùs bonis operibus adsignatis, ocij ac deliciarum summam * tenere: & amicos Dei absque vllis laboribus * haberi. Iustissimo itaque Dei iudicio, in huiusmodi cogitationum vanitate languentibus, labores & adflictiones pro remedio conferuntur. Vbi ergo adfuit labor ac tribulatio, deliciarum & amœnitatis exclusi sunt loco. Terra autem cœpit nihil eis sine labore producere: & tunc conuersa in hominibus cogitatio creatoris sui requirere commonetur auxilium, & orationibus ac votis præsidia inuitare diuina. Et ita factum est, vt cultum Dei, quem pro bonis neglexerant, recuperarent pro malis: & cogitationes in Deum, quas peruerterat indulgentia, emendaret adflictio. Sic ergo diuina prouidentia hoc esse vtilius hominibus videns, vias benignitatis & abundantiæ, tanquam quæ læderent, subtrahit ab hominibus: & vexationis iter ac tribulationis inducit. Sed vt ostenderet, quia hæc pro ingratis agerentur: vnum quendam ex illis, qui primitus cœperant esse mortales, quod eum gratiæ suæ non immemorem vidit, & quia sperauit inuocare nomen Domini, ad immortales transtulit.

B

** tenuisse. * habitos fuisse.*

Afflictiones dantur aliquando pro remedio.

C

Noë Genes. 6.

(De Enos, Genes. 4. Moses testatur, iuxta 70. οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα κυρίου θεοῦ. Atque hanc lectionem citat Clemens, & quia sperauit inuocare nomen domini. Verùm hic intelligendum est, de Enocho. Vide Genes. 5.

Cæteris, qui in tantum ingrati extitere, vt nec laboribus & tribulationibus emendari & corrigi possint, grauissima morte damnatis. Inuenit tamen & inter ipsos vnum quendam cum domo sua iustum, quem reseruaret: præcepto ei dato, vt fabricaret arcam, & in ea, (cum diluuio cuncta necarentur:) ipse cum his, quibus præceptum fuerat, posset euadere: quò impiis inundatione aquarum peremptis, purificationem mundus acciperet: & is, qui ad prosperitatem generis fuerat reseruatus, per aquam mundus effectus, mundum denuo repararet. Sed his omnibus gestis, rursus homines ad impietatem vertuntur: & propter hoc à Deo ponitur lex, quæ viuendi modum doceret: sed processu temporis, Dei quidem cultus & iustitia, ab infidelibus & impiis corrumpitur: sicut paulò pòst apertiùs ostendemus: peruersæ autem & erraticæ religiones introducuntur: quibus se plurima pars hominum per occasionem feriarum, & solennitatum dederunt: potus instaurantes, & conuiuia, tibiasque ac fistulas, & citharas, ac diuersa genera musicorum sectantes: & semetipsos per omnia, temulentiæ ac luxuriæ propinantes. Hinc omnis error accepit originem: hinc lucos, & aras, hinc coronas & victimas reperere, & post ebrietatem, quasi limphaticis motibus agi: ex hoc iam potestas dæmoniis data, ingrediendi huiuscemodi mentes: vt choros ducere insanos, & Baccho furere viderentur: hinc fremere dentibus, & mugire de profundis visceribus inuentum: hinc terribilis vultus, & ferus in hominibus aspectus: vt is, quem temulentia subuerterat, ac dæmon instigauerat, numine repletus à deceptis & errantibus crederetur. Vnde cùm tam multæ in hunc mundum falsæ & erraticæ religiones essent introductæ: missi sumus nos, deferentes vobis, tanquam boni negotiatores, à patribus traditum & conseruatum veri Dei cultum: cuius quasi semina quædam, vobis hæc verba respergimus: & in vestro iudicio ponimus, quod rectum videtur, eligere: Si enim recipiatis, quæ nostra sunt: non solùm ipsi incursiones dæmonis effugere: sed & ex aliis eas effugare poteritis: simul & æternorum bonorum præmia consequemini. Qui autem contempserint recipere, quæ dicuntur à nobis, in præsenti quidem vita, diuersis dæmonibus & ægritudinum vitiis subiacebunt: Post excessum autem corporis, etiam animæ eorum cruciabuntur in perpetuum. Deus enim non solùm bonus, sed & iustus est: nam si semper bonus sit & numquam iustus est, vt reddat vnicuique pro gestis suis, bonum inuenietur in iustum. Iniustum namque est, si ita apud eum habeatur impius, sicut & pius. Igitur dæmones, sicut paulò antè diximus, cum occasionibus acceptis, ingerere se potuerunt per malos, & turpes actus corporibus hominum: si multo tempore permaneant in eis, per negligentiam ipsorum: quia animæ suæ, quod est vtile, non requirunt: necessariò cogunt eos habitantium in se dæmonum de reliquo facere voluntates. Quod autem est omnium deterius, in consummatione seculi, cum dæmon ille igni tradetur æterno, necessariò & anima, quæ ei paruit, cum ipso æternis ignibus cruciabitur, vna cum corpore suo, quod polluit. Dæmones autem habere desiderium immergendi se corporibus hominum, hæc causa est. Spiritus sunt, habentes propositum conuersum ad malitiam: per cibos ergo & potus immoderatos, ac libidinem, perurgent homines ad peccatum: eos tamen, qui peccandi propositum gerunt: qui dum videntur necessaria naturæ velle complere, non tenentes modum per nimietatem, ingrediendi in semetipsos dæmonibus faciunt locum.

D

Lex viuendi à Deo data post diluuium.

Festi dies Ethnicorum.

Bacchi numen.

E

F

Quamobrem dæmones gaudeant immergi humanis corporibus.

G

Quod hic Petrus asserit, testatur & D. Deus apud Iobum capit. 40. Ecce, inquit, virtus eius in lumbis eius. (Behemoth dæmonis) & robur illius in vmbilico ventris ipsius. Nimirum significat, illecebris venereæ voluptatis, quæ circa lumbos in viris: & vmbilicum in fœminis maximè sentitur potissimum dæmonem mortales oppugnare atque inuadere. Atque hoc in causa fuit, cur suos monuerit Christus seruator, vt succingant lumbos. Luc. 12. Vide autem & suprà libri secundi finem, vbi eadem Petrus ait.

Donec autem naturæ mensura seruatur, & modus legitimus custoditur, Dei clementia, ingrediendi in homines non eis tribuit facultatem. Vbi verò aut mens ad impietatem declinauerit, aut corpus immoderatis cibis ac potibus adimplebitur, tanquam voluntate & proposito eorum, qui se ita negligunt, inuitati, quasi aduersum eos, qui à Deo positam legem soluerint, accipiunt facultatem. Videtis ergo, quantum valeat agnitio Dei. & diuinæ religionis obseruantia; quæ non solum defendit credentes ab incursionibus dæmonij, verùm & imperare eos facit his, qui cæteris dominantur. Et ideo necessarium vobis est, qui estis ex gentibus, confugere ad Deum: & obseruare vos ab omni immunditia, vt expulsis dæmonibus, Dei habitatio fiat in vobis. Simul & orationibus commendate vos Deo: & interpellare eum aduersum impudentiam dæmonum: credentes enim quæcunque petieritis, accipietis. Sed & ipsi dæmones, quantò viderint fidem crescere in homine, tantò ab eo refugiunt: In ea solùm parte residentes, in qua adhuc aliquid infidelitatis resederit: ab his verò, qui plena fide credunt, absque vlla remoratione, discedunt. Anima enim, cùm venerit ad fidem Dei, cœlestis aquæ virtutem consequitur: per quam dæmonem tanquam scintillam ignis extinguat. Est ergo fidei mensura, quæ si integra sit, ex integro de anima dæmonem fugat: si verò minus aliquid habeat, residet adhuc aliquid de portione dæmonis in portione infidelitatis; & est plurimus labor, vt intelligat anima, quando, aut qualiter: nam plene, aut minus plenè expulse fugatus sit dæmon Si enim in

H

Matth. 21.

Fides dæmones fugat.

& Iacob & Moyses, & omnes patres, omnisque populus, atque omnes gentes nouerint conditorem mundi, & fateantur Deum: Iesus vester, qui longè posterior patribus apparuit, dicit: Nemo nouit filium, nisi pater: neque patrem quis, nisi filius: &, cui voluerit filius reuelare. Ita ergo & Iesus vester alium esse Deum incomprehensibilem omnibus, & incognitum fatetur. Tum Petrus:

Rectè & acutè Petrus instat, Magum ipsum sibi contrarium loqui probans. Dixerat enim anteà summum omnium Deum se nôsse solum, nunc & Iesum nouisse ait, ergo non nouit solus. Doctè præterea respondit, patribus lege naturæ & Mosaïca, Deum cognitum fuisse.

Contraria, inquit, tibimetipsi te proferre, non sentis? Si enim & Iesus noster scit istum, quem dicis, incognitum Deum: ergò, iam non à te solo est cognitus. Imò si Iesus noster eum nouit: Moyses quoque, qui & Iesum venturum esse prophetauit, sine dubio nec ipse ignorauit eum, Propheta enim erat: & qui de filio prophetauit, sine dubio cognouerat patrem. Si enim in voluntate est filij reuelare patrem, cui voluerit filius, qui ab initio & semper cum Patre fuit per singulas quasque generationes, sicut reuelauit Moysi patrem: ita & aliis Prophetis: quod si est, nulli patrum fuisse eum incognitum constat. Tibi verò, qui filium non credis, quomodo potuit reuelari pater? qui nulli notus est, nisi cui voluerit filius reuelare? Reuelat autem filius Patrem his, qui ita honorificant filium, sicut honorificant patrem.

Magus absurdum ait, Deum filium habere: sed ex humana ratione arguatur, vt nunc Iudæi & Turcæ: nec vult de eo disputare, explicans suam sententiam, de incognito Dei, qua de vide supra Epiphanij notatum locum.

Tum Simon: Memento, inquit, quia filium dixisti habere Deum, quod est iniuriæ, quomodo enim habere filium potest, nisi similia hominibus, aut animalibus patiatur? Sed de his non est nunc tempus arguere profundam stultitiam tuam: festino enim de immensitate summæ lucis exponere, & iam nunc audi. Puto esse aliquam virtutem immensæ & ineffabilis lucis: cuius magnitudo incomprehensibilis habeatur, quam virtutem etiam mundi conditor ignoret, & legislator Moyses, & magister vester Iesus. Tunc Petrus: Non tibi videtur amentiæ res esse, adserere velle quempiam, quod sit alius Deus, quàm Deus omnium, & dicere: Puto esse virtutem quandam: & priùs quàm ipsi certum sit, quod loquitur, hoc velle aliis confirmare? Estne aliquis ita præceps, qui verbis tuis credat? in quibus teipsum videat dubitantem? & admittat esse aliquam virtutem incognitam creatori Deo, & Moysi, & Prophetis, & legi, & Iesu etiam magistro nostro? quæ virtus ita bona sit, vt nulli velit innotescere, nisi vni tantùm, & hoc tibi tali? Tum deinde si noua est ista virtus, quomodo nobis non dat nouum aliquem sensum, præter hos, quos gerimus quinque? vt ex ipso ab eo nobis largito nouo sensu, ipsam, quæ noua est, capere & intelligere possimus? aut si non potest largiri, quomodo tibi largita est? aut si tibi reuelauit, cur non & nobis? Si verò à temetipso intellexisti, quæ ne Prophetæ quidem sentire aut intelligere potuerunt: dic age nobis nunc, quid vnusquisque nostrûm cogitat.

Insania Magi demonstrata à Petro.

Rectè Petrus à Mago scientiam hominum noscendi cogitata requirit, quando is vendicet sibi notitiam incognitæ (nescio cuius) virtutis ex se habere, nam hæc solius Dei propria est. Solus is ὁ καρδιογνώστης est vt ait Petrus Actor. 1. Solus Deus (Hebr. 4.) ὁ κριτικὸς ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν καρδίας: καὶ οὐκ ἔστι κτίσις ἀφανὴς ἐνώπιον αὐτοῦ, πάντα δὲ γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ. Verba hæc vt sunt elegantissima, ita & doctissima. Quin Seruator ipse apud Matthæum nono cap. probat Pharisæis hoc argumento suam diuinitatem, quòd cogitata cordisque occulta videat. Nimirum scrutans corda & renes solus Deus, ait Dauid Psalm. 7. & 43.

Si enim tantus est in te spiritus, vt ea, quæ super cælos sunt, incognita omnibus, & omnibus incomprehensibilia cognoscas, multò faciliùs cogitationes humanas, quæ in terris habentur, agnoscis. Quod si cogitationes nostras, qui hîc stamus, non potes scire: quomodo ea, quæ nullis esse cognita adfirmas, scire te dicis? Crede autem mihi, quia nonquàm scires, quid esset lux, nisi ab ipsa luce accepisses & visum & intellectum videndi: sic & in cæteris: hinc acceptâ intelligentiâ, maius aliquid & sublimius somnij instar excogitas, occasione tamen ex istis quinque sensibus sumpta: quorum largitori ingratus es. Certum autem esto, quòd, donec non inuenis nouum aliquem sensum, qui extra hos quinque sit, quibus omnes vtimur, nouum adserere non poteris Deum. Et Simon: Cùm quinque sensibus constent omnia quæ sunt: nihil nouum addere, virtus illa cunctis eminentior, potest. Et Petrus ait: falsum est. Est enim & alius sextus sensus, id est, præнoscendi: isti enim quinque sensus scientiæ capaces sunt, sextus autem, præscientiæ est, quem habuêre Prophetæ. Tu ergo quomodo potes Deum omnibus incognitum nosse, qui nec Propheticum sensum, qui est præscientiæ, meruisti? Tum Simon cœpit dicere: Hanc, quam dico, virtutem incomprehensibilem, & eminentiorem cunctis, etiam ipso, qui mundum condidit Deo, neque angelorum quisquam, neque dæmonum nouit, neque Iudæorum, neque vlla omninò, quæ à conditore Deo substitit creatura. Quomodo enim poterat, quam creator ipse non nouerat, lex me ipsius creatoris edocere? cùm nec ipse sciret, quod doceret? Et Petrus: Miror, inquit, quomodo tu ex lege plùs potueris discere: quàm docere vel scire lex poterat? & quomodo horum, quæ adserere vis, probationes dicas te ex lege proferre: cùm neque legem adseras nosse ea, quæ dicis: neque eum, qui legem dedit, id est, mundi creatorem? Sed & hoc miror, quomodo tu, qui solus hæc nôsti, hic modò cum omnibus stes, breuis aëris huius ambitu circundatus. Et Simon, videns cum omni populo ridentem Petrum: Rides, inquit, Petre, cùm sermo de tantis rebus, & tam eminentibus habeatur? Tum Petrus: Noli, inquit, indignari Simon: nihil enim præter promissionem nostram gerimus: neque aures nostras claudimus vt tu dicebas: neque statim vt audiuimus, à te ineffabilia proferri, in fugam versi sumus: sed ne loco quidem moti. Neque enim verisimilia saltem aliqua proferuntur abs te, quæ nos possint aliquatenus deterrere: aut certè aperi nobis intelligentiam dicti huius, quomodo tu ex lege didiceris Deum? quem lex ipsa nescit, & quem ipse, qui legem posuit, ignoret? Et Simon: Si inquit, ridendo cessâsti, euidentibus adsertionibus comprobabo. Et Petrus ait: Quin desinam, vt possim discere à te, quomodo tu à lege didiceris, quæ lex nescit, & quæ ipse Deus legis ignoret. Et Simon. Audi, inquit.

Quibus argumentis Petrus diuinitatem Simonis probauit.

Sextus sensus, præscientia: Verùm non hic est naturalis: sed potiùs diuinus.

Elegans scomma Petri in Simonis diuinitati. Tantus Deus tam paruo spatio loci continuêris mirum.

Nescit vt mortalibus scilicet, vt astruis tu ô Simon.

Simon infirmum nostrum Deum cauillatur: ideòque maiorem eo aliquem esse debere, colligit.

Manifestum est omnibus, & ineffabili quadam ratione compertum, vnum esse Deum, qui sit omnium melior: à quo omne quod est, sumpsit exordium: vnde & necessariò subiecta sunt ei omnia, quæ post ipsum sunt, velut principi omnium & eminentiori. Ego ergò, cùm cognouissem Deum hunc, qui creauerat mundum, secundum quod lex docet, in multis esse infirmum (longè autem abhorret infirmitas à perfecto Deo,) & hunc viderem non esse perfectum: necessariò alium esse intellexi, qui esset perfectus. Hic enim, vt dixi, secundum quòd scriptura legis docet, in multis infirmus esse deprehenditur. Primò, quòd homo quem plasmauit, non potuit permanere talis, qualem ipse voluerat: & quia nec bonus est, qui primo homini posuit legem, vt de omnibus quidem lignis Paradisi ederet, de ligno autem scientiæ non contingeret: sed si gustâsset, moreretur. Cur enim vetaret eum vesci, vt sciret, quid esset bonum, vel quid malum: vt sciens, mala quidem vitaret, bona verò eligeret? Sed neque ipse hoc concessit: & quia ille præter mandatum gustauit, & agnouit quid esset bonum: ac didicit honoris gratiâ verenda contegere (indecorum enim sensit reuelatis pudendis stare ante creatorem suum:) ille eum, qui honorem Deo deferre didicerat,

Argumenta infirmitatis Dei, primum aliquo impie ex lege sumit.

Transgressionis causam Simon imputat Deo. Vide, quo soler-tert

didicerat, morte condemnat: & serpenti, qui hæc ostenderat, maledicit. Sed vtique si lædendus ex hoc erat homo, cur omninò lædendi causam in Paradiso posuit? Si verò bonum erat, quod in Paradiso posuit: non est boni prohibere à bono. Sic ergò, cùm is, qui hominem fecit & mundum, secundum ea, quæ lex refert, imperfectus sit: alium sine dubio dat intelligi, qui perfectus sit. Necesse est enim esse aliquem omnium præstantiorem: propter quem, & omnis creatura ordinem suum seruat. Vnde & ego sciens, quia omni modo necesse est aliquem benigniorem & potentiorem eo, qui legem dedit, imperfecto Deo ex comparatione imperfecti, perfectum quid sit intelligens, ex ipsa scriptura Deum illum, de quo scriptum non erat, intellexi. Et hoc modo potui, ô Petre ex lege discere, quod nesciebat lex. Quod & si lex non dedisset indicia, quibus colligeretur, imperfectum esse Deum qui condidit mundum, mihi, possibile erat, etiam ex his, quæ in hoc mundo geruntur, malis, nec emendantur, colligere: vel quia impossibilis est creator eius, qui malè gesta non corrigit, si non potest: vel si non vult auferre mala, ipse malus sit. Si verò neque potest, neque vult, nec potens, nec bonus sit: & ex his necesse est colligi, quod alius sit Deus omnium præstantior & potentior. Ad hæc, si quid habes dicere, non moreris. Petrus respondit:

Aliis argumenta Magi ex humana vita inæqualitate

Petrus contrà primum ostendit en argumentu ex peruersá & contortá interpretatione venire. Præterea, iam bene quadrare in fictitiam illam magnam Magi virtutem, quam in verum Deum. Tum Deum hunc ex creatione vniuersi huius se patefecisse: illam autem virtutem nullum de se suáque potentia præbuisse specimen vel indicium. Itaque videri perabsurdum; Deo in cuius mundo viuamus, & à quo bona omnia consequamur, relicto, adhærere ignota, nescio cui.

Lex sine magistro non facile intelligitur.

Solent ista, ô Simon, absurda aduersum Deum meditari hi, qui legem non magistris tradentibus legunt, sed semetipsos doctores habent, & putant se intelligere posse legem, quam sibi non exposuit ille, qui à magistro didicerit. Veruntamen nunc, vt & nos secundum tuum sensum scripturam legis sequi videamur: quia & impossibilem, & non bonum dicis ostendi conditorem mundi: quomodo non vidisti, quod iisdem ipsis reprehensionibus succumbit & subiacet etiam ista virtus tua, quam dicis esse eminentiorem omnium? Eodem namque modo de ipsa dici potest: quia omnia, quæ hîc malè geruntur, aut impossibilis est, quæ non corrigit: aut si potest, & non vult, mala est: Si verò neque potest, neque vult, & impossibilis & imperfecta est. Vndè non solùm simili culpæ virtus ista tua noua, sed & deteriori inuenitur obnoxia: si super hæc omnia, etiam cùm non sit, esse credatur. Nam is qui mundum creauit, hoc ipsum quod subsistit ex opere eius, quo mundum condidit, palàm est, sicut etiam ipse confiteris. Ista verò virtus, quam te solùm scire dicis, nullum de se indicium præbet per quod hoc ipsum, saltem quod est & subsistit, possimus aduertere. Quale est ergo, vt derelinquamus Deum, in cuius mundo viuimus: & omnibus ad vitam necessariis fruimur: & sequamur nescio quem, cuius non solùm nihil consequimur boni, sed ne hoc ipsum quidem, quod sit, scire possumus: scilicet, quia nec est: siue enim eum lucem appelles, & luce ista, quam cernimus clariorem, nomen ipsum à mundi conditore mutuaris: siue substantiam dixeris super omnia, intelligentiam hinc profers cum sermonis augmento: siue mentem: siue bonitatem: siue vitam: siue aliud quid memoraueris, hinc vocabula mutuaris. Cùm ergo nihil noui de illa virtute, quam dicis, non solùm ad intelligendum, verùm ne ad nominandum quidem habeas, quomodo introducis nouum Deum, cuius ne appellationem quidem inuenis nouam? Virtus enim non solùm creator mundi dicitur: sed & ministri gloriæ eius, omnisque militia cælestis. Non tibi ergo melius videtur esse, vt sequamur factorem nostrum Deum, tanquam patrem erudientem nos, & imbuentem sicut ipse nouit? Quod & si sit aliquis, vt tu dicis, benignior omnium Deus, certum est, quia non

Virtus Angeli plerique in sacris literis vocantur virtutes. Respondit hîc Magi obiectioni, non Deû irasci, vt malum: sed, vt iustum. Iustus est Dominus si corrigit, sumus enim filij.

irasceretur nobis: si vero irascitur, malus est. Noster autem Deus si irascitur & vindicat: non est malus, sed iustus: proprios enim filios corripit & emendat. Ille verò, qui nihil nobiscum habet negotij, si vindicare velit in nos, quomodo bonus erit? supplicia sumens de nobis, quòd non derelicto patre nostro ipsum sequuti sumus, inanibus suspicionibus tracti: quomodo ergo iste talis bonus à te asseritur, qui nec iustus intelligi potest? Tum Simon.

Magus infert aliquid in hoc mundo incognitum Deum habere. Animas.

Tantùmne erras Petre, vt nescias, quia animæ nostræ à bono Deo sunt illo omnium præstantiore: sed captiuæ deductæ sunt in hunc mundum? Et Petrus: Ergo non est omnibus incognitus, sicut paulò antè dicebas: & tamen, quomodo indulsit bonus Deus captiuitatem fieri animarum suarum, si erat super omnes potentior virtus? Et Simon: Ipse misit creatorem Deum, vt conderet mundum: sed ille, mundo condito semetipsum pronunciauit Deum. Et Petrus: Ergo non ignoratur ab eo, qui condidit mundum, vt superiùs dixeras: sed neque animæ ignorant eum, siquidem ab ipso abductæ sunt. Cui ergo iam erit incognitus, si & mundi creator nouit eum: vt pote ab ipso missus, secundum ea, quæ tu dicis, & omnes animæ tanquam ab ipso huc violenter abstractæ? Tum deinde dicas velim, qui vi mittebat conditor mundi, non sciebat eum, qui mittebatur, fidem non seruaturum? si nesciebat, præscius non erat: si verò præsciit & passus est, facti huius ipse reus est, qui non vetuit quòd si non potuit, omnipotens non est. Si verò, quasi bonum id sciens, non prohibuit: inuenitur ille esse melior, qui præsumpsit facere id, quod ille, qui mittebat, ignorauit bonum. Et Simon. Volentes, inquit, ad se venire suscipit, & ipsis benefacit. Et Petrus: Nec hoc nouum est: hoc enim facit & hic, quem mundi creatorem fateris. Et Simon. Sed bonus Deus, tantùm si agnoscatur, salutem præstat.

Vide hîc, quam parùm cohæreat & confitetur sibi mendacium.

Aduerte diligenter, Magum in eo accusare deum nostrum, quod legem iubeat velitque compleri. Quid in ecclesia Catholica plerique heretici nunc aliud carpunt.

Mundi autem conditor exigit etiam legem impleri. Et Petrus: Ergo & adulteros, & homicidas saluat, si cognouerunt eum: bonos autem & sobrios, vel misericordes: si nullum de eo indicium capientes, ignorauerint eum, non saluat. Magnum bonum prædicans; qui non tam malos saluet: quàm, qui bonis nullam misericordiam præstet. Et Simon: Magnus sanè labor est agnoscere eum homini in carne posito. Omnibus enim tenebris tetrius, & omni luto grauius est corpus hoc, quo circundatur anima. Et Petrus: Ergò bonus iste Deus, quæ difficilia sunt, quærit. Qui autem verè Deus est, facillioira expetit. Dimittat itaque nos, quasi bonus, apud patrem & creatorem nostrum, & quando discesserimus è corpore, & istas, quas dicis, tenebras reliquerimus: tunc eum faciliùs agnoscemus, & tunc magis anima conditorem suum esse intelliget Deum: & apud ipsum permanebit: nec vltrà diuersis cogitationibus fatigabitur: neque volet ad aliam confugere virtutem, quæ nulli cognita est, nisi Simoni soli: quæ tantæ bonitatis est, vt nisi quis priùs impius extiterit in parentem suum, ad ipsam venire non possit. Nescio quomodo hæc virtus vel bona, vel iusta appellanda sit: cui placere non potest, nisi quis impie se gesserit in eum, à quo factus est. Et Simon: Non est impium, vtilitatis gratiâ, & lucri maioris confugere ad eum, qui opulentioris est gloriæ. Et petrus: Si, vt tu ais, non est impium confugere ad alienum, multò magis pium est permanere apud proprium patrem, etiam si pauper sit. Aut, si non putas impium, vt relicto patre nostro confugiamus ad alium quasi meliorem: neque indignari credis pro hoc, creatorem nostrum: Multò magis bonus Deus non indignabitur, quòd cùm essemus ab eo alieni, non confugimus ad eum, sed, permansimus apud creatorem nostrum: & puto, quod ex hoc magis collaudabit nos, quia fidem seruamus creatori nostro Deo: considerans, quia

ἀγνωσία.

si subipsius fuissemus, nunquam relinquentes ipsum, seduci illecebris potuissemus alienis. Nam, si quis opulentioribus illectus pollicitationibus, relicto proprio parente, confugiat ad alienum: potest fieri, vt iterum relicto eo, ad alium pergat, qui maiora promiserit: eò magis, quòd ipsius proprius non erat filius; quippe, qui etiam eum, qui ei naturâ pater erat: relinquere potuit. Et Simon: Quid si ab illo sint animæ: & ignorant eum, & ille est verè pater ipsarum? Et Petrus: Satis, inquit, ostendis eum inualidum. Nam si potentior, vt aïs, omnibus est, nunquam potentiori inualidior spolia detraxisse credendus est: aut, si potuit vi ab eo animas deducere in hunc mundum creator Deus, quomodo eas corpore emissas, & captiuitatis vinculis resolutas, bonus Deus vocabit ad pœnam? quæ per ipsius vel desidiam, vel infirmitatem, abstrahi ad hunc locum & inuolui corpore quasi tenebris ignorantiæ potuerunt? Videris mihi ignorare, quid sit pater, & Deus: verùm & animæ vnde sint: vel quando, & quomodo factæ, possem dicere: sed hæc nunc tibi aperire fas non est, in tanto errore posito de scintia Dei. Tum Simon. Erit, inquit, tempus, cùm pœnitebit te, quod dicentem me ineffabili virtute non intellexeris. Et Petrus ait: Da ergo nobis, vt sæpè iam dixi, tanquam nouus Deus, aut qui ab illo descenderis sensum aliquem nouum, per quem, nouum quem dicis Deum, possimus agnoscere: isti enim quinque sensus, quos nobis dedit creator Deus, creatori suo finem seruant: nec alium quenquam esse sentiunt Deum, hoc eis ipsâ sui præstante naturâ. Adhæc Simon: adhibe, inquit animum ad ea, quæ dicturus sum, & facito cum inuisibilibus semitis incedentem, peruenire ad ea, quæ tibi demonstrauero. Ausculta ergo nunc. Nunquàmne in cogitatione positus, extendisti mentem tuam in regiones vel insulas portò positas, & ita in eis fixus animo mansisti vt ne præsentes quidem videre, aut temetipsum scire, vbi sederes, præ suauitate eorum, quæ habebantur in oculis, posses? Et Petrus ait: Verum est Simon: hoc mihi frequenter accidit. Et Simon: Ita & nunc sensum tuum extende in cœlum: & iterum super cœlum: & vide, quia debet esse aliquis locus, qui sit vltra mundum, vel extra mundum, in quo neque cœlum sit, neque terra, ne vmbra horum etiam ibi tenebras operetur. Et ob hoc, cùm neque corpora aliqua in eo sint, neque ea corporibus tenebræ: necessariò sit lumen immensum: & lumen, considera, cuiusmodi esse possit, cui tenebræ nullæ succedunt. Nam si vniuersum hunc mundum, Solis huius replet lux: quantum æstimas esse illud incorporeum lumen, & infinitum? tantum sine dubio, vt istud Solis lumen, ad illud, tenebræ: & non lux esse videatur. Hæc cùm diceret Simon, Petrus respondit. De vtroque ergo patienter ausculta; id est, & de exemplo extendendi sensus, & de immensitate lucis. Scio meipsum, ô Simon, aliquando in cogitatione positum extendisse sensum meum in regiones, vt ais: & insulas procul positas, easque mente non minùs, quàm oculis perspexisse: cùm essem apud Capernaum in captura piscium positus, & sederem supra saxum, hamum setæ innexum, & decipiendis piscibus aptatum habens in manu: ita vt hærentem ei non senserim piscem, dum mens mea per desiderabilem mihi Hierusalem distenta percurreret, ad quam sanè, oblationum gratiâ & orationum, vigilans frequenter ascenderam. Verùm & Cæsaream hanc mirari ab aliis audiens, & desiderare solebam: & eam, in qua nondum fueram, videre mihi videbar: & cogitabam de ea, quæ conueniret de ciuitate magna cogitari, portas, muros, lauacra, plateas, angiportus, fora, & horum consequentia, secundum ea scilicet, quæ in aliis vrbibus videram: & in tantum intentione huiuscemodi intuitùs delectabar, vt verè, sicut ipse dixisti, nec præsentem atque adstantem viderem, nec ipse, vbi sederem, nossem. Et Simon: Modò, inquit, rectè dicis. Et Petrus denique: Cùm piscem maximum, qui hamo inhæserat, mente occupatus habere minimè sentirem: & id quidem, cùm hami lineam de manibus meis violenter arriperet, stupentem me videns frater meus Andreas, qui mecum sedebat, ac penè casurum, latus fodiens cubito, velut dormientem excitat, dicens: Non vides Petre, quàm magnum piscem ceperis? nunquid nam mente excidisti, quòd sic attonitus stupes? quid est, quod pateris? dic mihi. Et ego indignatus ei paululum, quòd me à dulcedine eorum, quæ intuebar, abstraxerit: respondi nihil me mali pati: sed animo desiderabilem mihi intueri Hierusalem: simulque Cæsaream: & corpore quidem cum ipso esse, mente verò illuc penitus auferri. At ille, nescio vnde inspiratus, reconditum & secretum veritatis protulit verbum.

Petrus grauissimum & vtilissimum Andreæ fratris dogma in phantasiis & contemplationibus obseruatu digniss. recitat.

Desine, inquit, Petre: quid est quod agis? hi enim, qui dæmone incipiunt repleri: vel moueri mente: huiuscemodi initia habent, per phantasias primò ad iucunda quæque & delectabilia transferuntur: deinde ad ea, quæ non sunt, vanis & inanibus motibus effunduntur. Hoc autem accidit ex languore quodam animæ, quòd ea quidem, quæ sunt, non vident: desiderant verò adducere ad conspectus suos ea, quæ non sunt. Sed & illis ita accidit, qui Phrenesin patiuntur, & videntur sibi multas imagines videre, pro eo, quòd nimietate frigoris vel caloris anima ipsorum conuulsa & emota locis suis, errorem patitur ministerij naturalis. Sed & hi, qui laborant siti, cùm in soporem venerint, flumina & fontes videre sibi videntur, ac bibere: hoc autem patiuntur, ariditate intemperati corporis laborantes. Propter quod certum est, hæc vitio quodam, vel animæ, vel corporis fieri. Denique vt accipias rei fidem, de Hierusalem, quam sæpè videram, dicebam fratri meo, quæ loca, quósue conuentus, visus mihi fuissem videre. Sed & de Cæsarea, quam nunquam videram, nihilóminus contendebam, quòd esset talis, qualem mente & cogitatione conceperam. Cùm autem venissem huc, nihil omninò simile recipiens eorum, quæ per phantasias videram, reprehendi memetipsum, & notaui valdè, quia ex aliis, quæ videram, portas ei, & muros, aliasque ædes, reuerà similitudinem ex aliis capiens, dederam. Neque enim quis potest nouum aliquid, & cuius forma nulla vnquam extiterit, cogitare. Nam & si velit aliquis tauros, cum quinis capitibus, ea sua cogitatione formare: ea istis, quos vidit cum singulis capitibus, illos quinis capitibus fingit. Et tu ergo nunc, si verè aliquid tibi videris tuâ cogitatione perspicere, & supra cœlos intueri, non dubium, quin ex his ea consideres, quæ in terris positus vides. Aut si putas facilem menti tuæ accessum esse super cœlos, & considerare te posse, quæ illic sunt, atque immensæ illius lucis scientiam capere: puto ei, qui illa potest comprehendere, faciliùs esse, vt sensum suum, qui illuc nouit ascendere, in alicuius nostrûm, qui adsistimus, cor & pectus iniiciat, & dicat, quas in eo cogitationes gerat. Si ergo potes alicuius nostrum, qui tamen non sit erga fauorem tuum occupatus, enuntiare cogitationes cordis, poterimus tibi fortasse credere: quod & ea, quæ super cœlos sunt, scire potueris, licet illa multò sint celsiora. Adhæc Simon: Qui verò, inquit, multas nænias texuisti, audi iam nunc. Impossibile est ad omne, quod ad cogitationem hominis venerit, non etiam re ipsa ac veritate subsistere: quæ enim non subsistunt, nec speciem habent: quæ autem speciem non habent, nec cogitationi possunt occurrere. Et Petrus: Si omne, inquit, quod ad cogitationem venire potest, subsistit: istum, quem dicis extra mundum esse immensitatis locum, si eum quis in corde suo lumen esse cogitet: alius verò tenebras, quomodo poterit vnus atque idem locus secundum eos, qui diuersa de eo cogitarunt, & lumen esse, & tenebræ? Et Simon: Omitte nunc ista, quæ ego dixi: tu, quid esse putes super cœlos, dicito. Et Petrus: Si de vero, inquit, fonte luminis crederes, possem te docere, quid, & quomodo esset: quod immensum est: & non phantasiam vanam, sed & consequentem & necessariam rationem redderem veritatis: nec adsertionibus sophisticis, sed legis & naturæ testimoniis vterer: vt

scires,

Luc. 11.

Impudentia nescit vinci Petrus vult ex opere opificem incognitũ cognoscendum esse.

M supra Deum imaginatur aliũ.

Lumen immensũ suprà cælos, iuxta somnium Magi Docet P. imaginationẽ subinde fallere. doctissime.

Phrenetici, vnde & cur insaniant in phantasiis.

Imaginatio si extendatur in ea quæ non sunt, errat. Imaginandum ex iis, quæ sensib. obijciuntur.

scires, quia immésitatis fidem præcipuè cótinet lex. Quod si immésitatis ratio nó latet legé, nihil profectò aliud eam latere potest: & ideò falsum est, quod putasti esse aliquid quod ignoret lex. Multò autem ampliùs nihil latebit eum, qui legem dedit. Nec tamen possum tibi aliquid de immensitate, & his quæ sine fine sunt, loqui, nisi priùs de his, qui certo fine terminantur, cœlis; rationem vel receperis nostram, vel ipse protoleris tuam. Quòd si de his, quæ certis finibus concluduntur, intelligere non potes: multò magis de his, quæ sine fine sunt, neque scire aliquid poteris, neque discere. Ad hæc Simon: Melius, ait, mihi videtur simpliciter credere: quia solum istud, quod videmus, sit cœlum in vniuerso mundo. Et Petrus: Non ita, inquit, sed vnum quidé confiteri conuenit Deum, qui verè est. Cœlos autem esse, qui ab eo facti sunt, sicut & lex dicit: quorum vnum cœlum su superius, quo continetur etiam visibile firmamentú illud esse perpetuum & æternó, cum his, qui habitant ibi. Istud auté visibile in cósummatione sæculi resoluendú esse, & trásire, vt illud cœlú, quod est antiquius & excelsius, post iudiciú sanctis & dignis appareat.

Duo cœli.

Visibile cœlum resoluetur in nouissimo die.

(*Vide in hunc locum copiosius disserentem Petrum, altera sua epistola, capite tertio.*)

Ad hæc Simon respondit. Hæc ita esse, vt tu dicis, credentibus possent videri: Ei autem, qui horum expectat rationes, impossibile est ex lege proferri: & præcipuè de immésitate lucis. Et Petrus: Noli, inquit, putare nos, quod ex fide sola recipienda esse dicamus, sed ex ratione adserenda. Neque enim tutum est, nudæ hæc fidei, absq; ratione cómittere, cùm vtique veritas ratione non careat. Et ideò qui hæc ratione munita susceperit, perdere eam nunquam potest: qui verò absque adsertionibus ea suscipit, simplicis sermonis adsensu, neque seruare ea tutò potest: neque, si vera sint, certus est, quia qui facilè credit, facilè & recedit: qui autem rationem quæsiuit eorum, quæ credidit, & accepit, quasi vinculis quibusdam rationis ipsius colligatus, nunquam ab his, quæ credidit, diuelli, aut separari potest. Et ideò quantò quis propensior fuerit in expetenda ratione, tantò erit firmior in conseruanda fide. Ad hæc Simon: Magnum est, inquit, quod repromittis, vt immensæ lucis æternitas ex lege possit ostendi. Cúmque Petrus dixisset, quando volueris; Simon ait: Quoniá hora iam multa est, crastino adstanti mihi & renitenti, si probare potueris, factum esse hunc múdum, & animas esse immortales, habebis me adiutorem prædicationis tuæ. Et cùm hæc dixisset egressus est: sequuta auté est eum ex omni populo, qui cum ipso venerat pars tertia, qui erát quasi mille viri: cæteri verò flexis genibus prostrabant se Petro, super quos ille, inuocato Dei nomine, alios dæmonia habentes curauit: alios etiam languentes sanauit: & ita lætantem populú dimisit, mandans ei, vt in crastinum diem maturiùs conuenirent. Petrus verò, cùm recessissent turbæ, sterni iussu humi subere atrij nudo vbi fuerat disputatú, & recubuit vnà cum illis vndecim: ego verò cum aliis quibusdam, qui & ipsi initia audiendi verbi Dei acceperant, & erant charissimi, recumbens sumebam cibú. Sed benignissimus Petrus considerans, ne fortè tristitiá mihi inferret ista sequestratio ait ad me. Non pro superbia, ô Clemens, conuiuium non ago cú his, qui nondú purificati sunt: sed vereor, ne fortè mihi quidem noceam, ipsis autem nihil prosim. Hoc enim pro certo scire te volo, quia omnis, qui idola coluit aliquando, & eos, quos pagani nominant deos, adorauit, vel de immolatis eorum degustauit spiritu immundo non careat: conuiua enim factus est dæmonum, & participium sumpsit eius dæmonis cuius in mente sua speciem, vel timore, vel amore, formauit: & per hæc mundus non est à spiritu immúdo: & ideo purificatione indiget baptismi, vt exeat ab eo spiritus immúdus, qui interiores animæ ipsius insedit affectus: & quod est deterius, nec, quod intrinsecus lateat, indicatur, vti ne publicatus fugetur. Amát enim isti spiritus immundi inhærere corporibus hominum, vt ipsorum ministerio cupiditates suas expleát: & ad ea, quæ ipsi desiderant, inclinantes animæ motus, suis eos parere libidinibus cogant: vt efficiantur ex integro vasa dæmonum.

Doctissima Petri instructio, quomodo fides ex humana ratione confirmanda veniat. Industria alterius disputationis.

Petri miracula.

Vndecim scilicet, quos recensuit principio huius libri.

Clemens exclusus à mensa.

Spiritus immundi cur occupent homines.

Eandem sententiam repetit 4. lib. copiosius & dilucidius, consimiliter & August. lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 24.

Ex quibus vnus est Simon hic, qui tali quodam morbo comprehensus, nec sanari iam potest, quia voluntate & proposito ægrotat. Nec contra voluntatem eius habitat in eo dæmon: & ideo, si eum quis fugare velit & expellere ab eo, cùm sit inseparabilis, & vt ita dicá, anima iam eius effectus, videbitur magis necare eum, & homicidij crimé incurrere. Nemo ergo vestrûm cótristetur à conuiuio nostro separatus, tépore enim aliquo obseruare debet, vnusquisque sanè, quanto ipse voluerit. Paruo enim tempore sequestratur, qui citò voluerit baptizari: multo autem, qui tardiùs. Vnusquisque ergo in sua habet potestate, breue aut longú pœnitétiæ suæ tépus exigere: & ideo in vobis est, quando velitis ad nostram cóuenire mésam, & non in nobis, quibus permissum nó est, sumere cum aliquo cibú, nisi priùs fuerit baptizatus. Vos ergo magis nos prohibetis à vestro cóuiuio, si ad purificandum moras habeatis, & tardiùs baptizemini. His dictis, cùm benedixisset, cibum sumpsit. Et post hæc cum gratias egisset Deo, ingressus quieuit, similiter auté & nos omnes. Erat enim iam nox.

Baptizati non comedebant cú illotis.

ARGVMENTVM III. LIBRI RECOGNITIONVM Clementinarum, per eundem L. Gruterum Venradium.

BINAS *disputationes Petri, cum Mago biduo habitas hoc libro perscribit B. Clemens. Narrat principio, (vt paulò latius summam in tanta libri prolixitate repetamus.) Petrum, cùm ipsi rursus à Mago disputatio foret indicta, vbi maturè de more suo surrexisset cubitu, suos de magna apud indoctum vulgus disputandi difficultate commonefecisse, quod veritatem studiosos calare, esset inutile, adeòque impium: indignum verò Christo & ipsius Euangelio, diuina mysteria, apud quósuis infideles & contemptores passim publicare: tum clarius ipsum pleraque superiore libro obscurius dicta, hic de personarum vnius Dei Trinitate repetisse. Dein subiicit alteram disputationem Cæsareanam. Initio scilicet rixatum Magum cum Petro, quod in ipsum animos auditorum cerneret propensiores: cui cùm satisfaceret, quòd id ex populari suoque erga veritatem studio vsu veniret, Magum ad disputationem acceleràsse, cùmque superiorum repetitione, de lucis immensitate atque vno Deo quæstionem mouisse, ad quam Petrus monuerit, talia non contradictionis, sed veritatis potiùs studio quærenda esse: idque à Mago acceptum, ac si Petrus irasceretur, verum Petrum retorsisse calumniam, Magum ipsum conari veritatis disputationem eludere, quòd se eà sciret arguendum, atque ita relicto instituto Magum ad aliam confugisse quæstionem: Vndenam malum foret? Ac Petrum sophismatis capere voluisse: Apostolum monuisse, non esse disputantis proprium, interrogare, sed discentis: quod si discere vellet, prius se submittere & audire debere, quam disputaret: sin nollet, suam cuique sententiam prius ab vtroque explicandam esse, iudicium autem penes auditores relinquendum: ac Magum ironicè fictéque discipulum agentem, imperitia in proponenda quæstione reprehensum ab Apostolo, negligentem, an sit, quid sit & cur malum sit, ante hac proponere porrò ludentem Magum in ambiguo vocabulo, videntémque Petrum, simulantémque suam inscitiam, rursus admonitum à Petro officij disputantis, petente præterea, vt se declararet, auditoribus permittenda iudicia, fugiente hoc Mago, ac variè disceptante, visum Petro, de libero hominis arbitrio, vt quæreretur: quòd mali quæstio omnis ex eo solui posse videretur: maluisse eum de Deo, quem cupiebat mali auctorem videri, disputaretur: tandem tamen fatum, seruúmque hominis arbitrium, vt nunc vocant contra, Apostolum adstruxisse. Hic primùm eruditè demonstrat Petrus, esse liberum arbitrium: tum, quid id sit, Mago quærenti, ita definit, vt & ab aduersario laudetur: Rebus itaque Mago minus succedentibus varias ipsi quæstiones agitatas esse, quibus vel impotentem Deum, vel certè mali auctorem faceret: sed eas à Petro fœlicissimè solutas, atque ita is dies fuit consumptus disputando. Refert autem Clemens, multitatis miraculis Petrum à disputatione suam doctrinam illustrasse & confirmasse. Altero de hinc die post somnú, repetitionem superiorum & precationem Petri, rursus habitam disputationem, qua monuerit ille post salutationem, initio,*

ordine disputandum: reique, de qua disceptatio instituitur, principia prius discenda fontesque, quàm docendum, fieri isthoc ut profanis multò rectius in rebus diuinis fieri debere. Magum conatum refellere Petri sententiam, tandem verò finxisse, quid primum veritatis studioso sciendum esse discere se velle: cui cùm Apostolus astrueret, Ζητεῖτε, ante omnia, quid bonum sit, quærendum in vita, idque inuentum perficiendum esse: nec de rebus fidem naturámque excedentibus curiosè vestigandum: Magum proposuisse de animi statu, mortalis isne foret an immortalis? sed Apostolum rectius hîc de iustitia Dei disputandum esse, dixisse: quòd ea probata, de animi immortalitate quæri posset, contrà illum in sententia perstitisse, quòd animi probata mortalitate, religionem Christianam penitus sciret collapsuram. Ei cùm Petrus obiiceret acerbius impietatem & istbanc doctrina sua inconstantiam, indicans, quàm noxia ea humana vita futura esset, fuga quæsitam occasionem: idéoque Petrum admissâ importunâ ipsius, licet vili, quæstione, docuisse animum vel ex Magi persuasione, qui necati imagine dæmi detentâ quiduis se posse putaret, immortalem esse: quibus stupefacto Mago, & iam ob patefacta arcana sua simulante pœnitentiam, Apostolum non se diuinitus id, sed ex auditione accepisse, quæ hominis improbi simulationem declararet, dixisse, sic Magum reuersum ad priorem mentem, & Petrum quasi malitiosè ageret, calumniatum: ac cùm Petro ipsique adeò Christo maledicendo pergeret, à populo ædibus eiectum esse. Porrò Apostolum admonuisse turbam magnæ Dei bonitatis in ferendis impiis, eique benedixisse & cum lacrymis ac precatione Deo commendasse. Sic finita est illa quoque disputatio, atque ille transactus dies. Tertium diem refert Clemens inter familiares consumptum: quomodo Niceta consuluerit Apostolum de Dei Opt. consilio tanta Mago permittentis: item, qui factum esset, vt Magis Ægyptii potius, quàm Mosi fidem habuissent: quæ cùm luculentè explicasset ille, renunciatum fuisse, vt Magus Romam aufugerit versus, huius insectandi causa: mox vrbis Zachæum per impositionem manuum, orationémque iam abs se ordinatum, Episcopum Cæsareæ constituisse, diaconis quatuor ac presbyteris duodecim adiunctis: docendi viuendique præcepta dedisse, mœstam denique turbam de suo discessu consolatum: postremò Clementi huic, vt harum rerum historiam perscriberet commisisse. Atque hactenus de disputationibus Petri cum Mago, cæterisque apud Cæsaream Stratonicam gestis.

Et hic permulta scitu reperies vtilia, necessariaque. Nostro sæculo magno tumultu disputatum est hucusque de hominis arbitrio, liberúmne sit illud an seruum, & quasi fatale. Ea de re habes hic doctissimam Petri Apostoli orationē, qua, an sit, quid sit, in quibus & quatenus sit, pulcherrimè explicatur, defenditúrque contra Magum, priore huius libri disputatione, ex qua clarè cernas, quæ sit Apostolica & vera in tanta dissensione doctorū hominū quæue hæretica sententia.

Vis scire, quàm sit vetustus vsus vngendi iam baptizatos; oleum consecrandi? quæ nunc passim ridentur? Agnosces hîc sanè, traditionem verè Apostolicam esse, agnosces ipsam eius ceremoniæ vetustatem, qua de re copiosè Dionysius in Ecclesiastica hierarchia. Describuntur hîc & ordo, gradus, officiáque ministrorum in Ecclesia, atque hæc omnia secundum veram doctrinam fidei.

RECOGNITIONVM DIVI CLEMENTIS

Ad Iacobum Fratrem Domini, Liber tertius, Rufino Torano Aquileiense Interprete.

I. & III. Petri cum Mago disputationes, Cæsareæ habitæ.

INTEREA Petrus gallorum cantibus surgens, & excitare nos volens, inoenit vigilantes, vespertino adhuc lumine perdurante: cúmque ex more salutauisset: & resedissemus omnes, Ita exorsus est: Nihil est difficilius, fratres mei, quā de veritate apud permixti populi multitudinem disputare. Quod enim est: omnibus, vt est, dici nō licet, propter eos qui malignè & insidiosè audiunt: fallere verò non expedit, propter eos qui sincerè audire desiderant veritatē. Quid ergo faciet, cui ad indiscretum populum sermo est: occultet, quod verum est? Et quomodo instruet eos, qui digni sunt? Sed si meram proferat veritatem his, qui salutem consequi non desiderent, illi, à quo missus est, iniuriam facit: à quo & mandatum accepit, ne mittat verborū eius margaritas ante porcos & canes: qui aduersum eas, argumentis ac sophismatibus reluctantes, ipsas quidē cœno intelligentiæ carnalis inuoluant: latrantibus autē suis & responsionibus sordidis, rumpant & fatigent prædicatores Verbi Dei. Propter quod & ego in plurimis circuitu quodam verbi vtens, tentare nitebar, ne principalē de summa diuinitate intelligētiam, minùs dignis auribus publicarē. Et post hæc incipiēns de Patre, & Filio, & Spiritu sancto, breuiter nobis & euidenter exposuit, vt omnes audientes miraremur, quomodo homines, derelicta veritate, conuersi sint ad vanitatem. Sed cùm illuxisset dies, ingressus est quidam, dicens: Multitudo plurima expectat in atrio: in quorum medio stat Simō, persuasionibus pessimis præoenire aures populi cupiens. Et Petrus statim egressus, stetit in loco, in quo pridie disputauerat: omnísque ad ipsum populus conuersus, cum gaudio intēdebat in eum. Simon verò vbi sensit gauisum esse populum de conspectu Petri, & erga affectum eius moueri, obstupefactus, ait: Miror hominum stultitiam qui me Magū dicunt: & Petrū diligunt: cùm vtique olim habētes notitiam mei, me magis diligere deberēt: & ideo ex hoc indicio, qui habent sensum, possunt intelligere, quia magis Petrus magus videri potest: cùm mihi, cui ex cōsuetudine debitus propemodum est, nō defertur affectus: illi autem, cui nullo vsu debetur, abūdanter expēditur. Et cùm multa huiuscemodi Simon diceret: Petrus salutato ex more populo, ita respondit: Sufficit vnicuique, ô Simon ad confutandum cōscientia sua: quod si hoc miraris, quod noti nō solùm te non diligunt, sed & oderunt, tui causam disce à me. Cùm sis seductor, veritatem te prædicare profiteris: ob hoc plures desiderium gerentes discendæ veritatis, amicos habuisti. Sed hi, vbi contraria in te, quàm profitebaris, viderunt, qui amatores erant, vt dixi, veritatis, non solùm nō diligere te, sed & odisse cœperunt: Non autem statim ab eis desertus es: quia vel pollicebaris adhuc, te eis ostēdere posse, quod verū est. Donec ergo nōdum aderat, qui posset ostendere, patiebantur te, vbi verò spes eis doctrinæ melioris arrisit, te cōtemnentes, quod meliùs intelligūt, nosse desiderant. Et tu quidē nefariis artibus agens, ab exordio latere te posse credidisti, sed non lates: vigeris enim, & cōtra spem publicaris, quia non solùm ignorasti veritatē: sed nec audire voluisti ab his, qui eam sciebant. Si enim audire voluisses, innotuisset vtique tibi ille sermo eius, qui ait: quia nihil est occultum, quod non agnoscatur: neque opertum, quod non reueletur. Hæc & his similia dicente Petro, Simon respondit. Nolo me verbis occupes, Petre: repeto abs te, quæ hesterno promiseras: dicebas enim ostēdere te posse, quia lex doceat de immēsitate lucis æternæ: &, quod duo tantùm sint cœli, & ipsi creati: sed superius esse lucis illius sedem, in qua solus in æternum residet ineffabilis pater. Ad illius verò cœli similitudinē, factū esse etiam illud visibile cœlum, quod & transiturum confirmabas. Vnum ergo dixisti esse patrem omnium, quia non possunt duo esse immensi: alioqui neuter eorum immensus erit: quia in eo, quo alter subsistit, alteri finem subsistēdi facit. Si ergo hæc non tantùm polliceris, sed & ostendere potes ex lege, omittens plura loqui, hinc incipe. Et Petrus: Si propter te, inquit, qui ad contradicendum tantummodò venis, rogarer de his dicere, nunquam à me vnum saltem posses audire sermonē. Sed quoniam necesse est agricolam, qui vult bonam terram seminare, nonnulla semina perdere, aut in petricosis aut in his, quæ ab hominibus conculcanda sunt: vel in dumosis ac repletis sentibus locis, sicut & magister noster exposuit: diuersitatem propositi vniuscuiusque animæ per hæc indicans, non morabor. Tum Simon: Videris mihi, inquit, irasci: quod si est, non necesse est inire conflictum. Et Petrus: Video te sentire quod arguendus sis, & vis vrbanè subterfugere certamen: nam quid vidisti me iratum fecisse in te hominem, tantùm populum decipere cupientem? & cùm nihil habeas, quod dicas, modestiam simulantem? qui & auctoritate tua iubes, vt quomodo ipse vis, & non quomodo

Difficile esse apud promiscuam plebem de veritate dicere.

Cœno carnalis intelligētia corrumpitur scriptura.

Secundus congressus Petri cum Simone.

Luc. 8.

Proponit Magus cū ἀίδιον ἀγέννητον superiorē, Vnus immensus.

Prædicatoribus velut agricolis nonnulla semina pereunt. Elegās similitudo.

ordo postulat, controuersia moueatur? Et Simon: Imperabo mihiipse sapientiā vti ac imperitiam tuam, vt ostendā te quidem velle populum seducere: me autē docere, quæ vera sunt. Sed nunc ommitto de immensa luce discurere: quod interrogo te, hoc mihi responde. Cum Deus fecerit vniuersa, vt tu dicis, vnde est malum? Et Petrus: hoc modo interrogare non est aduersantis, sed interrogantis. Si ergo vis discere, confitere: vt priùs te doceam, quomodo debeas discere: & cùm didiceris audire, tūnc iam te incipiam cōsequenter docere. Si verò non vis discere tanquam sciens omnia, ego priùs exponam fidem, quam prædico: expone & tu, quod tibi verum videtur. Et cùm manifesta fuerit vtriusque professio, iudicetur ab auditoribus, cuius nostrū sermo sit veritate subnixus. Et Simon ad hæc respondit: Risus mihi est. Ecce, qui promittit, quod me doceat. Veruntamen patiar te, & imperitiam tuam atque arrogantiam feram: confiteor, discere volo: videam, quomodo me poteris docere. Et Petrus: Si, inquit, verè vis discere, disce hoc primùm, quàm imperitè interrogaueris: ais enim, cùm Deus vniuersa creauerit, vnde est malū? Ante enim, quàm hoc rogares, tres interrogādi species præcedebant. Primò, si est malum? Secūdò, quid sit malū? Tertiò, cui sit, & vnde?

Discentibus primo imperitia sua est agnoscenda.

Hac de re etiam contra Simonem Magum Dionysium Areopagitam de malo disputasse, in libro, quem de diuinis nominibus scripsit, testatur Hilduinus in Areopagiticis. Et Maximum quendam de hac quæstione in primitiua Ecclesia commentarium scripsisse, πόθεν ἡ κακία, καὶ περὶ τοῦ γενητὴν ὑπάρχειν τὴν ὕλην, refert Eusebius Pamphilus lib. 5. Eccles. hist. cap. 27. Eruditè quoque in hanc materiam scripsit Augustinus, libro de duabus animabus, contra Manichæos, & alias multis.

Ad hæc Simon: O imperitissimè, inquit, & ineruditissimè, éstne hominum quisquam, qui non confiteatur, quia sit in hac vita malum? Vnde & ego putans te vel communem omnium habere sensum, interrogaui, vnde sit malum: non vt discere volens, qui omnia sciam: abs te præcipuè, qui nihil noueris: sed, vt te ostendam ignarum esse omniū: & ne putes, quia iratus sum, quod ita tecum austeriùs loquar: miseratio me habet horum, qui adsunt, quos tu decipere conaris. Et Petrus ait: Multum malus es, si tantas iniurias non iratus facis: sed impossibile est fumum consurgere, vbi ignis non est. Veruntamen dicam ne te verbis videar occupare: quo minùs ad ea, quæ abs te inconuenienter sunt dicta, respondeam. Ais omnes fateri, quia sit malū: quòd vtiq; falsum est: nam primò omnium, quia subsistat malum, vniuersa Hebræorum negat gens. Et Simon interrupto sermone, Rectè, inquit, faciunt, qui dicunt non esse malum. Et Petrus: Non de hoc nunc proposuimus dicere: sed, quod non omnes dicunt esse malum. Secundum autē erat, interrogare te, quid est malum, substantia, an accidēs, an actus? sed & alia multa huiusmodi. Et post hæc, erga quid, vel quomodo sit, aut cui sit malum? verum Deo, an Angelis: an hominibus piis, an impiis, omnibus, an aliquibus: an sibi ipsi, an nulli? Et tunc interrogares, vnde sit? verum nam à Deo, an ex nihilo? semper ne fuerit, an ex tēpore cœperit? vtile sit, an inutile? & alia multa, quæ huiuscemodi propositio exigit. Ad hæc Simon respondet: Ignosce mihi, erraui de prima interrogatione: sed puta me nunc primùm interrogare, est malum, an non? Et Petrus ait: Quomodo interrogas, quasi discere volens, an docere? an quæstionis mouendæ gratia? Siquidem, quasi discere volens, habeo, quod te priùs doceam: vt per consequentiā & ordinem doctrinæ veniens, ex teipso intelligas, quid sit malum. Si verò, vt docens proponis, non indigeo abs te doceri: habeo enim magistrum, à quo omnia didici. Quòd si quæstionis mouendæ, & disputandi gratia; vterque nostrûm priùs, quod sibi videtur, exponat: & ita certamen habeatur. Neque enim verum est, vt interroges, quasi discere volens: & contra dicas, vt docens: vt post responsionem meam in tuo iudicio sit dicere, si benè an malè dixerim. Propter quod non potes in loco contradicētis stans iudex esse eorum, quæ dicimus: & ideo, vt dixi, si certamē habendum est, vterque nostrum, quod sentis, exponat: & nobis in conflictu positis, religiosi auditores hi, iusti iudices erunt. Et Simon: Non tibi videtur absurdum, vt imperitus populus de nostris dictis habeat iudicium? Et Petrus: Non ita est, quod enim vni fortasse minus liquet, inuestigari à plurimis poterit: nam sæpè etiam fama vulgi, Prophetiæ speciem tenet. Super hæc autem omnia, præsens hic omnis populus amore Dei constrictus, hic adstat, veritique cognoscendi gratiâ: & ideo omnes isti, quasi vnus habendus est, pro vno eodémque erga amorem veritatis affectu: sicut è contrario duo inter se si dissentiant, multi sunt, & diuersi. Si autem vis iudicium capere, quomodo omnis hic populus, qui adstat, quasi vnus sit homo, ex silentio eius ipso, & quiete considera: quomodo cum omni patientia, vt vides, etiam, antequam discant, veritati Dei honorem deferunt. Non dum enim maiorem cultum, quē ei deferre debeant, didicerūt. Propter quod spero de Clementia Dei, quod religiosum propositum mentis eorum amplectetur erga se, & veritatem prædicanti, victoriæ palmam dabit: vt manifestum eis faciat veritatis præconem. Tum Simō: De quo, inquit, vis haberi certamen? dic, vt & ego definiam, quod mihi videtur, & ita quæstio incipiat. Et Petrus respondit: Si quidem, vt mihi videtur, facere vis, ego secundum magistri mei præceptum fieri volo, qui primò omnium Hebrææ genti, quam sciebat habere cognitionem Dei: & quod ipse esset, qui fecerit mundum: præcipit, non vt eum quæreret: quem sciebat: sed voluntatem eius iustitiamque perquireret: sciens, quia in hominum arbitrio positum est, vt hoc quærentes inueniant: & faciant, atque obseruent ea, de quibus iudicandi sunt. Et ideo iussit nos quærere, non, vnde sit malum, vt tu paulò antè requirebas, sed iustitiam boni Dei, regnumque eius, & omnia, inquit, hæc adiicientur vobis. Et Simon: Quoniam, inquit, Hebræis ista mandantur, velut rectè scientibus Deum, & opinantibus, quod vnusquisque in suo arbitrio habeat, agere ea, de quibus iudicandus est: mihi autem ab illis discrepat sententia: vnde vis, vt incipiam? Tum Petrus: Ego, inquit, suadeo, primò quærendum esse, num in potestate nostra sit scire, vnde iudicandi simus. Et Simon: Non ita, inquit: sed de Deo: vnde & omnes, qui præsto sunt, audire cupiunt. Et Petrus: Constat ergo apud te, quia est aliquid in arbitrij potestate facere? hoc tantùm si est, & requiramus, vt dicis, de Deo. Simon ad hæc respondit. Nequaquam. Et Petrus: Si ergo nihil est in nostra potestate, superfluum est, nos quærere aliquid de Deo: cùm in potestate non sit quærentibus inuenire. Vnde benè dixeram, hoc primò quærendum esse, si est aliquid in arbitrij potestate. Tum Simon: Non possum, inquit, ne hoc ipsum quidem intelligere, quod dicis, num sit aliquid in arbitrij potestate. At Petrus videns, quod ad partem se ad contentiosiorem declinaret, superari metuens, vt quasi in incertum confunderet omnia respondet. Quomodo ergo scis, quia non est in hominis potestate scire aliquid: cùm hoc ipse scias? Et Simon: Nescio, inquit, si vel hoc ipsum sciam, vnusquisque enim, sicut ei fato decernitur, vel sapit aliquid, vel intelligit, vel patitur. Tum Petrus: Videte, inquit, fratres, in quæ absurda decidit Simon, qui ante meum aduentum docebat, quod homines in potestate habere, & sapere, & facere, quæ vellent: Nunc in angustum redactus necessitate verborum, negat esse in hominis potestate, aut sciendi aliquid, aut agendi: & tamen audet se doctorem profiteri.

Hebræi negant esse malum.

Ordine disc[en]dum est.

Obseruare mandata, sine non liberi arbitrij. Matth. 6.

Liberum arbitrium, hominis esse vult & astruit

Petrus negat Magus, quem non aduersariæ fidei Catholica veri credendum?

I. an sit.

Firmissimum argumentum Petrus hoc contra fatum, seruúmque adeò arbitrium recitat, quod tamen contra Ecclesiam magnis lateribus à plerisque, qui ipsum Ecclesiæ restauratores uideri volunt, nunc asseritur. Idem hinc mutuatus mihi videtur Eusebius Pamphili, libro sexto εὐαγγελικῆς ἀποδείξεως, quem locum consulas lector.

Sed dic: quomodo ergo Deus iudicat secundum veritatem vnumquémque pro actibus suis, si agere aliquid in potestate non habuit? hoc si teneatur, conuulsa sunt omnia: frustrà erit studium sectandi meliora: sed & iudices sæculi frustrà legibus præsunt: & puniunt eos, qui malè agunt: non enim in sua potestate habuerunt, vt non peccarent: Vana erunt & iura populorum, quæ malis actibus pœnas statuunt: miseri erunt & hi, qui seruant cum labore iustitiam: beati verò illi, qui in deliciis positi, cum luxuria & scelere viuentes tyrannidem tenent. Secundum

hæc ergo, nec iustitia erit, nec bonitas: nec vlla virtus: & vt vis, nec Deus. Sed hæc, ô Simon, cur dixeris, scio: volens profectò effugere quæstiones, ne possis manifestiùs confutari: ideo ais non esse in potestate hominis sentire aliquid, aut inuenire. Si enim verè hoc ita sensisses, non vtique etiam ante aduentum meum apud populum te, professus fuisses doctorém. Ego igitur dico, sui esse arbitrij hominem. Et Simon: Quid est sui arbitrii? dic nobis. Petrus ad hæc: Si nihil potest disci, cur & audire vis? Et Simon: Nihil habes ad hoc, quod respondeas? Tum Petrus: Dicam non à te compulsus, sed ab auditoribus rogatus. Arbitrij potestas est sensus animæ, habens * virtutem, qua possit, ad quos velit, actus inclinari.

Liberũ arbitriũ quid. ** virtutẽ, id est, facultatem.*

Huic non est nostrorum absimilis definitio. Liberum arbitrium est libera potestas, & habitudo voluntatis rationalis, qua potest homo eligere, & ratione iudicare ac discernere. Augustinus libro de gratia & lib. arb. sic. Liberum arbitrium est facultas voluntatis & rationis, qua bonum eligimus gratiâ assistente, & malum, gratiâ desistente.

Tum Simon collaudans Petrum super his, quæ dixerat: Verè, inquit, magnificè, & incomparabiliter exposuisti, benè enim dicenti tibi debeo testimonium dare: hoc tamen, quod te interrogo nũc, si exposueris mihi, in cæteris omnibus obtemperabo tibi: quod ergo volo discere, hoc est: Si quod Deus vult esse, est? & si quod non vult esse, non est? de hoc responde mihi. Et Petrus? Si ignoras, quòd absurdè & incompetenter interroges, ignoscens tibi ipse exponam: Si autem scis, quod inconsequenter interrogas, nõ rectè facis. Tum Simõ: Iuro, inquit, ipsam, quæcúnque illa est, summam diuinitatem, quæ habet iudicium & vindictã in eos, qui peccant, quia ignoro quid incompetenter dixerim: & quid in verbis meis habeatur absurdum, in his dumtaxat, quæ proposui. Ad hæc Petrus: Quoniam, inquit, te ignorare cõfessus es, disce. Interrogatio tua duobus sibi inuicem contrariis, vnam sententiam postulauit: etenim omnis motus in duas partes diuiditur: vt quædam necessitate, quædam voluntate moueantur: & ea quidem, quæ necessitas mouet, semper in motu sunt: quæ verò volũtas, non semper: vt verbi gratia dicam: Solis motus necessitate ducitur, vt statutum compleat cursum: omnisque status cœli, & ministeria necessariis motibus constant. Homo verò actuum suorum motus voluntarios gerit. Et ideo alia sunt, quæ ob hoc creata sunt, vt in ministeriis suis necessitate deseruiant, nec facere aliud quippiam possint: nisi quod eis statutum est. Cum autem expleuerint ministeriũ, creator omnium, qui ita constituit ea, prout voluerit, cõseruat ea. Alia verò sunt, vbi potestas est voluntatis: & in quibus agendi, quæ velint, liberũ haberut arbitrium. Hæc, vt dixi, non semper in eo ordine, quo creata sunt, permanent: sed prout voluntas duxerit, & animi iudicium declinauerit, siue bonis, siue malis studebunt, & ideo benè agẽtibus munera posuit: malè agentibus, pœnas. Ais ergo tu, si Deus vult aliquid esse, & est: & si non vult, non est: scilicet, vt si responderem, quia quod vult, & est: quod autem non vult, non est: diceres, ergo ipse vult esse mala, quæ in hoc mundo geruntur: quia omne quod vult, hoc & est: quod autem non vult, non est: Si verò respondissem, non esse hoc, vt quod vult Deus, sit: & quod non vult, non sit, tum retorto sermone diceres, ergo impossibilis est Deus, si quod vult, non potest: & existeres petulantior, vt qui nihil rectum dixeris, vicisse te crederes. Et ideo ignoras Simon, & valdè ignoras, quomodo in singulis quibusq; voluntas sit Dei: quædam enim voluit, vt diximus, ita esse, vt aliud esse non possent, quàm id, quod ab ipso instituta sunt: & his neque præmia, neque supplicia statuit. Ea verò, quæ ita esse voluit, vt in sua potestate habeant agere quod velint: his, pro actibus ac voluntatibus suis statuit, vt aut remunerationes mereantur, aut pœnas. Cùm ergo in duas, vt edocui, partes diuidantur cuncta, quæ mouentur: secũdum eam, quam suprà diximus, distinctionem, omne quod vult Deus, est: quod autem non vult, non est. Et Simon adhæc: Nõnne poterat nos omnes facere tales, vt essemus boni? & aliud esse non possemus? Petrus respondet: Et hoc absurdè interrogas. Si enim nos inconuertibiles naturæ fecisset & immobiles à bono, non essemus verè boni, quia aliud esse non possemus: & non erat nostri propositi, quod eramus boni: nec nostrum erat, quod agebamus, sed necessitatis naturæ. Quomodo ergo hoc bonũ dicetur, quod ex proposito non agitur? Ob hoc autem & prolixioribus indiguit mundus iste temporibus: donec animarum, quæ prædestinatæ sunt, ad expletionem eius numerus impleretur: Et tunc, istud quidem visibile cœlum reuolueretur, vt liber: Illud verò, quod est superius, appareret: & animæ beatorum corporibus suis redditæ inducerẽtur in lucem. Impiorum verò animæ, pro immundis actibus suis spiritu flammeo circundatæ, in profundum ignis inextinguibilis mergerentur, per sæculum expensuræ supplicia. Hæc autem ita esse, verus nobis propheta testatus est: de quo, si vis agnoscere, quia Propheta sit, innumeris assertionibus edocebo. Ex his enim, quæ ab eo dicta sunt, & nunc singula quæ dixit implentur: etiam ea, quæ futura dixit, creduntur implenda: Fides enim futuris, ex his, quæ iam gesta sunt, datur. At Simon, cui compertum erat, Petrum de Prophetiæ titulo dilucidè assignare rationẽ, ex quo quæstio omnis absoluitur, sermonem de hoc fieri declinauit: & respondens, ait: Ad ea, quæ volo, responde mihi, & dic: Si visibile istud, vt ais, cœlum resoluetur, cur ex initio factum est? Respondit Petrus: Propter hominum præsentem hanc factum est vitam, vt esset interiectio quædam & diuisio: ne quis fortè indignus, habitationem cœlestium, & Dei ipsius sedem videret: quæ his solis, qui mundi corde sunt, videnda præparantur. Nunc autem, id est, agônis tempore, inuisibilia esse placuit ea, quæ vincentibus ad præmium destinata sunt. Et Simon ait: Si conditor bonus est, & mundus bonus: quomodo bonus bona dissoluet aliquando? Si autem quasi malum resoluit & destruit: quomodo non videbitur malus, qui malum fecit? Petrus adhæc: Quoniam, inquit, spopondimus tibi, ne blasphemantem te fugiamus: ipse enim reddes pro his, quæ loqueris, rationem: patienter ferimus. Audi ergo nunc: Cœlũ istud, quod visibile est & pertransit, si quidem propter semetipsum factum esset, haberet fortasse, quod dicis aliquid rationis, quia resolui minimè deberet. Si verò propter aliud quid factum est, & non propter se: necessariò soluetur, vt illud, pro quo factum videtur, appareat.

Duæ partes motus.

Solerter aperit Petrus causam cur alagas hāc quæstionē mouerit, nimirũ, vt faceret Deũ malorũ auctorẽ, aut imbecillum. *Rom. 2.*

Alia Magi quæstio, huc pertinens.

Vnde & cur Prædestinatio.

Egregia sententia ad confirmandam fidẽ de futuris vaticiniis. *Alia rursus quæstio eodem spectans.* *Matth. 5.*

Elegans similitudo cur cœlum resolui debeat, ab ouorum testis. Vide plura, 2. Pet. 3.

Sicut verbi gratia dixerim: testa ouorum, quamuis pulchrè facta, & diligenter formata videatur, necesse est tamen eam frangi, & resolui, vt inde pullus procedat, & illud, pro quo totius oui forma: expressa videtur, appareat. Ita ergo & huius mundi necesse est transire statum, vt status ille sublimior regni cœlestis effulgeat. Et Simon: Non mihi videtur, quia resolui possit cœlum, quod à Deo factũ est. Ab æterno enim æterna fiunt: à corruptibili temporalia & caduca. Et Petrus: Non ita, sed à mortalibus quidẽ omnimodis corruptibilia fient, & temporalia: ab æterno verò, non semper corruptibilia, neque semper incorruptibilia: sed prout voluerit creator Deus, ita & erunt illa quæ creat. Neque sub lege est virtus Dei, sed lex creaturis suis voluntas eius est.

Virtus Dei nõ est sub lege.

Vtinam hanc sententiam veram esse firmiter statuerent omnes, tanta me hercule lis non foret de veritate corporis IESV CHRISTI in mysteriis cœnæ. Atque huc allusisse mihi videtur B. Irenæus lib. 2. Elenchi, cap. 56. SVBSTANTIA OMNIVM, inquit, VOLVNTAS EIVS EST. Quod in primis est sciendum, contra quæstiones incredulorum, Quomodo?

Respondit & Simon: Reuoco te, inquit, ad primam quæstionem. Dixisti Deum nunc quidem nulli esse visibilem: cum verò resolutum fuerit cœlum istud, & supernus ille status regni cœlestis obfulserit: tunc eos, qui mũdi sunt corde, etiam Deum visuros, quæ sententia contraria est legi, ibi enim scriptum est, Deum dixisse: Nemo videbit faciem meam, & viuet. Et Petrus respondit. His, qui legem non ex traditione Moysi legunt, contrarius videtur sermo meus: Sed audi ergo, quomodo non sit contrarius. Deus videtur mente, non corpore: spiritu, non carne. Vnde, & Angeli, qui sunt spiritus, vident Deũ: & homines donec homines sunt, Deum videre non possunt.

Exod. 33.

Matt. 22.

suot. Ex resurrectione autem mortuorum, cùm facti fuerint sicut Angeli, videre poterunt Deum. Et hoc modo non est sermo meus legi contrarius: neque illud, quod magister meus dixit: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Futurum enim tempus ostendit, in quo ex hominibus Angeli fient, qui in spiritu mentis Deum videbunt.

Rectè hoc est intelligendum, quod ait Petrus ex hominibus iustis post resurrectionem Angelos futuros: non enim asserit naturam, abiecto corpore, fore humanam: sed eiusmodi fore qualitates. Qualitas transibit, non deficiet natura, vt ait M. Leo. idèoque paulò antè ait. Cùm facti fuerint, sicut Angeli, quo loco allusum est ad Christi verba. Matth. 22. Erunt, sicut Angeli Dei in cælo. Sicut, ait: non simpliciter Angeli erunt. Sic & Paulus Phil. 3.

Discipuli Simonis desciscunt ad Petrum.

Post hæc autem verba multaque alia his similia, cùm iuramentis pluribus adfirmare Simon cœpit, dicens. De hoc mihi solo rationem redde, si immortalis est anima? & obsequar in omnibus voluntati tuæ, sed crastino, inquit, nam hodie iam tædium est. Vbi ergo cœpit dicere Petrus, Simō egressus est, & cum ipso perpauci ex sodalibus eius, & hoc præ verecundia. Cæteri verò omnes ad Petrum cōuersi, genibus positis prosternebant se ante eum, ex quibus aliquanti diuersis languoribus adstricti, aut dæmonibus incursati, oratione Petri sanabātur, & discedebāt gaudentes, quasi veri Dei doctrinam, simul & misericordiam cōsequuti. Cùm ergo abscessissent turbæ, & soli familiares eius remansissemus cum eo, stratis humi redditis, accubuimus, solitum vnusquisque recognoscens locum: sumptóque cibo, cum gratias egissemus Deo, quieuimus. Sequenti verò die, Petrus ex more ante lucem surgens, iam nos inuenit vigilantes, & paratos ad audiendum. Atque ita is exorsus est: Deprecor vos, fratres & conserui mei, vt si quis fortè vestrûm non potest vigilare, non sibi extorqueat, erubescens præsentiam meam: quia difficilis est subita permutatio. Longo autem tempore, si paulatim adsuescat: labor non erit, quod ex vsu venit. Non enim omnes eiusdem institutionis fuimus: licet processu temporis in vnam temperati cōsuetudinem poterimus: aiunt enim, quod secundum naturæ locum obtineat consuetudo. Testem autē Deum inuoco, quod non indignor, si quis fortè non potest vigilare: sed hoc magis, si cùm totam quis noctem dormiat, per diem non replet id, quod omisit in nocte. Necessarium namq; est, doctrinæ studiis intentè & indesinenter operam dare: vt mens nostra Dei solius memoria repleatur: quia mētem, quam repleuerit memoria Dei, maligno in ea non dabitur locus. Cum hæc diceret ad nos Petrus, vnusquisq; nostrum sollicitè satisfaciebat ei, quod olim breui somno satiati, vigilaremus, sed vereremur excitare eum: quia nec deceret discipulos magistro imperare: quod tamen penè, ô Petre, ausi fueramus præsumere, dū cor nostrum, nimio verborum tuorum desiderio tripudians, somnum penitùs fugaret ab oculis. Sed iterum affectus erga te noster obstitit, & violenter te à nobis non tulit excitari. Tum Petrus: Quoniam igitur audiendi, inquit, desiderio libenter vos adseritis vigilare, volo vobis ea tantùm, quæ hesterno sparsim dicta sunt, repetens, diligentiùs & cum suo ordine explicare. Quod & per singulas quasque disputationes diurnas facere dispono: vt per noctem, vbi secretum loci & temporis datur si quid fortè, vtpote in certamine, minùs plenè dictum est: id integro ordine, lineâ directè explanationis aperiam. Et post hæc cœpit nobis ostendere quomodo hesterno haberi debuerit disputatio, & propter contentionem, vel imperitiam contradicentis haberi non potuit: &, ideò sola professione vsus sit, atque ea, quæ ab aduersario dicebantur, tantum destruxerit: sua verò neque omnia, neque manifestè exposuerit: & singula nobis repetens, integro ordine, & plena ratione disseruit. Cùm verò iam albesceret dies, egressus ad turbas post orationem, solito ad disputandum constitit loco, & videns Simonem in mediis turbis stantem, ex more priùs salutato populo, ait: Dolori mihi esse fateor, de nonnullis hominibus, qui, cùm ita ad nos veniunt, vt discant aliquid, vbi eos docere cœperimus, ipsi rursus magistros se esse profitentur: & interrogant quidem, vt ignorantes, con-

Tertius conflictus Petri cum Simone II. dies huius libri.

tradicunt autem, vt scientes. Sed fortasse dicat aliquis, quod qui interroget, ob hoc quidem, vt discat, interroget: vbi verò id, quod audierit, non ei rectè dictum videatur, necesse esse, vt respondeat: & hæc ei videtur esse contradictio, quæ non est contradictio: sed rei interrogatio. Audi ergo ad hæc: Totius doctrinæ disciplina, certum habet ordinem: & sunt quædam, quæ primo tradenda sunt: alia verò, quæ secundo in loco: & alia, tertio: & sic singula quæque per ordinem, quæ vtique, si per consequentiam tradantur, manifesta fiunt. Extra ordinem verò, si proferantur, etiam contra rationem dicta videbuntur. Et ideo in primis ordo seruandus est: si tamen hoc proposito quæramus, vt possimus, quod quærimus inuenire. Etenim qui rectum initium viæ acceperit, etiam secundum locum consequenter aduertet: & ex secundo, tertium faciliùs inueniet: & quantò vltrà processerit, tantò magis ei via agnitionis apertior fiet: vsquequo ad ipsam, quò tendit & desiderat, vrbem perueniat veritatis. Qui verò imperitus est, & quærendi viam nescit, sicut peregrinus viator, ignorans & errans, si ciue & indigenâ nolit vti duce, sine dubio, cùm aberrauerit à via veritatis, extra vitæ ianuas remanebit: & ita noctis atræ tenebris inuolutus, per semitas perditionis incedet. Quia ergo, si per ordinem, quæ quærenda sunt, inquirantur, inueniri facillimè possunt: ordinem verò requirendi, imperitus ignorat: rectum est, vt scienti cedat ignarus: & primò quærendi ordinem discat: vt ità demùm interrogandi, & respondendi inueniat disciplinam. Et Simon ad hæc: Non ergo omnium est veritas, sed eorum tantummodò, qui artem nouerint disputandi: quod vtique absurdum est, cùm æqualiter sit Deus omnium, non omnes æqualiter posse voluntatem eius agnoscere. Et Petrus: Æquales, inquit, omnes ab eo facti sunt, & æqualiter cunctis dedit capaces esse veritatis. Verùm, quod nullus eorum, qui nati sunt, eruditus natus sit: sed posterior sit natiuitate eruditio, nulli dubium est. Cùm igitur natiuitas hominum in eo teneat æquitatem, vt omnes similiter percipiendæ disciplinæ capaces sint: non est in natura, sed in eruditione diuersitas. Aut quis nescit, quod ea, quæ vnusquisque didicit, priusquam disceret, ignorabat? Et Simon: Verè inquit, dicis. Tum Petrus: Si ergo in his artibus, quæ vsus communis habet, primò discitur: deinde docetur: quantò magis oportet eos, qui eruditores se profitentur animarum, primò discere, & ita docere? ne, cùm sint ipsi imperiti, ridiculum videatur, si aliis se præstituros scientiam repromittant. Tum Simon: In artibus, inquit, his, quæ vsus communis habet, verum est, quod vnusquisque, nisi didicerit, nesciat. In verbo verò scientiæ statim vt audierit quis, didicit. Et Petrus: Si quidem per ordinem, & consequenter audiat, potest scire, quod verum est: sed qui emendatioris vitæ regulam, conuersationisque castioris suscipere recusat: quæ vtique sequela est scientiæ veritatis: scire se, quod scit, non vult fateri. Sicut etiam nonnullos videmus, qui artibus, quas à puero didicerant, derelictis, ad alios se actus conferunt: & vt excusatio sit eis desidiæ suæ, culpare incipiunt artem, velut infructuosam. Et Simon: Deberent omnes audientes credere verum esse, quod audiunt? Tum Petrus: Qui audierint per ordinem sermonem veritatis, contradicere omninò non possunt: sed sciunt verum esse, quod dicitur: si tamen libenter etiam vitæ instituta suscipiant. Hos verò, quos audientes ad bona opera conferre se piget: malè agendi libido acquiescere his, quæ recta iudicant, non sinit. Vnde ostenditur, positum esse in auditorum potestate, eligere, vtrum malint. Quod si omnes, qui audiunt, obedirent: naturæ magis esset necessitas, quæ vnâ omnes ageret viâ. Sicut enim suaderi quis non potest, vt fiat breuior aut longior: quia non sinit vis naturæ: Ita & ad veritatem, si omnes verbo conuerterentur, aut omnes non conuerterentur, naturæ esset vis: quæ cogebat verbo omnes conuerti, aut nullum omninò conuerti. Et Simon: Docé ergo nos, quid primò oportet discere eum, qui veritatem scire desiderat? Et Petrus: Ante omnia, inquit, quæri oportet: quid sit homini quærenti inuenire possibile? Necesse est enim iudicium Dei in hoc stare, num potuit

Ordine omnia facienda.

Ordo quærendi primo discendus.

Sequela, id est, consectarium.

Eligēs est sententia. Benè vivere, sequela est scientiæ veritatis. Eligere est nostri arbitrij.

homo bonum facere, & non fecerit: & ideo quærendum est hominibus, num habeant in potestate sua quærentes inuenire, quid sit bonum: &, cùm inuenerint, facere? hoc enim est, pro quo iudicandi sunt. Ampliùs autem his, solùm scire fas est Prophetam, & meritò: Quid enim opus est, hominibus, scire, quomodo factus sit mundus? Hæc enim discenda necessariò viderentur, si simile ineundum nobis esset artificium. Nunc autem sufficit nobis ad cultum Dei, vt sciamus, quod ipse fecerit mundum: quomodo autem fecerit, quærendum non est, quia vt dixi, non nobis imminet, tanquam simile aliquid facturis, artis ipsius scientiam discere.

(Amplius) id est, quod suprà hac est, vel, hac excedit.

Vtinam & hæc ratio nobis in cœna mysterijs placeret: non profectò propterea dissiparetur ita Ecclesia. Quid enim ad me? quomodo verum Christi D. corpus in Eucharistia possit esse? cùm præsertim meum non sit, nec à me ad salutem requiratur, idem efficere, vt meum corpus sub panis specie lateat?

Sed neque pro hoc iudicandi sumus, quum non didicerimus, quomodo factus sit mundus: sed hoc tantùm, si ignoremus conditorem eius. Sciemus autem conditorem mundi iustum, & bonum Deum, si eum semitis iustitiæ requiramus. Nam si hoc tantùm sciamus de eo, quòd bonus sit, huiusmodi scientia non sufficit ad salutẽ. In præsenti enim tempore, bonitate eius & beneficiis perfruuntur, non solùm digni: sed etiam indigni. Si verò non tantùm bonum, sed etiam iustum eum credamus: & secundum hoc, quod de Deo credimus, in omni vita nostra iustitiam teneamus: etiam bonitate eius in æternum fruemur. Denique Hebræis, qui de Deo ita opinabantur, quod solùm bonus esset, dicebat magister noster, vt & iustitiam eius quærerent: hoc est, vt scirent eum præsenti quidem tempore bonum esse, vt omnes in bonitate eius viuant: Iustum verò eum futurum in die iudicij, vt dignis præmia æterna restituat; à quibus excludet indignos. Et Simon: Quomodo potest vnum atque idem, & bonum esse, & iustum? Petrus ait: Quia sine iustitia, bonum quodammodo videbitur: boni est enim, Solem suum & pluuiam, ex æquo iustia & iniustis præbere: sed hoc videretur iniustum, si bonos malósque æquali semper sorte censeret: & nisi frugum causâ hoc faceret, quibus perfrui æqualiter omnes, qui in hoc mundo nati sunt, conueniret. Sed sicut data à Deo pluuia, ex æquo & fruges nutrit, & lolium: messis autem tempore, frumenta quidem congregantur in horreum, paleæ verò vel lolium igni consumuntur: Ita in die iudicij, cùm iusti introducentur in regnum Dei, iniusti autem abiicientur foras, tunc etiam iustitia Dei ostendetur. Nam si æqualis permaneret perpetuò malis & bonis, iam hoc non solùm bonum non esset: sed & iniustum atque iniquum videretur, vt iusti & iniusti vno apud eum haberentur ordine meritorum. Et Simon: Vnum est, de quo mihi velim satisfieri, num immortalis sit anima: non enim possum onus subire iustitiæ, nisi priùs de immortalitate animæ sciam: quæ vtique si immortalis non est, nec prædicationis tuæ poterit stare professio. Tum Petrus: Quæramus, inquit, priùs, num iustus sit Deus: quod si claruerit, integer profectò religionis ordo constabit. Et Simon: Videris mihi tu, qui te iactas disputandi ordinem nosse, nunc contra ordinem respondisse: Me enim rogante, vt ostendas, num immortalis sit anima: tu ais, primò nos quærere oportet, num iustus sit Deus. Et Petrus ait: Valdè consequenter, & rectè se habet. Simon: Velim discere, Petrus: Audi, inquit, nonnulli hominum blasphemantes Deum, & omnem vitam suam iniustitiæ voluptate ducentes, in lectulis suis defuncti sunt, consequuti finem vitæ inter suos, & honorabilem sepulturam: alij verò Deum colentes, & cum omni iustitia & sobrietate, vitam suam in parsimonia conseruantes, pro iustitiæ obseruantia, in desertis interiêre, ita, vt ne sepultura quidem haberentur digni. Vbi est ergo iustitia Dei, si anima immortalis non est, quæ vel, si impiè egerit, pœnas in futuro: vel, si piè & iustè, præmia consequatur? Et Simon ait: Hoc vtique est, quod nos incredulos facit, quia multi benè agentes, malè pereunt: & rursum, multi impiè agentes, longi temporis cùm beatitudine vitam finiunt: Et Petrus: Hoc ipsum, inquit, quod te ad incredulitatem trahit, nobis certam fidem facit, quia iudicium erit.

Matth 6.

Magus ludit in vocabulo. Bonum atque ex hoc contendit, nihil simul bonum esse posse & iustum.

Matth 5. δ,αυτ.

Quia boni aliquando malè pereunt, argumento est esse aliam vitam post hanc. Atque hoc argumentum contra negantes Prouidentiam vsurpat eleganter Gregorius Nazianzenus.

Etenim cùm certum sit, Deum iustum esse necessarium & consequens est, aliud esse sæculum, in quo vnusquisque pro meritis recipiens, iustitiam Dei probet. Quod si nunc omnes homines pro meritis suis reciperent, verè nos fallere videbamur, dicentes futurum esse iudicium: & ideo hoc ipsum, quod in præsenti vita non redditur vnicuique pro actibus suis, fidem indubitabilem facit, scientibus. Deum esse iustum quia iudicium erit. Et Simon: Cur ergo mihi non persuadetur? Petrus ait: quia verum Prophetam non audisti, dicentem: Quærite primò iustitiam eius, & hæc omnia adponentur vobis. Et Simon: Indulge, inquit, mihi, nolenti primò iustitiam quærere, antequam sciam, an immortalis sit anima. Et Petrus: Et tu mihi hoc vnum indulge, quod non possim facere aliter, quàm me Propheta veritatis edocuit. Tum Simon: Certum est, inquit, non posse te adserere, quòd immortalis sit anima: & ob hoc cauillaris, sciens, quod si mortalis probetur, radicitus conuellatur religionis istius, quam conaris adserere, tota professio: & ideo laudo quidem prudentiam tuam, non tamen probo persuasionem: multis enim persuades suscipere religionem, & libidinis subire continentiam sub spe futurorum bonorum: quibus euenit, vt neque præsentibus perfruantur, & decipiantur futuris. Simul enim vt mortui fuerint, etiam anima pariter extinguetur.

Matth. 6.

Magus Petrum carpit, quòd doceat castitatem & moderationem à voluptatibus, cœlibatúmque. Quánam alia de causa nunc carpitur Ecclesia Catholica? Huic grauiter irascitur Apostolus, monstrans, & exprobans calumniosam ipsi impietatem, & inconstantiam sua doctrina, id est, obiicit, Multos eum Deos asseruisse. 2. nullos. 3. supra verum Deum mundi opificem alium ignotum quendam esse. 4. Deum malum esse. 5. imbecillum. 6. Animas mortales. Indicat denique, quàm istiusmodi doctrina vita communi sit perniciosa futura.

Petrus verò hæc audiens, dentibus frendens, frontémque atterens manu, & profundo dolore suspirans, ait. Astutia serpentis antiqui, ad hominum decipiendas animas, armatus adsistis, & ideo, vt serpens sapientior cæteris bestiis ab initio doctorem te esse professus es. Et rursus, vt serpens multos introducere Deos volebas: super quo confutatus, nullum omninò nunc esse Deum. Nam per occasionem, nescio cuius ignoti Dei, conditorem mundi Deum negâsti: sed eum vel malum esse, vel multos habere sibi æquales: vel omninò, vt diximus, non esse Deum confirmabas. Post hæc, cùm etiam in hoc superatus fuisses, animam nunc adseueras esse mortalem: vti ne futurorum spe rectè iustéque viuatur. Nam vtique, si desperantur futura, quid non, nisi abscindatur misericordia? luxuriæ indulgeatur, & voluptatibus? Ex quibus omnem consurgere iniustitiam constat. Et cùm tantæ impietatis doctrinam, miseræ huic introducas mortalium vitæ, teipsum pium, me impium vocas: quasi qui homines non sinam sub spe futurorum bonorum arma corripere, & impugnare se inuicem: diripere ac subuertere vniuersa, & moliri omnia, quæ libido dictauerit. Et quis erit iste vitæ status, qui à te introducitur, vt pugnent homines, & impugnentur? vt irascantur, & perturbentur? & semper in metu viuant? Necesse est enim eos qui aliis inferunt mala, etiam ipsos sperare similia. Vidésne te ducem perturbationis, & non pacis? iniquitatis & non æquitatis existere? Verùm ego, non quasi, qui ostendere non possim immortalem esse animam, simulati iracundiam: sed misereor animarum hominum, quas tu decipere conaris. Dicam ergo, sed quasi te cogente: scio enim, quomodo dicam: & solus eris, qui de hoc non tam persuasione indigeas: quam commonitione, eos,

hoc

A

hoc qui verè ignorant, docebo, vt conuenit. Tum Simon: Si irasceris, inquit, non interrogabo, nec audire volo. Et Petrus: Tu, siquidem nunc occasionem quæris subterfugiendi, habes licentiam, & sine occasione cuiusquam. Omnes enim audierūt te nihil rectè dicentem, nec potuisse aliquid confirmare: sed ob hoc tantùm interrogasse, vt contradiceres: quod quiuis facere potest. Quid enim difficile est post euidentes assertiones, respondere, nihil dixisti? Vt autem scias, quia possum tibi vno sermone ostendere, quod immortalis sit anima: interroga te verbum, quod omnes nôrunt: responde mihi, & vno sermone immortalem esse comprobabo. Tum Simon, qui iam occasionem sibi visus fuerat inuenisse ex iracundia Petri, vt discederet: restitit, pro eo, quòd mirum ei aliquid promittebatur, & ait: Interroga me, vt tibi respondeam, quod omnes nôrunt, & audiam vno vt pollicitus es sermone, quomodo anima immortalis sit. Et Petrus. Dicam ita vt præ cæteris omnibus tibi magis probetur. Responde ergo mihi: * quid est, quod incredulum magis suadere potest, visus, an auditus? Et Simon: Visus. Tum Petrus: Quomodo ergo à me vis discere verbo, quod tibi re ipsa probatur & visu? Et Simon: Nescio, inquit: quomodo dicas. Et Petrus: Si nescis, perge nunc in domum tuam: & ingressus interius cubiculum, videbis imaginem positam, continentem pueri violenter necati effigiem, purpurâ coopertam: ipsum interroga, & docebit te, vel responsione vel visu. Quid enim opus est audire ab eo, num immortalis sit anima, cùm adstare eam videas præsentem? Si enim non esset, nec videri vtique poterat. Quod si nescis, quam dico imaginem: hinc è vestigio cum aliis decem viris, ex his, qui præsentes sunt, eamus ad domum tuam. At Simon hæc audiens, & conscientiâ perculsus, colore mutato, exanguis effectus est: extimuit enim, nè fortè, si negaret, perscrutaretur domus eius, aut, ne indignans Petrus manifestiùs eum proderet: & omnibus, quis esset, innotesceret: ita respondit: Obsecro te Petre, per illum bonum Deum, qui in te est, vt vincas malitiam, quæ in me est: suscipe me ad pœnitentiam, & habebis me adiutorem prædicationis tuæ. Nunc enim verè rebus ipsis didici, quia Dei veri Propheta es: & ideo secreta hominum solus, atque arcana cognoscis. Et Petrus ait: Videtis fratres, Simonem pœnitentiam quærentem? paulò pòst videbitis eum rursus ad infidelitatem suam reuerti. Putans enim me Prophetam esse, pro eo, quòd publicaui mala eius, quæ in secretis habebat & in occultis, pœnitentiam se acturum promisit: Mihi enim mentiri fas non est neque, vt infidelis hic saluetur, aut non saluetur, ego fallere debeo. Testor enim cœlum & terram, quia non prophetice dixi, quæ dixi: vel quæ, quantum possibile erat, turbis audientibus indicaui: sed à quibusdam, qui tunc ei socij fuerant in operibus suis, nunc autem conuersi sunt ad fidem nostram, quid ei in secreto gestum sit, didici: cognita ergo, non præcognita loquutus sum. Simon verò vt hæc audiuit, maledictis his & conuiciis agreditur Petrum, dicens: O nefandissime omnium, & dolosissime, cui victoriam fortuna, non veritas dedit. Verùm ego non pro penuriâ sciētiæ pœnitentiam petij: sed vt tu, putans me per pœnitentiam discipulum tuum fore, omnia secreta professionis tuæ concrederes mihi: vt ita demum te cunctis agnitis confutarem. Sed, vt callidus, intellexisti, quam ob causam pœnitudinem simulâssem: & acquieuisti, tanquam meum non intelligens dolum, vt priùs me apud populum exponeres, quasi imperitum: tum deinde præuidens, quod ego ita populo expositus, necesse habeo indignari, & confiteri, me non verè pœnitudinem gerere, præuenisti, vt diceres me ad infidelitatem meam post pœnitentiam regressurum, vt omni ex parte vicisse videreris: siue permanerem in pœnitentia quam professus fueram, siue non permanerem: vt tu sapiens crederis, qui ista præuideris: ego autem deceptus viderer, quia tuum non præuidi dolum: tu verò meum præuidens, calliditate vsus circumscripsisti me. Sed vt dixi, fortunæ est, non veritatis ista victoria: Scio tamen, Cur ego ista non præuiderim: quia adstans loquutus sum tibi per bonitatem meam, & patienter egi tecum: Nunc autem tibi ostendam diuinitatis meæ potentiam, vt repentè procidas, & adores me. Ego sum prima virtus, qui semper & sine initio sum. Ingressus autem vterum Rachel, natus sum vt homo ex ea, quò ab hominibus videri possem: Ego per aërem volaui: igni commixtus vnum corpus effectus sum: statuas moueri feci: animaui exanima: lapides panes feci: de monte in montem volaui: transmeaui: manibus Angelorum sustentatus ad terras descendi. Hæc non solùm feci, sed & nunc facere possum, vt rebus ipsis probem omnibus, quia ego sum filius Dei, stans in æternum, & credentes mihi, similiter stare in perpetuum faciam. Tua autem verba vana sunt omnia: nec vllum potes opus ostendere veritatis: sicut & ille, qui misit te Magus, qui nec seipsum potuit liberare de crucis pœna. His dictis à Simone, Petrus respondit: Ne agas aliena, tu enim, quod sis Magus, ex ipsis, quæ gessisti, confessus es, & manifestatus. Noster autem magister, qui est filius Dei & hominis, manifestè bonus est. Quod autem verè sit filius Dei, quibus oportuit, dictum est, & dicetur. Tu autem si non vis confiteri, quod Magus es, cum omni hac turba pergamus ad domum tuam, & tunc apparebit, vter sit magus. Hæc autem Petro dicente, Simon blasphemiis & maledictis agere cœpit, vt seditione factâ, perturbatis omnibus, argui non posset, & Petrus, quasi blasphemiæ causâ secedens, victus videretur. Sed perstitit, & arguere eum vehementiùs cœpit. Tunc populus indignatus, Simonem atrio eiectum, extra ianuam domus pepulit: eumque depulsum, vnus sequutus est solus. Facto autem silentio, Petrus adloqui populum hoc modo cœpit: Patienter, fratres, malos ferre debetis: scientes, quia Deus, cùm possit eos excidere, patitur tamen durare vsque ad præstitutam diem: in qua de omnibus iudicium fiet? Quomodo ergo nos non patiemur, quos patitur Deus? Cur autem non forti animo illatas ab eis toleramus iniurias: cùm suas ille, qui potest omnia, non vlciscatur? vt & ipsius bonitas, & malorum noscatur impietas: Verùm, si non inuenisset Simonem malignus ministrum sibi, inuenisset alium sine dubio. Necesse est enim, sæculo huic venire scandala: væ tamen illi, per quem veniunt. Et ideò magis deflendus est Simon, quòd vas electionis factus est maligno: quod vtique non fuisset, nisi potestatem in eum pro peccatis prioribus accepisset. Nam inde qui dicam, quòd & Iesu nostro crediderat: & quòd immortales esse animas sibi ipse persuasit? Quamuis in eo ludatur à Dæmonibus, tamen persuasit sibi, quod pueri violenter necati habeat animam ministrantem sibi, ad quæcunque voluerit: in quo verè, vt dixi, à dæmonibus illuditur; & ideò ego secundum ea, quæ ipsi videbantur, loquutus sum ad eum: nam & a Iudæis didicit, quia sit iudicium, & vltio proferenda aduersum eos, qui contra veram fidem veniunt, nec pœnitudinem gerunt; sed isti sunt, quibus malignus, tanquam perfectis in sceleribus, apparet, vt decipiat eos, ne aliquando ad pœnitentiam conuertantur. Vos ergo, quia ad Dominum conuertimini per pœnitentiam, curuate ei genua. Hæc cùm dixisset, omnis multitudo genua flexit Deo. Et Petrus respiciens ad cœlum, cum lachrymis orabat super eos, vt Deus pro sua bonitate suscipere eos dignaretur, confugientes ad se. Et postquàm orauit, & præcepit, vt postera die maturiùs conuenirent, multitudinem missam fecit. Tùm deinde, secundum consuetudinem, cibo sumpto, quieuimus. Igitur Petrus solita noctis hora consurgens, inuenit nos vigilantes: & cùm ex more salutans consedisset, primus Niceta ait: Si permittis, mi Domine Petre, habeo, quod rogem. Et Petrus. Permitto, inquit, non solùm tibi, sed & omnibus: & non solùm modò, sed & semper, vt vnusquisque quod eum mouet, & partem, quam dolet in animo, fateatur: vt possit consequi medicinam. Quæ enim silentio conteguntur, nec innotescunt nobis, velut multi temporis vitia difficilè curantur: & ideo, quoniam tacentibus non facilè potest medela opportuni & necessarij sermonis adhiberi, proferre debet vnusquisque,

B

* hoc est, quid sit, quod incredulo magis fidem facere possit.

C

Mentiendum non est in gratiam proximi.

Simulata pœnitentia.

D

Simonis Magi.

E

Vide principiū libri 2. suprà. Magi de se falsissima professio.

IESVS. θεάνθρωπος.

F

Simon desertus ab omnibus eiicitur ex atrio. Petri mansueta

G

oratio ad turbam. Mat. 18, 15.

Credidisse aliquando Christo Simonē, ex actis constat Apostolorū, cap 8.

H

III. diei huius libri. Petri facilitas.

in quo animus per ignorantiam languet: tacenti verò dare remedium, solius est Dei: possumus autem & nos, sed circuitu multi temporis. Necesse est enim, vt sermo doctrinæ ab initio per ordinem currens, & singulis quibusque quæstionibus obuians cuncta aperiat, & cuncta dissoluat: & perueniat etiam ad hoc, quod vnusquisque in animo suo requirit: sed hoc, vt dixi, per multum tempus fieri potest. Nunc autem, quod desideras, roga. Et Niceta ait: Vberes tibi gratias ago, ô Clementissime Petre, verùm hoc est, quod dicere cupio: Cur Simon, qui aduersatur, facere tanta hæc, & talia potuit? Non enim mentitus est aliquid ex his, quæ se fecisse professus est. Adhæc beatus Petrus ita respondit: Deus, qui vnus & verus est, primo geminii suo amicos bonos & fideles instituit præparare: sciens autem, quia boni esse non possunt, nisi habeant in potestate sensum, quo fiant boni: vt ex suo proposito hoc sint, quod volunt: alióqui non possunt esse verè boni, si non proposito sed necessitate tenerentur in bono: potestatem dedit vnicuique arbitrij sui, vt hoc esse possit, quod vult. Et rursum præuidens, quia ista potestas arbitrij, alios quidem faceret eligere bona, alios verò mala: & per hoc in duos ordines necessariò propagandum esset hominum genus: vnicuique ordini concessit & locum, & Regem, quem vellet, eligere: bonus enim rex, bonis gaudet; & malignus, malis. Et quamuis hæc tibi, ô Clemens, in hoc tractatu, quem de præfinitione & fine disserueram, plenius exposuerim: tamen & nunc requirenti Nicetæ manifestare me conuenit: quæ sit ratio, cur Simon, qui contra Deum sentit, tanta facere mirabilia potuit. Igitur primò omnium, malus esse iudicatur apud Deum is, qui requirere non vult, quod sibi expedit: Quomodo enim talis iste alium diliget, qui semetipsum non diligit? Aut cui non iste inimicus erit, qui sibiipsi amicus esse non potuit? Vt ergo distinguerentur, qui bona, & qui eligunt mala: Deus, quod vtile est, occultauit hominibus: id est possessionem regni cœlorum, eamque velut thesaurum secretum repoluit & abscondit, vt ad eam non facilè quis possit virtute, & scientiâ peruenire propriâ: famam tamen eius, diuersis nominibus & opinionibus, per generationes singulas ad omnium perduxit auditum: vt, si qui fortè essent amatores boni, audientes, quod sibi esset vtile & salutare, requirerent, & inuenirent: Requirerent autem non à semetipsis, sed ab eo, qui occultauit: darique sibi accedendi aditum, & viam scientiæ precarentur, quæ illis solis panditur, qui eam super omnia mundi huius diligerent bona. Nec alio quis pacto vel intelligere eam possit, etiamsi prudentissimus videretur. Hi verò, qui neglexissent, quod sibi vtile & salutare esset, inquirere, tanquàm seipsos odio habentes, & sibimetipsis inimici, fraudarentur eius bonis, velut qui diligerent mala. Oportet ergo bonos diligere eam super omnia, id est, super diuitias, gloriam, requiem, parentes, propinquos, amicos, & omne, quod in hoc mundo est: Qui verò perfectè diligit possessionem hanc regni cœlorum, abiiciet sine dubio omnem malæ consuetudinis vsum, negligentiam, desidiam, malitiam, iram, eunctaque his similia. Nam si quid horum prætuleris ei, tanquam qui plùs dilexeris propriæ libidinis vitia, quàm Deum, ad possessionem regni cœlestis peruenire non poteris: quia & verè stultum est, aliquid plùs amare, quàm Deum. Siue enim parentes sunt, moriuntur: siue propinqui, non permanent: siue amici mutantur. Solus est autem Deus æternus, & indemutabilis parens. Qui ergo non vult inquirere, quod sibi vtile est: malus est, in tantum, vt malitiâ suâ ipsum impietatis principem superet. Ille enim bonitate Dei abutitur ad propositum malitiæ suæ: & sibi placet: Hic aũt salutis suæ bona negligit, vt perditione sui malo placeat. Propter hos ergo, qui salutis suæ neglectu placent malo: & eos qui studio vtilitatis suæ placere cupiunt bono: paria quædam ad tentationem præsenti huic seculo statuta sunt decem secundum numerum decem plagarum, quæ illatæ sunt Ægypto. Cum enim Moyses secundum præceptum Dei peteret à Pharaone, vt emitteret populum: & ad testimonium cælestis imperij signa ostenderet, proiectam in terram virgam: conuersa est in serpentem. Cumque ob hæc Pharao non vellet adquiescere, vt pote habens arbitrij libertatem: rursum Magi similia signa facere visi sunt, permittente Deo: vt propositum Regis probaretur ex arbitrij libertate, si magis crederet signis Moysi, qui à Deo missus est, quàm his, quæ Magi videbantur potiùs facere, quam faciebant: quos ipso vtique nomine intelligere debuerat, non esse operarios veritatis: quòd non à Deo missi, sed Magi appellabantur: sicut & ratio indicat. Denique vsque ad aliquem locum visi sunt habere certamen, & Post hæc confessi de se, cessere meliori. Inducitur ergo plaga vltima, interitus primitiuorum: & tunc Moyses iubetur populum conspersione sanguinis consecrare, atque ita magnâ cum prece, oblatis etiam muneribus, cum populo rogatur abscedere: Simili ergo modo etiam nunc per me video geri. Sicut enim tunc Moyse hortante Regem, vt crederet Deo, obsistebant Magi, quasi ostentatione similium signorum: & à salute incredulos prohibebant: ita & nunc, cùm ego exierim docere omnes gentes, vt credant vero Deo, Simon Magus resistit, eadem agens aduersum me, quæ & illi tunc egerunt aduersum Moysen vt si qui sunt ex gentibus, qui non recto iudicio vtuntur, appareant: saluentur autem, qui signorum rectum discrimen habuerint. Hæc dicente Petro Niceta respondit: Obsecro te, vt si quid ad memoriam venit, permittas mihi proferre. Tum Petrus delectatus super studio discipulorum: Dic, inquit, quod vis. Et Niceta ait: Quid peccauère Ægyptij, si non crediderũt Moysi cùm & Magi similia signa fecerint, etiamsi viderentur potiùs fieri, quam veritate fierent? Nam & si ego fuissem tunc, ex eo, quod magi similia faciebant, nonne aut Moysen Magum credidissem? aut Magos, quæ ostendebant, diuinitus facere putassem? quia non mihi verisimile videretur, licet per phantasiam, eadem tamen effici à Magis posse, quæ ille, qui à Deo missus est, perpetrabat. Et nunc ergo, quid peccant hi, qui Simoni credunt? cùm videant eum tanta facere mirabilia? Aut non est mirabile per aerem volare? igni admixtum, vnum corpus effici? facere statuas ingredi? canes æreos latrare? & alia his similia, quæ vtique discretionem nescientibus, satis mira sunt. Sed & de lapidibus visus est panes facere. Quod si peccat, qui signa facientibus credit: quomodo non peccasse videbitur & is, qui Domino nostro pro signis & virtutibus credidit? Et Petrus ait: Libenter accipio, quod de veritate ad amussim requiris: & impedimenta fidei in anima tua latere non pateris: vnde & medelam consequi facile potes. Meministi, quod peius omnium esse dixi, cùm quis negligit, quod sibi expedit discere? Et Niceta respondit: Memini. Petrus Et rursum, quod Deus occultauit veritatem suam, vt eam his, qui se fideliter, sectantur, aperiat? Et Niceta: Ne hoc quidem oblitus sum. Tum Petrus: Quid ergo putas, quia in terram defossam absconderit Deus veritatem: & montes ei superposuerit, vt ab his, qui in profundum fodere valent, tantummodo inueniri possit? Non ita est, sed sicut montes & terram cœli ambitu circundedit, ita & veritatem charitatis suæ velamine contexit, vt ille ad eam solus peruenire possit, qui prius ianuam dilectionis diuinæ pulsauerit. Etenim, quod priùs dicere cœperam, paria quædam huic mundo destinâsse Deum: ille qui primus ex paribus venit, a malo est: qui secundus, à bono. In quo vnicuique hominum iusti occasio iudicij datur: siue simplex ille sit, siue prudens. Nam si simplex est, & crediderit illi, qui primus venit: signis enim & prodigiis motus, necesse est eàdem ratione, vt etiam illi, qui secundò venerit, credat: signis enim & prodigiis suadebitur, & nunc, sicut prius. Dum verò crediderit huic secundo, discet ab eo, quòd primo illi, qui à malo venit, credere non debeat: & ita prioris error secundi emendatione corrigitur. Si verò, quia primò credidit, secundum recipere noluerit meritò vt iniustus condemnabitur: iniustum enim est, vt cùm primo propter signa crediderit, secundò eadem aut etiam potiora ferenti signa, non credat.

Prima Nicetæ quæstio. Cur Deus tanta Mago permiserit? Petri docta explicatio. Duo ordines hominũ.

Rex bonorum Christus, malorũ diabolus.

Clemens dictante Petro librũ conscripsit de Præfinitione Dei, is nunc nõ extat. Vnde requirenda veritas.

Deũ paria ad numerũ decẽ plagarũ constituta. Exod 7.

Vide Philonem, 1. lib. de vita Mosis.

Exod. 12.

Altera Nicetæ quæstio Quo factum sit, vt Magis Ægyptij potius, quam Mosi crediderint.

Pro signis id est, propter signa. Impedimenta fidei, dubitationes. Platonicum nam hoc Plato eodẽ modo de dialectica scripsit.

Paria quædam mundi.

A

Psal. 83. Ibunt de virtute in virtutem.

Si verò credidit primo, consequens est, vt vel in secundo moueatur ad credendum. Neque enim in tantum animo stetit, vt ingeminatis mirabilibus non valeat suscitari. Si verò prudens est, discretionem potest capere signorum. Et si quidem primo credidit, augmentia virtutum mouebitur ad secundum: & ex comparatione, quæ sint potiora, deprehendet: quamuis manifesta habeantur indicia apud eruditos quosque sicut per ordinis consequentiam demonstrauimus. Si verò, tanquam sanus quis, & qui medico non indigeat, non commotus ad primum, rei ipsius perseuerantia suscitabitur ad secundum: distinctionemque signorum & mirabilium faciet, in hunc modum. Ille, qui à malo est, signa quæ facit, nulli prosunt: illa verò quæ facit bonus, hominibus prosunt. Nam, dic quæso, quæ vtilitas est ostendere statuas ambulantes? Latrare æreos aut lapideos canes? salire montes? volare per aërem? & alia his similia, quæ dicitis fecisse Simonem. Quæ autem à bono sunt, ad hominum salutem deferuntur, vt sunt illa, quæ fecit Dominus noster, qui fecit cæcos videre; fecit surdos audire: debiles, claudos erexit: languores & dæmones effugauit: mortuos fecit resurgere: & alia his similia, quæ etiam per me fieri videtis. Ista ergo signa, quæ ad salutem hominum prosunt, & aliquid boni hominibus conferunt, malignus facere non potest: nisi in fine mundi tantum. Tunc enim admiscere ei conceditur aliqua etiam de dextris signis, id est, vt vel dæmones fuget, vel ægritudines sanet: & propter hoc, tanquam qui excesserit terminos suos, & in semetipsum diuisus sit, ac semetipsum impugnauerit, destruetur. Et propterea Dominus prædixit, in nouissimis temporibus tentationem futuram talem, in qua decipiantur, si fieri potest, etiam electi confusis scilicet indiciis signorum, perturbari necesse est etiam eos, qui in discernendis spiritibus, ac distinguendis virtutibus videntur eruditi. Decem ergo, quæ diximus, paria, huic mundo destinata sunt ab initio seculi: Cain & Abel, vnum fuit par. Secundum vero, Gigantium, & Noë, Tertium Pharaonis & Abraham. Quartum Philistinorum & Isaac. Quintum, Esau & Iacob. Sextum, Magorum & legislatoris Moysi: Septimum, tentatoris & filij hominis. Octauum, Simonis & meum, Petri. Nonum, omnium gentium, & illius, qui mittetur seminare verbum inter gentes. Decimum Antichristi & Christi: de quibus paribus aliàs vobis per singula latius exponemus. Et cùm hæc diceret Petrus, Aquila ait: Vere assiduâ doctrinâ opus est, vt de singulis possit quis scire rationem. At Pet. Quis est, qui assiduus sit erga doctrinam, & studiose singula quæque perquirat? nisi, qui animam suam diligit ad salutem, & omnibus renunciat huius mundi negociis, vt soli verbo Dei vacet: quem solum prudentem iudicat verus Propheta, vendentem omnia, quæ sua sunt? & ementem vnam veram Margaritam; & intelligentem, quæ sit differentia à temporalibus ad æterna: paruis ad magna: hominibus ad Deum. Intelligit enim, quæ sit æterna spes apud verum & bonum Deum. Quis autem est, qui diligit Deum, nisi qui sapientiam eius cognouit? quomodo autem quis agnoscere poterit sapientiam Dei, nisi assiduus sit ad audiendum verbum eius? ex quo accidit, vt amorem eius concipiat, & digno eum honore veneretur: hymnis & orationibus ad eum fusis, & in his libentissimè requiescens, summumque deputans detrimentum, si quando aliquid aliud vel ad momentum temporis loquatur, aut agat: quia reuera nec potest anima, quæ Dei amore repleta est, aliud aliquid intueri: nisi, quod ad Deum pertinet: nec satiari potest præ amore eius ea, quæ ipsi scit esse placita, meditando. Hi verò, qui effectum eius minimè concepere, nec illuminatam charitatem eius gerunt mente, velut in tenebris positi, lucem videre non possunt. Et ideo etiam priùs, quam incipiant requirere de Deo quasi labore oppressi, statim deficiunt: ac tædio repleti continuò à propria consuetudine rapiuntur ad ea verba, quibus delectantur. Nam de Deo audire aliquid, talibus tædiosum est & molestum: pro eo, vt dixi, quia mens eorum nullam dulcedinem diuinæ charitatis accepit. Hæc Petro dicente, dies exortus est: & ecce veniens quidam ex discipulis Simonis clamabat, dicens: Obsecro te Petre, suscipe me miserum, à Mago Simone deceptum: cui ego velut cœlesti Deo intendebam ob illa, quæ ab eo fieri mirabilia videbam: Auditis tamen sermonibus tuis, cœpit iam mihi homo videri: & quidem malus. Veruntamen cùm hinc exiret, ego eum subsequutus sum solus, nondum enim ad liquidum impietates eius agnoueram. Cùm autem vidisset me subsequentem, beatum me dicens, perduxit ad domum suam: circa medium verò noctis ait ad me: Omnium te hominum faciam meliorem, si volueris vsque ad finem perseuerare mecum: cui cùm promisissem, exigit à me iuramentum perseuerantiæ: eoque accepto, imposuit super humeros meos polluta quædam & execrabilia secreta sua, vt portarem: & sequi me iussit. Vbi verò ventum est ad mare, nauigium, quod fortè aderat, ingressus, id à ceruicibus meis, quod portare me iusserat sumpsit. Et paulò post egressus, nihil extulit: certum, quod in mare id iecerat: rogabat autem me, vt cum ipso proficiscerer, deinceps se Romam petere: ibi enim in tantum placiturum, vt Deus putetur: & diuinis publicè donetur honoribus* Tunc, inquit, te omnibus diuitiis repletum, si huc redire placuerit, & pluribus fultum ministeriis, mittam. Hæc ego audiens, & nihil in eo, secundum hanc professionem videns: sed Magum & deceptorem esse intelligens, respondi: Quæso te, ignosce mihi, quia pedibus doleo: & propterea exire à Cæsarea non valeo: præterea est mihi vxor: sunt paruuli liberi: quos relinquere omnino non possum. At ille hæc audiens, & ignauiæ me incusans, profectus est contra Doram, dicens: Cùm audietis, quanta mihi gloria erit in vrbe Roma, pœnitebit te.

Quæ sit Dora, vide initio quarti libri. Et Egesippum. lib. 1. de excidio vrbis Hierosol. cap. 35. quo loco notatur Cæsaream Stratonis sitam fuisse inter Ioppen, quæ nimirum ad meridiem mari adiacet Syriaco: & Doram, quæ eidem imminet versus aquilonem, ambas maritimas.

Et post hæc ipse quidem, vt aiebat Romam petit: ego autem confestim redij huc, orans, vt me suscipias ad pœnitentiam, quia ab eo deceptus sum. Cùm hæc dixisset is, qui à Simone egressus est, iussit eum Petrus in atrio residere. Procedens autem ipse, & turbas plurimas videns multò plures, quam superioribus diebus, stetit in loco solito: & ostendens eum, qui à Simone venerat, sermonem facere hoc modo cœpit. Iste, fratres, quem ostendo vobis, paulo antè venit ad me, de Simonis mihi malis artibus nuncians: quomodo ipsam sceleris sui officinam proiecerit in profundum: non, quasi pœnitentia ductus: sed metuens, ne deprehensus publicis legibus subiaceret. Rogabat autem hunc, vt dicit, munera immensa pollicens, secum manere. Cui cùm persuadere minimè potuisset, tanquam ignauum increpans, derelinquit: ipse verò Romam petens. Cumque hæc Petrus indicasset turbis, ipse qui regressus à Simone fuerat, publicè stans, singula quæque cœpit populo exponere de sceleribus Simonis. Et cùm grauiter ferrent de his, quæ audiebant per artes magicas gesta à Simone, ait Pet. Nolite fratres grauiter ferre de his, quæ transacta sunt: sed obseruate de futuris: quæ enim transierunt, iam finita sunt: quæ verò imminent, periculosa sunt his, qui incurrerint: scandala enim nunquam deërunt huic mundo, donec permittitur inimico agere pro voluntate sua: vt prudentes quique & intelligentes astutias eius, suscitatos sibi ab eo superent agones. Hi verò, qui negligunt discere, quæ ad salutem pertinent animæ suæ, iustis ab eo deceptionibus capiantur. Quia ergo, vt ipsi audistis, Simon egressus est: aures gentilium, qui ad salutem vocati sunt, præuenire necesse est: & me vestigia insequi: vt, si quid fortè ab illo dissipatum fuerit, corrigatur à nobis. Sed quoniam iustum est de vobis maiorem sollicitudinem geri, qui iam intra muros vitæ continemini quia, quod adquisitum est si pereat, damnum Infert: quod autem nondum, si quidem inueniri potuerit, lucrum est: si minus, hoc solùm damni est, quod lucrum factum non est.

Margin notes (left): B — *Amussis ad quam prodigia exigere conuenit, an ex Deo sint.* — *Signa diaboli qualia.* — *Matth. 24.* — *Decem paria totius mūdi collata inter se.* C — *Gen. 4.* — *Gen. 6. 7.* — *Matth. 19. 13.* — D *Nemo diligit Deū, nisi qui sapientiā eius cognouerit.* — *Hactenus de ante Lucanis*

Margin notes (right): E *quæstionibus dilatis.* — *Simon artis suæ mysteria in mare proiicit.* — F — ** Factum hoc, suprà in librum 2. annotatum est ex Iustino Martyre.* — *Simon Romam proficiscitur.* — G — H *Matth. 18.* — *Mala præterita boni consulenda.*

Vt ergo & vos magis in veritate firmemini & gentes quæ ſalutem vocantur, non vſquequaque poſſint nequitiâ Simonis præueniri: cogitaui Zachæum vobis ordinare paſtorem: ego verò ipſe tres vobiſcum permanere menſes, & ita proficiſci ad gentes: ne ampliùs morantibus nobis, & ſceleribus Simonis vſquequaque graſſantibus inſanabiles fiant. Hæc illo dicente, vniuerſus populus fleuit: audiens, quòd profecturus eſſet. At Petrus compaſſus eis, etiam ipſe lacrymas fudit, & in cœlum reſpiciens, ait: Tibi Deus, qui cœlum terramque feciſti, & omnia, quæ in eis ſunt, precem ſupplicem fundimus, vt confugientes ad te in tribulatione ſuâ ſoleris: Propter affectum enim, quem habent erga te, diligunt me: qui veritatem tuam adnuntiaui eis: Propter quod miſerationis tuæ dexterâ cuſtodi eos: non enim Zachæus, nec alius quiſquam hominum cuſtos eſſe eis idoneus poteſt. Hæc autem & his ſimilia cùm dixiſſet Petrus, manibus ſuperpoſitis Zachæo, orauit, vt inculpabiliter Epiſcopatus ſui ſeruaret officium. Poſt hæc duodecim presbyteros ordinauit, & diacones quatuor, & ait: Zachæum hunc vobis ordinaui Epiſcopum, ſciens eum timorem Dei habere, & eruditum eſſe in ſcripturis: quem quaſi Chriſti locum ſeruantem, honorare debetis, obedientes ei ad ſalutem veſtram: & ſcientes, quod ſiue honor, ſiue iniuria, quæ ei defertur, ad Chriſtum redundat: & à Chriſto, ad Deum. Audite ergo eum attentiùs, & ab ipſo ſuſcipite doctrinam fidei: monita autem vitæ à presbyteris: a diaconis verò ordinem diſciplinæ. Viduarum religioſam curam gerite: pupillos enixiùs iuuate: pauperibus miſericordiam facite; iuuenes pudicitiam docete. Et vt breuiter totum dicam alterutrum vos, in quibus res popoſcerit, ſuſtentate: Deum colite, qui creauit cœlum & terram: Chriſto credite: inuicem diligite: miſericordes eſtote ad omnes, non verbo ſolo: ſed & opere & rebus implete charitatem. Et cum hæc atque his ſimilia præcepiſſet, pronuntiauit ad populum, dicens: Quoniam tres menſes ſtatui facere vobiſcum, ſi quis veſtrûm deſiderat, baptizetur: vt exutus prioribus malis, de reliquo pro bonis actibus hæres bonorum cœleſtium, ex geſtis propriis fiat. Accedat ergo, qui vult, ad Zachæum: & ipſi det nomen ſuum, atque ab eo myſteria audiat regni cœlorum. Ieiuniis frequentibus operam ſtipendat, ac ſemetipſum in omnibus probet, vt tribus his menſib. conſummatis, in die feſto poſſit baptizari. Baptizabitur autem vnuſquiſque veſtrûm in aquis perennibus, nomine trinæ beatudinis inuocato ſuper ſe, perunctus primò oleo per orationem ſanctificato, vt ita demum per hæc conſecratus, poſſit percipere de ſanctis. Et cùm multa dixiſſet de ratione baptiſmi, dimiſſis turbis, ad ſolitam ſe recepit manſionem: ibique adſtantibus ſibi duodecim, id eſt: Zachæo, & Sophonia: Ioſepho & Michæa: Eleazaro & Phinees: Lazaro & Heliſæo: me Clemente & Nicodemo: Niceta & Aquila: hoc modo proloquutus eſt: Conſideremus fratres, quod iuſtum eſt: debemus enim auxilium aliquod ferre gentibus, quæ ad ſalutem vocatæ ſunt. Ipſi audiſtis quod Simon præcedere volens iter noſtrum, profectus ſit, quem oportuerat & è veſtigio inſequi, vt ſicubi aliquos ſubuertere tentaret, continuò confutaretur à nobis. Sed quoniam iniuſtum mihi videtur, vt derelictis his, qui iam conuerſi ſunt ad Deum, eorum, qui adhuc longè ſunt, curam præferamus, rectum puto, tribus menſibus permanere mecum his, qui in hac ciuitate conuerſi ſunt ad fidem: & firmiores eos efficere: nec tamen illos, qui adhuc longè ſunt penitùs negligere: ne fortè, ſi diu venenis peſſimæ doctrinæ inficiantur, difficiliùs reuocentur. Et ideo volo, ſi tamen etiam vobis iuſtum videtur, vt pro Zachæo, quem hic ordinauimus Epiſcopum, ſubiiciatur in numero Beniamin filius: Saba: & pro Clemente, quem decreui mecum ſemper eſſe, quia ex gentibus veniens, audiendi verbi Dei grande deſiderium gerit, Ananias filius Safra: Pro Niceta verò, & Aquila, qui nuper conuerſi ſunt ad fidem Chriſti, Rubelus Zachæi frater, & Zacharias ſtructor. Iſtis ergo quatuor, pro his quatuor ſubſtitutis, expleri volo duodecim numerum: vt me in ipſis ſemper ſecum eſſe ſentiat Simon. Sequeſtratis igitur me Clemente, & Niceta & Aquila, ad illos duodecim ait: Volo vos poſt diem craſtinum proficiſci ad gentes, & veſtigia Simonis inſequi: vt omnia, quæ agit, manifeſta mihi faciatis: ſed & propoſitum ſingulorum diligenter requirite: & me adfuturum ſine morâ eis adnuntiate: & ne multa vobis dicam, per omnia inſtruite gentiles, expectare aduentum meum. Cumque hæc atque his ſimilia dixiſſet: etiam vos, inquit, fratres ſi quid vobis ad hæc videtur, dicite: ne fortè non ſit rectum quod mihi ſoli placet. Tum omnes vnâ voce collaudantes eum: Rogamus magis, aiebant, vt pro arbitrio tuo cuncta diſponas: &, quod tibiipſi videtur, iubeas: hoc enim putamus eſſe opus integrum pietatis, ſi quæ tu iuſſeris, impleamus. Igitur ſtatuto die, cùm ſtetiſſent ante Petrum: Ne arbitreris, aiunt, Petre, paruum nobis indici mœrorem, quod fraudamur, non audientes te per menſes tres: ſed quoniam hoc expedit agere, quod tu iubes, obedimus promptiſſimè: ſemper ergo vultum tuum in noſtro corde retinentes, ſicut iuſſiſti, alacres proficiſcimur. At ille oratione pro eis ad Dominum fuſâ, emiſit eos. Et cùm profecti fuiſſent illi duodecim, qui præmiſſi ſunt, Petrus ingreſſus, ex more, in loco diſputationis ſtetit. Conuenerat autem populi multitudo, copioſior numerus, quàm ſolebat, & omnes cùm lachrymis intuebantur eum, pro eo, quod pridie ab eo audiſſent, profecturum ſe Simonis gratiâ. Sed & ipſe lacrymantes eos videns ſimilia patiebatur: licet conaretur occultare, & inhibere lacrymas: prodebatur tamen ex tremore vocis, & interruptione ſermonis, quod ſimili angeretur affectu. Veruntamen manu confricans frontem: Æquo animo, inquit, eſtote fratres, & miſericordes animas veſtras conſilij ratione ſolamini: referentes omnia ad Deum, cuius ſolius implenda, & omnib. præferenda voluntas eſt. Nam ſi verbigratia ponamus, quod pro affectu, quem erga vos gerimus, contra voluntatem eius agentes, reſideamus vobiſcum: nunquid non poteſt miſſâ in me morte, profectionem mihi à vobis inducere longiorem? Et ideo melius eſt, vt hanc breuiorem cum voluntate ipſius impleamus: vt pote quibus definitum eſt, in omnibus obedire Deo: vnde & vos debetis ſimili obedientiâ parere ei, quippe, qui etiam me, non alia ex cauſa, niſi pro ipſius amore diligatis. Vt ergo amici Dei, voluntati eius obtemperate: ſed & vos ipſi probate, quod iuſtum eſt. Nunquid non impium videbatur, ſi cùm vos Simon deciperet, ego non veniſſem ad vos? detentus à fratribus, qui erant in Hieruſalem, & quidem cum haberetis apud vos Zachæum, virum bonum, & in ſermone expeditum? Ita ergo & nunc impium iudicate, ſi cùm exierit Simon ad gentes impugnandas, quibus nullus omninò defenſor eſt, ego non ſubſequar: detentus à vobis. Propterquod obſeruemus, ne fortè affectu iniuſto, voluntatem maligni faciamus. Interim tribus, vt dixi, menſibus permanebo apud vos: Eſtote aſſidui ad audiendum verbum: & conſumatis bis, ſi qui poſſunt, & volunt ſequi nos, permittitur eis, ſaluâ pietate. Quod autem dico, ſaluâ pietate, hoc eſt, ne quem diſceſſu ſuo contriſtet, qui contriſtari non debet: vel parentes relinquens, quos non oportet: vel vxorem fidelem: vel, ſi quæ ſunt huiuſmodi perſonæ, quibus propter Deum deferri ſolatium conuenit. Intereà per dies ſingulos diſputans & docens, propoſitum tempus in doctrinæ labore compleuit. Et cùm adueniſſet dies feſtus, ſupra decem millia baptizati ſunt. In illis autem diebus epiſtola mittitur à fratribus, qui præceſſerant, in qua Simonis ſcelera continebantur: quomodo per ciuitates deciperet turbas, & Petrum per ſingola laceraret, vt cùm fortè aduenìſſet, nullus ei accommodaret auditum.

Petrum publicè à diis maleficij oraculis accuſatum & perſtrictum eſſe verſibus Græcis teſtatur & Auguſtinus libr. 18. de Ciuitate dei, cap. 53. & 54. Dicebant Dij, huius magicis ſceleribus duraturam ſaltem Chriſti religionem ad annos trecentos, ſexaginta quinque deinde deſituram.

Adſerebat eum Magum eſſe, * & ſine Deo: iniurioſum, callidum imperitum, impoſſibilia profitentem.

Zachæus ordinatus Epiſcopus apud Cæſaream à Petro.

Sic & Chriſtus orat, Ioan. 17.

Manuũ impoſitio. Vide, qualem ordinet Petrus Epiſcop.

Diſtincta officia Epiſcopi, Presbyterorum & diaconorũque? Compendiũ præceptorum Petri ad diſcipulos ſuos: & ſumma catechiſmi.

Oleo in baptiſmo vſi ſunt in primitiua Eccleſia Teſtatur id ipſũ Dionyſius Areopagita, in Eccleſ. Hierarchia.

XII. diſcipuli Petri mittuntur ad prædicãdum.

Solatur Petrus triſtem Eccleſia Cæſareanam ob diſceſſum ſuum.

Non facile relinquendi ſunt parẽtes aut vxores Euangelij prætextu.

** ſine Deo, id eſt, ἄθεος.*

Mortuos

Mortuos enim resurrecturos asserit: quod est, inquit, impossibile. Si qui verò eum confutare velit, occultis ab eo insidiis perimitur per satellites eius: propter quòd, inquit, & ego cùm eum superâssem & triumphâssem, insidias eius veritus, fugi ne fortè maleficiis me perimeret: aut mortem meam per insidias elocaret: indicabant autem maximè eum apud Tripolim demorari. Igitur Petrus epistolam recitari populo iubet: & post lectionem adloquutus eos, de omnibus plenissimè instruxit: præcipuè tamen, vt obedirent Zachæo, quem eis ordinauit Episcopum. Sed & presbyteros & diaconos populo: & ipsis nihilominus populum commendauit: simulque denuntians, quòd apud Tripolim hyematurus esset. Commendo vos, inquit, gratiæ Dei: crastino cum voluntate Domini profecturus. Per totos autem tres menses, quos apud Cæsaream doctrinæ causâ exegimus, quæcunque apud populum disserebat per diem, hæc nobis secretò lucubrantibus secum plenius & perfectiùs explanabat tanquam fidelioribus, ac sibi liquidò probatis. Simul & imperat mihi, quia intellexit me studiosiùs, quæ audirem, memoriæ commendare: libris singula quæque, quæ memoratu digna videbantur, comprehendere, & mittere ad te, mi Domine Iacobe: sicut & feci, parens eius præceptis.

Negotiū scribendi, à Petro iniunctū Clementi.

Non sunt hi Recognitionum libri: sed alij, qui nunc nobis desiderantur: vt alia multa ex Priscorum patrum monumentis, fortassis autem sunt illi, quos præter hos decem, alios totidem numero, conscripsisse Clementem refert Volgf. Lazius ex scriptis Primitiuæ Ecclesiæ: qui omnes viginti numero nomen itinerarij habuerint. Sed de his luculentiùs suprà: in iudicio nostro de Clementinis scriptis.

Primus ergo liber ex his, quos priùs misi ad te, continet de vero Propheta: & de proprietate intelligentiæ legis: secundum id, quod Moysis traditio docet. Secundus; de principio continet, vtrum vnum sit principium, an multa? &, quod non ignoret Hebræorum lex, quid sit immensitas. Tertius, de Deo, & his quæ ab eo instituta sunt. Quartus, quod cum multi dicantur Dij, vnus sit verus Deus secundum testimonia scripturarum. Quintus, quòd duo sint cœli: quorum vnum, sit istud visibile firmamentum, quód & transibit: aliud verò, æternum, & inuisibile. Sextus, de bono & malo: &, quod bono cuncta subiiciantur à patre: malum autem quare, & quomodo, & vnde sit? & quod cooperetur quidem bono: sed non proposito bono: & quæ sint signa boni, quæ verò mali: & quæ sit differentia dualitatis & coniugationis. Septimus, quæ sint, quæ prosequuti sunt duodecim Apostoli apud populum in templo? Octauus, de verbis Domini, quæ sibi videntur esse contraria: sed non sunt: &, quæ sit horum solutio. Nonus, quod lex à Deo posita, iusta sit & perfecta: &, quæ sola possit facere pacem. Decimus, de natiuitate hominum carnalium, & de generatione, quæ est per baptismum: &, quæ sit in homine carnalis seminis successio, & quæ animæ eius ratio: & quomodo in ipsa est libertas arbitrij: quæ quoniam non est ingenita, sed facta est, immobilis à bono esse non poterat. De his ergo singulis, quæ apud Cæsaream dissera sunt à Petro, iubente, vt dixi ipso: decem conscripta ad te transmisi volumina. Nos autem die postera, vt statutum fuerat, cum aliquot, qui Petrum sequi decreuerant, fidelibus viris, à Cæsarea proficiscimur.

ARGVMENTVM LIBRI IV. Recognitionum, Clementinarum Auctore L. Grutero Venradio.

HACTENVS, *quid contra Magum, Simon ille Petrus apud Cæsaream Stratonicam egerit: nunc porrò quid ab ipso apud Tripolim, vrbem Phœnicia maritimam sit actum: quæque ibidem, dum fugientem Magum insequitur, & quamdiu ab Apostolo habitæ conciones, de verò nimirum Deo ac seruatore nostro Iesu Christo, déque falsis dijs, & id genus principijs cognoscendi Christum, eúmque contra Magum astruendi, diligenter & luculente ab hoc quarto libro ad septimum vsque perscribit doctissimus Clemens. Miram vbique & planè Euangelicam Petri in perfectionibus apud suos, aliósque humanitatem, submissionem, charitatem, studiúmque regni Iesu prædicandi ac propagandi nobis interea commendat; idque sanè tam efficaciter, vt neminem esse posse putem, qui his ce lectis ad suam ipsius fidem vel excitandam vel confirmandam adeóque pietatem amplificandam mirabiliter accendi cogatur. Refert hic autem Clemens, vt Petrus intellecto eum appulisse Tripolim, coactus sit in crastino apud populum Tripolitanum facere verba; eum itaque doctè & copiosè de origine idololatriæ, falsorum cultuum & ignorantia: itémque vnde dæmonibus data sit facultas inuadendi homines, & quâ via, docuisse; hortatum dein, vt ad veram de Deo cognitionem, priscis olim traditam reuerti velint: demonstrasse præterea euidenter vanitatem & imposturas idolorum colendorum: & inter diuinationes, quæ pleraque fictitiæ & Pythonicæ sunt; alias autem veras & propheticas, diligenter distinxisse; tum omnia, quæ quidem aduersus Deum ab infidelibus obijci poterant, propterea quod dæmones formasset, quos & seductores humani generis fore, & à se desciturus præsciebat, διὰ τῶν πολλῶν προλήψεων remouisse: explicatâ demum ratione ignorantiæ, & initio cultus impij ac idololatrici monstrato, cunctos hortatum ad vitæ religionísque puritatem per fidem in Iesum, (quem pulcherrimis interim titulis ornat;) & baptismi susceptionem, ob efficacitatem fidei: ac postremò vitandos esse falsos magistros seu concionatores, docuisse.*

Quàm sit hæc grauissima Petri concio futura vtilis, vbi tot fidei dogmata de vno & vero deo, déque sano & rectè eius cultu: tot de origine errorum, & fonte idololatriæ: de natura dæmonum, nequitiâ, insidiisque: tum de Pœnitentia: de probatione concionatorum: tot denique arcana de prisca ætate scitu iucundissima continentur atque explicantur, equidem malo quemque ex ipsa lectione, quàm nostrâ oratione percipere.

RECOGNITIONVM Diui Clementis ad Iacobum Fratrem Domini, Liber quartus Rufino Torano Aquileiense interprete.

Prima Petri concio Tripoli habita, de vera agnitione cultúque Dei.

PROFECTI à Cæsarea, vt Tripolim pergeremus, apud Doram breue oppidum, primam fecimus mansionem: quia nec longè aberat.

Doram Clemens breue vocat oppidum, vel quòd parùm distaret à Cæsarea, Phœniciam versus: vel quod exiguum esset.

Et omnes penè, qui per sermonem Petri crediderant, diuelli ab eo satis ægre habebant: sed pariter incedentes, dum iterum videre, iterum complecti iuuat: iterum conferre sermonem: ad diuersorium peruenimus. Sequenti verò die venimus Ptolomaidam, vbi decem dies demorati, cùm aliquanti verbum Dei recepissent: nonnulli eorum, qui attentiores videbantur, & diutiùs detinere nos doctrinæ gratiam cupiebant: Tripolim, si hoc vellent, vt sequerentur, indicauimus. Similiter & apud Tyrum ac Sydonam & Berytum fecimus, & his qui pleniùs desiderabant audire sermonem, apud Tripolim nobis hyemandum denuntiauimus.

Dora Ptolemais, Tyrus, Sydon ac Berytus, inter Cæsaream Stratonis, ac Tripolim mari Syriaco adiacent. Hæc [illegible]. Est autem Tripolis, Phœnicia vrbs, mari adiacens: locus sic ex numero dictus, quòd tria oppida, singulis inter se stadiis distarent, adeò coniuncta. P. Mela libro primo de situ orbis, capite duodecimo.

Igitur cùm ex singulis ciuitatibus studiosè quique comitarentur Petrum, electorum multitudo plurima ingredimur Tripolim. Continuò autem ante portas ciuitatis, fratres, qui præmissi fuerant, occurrunt: & suscipientes nos abducunt per hospitia, quæ præparauerant. Commotio autem & concursus plurimus fiebat in ciuitate, desiderantium videre Petrum. Et cùm venissemus ad domum Maronis, in qua Petro fuerat præparatum: conuersus ad turbas, post diem crastinum, sermonem se ad eos promisit facturum. Igitur qui præmissi fuerant, fratres omnibus, qui nobiscum venerant, hospitia diuidunt. Petrus verò Maronis domum ingressus, cùm rogaretur cibum sumere, nequaquam se facturum respondit: nisi prius scisset, si omnes, qui eum fuerant comitati, hospitiis requiescerent. Comperit autem à fratribus, qui præmissi sunt, quia à ciuibus, pro desiderio, quod erga Petrum conceperant, non solùm hospitiis, sed & omni humanitate suscepti sint: in tantùm, vt & contristarentur aliquanti, quibus defuêre, quos susciperent: Ita enim omnes paratos fuisse, vt si multò plures venissent, adhuc tamen suscipiendos magis, quam suscipientes fuisse defuturos. Super his Petrus valde delectatus, collaudauit, & benedixit eos: ac secum manere iussit: ipse verò, cùm lauisset in mari, cibo sumpto, quieuit in vespera.

Petri pro suis solicitudo.

Initio nascentis ecclesiæ, sic proferebatur Euangelij doctrina: vt legis quoque obseruatio non interdiceretur. Nam debes tibi ab Ebionis cauere hæresi, qui corporis lotionem ad animi purgationem permultum facere putauit. Porro huius & Eunomij erroribus contaminatos esse plerisque locis hos libros, fatetur Rufinus interpres, & Epiphanius Cyprius. Locos vide supra, in Iudicio nostro.

Et ex more, pullorum cantibus surgens, vespertino adhuc lumine perdurante, cunctos inuenit vigilantes: eramus autem omnes cum eo sedecim, Petrus & ego Clemens: Nicera & Aquila: & illi, qui præcesserant, duodecim. Salutans itaque, vt solebat, Petrus ait: Hodie, quia aliis occupati non sumus, nobis simus. Et ego quidem vobis, quæ apud Cæsaream, post digressum vestrum gesta sunt, enarrabo. Vos autem mihi, quæ hic à Simone perpetrata sunt, indicate. Et cùm de his ab alterutro sermo cederetur, illucescente die, ingressi quidam de familiaribus, nunciant Petro: quod Simon, vbi eum didicisset ingressum, per noctem profectus esset in Syriam tendens. Turbæ autem diem hanc, inquiunt, quam interposuisti eis, desiderio tui longissimum sibi esse tempus opinantur: denique non ferentes, stant ante ianuam, inter se inuicem de his, quæ audire cupiunt, conferentes: & te ante præfinitum tempus omnimodis se visuros sperant: quantóque magis dies clarescit, multitudines colliguntur: & audituros se sermonem tuum, nescio vnde præsumentes, certissimè confidunt. Nunc ergo, quod tibi videtur, iube, vt dicamus eis: absurdum namque est, tantam multitudinem conuenisse, & discedere cum mœstitia, quippe si responsa eis nulla reddantur: Non enim cogitabunt, quod ipsi statutum non exspectauerint diem: sed quòd à te magis videantur esse contempti. Tum Petrus admirans ait: Videtis fratres, quomodo vnusquisque sermo Domini propheticè dictus, impletur? Memini enim dixisse eum: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt eiiciat operarios in messem suam. Ecce ergo nunc, quæ in mysterio prædicta sunt, adimplentur. Sed & quod dixit: multi venient ab oriente, & occidente, à septentrione, & meridie: & recumbent in sinibus Abraham, & Isaac, & Iacob: etiam hoc pariter, vt videtis expletur. Propter quod deprecor vos conseruos & adiutores meos, vt discatis attentiùs prædicandi ordinem, & solutionum vias: vt possitis saluare animas hominum, quæ occulta Dei virtute, quem debeant diligere, priùs etiam quam doceantur, agnoscunt. Videtis enim eos, quasi bonos seruos desiderare eum, quem sibi sperant aduentum sui Domini nunciare: vt possint voluntatem eius, quam didicerint, implere. Desiderium ergo audiendi verbi Dei, & voluntatem eius quærendi, ex Deo habent: & hoc est initium doni Dei quod gentibus datur, vt possint per hoc doctrinam recipere veritatis. Sic enim & Hebræorum populo ex initio datum est, vt diligerent Moysen, & crederent verbo eius. Quod ergo fuit proprij muneris à Deo erga Hebræorum gentem, hoc nunc videmus dari etiam his, qui ex gentibus conuocantur ad fidem. Operum verò ratio, potestati & arbitrio vniuscuiusque permittitur: & hoc ipsorum est proprium, hoc à patre cœlesti donatum est, vt voluntatem eius, cuius amorem & desiderium, Deo largiente, conceperis, facias: ne dicatur ad te ille sermo eius, quem dixit: Quid autem dicitis mihi, Domine Domine, & non facitis, quæ dico? Est ergo proprij muneris à Deo concessi Hebræis, vt Moysi credant: gentibus autem, vt Iesum diligant. Hoc enim indicabat & magister, vbi ait: Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quia occultasti hæc à sapientibus & prudentibus & reuelasti ex paruulis; per quod vtique declaratur, quia Hebræorum populus, qui ex lege eruditus est, ignorauit eum. Populus autem gentium agnouit Iesum, & veneratur: propter quod & saluabitur, non solùm agnoscens eum: sed & voluntatem eius faciens. Debet autem is, qui ex gentibus est, & ex Deo habet, vt diligat Iesum: proprij habere propositi, vt credat & Moysi. Et rursus Hebræus, qui ex Deo habet, vt credat Moysi: habere debet, & ex proposito suo vt credat in Iesum, vt vnusquisque eorum, habens in se aliud diuini muneris, aliud propriæ industriæ, sit ex vtroque perfectus. De tali enim dicebat Dominus noster viro diuite, qui profert de thesauris noua & vetera. Sed de his satis dictum, vrget enim tempus: & populi religiosa deuotio inuitat nos, ad ipsos facere sermonem. Et cùm hæc dixisset, requirebat, vbi oportunus esset locus ad disputandum. Et Maro ait: Est mihi ædes ampliissima, quæ plus quam quingentos recipiat viros: est & hortus intra domum: aut si in publico aliquo placet loco, hoc magis omnes desiderant, nemo enim est, qui non cupiat vel faciem tuam videre tantùm. Et Petrus: Ostende mihi, inquit, ædem, vel hortum. Et cùm vidisset ædem, ingrediebatur, vt & hortum perspiceret: & subitò omnis multitudo, quasi ab aliquo euocata, cum festinatione ingressa est domum: atque inde ad hortum proruppit, vbi iam stabat Petrus, considerans, quis esset aptus ad disputandum locus. Vt autem vidit turbas, velut ingentis fluuij inundasse lenem meatum: ascendens super basim quandam, quæ fortè iuxta horti parietem stabat, primò, religionis more, populum salutauit: quidam autem ex his, qui aderant, & multo tempore à dæmonibus fuerant fatigati, in terram proruunt: obsecrantibus spiritibus immundis, vt vel vno die indulgeretur eis in obsessis corporibus permanere: quos Petrus increpans, iussit abscedere: & sine mora discesserunt. Post hos alij longis affecti languoribus, rogabant Petrum, vt reciperent sanitatem, pro quibus se supplicaturum Domino pollicetur, cum priùs sermo doctrinæ fuisset expletus. Sed statim vt promisit, languoribus resoluti sunt, & iussit eos seorsim residere cum his, qui à dæmonibus fuerant curati, quasi post laboris fatigationem. Interea dum hæc aguntur, plurima multitudo conuenit, quos non solùm desiderium Petri, sed & sanitatum, quæ perpetratæ fuerant, fama pertraxerat. At Petrus manu quiescere populum docens, & turbas in tranquillitate componens, hoc modo fecit exordium.

Simon reformidans Petri conspectum dilabitur in Syria.

Math. 9. Matth. 8.

Proprium Hebræorum munus factum est & gentib.

... bus commune. Liberum arbitrij.

Matth. 7. Math. 11.

Saluantur, non qui agnouerint Deum: sed qui voluntatem eius fecerint.

Math. 13.

Oratio Petri, eruditissima atque elegantissima adeoque feruentissimo ipsius spiritu referta, qua ab idolis ad veram in vnum Deum & Christum fidem, efficacissimis variisque argumentis hortatur Tripolitanos.

Incipienti de vero Dei cultu facere sermonem, necessarium mihi videtur, eos qui nondum de hoc aliquid scientiæ consequuti sunt, primò omnium docere, per omnia inculpabilem ponendam esse diuinam prouidentiam: per quam mundus regitur & gubernatur. Hunc autem nobis exordij titulum dedit præsentis operis ratio: & eorum, quos Dei virtus sanauit, occasio: vt ostendamus, quòd recta ratione quàmplurimi à diuersis dæmonibus obtinentur, vt per hoc appareat iustitia Dei. Inuenietur enim omnium penè malorum mater, esse ignorantia.

Principiū Christianismi est, credere prouidentiam diuinam, eamque inculpabilem.

A ignorantia. Sed iam veniamus ad causam. Deus cùm fecisset hominem ad imaginem & similitudinem suam, operi suo spiramen quoddam, & odorem suæ diuinitatis inseruit, vt per hoc participes facti mortales vnigeniti eius: per ipsum etiam, amici Dei & filij adoptionis existerent: vnde & qua vis id possint adipisci, ipse eos, vt Propheta verus edocuit: sciens, quibus actibus hominum delectaretur pater. Vnus itaque apud homines tunc Dei cultus erat, mens pura & spiritus incorruptus: Et ob hoc, omnis creatura humano generi fœdus inuiolabile conseruabat. Ob reuerentiam namque creatoris, nulla ægritudo in eos, nullum vitium corporis, nulla ciborum dominata corruptio est: ex quo fiebat, vt mille annorum ætas in fragilitatem non incideret senectutis.

Præcipuus cultus Dei consistit in mente pura.

Sed, vbi vita laboris expers, bonorum perseuerantiam non putauit diuina largitione, sed rerum sorte concessam: & sine vllo sudore diuinæ amœnitatis deliciis perfrui, naturæ debitum: & non Dei bonitatis munus accepit: in contrarias, per hæc homines & impias cogitationes, ocio docente, perueniunt: putantes, Deorum sibi vitam, nullis laboribus nullisque meritis natam. Hinc proficiunt in deterius, vt neque prouidentia Dei mundum regi credant, neque virtutibus esse aliquem locum: quandoquidem semetipsos sciant nullis priùs bonis operibus adsignatis, ocij ac deliciarum summam * tenere: & amicos Dei absque vllis laboribus * haberi. Iustissimo itaque Dei iudicio, in huiusmodi cogitationum vanitate languentibus, labores & adflictiones pro remedio conferuntur. Vbi ergo adfuit labor ac tribulatio, deliciarum & amœnitatis exclusi sunt loco. Terra autem cœpit nihil eis sine labore producere: & tunc conuersa in hominibus cogitatio creatoris sui requirere commonetur auxilium, & orationibus ac votis præsidia inuitare diuina. Et ita factum est, vt cultum Dei, quem pro bonis neglexerant, recuperarent pro malis: & cogitationes in Deum, quas peruerterat indulgentia, emendaret adflictio. Sic ergo diuina prouidentia hoc esse vtilius hominibus videns, vias benignitatis & abundantiæ, tanquam quæ læderent, subtrahit ab hominibus: & vexationis iter ac tribulationis inducit. Sed vt ostenderet, quia hæc pro ingratis agerentur: vnum quendam ex illis, qui primitus cœperant esse mortales, quod eum gratiæ suæ non immemorem vidit, & quia sperauit inuocare nomen Domini, ad immortales transtulit.

** tenuisse. * habitos fuisse. Afflictiones dantur aliquando pro remediis.*

Noë Genes. 6.

(*De Enos, Genes. 4. Moses testatur, iuxta 70. οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα κυρίου τοῦ θεοῦ. Atque hanc lectionem citat Clemens, & quia sperauit inuocare nomen domini. Verùm hic intelligendum est, de Enocho. Vide Genes. 5.*

Cæteris, qui in tantum ingrati extitere, vt nec laboribus & tribulationibus emendari & corrigi possint, grauissima morte damnatis. Inuenit tamen & inter ipsos vnum quendam cum domo sua iustum, quem reseruaret: præcepto ei dato, vt fabricaret arcam, & in ea, (cum diluuio cuncta necarentur:) ipse cum his, quibus præceptum fuerat, posset euadere: quò impiis inundatione aquarum peremptis, purificationem mundus acciperet: & is, qui ad prosperitatem generis fuerat reseruatus, per aquam mundus effectus, mundum denuo repararet. Sed his omnibus gestis, rursus homines ad impietatem vertuntur: & propter hoc à Deo ponitur lex, quæ viuendi modum doceret: sed processu temporis, Dei quidem cultus & iustitia, ab infidelibus & impiis corrumpitur: sicut paulò pòst apertiùs ostendemus: peruersæ autem & erraticæ religiones introducuntur: quibus se plurima pars hominum per occasionem feriarum, & solennitatum dederunt: potus instaurantes, & conuiuia, tibiasque ac fistulas, & citharas, ac diuersa genera musicorum sectantes: & semetipsos per omnia, temulentiæ ac luxuriæ propinantes. Hinc omnis error accepit originem: hinc lucos, & aras, hinc coronas & victimas reperere, & post ebrietatem, quasi limphaticis motibus agi: ex hoc iam potestas dæmoniis data, ingrediendi huiuscemodi mentes: vt chorus ducere insanos, & Baccho furere viderentur: hinc fremere dentibus, & mugire de profundis visceribus inuentum: hinc terribilis vultus, & ferus in hominibus aspectus: vt is, quem temulentia subuerterat, ac dæmon instigauerat, numine repletus à deceptis & errantibus crederetur. Vnde cùm tam multæ in hunc mundum falsæ & erraticæ religiones essent introductæ: missi sumus nos, deferentes vobis, tanquam boni negociatores, à patribus traditum & conseruatum veri Dei cultum: cuius quasi semina quædam, vobis hæc verba respergimus: & in vestro iudicio ponimus, quod rectum videtur, eligere: Si enim recipiatis, quæ nostra sunt: non solùm ipsi incursiones dæmonis effugere: sed & ex aliis eas effugare poteritis: simul & æternorum bonorum præmia consequemini. Qui autem contempserint recipere, quæ dicuntur à nobis, in præsenti quidem vita, diuersis dæmonibus & ægritudinum vitiis subiacebunt: Post excessum autem corporis, etiam animæ eorum cruciabuntur in perpetuum. Deus enim non solùm bonus, sed & iustus est: nam si semper bonus sit & numquam iustus est, vt reddat vnicuique pro gestis suis, bonum inuenietur in iustum. Iniustum namque est, si ita apud eum habeatur impius, sicut & pius. Igitur dæmones, sicut paulò antè diximus, cum, occasionibus acceptis, ingerere se potuerunt per malos, & turpes actus corporibus hominum: si multo tempore permaneant in eis, per negligentiam ipsorum: quia animæ suæ, quod est vtile, non requirunt: necessariò cogunt eos habitantium in se dæmonum de reliquo facere voluntates. Quod autem est omnium deterius, in consummatione seculi, cum dæmon ille igni tradetur æterno, necessariò & anima, quæ ei paruit, cum ipso æternis ignibus cruciabitur, vna cum corpore suo, quod polluit. Dæmones autem habere desiderium immergendi se corporibus hominum, hæc causa est. Spiritus sunt, habentes propositum conuersum ad malitiam: per cibos ergo & potus immoderatos, ac libidinem, perurgent homines ad peccatum: eos tamen, qui peccandi propositum gerunt: qui dum videntur necessaria naturæ velle complere, non tenentes modum per nimietatem, ingrediendi in semetipsos dæmonibus faciunt locum.

Lex viuendi à Deo data post diluuium.

Festi dies Ethnicorum.

Bacchi numen.

Quamobrem dæmones gaudeant immergi humanis corporibus.

Quod hic Petrus asserit, testatur & D. Deus apud Iobum capit. 40. Ecce, inquit, virtus eius in lumbis eius, (Behemoth dæmonis) & robur illius in vmbilico ventris ipsius. Nimirum significat, illecebris venereæ voluptatis, quæ circa lumbos in viris: & vmbilicum in fœminis maximè sentitur potissimum dæmonem mortales oppugnare atque inuadere. Atque hoc in causa fuit, cur suos monuerit Christus seruator, vt succingant lumbos. Luc. 12. Vide autem & suprà libri secundi finem, vbi eadem Petrus ait.

Donec autem naturæ mensura seruatur, & modus legitimus custoditur, Dei clementia, ingrediendi in homines non eis tribuit facultatem. Vbi verò aut mens ad impietatem declinauerit, aut corpus immoderatis cibis ac potibus adimplebitur, tanquam voluntate & proposito eorum, qui se ita negligunt, inuitati, quasi aduersum eos, qui à Deo positam legem soluerint, accipiunt facultatem. Videtis ergo, quantum valeat agnitio Dei, & diuinæ religionis obseruantia; quæ non solum defendit credentes ab incursionibus dæmonij, verùm & imperare eos facit his, qui cæteris dominantur. Et ideo necessarium vobis est, qui estis ex gentibus, confugere ad Deum; & obseruare vos ab omni immunditia, vt expulsis dæmonibus, Dei habitatio fiat in vobis. Simul & orationibus commendate vos Deo: & interpellare eum aduersum impudentiam dæmonum: credentes enim quæcunque petieritis, accipietis. Sed & ipsi dæmones, quantò viderint fidem crescere in homine, tantò ab eo refugiunt: in ea solùm parte residentes, in qua adhuc aliquid infidelitatis resederit: ab his verò, qui plena fide credunt, absque vlla remoratione, discedunt. Anima enim, cùm venerit ad fidem Dei, cœlestis aquæ virtutem consequitur: per quam dæmonem tanquam scintillam ignis extinguat. Est ergo fidei mensura, quæ si integra sit, ex integro de anima dæmonem fugat: si verò minus aliquid habeat, residet adhuc aliquid de portione dæmonis in portione infidelitatis: & est plurimus labor, vt intelligat anima, quando, aut qualiter: tum plenè, aut minus plenè ex se fugatus sit dæmon Si enim in

Matth. 21.

Fides dæmones fugat.

aliqua parte recederit, cùm tempus inueniet, cogitationes subiicit cordibus hominū: & illi nescientes, vnde hæc veniant, suggestionibus dæmonum quasi animæ suæ sensib. credunt: suggerunt ergo aliis, occasione corporeæ necessitatis delitias sequi: aliorum iracundiā excusant per abundantiam fellis: aliorum insaniā, nigri fellis vehementia colorant: sed & stultitiā quorundam, pro multitudine phlegmatis extenuant. Quod & si ita esset, tamen hæc singula molesta corpori esse non possent, nisi ex ciborū potuumq; nimietate qui cùm iusto amplius sumūtur, abundātia eorū quam decoquere naturalis non sufficit calor, crudescit in venenū quoddam: idq; viscerib. venisq; omnib. sentinæ in modū redundās, motus corporis insanos reddit & turpes. Propter quod in omnib. est obtinēda parsimonia: vt neque dęmonibus locus detur, neq; anima ab eis obsessa vnà cum ipsis tradatur æternis ignibus cruciandam. Est & alius error dæmonum, quem subiiciunt sensibus hominum: vt putent se ab his, qui dicuntur Dij, perpeti, quæ patiuntur: quò per hæc, sacrificia offerentes & munera, quasi repropitiantes eos, cultum falsæ religionis adfirment: nos verò refugiant, qui pro salute eorum satagimus, vt ab errore liberentur: sed hoc, vt dixi, faciunt, ignorantes, quod dæmones ista sibi suggerant, ne saluentur. Est ergo in potestate vniuscuiusque (quia liberi arbitrij factus est homo:) vtrum nobis velit audire ad vitam: an dæmonibus ad interitum. Aliis etiam dæmones in visu per diuersas imagines apparentes, interdum minas intendunt: interdum sanitates incommoditatibus pollicentur: vt his, quos decipiunt, Deorum nihilominus de se inserant opinionem: &, quod sint dæmones, ignoretur. Sed nos non latent, scientes mysterium creaturæ: & quam ob causam dæmonibus hæc agere in præsenti seculo permittatur: vt vel transformari eis liceat in quas volunt imagines: vel, suggerere prauas cogitationes: & inserere se per cibos & potum sibi consecratum mentibus vel corporibus eorum, qui ex eo sumpserint: vel ad idoli alicuius venerationem, somnia vana confingere. Et tamen quis ita sine sensu inuenitur: cui persuadere debeat, vt idolum colat? siue illud ex auro, siue ex quolibet metallo factum sit: cui non palam est, id esse illud metallum, quod artifex voluit? Quomodo ergo inesse ibi diuinitas putanda est? quod si noluisset artifex, omninò non esset? aut, quomodo inde futura sibi adnuntiari sperent, vbi nec præsentium aliquis intellectus est? Quamuis etiamsi aliquid diuinarent, non continuò Dij haberi possint: quia aliud est diuinatio, aliud diuinitas. Nam & Pythones diuinare videntur: & non continuò Dij sunt: denique à Christianis hominibus effugantur.

Liberum arbitriū.

Vanitas cultus idololatrici.

Pythones: diuinato-ry spiritus.

Pythones, spiritus sunt, qui in fanaticis habitant, atque interrogati vaticinantur. Est enim πύθων dictus, ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι quod est, interrogare, indagare: quia diabolus respondet consulentibus. Obsessi hoc spiritu à Græcis dicuntur ἐγγαστρίμυθοι: in decretis, Ventriloqui. Grauissimè hæc diuinatio in lege prohibita fuit, Leuitici, cap. 20. Porro de Pythonicis, vide 1. Reg. 28 & in Actis caput 16.

Et quomodo Deus est, qui fugatur ab homine? Sed dicis fortasse: quid, quod sanitates efficiunt? & quomodo quis curetur, ostendunt? Hac ratione colendi sunt etiam medici, vt Dij: multos enim sanant, & quantò quis peritior fuerit, tantò plures sanabit. Vnde constat, istos, cùm sint dæmoniaci spiritus, & multò citiùs, scire aliqua, & multò perfectiùs: non enim ad discendum tarditate corporis degrauantur. Et ideo, quæ medici longo tempore, & labore plurimo adsequuntur: hæc illi, tanquam spiritus, absque mora vlla, & absque difficultate cognoscunt. Non ergo mirum est, si plus aliquid quàm homines sciunt: sed hoc intuendum est, quod ea, quæ sciunt, non ad salutem, sed ad deceptionem proferunt animarum: vt per hæc eas cultum falsæ religionis edoceant. Sed Deus, ne tantæ deceptionis error lateret: & errantibus ipsa causa videretur existere: qui tantum his licere permisit, vt per diuinationes, & per curationes, per somnia decipere homines possint: clementiæ suæ remedium prouidit hominibus: & distinctionem falsi verique scire cupientibus, in propatulo posuit. Est ergo ista distinctio. Quod à vero Deo dicitur, siue per Prophetas, siue per visiones diuersas, semper verum est: quod autem à dæmonibus prædicitur, non semper verum est. Est ergo euidentis indicij, non à vero Deo dici ea, in quibus aliquando mendacium est: in veritate enim nunquam mendacium est: in his autem, qui mentiuntur, potest aliquando & veritatis aliquid admisceri, per quod mendacia cōdiantur. Quòd si dicat aliquis: quid enim opus erat hoc ipsum, vt eis permitteretur, vel aliquando verum dicere? & per hoc, tantum errorem mortalibus introduci? Audi adhæc si eis nunquàm fuisset indultum, veri aliquid dicere omninò, nec prædicerent aliquid: non prædicentes autem, nec quòd essent dæmones, cognoscerentur. Quòd si ignorarentur esse dæmones in hoc mundo? agonis nostri & certaminis nos causa latuisset: & pateremur palàm, quæ geruntur in occulto: quippè si agendi tantùm aduersum nos, & nihil loquendi facultas eis concessa videretur. Nunc autem, vbi aliquando vera, aliquando falsa dicuntur: debemus agnoscere, vt superiùs dixi, dæmonum, & non Dei esse responsa: apud quem mendacium nunquam est. Quòd si curiosiùs quis progrediens dicat: Quid enim opus erat huiusmodi mala à Deo fieri, quibus ad subuertendas mentes humanas tanta esset intentio? Hæc proponenti respondebimus: requirendum esse primò omnium, num sit aliquid in substantia malum? Et quamuis sufficeret dicere ad eum, quod non sit conueniens, vt creatura iudicet creatorem: sed illius sit iudicare opus alienum, qui aut similis artificij, aut similis potentiæ est: tamen ne circuitionibus vtamur, absolutè dicimus, in substantia nihil esse mali. Quod si ita est, substantiarum conditor frustà culpatur. Sed occures mihi, & dices: Etiamsi ex arbitrij libertate in hoc ventum est: nunquid ignorabat ille, qui creabat eos, quòd in malum declinaturi essent, quos creabat? oportuit ergo, nec creari eos, quos deuiaturos ab itinere iustitiæ præuidebat.

Distinctio diuinationū dæmoniacarum, falsarū: & propheticarum, verarum.

In hunc locum potes legere totum 4. librum Eusebij προπαρασκευ. εὐαγγ.

Iniquum est creatorem à creatura iudicari.

Vide, quam doctè Petrus explicet, cur à Deo creati sint dæmones, quos Deus tamen præsciebat à se defecturos: Διὰ τῆς προγνώσεως.

Audiant adhæc, qui ita proponunt, quod huiuscemodi adsertionib. illud volunt ostendere: cur non malitia, eorum qui nondum erat, bonitatem vicerit creatoris. Si enim volens implere numerum & mensuram creationis suæ, extimuisset eorum, qui futuri erant, malitiam: & quasi, qui aliam nullam inuenire viam remedij ac medicinæ potuisset, nisi hoc solū, vt retraheret se à proposito creandi: ne sibi adscriberetur malitia eorum, qui futuri erant: quid aliud, per hæc duceretur, nisi indigna passio, & indecora fragilitas conditoris? quia ita pertimuit eorum actus, qui nondum erant, vt à proposita conditione cessaret. Sed his procul amotis, illud animo contemplemur: quia Deus vniuersitatis conditor, conditionis suæ futuras differentias præuidens, vnicuique creaturæ, secundum proprios motus, quos ex arbitrij libertate proferebat prospexit: & præuidit diuersos ordines, atque officia differentia: & cùm vnius essent substantiæ omnes, secundum creaturæ rationem, esset tamen diuersitas in ordinibus & officiis, secundum proprios animorum motus: ex arbitrij libertate proferendos. Præuidebat ergo futuras in creaturis culpas: & iustitiæ eius ratio poscebat, vt emendationis causā, culpas pœna sequeretur. Oportuit ergo esse & pœnarum ministros, quos tantùm libertas arbitrij in hunc ordinem traheret: præter hæc autem & debuerunt habere, quos vincerent hi, qui agones susceperant cœlestium præmiorum. Sic ergo nec ea, quæ putantur mala, vacant ab vtilitate: dum victi his, à quibus vincuntur, licet inuiti, præmia æterna conquirunt. Sed de his ista sufficiant, processu enim temporis etiam secretiora pandentur. Nunc ergo, quoniam nondum intelligitis, quanta vos ignorantiæ caligo circunstet: interim vobis volo exponere, vnde colendi idola exordium mundo huic datum sit.

Dæmones ministri pœnarū.

Idola autem dico, exanima simulacra, quæ colitis, siue lignea, siue fictilia: siue lapidea, vel ærea: vel ex quibuscunque aliis sumpta sunt metallis: horum ergo initium tale est. Angeli quidam, relicto proprij ordinis cursu, hominum fauere vitiis cœpere: & libidini eorum quodammodo indignum præbere ministerium: quo illo-

rum

rum operâ, suis magis voluptatibus morem gererent: quique, ne sponte inclinati viderentur ad indigna ministeria, docuerunt homines, quod dæmones, artibus quibusdam obedire mortalibus, id est magicis inuocationibus, possent: ac velut ex fornace quadam & officinâ malitiæ totum mundum, subtracto pietatis lumine, impietatis fumo repleuerunt. Pro his & aliis nonnullis causis diluuium mundo introductum est: sicut iam in aliis dictum est, & dicemus: & omnes, qui erant super terras, deleti sunt: exceptâ Noæ familiâ, qui cum tribus filiis eorumque vxoribus superfuit: ex quibus vnus Cham nomine, cuidam ex filiis suis, qui Mesraim appellabatur, à quo Ægyptiorum & Babyloniorum & Persarum ducitur genus: malè compertam magicæ artis tradidit disciplinam: hunc gentes, quæ tunc erant, Zoroastrem appellauerunt: admirantes primum magicæ artis auctorem, cuius nomine etiam libri super hoc plurimi habentur.

Magica illusiones vnde natæ. Genes. 6.

Cham Noa natus quatuor filios habuit, auctore Mose. Genes. 10. Chus nimirum, Mesraim, Puth, Chanaan. Porrò ex his Mesraim fuit auctor populi Ægyptiaci; vnde & Ægyptus ipsius de nomine vocatur Hebrais, Mitsraim. Vide Hieron; in 18. Isaia, libro quinto commentariorum. Ex huius stirpe Zoroastres procreatus, quem vocat Diodorus Siculus ζωροάστρην: Berosus libro quinto, si modò eius hi libri sunt, vocat, Camesenum. Hunc primum Magicæ artis repertorem, testantur non solùm sacri auctores: Eusebius Epiphanius, principio Panarij: Paulus Orosius, libro sua historiæ primo, cap. 4. sed & Iustinus, ex Trogo primo libro, Diodorus Siculus: & Plinius secundus, libro trigesimo, cap. 1. qui propter hunc locum, cùm diligenter de auctoribus Magiæ scribat, legendus in primis est; nam & librorum ipsius meminit. Eorum verò catalogum luculenter recenset Suidas, in dictione, Ζωροάστρης: ac de morte ipsius sic scribit. Zoroastres Astronomus sub Nino Rege Assyriorum, precatus est, vt igne Cælesti, absumeretur; ac monuit Assyrios, vt suos cineres conseruarent: sic enim regnum eis semper esse permansurum. Et quidem etiam nunc ab eis asseruantur. Sic prope noster Clemens.

His ergo astris multùm ac frequenter intentus, & volens apud homines videri Deus: velut scintillas quasdam ex stellis producere, & hominibus ostentare cœpit: quo rudes atque ignari, in stuporem miraculi traherentur: cupiensque augere de se huiusmodi opinionem, sæpiùs ista moliebatur, vsquequo ab ipso dæmone, quem importuniùs frequentabat, igni succensus concremaretur: Sed stulti homines, qui tunc erant, cùm debuissent vtique opinionem, quam de eo conceperant, abiicere: quippe, quàm pœnali morte eius viderant confutatam, in maius eum extollũt. Extructo enim sepulcro ad honorem eius, tanquam amicum Dei, ac fulminis ad cœlum vehiculo subleuatum, adorare ausi sunt: & quasi viuens astrum colere. Hinc enim & nomen post mortem eius, Zoroaster hoc, est, viuum sidus appellatum est: ab his, qui post vnam generationem Græcæ linguæ loquelâ fuerant repleti. Hoc denique exemplo, etiam nunc multi eos, qui fulmine obierint, sepulchris honoratos, tanquam amicos Dei colunt. Hic ergò, cùm quartadecima generatione cœpisset: quintadecima defunctus est: in qua turris ædificata est: & linguæ hominum multipliciter diuisæ sunt.

Zoroastres fulmine illus interge.

Fulmine icti habiti pro diis.

Vndecima à Noa, quæ fuit decima, incidit generatio in Sem filium, à quo per seriem Arphaxad, quæ est duodecima: Sela; quæ est decimatertia: generatio fuit decima quarta Heber: cuius natus fuit Phaleg; decima quinta gen. cui pater vaticinio quodam nomen imposuit. Phalec enim idem, quod diuisio, est: ita dictus, quod suo tempore linguæ sint in Babylone diuisæ. Genes. 11. Et Hieron; in Traditionibus in Genesin.

Inter quos primos magicâ nihilominùs arte quasi coruscо ad eum delato, Rex appellatur quidam Nemroth, quem & ipsum Græci Ninum vocauerunt: ex cuius nomine Niniue ciuitas vocabulum sumpsit. Sic ergo diuersæ & erraticæ superstitiones, ab arte magica initium sumpsere. Etenim, quoniam difficile erat humanum genus ab amore Dei abstrahi, & ad absurda atque ex anima simulacra deduci: idcirco excelsioribus vsi sunt Magi molitionibus: vt astrorum signis ac motibus, tanquam cœlitus & voluntate Dei delatis, ad suadendos cultus erraticos verterentur. Et eius, quem suprà diximus, indignatione dæmonis, cui nimis molestum fuerat, conflagrasse: busti cineres, tanquam fulmine ignis reliquias colligentes hi, qui erant primitùs decepti, deferunt ad Persas: vt ab eis tanquam diuinus è cœlo lapsus ignis, perpetuis conseruaretur excubiis: atque, vt cœlestis Deus coleretur. Simili exemplo etiam per cætera loca reliqui homines, his, quos vel in artibus aliquibus, vel in virtute fuerant admirati, vel certè in amore plurimo habuerant, templa construere, imagines collocare, mysteria & cæremonias ac sacrificia instituere, & per omnia Deorum de his famam posteris tradere gestierant: eò præcipuè, quòd, vt suprà diximus, phantasiis aliquibus magicæ artis fulti videbantur: vt inuocatione dæmonum, agi ab his aliquid ad deceptionem hominum, mouerique videretur. His adiiciunt & solennitates quasdam, ac temulenta conuiuia, quibus & homines libentiùs indulgerent: & dæmones crapulis tanquam vehiculis illati, ipsis eorum visceribus miscerentur: in quibus collocati, ad omnem voluntatem suam, actus hominum cogitationesque deflecterent. Huiusmodi igitur ex initio erroribus introductis, eisque libidine & temulentiâ, quâ carnales homines maximè delectantur, adiutis: religio Dei, quæ per continentiam sobrietatemque constabat: rarescere inter homines, atque aboleri propemodùm cœpit. Nam cùm ex initio homines, vtpote iustum, & omnia contuentem Deum colentes, neque peccare auderent: neque iniuriam facere proximis suis certi, quod vniuscuiusque actus & motus aspiceret Deus: vbi religionis cultus ad simulacra exanima conuersus est: tanquam de quibus certi essent, quod neque viderent, neque audirent, neque mouerentur in aliquo: licenter peccare, & in omne facinus progredi cœpere: quippe qui nihil pari vererentur ab his, quos colebant, vt Deos. Hinc bellorum rabies exarsit: hinc prædæ: rapinæ: captiuitates, & libertas in seruitutem redacta: prout quisque potuit, libidini & cupiditati suæ satisfecit: quamuis satisfacere cupiditati nulla vis possit. Sicut enim ignis, quantò magis ligna acceperit, tantò ampliùs accenditur, & inualescit: ita & cupiditatis rabies, per ea, quæ adipiscitur, auctior & vehementior efficitur.

Vnde Persis ignis, quem in superè coluerunt. De Zoroastris reliquiis, idem Suidas. Sed de igne Persico, suprà vide lib. 1.

Demonstrato errore, hortatur ad religionis puritatem, per fidem in Christum, & baptismum, ab efficacitate fidei.

Propter quod Incipite iam meliore intellectu vobilmetipsis resistere in his, quæ non rectè cupitis: si quo fortè modo reparare in vobis ac restituere possitis illam, quæ ex initio mortalibus à Deo tradita est, religionis puritatem, & innocentiam vitæ: vt per eam vobis etiam spes bonorum immortalium reparetur: & agatur gratia largitori omnium patri, per eum, quem posuit Regem pacis, & thesaurum ineffabilium bonorum: vt in præsenti quidem tempore diluãtur peccata vestra per aquam fontis, aut fluminis, aut etiam maris: inuocato super vos trino beatitudinis nomine: vt per hoc non solùm fugentur, si intra vos habitant, spiritus maligni: verùm etiam cùm destiteritis à peccatis, & tota fide, totaque mentis puritate Deo credideritis, etiam ex aliis vos malignos spiritus & dæmones effugetis: atque à passionibus & languoribus alios liberare possitis. Ipsi enim dæmones sciunt & agnoscunt eos, qui se tradiderint Deo: & interdum solâ eorum præsentiâ propelluntur: sicut paulò ante vidistis, quomodo, cùm vocem tantùm salutationis fecissemus ad vos, continuò dæmones propter honorem religionis nostræ, exclamare cœperunt, & ne parum quidem temporis potuerunt ferre præsentiam nostram. Nunquid nos alterius sumus naturæ superioris alicuius, & propterea nos dæmones timent? Vnius eiusdem vobiscum naturæ sumus: sed religione differimus. Quod & si vos esse voltis, non inuidemus: quin potiùs & hortamur: certósque esse vos volumus, quod cùm fuerit in vobis eadem, quæ in nobis est, fides & religio, ac vitæ innocentia, remunerante Deo fidem vestram, erit par vo-

Efficacitas veræ fidei.

Dæmones exhorrescunt verè credentes.

Vide Gen. 10. Nemroth in historys Ninus vocatur. Maliue.

bis atque eadem etiam contra dæmones potestas & virtus. Sicut enim is, qui acceperit sub se milites, etiamsi ipse inferior, & illi superiores sint viribus, tamen dicit huic, vade, & vadit: & alij, veni, & venit: & alij, fac hoc, & facit: (Hoc autem potest non propria virtute, sed Cæsaris metu:) Ita & fidelis quisque dæmonibus imperat, etiamsi videantur illi multò esse hominibus fortiores: non propter suam virtutem, sed propter Dei, qui eos subiecit potestati. Nam & quod diximus, vt Cæsar apud omnes milites, & in omnibus castris, atque in omni regno timeatur, cùm sit vnus & fortassis exiguus viribus, non nisi potestate Dei agitur: qui timorem dat omnibus, vt vni obtemperent. Hoc sanè scire vos volumus, quòd dæmon, nisi quis voluntatibus eius se sponte subdiderit, potestatem aduersum hominem non habet. Vnde & ipse, qui est princeps malitiæ, ad hunc, quem diximus à Deo destinatum Regem pacis, accessit, tentans, & polliceri ei cœpit omnem gloriam mundi: quòd cum aliis obtulisset, decipiendi causa, adoratum se nouerat. Impius & immemor sui, quod est proprium & speciale malitiæ, adorandum se ab eo præsumebat, à quo se nouerat destruendum. Dominus ergo noster vnius Dei cultum confirmans, respondit ei: Scriptum est. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies: quia responsione deterritus, & metuens, ne vnius & veri Dei repararetur vera religio: festinat continuò emittere in hunc mundum pseudoprophetas, & Pseudoapostolos, falsósque doctores: qui sub nomine quidem Christi loquerentur, dæmonis autem facerent voluntatem. Propter quod obseruate cautiùs, vt nulli doctorum credatis, nisi qui Iacobi fratris Domini ex Hierusalem detulerit testimonium: vel eius, quicunque post ipsum fuerit. Nisi enim quis illuc ascenderit, & ibi fuerit probatus, quod sit doctor idoneus, & fidelis ad prædicandum Christi verbum: nisi, inquam, inde detulerit testimonium, recipiendus omninò non est: sed neque Propheta, neque Apostolus in hoc tempore speretur à vobis aliquis alius præter nos. Vnus enim est verus Propheta, cuius nos duodecim Apostoli verba prædicamus: Ipse enim est annus Dei acceptus, nos Apostolos habens duodecim menses: Qua autem causa vel mundus ipse factus sit, vel diuersitates, quæ sunt in eo, acciderint: & cur ad reparationem eius veniens Dominus noster, elegerit nos duodecim Apostolos, & miserit: alias latiùs explanabitur. Interim nos iussit exire ad prædicandum, & inuitare vos ad cœnam Regis cœlestis, quam præparauit pater in nuptiis filij sui: & vt demus vobis indumenta nuptialia, quod est, gratia baptismi: quam qui fuerit consequutus, tanquam vestimentum mundum, cum quo ei ingrediendum est ad cœnam Regis: obseruare debet, ne peccato aliqua ex parte maculetur: & ob hoc, tanquam indignus & reprobus abiiciatur. Causæ autem quibus maculetur istud indumentum, hæ sunt: si quis recedat à patre, & conditore omnium Deo, alium recipiens doctorem, præter Christum: qui est solus, fidelis ac verus Propheta: quique nos duodecim Apostolos misit ad prædicandum verbum. Et si quis de substantia diuinitatis, quæ cuncta præcellit, aliter, quàm dignum est, sentiat: hæc sunt quæ vsque ad mortem, baptismi polluunt indumentum. Quæ verò in actibus polluunt: ista sunt: homicidia, adulteria, odia, auaritia, cupiditas mala. Quæ autem animam simul & corpus polluunt, ista sunt: participare dæmonum mensæ: hoc est, immolata degustare, vel sanguinem, vel morticinium, quod est suffocatum: & si quid illud est, quod dæmonibus oblatum est. * Hic ergo vobis sit primus gradus ex tribus; qui gradus, triginta ex se gignit mandata. Secundus verò, qui sexaginta. Tertius qui centum, sicut alias vobis de his pleniùs exponemus. Et hæc cum dixisset, ac præcepisset, vt die postera ad eundem locum maturiùs conuenirent, turbas dimisit, quibus recedere nolentibus, ait Petrus: Donate mihi hanc gratiam, propter hesterni itineris labores: & nunc discedentes, die crastina maturiùs conuenite & ita cum lætitia discessêre. At Petrus paululùm me secedere præcipiens orationis causa, iubet post hæc in loco horti, quem vmbra contegebat, accubitum sterni: & vnusquisque ex more recognoscens proprij ordinis locum, cibum sumpsimus. Tum deinde, quia supererat adhuc aliquantulum diei de mirabilibus Domini colloquutus nobis, cum vespere facto ingressus in cubiculum, quieuit.

Matth. 8. — Rom. 13. — Matth. 4. — Deut. 6. *Pseudoprophetæ à diabolo.* — *Christus annus est, cuius XII. menses sunt Apostoli.* — *Vestis nuptialis in Euangelio, quid sit, elegantèr ac perspicuè Petrus docet. De qua Christus apud Matthæum, cap. 22. Vide, quomodo ea commaculetur in Christiano.* — * 1. Cor. 10. Actor. 15.

ARGVMENTVM LIBRI V. Recognitionum Clementinarum, eodem L. Grutero Venradio Auctore.

ALTERVM Petri diui Apostoli concionem Tripoli altero die, quam istuc venisset, habitam, perscribit quinto hoc libro doctus Clemens. Persequitur, autem Beatus Apostolus hesternam concionem de veri Dei agnitione cultúque ac de causis idololatriæ contra multitudinem falsorum tum Ægyptiorum, tum cæterorum gentium deorum: quos quidem nullos esse, permultis usque firmissimis rationibus probat. Sumit occasionem à præteriti diei dæmoniacorum curatione, & dæmonum in obsessis eiectione; mirum videri posse, cur pati cogantur alij, vt se dæmones affligant: alij verò tam facile ipsos fugent: docens in illis, incredulitatem: in his, fidem in causa esse; atque ita pergit ad fidei doctrinam, monens, vt in primis sciant sibi ignorantiam, malorum omnium fontem, propellendam: & agnitionem Dei per Iesum discendam esse: positum autem in cuiusuis potestate, num Christum velit suscipere, an non; suscipientibus quidem remuneranda æterna bona: at verò respuentibus, diras æternásque restare pœnas; hortatur itaque, vt cum amore & studio tam saluteferum percipiant Dei verbum; atque annuntiat ipsis Iesum Seruatorem ex miraculis ab se editis: ex cognitione cogitationum hominum: ex oraculis vatum: ex typis: ex iusto ipsius aduentus tempore: denique ex vocatione ad fidem gentium olim prædicta: obtestans interim, vt ad obscuratam in ipsis Dei imaginem, amissámque Dei conformitatem seu similitudinem redeant per sanctam vitam, & abiectionem idolorum: tum in his excogitatas quasi digito diabolicos indicat astus, doctè copioséque remotis omnibus, quæ ab aduersariis in idololatriæ gratiam vel dici vel obijci queant; eamque sententiam cùm per miracula firmasset, populum ab eo dimissum esse. Rursus per magnã contentione liberum hominis arbitrium hic asseritur ab Apostolo. Sed omnia, quod & suprà dixi, malo quemque ex lectione, quam verbis nostris cognoscere.

RECOGNITIONVM Diui Clementis ad Iacobum Fratrem Domini, Liber quintus Rufino Torano Aquileiense interprete.

Secunda Petri ad Tripolitanos Concio, de veri agnitione cultúque Dei, & Seruatoris Christi.

SEQVENTI autem die, paulò citiùs, quàm solebat, consurgens Petrus, inuenit nos dormientes: Quod vbi sensit, quasi ipse adhuc dormire volens silentium sibi fieri iussit: vt nobis quiescendi facultatem daret. Vbi autem refecti somno rexurreximus, inuenimus eum oratione facta, intra cubiculum opperientem nos. Et cùm iam esset crepusculum, salutans ex more, breuiter adloquutus est: & continuò ad consuetum locum docendi gratia procedit: vbi cùm vidisset ad audiendum plurimos conuenisse, primo religionis ritu pace eis inuocata, dicere hoc modo cœpit. Deus creator omnium, ex initio ad imaginem suam hominem fecit: eique dominationem terræ, marisque & aëris ipsius dedit: sicut & verus nobis Propheta nuntiauit,

uit, & ipsa rerum ratio docet: solus enim est rationabilis, & consequens est, vt ratio irrationabilibus dominetur. Hic ergo ab initio cùm adhuc iustus esset, cunctis vitiis, & omni fragilitate superior erat: vbi autem peccauit, sicut hesterno die docuimus: & factus est seruus peccati simul & fragilitati efficitur obnoxius. Quod idcirco scriptum est, vt sciant homines, quia sicut ex impietate passibiles facti sunt: ita per pietatem possunt esse impassibiles: verùm & paruæ in Deum fide, aliorum passiones curantes. Ita enim verus Propheta nobis promisit, dicens: Amen dico vobis, quia si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit. Huius vocis etiam vos ipsi documenta accepistis? hesterno enim die vidistis, quomodo adstantibus nobis, dæmones cum passionibus, quas hominibus inuexerant, transierint, & fugati sint. Quia ergo alij quidem homines patiuntur: alij, patientes sanant: causa sine dubio vel patiendi, vel curandi noscenda est; quæ non alia esse, quàm patientibus quidem, infidelitatis? curantibus verò, fidei demonstratur. Infidelitas enim, dum non credit futurum iudicium Dei: peccandi licentiam præbet: peccatum vero, hominem passionibus obnoxium facit. Fides autem futurum, esse Dei iudicium credens, continet homines à peccato: non peccantes verò, non solùm liberi sunt à dæmonibus & passionibus: verùm & aliorum dæmones & passiones fugare possunt. Ex his ergo omnibus colligitur, quod origo totius mali ab ignorantia descendat, & ipsa sit malorum omnium mater: quæ incuria quidem & ignauia gignitur: negligentia verò alitur & augetur, atque in sensibus hominum radicatur: quam si quis fortè doceat effugandam, velut antiquis & hæreditariis sedibus, moleste & indignanter auellitur. Et ideo paululum laborandum nobis est, vt indagantes ignorantiæ præsumptiones, scientiæ ratione resecemus: in his præcipue, qui in aliquibus minus rectis opinionibus præuenti sunt: per quas, quasi sub specie alicuius scientiæ, ignorantia in eis vehementiùs radicata est. nihil enim grauius, quàm si id, quod ignorat, quis scire se credat: & defendat verum esse, quod falsum est: quod tale est, ac, si quis ebrius sobrium se putet: & agat quidem cuncta, vt ebrius: sobrium se tamen & ipse putet, & dici à cæteris velit. Ita sunt ergo & hi, qui ignorantes, quod verum est, speciem tamen alicuius scientiæ tenent: & mala, quasi bona gerunt atque ad perniciem, quasi ad salutem festinant. Propter quod ante omnia properandum est ad agnitionem veritatis: vt possimus, quasi lumine nobis inde succenso, errorum tenebras depellere: grande enim malum est, vt diximus, ignorantia, sed quia substantiam non habet, facile ab his, qui studiosi sunt, effugatur. Non enim aliud est quidem ignorantia, nisi non agnouisse, quod expedit: vbi autem agnoueris, perit ignorantia. Quæri ergo magnopere debet agnitio: quam nemo alius potest adsignare, nisi verus Propheta. Hæc enim porta est vitæ, volentibus ingredi: & iter operum bonorum, pergentibus ad ciuitatem salutis. Si quis sanè audiens sermonem veri Prophetæ, velit recipere aut nolit, & amplexiones eius, id est, mandata vitæ: habet in sua potestate: liberi enim sumus arbitrij. Nam si hoc non esset, vt audientes eum iam non haberent in potestate aliud facere, quàm audierant: vis erat quædam naturæ, per quam liberum non esset, ad aliam migrare sententiam. Aut, si rursus ex audientibus nullus omnino reciperet, & hoc naturæ vis erat: quæ vnum aliquid fieri cogeret: & alteri parti non daret locum. Nunc autem, quia liberum est animo, in quam velit, partem, declinare iudicium suum: & quam probauerit, eligere viam, constat euidenter, inesse hominibus arbitrij libertatem. Igitur priusquam audiat quis, quod ei expedit, certum est, quia ignoret: & ignorans, vult & desiderat, quod non expedit agere: propter quod pro hoc non iudicatur. Cùm verò audierit causas erroris sui, & rationem veritatis acceperit: tunc, si permanserit in his erroribus, quibus dudum est præuentus: rectè iam vocabitur ad iudicium, pœnas daturus, cur vitæ eius spatium, quod ad bene viuendum accepit, in ludibriis consumpsit errorum. Qui verò audiens hæc, libenter accipit, & gratulatur bonorum sibi doctrinam fuisse delatam, requirit intentius, & discere non desinit: vsquequo cognoscat, an sit verè aliud seculum, in quo bonis præmia præparata sunt, & cum certus de hoc fuerit, gratias agens Deo, quòd sibi veritatis lumen ostenderit, de cætero dirigit actus suos in omnibus operibus bonis, quorum sibi in futuro mercedem certus est præparatam per omnia: demirans & stupens cæterorum hominum errores, & quod ante oculos positam veritatem nemo videat. Ipse tamen gaudens super diuitiis sapientiæ, quas inuenit: insatiabiliter eis perfrui cupit, & exercitio bonorum operum delectatur: festinans ad seculum futurum mundo corde, & purâ conscientia peruenire: vbi etiam videre Deum Regem omnium possit. His autem omnibus carere nos & fraudari, sola facit ignorantia. Dum enim ignorant homines, quantum boni habeat scientia, ignorantiæ malum de se non patiuntur excludi: nesciunt enim, quanta sit in horum permutatione diuersitas. Propter quod consilium do vnicuique discentium, libenter præbere autem verbo Dei: & cum amore veritatis audire, quæ dicimus, vt mens optimo semine suscepto, per bonos actus, lætos adferat fructus. Nam si me docente ea, quæ ad salutem pertinent, recipere quis abnuit: & animo prauis opinionibus occupato, obsistere nititur: non ex nobis, sed ex semetipso habebit pereundi causam. Debet enim iusto iudicio examinare, quæ dicimus? & intelligere, quia verba loquimur veritatis: vt cognitis his, quæ sunt, vt sunt: & in bonis actibus dirigens vitam suam, regni cœlorum possit particeps inueniri: subiiciens sibi carnis desideria, & Dominus eorum factus: vt ita demum, etiam ipse fiat dominatoris omnium iucunda possessio. Nam qui permanet in malo, & seruus est mali, non potest effici portio boni, donec permanet in malo: quia ab initio, vt ante diximus, duo regna statuit Deus, & potestatem dedit vnicuique hominum, vt illius regni fiat portio: cui se ad obediendum ipse subiecerit. Et quia definitum est apud Deum, non posse vnum hominem vtriusque regni esse seruum: omni studio date operam, in boni Regis fœdus ac iura concurrere. Propter hoc denique verus Propheta cùm esset præsens nobiscum, & quosdam ex diuitibus negligentes erga Dei cultum videret, huius rei ita aperuit veritatem. Nemo potest, inquit, duobus Dominis seruire: non potestis Deo seruire & mammonæ: mammona, patria eorum voce, diuitias vocans.

Annunciat Petrus Iesum Tripolitanis. Vide, quomodo eum describat & demonstret ex miraculis, ex cognitione cogitationum ex vaticiniis prophetarum, ex typis: idque, quam accommodatè.

Hic ergo est verus Propheta, qui in Iudæa nobis apparuit, vt audistis: qui stans, publicè, sola iussione faciebat cæcos videre: surdos audire: fugabat dæmones: ægris sanitatem reddebat, & mortuis vitam. Cumque nihil ei esset impossibile, etiam cogitationes hominum peruidebat, quod nulli est possibile, nisi soli Deo: hic adnuntiauit regnum Dei: cui nos de omnibus, quæ dicebat, tanquam verò Prophetæ credidimus: firmitatem fidei nostræ, non solùm ex verbis eius, sed & ex operibus adsumentes: quia & dicta legis, quæ ante multas generationes de præsentia eius exposuerant, in ipso consignabantur: & imagines gestorum Moysi, & ante ipsum Patriarchæ Iacob, ipsius per omnia typum ferebant. Tempus quoque aduentus eius, hoc est ipsum, in quo veneras, prædictum ab eis constat: & super omnia, quod esset à gentibus expectandus, sacris literis comprehensum est: quæ in eo pariter vniuersa completa sunt. Quòd autem Iudæorum Propheta prædixit eum à gentibus expectandum, supra modum in eo fidem veri confirmat. Si enim dixisset à iudæis expectandum: non aliquid eximium prophetâsse videretur, quòd à contribûli populo, & à propria gente speraretur, in cuius aduentus ad salutem mundi fuerant repromissus: videretur enim magis consequentiæ ratio, esse, vt hoc fieret, quàm magnificentia

Efficacitas fidei in Iesum. Matth. 17.

Ignorantia, mater omnium malorum. Ignorantia præsumptio, scientia resecanda est.

Elegans similitudo de iis, qui in ignoratione Dei versantur.

Agnitio veritatis.

Liberum arbitrium rursus asseritur à Petro.

Matth. 6.

Vide Luc. 16. Mammona quid significet.

Matth. 9.

Gen. 49. Cur à Iacobo prædictū sit, à gentibus expectandum esse Christū.

A

centia prophetalis. Nunc autem, cùm Prophetæ dicunt, omnem illam spem, quæ de salute mundi repromittitur, & nouitatem regni, quæ instituenda per Christum est, atque omnia, quæ de eo indicantur, ad gentes esse transferenda: iam non secundum consequentiam rerum, sed incredibili quodam vaticinationis euentu, magnificentia Prophetica confirmatur. Iudæi namque ex initio adfore aliquando hunc virum, per quem cuncta repararentur, verissimâ traditione susceperant: & quotidie meditantes ac prospicientes, quando eius fieret aduentus: vbi adesse eum viderunt, & signa ac prodigia, sicut de eo scriptum fuerat, adimplentem: inuidiâ excæcati agnoscere nequiuerunt præsentem: in cuius spe lætabantur absentis: intelleximus tamen pauci nos, qui ab eo electi sumus. Hoc autem prouidentiâ Dei factum est, vt agnitio boni huius etiam gentibus traderetur: & hi, qui nunquam de eo audierant, nec à Prophetis didicerant: agnoscerent eum: illi verò, qui quotidianis meditationibus agnouerant, ignorarent. Ecce enim per vos nunc, qui præsentes estis, & desideratis audire doctrinam fidei eius, & agnoscere quis, & quomodo, & qualis sit eius aduentus, Prophetica veritas adimpletur. Hoc est enim, quod prædixerunt Prophetæ: quod à vobis quærendus esset, qui de eo nunquam audistis. Et ideo videntes in vobis ipsis Prophetica dicta compleri: huic vni rectè creditis, hunc rectè expectatis, de hoc rectè inquiritis: vt non solum expectetis eum, sed & hæreditatem regni eius credentes consequamini: secundum quod ipse dixit, quia vnusquisque illius fit seruus, cui se ipse subiecerit. Propterea ergo euigilate, & Dominum, Deumque nostrum vobis adscribite, Dominum, qui & cœli ac terræ Dominus est; ad ipsius vos imaginem ac similitudinem reformate: sicut ipse verus Propheta docet, dicens: Estote misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est: qui oriri facit solem suum super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos. Hunc ergo imitamini, & hunc timete, sicut mandatum datur hominibus: Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli seruies. Expedit enim vobis, huic vni Domino seruire: vt per ipsum cognoscentes vnum Deum, à multis, quos inutiliter timebatis, liberemini. Qui enim creatorem omnium non timet Deum: sed eos timet, quos ipse manibus suis fecit: quid nisi vano & inutili semetipsum obnoxium facit timori? viliorémque se & abiectiorem reddit, quam sunt illa ipsa, quorum timorem mente concepit. Quin potiùs, per bonitatem eius, qui vos inuitat, redite ad priorem nobilitatem vestram: & ex bonis actibus, quod ipsius creatoris vestri imaginem portetis, ostendite: vt ex contemplatione similitudinis ipsius, etiam filij eius esse credamini. Incipite ergo à sensibus vestris abiicere vanas idolorum species, atque inutiles & inanes timores: vt simul etiam conditionem possitis iniquæ seruituris effugere. Domini etenim vestri effecti sunt illi, qui ne serui quidem vtiles vobis esse potuissent. Quomodo enim simulacra exanima, vel ad seruitutem vobis viderentur idonea, cùm neque audiant, neque videant neque aliquid sentiant? nisi, quod ipsa saltem materia, ex qua facti sunt, siue auri, siue argenti: vel etiam æris aut ligni, cùm possit vobis ad vsus necessarios prodesse: vos ex ea formando Deos, ociosam per omnia eam atque inutilem reddidistis. Nos ergo adnuntiamus vobis verum Dei cultum: simulque monemus & hortamur cultores: vt per bonos actus imitentur eum, quem colunt, & ad imaginem ac similitudinem eius, vt superiùs diximus, redire festinent. Velim autem, dicerent mihi hi qui idola colunt, an optent similes fieri his, quos colunt? vultne aliquis vestrûm sic videre, quomodo illi vident? & sic audire, quomodo illi audiunt? sic habere sensum, quomodo illi habent?

Inuidia Iudæorum erga Christum.

B

Ioan. 8. Rom. 6.

Lucæ 6.

Matth. 4. Deut. 6.

C

Ab indigno Gratiis sententia est.

D

Similes erimus Deo, si opera eius imitamur.

Nimirum hoc est, cur Dauid inuectus in idololatras, Psalmo 113. optat, vt similes fiant simulacris, qui faciunt ea, hoc est, vt eodem modo nihil videant, audiant, sapiant, aut contrectent.

Absit hoc ab vnoquoque audientium; hoc enim maledictum potiùs & conuitium credendum est homini, qui imaginem Dei in se gerit, etiamsi similitudinem perdidit. Quales ergo Dij habendi sunt isti, quos imitari execrabile sit cultoribus suis? quorum similitudinem habere, contumelia est? Quid ergo? soluite simulacra inutilia: & facite vasa vtilia: soluite ociosam pigramque materiam: & facite humano vsui apta ministeria. Sed non sinunt, inquit leges humanæ. Benè, quia humanæ leges: & non, ipsorum virtus. Quomodo ergo Dij sunt, qui humanis legibus, & non suis viribus defenduntur? sicque & à furibus, canum vigiliis: & claustrorum munitionibus conseruantur? & hoc, si fuerint argentea, vel aurea, vel etiam ærea; nam lapidea & fictilia, ipsâ sui vilitate muniuntur, nemo enim lapideum aut fictilem Deum furatur. Vnde miserabiliores videntur hi, quibus preciosius metallum pericula viciniora conquirit. Qui ergo furari possunt, qui ab hominibus custodiri, qui conflari & appendi, & malleis cædi, isti hominibus sensum habentibus Dij deberit videri? O, in quantam miseriam, mortalium decidit intelligentia. Nam si mortuos timere, summæ stultitiæ ducitur: quid iudicemus de his, qui deterius aliquid, quam sunt mortui, timent? Ista enim simulacra nec in mortuorum numero habenda sunt: quia nunquam vixerunt: præferenda sunt eis etiam sepulcra mortuorum, quoniam licet nunc mortui sunt, habuerunt tamen aliquando vitam. Isti autem quos colitis, nec eam quidem, quæ est omnibus teterrima, ranarum ac bubonum vitam aliquando gesserant. Sed quid opus est de his plura memorare, cum sufficiat dicere ei, qui adorat ea: Non vides, quod quem adoras, non videt? audis, quod quem adoras non audit? & intelligis, quod non intelligit? opus enim mortalis manus est, & necessario sensu caret. Tu ergo adoras insensibilem, cum vnusquisque habens sensum, nec ea quidem credat adoranda, quæ à Deo facta sunt, & habent sensum; id est, Solem, & lunam, vel stellas, omniaque, quæ in cœlo sunt & super terram. Iustum enim putant, non ea, quæ pro mundi ministerio facta sunt, sed ipsorum, & mundi totius creatorem debere venerari: gaudent enim etiam hæc, cùm ille adoratur & colitur: nec libenter accipiunt, vt honor creatoris creaturæ deferatur. Exceptus enim est Dei solius cultus, qui solus increatus est: omnia autem cætera, factura eius sunt. Sicut ergo proprium est eius, qui solus non est factus, Deum esse: ita omne, quod factum est, Deus verè non est. Ante omnia ergo intelligere deberis deceptionem serpentis antiqui, & callidas eius suggestiones, qui quasi per prudentiam decipit vos: & velut ratione quadam, serpit per sensus vestros: atque ab ipso vertice incipiens, per interiores dilabitur medullas, lucrum magnum computans, deceptionem vestram. Interserit ergo sensibus vestris opiniones quorumcunque Deorum: tantùm, vt vos ab vnius Dei reuocet fide: sciens peccatum vestrum, suum esse solatium. Ille enim pro nequitia sua, ab initio terram edere condemnatus est: propter eum, quem de terra adsumptum, iterum resolui fecit in terram: vsque ad tempus, quo animæ vestræ per ignem traductæ reparentur: sicut aliâs de hoc pleniùs edocebimus. Ex ipso ergo sunt omnes errores & ambiguitates, quibus ab vnius Dei fide & credulitate conturbamini. Et primò omnium subiicit cogitationibus hominum, vt ne audiant verba veritatis: per quæ malorum ignorantiam fugent. Et hoc facit, quasi occasione alterius scientiæ, adseuerans eis illam opinionem, qua vtuntur plurimi, vt putent se reos futuros non esse, si in ignorantia fuerint: nec reddituros esse rationem pro his, quæ non audierint: & ideo à verbo declinare eos suadet auditum. Sed accipite contrà hæc. Ipsa per semetipsam ignorantia, validissimum venenû est, quod sufficiat animã, nulla extrinsecùs quæsita adiectione, perimere. Et ideo nemo est qui ignorans, per hoc, quod ignorat, euadat: sed certum est quod intereat. Naturaliter enim peccatorum vis interimit peccatoré. Sed quoniam iudicium rationabile erit, tam ignorantiæ, quàm vniuscuiusque peccati causa & origo requiretur. Is ergo, qui scire noluit, quomodo possit venire ad vitam, sed maluit ignorare, ne per hoc reus fieri videretur: ex hoc ipso iam,

E

Simulacra conuertenda, in vsus humanos, Dij gentilium ociosi.

F

Rana præferenda dijs gentilium.

G

Honor creatoris non debet creaturæ deferri.

Astum diaboli in excogitatis idolis indicat Petrus.

Quare serpens condemnatus sit terram comedere.

Primus Adam.

Ignorantia non excusabit in die iudicij.

H

A

quasi qui scierit & habuerit scientiam, iudicatur. Agnouit enim quid esset, quod nolebat audire: & nihil ei conferet ad excusationē, serpentis artificio quæsita calliditas: cum eo enim erit ei ratio, quem non latet cor. Vt autem scias, quia ignorantia per semetipsam generat interitum: anima cum discesserit à corpore, si talis exeat, quæ ignoret eum, à quo creata est: à quo in mundo omnia, quæ vsibus suis erant necessaria, consequuta est: tanquam ingrata & infidelis à regni eius luce proiicitur. Subiicit iterum nequissimus serpens aliam hominibus opinionem, quam plures vestrûm proferre solent: Vnum esse & nos dicimus Deum: qui est omnium Dominus: sed & isti, inquiunt, Dij sunt. Sicut enim vnus est Cæsar, & habet sub se multos iudices: verbi gratiâ, præfectos, consules, tribunos, & cæteras potestates: simili arbitramur modo, cùm vnus sit maior omnium Deus, etiam istos ad similitudinem earum, quas diximus, potestatum, ordinatos esse in hoc mundo Deos, illi quidem maiori subiectos: nos tamen, & quæ in hoc mundo sunt, dispensantes. Audite ergo ad hæc, quomodo in his ipsis, quæ ad deceptionem proponitis, veritatis rationibus confutemini. Dicitis, quod locum Cæsaris teneat Deus: iudicum verò eius & potestatum speciem seruent hi, qui dicuntur Dij: seruate ergo, vt proposuistis, exemplum Cæsaris: & scitote, quia sicut nulli ex iudicibus, vel administratoribus Cæsaris, id est, præfectis, vel proconsulibus, vel ducibus, vel tribunis, fas est Cæsaris nomen imponi: alioquin & ille, qui susceperit: & illi, qui detulerint: pariter interibunt: Ita & de hoc debetis aduertere: quod si quis nomen Dei alicui, quam præter ipsum imposuerit, & ille receperit, vnum eundemque sortientur interitum: multò deteriore sorte, quàm ministri Cæsaris. Hic enim, qui delinquit in Cæsarem, interitum suscipiet temporalem: qui verò in vnum, qui solus & verus est Deus, delinquit, in sæculum luet pœnas: & meritò, vt qui nomen, quod est vnicum, iniuriosâ conditione violauerit. Quamuis hoc ipsum, Deus, non nomen sit Dei, sed hominibus interim vocabulum istud, quasi pro nomine eius concessum est: quod tamen, vt dixi, cùm contumeliosè tractatur, ad veri eius nominis refertur iniuriam. Denique veteres Ægyptiorum, qui de cœlesti cursu, & astrorum naturâ rationem sibi visi sunt reperisse, obsidente sensus eorum dæmone, omnibus nihilominus contumeliis nomen incommunicabile subiecerunt. Nam alij eorum bouem, qui Apis dicitur, colendum tradidere: alij Hircum: alij, Cattas: nonnulli, Ibin: quidam, Serpentem: Piscem quoque, Cæpas, & Cloacas, & Crepitus ventris, pro numinibus habendos esse docuerunt: & alia innumerabilia, quæ pudet etiam nominare.

Secundus actus diaboli: Fati. quidem esse summum Deū, sed plureis tamē sub ipso.

B

Respond. Loqui de Deo per comparationes humanas nefas est.

Deus non est proprie nomen Dei.

C

Hæc quoque testentur ipsi scriptores ethnici, de Api quidem copiosè scribit Plinius Sec. lib. 8. nat. hist. cap. 46. Item de allio & Cæpis. lib. 19. cap. 6. Et Herodotus, lib. 2. quem copiosè citat Athenagoras, in legatione sua pro Christianis, ad Antoninum & Commodum Impp. Hunc ex nostris in hunc locum in primis consule. Ex Latinis priscis, lege Minutij Fœlicis Octauium. Apud hos reperies qualia sint, quæ Petrum pudeat nominare.

D

Hæc dicente Petro, riserunt omnes, qui audiebamus. Et Petrus: Ridetis, inquit, vos aliorum dedecora: quia longâ consuetudine propria non videtis. Nam Ægyptiorum quidem stultitiam meritò ridetis, qui muta animalia, ipsi cum sint rationabiles, colunt. Audite tamen, quomodo & illi vos irrideant, aiunt enim: Nos viuentia colimus animalia, licet moritura: vos verò, quæ nunquam omnino vixere, hæc colitis, & adoratis. Addunt præterea etiam illud: figuras esse, & allegorias virtutum quarundam, quibus adiutricibus regatur hominum genus: sed pudoris perfugia hæc & nonnulla his similia connectentes, errorem suum velare nituntur. Sed non est nunc tempus, Ægyptiis respondere: & derelictâ curâ præsentium, absentium medicari languores. Certum namque indicium est, vos ab huiusmodi ægritudine haberi alienos qui eam non doluistis, vt propriam: sed risistis, vt alienam. Sed redeamus ad vos, quibus placet haberi Deum, vt Cæsarem; Deos autem vt ministros, procuratores Cæsaris: sequimini me attentiùs, & modò vobis ostendam latebras serpentis, in argumenti huius curuis anfractibus collocatas. Certum apud omnes esse debet, & indubitatum de Deo, quia, à nullo factus est: sed ipse fecit vniuersa, nihil ex facturis suis posse coæquari: neque enim ita quis irrationalis inueniri potest, qui putet, quod conferri possit factura factori: Si ergo humana mens non solùm ratione, sed & naturali quodam motu, rectè hanc opinionem tenet, illud dici Deum, cui conferri aut exæquari nihil potest: sed quod cunctis emineat, & cuncta repellat: quomodo nomen illud, quod super omnia esse creditur, rectè his creditur dari, quos ad ministerium & procurationem humanæ vitæ putatis esse dispositos? Sed & illud addemus: mundus hic sine dubio factus est, & est corruptibilis: sicut etiam post modum latiùs ostendemus: interim & factum eum & corruptibilem constat. Si ergo mundus, Deus dici non potest: & rectè non potest, quia corruptibilis est: quomodo partes mundi, Dei nomen accipient? quod enim totus non potest esse mundus, multò magis non erit pars eius. Igitur, si redeamus ad exemplum Cæsaris: videte, quàm longè erretis. Cæsari, eiusdem licet naturæ hominem, cuius ipse est, (conferri tamen neminem licet Deo, qui hoc ipso quod à nullo factus, sed ipse fecit omnia, cuncta supereminet;) conferri debere aliquem, creditis? Sed Cæsaris quidem nomen nulli alij audetis imponere, quia reum suum statim punit: Dei verò audetis, quia reum suum punire propter pœnitentiam differt?

Animalia, quæ sint, virtutū symbola nonnus est colere, quā statuas exanimes. Ἀφθόλο- pri- ma quo similitudinem il- lam da.

E

Regis, siue Cæsaris, suorūmque præfectorum, honore, Deo accommodatam planè doces absurdam.

F

Tertius actus Satanæ. Altera ἀφορμή. Est autem hic intelligendum, non reijcere Petrum diuinarum nostrarum imagines, quod olim εἰκονομάχοι, & nostris miseris temporibus faciunt aduersarij Catholicæ & antiquæ Ecclesiæ: sed docet Deum inaspectabilem non coli, non adorari, nec aspectabili ratione vlla exprimi posse, id est, quod confutat. Id nimirum, quod & eodem modo Minutius Fœlix scripsit in Octauio. Quid, inquit, simulacrum Deo fingam, cum, si rectè existimes, sit Dei homo ipse simulacrum?

Verò colere imaginē Dei, est homini benefacere.

Per alios item serpens ille proferre verba huiuscemodi solet. Nos ad honorem inuisibilis Dei, imagines visibiles adoramus: quod certissimè falsum est. Si enim verè velitis Dei imaginem colere, homini benefacientes veram in eo Dei imaginem coleretis. In omni enim homine est imago Dei: non in omnibus verò similitudo: sed vbi benigna anima est, & mens pura. Si ergo verè vultis honorare imaginem Dei, nos vobis, quod verum est, aperimus: vt homini, qui ad imaginem Dei factus est, benefaciatis: honorem & reuerentiam deferatis: esurienti cibum: sitienti, poculum; nudo, indumentum: ægro, ministerium: peregrino, hospitium: & in carcere posito, necessaria ministretis: & hoc est, quod verè Deo delatum reputabitur. Hæc autem in tantum ad honorem Dei imaginis cedunt, vt qui ista non fecerit, contumeliam imagini diuinæ intulisse credatur. Quis ergo iste honor Dei est, per lapideas & ligneas formas discurrere, & inanes atque exanimes figuras, tanquam numina venerari, & hominem, in quo verè imago Dei est, spernere? imò potiùs certi estote, quod, qui homicidium facit, aut adulterium, & quicquid in hominum pœnam, vel iniuriam geritur, in his omnibus Dei imago violatur. Magna enim impietas in Deum est, lædere hominem: omne ergo, quod ipse pati non vis, cum facis alij, imaginem Dei iniquis mœroribus fœdas. Intelligite ergo, quia latentis intrinsecus serpentis est ista suggestio, quæ persuadet pios vos videri posse, cùm insensibilia colitis: & non videri impios, cùm sensibiles & rationabiles læditis. Sed ad hæc alio nobis serpens ore respondet, & dicit: Si nolebat hæc esse Deus, vtique non erant.

G

Matth. 25.

Fuisse ergo Christianis legem hanc præcipuā, testatur

H

Ælius Lamp. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Clarius sic verti poterat. Si noluisset hæc extare Deus, vtique non essent. Tertia est, ἀφορμή astutia serpentina.

Nondum vobis dico, quomodo ad vniuscuiusque mentis probationem, in hoc mundo permittuntur esse multa contraria: sed illud est, quod nunc interim conuenit dici, si secundum vos omne quod adorandum erat, esse non debuit, nihil penè futurum erat in hoc mun-

do. Quid enim est, quod reliquistis, quod non adoratis? Solem, Lunam, Stellas, aquam, terram, montes, arbores, lapides, homines: nihil horum est, quod non adorastis. Oportuit ergo, iuxta vocem vestram, nihil horum fieri à Deo, ne haberetis, quod possetis adorare: sed ne homines quidē ipsos esse opportuit qui adorarent. Verè hoc est, quod desiderat ille, qui intra vos latet, serpēs: nulli vestrum parcit: nullum vult effugere de interitu: sed non ita erit. Audite enim, quia non delinquit illud quod adoratur: sed ille, qui adorat. Iustum namque est apud Deum iudicium: & aliter, iniuriam patientem iudicat, aliter inferentem. Sed dicis, Oportebat ergo eos, qui adorant, quod non licet adorari, statim perimi à Deo: ne & alius hoc faceret. Sed nónne es tu prudentior Deo, vt ei consilia suggeras? scit ille, quid faciat. Omnibus etenim in ignorantia positis, patientiam præstat: quia misericors & pius est: & præuidet, quia ex impiis, multi efficiuntur pij, & ex ipsis, qui impura figmenta, & pollutas imagines venerantur, nonnulli conuersi ad Deum, & reuocantes se à peccatis, & agentes bona opera, perueniunt ad salutem. Sed debuimus, inquis, omnino nec ad cogitationem istam venire, vt hæc faceremus. Ignoratis, quid est libertas arbitrij? & latet vos, quia ille verè bonus est, qui suo proposito bonus est? Qui autem necessitate retinetur in bono, bonus non potest dici: quia non est suum, quod est. Quia ergo in vnoquoque libertas est, in electione bonorum vel malorum ipse sibi vel præmia vel interitum quærit. Imò, inquis, quicquid cogitamus, Deus nobis adducit ad mentem. Quid agitis ô homines? blasphematis, si enim omne, quod cogitamus ipse nobis adducit ad mentem, ipse ergo nobis cogitationes adulterij suggerit: & auaritiæ: & blasphemiæ, omnisque luxuriæ? Desinite quæso, ab huiusmodi blasphemiis, & qui sit Deo dignus honor, intelligite. Nec dicatis, vt solent quidam vestrûm, quod Deus mortalium honore non indiget. Ille quidem verè nullius indiget, sed vos debetis eum agnoscere: quia vobis prodest honor, quem Deo defertis. Quid enim tam execrabile, quàm si gratiam referre nesciat homo proprio conditori? Sed melius, inquit, facimus nos, qui & ipsi, & omnibus cum ipso gratias agimus. In hoc subuersionem salutis vestræ non intelligitis? Tale est enim hoc, quale si quis æger ad medelam sui medicum pariter & venenarios inuitet: cùm illi nocere quidem possint, curare non possint: verus autem medicus, venenis illorum recuset sua medicamenta miscere: ne aut pernicies, bono, aut sanitas nocentibus adscribatur. Dicis ergo: indignatur, aut inuidet Deus, si cùm ipse benefaciat, aliis gratiæ referantur? Etiamsi non indignetur, non vult tamen erroris auctor existere: vt sui operis beneficio inani dolo fides detur.

IV. ἀπόλυσις. Quis consiliarius eius fuit. Rom. 11.

V. ἀπόλ. Si logas, inquit, intellige, Serpens,

VI. ἀπό.

Sic Iupiter apud Hom. Odyss. 1.

VII. ἀπό. Deus malorum nō est auctor.

VIII. ἀπό.

IX. Per concessionem hoc à Petro dicitur, Etiamsi: nam reuera & grauiter Deus irascitur ingratis & idololatris. Gloriam meam alteri non dabo, inquit per Isaiam vatem, cap. 48.

Quid certè tam impium, tam ingratum, quàm à Deo beneficium consequi: & reddere lignis, ac lapidibus gratiam? Propter quod expergiscimini, & intelligite salutem vestram. Deus enim nullius indiget, neque aliquid requirit, neque in aliquo læditur: sed nos sumus, qui aut iuuamur, aut lædimur in eo, quo grati, aut ingrati sumus. Nam Deo quid confertur ex laudibus nostris? aut quid aufertur ex blasphemiis? nisi quod Deus animam sibi gratias agentem, proximam sibi & familiarem facit: ingratam verò, malus possidet dæmon. Sed & illud scire vos volo, quod aduersum huiusmodi animas, non ipse Deus per se vltionem profert: sed vniuersa creatura eius insurgit, & pœnas de impiis sumit: & quamuis in præsenti sæculo Dei bonitas æqualiter piis & impiis, mundi lucem ac terræ ministeria largiatur: tamen non absque dolore sui lucem sol impiis præbet, cæteraque elementa exhibent seruitutem.

Creatura se ab impiis vlciscuntur.

Paulus idem apud Rom. 8. cap. testatur, quod hic Petrus. Solicita creaturæ expectatio, expectat, inquit, vt palam fiant filij Dei, quippè creatura vanitati subiacet, non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe, &c. Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, simúlque nobiscum adhuc vsque tempus parturit.

Denique interdum * etiam contra bonitatem conditoris, fatigata sceleribus impiorum vincuntur elementa: & inde est, quod aut terræ fructus corrumpitur: aut aëris temperies temeratur: aut supra modum ardor solis incenditur; vel imbrium, ac frigorum vis immensa diffunditur.

** Contra bonitatem Dei, id est, permittente Deo, quamuis nollet punire: sed in humanum genus mallet semper beneficus esse.*

Inde lues & fames, & mortis facies diuersa percurrit, festinat enim creatura in impios mouere vindictam. Dei tamen bonitas reprimit ea, & ab indignatione impiorum refrænat: ac suæ misericordiæ obedire cogit, magis quàm peccatis hominum, & sceleribus inflammari: expectat enim patientia Dei, dum in hoc corpore sunt, hominum conuersionem. Quòd si qui ad exitum vitæ in impietate perstiterint, tum iam discedens anima, quæ immortalis est, pro impietatis suæ perseuerantia luet pœnas. Immortales namque sunt etiam impiorum animæ, quas ipsi fortasse velint pariter cum corporibus suis finiri: sed non ita est, perfert enim ignis æterni sine fine supplicia, & ad perniciem sui naturam non habet moriendi.

X. ἀπόλ., in personam Petri, cum sic perterrefacere homines. Pet. hic à proprio suæ personæ respondet.

Episcopis nō est tacendum.

Sed fortasse dicetis mihi: terres nos Petre. Et quomodo vobis dicemus, quæ in re sunt? nunquid tacentes adnunciare possumus veritatem? Quæ sunt, aliter quàm sunt, proferre nescimus. Quod si taceamus, causam vobis perniciosæ ignorantiæ nos dabimus: & satisfaciemus latenti intra vos, & obsidenti sensus vestros serpenti: qui hæc vobis callidè suggerit, vt semper vos inimicos faciat Deo. Sed nos ad hoc missi sumus, vt prodamus vobis latebras eius, & absoluentes inimicitias, reconciliemus vos Deo: vt ad ipsum conuertamini, & placeatis ei in operibus bonis. Inimicitiæ namque sunt homini ad Deum, irrationabilis & impius sensus, prauúmque propositum: maximè, cùm videtur sibi scire aliquid, & est in ignorantia. Vbi autem abiectis his, eadem vobis placere cœperint, quæ Deo placent, & eadem displicere vobis: atque ea cœperitis velle, quæ vult Deus: tunc verè amici eius dicemini.

Amicitiā cum Deo quomodo adipiscamur.

XI. ἀπόλ. Deum non curare res humanas. Petrus firmissimum Prouidentiæ siue πρόνοιας argumentum sumit ab hoc vniuerso, in quo ordo iste pulcherrimus íntáque ἀπλανῶν motuum, vicésque temporum seruiunt vtilitati nostræ, vnde quiuis colligere cogitur, Deum esse φιλόζωον, vt vocat eum Xenophon, & curare hominum genus.

Sed fortassis aliqui ex vobis dicent: Nihil curæ est Deo de rebus humanis: &, Cuius ne ad notitiam quidem possumus peruenire, quomodo ad amicitias perueniemus? Quod Deus curam gerat humanarum rerum, ipsius mundi gubernatio testis est, cui Sol quotidie deseruit: cui imbres ministrant: cui fontes, flumina, ventique, & omnia famulantur elementa: quæ quantò potiora ab hominibus videntur: tantò curam Dei esse erga homines indicant. Nisi enim potestate excelsi, nunquam potiora inferioribus ministrarent, & per hoc non solùm curam Deus erga homines, sed & grandem quendam habere docetur affectum: quorum ministerio tam præclara mancipauit elementa. Quod autem etiam ad amicitias Dei perueniant homines, exemplo nobis sunt hi, quorum precibus tantùm indulsit, vt clauderet imbribus cœlum, cùm vellent: & rursum, cùm peterent, relaxaret: & multa alia voluntatem suam facientibus præstitit, quæ non nisi amicissimis præstarentur. * Sed dices, quid enim læditur Deus, si & ista colantur à nobis? Si quis vestrûm honorem patri debitum, à quo plurima beneficia consequutus est, alij deferat: & alienum atque extraneum, quasi patrem colat: non tibi videtur impius existere in patrem, & exhæredatione dignissimus.

Dictū est hoc de Helia, de quo 3. Reg. c. 17. & Iac. 5.

** XI. ἀπό. cultui diuino non obesse creaturarū cultū. Maiorum instituta sunt imitanda, si Christo nō repugnēt*

XII. ἀπόλ. Turpe esse & impium à maiorum, qui eam religionem tradiderunt, institutis discedere. Occurrit hic Petrus eleganti similitudine.

Alij

Alij dicunt impium est, si non colamus ea, quæ nobis tradita sunt à patribus nostris : & religionem præuaricamur à maioribus datam. Hac ratione, si cuius pater latro fuit, aut si cuius leno : à patribus sibi traditam consuetudinem mutare non debet : nec ad meliorem vitam à paternis erroribus reuocari : & impium ducitur, si quis non cum parentibus peccet, aut cum ipsis impius perseueret.

XIII. obi. Deum onerari nostro cultu & inuocatione. Videmus id Epicureos quosdam Christianos, Cyclopes verius vocarentur, dicere.

Alij dicunt, non debemus molesti esse Deo, ipsum semper aut miseriarum quærelis, aut petitionum nostrarum necessitatibus onerare. Quam stulta & absque omni sale responsio? molestum Deo putas, si ei pro beneficiis suis gratias agas? cui molestum non putas, si pro ipsius muneribus, lignis & lapidibus gratias referas? Et quomodo, cùm fortè imber longâ serenitate suspenditur, omnes ad cœlum oculos tendimus, & ab omnipotente Deo pluuiarum munera flagitamus, omnésque cum paruulis ad Deum suis precibus miserationes ipsius exoramus? Sed reuera ingratæ animæ cum impetrauerint, citò obliuiscuntur : collectis enim messibus aut vindemiis, continuò ad surda & muta simulacra primitias frugum deferunt : & pro his, quæ Deus concessit, in templis aut lucis vota persoluunt : & ibi sacrificia dæmoniis offerunt : atque acceptâ gratiâ permutant gratiæ largitorem.

XIV. obi. Animi gratia coli deos : nam id ostendit falsissimum, ex miserrima afflictione cultorum indicat veram cultus viam.

Sed quidam dicunt, hæc lætitiæ gratiâ & ad reuelandos animos instituta, & adhoc inuenta, vt humana mens aliquantulùm curis & mœroribus relaxetur. Videte, quomodo ipsi accusatores estis eorum, quæ geritis. Si hæc leuandi mœroris, & lætitiæ capiendæ causa reperta sunt: quomodo in lucis & siluis inuocationes dæmonum fiunt? quomodo insani rotatus hominum, sectionésque membrorum, & abscissiones verendurum? * quomodo in his furor rabidus concipitur? quomodo inuitatur insania? quomodo mulieres sparsis crinibus furibundè iactantur? vnde stridor & fremitus dentium? vnde mugitus cordis & viscerum? & omnia illa, que vel simul, vel etiam ministerio dæmonum compaginata, ad terrorem stultorum, & ignorantium hominum proferuntur? hæc leuandi animi gratiâ fiunt, an potiùs opprimendi?

Festi dies gentilium.

* *Talia fiebant in Bacchanalus, Dianæ Tauricæ, Isidis id genus deorum dearumque sacrificiis. Vide Herod. lib. 2.*

Nondum sentitis neque intelligitis, latentis intra vos serpentis hæc esse consilia? qui vos per irrationabiles errorum suggestiones, à ratione veritatis abducit; vt vos libidinis & concupiscentiæ, ac totius dedecoris seruos teneat ac ministros? Sed ego clarâ vos omnes prædicationis voce contestor, quod è contrario religio Dei ad sobrietatem vos reuocat & pudicitiam : à luxuria ac furore iubet esse continentes : & per patientiam ac mansuetudinem, resecare lapsus iracundiæ, propriis esse contentos, & virtute parsimoniæ, ne egestate quidem compulsos aliena diripere : sed in omnibus seruare iustitiam : ab idolorum vos immolatione penitùs remouere : per hæc enim inuitatis dæmones ad vosmetipsos, & introeundi eis aditum sponte præbetis : & ex hoc iam vel furoris caussas, vel illiciti amoris accipitis. Hinc omnis impietatis origo descendit : hinc homicidia : adulteria : furta : & seminarium malorum omnium flagitiorúmque concipitur, dum profanis libaminibus & odoribus indulgetis, ac locum dominandi in vos & ius quodammodo obtinendi malignis spiritibus datis. Ingressi enim sensus vestros quid, nisi quæ libidinis, quæ iniustitiæ, quæ crudelitatis sunt, operentur : & ad omnia vos, quibus ipsi delectantur, subigant obedire? permittente reuera hoc Deo pati vos ab eis, iusto quodam iudicio, vt ex ipso dedecore actuum sensuúmque vestrorum, intelligatis, quam indignum sit dæmonibus, & non Deo esse subiectos. Hinc & ad indecoros & fœdos actos per amicitias dæmonum peruenitur. Hinc vsque ad ipsius vitæ perniciem, vel per flammam libidinis ascenditur, vel per iracundiæ rabiem, aut nimietatem tristitiæ peruenitur : vt sæpè notum est, etiam manus sibi intulisse nonnullos : quod, vt diximus, iustâ quadam Dei sententiâ fieri ab his non prohibetur : vt & quibus se subdiderint, intelligant & quem deseruerint, recognoscant.

Vera religio Dei in quib. sita. Act. 15. Rom. 14. 1. Cor. 8. 10.

XV. obi. Pios etiam perturbationibus vexari.

Sed dicet aliquis. Passiones istæ interdum accidunt etiam his, qui Deum colunt. Non est verum : etenim nos illum Dei dicimus esse cultorem, qui voluntatem Dei facit, & legis præcepta custodit. Apud Deum enim, non ille, qui apud homines Iudæus dicitur, Iudæus est : neque, qui gentilis vocatur, ille gentilis est : sed, qui Deo credens legem impleuerit, ac voluntatem eius fecerit : etiamsi non sit circumcisus. Verus Dei cultor est is, qui non solum ipse à passionibus liber est : verum & alios ab eis liberos reddit : etiamsi sint ita graues, vt montibus comparentur, per fidem qua credit Deo, transfert eas : sed & montes verè cum arboribus suis, si necesse sit, per fidem transfert. Qui autem videtur quidem colere Deum, sed neque fide plenâ, neque operibus mandatorum munitur, sed est peccator : pro peccatis locum dedit in semetipso passionibus : quæ ad pœnam peccantium constitutæ sunt à Deo, vt ab eis per illata supplicia, exigant debita peccatorum : & purgatiores eos ad iudicium illud generale perducant : si tamen castigationem eorum non deserat fides. Nam infidelium castigatio in præsenti vita, indicium est, quo alieni existere incipiunt à futuris bonis : Deum verò colentium castigatio, cùm pro peccatis, quæ acciderint eis, infertur : commissi ab eis exigit debitum : vt præuenientes iudicium, in præsenti sæculo peccati debitum soluant : & liberentur vel ex parte mediâ, ab æternis, quæ illic præparatæ sunt, pœnis. Sed hæc ita esse non recipit, qui non credit futurum esse iudicium Dei : & ob hoc præsentis sæculi voluptatibus obligatus, ab æternis excluditur bonis. Et ideo nos non negligimus prædicare vobis, quæ saluti vestræ scimus esse necessaria : &, qui sit verus Dei cultus ostendere : * vt credentes Deo, per opera bona possitis vnà nobiscum futuri sæculi hæredes existere. Quòd si nondum apud vos certum est, vera esse, quæ dicimus : interim pro hoc primò non debetis ægrè accipere, & infesti esse, quia quæ putamus bona, hæc vobis adnuntiamus : & quod vobis salutare esse credimus, hoc etiam vobis conferre non inuidemus : omni, vt dixi, studio laborantes, quò cohæredes vos bonorum, quæ ipsi nobis euentura credimus, habeamus. Vtrum autem pro certo vera sint, quæ adnunciamus vobis : non aliter scire poteritis, nisi, vt obedientes his, quæ mandantur, ipso rerum exitu, & beatitudinis certissimo fine doceamini. Et ideo etiamsi latens intrinsecùs serpens, sensus vestros mille deprauandi artibus occupet : & impedimenta mille subiiciat, quibus à salutari doctrinâ vestrum declinet auditum : eò magis obsistere ei debitis, & spretis eius suggestionibus ad audiendum à nobis verbum, suscipiendámque doctrinam frequentiùs conuenire : quia nemo potest discere aliquid, qui non docetur. Cúmque hæc dixisset, iussit sibi eos, qui languoribus vel dæmonibus vrgebantur, offerri : & imposuit eis manus cum oratione, atque ita turbas dimisit, admonens, vt ad audiendum verbum, diebus, quibus ibidem moraturus esset, frequentarent. Ideo vbi turbæ abscessêre, Petrus aquis quæ in horto fluebant corpus diluens, vnà cum cæteris volentibus, humi sterni iussit sub arbore quadam, cuius vmbra erat plurima, & recumbere nos, secundum ordinem apud Cæsaream statutum, præcepit. Atque ita cibo sumpto, Hebræorum ritu gratias agens Deo : quia adhuc aliquantulum diei supererat, iussit nos, de quibus vellemus, percontari. Cúmque essemus omnes cum eo viginti, vnicuique, de quo quærere voluit, explanauit : quorum singula quæque, libellis comprehensa, tibi antè iam misi. Vespere autem iam facto ingressi hospitium cum ipso, suis quique locis requieuimus.

Rom. 2. Apoc. 2. 3.

Matt. 17.

Infidelium castigatio in hoc sæculo, quid significet?

**Considera hic scopum doctrinæ Petri, vt credentes Deo per opera bona & ca. Sic 1. Epist. c. 1.*

Miraculis confirmat suam doctrinam Petr.

Libelli isti nō extāt.

A

ARGVMENTVM LIBRI VI. Recognitionum B. Clementis Rom. per L. Gruterum Venradium.

Tertiam *Magni Petri ad populum Tripolitanum concionem, ſexto hoc libro perſcribit Beat. Clemens, qua quidem is populum ſit hortatus ad diligentem auditionem perceptionémque diuini verbi, omiſſis mundi curis: atque ad pœnitentiam, vt ipſi ſibi ſuæque ignorantiæ, qua in illud tantorum malorum ſarathrum inciderint, iraſcantur: quòd Chriſtus, vt bellum vitiis faciamus, iuſſerit, ante omnia Deum rectè cognoſcendum eſſe, qui vel ex ſola rerum naturâ, quæ tota propter hominem formata ſit, cognoſci queat, ac merâ philoſophiâ, vt par ſuis apud ſapientes ethnicos, qui fidei myſteria nondum capiebant, renaſcentiam ſeu* παλιγγενεσίας, *(vt vocat Paulus,) hominem fieri debere per aquam, hoc eſt, baptiſmum demonſtrat: eiuſque ſimul neceſſitatem, cur is nimirum neceſſarius, & vnde ſit efficax, indicat abundè, docet dein baptiſmum honeſtate vitæ, ſanctitate, puritate, adeoque perfectione ornandum eſſe, ita vt & ethnicos vitâ præclaros ſuperent: eleganter interim diſtinctéque cuiuſmodi ſit iſta puritas, explicans: turpe eſſe, hîc à profanis vinci: quinetiam extremo iudicio periculoſum fore. Deníque quomodo auctorem noſtrum Clementem hactenus catechumenum Petrus, aliósque Tripolitanos baptizarit, & menſa Dominica datâ Euchariſtiâ fecerit participes. Poſtremum, vt ipſis ciuibus iam poſt trimeſtre ab eis Antiochiam verſus diſceſſurus Epiſcopum Maronem virum ſanctum, hoſpitem ſuum ordinarit: omnémque Eccleſiam pulcro ordine conſtituerit. In primis vtilis erit hæc concio, non ſolum contra Anabaptiſtas aliquot baptiſmi profanatores, ſed & alios pleróſque, qui eius ſuſcipiendi neceſſitatem palàm negant. Sunt & quædam hîc non iniucunda ſimilitudines, quæ non exiguam vim ad docendum populum habent.*

B

C

RECOGNITIONVM Diui Clementis ad Iacobum Fratrem Domini, Liber ſextus, Rufino Torano Aquileienſe Interprete.

Et verò tareſcentibus tenebris plurimum dies cœpit proferre crepuſculum, Petrus orationis gratiâ hortum ingreſſus, exinde egrediens atque ingrediens, velut excuſare nobis videbatur: quòd tardius ſolito euigilans, veniſſet ad nos. Aiebat ergo: Vbi Veris tempus longiorem fecerit diem, neceſſe eſt, vt nox breuior fiat: ſi quis ergo ſtudiorum cauſa noctis aliquid occupare deſiderat, non in omni tempore eaſdem horas obſeruare debet ad vigilandum, ſed eadem temporis ſpatia: ſiue breuior, ſiue longior ſit nox, dormiendo conſumere: & curare magnoperè, ne præſumens ex his ſpatiis, quæ habere ad ſtudendum ſolet, addat ſomno: & vigilandi tempus imminuat. Obſeruandum namque & illud eſt, ne fortè, ſi nondum decoctis cibis interrumpantur ſomni, indigeſtum corpus adgrauet mentem: & crudos adhuc exhalans ſpiritus, interiorem ſenſum confuſum reddat ac turbidum. Rectum ergo eſt, vt competenti etiam pars iſta quiete foueatur: quò poſſit ſufficienter his, quæ ſibi debentur, corpus expleris, iuſtum in reliquis menti exhibere miniſterium. Et cùm hæc dixiſſet, plurimis iam conſueto in horti loco ad audiendum congregatis, proceſſit Petrus, & ſalutatis ex more turbis, dicere hoc modo cœpit. Quoniam quidem, ſicut terra cultore neglecta, ſpinas & tribulos neceſſariò producit: ita ſenſus veſter longi temporis incuriâ, multas & noxias opiniones rerum, & intelligentias falſæ ſcientiæ germinauit: Opus eſt nunc multâ diligentiâ ad excolendum rus mentis veſtræ: vt id ſermo veritatis, qui eſt verus & diligens cordis colonus, adſiduis excolat diſciplinis. Veſtrum ergo eſt præbere ei obedientiam: & occupationes ac ſollicitudines ſuperfluas amputare: ne bonum verbi ſemen énecet noxium germen. Poteſt enim fieri, vt multi temporis negligentiam, breuis & adſidua reparet diligentia: incertum namque eſt vniuſcuiuſque vitæ tempus: & ideo feſtinandum eſt ad ſalutem, ne fortè cunctantem mors repentina præueniat. Et ob hoc acriùs intendendum eſt, vt dum eſt temporis ſpacium, collecta malæ conſuetudinis vitia reſecentur. Quod non aliter facere poteritis, niſi vt iraſcimini quodam modo aduerſum voſmetipſos pro his, quæ inutiliter geſſiſtis ac turpiter. Hæc enim eſt iuſta & neceſſaria iracundia, qua vnuſquiſque in his, quibus errauit & perperam geſſit, indignatur: & ſemetipſum incuſat: ex qua indignatione accenditur in nobis ignis quidam, qui velut agro ſterili immiſſus, conſumptis & excoctis radicibus peſſimæ voluptatis, bono ſemini verbi Dei, fœcundiorem cordis præparat glebam. Puto autem, quod ſatis dignas habeatis cauſas iracundiæ, ex quibus iuſtiſſimus ignis iſte conaleſcat: ſi conſideretis, in quantos vos errores deduxit ignorantiæ malum: quantóſque lapſus, & quanta præcipitia ad peccandum dedit: à quantis vos bonis abſtraxit, & in quæ præcipitauit mala: & quod eſt ſuper omnia grauius, quòd vos in futuro ſeculo æternis pœnis obnoxius fecit. Nónne pro his omnibus, vbi vobis veritatis lumen obfulſit, ignis iuſtiſſimæ indignationis accenditur, & iracundiæ Deo placitæ intra vos conſurgit incendium? quo conſumatur, & radicitùs intereat omne germen, ſi quod fortè intra vos malæ concupiſcentiæ pullulauit. Vnde & ipſe, qui miſit nos, cùm veniſſet, & omnem mundum vidiſſet ad malitiam declinaſſe, non continuò pacem ei in erroribus poſito dedit, ne eum confirmaret in malis: ſed ignorantiæ eius ruinis, ſcientiam veritatis oppoſuit: vt ſi fortè reſipiſcerent, & lumen veritatis aſpicerent: deceptos ſe, & in præcipitia erroris abſtractos, meritò dolerent: & iracundiæ ſalutaris ignem aduerſum deceptricem ſui conciperent ignorantiam. Ob hoc itaque dicebat: Ignem veni mittere in terram, & quàm volo, vt accendatur. Eſt ergo pugna quædam, quæ gerenda nobis eſt, in hac vita: ſermo enim veritatis & ſcientiæ, neceſſariò ſeparat homines ab errore & ignorantiâ, ſicut ſæpè vidimus, putrefactas & emortuas corporis carnes, à connexione viuentium membrorum, ferro ſecante ſeparari. Tale ergo aliquid eſt, quod agit veritatis agnitio: neceſſe eſt enim, vt ſalutis cauſâ filius, verbi gratiâ, qui ſermonem receperit veritatis, à parentibus ſeparetur incredulis: aut rurſum, pater ſeparetur à filio, aut filia à matre. Et hoc modo inter propinquos & conſanguineos credentes atque incredulos, ſcientiæ & ignorantiæ: veritatis & erroris pugna conſurgit. Et ob hoc iterum dicebat, qui nos miſit: Non veni pacem mittere in terram: ſed gladium. Quod ſi dicit aliquis, & quomodo iuſtum videtur ſeparari à parentibus? Audi, quomodo: quia ſi cum ipſis in errore permaneant, neque illis proderunt: & ipſi, cum illis pariter interibunt. Iuſtum igitur & valde iuſtum eſt, ſeparari eum, qui ſaluari vult, ab eo, qui non vult. Sed & illud aduerte, quia non ex illis, qui rectiùs intelligunt, venit iſta ſeparatio: illi enim volunt eſſe, pariter & prodeſſe eis, & docere meliora: ſed eſt iſtud proprium ignorantiæ vitium, vt conſutantem ſe veritatis lucem, non ferat habere de proximo: & ideo ex illis iſta naſcitur ſeparatio. Nam qui ſcientiam veritatis accipiunt, quia bonitatis plena eſt: tanquam à bono Deo datam: cupiunt eam, ſi fieri poteſt, cum omnibus habere communem: etiam cum his, qui oderunt eos & perſequuntur: ſciunt enim, quia peccati ipſorum cauſa, ignorantia eſt. Proptereà denique ipſe magiſter cùm ab his, qui ignorabant eum, duceretur ad crucem, orabat patrem pro interfectoribus ſuis: & dicebat: Pater, remitte eis peccatum, neſciunt enim, quid faciunt. Imitantes quoque diſcipuli magiſtrum, etiam ipſi cùm paterentur, ſimiliter pro interfectoribus ſuis orabant. Quod ſi diſciplina nobis

eſt,

D

Concio Pet. Euangelii colonus cordis noſtri eſt. Alluſum eſt ad parabolam Chriſti de

E

homine ſementem variè faciente. Luc. 8.

F

G

Luc. 12. *Vita, militia eſt.*

Matt. 10. *Gladius Euangelij & bellum, quid ſibi velit, ſuprà Pet explicantè l. 2.*

H

Luc. 23.

A

Act. 7. Stephanus.

est, orare etiam pro interfectoribus, & persequutoribus nostris: quomodo non etiam parentum & propinquorum persequutiones ferre, & pro conuersione eorum orare debemus? Tum deinde etiam illud diligentiùs consideremus, quæ sit nobis causa, parentes diligendi. Pro eo, inquis, quod vitæ nostræ videntur autores. Autores quidem vitæ nostræ, parentes non sunt, sed ministri: non enim vitam præbent, sed ingrediendi nobis ad hanc vitam exhibent ministerium, auctor autem vitæ, vnus & solus Deus. Si ergo auctorem vitæ diligere voluerimus: illum nobis sciamus esse diligendum. Sed illum, inquis, cognoscere non potuimus: istos autem & nouimus, & in effectu habemus. Esto, non potueris cognoscere, quid sit Deus, * quid tamen non sit Deus, perfacilè scire potuisti. Nam quomodo latere potuit hominem, quod lignum, aut lapis, aut æs, vel alia huiusmodi materia, Deus non sit? Quod si in his quæ facilè deprehendere potuistis, animum ad discutiendum noluistis intendere: certum est, quia in agnitione Dei impediti estis, non impossibilitatis, sed ignauiæ vitio: nam si voluissetis, ex his ipsis inutilibus simulacris, profectò accepissetis intelligentię viam. Certum est enim, quod per ferrum facta sint simulacra, ferrum verò per ignem confectum sit: qui ignis aqua extinguitur: aqua autem per spiritum mouetur, spiritus autem à Deo initium habet. Sic enim dicit Moyses Propheta: In principio fecit Deus cœlum & terram, terra autem erat inuisibilis, & incomposita: & tenebræ erant super abyssum, & spiritus Dei erat super aquas, qui spiritus iussu Dei, quasi ipsa conditoris manu lucem separauit à tenebris, & post illud inuisibile cœlum, istud visibile produxit: vt superiora quidem, habitaculum faceret Angelis: inferiora verò, hominibus.

** Hoc est, quod opinor, impulit Dionysium scribere de* B *Theologia negatiua.* Gen. 1.

Hunc locum citat de verbo doctus Beda libro de ratione temporum, capite tertio, Verba ipsius sunt. Denique sanctus Clemens, Apostolorum discipulus, & Romana Ecclesiæ tertius post Petrum Episcopus, in sexto historiarum suarum libro, ita scribit. In principio fecit Deus cœlum & terram: & cætera, quæ hic verba sequuntur. Idem locus citatur eodem modo quarta epistola Clementis. Tanti sunt hi libri ante ann. 834. æstimati, vt docti viri eorum testimoniis in rebus difficilibus libenter vterentur. Quo de suprà copiosius.

C

Propter te ergo Dei iussu, aqua, quæ erat super faciem terræ, secessit, vt terra tibi produceret fructus: cui etiam humorum venas latenter inseruit: vt tibi ex ea profluerent fontes, & flumina. Propter te, producere iussa est animantia: & omnia, quæ tuo vsui voluntatique seruirent. An non propter te venti spirant, vt ex ipsis concipiens fructus tibi terra parturiat? Nonne propter te imbres profluunt? & tempora vicissitudines mutant? Nonne propter te Sol oritur & occidit, & mutationes Luna perpetitur? Propter te mare exhibet famulatum suum, vt tibi ingrato cuncta subiaceant. Nonne pro his omnibus ista erit vltionis pœna, quia horum omnium largitorem quem ante omnia & agnoscere & venerari debuistis, solum præ cæteris ignorâstis. Sed & nunc eisdem vos ad intelligentiam viis duco: videtis etenim, quod omnia gignuntur ex aquis: * aqua verò per vnigenitum ex initio facta est: vnigeniti verò, omnipotens Deus caput est, per quem tali ordine, quo supra diximus, peruenitur ad Patrem: cùm autem perueneris ad Patrem, agnosces hanc esse voluntatem eius, vt per aquas, quæ primæ creatæ sunt, denuò renascaris. Qui enim regeneratus fuerit per aquam, bonis operibus adimpletis, hæres efficitur eius, à quo in incorruptione regeneratus est. Propter quod paratis animis accedite, quasi filij ad Patrem, vt peccata vestra diluantur: & causa eorum, sola ignorantia fuisse probetur apud Deum. Nam si post agnitionem horum permanetis in incredulitate: vobis iam perditionis vestræ causa, & non ignorantiæ reputabitur. Nec putes, quod etiamsi omnem pietatem colas, omnémque iustitiam, baptismum verò non accipias: spem possis habere apud Deum: imò potiùs maiore pœnâ dignus erit, qui bona opera non benè operatur: confertur enim meritum homini ex bonis gestis: sed si ita gerantur, sicut Deus iubet. Deus autem iussit omnem colentem se, baptismo consignari: quodsi

Propter hominem omnia creata sunt.

D

Ioan. 5. ** (Nam Thales Milesius dixit, ἀρχὴν ἁπάντων ὕδωρ.)* *Hortatur Petrus ad baptismũ Tripolitanos. Baptismus quã sit necessarius, & cur Opera bõ sunt bona, si sunt ita,*

tu renitēris, & tuæ voluntati magis, quàm Dei obtemperas, contrarius sine dubio & inimicus es voluntati eius. Sed dices fortasse, quid confert aquæ baptismus ad Dei cultum? Primò quidem, quia, quod Deo placuit, impletur: secundò, quia regenerato ex aquis, & Deo renato, fragilitas prioris natiuitatis, quæ tibi per hominem facta est, amputatur: & ita demum peruenire poteris ad salutem: aliter verò impossibile est. Sic enim nobis cum Sacramento, verus Propheta testatus est, dicens: Amen dico vobis, nisi quis denuò renatus fuerit ex aqua, non introibit in regna cœlorum. Et ideò accelerate: est enim in aquis istis misericordiæ vis quædam, quæ ex initio ferebatur super eas: & agnoscit eos, qui baptizantur sub appellatione triplicis Sacramenti: & eripit eos de suppliciis futuris: quasi donum quoddam offerens Deo, animas per baptismum consecratas. Confugite ergo ad aquas istas, solæ sunt enim, quæ possint vim futuri ignis extinguere: ad quas, qui moratur accedere, constat in eo infidelitatis adhuc idolum permanere: & ab ipso prohiberi ad aquas, quæ salutem conferunt, properare. Siue enim iustus sis, siue iniustus, baptismus tibi per omnia necessarius est. Iusto quidem, vt adimpleatur in eo perfectio, & regeneretur Deo: iniusto verò, vt peccatorum, quæ gessit in ignorantia, remissio concedatur. Omnibus ergo festinandum est sine mora, renasci Deo: quia incertus est vniuscuiusque exitus vitæ. Cùm autem regeneratus fueris per aquam, ex operibus bonis ostende in te similitudinem eius, qui te genuit Patris. Agnouisti enim Deum, honora Patrem: honor autem eius est, vt ita viuas, sicut ipse vult. Vult autem ita viuere, vt homicidium, adulterium nescias: odium, auaritiam fugias: iram, superbiam, iactantiam respuas, & execreris: inuidiam, cæteráque his similia, penitùs à te ducas aliena. Est sanè propria quædam nostræ religionis obseruantia, quæ non tam imponitur hominibus, quàm propriè ab vnoquoque Deum colente causâ puritatis expetitur: Castimoniæ dico causâ, cuius species multæ sunt: sed primò, vt obseruet vnusquisque, ne menstruatæ mulieri misceatur; Hoc enim, execrabile ducit lex Dei. Quod etsi lex de his non admonuisset: nos, vt * Cantari libenter volueremus in stercore? Debemus amplius aliquid habere animalibus, vtpote rationabiles homines, & cœlestium sensuum capaces, quibus summi studij esse debet, ab omni inquinamento cordis conscientiam custodire.

E

vt Deus præcepit: Ioan. 3. *Bonum sit non benè, quãdo fit non benè. Omnibus necessarius baptismus. Ornãdus baptismus sancta vita.*

F

G

Levit. 18. ** Vetus exẽplar, cantari habebat: in alio non erat omnino, sufficit autẽ L gẽdũ, cantherij.* Matt. 23.

Ebioniticus totus hic locus videri posset, ita intellectus, quasi lotio aqua requiratur vel faciat aliquid ad vitæ puritatem sanctitatemque, nam Ebionitæ crebram aquæ lotionem in suis, eadem prope ratione vt nunc Anabaptistæ, crebros baptismos, requirebant. At sanè tamen de baptismo poterat intelligi licet difficiliùs & coactiùs. Certè mihi quidem videtur vt ingenuè fatear, quanquam nec asseuerare velim, neque negare: totum illum locum, à periodo: Bonum est autem: vsque ad illam clausulam, Vere enim si mens mundetur: παρεμβεβλῆσθαι esse quod sanè ab Ebionitis in his libris plerunque factum testatur Epiphanius, ideoque nos eum, tuis monendi causa, parenthesi inclusimus. ( ). Sensus sanè pulchre sibi constat, his licet abiectis. Illud quoque volo, animaduertas. Petrum hic per purificationem carnis, intelligere castitatem & moderationem, abstinentiamque à coitu & promiscuis voluptatibus, ne rursus vllo pacto in Ebionis errores Incidas.

H

(Bonum est autem & puritati conueniens, etiam corpus aqua diluere. Bonum verò dico, non quasi principale illud, in quo mens purificatur: sed, quod sequela sit illius boni, hoc, in quo caro diluitur. Sic enim & magister noster quosdam Pharisæorum & Scribarum, qui videbantur esse cæteris meliores, & à vulgo separati: increpabat: dicens eos hypocritas, quia ea solum, quæ hominibus videbantur, purificabant: corda verò, quæ solus Deus aspicit, inquinata relinquebant & sordida. Ad quosdam ergo ex ipsis, non ad omnes, dicebat: Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis, calicis & paropsidis, quod deforis est, intùs autẽ plena sũt sordibus Pharisęe cęce, emũda prius, quod intus est; & quod deforis est, erit mundũ.) Verè enim, si mens mundetur luce

scientiæ,

A

ſcientiæ, cùm ipſa fuerit munda ac ſplendida, tunc etiam eius, qui deforis eſt, hominis, ipſa neceſſariò curam gerit, id eſt carnis ſuæ: vt & ipſa purificetur. Vbi autem iſta, quæ deforis eſt, purificatio carnis negligitur, certum eſt, ibi neque de puritate mentis, ac munditia cordis curam geri. Ita ergo fit, vt is quidem, qui intrinſecus mundus eſt, mundetur ſine dubio & extrinſecus. Non ſemper autem is, qui mundatur extrinſecus, etiam intrinſecus mundus eſt: videlicet, cùm agit hæc, vt hominibus placeat. Sed & illa ſpecies caſtimoniæ obſeruanda eſt, vt ne paſſim, & libidinis ſolius causâ, fœminis coëant: ſed poſteritatis reparandæ gratiâ. Quæ obſeruantia cùm in nonnullis etiam pecudibus inueniatur: pudoris eſt, ſi non ab hominibus rationabilibus, & Deum colentibus obſeruetur. In tantum autem caſtimonia, verum Dei cultum tenentibus, per has, quas ſuprà diximus, aliáſque horum ſimiles ſpecies, conſeruanda eſt: vt etiam apud eos, qui à

B

diabolo adhuc in erroribus detinentur, attentiùs obſeruetur: eſt enim & apud illos nonnulla obſeruantia caſtimoniæ. Quid ergo, quod errantes cuſtodiebatis, hoc non obſeruabitis emendati? Sed fortaſſe dicet aliquis veſtrum: Oportet ergo nos omnia, quæ fecimus, dum coleremus idola, cuſtodire? Non omnia, ſed quæcunque bene fiebant, hæc etiam nunc conuenit obſeruari: quia ſi quid rectè fit ab his, qui in errore ſunt, certum eſt, id à veritate ſumptum. Quia & ſi quid in vera religione non rectè fit: non eſt dubium, quin ab errore mutuatum ſit: bonum namque etiamſi ab errantibus geſtum fuerit, bonum eſt; & malum, etiamſi ab his, qui veritatem ſequuntur, geſtum fuerit, malum eſt. Aut nunquid ita deſipiemus, vt ſi videamus eum, qui idola colit, eſſe ſobrium: nos, qui Deum colimus, ſobrij eſſe recuſemus, ne eadem facere, quæ ille, qui colit idola, videamur. Non ita eſt, ſed ſit nobis ſtudium, vt ſi illi, qui errant, homicidium non faciunt; nos ne iraſcamur quidem: & ſi illi adulterium non admittunt: nos, ne concupiſcamus quidem alienam mulierem: ſi illi amant proximos ſuos, nos diligamus etiam inimicos noſtros: ſi illi mutuo dant his, qui habent, vnde reddant: nos, etiam his demus, à quibus recipere non ſperamus. Et per omnia nos, qui æterni ſæculi hæreditatem ſperamus, debemus præcellere eos, qui præſens tantum ſæculum norunt: ſcientes, quia ſi opera illorum noſtris operibus collata, in die iudicij ſimilia inueniantur ac paria, confuſio nobis erit: quòd æquales inuenimur in operibus, his, qui propter ignorantiam condemnantur, & nullam ſpem futuri ſæculi habuerunt. Et verè digna confuſio eſt, vbi nihil ampliùs geſſimus ab his, quibus ampliùs intelleximus. Quòd ſi confuſio nobis erit, æquales eis inueniri in operibus bonis: quid erit nobis, ſi inferiores nos, ac deteriores examinatio futura reperiat? Audite ergo, quomodo de his nos ipſe verus Propheta docuerit: ad eos enim, qui negligunt audire verba ſapientiæ, ita ait: Regina auſtri ſurget in iudicio cum generatione hac, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ, audire ſapientiam Salomonis, & ecce plus quam Salomon hîc & non audiunt. Ad eos verò, qui de malis actibus gerere pœnitentiam detrectabant, ita ait: Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plus quàm Ionas hîc. Vides ergo, quomodo eos, qui erudiebantur ex lege, adductis ad exemplum illis, qui ex gentili ignorantiâ veniebant, & oſtendens eos, nec illis æquales eſſe, qui in errore poſiti videbantur, ex ipſa tantùm comparatione condemnat? Ex quibus omnibus ſermo, quem propoſuimus, adprobatur: vt caſtimonia, quæ aliquatenus etiam ab his, qui in errore ſunt poſiti, cuſtoditur, multò puriùs & attentiùs per ſingulas quaſque, ſicut ſuprà oſtendemus, ſpecies à nobis, qui veritatem ſequimur, teneatur: eò magis, quò apud nos obſeruantiæ eius præmia æterna poſita ſunt. Hæc & his ſimilia cùm dixiſſet, turbas dimiſit: & ex more cum familiaribus ſuis cibo ſumpto, quieuit. Hoc autem modo per tres continuos menſes, cùm verbum Dei doceret, & plurimos conuerteret ad fidem, ad vltimum ieiunare me iuſſit: & poſt ieiunium in fontibus,

Chriſtiani quibus modis Ethnicos vincere debeant.

Matth. 5.

C

Turpe vinci in ſanctitate vitæ à profanis non initiatis Chriſto.

Lucæ 11.

D

E

qui contigui habentur mari, perennis aquæ mihi baptiſmum dedit. Cùmque pro regenerationis gratiâ diuinitùs mihi collatâ, feriati cum fratribus & laicis læti egiſſemus, Petrus, eos, qui ad præcedendum fuerant ordinati, proficiſci Antiochiam iubet: atque ibi tres alios expectare menſes: quibus profectis, ipſe eos, qui fidem Domini plenè receperant, deducens ad fontes, quos mari contiguos ſuprà diximus, baptizauit, & Euchariſtiam frangens cum eis, Maronem, qui eum hoſpitio receperat, perfectum iam in omnibus, conſtituit eis Epiſcopum: & duodecim cum eo presbyteros, ſimulque diaconos ordinat. Inſtituit etiam ordinem viduarum, atque omnia Eccleſiæ miniſteria diſponit. Vniuerſóſque admonet, Maroni Epiſcopo in omnibus, quæ præciperet, obedire: & ita cunctis competenter diſpoſitis, cùm trium menſium tempus fuiſſet expletum: valedicentes his, qui erant apud Tripolim, Antiochiam proficiſcimur.

Clemens baptizatur à Petro.

Miniſteria Eccleſiæ diſpoſita à Petro.

F

ARGVMENTVM LIBRI VII. Recognitionum D. Clementis, L. G. Venradio Auctore.

Hvcvsqve Tripolitanæ conciones. Petrus porrò Tripoli digreſſus, quòd auditorum comitantium turbis obrueretur, quæ gentibus quoque ſuſpecta poterant eſſe, eas tum declinandæ inuidiæ cauſa, tum, vt ſingulis commodiùs hoſpitia præcurari poſſent, ne vagari incertis ſedibus in vrbibus cogerentur, ſeorſum diuiſit in partes: ac diſcipulos pleróſque ante ſe Seruatoris exemplo præmiſit. Clemens, quòd retentus eſſet à Petro, agit ei gratias; cui cum ſe famulum quoque offerret, Petrus oſtenſa vita ſua tenuitate parſimoniáque nullo eo ſe docet indigere: imò ſe potius Clementi famulari debere, laboribus à pueritia aſſuetum; indignè hoc accipiente illo, & aſſeuerante contra, Petrum ſe parentis loco colere: Apoſtolum ſciſcitatum eſſe de ſuis, num qui ſupereſſent: cui Clemens amiſſorum ſuorum parentum fratrumque certè miſerabilem caſum retulit. Refert deinceps ex hoc mirabiliter poſtea Petrum reperiſſe & deprehendiſſe matrem Clementis Matthidiam, apud Aradios Phœniciæ mendicantem, hac enim narrante, cùm ex ea Petrus cauſam mendicitatis inquireret, infælix ſuum naufragium, ac quædam affingente: motum commiſeratione Apoſtolum ſui Clementis conſimilem narraſſe ipſi caſum; ex quo deprehenſum fuit, eam huius eſſe matrem; porrò relatum inauditum hoc factum cæteris comitibus, qui iam anteceſſerant, Nicetæ nimirum & Aquilæ: ex quo conſimiliter deprehenſum fuit, hos germanos eſſe fratres Clementis, priùs Fauſtini Fauſtique vocabulis appellatos. Matthidiam demum cum ſua hoſpita ab Apoſtolo baptizatam eſſe.

G

Mirificam ſanè liber hic ſub oculos ponit Dei prouidentiam, in ſuaui iſta quidem, ſed planè diuina & inopinata Clementis matris fratrúmque agnitione, quam ne quis fabuloſam putet, eandem quoque ſciat perſcriptam à Nicephoro Calliſto libro ſecundo, capite triceſimo quinto hiſtoriæ ſuæ Eccleſ.

H

RECOGNITIONVM Diui Clementis ad Iacobum Fratrem Domini, Liber ſeptimus Rufino Torano Aquileienſe interprete.

Egressi tandem etiam Tripolim Phœnicis vrbem, primam in Hortoſiade, haud procul à Tripoli facimus manſionem: vbi ſequenti quoque die remorati, quia omnes penè, qui Domino crediderant, dum diuelli à Petro nequeunt, illo vſque ſequuti ſunt: inde Antara dum venimus. Sed quòd multi

A

nos comitarentur, ait Petrus ad Nicetam, simul atq; Aquilam: Quoniam quidem plurimæ fratrum turbæ nobiscum sunt: & ingredientes singulas quasque vrbes, non parum inuidiæ contrahimus: videtur mihi prouidendum, vt neq; ipsis ingratum sit, si prohibeantur sequi: neq; nobis pompæ alicuius excitet malignus inuidiam. Censeo itáque te Nicetam atque Aquilam, præcedere nos cum ipsis: ita, vt etiam vos in duas partes diuisam multitudinem ducatis, vt sparsim magis, quàm sub vna congregatione iter agentes, singulas quasque introëamus gentium ciuitates. Scio autẽ, quia triste vobis videtur, quòd videmini à me, duorum saltem dierum spatio separari: credite mihi, quia, qua mensura diligitis me, decuplo amplior mihi quoque erga vos affectus est: sed si pro affectu, quem adinuicem gerimus, non faciamus quæ conuenientia & honesta sunt: irrationabilis huiusmodi amor videbitur. Et ideo nequaquã titulo charitatis imminuto, quæ vtilia videntur ac necessaria, procuremus: maximè cùm nullus dies possit intercedere, quo non disputationibus meis interesse possitis. Per singulas enim quásq; nobiliores prouinciarum ciuitates, proposui, sicut etiam vos scitis, tres nos docendi gratia residere menses. Nunc ergo Laodiceam, quæ est vrbs proxima, præcedite me: & ego post biduum aut triduum, quantum ad propositum meum spectat, insequar vos. Opperimini autem me ad proximum portæ ciuitatis stabulum: & inde iterum similiter, cùm dies ibi aliquot transegerimus, præcedetis me ad vlteriores ciuitates: & hoc vos facere per singulas cupio, declinandæ quantum in vobis est, inuidiæ gratiã: &, vt fratres, qui nobiscum sunt, vestri prouidentiã, per singulas ciuitates parata inuenientes hospitia: minùs vagari videantur. Hæc dicente Petro, necessariò adquiescunt, dicentes: Non valde nos contristat hoc agere, quæ à te iubemur: quia omnia & bene agere, & bene consulere, per Christi prouidentiam electus es: sed & vna die, aut si multùm, biduo, quamuis grande sit in hoc omni spatio non videre Dominum nostrum Petrum: tamen tolerabile est. Considerамus enim, quid patiantur illi duodecim fratres nostri, qui præcedunt nos: & mensem penè integrum ex tribus mẽsibus, quibus per vnamquamq; vrbem resides, tanto bono auditus tui, visionísque fraudantur. Vt ergo iubes, quia rectè omnia iubes, agere non morabimur. Et his dictis, præcessere, acceptis mandatis, vt extra vrbem alloquerentur fratres, qui secum iter agebant: ne constipati, & quasi cum tumultu, sed sparsim & in binos diuisi, ingrediantur ciuitates. Verùm, vbi illi profecti sunt, ego Clemens valde gauisus sum, quod me secum esse fecit: & aio ad eum: Deo gratias ago, quod me non præmisisti cum aliis: nam tristitiã interiissem. Tum Petrus: Et quid fiet, inquit, si necessitas exegerit mittere aliquò doctrinæ gratiã: separatus à me, pro vtilitate, moueris? nec tibimetipsi imperabis ferre patienter, quæ necessitas imposuerit? Aut ignoras, quia amici semper simul sunt? & licet corporibus separentur, memoriã tamen iunguntur? sicut è cõtrariò corporibus vnà positi, animis diuiduntur. Et ego respondi: non putes mi Domine, hæc me irrationabiliter pati: sed certa & causa & ratio est, huius erga te affectus mei. Te enim solùm pro omnibus meis affectibus habeo, pro patre: pro matre: pro fratribus: super hæc autem omnia est, quod mihi salutis causa, & agnoscendæ veritatis tu solus existis. Sed & illud non mihi in postremo habetur loco: quod iuuenilis ætas quæ in me est, concupiscentiarum insidiis subiacet: & vereor esse sine te, cuius solam præsentiam omnis luxuria, quamuis ratione careat, erubescit. Licet confidam de misericordia Dei, quod etiam sensus meus, ex his, quæ per doctrinam, tuam concepit, aliud iam aliquid ad cognitionem recipere non possit. Præterea memini te apud Cæsaream dixisse, vt, si quis vult me salua pietate comitari, comitetur. Salua autem pietate dicebas, vt neminem contristaret, cui secundum Deum deberet adhærere: verbi gratia, ne vxorem fidelem relinqueret: vel parentes: vel alias huiuscemodi personas: à quibus ego valde liber sum: & ideo aptus ad sequendum te: atque vtinam mihi concedas, vt tibi etiam serui ministerium exhibeam. Tum Petrus adhæc ridens, ait: Et quid putas Clemens, quod non te ipsa necessitas mihi faciat seruum? Nam quis mihi poterit alius sternere sindones: & stragula pulchra componere? Quis seruare annulos, & indumenta, quæ assiduè mutare debeam, præparabit? Quis etiam cocis imperabit? & diuersa atque electa pulmenta prouidebit quæ arte scitissimã & variã præparentur? & omnia illa, quæ hominibus molliter institutis, imò potiùs cupiditati eorum velut immanissimæ cuidam bestiæ iniustis quæsita sumptibus connectantur? Sed fortasse, quamuis mecum positus videaris, non agnouetis vitam meam: panis mihi solus cum oliuis, & raro etiam cum oleribus in vsu est: Indumentum autem hoc est mihi, quod vides, tunica cum pallio: & hæc habens, aliud nihil requiro: hoc mihi sufficit, quia mens mea non ad hæc præsentia, sed ad illa, quæ æterna sunt, aspicit: & ideo nihil me rerum præsentium, visibiliúmque delectat. Vnde tuum quidem erga me bonum animum amplector & miror: ac te magis laudo, quomodo cùm sis vir, ex consuetudine multæ abundantiæ veniens, tam citò transferre & aptare te potueris ad hanc vitam nostram, quæ solis necessariis vtitur? Nos enim à puero, id est, ego & frater germanus meus Andreas, non solùm orphani, sed & valde pauperes creuimus, & necessitate, operarij esse consueuimus. Vnde & nunc facilè vexationes itinerum ferimus; sed potiùs, si mihi adquiesceres & permitteres: ego magis homo operarius, faciliùs tibi possem serui implere ministerium. At ego hæc audiens, contremui: & lachrymæ mihi continuò proruperunt: quòd talem mihi sermonem dixerit vir tantus: cui omnis mundus habetur inferior. Tum ille lachrymantem me videns, causam percontatur. Cui ego respondi: Quid tantùm in te peccaui, vt me tali sermone onerares? Et Petrus: Si malum est, inquit, quod dixi, vt seruiam tibi, tu prior peccasti, hoc mihi dicendo. Et ego: Non est, inquam, simile: me enim decet, hoc tibi facere: tu autem, qui Dei summi præco ad saluandas animas hominum missus es: graue est, vt hoc mihi dicas. Et Petrus: Acquiescerem tibi, inquit, nisi Dominus noster, qui ad salutem totius mundi venit, & qui erat omni creaturã nobilior, seruire passus esset: vt nos suaderet, non erubescere fratribus nostris seruorum exhibere ministerium. Tum ego: Si puto, quòd possim te vincere, valde stultus sum: verumtamen ago gratias prouidentiæ Dei, quod parentum loco habere te merui. Tum Petrus, Nemo enim, inquit, verè ex genere tibi superest? Respondi: sunt quidem multi potentes viri ex Cæsaris prosapia venientes: nam patri vtpote propinquo suo, & vnà educato, nobilis adæquè familiæ Cæsar ipse iunxit vxorem: ex qua duos geminos ante me filios suscepit, non valde, vt aiebat pater, sibi inuicem similes: ego enim eos non adeò sciebam. Sed ne matris quidem valde memor sum, sed quasi per somnium, ita teuiter vultus eius speciem recolo. Mater ergo mea Matthidia, pater Faustinianus vocitatus est: fratrum autem meorum alter Faustinus, alter Faustus dicebatur.

De Clementis prosapia vera esse, quæ hic referuntur, auctores plerique omnes testantur. Vnum adferam grauissimi viri testimonium, Eucherij illius Lugdunensis, vetusti Episcopi, qui sub Valentiniano & Marciano vixit, in nimirum Epistola, qua cognatum Valerianum ab amore mundi eruditè disertéque dehortatur, inter cætera Clementis hoc exemplum adfert, hisce verbis. Possem, nisi longum esset, multos ex innumeris nominatim recensere, quanti in sæculo illustrium virorum, hanc actionem, diuini cultus obseruantiam vitámque secuti sunt, quorum tamen exempla, ne cuncta penitus omittam, cursim pauca subnectam. CLEMENS vetusta prosapiã senatorum, atque etiam ex stirpe Cæsarum, omni scientiã refertus, omniúmque artium liberalium peritissimus, ad hanc infirmam viam transiit, itáque etiam excellenter in ea effloruit, vt Principi quoque Apostolorum successor extiterit.) Ita, & hoc & Niceph. Call. libr. 2. histor. Ecclesi. cap. 35. totamque hanc in sequentem historiam commemorat: ne quis hanc fabulosam putet.

Intereà cùm ego quinque vix dum essem annorum, mater, sicut à patre didici, somnium vidit: quo mone-

[Margin notes:]

B *Petrus ante se ablegat discipulos: sicut Christus fecit. Luc. 10.*

C

Causa Pet. ne peregrinatio sua speciẽ vllam tumultus, id quod facile poterat fieri, præberet. Adeo Apostoli ordo mo- D *desti, alienique ab omni seditione, & ostentatione.*

E

Tenuitas & parsimonia Petri.

F *Petri & Andreæ paupertas.*

G Matt. 20.

Clementis prosapia.

H

tetur, nisi cum duobus filiis suis geminis, confestim vrbem fuisset egressa, & abfuisset annis decem, ipsam pariter cum liberis interitu exitiabili perituram. Tum pater, qui tenerè diligeret filios, adiunctis seruis & ancillis, ac sumptibus sufficienter præbitis, naui impositos cum matre filios, Athenas mittit erudiendos: me sibi solùm, filium ad solatium retinens, & in hoc quidem gratias agens, quia non etiam me imperauit somnium pariter cum matre discedere. Anno autem completo, Pater misit ad eos Athenas homines, & sumptus: scire simul cupiens, quid agant: nec tamen redeunt, qui missi sunt. Tertio rursus anno, mœstissimus pater mittit alios cum pecuniis: qui quarto anno regressi, nunciant, neque matrem se, neque fratres vidisse: sed neque Athenas eos omninò peruenisse: neque vsquam alicuius saltem, qui cum ipsis fuerant, vestigium repertum. Pater hæc audiens, & multâ tristitiâ obstupefactus, nesciens, quò tenderet, aut vbi quæreret: vnà mecum descendit ad portum, & requirere à nautis cœpit sic: vbi aliquis eorum vidisset aliquando ante quatuor annos corpus mulieris, cum duobus paruulis eiectum? Cùm multi multa dicerent, nec aliquid nobis rati elucesceret, tam immensum pelagus perscrutantibus, pro multo tamen affectu pater, quem erga suos gerebat, pascebatur vanis spebus: donec visum est ei, vt me sub procuratoribus ordinatum Romæ relinqueret: annorum cùm essem duodecim: & ipse pergeret ad requirendum: flens itaque descendit ad portum, & nauem conscendens profectus est: ex eo vsque in hodiernum, neque literas eius accepi: neque si viuat, aut defunctus sit, noui. Sed magis suspicor, quia & ipse obierit, aut tristitiâ victus, aut naufragio: anni etenim viginti elapsi sunt: quibus hæc geruntur: & ne nuncius quidem de eo ad me aliquis venit. Petrus hæc audiens, ex affectu lachrymas fudit: & ad eos, qui aderant, familiares ait: Hæc si quis in Dei cultu positus pertulisset, quæ huius pertulit pater, statim homines religionis adscriberent ærumnarum causam: quæ cùm accidunt miseris gentilibus, malorum causam fato adscribunt. Miseros autem dico eos, quia & hîc vexantur erroribus, & ab spe futurâ fraudantur: Dei enim cultores cùm hæc patiuntur, ad purgationem peccatorum cedit eis: quod perferunt patienter. Post hæc dicta, vnus ex adstantibus Petrum rogare cœpit, vt die crastina maturiùs ad insulam proximam, quæ sex non ampliùs stadiis abetat, (* Aradum nomine,) pergeremus: videndi in ea gratiâ mirum aliquod opus, columnas vitreas magnitudinis immensæ: cui Petrus, vt erat clementissimus, acquiescit: sed monuit nos, vt cùm nauem descendissemus, non vnà omnes concurrerent ad videndum: nolo enim, inquit, notari vos à turba.

Religioni nim sicut & hostie imputata sūt incōmoda, si quae euenerant.

(** In vetustissimo codice legitur, Aradum, quæ lectio mihi probatur. Quamuis non ignorem, vel ex libro quinto Plinij posse & Antaradum legi. Sed hic Aradum rectè legi, vel solum Hieronymi testimonium probat, qui traditionibus in Genesin scribit: Aradum insulam angusto freto, à Phœnices litore separatam esse, cuius incolæ vocentur Aradij, nam aptè huic historiæ quadrat ea descriptio.*)

Cùm ergo die posterâ naui sub momento horæ venissemus ad insulam, continuò ad locum, in quo erant columnæ mirabiles, properamus. Erant autem in æde quadam positæ, in qua Phidiæ opera permagnifica habebantur: quibus intento vnusquisque nostrûm detinebatur aspectu. Petrus verò, vbi solas columnas miratus est vitreas, nequaquam raptus picturæ gratiâ: egressus, vidit pro foribus mulierculam quandam stipem ab introëuntibus deposcentem, quam attentiùs considerans, ait: Dic mulier, quod tibi membrum corporis deest, quod huic te iniuriæ subiecisti, vt stipem petas? & non potiùs manibus tuis, quas à Deo accepisti, operans, cibum quæras? At illa suspirans, ait: Vtinam mihi quidem essent manus, quæ moueri possent: nunc autem species tantùm seruata est manuum, nam ipsæ sūt emortuæ: & meis morsibus debiles, & sine sensu redditæ. Et Petrus: Quæ, inquit, fuit causa, vt hoc tibi tantùm mali ipsa conferres? Ignauia, inquit, nec aliud quicquam: si enim fuisset in me aliquid virtutis, potui vel præcipitio vti, vel profundo maris insiccere memetipsam: & finem dare doloribus meis. Tum Petrus: Ecquid putas, ait, mulier quòd qui semetipsos perimunt, à suppliciis liberantur? nisi, quia maioribus subiaceāt pœnis animæ eorū, qui sibiipsis intulerint manus. At illa: Vtinam, inquit, istud mihi certum fieret, quod viuant animæ in inferno: libenter amplecterer etiam pœnas ferre mortis illatæ: tantùm, vt dulces mihi natos horam saltem vnam viderem. Et Petrus: Quid tantum istud est, quod te tam graui afficit tristitiâ, scire velim. Si enim doceres me causam, possem tibi & ego euidenter ostendere, ô mulier, quòd in inferno viuant animæ: & pro præcipitio vel profundo, possem tibi dare medicamentum aliquod, vt sine cruciatu valeas vitam finire. Tūc mulier promissione hac gratáter acceptâ, cœpit dicere: Genus quidem mihi & patria quæ sit, nec credi facilè, nec dici necessariū puto, sed causam tantùm sufficit doloris exponere, cur morsibus meis, meas ipsa debiles reddiderim manus. Ego generosis orta parentibus, & potentis ad æquè viri sortita matrimonium, duos suscepi geminos liberos, & post hos vnum alium. Sed frater viri mei, illicito in me amore vehementer exarsit: mihi autem cùm super omnia chara esset pudicitia, neque tanto sceleri acquiescere, neque viro vellem flagitium fratris aperire: cogitaui, quatenus & ego impolluta euaderem, & fratrem inimicum & hostem non facerem fratri: ne genus omne, quod erat nobilis familiæ, in opprobrium darem. Patriâ ergo & vrbe, cum duobus meis geminis discedere statui, donec incestus amor conquiesceret? quem fortè præsentiæ meæ palparet & inflammaret aspectus: alius sanè filius, quatenus patri maneret ad solatium, cogitaui. Sed vt hæc ita fieri possent, somnium finxi: quasi adsistente mihi per visum quodam numine, & dicente, vt confestim cum geminis meis vrbe discederem: & tandiu abessem, donec redire me ipse præciperet: quòd si non facerem, cum liberis omnibus me pariter perituram: & ita factum est. Statim enim vt somnium viro enarraui, extimuit: & sociatis mihi duobus filiis, seruis quoque & ancillis, pecuniâ etiam abundanti datâ, nauigare Athenas iubet: vbi simul & erudire liberos possem: mansura, inquit, ibi vsquequò visum fuerit ei, qui præcepit, exire: vt redeas ad nos. Interea nauigans vnà cum meis natis, ventorum violentiâ ad hos infœlix nocturno naufragio depulsa sum locos: & cùm omnes interiissent, adreptam me crudelem, supra saxum quoddam vehementior fluctus eiecit: vbi cùm sederem, eâ sola spe, qua meos possem fortè natos inuenire: in profundum me non præcipitaui, tunc, cùm adhuc perturbata mens, & doloribus ebria, facere hoc & audebat, & poterat. Verum vbi dies exortus est, & ego cum clamore & vlulatu infœlicium natorum circumspicerem: sicubi vel eiecta possem videre cadauera, miseratione commoti quidam ex his, qui me viderant, primò per pelagus, tum etiam circa littora requirunt: si quem fortè de meis infantibus inuenirent. Sed vbi nusquam vllus inuentus est, miserantes me mulieres loci, consolari cœperunt: enarrantes singulæ suas quæque miserias, vt ex similitudine calamitatum solatium caperē: quod me magis contristabat: non enim tale mihi erat ingenium, vt aliorum mala, mea esse solatia ducerem. Et cùm me multæ hospitio cuperent recipere, vna quædam paupercula hîc habitans, extorsit mihi, tugurio eius succedere: dicens, fuisse sibi virum nautam, eumq; in mari adolescentem defunctum, sibique ex ea die, cùm multi eam accipere in coniugium cuperent, amore viri viduitatem fuisse chariorem. Erunt ergo, inquit, nobis communia, quæcunque manibus nostris operantes, quærere poterimus: & ne longâ ac minùs vtili narratione vtar: libenter habitaui cum ea, propter affectum fidei, quam seruauerat viro. Sed non multò pòst, mihi infœlici laceratæ dudum morsibus resolutæ sunt manus: & illa, quæ me susceperat, incurrit paralysin: & domi in lecto iacet. Illarum autem mulierum, quæ priùs miserabantur, refrixit affectus: nos ambæ debiles: ego, vt vides, sedeo stipem petens: vt, si quid fortè quæsiero, sit vnus duarum infœlicium cibus. Ecce iam quæ mea sunt, sufficienter audisti: tu nunc, quid moraris implere, quod promiseras: & dare

Exemplū pudicitiæ in matre Clementis.

Athenæ.

Naufragiū mulierculæ.

medica

medicamentum, quo possis absque cruciatu, vt ais, vtraque nostrûm miserabilis vitæ sortem finire? Hæc dicente muliere, multâ Petrus cogitatione distractus, velut attonitus stabat: & ego Clemens superueniens: dudum inquam, per omnia discutiens, quærebam te: & nunc, quid facimus? At ille præcepit mihi, vt ad nauiculam præcederem: ibi me, inquit, opperire: & quia contradici ei non poterat, quod iussit, impleui. Ipse verò, vt mihi cuncta posteriùs enarrauit, suspicione quadam pulsatus, requirebat à muliere genus, & patriam simul: & nomina filiorum: quæ si mihi, inquit, dixeris, dabo continuò medicamentum. At illa, quasi vim sustinens, quia neque fateri hæc volebat, & medicamenti cupida erat, finxit alia ex aliis: & ait se quidem esse Ephesiam, virum autem, Siculum: sed & filiorum nomina, similiter immutauit. Tum Petrus, putans, eam verum respoodisse, ait. Heu mulier, putabam, inquit, grande aliquod gaudium hodiernâ nobis die oriturum: suspicabar enim te esse quandam mulierem, de qua similia quædam nuper ad fidem didici. At illa adiurabat eum, dicens: Rogo te, vt indices mihi, quæ ista sit, vt sciam, si est vlla inter molieres me infœlicior. Tum Petrus, fallere nesciens, & miseratione commotus cœpit, dicere: Est quidam adolescens inter eos, qui me sequuntur, religionis & sectæ gratiâ, Romanus ciuis, qui mihi enarrauit, quod patrem habuerit, & duos geminos fratres, ex quibus nullus ei superest. Mater, inquit, mea, sicut à patre didici, somnium vidit, vt Romanâ vrbe ad tempus excederet cùm duobus geminis natis, ne fortè exitiali interitu deperirent: quæ cùm discessisset, nusquam terrarum vltrà comparuit. Pater verò suus post hæc ad inquisitionem vxoris ac filiorum profectus, nec ipse inuenitur. Hæc cùm dixisset Petrus, mulier stupore percussa corruit. Tum Petrus continere eam, & consolari cœpit ac requirere, quid esset causæ, aut quid pateretur? At illa via aliquando spiritum reuocans, ac semetipsam ad gaudij, quod sperabat, magnitudinem reparans: simúlque adfricans vultum: hic, inquit, est quem dicis, adolescens? At Petrus, vbi rem intellexit: Dic, inquit, mihi tu prior: nam videre eum non poteris. Tum illa: Ego, inquit, sum adolescentis mater. Et Petrus: Quod ei nomen est? At illa Clemens, ait. Petrus: Ipse est, & ipse erat, qui paulò ante mecum loquebatur, & quem iussi ad nauem præcedere. Tum illa, procidens ad pedes Petri, rogare cœpit, vt festinaret ad nauem. Et Petrus: Si mihi, inquit, seruas fidem, vt facias, quod dico. At illa: Omnia, inquit, facio, tantùm mihi, inquit, ostende vnicum meum natum: puto enim me per ipsum, & geminos meos videre. Et Petrus: Cùm videris, inquit, eum, modo interim dissimula paululum, vsque quo egrediamur ab insula. Ita, inquit, faciam. Et tenens manum eius Petrus, adducebat eam ad nauem. Quem ego videns manum dantem mulieri, ridere cœpi, accedens tamen honoris eius gratiâ, pro ipso cœpi velle subiicere manum meam, & sustentare mulierem: simul autem, vt manum eius contigi, vlulatu ingenti reddito, in amplexus meos irruit: & maternis me confectari osculis cœpit. At ego ignorans omne negotium, quasi insanientem mulierem repellebam: simul &, cum verecundia licet, indignabar tamen quodammodo aduersum Petrum. At ille: Desine, inquit, quid agis, ô fili Clemens, noli repellere tuam matrem. Ego verò, vbi hæc audiui, continuò lacrymis suffusus, concidi supra iacentem matrem: & osculari eam cœpi. Simul enim vt audiui, paulatim vultum eius reuocabam ad memoriam, & notior mihi intuenti tantò magis fiebat. Multitudo interim conueniebat plurima: audiens, quod mulier, quæ ad stipem petendam sedebat, recognita esset à filio suo, viro quodam bono. Et cum vellemus confestim enauigare ex insula, mater ait ad me: Fili dulcissime, rectum est, valedicam mulierculæ, quæ me suscepit: est enim egens, & paralytica, iacens in lectulo. Quibus auditis Petrus, & omnes qui aderant, admirati sunt bonitatem, ac prudentiam fœminæ: & continuò iussit Petrus abire quosdam, & deferre mulierem in lectulo, vbi iacebat. Cúmque fuisset allata, & in medio turbæ adstantis posita, in conspectu omnium Petrus, ait: Si veritatis ego sum præco, & confirmandam fidem horum omnium, qui adsistunt, vt sciant, & credant, quia vnus est Deus, qui cœlum fecit, ac terram: In nomine Iesu Christi Filij eius, surgat hæc mulier. Et statim, vt hæc dixisset, surrexit sana, & procidit ad pedes Petri, atque amicam suam, ac familiarem osculis petens, percontabatur ab ea, quid istud esset negotij? At illa breuiter omnem ei ordinem agnitionis exposuit, ita, vt etiam turbæ adstantes mirarentur. Tum Petrus de fide Dei ac religionis institutis, quod ad se pertinebat, in quantum tempus patiebatur, loquutus ad turbas: addit etiam hoc, vt si quis vellet de his diligentius noscere, Antiochiam veniret: vbi tribus, inquit, mensibus statuimus residere, vt quæ ad salutem pertinent, discat. Si enim, inquit, negociandi causâ, aut militandi, patriam relinquunt homines: ac parentes, & longas peregrinationes subire non metuunt pro vita æternâ, tribus saltem mensibus peregrinari, cur onerosum videatur ac difficile? Cúmque hæc & alia his similia dixisset, ego mulieri, quæ susceperat matrem, & sanitatem receperat per Petrum, mille drachmas donaui: & præsentibus cunctis, commendaui eam cuidam viro bono, primario illius oppidi, qui & libenter se facturum, quod imperabamus, spopondit. Sed & aliis quibusdam aliquantulum pecuniæ distribui: & illis mulieribus, quæ aliquando solatæ dicebantur in miseriis matrem meam, quibus & gratias retuli, & post hæc vnà cum matre enauigabamus Antaradum. Cúmque venissemus ad hospitium, mater requirere cœpit à me, quónam deuenisset pater. Cui ego: Ad te, inquam, requirendam profectus, vltra non rediit. At illa audiens, suspirauit tantùm, grande enim pro me gaudium habens, reliquos solabatur mœrores. Die autem posterâ sedens vnà cum vxore Petri, iter agebat nobiscum, & venimus Balaneas; vbi triduo remorati, inde accessimus Patho: & post hoc Gabala: & ac Laodiceam peruenimus: vbi ante portas occurrunt nobis Niceta & Aquila, & osculantes nos abducunt ad hospitium. Petrus autem videns amplam ciuitatem & splendidam: Dignum est, inquit, remorari nos in hac diebus decem, aut etiam ampliùs. Tum Niceta cum Aquila requirebant à me, quæ esset mulier hæc ignota? Et ego respondi: mater mea est, quam mihi redonauit Deus per Dominum meum Petrum. Hæc cùm ego dixissem, cuncta eis Petrus per ordinem cœpit exponere: & ait: Cùm venissemus Aradum, & ego vos præcedere iussissem, profectis vobis eadem die Clemens cùm incidisset sermonis occasio, genus suum mihi exposuit ac familiam: &, quod parentibus esset orbatus: duosque habuisset priores se geminos fratres: & sicut mihi, inquit, pater enarrauit, somnium vidit aliquando mater, quo iussa est cum geminis suis, ex vrbe Roma proficisci, ne subitò & pariter interirent. Cúmque somnium patri indicasset, ille, qui tenero filios diligeret affectu: ne quid fortè mali paterentur, vxorem pariter ac filios, naui cum omnibus necessariis impositos, emittit Athenas erudiendos. Post hæc misit semel, & iterum, qui requirerent: nusquam vllius ne vestigium quidem reperit. Ipse ad vltimum pater ad inquirendum proficiscitur, & vsque ad præsens, ne ipse quidem vsquam est. Hæc cùm mihi Clemens enarrasset, accessit ad nos quidam, rogans, vt ad insulam Aradum, quæ vicina erat, accederemus, videndi gratia columnas vitreas miræ magnitudinis: acquieui, ventum est ad locum: cæteri omnes interiora ædis ingressi, mihi animus, nescio ob quam causam, ingrediendi vltrà non dedit. Sed dum illos foris operior, mulierem hanc considerare cœpi, qua parte membrorum esset debilis, vt non labore manuum victum quæreret, sed mendicitatis pudorem subiret: requiro ergo ab ea causas. Illa nobili se ortam genere, & nobili nihilo minus viro in matrimonio fuisse iunctam fatetur: cuius frater, inquit, in me illicito amore inflammatus, fraternum thorum polluere cupiebat. Quod ego abhorrens, & rursum de tanto scelere viro indicare non audens: & ne bellum fratribus, & opprobrium generi indicerem: magis ex patria discedere iudicaui, cum duobus geminis filiis meis, iuniore puero ad solatiũ patri relicto. Et vt hæc, inquit, honestâ specie fieret, cogitaui somnium fingere: & dicere viro,

Mater Clementis post diutinã peregrinationem filiũ casu reperit.

Petrus sanat paralyticã.

Quæ vltima paulò plus conficit, quàm 33. aureos

Rhenenses.

Vxor Petri vnà erat in peregrinatione. Eius videtur apertè Paulus meminisse, 1. Cor 9. An non, ait, habemus potestatẽ sororẽ mulierẽ circũducendi quemadmodũ & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?

adstitisse mihi numen quoddam per visum, & dixisse, vt cum duobus geminis meis confestim ex vrbe proficiscerer: vsquequò ab ipso audirem, quando redire deberem. Quibus auditis, credidisse, aiebat, virum, & Athenas se geminis cum libertis emisisse inibi erudiendis: sed tempestate graui ad hanc insulam fuisse depulsos: vbi confractà naui, se fluctu excussam supra saxum quoddam: ob hoc solùm mortem distulisse, donec, inquit, infœlicium natorum meorum saltem emortua membra complecterer, ac sepulturæ mandarem: Sed cùm dies fuisset exortus, & turbæ conuenissent, miseratione moti proiecerunt mihi indumentum: At ego infœlix fletibus multis rogabam, vt requirerent, sicubi infœlicium natorum possent inuenire corpuscula. Ego autem omne corpus meum dentibus lanians, planctibus & vlulatibus nihil aliud clamabam: nisi, Vbi mihi infœlici Faustus est, vbi Faustinus? Et cùm hæc diceret Pertus, Niceta & Aquila subitò adsurgunt, & stupefacti, perturbari cœperunt, dicentes: Dominatnr Domine & Deus omnium, veráne hæc sunt? an somnium est, quod agitur? Tum Petrus: Nisi inquit, nos insani sumus: hæc vera sunt. At illi paululum remorati, & confricantes faciem, aiunt. Nos sumus Faustinus & Faustus. Sed & ab initio, cùm narrare cœpisti, statim in suspicionem incidimus: ne fortè ad nos pertinerent, quæ dicebantur: rursus tamen considerantes, multa similia accidere in vita hominum, reticuimus: licet cor nostrum spe aliqua pulsaretur: aspiciebamus ergo ad finem sermonis: vt si ad integrum de nobis esse constaret, tum fateremur. Et cùm hæc dixissent, lacrymantes ingrediebantur ad matrem: cùm repetissent quiescentem, & complecti vellent, prohibuit Petrus, dicens: Sinite me priùs præparare animos matris, & ita vos offerre ei, ne fortè multo & subito gaudio mente excidat: & sensus eius turbetur: maximè, quia nunc etiam somno occupata stupet. Igitur vbi mater exurrexit è somno, alloqui eam Petrus cœpit, dicens: Scire te volo mulier religionis nostræ obseruantiam. Nos vnum colimus Deum, qui fecit mundum, huius & legem seruamus, qua mandat in primis, ipsum colendum, & nomen eius venerandum: parentes honorandos: pudicitiam, iustitiámque seruandam. Sed & illud obseruamus, mensam cum gentilibus non habere communem, nisi cùm crediderint, & receptâ veritate baptizati fuérint, ac trina quadā beati nominis inuocatione consecrati: & tunc cum eis cibū sumimus. Alioquin, etiamsi pater aut mater sint, aut vxor, aut filij, aut fratres: non possumus cum eis mensam habere communem: Quia ergo religionis causâ præcipuâ hoc facimus, non tibi iniuriosum videatur, quod non potest filius tuus vnà tecum sumere cibum: vsquequo eadem tibi sit, quæ illi sententia fidei. Quibus illa auditis, Et quid, inquit, vetat hodie me baptizari? quæ etiam priùs, quàm te viderem, illos, quos dicunt, Deos, penitùs auersata sum, quòd mihi frequenter & penè quotidie sacrificanti sibi, præstare potuerunt nihil. Nam de pudicia quid dicam? cùm me neque tunc deliciæ deceperint, neque nunc egestas peccare compulerit? Satis autem puto innotuisse tibi, quantus mihi exinde fuerit amor pudicitiæ, quæ vt euaderem illiciti amoris insidias, somnium finxi: vt cum duobus meis geminis peregrinarer: & hunc solum filium meum Clementem, ad solatium patri reliqui. Si enim mihi duo vix sufficiebant: quantò magis contristasset patrem, si nullum penitùs habuisset? Erat enim miser grandi affectu erga filios, ita, vt vix ei somni auctoritas extorqueret, Faustinum & Faustum Clementis huius fratres, mihi concedere: & ipse solus contentus esset Clemente. Hæc illa cùm diceret, vltrà non ferentes fratres mei, irruunt in complexus matris, cùm multis lacrymis, & osculantur eam. At illa: quid vult, inquit, hoc esse? Tum Petrus: Nolo turberis mulier, constans esto: isti sunt Faustinus & Faustus filij tui, quos in profundo periisse dicebas: quomodo autem viuant, & quomodo in illa horribili nocte de profundo euaserint: & quemadmodum alius ipsorum, Niceta: & alius, Aquila dicatur: ipsi tibi exponere poterunt: & vnà tecum etiam nos audiemus. Vbi hæc Petrus dixit mater nimio gaudio intercepta, corruit: & tandem aliquando reparata, atque in semetipsam regressa, ait: Obsecro vos dulcissimi filij, dicite mihi, quæ acciderint vobis post illam fatalem, & crudelissimam noctem. Tum Niceta cœpit dicere: In illa nocte, ô mater, cùm nauis fuisset resoluta, & nos innitentes fragmento cuidam tabularum, per pelagus iactaremur: viri quidam, quibus per profundum latrocinari artificium est, repertos imposuerunt nos nauiculæ suæ: & remis vndarum vortices superantes diuersis itineribus Cæsaream Stratonis perduxerunt: ibique adfligentes nos fame, verberibus, metu, vel ne, quod esset in vero, proderemus, immutatis etiam nostris nominibus vendiderunt nos cuidam viduæ, honestæ admodum fœminæ, Iustæ nomine: quæ cùm emisset, habuit loco filiorum, ita vt etiam Græcis nos literis, & liberalibus attentissimè erudiret. Vbi verò adoleuimus, etiam philosophorum studiis operam dedimus: quò possemus religionis diuinæ dogmata, philosophicis disputationibus adserentes, confutare gentiles. Simoni autem cuidam Mago, qui nobiscum vnà educatus est, pro amicitiis & puerili consuetudine adhæsimus, ita vt penè ab eo decipi possemus. Fertur enim in religione nostra sermo de Propheta quodam, cuius ab omnibus, qui religioni huic deseruiunt, spectaretur aduentus: per quem immortalis & beata vita credentibus danda promittitur. Hunc ergo nos putabamus Simonem: sed hæc tibi mater, opportuniùs exponentur. Nos interim, cum penè iam deciperemur à Simone, quidam collega Domini mei Petri, Zachæus nomine, monuit, ne falleremur à Mago: sed obtulit nos aduenienti Petro, vt ab ipso, quæ erant sana & perfecta, doceremur: quod & tibi optamus euenire, sicut & nobis concessit Deus: vt possimus etiam cibum, & mensam habere communem. Hinc ergo fuit (mater,) quod nos à piratis raptos, tu in mari defunctos esse, credidisti. Cùm hæc dixisset Niceta, mater nostra procidit ad pedes Petri: rogans & obsecrans, vt & seipsam & hospitam suam euocaret sine mora, ac baptizaret: vti ne vnà, inquit, die damnum patiar consortij & societatis natorum meorum. Similiter autem & nos filij eius rogabamus Petrum. At ille: Quid putatis, inquit, quod ego immisericors sum solus, & nolo vos matris conuiuio sociari? sed necesse est eam vel vna die ieiunare priùs, & ita baptizari: & hoc, quia sermonem ab ea quendam audiui, per quem mihi fides eius claruit: & qui indicium dedit credulitatis eius: alioqui multis eam diebus oportebat ante instrui, & doceri. Et ego, quæso te inquam, Domine mi Petre, dic, quis est iste sermo, quem dicis, dedisse tibi indicium fidei eius? Et Petrus: Ille sermo est: quo rogauit, vt & hospita sua, cuius beneficiis vicem reddere desiderat, simul baptizetur cum ipsa. Non autem rogaret, vt illi, quam diligit, præstaretur hæc gratia: nisi credidisset, quod magnum aliquod in baptismate munus esset. Vnde & ego reprehendo plurimos, qui cum ipsi baptizentur & credant: nihil tamen dignum fide agunt, cum his quos diligunt: id est vxoribus, vel filiis, vel amicis: quos non ad hoc hortantur, quod ipsi adsequuti sunt: siquidem verè crediderint, quòd æterna vita per hoc donatur. Denique si eos ægrotare videant, aut periculo alicui carnaliter subiacere: dolent & lugent, quia in hoc certi sunt, eis imminere perniciem. Ita ergo, si & de hoc certi essent, quod qui Deum non colunt, manet eos pœna ignis æterni: quando cessarent monentes & cohortantes? Aut si obsisterent, quomodo non lugerent eos, & plangerent, certi æterna eis imminere supplicia? Nunc ergo illam quidem mulierem euocabimus postmodum, & videbimus, si amat fidem religionis nostræ, &, prout consequens fuerit, agemus: Hæc autem, quoniam fideliter sentit de baptismo, ieiunet vel vna die ante baptismum. At illa cum iuramento satisfaciebat, pr[illegible] vxore Domini mei Petri: quia ex quo recognouerit filium, præ multo gaudio cibum capere omninò nequiuerit: nisi hesterna die calicem aquæ solùm biberit. Testabatur autem & vxor Petri, dicens ita esse. Et Aquila ait: Quid ergo obstat, cur non baptizetur? Tum Petrus subridens: Sed non est, inquit, hoc ieiunium

Niceta & Aquila fratres Clementis agnoscuntur dicti, Faustinus & Faustus. deprehenduntur mirabiliter.

Mortuos enim legimus aliquot subito gaudio.

Fidei Christianæ compendium.

Philosophiæ studia perdiscenda sunt ad refutandos hæreticos.

baptismi,

baptismi, quod non propter baptismum ieiunatum est. Et Niceta: sed fortè, inquit, volens Deus matrem nostram nec vna die agnitis nobis separari à consortio mensæ nostræ, præordinauit hoc, vt ante ieiunaret. Sicut enim pudicitiam seruauit in ignorantia, vt proficeret ei ad baptismi gratiam: ita ieiunauit, antequam sciret ieiunij rationem, vt proficeret ei ad baptismum: & statim ab initio agnitionis nostræ nobiscum pariter mensæ consortio frueretur. Tum Petrus: Non nos, inquit, vincat malignus: occasione acceptâ, per affectum matris: sed magis vos & ego vobiscum, hodie ieiunemus cum ipsa: & crastino baptizabitur: neque enim iustum est, ad gratiam personæ alicuius & amicitiæ, resolui & extenuari præcepta veritatis. Non ergo pigeat nos magis laborare cum illa: quia * omne mandatum præterire, peccatum est. Doceamus autem sensus nostros corporales, qui extrinsecus sunt, seruire interioribus sensibus & non interiores sensus, qui quæ Dei sunt sapiunt, cogamus sequi exteriores: qui, quæ carnis sunt, sapiunt. Propter hoc enim & Dominus mandatum dedit, dicens: Quicunque viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Et his addidit: Si oculus tuus dexter scandalizat te erue eum, & abiice abs te: expedit enim tibi, vt vnum membrorum tuorum pereat, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam ignis. Non dixit, scandalizauit te, vt posteaquam peccaueris tunc abiicias causam peccati: sed si scandalizat te, hoc est, vt antequam pecces, causam peccati prouocantis te & irritantis, abscindas. Ne quis autem vestrum putet fratres, quod membrorum amputationem mandauerit Dominus: propositum in hoc vult resecari non membra, sed causas, quæ ad peccandum illiciunt: quo cogitatio nostra, aspectus vehiculo subuecta, ad amorem Dei sensibus corporeis inuisa contendat: Nec carnalibus oculis, velut lasciuientibus equis, & extra mandatorum viam cursum declinare cupientibus, relaxet frena, & habenas indulgeat: sed reuocet aspectum corporis ad arbitrium mentis: & oculos nostros, quos Deus operis sui inspectores esse voluit & testes, non patiatur fieri lenones mali desiderij. Et ideo cedant legi Dei, tam corporei sensus quàm interna cogitatio: & illius voluntati ministrent, cuius se opera esse intelligunt. Igitur, vt ordo mysterij poscebat & ratio, die postera baptizatur in mari, & regressa ad hospitium, omnibus consequenter mysteriis religionis imbuitur. Aderamus autem & nos filij sui, Niceta & Aquila, & ego Clemens. Et post hæc simul cum ea prandimus, & simul glorificauimus Deum: referentes gratiam studiis, & doctrinæ Petri: qui nobis ostendit per occasionem matris, quomodo pudicitiæ bonum non pereat apud Deum: sicut è contrario impudicitia, inquit: etiamsi non statim, tamen, licet tardè non effugit pœnam. In tantum pudicitia, inquit Deo placita est, vt etiam his, qui in errore sunt positi, nonnihil gratiæ in præsenti conferat vitâ. Nam futura beatitudo illis solùm reposita est, qui per gratiam baptismi pudicitiam iustitiamque seruauerint. Denique exemplo est huic rei etiam hoc, quod erga matrem vestram gestum est, cuius salus hæc omnis pro mercede pudicitiæ reparata est: ad quam custodiendam & conseruandam, non sufficit sola continentia: sed vbi senserit quis insidias, & deceptionem parari: continuò, sicut ab ignis impetu, aut incursu canis rabidi refugiat: nec confidat, quod huiusmodi insidias possit facile aliquis philosophando, aut palpando cohibere: sed vt dixi, effugiendum est, & longè abscedendum: sicut fecit & vestra mater. Verè & integrè bonum, diligens pudicitia. Propter quod & conseruata vobis est, ac vos illi: insuper autem, & æternæ vitæ agnitione donata. Cùm hæc & multa alia his similia dixisset, vespere facto, requieuimus.

Ieiunium ante baptismum.

** omne, pro, vllū.*

Matth. 5.

Matth. 18.

Eruere oculum quid sit.

Baptizatur, & post baptismum imbuitur, Mathildis religionis mysteriis.

Omnia peccata, resistendo, sola libido vincitur fuga.

ARGVMENTVM LIBRI VIII. Recognitionum per L. Gruterum Venradium.

INVENTA iam baptizataque Clementis matre Mathidia, in errabundum quendam cum suis incidit Petrus: quem Faustinianum (alij, Faustum) ipsius Clementis parentem fuisse, consequens declarat historia, is obseruata eorum precatione, congressus cum ipsis acriter fatum ac casum astruere: quò doceret, frustra quem precari Deum. Cum hoc congrediens Niceta, doctè in partem disputat contrariam, Mundum tum factum, tum à Deo, & quidem ex nihilo factum esse, probans: præterea contra Epicuri atomos eruditissime prouidentiam multis solidis rationibus, testimoniisque Philosophorum & astronomorum, denique & ab effectis in natura, quæ tum artificiosè, sapienter καὶ μεθοδικῶς perfecta, casu orta esse nequeant, euidenter asserit; præoccupatione solutis ac remotis, quæcunque vel obijci contra, vel in dubium vocari posseant. Tota disputatio est de Genesi. Est autem Genesis, vt hoc obiter monendi causa adijciamus, nihil hic aliud, quam siderum sub horam vel conceptionis vel natiuitatis positus, ex quo de cuiusque hominis vita, statu atque morte coniectant mathematici. Ad verbum, sicut apud Gellium libro noct. att. xiiij.c.j. Phauorinus vertisse videtur, genitura, seu natalis diei obseruatio dicta: idem, quod nostris fatum, vel Necessitas. Græcis, ἀρμμένη, μόρος, ἀνάγκη, ὁ νοῦς, αἰτία παρμένη: quorum omnium vereloquia, ex Diogeniano Peripatetico doctè recenset Eusebius sexta προπαρασκευῆς, contra Crysippum, πάντα καθ' εἱμαρμένην γίνεσθαι, docentem. Grauissima & vtilissima certè disputatio, quippe, quæ non solum veteres philosophos valde exercuit: vt in varijs Aristotelis & Ciceronis libris videre est: sed etiam nostros Apostolos haud parùm in docendi functione molestauit. De hac autem tota quæstione vide totam sextam προπαρασκευῆς, Eusebij: Prudentij librum 2. contra Symmachum: Minutium Fœlicem in Octauio suo: Lact. Firmianum lib. de vera falsaque religione: Augustinum libro de Ciuit. Dei 5. c.1.2.3.5. & 6. Sed pace omnium, doctiorem hac Clementina disputatione, conuenientiorem aut acutiorem haud facile reperiri posse existimo.

Altero porro die congreditur cum Sene, sic volente Petro, Aquila. Senex summatim repetitis superioribus à Niceta dictis, permulta obijcit in mundo ἄτακτα esse: quæ vt auctore Deo, vel prouidentiá sint ipsius effecta, vel à ratione seu mente instituta, dicere sit absurdum. Aquila diligenter interea distingui valt, quæ vel à mente fiant: vel, casu fortuitoque in vita accidant: monstratis principijs & auctoribus, quorum operâ permulta citra ordinem visu veniant. Aiet senex varia hic doceri, tam, vnde & cur factus malus ille, mali auctor? tam, vnde malum ipsum? sed, quòd ea ad præsentem rem non adeò pertinerent, perbreuis in his est Aquila. Vrget igitur suam senex genesin, ex astrologica demonstratione; mittitur ad Clementem, Matheseos peritiorem; atque ita in crastinum differtur disputatio. Petrus exceptâ disceptatione finem ei impositurus, frustra sudari docet, in arcanis naturæ deique cognoscendis, nisi sit, à quo certa cognitionis huius ratio indicetur: rationem peruersam esse, ab imperitis artificem iudicari ab iniustis, iustum: ab effectis, opificem: consulendum hic potius magnum illum vatem Iesum Dominum nostrum, veræ sapientiæ verissimum magistrum. Atque hæc viij. libro.

RECOGNITIONVM Diui Clementis ad Iacobum Fratrem Domini, Liber octauus, Rufino Torano Aquileiense Interprete.

Occasio, qua sit orta consequens disputatio.

POSTERA autem die Petrus, manè assumptis fratribus meis & me, descendit ad portum, vt in mari lauaremus: & post hoc ad locum quendam secretiorem secessimus, orationis gratiâ. Senex autem quidam pauper, & vt apparebat, ex habitu, operarius, curiosè ex occulto obseruare nos cœpit, vt videret, quid ageremus in secreto positi. Cumque nos orantes vidisset, expectauit, donec exiremus: & salutans nos, ait: Si non ægrè accipitis, & quasi curiosum me, aut importunum notatis, velim vobiscum conferre sermonem: quia habens miserationem vestri, sub specie veritatis errare vos nollem, & habere metum de his, quæ non sunt: aut si putatis esse aliquid veri, tradite etiam mihi. Si ergo patienter accipitis, possum vos paucis edocere, quæ re-acta sunt: si verò molestum est, pergam, & meos actus agam. Cui Petrus respondit: Dic age, quod tibi videtur bonum? & libenter accipimus, siue id verum, siue etiam falsum sit: amplectendus enim es, quia quod tibi bonum videtur, tanquam pater pro filiis solicitus, commonere voluisti. Tum senior cœpit dicere: In mari vos lauisse vidi, & post hoc ad secretum secessisse locum: obseruans ergo de occulto, quid in secreto ageretis, orantes inspexi: miseratus igitur errorem vestrum, operiri cœpi, vsquequo egressos alloquerer: & docerem, ne erretis in huiusmodi obseruantia: quia neque Deus est, neque cultus hic aliquis est, neque Prouidentia in mundo, sed fortuitus casus, & Genesis agunt omnia: sicut ego ex meipso manifestissimè comperi, in disciplina Matheseos præ cæteris eruditus. Nolite ergo errare; siue enim oretis, siue non oretis, quod Genesis vestra continet, hoc erit vobis.

Est autem Senis hac tam studiose repetita, B prudenter accipienda, propter Ebionis hæresim, vt est nunc sæpius monitum.

Propositio libri. Ortu nascentium parere ac subijci omnia, fatóque nos agi & regi; complectitur hæc tria. 1. Non esse Deum. 2. Non esse certam eius colendi rationem. 3. Non esse prouidentiam: Sed fato omnia fieri.

Et ego Clemens, nescio quid, corde pulsabar: multa quasi nota mihi recolens in eo; (bene enim ait quidam, quia quod ex aliquo natum est, etiamsi multo tempore absuerit, nunquam tamen scintilla propinquitatis extinguitur.

Cuius sit hoc dictum, quod citat Clemens, dubium mihi est; consimilem quidem sententiam habet Philo, libro de Confusione linguarum, Sæpe ignotos ex similium & eiusdem generis collatione cognoscimus.

Cœpi ergo interrogare ab eo, quis, & vnde esset, vel quomodo ortus? At ille ad hæc respondere nolens: Quid, ait, hoc pertinet ad ea quæ dixi vobis? Sed primò, si videtur, sermo de his, quæ proposuimus, habeatur: & post hæc si ita res poposcerit, nomen, & genus, ac patriam, & cætera, quæ hæc sequuntur, inuicem nobis, vt amici amicis, poterimus aperire. Mirabamur tamen omnes eloquentiam viri, & grauitatem morum; tranquillitatemque sermonis. Petrus autem sensim sermocinando incedens, oportunum ad colloquendum prospicit locum. Et cùm peruidisset iuxta portum recessum quendam secretum, residere nos fecit, & ita primus ipse incipit: nec contemptum senis habuit, neque despexit, quòd vilis ei amictus esset & sordidus. Ait ergo; Quoniam quidem videris mihi vir eruditus esse, & misericors, ex eo quod adisti nos: & quod tibi bonum videbatur, celatum nobis esse noluisti: volumus & nos tibi, quæ nobis bona & recta creduntur, exponere: quæ si tibi minùs vera videbuntur, etiam tu nostrum erga te bonum propositum, libenter suscipe: sicut & nos tuum. Et cùm hæc diceret Petrus, plurima multitudo conuenit. Tum Senex: Fortassis, inquit, contristat vos præsentia multitudinis. Et Petrus: Nequaquam, inquit: nisi hoc solùm vereor, ne fortè disputantibus nobis, cùm palàm facta fuerit veritas, tu verecundiam patiaris ob præsentiam multitudinis cedere: & acquiescere his, quæ vera dici intellexeris. Ad hæc Senex ait: Ego non ita stultus consenui, vt intelligens, quod verum est, abnuam id, ad vulgi gratiam. Cœpit ergo Petrus dicere: Videntur mihi hi, qui loquuntur verbum veritatis, & qui illuminant animas hominum, similes esse radiis Solis: qui vt processerint, & apparuerint mundo, celari vltra aut occultari nullatenus possunt, dum non tam videntur ab hominibus, quàm videre omnibus præstant. Vnde & bene à quodam dictum est, ad veritatis præcones: Vos estis lux mundi: &, Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio: sed super candelabrum, vt omnibus luceat, qui in domo sunt. Et Senex: Bene valde dixit, quisquis ille est. Sed exponat aliquis vestrûm, quid sibi sequendum videatur: vt ad certum* prospectum emittamus sermones nostros. Non enim sufficit ad inueniendam veritatem destruere ea, quæ è diuerso dicuntur: sed & ipsum proferre in medium, quod possit, qui* è diuerso est, impugnare. Vt ergo partium sit æqua congressio, rectum mihi videtur, vt priùs, quid vterque nostrûm defendat, enuntiet & si placet, ipse primus incipiam. Ego dico, non secundum Dei Prouidentiam gubernari mundum: quia multa in eo iniustè & inordinatè geri videmus: sed Genesim dico esse, quæ omnia agit & continet. Ad hæc cùm Petrus respondere vellet, Niceta præueniens, ait: Indulgeat mihi Dominus meus Petrus adhæc respondere: & non videatur proteruum, quòd iuuenis cum sene habeat; sed, vt filius cum Patre colloquar. Et Senex: Non solùm tu, inquit, fili, quod tibi videtur, vt prosequaris, volo: sed & si quis ex sodalibus tuis, si quis etiam de adstantibus, qui videatur scire aliquid, iocunctanter proferat, libenter accipimus: collatio enim plurimorum faciliùs ea, quæ ignorantur, inueniet. Tum ergo Niceta respondit: Non me æstimes, pater, temerè fecisse, quod inserui me sermonibus Domini mei Petri: sed magis pro honore eius hoc mihi facere visus sum. Homo enim Dei est, plenus totius scientiæ, quem ne Græca quidem latet eruditio: quia spiritu Dei repletus est, quem nihil latet. Sed, quia ipsum de cœlestibus loqui conuenit: ego de his, quæ ad Græcorum loquacitatem pertinent, respondebo. Postea verò, quàm à nobis Græcorum more fuerit disputatum: atque ad id ventum, vbi exitus nullus appareat: tunc ipse, quasi scientia repletus, apertè & dilucide rerum nobis omnium patefaciet veritatem: vt non solùm nos, sed & omnes, qui præsto sunt, auditores, viam veritatis agnoscant. Et ideo nunc ipse, quasi arbiter sedeat: vt cùm vnus aliquis ex nobis cesserit: tunc ipse suscipiens, indubitatam sententiam ferat. Hæc cùm dixisset Niceta, hi qui conuenerant: inter semetipsos colloquebantur: Hicne est ille, quem audiebamus, Petrus? illius, qui in Iudæa apparuit, & signa ac virtutes plurimas fecit, discipulos probatissimus? Et intendentes in eum, cum timore ac veneratione ingenti stabant: tanquam boni serui, honorem Domino deferentes. Quod vbi Petrus sensit, ait ad eos: Attentiùs audiamus, rectum tenentes iudicium de his, quæ dicentur ab vtroque: & post ipsorum conflictum, quod necessarium visum fuerit, addemus & nos. Et cùm hæc dixisset Petrus, gauisæ sunt turbæ. Niceta verò dicere hoc modo adgressus est. Definisti pater, quod non per Dei prouidentiam mundus regatur: sed omnia Genesi subiaceant, tam, quæ ad mores vniuscuiusque, quàm quæ ad gesta pertinent. Ad quæ statim quidem potui respondere, sed quia iustum est seruare ordinem, definimus & nos, quid teneamus, sicut ipse fieri rogasti. Ego dico Prouidentiâ Dei gubernari mundum, in his duntaxat, quæ gubernatione eius indigent. Vnus est enim omnia tenens, qui & mundum fecit, iustus Deus: vnicuique secundum gesta sua quandoque redditurus. Ecce habes & nostram definitionem, nunc quod vis prosequere, vel meâ destruens, vel tua adstruens: vt &

Has opinionem fuit causa cur vulgum eruditi à disputationibus abesse voluerunt.

Matth. 5.

** τὴν σκοπόν.*

** è diuerso, id est, aduersarius.*

Asserit suâ propositionē Senex. Legēdum est, Quà videatur, al. scire, &c.

Petri eruditio.

Petrus arbiter inter colloquentes.

Assertio Nicetæ contra Senem.

ego bis, quæ à te prosequentur, occurram. Aut si me vis priorem dicere, non morabor. Et Senex respondit: Siue tibi placet fili priùs dicere, siue hoc magis placet, vt ego dicam, nihil interest: apud eos præcipuè, qui bonâ veniâ disputant. Dic tamen tu prior: libenter accipio: atque vtinam possis etiam, quæ à me dicenda sunt, prosequi: atque his, quæ contraria sunt, obiicere: & ex vtrorumque collatione ostendere veritatem. Niceta respondit: Si vis, inquit, possum etiam tuas partes dicere: & ad hæc respondere. Et Senex: Ostende mihi priùs, quomodo potes scire ea, quæ nondum loquutus sum? & ita tibi credam, quod partes meas prosequi possis. Et Niceta: Secta, inquit, tua, & sententia, quam definisti, manifesta est his, qui eruditi sunt in huiusmodi disciplinis: certaque est eius consequentia. Et quia ego non sum ignarus, quæ sint definitiones Philosophorum, ex his, quæ proposuisti, quid consequatur, agnosco: maximè, quia præ cæteris Philosophis, Epicuri scholas frequentaui. Frater autem meus Aquila, magis Pyrrhonios sequutus est. Alius frater noster, Platonicos & Aristotelicos: itaque cum eruditis tibi auditoribus sermo est.

Epicurus casu cuncta fieri affirmabat, & nihil regi consilio Dei, huius igitur scholæ cum adisset Niceta, facile poterat intelligere Senis pro fato argumenta, casus aduersa. Qui sint Pyrrhonij, & cur ἐφεκτικοὶ, σκεπτικοὶ καὶ ἀπορητικοὶ dicantur, disertè docet A. Gellius libro xj. noct. Att. cap. v. Meminit ibidem & differentiæ, quæ sint inter Pyrrhonios & Academicos. Faciet ad huius loci intelligentiam maiorem, si inuet legere. Pyrrhoniorum erat, ἐποχὴ, Academicorum autem, ἀκαταληψία.

Tum Senex: Bene, inquit, & consequenter docuisti, quomodo ex his, quæ propositæ sunt, definitionibus, etiam ea, quæ consequuntur, aduerteres. Sed ego ampliùs aliquid professus sum, quàm sentit Epicurus: quia introduxi Genesim: eamque, causam omnium gestorum, hominibus posui. Cumque hæc Senex dixisset, ego Clemens aio ad eum: Audi pater, si te frater meus Niceta obtinuerit, quia non sine Dei Prouidentia mundus agitur, in ista parte, quæ superest de Genesi, ego tibi potero respondere, est enim mihi notitia huius scientiæ. Et cùm hæc dixissem, frater meus Aquila: Quid necesse est, inquit, vt eum patrem vocemus, cùm in mandatis habeamus, neminem super terram patrem vocare? Et post hæc respiciens ad Senem: Non iniuriose, inquit, accipias, pater, quod fratrem meum culpaui: quia te patrem vocaret: habemus enim tale mandatum, ne aliquem nomine isto vocitemus. Cumque hæc dixisset Aquila, risit omnium adstantium cœtus, vnà cum Sene & Petro. Aquila autem requirente causam, cur omnes risissent; aio ad eum, quòd tu, in quo alios culpas, id ipse facis: qui senem appellaueris Patrem. At ille negabat, dicens: Verè nescio, num eum patrem vocarim. Interea Petrus mouebatur suspicionibus quibusdam, sicut ipse nobis enarrauit pòstmodum: & respiciens ad Nicetam: Expedi, inquit, quod proposuisti. Tum Niceta hoc modo exorsus est: Omne quod est, aut simplex est, aut compositum. Quod simplex est, caret numero, diuisione: colore: differentia: asperitate: lenitate: pondere: leuitate: qualitate quantitate & ob hoc etiam fine. Quod verò compositum est, aut ex duobus, aut ex tribus, aut etiam ex quatuor compositum est aut certè ex pluribus: & quæ composita sunt, necessariò etiam diuidi possunt. Et Senex audiens hæc: Optimè, inquit, & doctissimè dicis, fili. Et Niceta: Igitur illud, quod simplex est, & his omnibus caret, quibus solui, quod subsistit, potest, sine dubio incompræhensibile & immensum est: neque initium vllum neque finem sciens: & ideo vnum & solum est, & sine auctore subsistens. Quod autem compositum est & numero ac diuersitati, diuisionique subiacet, necessariò auctore aliquo compositum est, atque in vnam speciem diuersitas congregata. Quod ergo immensum est, bonitate, pater est: virtute, conditor. Neque ergo condendi virtus, in immenso cessare potuit: neque bonitas ociari: sed ad substituenda ea, quæ sunt, bonitate: ad componenda & firmanda, virtute prouocatur. Substituuntur ergo & componuntur quædam, vt diximus, ex duobus, vel ex tribus: quædam verò ex quatuor: alia ex pluribus. Sed, quoniam nunc nobis de mundi ratione quæritur, & de substantia eius, quam ex quatuor elementis esse compositam constat: cui omnes illæ decem differentiæ, quas supra comprehendimus accidunt; ab his inferioribus incipientes gradibus, ad superiora veniemus. Via enim nobis ad intellectualia & inuisibilia, ab his quæ videmus & contrectamus datur: sicut continetur in Arithmeticis disciplinis: vbi, cùm de diuinis quæritur, ab inferioribus ad superiores numeros ascenditur: cùm verò de præsentibus & visibilibus ratio exponitur, de superioribus ad inferiores numeros ordo dirigitur. An non ita est? Et Senex ait: Valde bene prosequeris. Et Niceta: De mundi nunc ergo ratione prosequendum est: cuius prima quæstio in duas partes diuiditur. Quæritur enim, vtrum factus sit, an non & si quidem non est factus, ipse erit illud ingenitum, ex quo omnia. Si verò factus est, de hoc rursus quæstio in duas partes scinditur: Vtrum nam ex seipso factus sit, an ab alio? & si quidem à semetipso sit, excluditur sine dubio Prouidentia.

Absurda, qualia admittantur negata prouidentia. Eadem argumenta proponuntur supra, lib. 3. Reco. eodemque modo tractantur ab Eusebio P. lib. 6. προπαρασκ. c. ἀνασκευασμὰ τῶν εἱμαρμένων.

Si prouidentia non recipitur frustra animus ad virtutem prouocatur: frustra iustitia custoditur: quippe si, non sit, qui iusto pro meritis aliquando restituat. Sed nec anima quidem ipsa immortalis videbitur, si eam post absolutionem corporis, nullius prouidentiæ excipiat dispensatio. Nam si doceatur esse Prouidentia, & per ipsam factus mundus: alia rursus, quæ discutiantur, occurrunt requiretur enim, quomodo sit Prouidentia? vtrum generaliter erga omnia? an specialiter erga partes? an & generaliter erga partes? an & generaliter erga omnia? & specialiter erga partes? Generalis autem intelligitur hoc modo: quasi ab initio Deus faciens mundum, ordinem dederit rebus, & cursum statuerit: & vltrà eorum curam, quæ geruntur, habere cessauerit. Specialis verò erga partes, hoc modo est, vt quorundam quidem vel hominum, vel locorum prouidentiam gerat: quorundam verò non gerat. Generalis autem omnium: & specialis partium simul: hoc modo est, quasi & ab initio omnia fecerit Deus: & vsque ad finem per singulos quosque prouidentiam gerat: & vnicuique reddat pro actibus suis. Prima ergo illa propositio, quæ dicit, quia ab initio Deus fecerit omnia, & cursu atque ordine rebus imposito, de reliquo nihil ad se reuocet. secundum Genesim geri cuncta confirmat. Ad hoc ergo primò respondebimus, & his præcipuè qui Deos colunt, & Genesim defendunt: qui vtique cùm immolant diis, & exorant eos, sine dubio contra Genesim se impetraturos aliquid sperant: & per hoc Genesim soluunt. Cùm verò rident eos qui ad virtutem prouocant, & ad continentiam cohortantur: & dicunt, quod nemo possit facere aliquid, aut pati, nisi, quod ei fato decretum est, omnem profectò cultum diuinitatis abscindunt. Quid enim colas eos, à quibus promereri nihil possis, quod non patiatur ratio decreti? Hæc interim aduersus illos dicta sint.

Ego verò mundum dico à Deo factum, & ab ipso quandoque esse soluendum: vt ille appareat, qui æternus est: & ad hoc factus, vt semper sit: & dignos se, recipiat iudicio Dei.

Quòd autem sit alius inuisibilis mundus, qui hunc visibilem intra semetipsum contineat: posteà quàm de visibili mundo discusserimus, tunc & ad illum veniemus. Nunc interim, quod factus sit mundus iste visibilis, testantur etiam philosophorum plurimi sapientes viri. Sed ne videamur quasi egentes assertionibus, vti voluisse testibus: de principiis eius, si videtur, quæramus. Corporeum esse mundum hunc visibilem, eo ipso, quòd est visibilis, satis constat. Omne autem corpus duas recipit differentias: aut enim connexum est & solidum, aut di-

Matth. 23.

Nota naturalis ὀργῆς.

Aggreditur Niceta doctissimè disputationem, primùm in partem contrariam.

Immensum.

Decem. scilicet, Numerus, diuisio, color, &c. vt recensuit supra.

Per inferiora ad superiora peruenitur.

Erudita quæstionis diuisio.

I. Contra Fatum, Genesimque generalem, ratio firmissima.

Philosophi etiam aliquot mundum esse creatum confitentur.

uisum & separatum. Et si quidem connexum fuit & solidum corpus, ex quo mundus factus est: & per diuersas species partésque secundum differentias sui, corpus illud partitum est & diuisum: necesse est intelligi, fuisse aliquem, qui corpus, quod erat connexum & solidum, dirimeret: atque in partes multas duceret, formásque diuersas. At si ex diuersis dispersísque corporum partibus, omnis mundi hæc moles composita est & compaginata: necesse est nihilominus intelligi, fuisse aliquem, qui in vnum dispersas colligeret: & diuersas rebus species induceret. Equidem plures philosophorum hoc magis sensisse scio: quod ex vno corpore, quam illi materiam vocant, diuisiones ac discretiones conditor fecerit Deus: quod tamen ex quatuor simplicibus, & in vnum temperamento quodam diuinæ prouidentiæ admixtis, constaret elementis. Nam illud superfluo à quibusdam dictum puto, quod simplex corpus, id est, absque vlla coniunctione, sit mundi: cùm constet nec corpus posse esse quod simplex est: neque misceri posse, aut propagari, vel solui: quæ omnia vtique mundi corporibus videmus accidere. Quomodo enim solueretur, si esset simplex? nec haberet intra se aliud, à quo resolui ac diuidi posset? Quod si ex duobus aut tribus, vel etiam ex quatuor constare corpora videntur: cui non etiam exiguum habenti sensum manifestum, sit quod fuerit aliquis, qui in vnum plura collegerit: & temperamenti moderatione seruata, ex diuersis partibus solidum corpus effecerit? Hunc igitur nos conditorem mundi dicimus Deum, hunc agnoscimus vniuersitatis authorem. Græcorum etenim Philosophi de principiis mundi quærentes, alius alia incessit via. Nam Pythagoras elementa principiorum, numeros esse dicit: Calistratus, qualitates: Alcmæon, contrarietates: Anaximander, immensitatem: Anaxagoras, æqualitates partium: Epicurus, atomos: Diodorus, τὰ ἀμερῆ, hoc est, ex his in quibus partes non sunt: Asclepiades, ὄγκους, quod nos tumores vel elationes possumus dicere: Geometræ, fines: Democritus, ideas. Tales, aquam: Parmenides, terram: Zenon, Empedocles, Plato, ignem aquam, aërem, terram, Aristoteles, etiam quintum introducit elementum, quod ἀκατονόμαστον, id est, incompellabile nominauit: sine dubio illum indicans, qui in vnum quatuor elementa coniungens, mundum fecerit.

Atomos intelligit Materiam.

II. Mūdum factum esse à Deo.

Totus hic locus fuit mendosior, quem nos, vt nunc legitur, tum ex Eusebij Pamphili, qui eandem materiam eodem ferè modo tractat. lib. 1. περὶ [illegible] capite, cui titulus, δόξαι φιλοσόφων περὶ τῆς τοῦ παντὸς συστάσεως. itemque lib. 7 cap. περὶ τῆς δευτέρας αἰτίας θεολογίας, tum ex quarta M. Ciceronis Academica, vbi totam hanc sententiam succinctè ijsdemque prope verbis perscripsit: ita restituimus. nec abs re erit, totum illum Ciceronis locum cum hoc conferre: ex quo Rufini versio multò clarior erit. Nam quod Anaximander dixit, τὸ ἄπειρον, Rufinus quidem, immensitatem: Cicero infinitatem conuertit. Quod Anaxagoras ὁμοιομέρειας, teste Aristotele, libro 8. de motu. cap. 2. Rufinus, æqualitates partium: Cic. particulas inter se similes dixit; & cætera consimiliter. Exactius de hisce opinionibus Arist. lib. 1. de rerum natura: Laërtius, de vitis philosoph. Minucius; in Octauio. Irenæus lib. 2, elenchi hæreseon, cap. 19. Tametsi peculiariter hic quædam referantur, quæ apud plerosque non facile repertas. Porrò Diodori sententia prius latinè legebatur amere: omnino legendum est, τὰ ἀμερῆ, id est, insecabilia putauit enim principia rerum eiusmodi esse, quæ omnino secari vel diuidi non possent. ὄγκους Rufinus vertit tumores: rectius massas, siue aceruos mea quidem sententia interpretatus fuisset. Et hoc latinum legebatur. Consimiliter denique, ἀκατονόμαστον, quod Aristotelem, quasi carens nomine seu innominatum principium, ille, incompellabile: dixisse refert: nihil est aliud, quam cum doceat Aristoteles, in omni motu necessario deueniri ad primum aliquem motorem: qui quidem sit ipse ab omni motu liber, sempiternus, vnus, infinita potentia, incorporeus, indiuiduus, denique defatigationis expers: vt 1. capite septimi libri de motu: itemque sexto & decimo, octaui: quis tamen ille sit: aut qui vocetur, non expliceat. Hanc ob rem dixit ita; quem imitatus Marcion, vt refert Epiphanius, hæresi 41. tribus ex fictitijs suis deis, eodem modo primum appellans ἀκατονόμαστον. Sed de his consulendus est L. Gyraldus, primo syntagmate sua deorum historia: nobis satis est breuiter difficiliora annotare.

Siue igitur duo, siue tria, siue quatuor, aut etiam plura sint: vel innumera, ex quib. mundus constat: omni ex parte, qui plura in vnum collegerit, & rursus collecta in diuersas species duxerit, ostenditur Deus: & probatur per hæc, non potuisse machinam mundi sine opifice, & prouisore constare. Sed & hoc ipso, quod in coniunctione elementorum deficiente altero aut abundante, cætera resoluuntur & concidunt: ostenditur ex nihilo accepisse principium. Nam verbi gratia, si deficiat in aliquo humor nec aridum stabit: humore enim pascitur aridum: sicut & frigus calido: in quib. vt diximus, si alterum deficiat, penitus cuncta soluuntur: & in hoc origenis suæ, quæ est nihilo facta sunt, produntur indicia. Quòd si materia ipsa probatur esse facta, quomodo partes eius & species, ex quibus mundus constat, videbuntur infectæ? Sed de materia & qualitatibus non est nunc dicendi locus: hoc solùm docuisse sufficiat, Deum esse omnium conditorem: quia neque si solidum & conexum fuit corpus, ex quo mundus constat, dirimi & discerni sine cōditore: neque si ex diuersis & discretis partibus in vnum collectum est, congregari & misceri sine artifice potuit. Igitur, si mundi conditor Deus esse à me euidenter ostenditur: qui erit Epicuro locus introducendi atomos? & asserendi quòd ex corpusculis insensibilibus, non solùm sensibilia corpora: sed & mentes intellectuales & rationales fiant? Sed dices, vt Epicuro visum est continuationes atomorum indesinenti cursu venientium, per immensa & sine fine tempora miscentium se, atque in vnum conglobantium corpora solida efficiuntur. Non venio ad hæc, vt rem fabulosam, & ineptè compositam dicam: videamus magis, num qualecunque istud sit, possit stare, quod dicitur. Aiunt enim corpuscula ipsa, quæ atomos appellant, diuersis esse qualitatibus: & alia quidem humida, & ob hoc grauia ac deorsum tendentia: alia verò arida & terrena, atque ob hoc nihilominùs grauia: alia autem ignea, & ob hoc rursum semper nitentia: alia verò frigida, & ob hoc pigra, & semper media. Quomodo ergo, cùm alia semper sursum tendant, vt pote ignea: & alia semper deorsum, vt pote humida & arida: alia verò media, & non æquali cursu incedant: coire simul potuerunt, & vnum corpus efficere? Si quis enim de superioribus, verbi gratia, minutissimas paleas, & ad eandem magnitudinem minutissimi plumbi particulas deorsum iaciat: nunquid poterunt, quamuis æquales sint magnitudine, leues paleæ partes plumbi particulas consequi? longe enim velociùs ad imum grauiora perueniunt. Ita ergo & atomi etiam, si magnitudine æquales sint, pondere tamen inæquales, nunquam poterunt, quæ leues sunt, consequi grauiores: quòd si consequi non possunt, sine dubio nec misceri, nec corpus efficere. Tum deinde si indesinenter feruntur, & semper veniunt: & reb. quarum iam mensura integra constat, adduntur quomodo stare vniuersitas potest? cùm tam immensis ponderib. noua semper pondera cumulentur? Sed & illud requiro: si paulatim coëuntib. corpusculis extruebatur hic, quem videmus, ambitus cœli: quomodo non in eo illicò, cùm consurgeret, corruit? siquidem hians machinæ ipsius summitas, nulli suffulta repagulis stringeretur. Sicut enim hi, qui ædificiorum tholos in circulum instruunt: nisi conclusionem medij verticis strinxerint, vniuersum pariter soluitur: Ita & mundi circulus, quem tam decora specie collectum videmus, si non subitò & sub vno diuinæ virtutis totatu, potentia conditoris effectus est: sed paulatim concurrentib. atomis & instruentib. non, vt ratio patebat, sed vt fortuitus incidisset euentus, quomodo non priùs quam colligi posset & concludi, dilapsus est & dissolutus? Ad hæc etiam illud requiro, quod sit munimen, super quod tam immensæ molis iacta sint fundamenta?

III. Mundum factum esse ex nihilo.

ἀκατονόμαστον. Ex atomis factum esse mundum.

Rationes contra atomos Epicuri, firmissimæ, doctissimæque. Eadem planè modo Cicer. quarta Academica.

θόλος, vmbilicus testudinis, in quo contignationum trabes coniunguntur: seu, testudo in orbē ducta.

** cui innitatur? ἐπὶ τίνι ἐπόχηται.*

Alia explanatio.

damenta? Et rursus: illud ipsum, quod dixeris munimen, * super quid iaceat? Et item illud aliud, super quid? & eo vsque interrogando progrediar, donec responsio ad nihil & inane perueniat. Quòd si dicat aliquis, quia atomi igneæ qualitatis coniunctæ sibi corpus vnum fecerunt: & quia ignis qualitas non deorsum, sed sursum tendit, impositam mundi molem, ad superiora semper nitens ignis Natura subuectat: Ad hæc respondebimus: Quomodo potuerunt atomi igneæ qualitatis, quæ semper ad superiora contendunt, in inferiora descendere? & in profundo, ac sub omnia demerso inueniri loco? Cùm itaque grauiores quæque, id est, terrenæ vel humidæ qualitates præueniant, vt diximus, leuiores: vnde & cœlum velut superiorem fabricam igneis atomis, quæ & leuiores sunt, & sursum semper fugiunt, adserunt structam: neque ergo fundamenta ignis, aut alia vlla habere mundus potest: neque atomis grauioribus cum leuiorib. id est, his quæ deorsum semper præcipitantur, & his, quæ semper sursum fugiunt, societas aut compaginatio vlla conueniat. Igitur, quod impossibile sit ex atomorum coniunctione, corpora mundi solidari, sufficienter dictum: &, quod non potuerint insensibilia corpora, etiamsi vlla ratione coire & connecti potuissent: formas dare corporib. & mensuras: vel membra fingere: vel qualitates efficere: vel exprimere quantitates: quæ vtique omnia modulatione sui manum testantur artificis, & opus rationis ostendunt, quam rationem ego verbum & Deum appello. Sed dicet aliquis hæc à Natura fieri: Iam in hoc de nomine controuersia est. Cùm enim constet mentis esse & rationis opus: hoc, quod tu Naturam vocas, ego Deum conditorem voco, constat nec potuisse nec posse vel corporum species tam necessariis distinctionibus institutas: vel animorum sensus irrationabili opere, &, quod sensu careat, effici. Quòd si idonei tibi testes videntur Philosophi, Plato de his testatur in Timæo: vbi de mundi facturà discutiens requirit: verùmnam semper fuerit, an initium sumpserit? & pronunciat, quod factus sit: Visibilis enim, inquit, est & palpabilis, atque corporeus omnia autem, quæ huiusmodi sunt, facta esse constat: Quod autem factum est, aliquem habet sine dubio auctorem, à quo factum est: hunc ergo, inquit, factorem parentemque omnium, & inuenire difficile est: & inuentum vulgo enarrare, impossibile. Hæc quidem Plato dicit.

explanatio. Natura non Dei opus esse hoc vniuersum.

Locus, quem ex Timæo Platonis citat hic Niceta, hic est, antiquus & valde memorabilis. Quidquid fit, ad omne ve eruendum principij fieri: prorsus enim euenire non posse, vt quod ortum habet, ortus sui authorem non habeat. [Quibus ita subdit,] Omne igitur cœlum, siue mundus, siue quouis alio vocabulo gaudet, hoc à nobis nuncupatus sit. De quo id primum consideremus, quod principio est in omni quæstione considerandum; semper ne fuerit, nullo generatus ortu, an ortus sit ab aliquo temporis principatu; quandoquidem cernitur & tangitur, & est vndique corporatus. Omnia autem talia sensum mouent sensusque mouentia quæ sunt, eadem in opinione consident, quæ ortum habere gignique diximus: nihil autem gigni posse sine causis; atque illum quidem quasi parentem huius vniuersitatis inuenire difficile est, & cum iam inueneris, indicare in vulgus, nefas. Huc vsque plato eundem vero locum Eusebius quoque Pamphilus citat. lib. 11. præparationis Euangelicæ. B. item Theodoretus Cyri Ep. lib. 4. Græcarum curationum, de materia & mundo disputans, denique & Minutius Fœlix in Octauio.

Sed & si ipse, aliique Græcorum Philosophi, de factura mundi silere voluissent: nónne omnibus intellectum habentibus palàm esset? Quis enim est exigui saltem sensus homo, qui cùm cernat domum, omnia, quæ ad vsus necessaria sunt, habentem, cuius cameram in sphæræ gyrum videat collectam: eamque vario splendore, & diuersis imaginibus depictam: luminaribus præcipuis & maximis adornatam: quis inquam, est, qui huiusmodi fabricam videns: non statim pronunciet, à sapientissimo & potentissimo artifice esse constructam? Et ita quis inuenietur insipiens, cùm cœli opus inspiciat? Splendorem Solis cernat ac Lunæ, astrorum cursus, & species, & vias certis rationibus & temporibus videat definitas: non tam à sapiente hæc artifice, & rationabili quàm ab ipsa sapientiâ & ratione clamet effecta? Quod & si secundum alios Græcorum Philosophos audire vis, & mechanicis imbutus es disciplinis: * de excelsis, quæ traduntur, non te sine dubio latent. Ponunt enim sphæram, æqualiter ex omni parte collectam & ad omnia similiter respicientem: atque à centro terræ æquis spatiis distinctam: ipsamque sui æqualitate ita stabilem: vt eam in nullam partem declinare vndique æqualitas collecta permittat: & ita, à nullo fulcimento subuecta, sustentatur sphæra. Quòd si verè hanc habeat similitudinem mundi machina: euidens est opus in ea diuinum. Si verò, vt aliis visum est, super aquas posita sphæra: vel super ipsas fertur, vel in ipsis voluitur: etiam sic magni in ea artificis opus declaratur. Sed ne de his, quæ non omnibus palàm sunt, incerta videatur adsertio: ad ea veniamus, quæ neminem latent. Quis astrorum cursus tantâ ratione disposuit? ortusque eorum & occasus instituit? certisque & demensis temporibus vnicuique tenere cœli ambitum dedit? Quis ad occasum aliis etiam redire in ortum permisit? Quis imposuit modum cursibus Solis, vt horas, & dies, & menses, & temporum vicissitudines, diuersis motibus signet? & nunc hyemem, inde ver, æstatem pòst & autumnum, certa cursus sui dimensione discernat? & semper eisdem vicibus anni orbem inconfusa varietate constringat? quis, inquam, tanti ordinis moderatricem, non ipsam Dei pronunciet sapientiam? Et hæc quidem secundum illa nobis dicta sunt, quæ de excelsorum disciplinis traduntur à Græcis. Quid autem & de his, quæ vel in terris, vel in mari videmus, non ne euidenter edocemur, Dei in his non solùm opus esse, sed & Prouidentiam? Nam, quòd in terra montes excelsi, certis quibusque habentur in locis: vt ex his velut compressus & coangustatus aër, ordinatione Dei cogatur & exprimatur in ventos: ex quibus & fructus germen concipiant: & æstiuus ardor temperiem sumat: cùm Pleiades ignitæ, Solis ardoribus incanduerint. Sed dices: Cur & ardor Solis, vt temperies requiratur? &, quomodo fruges humanis vsibus necessariæ maturescerent? Sed & illud aduerte, quod ad axem meridianum, vbi plus est caloris, non multa datur nubium constipatio: nec abundans copia imbrium funditur: ne morbus habitantibus generent: humidæ enim nubes, si calore rapido coquantur, aërem corruptum & pestiferum reddunt. Sed & terra calidum imbrem suscipiens, non nutrimenta segetibus, sed perniciem præbet: in quo, quis dubitat opus esse diuinæ prouidentiæ? Denique Ægyptus, quia Æthiopicis è vicino flagrat ardoribus: ne insanabiles corruptelas aëris imbrium necessitate susciperet: campi eius non pluuiam, nubibus ministratam, sed terrenum quodammodo imbrem, Nilo inundante, suscipiunt. Quid de fontibus dicemus, & fluuiis? qui perenni in mare fluunt meatu? & per diuinam Prouidentiam, nec illis abundans deficit cursus: nec mare, tantas aquarum recipiens copias, vllum sentit augmentum: sed in eadem mensura, & ea, quæ conferunt, & ea, quæ ibi conferuntur, elementa perdurant. Sed dicis mihi, falsa aqua naturaliter consumit fluentum dulce, quod ei fuerit infusum. Et in hoc ergo manifestum est Prouidentiæ opus, vt falsum faceret illud elementum, in quod cursus omnium aquarum, quas ad vsum hominibus præstiterat, declinauit: vti ne per tanta seculi spatia, repletus maris alueus, inundationem pernitiosam terris & hominibus redderet. Nec ita quisquam insipiens erit, vt hanc tantam rationem, tantamque prouidentiam ab irrationabili naturâ arbitratur esse dispositam. Quid autem de virgultis? quid de animalibus dicam? nonne per Prouidentiam factum est: vt cum senecta temporis resoluerentur, virgulta quidem vel plantis, vel seminibus, quæ ipsa dederint: animalia vero, per progeniem reparentur: & mira quadam dispensatione Prouidentiæ, nascituro pecori lac præparatur in vberibus ac statim, vt natum fuerit, nullo docente, scit, vbi alimoniæ suæ horrea requirat? Gignuntur autem non solùm mares, sed &

ἐπὶ τῶν μετεώρων.

A testimonio astronomorum, & mathematicorum.

A cursu astrorum probat Prouidentiam. Gen. 1. Eodē modo & Eusebius P. 8.1. Præp. Euāgel. disputat.

Ab effectis in rerum natura.

Rara pluuia ad axē meridianum quare sint calidi imbres, pestilentes sunt. De his copiosè & doctè Aristoteles in libris Meteorologicorum.

Aquā marinā ineffabili prouidentia salsa est.

Virgulta.

fœminæ;

Quædam mutato naturæ ordine gignuntur. Vide Plin. S. in naturali historia lib. 10. c. 12. sed negat Aristoteles, lib. 3. de Animalibus, c. 6. Anaxagora autē mēdacium esse ait, de Coruo quidē & Mustella.

fœminæ: vt ex vtroque possit rursus constare posteritas. Sed ne, vt putant homines, viderentur hæc Naturæ quodam ordine, & non dispensatione fieri conditoris: pauca quædam ad indicium & documentum Prouidentiæ suæ, mutato ordine genus seruare iussit in terris: verbi gratiâ, vt per os conciperet Coruus: & per aurem Mustela generaret: vt aues nonnullæ, sicut Gallinæ, interdum oua vel vento, vel puluere concepta parerent: alia quædam animalia marem vicibus alternis in fœminam verterent, & sexum per annos singulos commutarent, vt Lepores: & Hyænæ, quas Beluas vocant. Alia etiam, ex terra orirentur, atque inde sumerent carnem, vt Talpæ: alia ex cinere, vt Viperæ: alia ex putrefactis carnibus, vt Vespæ quidem, equinis: Apes autem, bubulis: alia ex fimo boum, vt Scarabæi alia ex herbis, vt de ocymo, Scorpius: & rursus herbæ ex animalibus: vt, ex cornu cerui vel capræ, apij & asparagi. Et quid opus est plura enumerare, in quibus diuina Prouidentia, mutato ordine eo, qui à natura datus putatur: multimodis differentiis natiuitatem animalium constare voluit, ex quibus non irrationabilis rerum cursus, sed ipsius dispensatoris ratione doceretur? An non & in hoc plenissimum demonstratur opus diuinæ prouidentiæ; vbi ex terra & aqua, ad vitam hominum semina iacta reparantur? Quæ cum terræ fuerint mandata, voluntate Dei humorem, quem susceperit gleba, velut vberibus suis seminibus immulget: aquis enim inest quædam vis spiritus à Deo dati ex initio: cuius opere, habitus futuri corporis, in ipso statim semine formari incipit: & per culmum spicamque restitui: turgefacto etenim ex humore seminum grano, per angustos quosdam venarum meatus, vis illa spiritus, quæ in esse aquis data est, vepore incorporea transcurrens, ad incrementum, semina suscitat: & crescentium species format. Ministerio igitur humidi elementi, cui vitalis ille spiritus insitus semper & ingenitus est, efficitur, vt non solum reparetur: sed, vt per omnia similis species & forma his, quæ iacta fuerint seminibus redeat. Quæ ratio, cui vel * breue sensum habenti, per irrationabilem naturam; & non per diuinam sapientiam constare videbitur? Denique: etiam hæc ad similitudinem humanæ natiuitatis formata sunt? videtur enim terra vuluæ locum tenere, cui semen iniectum per aquæ & spiritus vim, sicut supra diximus, & formatur, & alitur. Sed & in hoc admiranda est diuina prouidentia, quod videre nos quidem & agnoscere fecit, quæ fiunt: quomodo autem & qualiter fiant, in secreto posuit & in occulto: vt non indignis ad agnitionem subiaceant: sed dignis & fidelibus cùm meruerint, patefiant.

*B — Cetera manifesta sūt. Terra humorem tanquam vberibus concipit. Πλατωνικῶς. * exiguā τὴν μικρὰν. Terra vuluæ habet speciem.*

Alia quæstio obiter ad probationem superiorum argumentorum adsumpta: Aqua nimirum & spiritu constare omnia. Probat hanc experientia. Mihi quidem hæc philosophia eò quoque pertinere videtur, vt libentius Ethnici Regenerationi, quæ fit in baptismo ex aqua & spiritu, credant. Aquæ porro dignitatem præ cæteris elementis agnoscit & celebrat Plin. lib. 31. nat. hist. cap. 1. Quippe, inquit, hoc elementum omnibus imperat cæteris; terras deuorant aquæ; flammas necant: scandunt in sublime: & cælum quoque sibi vendicant: ac nubium obtentu vitalem spiritum strangulant. Sic Hippocrates in primis plurimum in rerum natura tribuit Spiritui. Vide librum ipsius de Ventosis flatibus. Estque hoc Platonicum dogma, à Virgilio elegantissime sexto Æneidos scriptum.

Principio cælum, terram, camposque liquentes, Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra.

Spiritus intus alit, &c. Quod nos spiritui, sanctissimo Deo tribuimus: iuxta illud Dauidis: Verbo Domini cæli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum.

Vt autem rebus ipsis & exemplis probemus, nihil omnino ex terrena substantia seminibus dari: sed totum ex elemento aquæ & spiritus, qui inest ei, virtute constare: pone mihi, verbi gratia, in cratere aliquo amplissimæ magnitudinis, inijci terræ talenta centum: & seminentur in eo diuersæ species seminum: vel olerum: vel etiam virgultorum, his præbeatur ad rigandum aqua sufficiens, & per annos plures adhibeatur ista diligentia: congregentur autem semina, quæ collecta: fuerint verbi gratia, frumenti: vel hordei, aliarumque specierum per singulos annos seorsim: donec vniuscuiusque seminis aceruus, ad centum talentorum pondus ascendat: tum etiam arbores auulsæ radicitùs adpendantur: & his omnibus ex cratere sumptis, si adpendatur terra, centum sua nihilominus talenta salua restituet. Vnde ergo dicemus omne illud pondus, omnemque quantitatem seminum diuersorum atque arborum surrexisse? nónne euidenter apparet, quod ex aquis? Terra enim, quod suum est, integrum tenet: aqua verò, quæ per singula iniecta est, nusquam prorsus est: ob potentem diuinæ conditionis virtutem, quæ per vnam aquæ speciem tantorum seminum virgultorúmque & substantias reparat & species format & genus fœnore multiplicato custodit. Ex quibus omnibus satis abundeque patere puto, artifici sensu, & non irrationabili naturæ opere cuncta effici, & vi vniuersa constare.

Aliud argumentum, ab opificio humani corporis sumptum. Plenius idem tractat F. Lactantius, libro peculiari de opificio hominis scripto. Habet hoc quoque Theodoretus, Cyri Episcopus, Sermone 3. & 4. de Prouidentia.

Sed veniamus adhuc, si videtur etiam ad nostram, id est, ad hominis substantiam, qui est paruus in alio mundus: & consideremus, quanta sit ratione compositus: & ex hoc, præcipue sapientiam conditoris intelliges: qui cum ex diuersis substantiis constet, id est, mortali & immortali: per artificem prouidentiam conditoris, societatem diuersitas non refugit: & quidem [a] longè à se substantiis. Alia namque de terra sumitur, & à conditore formatur: alia vero ex immortalibus substantiis datur.

a longè à se diuersis.

Quod hic ait Niceta, dari animum ex immortalibus substantiis: prudenter intelligendum de auctore, vel etiam natura animi, ne in hæresin Origenis incidas, vel Apollinaris: quorum hic ex traduce: ille, ex particula diuinæ naturæ animam nasci & dari putauit.

Nec tamen ei per huiuscemodi coniunctionem honor immortalitatis infringitur: nec, vt quibusdam videtur, affectus, quibus ad hæc singula moueri possit. Nam corpus, quod ex ossibus & carnibus constat, initium sumit ex semine viri, quod è medullis calor eliciens, vuluæ, quasi terræ consignat: cui inhærens ex fonte sanguinis, paulatim rigatum in carnem & ossa producitur: atque in speciem auctoris iacti seminis reformatur. Et vide in hoc artificis opus, quomodo ossa, velut columnas quasdam, quibus caro sustentetur ac portetur, inseruit: Tum deinde æqualis ex vtraque parte, id est, dextera ac læua, mensura seruetur: vt congruat, pes, pedi; & manus manui: digiti quoque digitis, vt singuli ad singulos totà æqualitate concordent: sed & oculus oculo: & auris auri: quæ non solùm consona sibi & concordantia, sed & vsibus necessariis apta formantur. Manus quidem, vt operi commodæ sint: pedes, vt gressibus: oculi, vt visibus seruiant superciliorum excubiis custodiri: aures ad audiendum ita formatæ, vt cymbalo similes, suscepti verbi repercussum sonitum altiùs reddant, & vsque ad sensum cordis emittant. Lingua autem ad loquendum illisa dentibus, plectri reddat officium. Ipsi vero dentes, alij vt incidant & diuidant cibos, & interioribus tradant: interiores vero, vt in modum molæ conficiant & comminuant: quo opportunius stomacho traditi, coquantur: vnde & molares appellati sunt. Sed & nares commeandi flatus, & reddendi ac recipiendi gratia factæ sunt: vt innouatione spiritus, calor naturalis, qui ex corde est, vel accendi, vel refrigerari, cum res poposcerit, queat, pulmonis officio: qui pectori inhærere datus est: vt mollitie suâ palpet & foueat cordis vigorem in quo videtur vita consistere: vita dico, non anima. Nam quid dicam de substantia sanguinis? quam velut fluuius ex fonte procedens, & vno priùs alueo inuectus: tum deinde per innumeras venas, quasi per areas deriuatus, totam humani corporis terram, vitalibus rigat fluentis, iecoris opere ministratus: quod ad efficaciam digestionis ciborum, atque in sanguinem mutandorum in

G — Semen ex medullis. Ossa in corpore humano sunt pro columnis. Proportio corporis humani, euidentis Prouidētiæ argumentum. Ideo præcisores dicti. Molares. — H — Nares. Sanguis. Iecur.

Splen. Intestina quare humida.

dextro latere iacet. In sinistro verò, splenis est locus: qui trahere ad se & purgare quodammodo sordes sanguinis possit. Intestinorum quoque ratio quanta, est? quæ idcirco longis nexibus in circulorum ordinata sunt modum, vt susceptas digestiones ciborum paulatim egerant: quo neque ad subitum inanes efficiant locos, & his, qui superadditi fuerint, non impediantur cibis. Membranæ autem in modum idcirco facta sunt, vt ea ipsis ea, quæ intrinsecus sunt, humorem sensim suscipiant: quo neque subitò effusus exinanisset interna: neque densiore cute prohibitus, arida, quæ intrinsecus habentur, efficeret: & totam hominis fabricam sitis necessitate turbaret. Porrò verò fœminea positio, & vulnæ sinus ad recipiendum germen, & confouendum viuificandumque commodissimus, quem non ratione & prudentia effecta esse, quæ facta sunt, suadeat? quòd in ea solùm parte membrorum, à virili specie fœmina discrepat, quâ posteritas sata suscipitur, & fouetur? & rursus virilis habitus ea tantummodo membrorum parte immutetur, qua ei vis serendi & generandi hominis inest? Et in hoc magnum quidem testimonium Prouidentiæ datur, ex necessaria diuersitate membrorum: sed ibi maius, vbi in habitus similitudine, vsus diuersitas, & officij varietas inuenitur. Nam mammillæ viris æquè sunt ac fœminis: sed fœminarum solæ sunt, quæ lactis munere replentur: vt statim vbi genuerint, apta sibi paruulus inueniat nutrimenta. Quòd si tanta ratione videmus in homine membra disposita, vt cum in cæteris omnibus similis habitus videatur: in his tantummodo discrepent, in quibus vsus diuersitatem requirit: & neque in viro aliquid superfluum, aut egens, neque in fœmina, quod desit, videamus: vel quod abundet: quis ex his omnibus non euidenter agnoscat rationis opus, & sapientiam conditoris? His adstipulatur etiam cæterorum animalium rationabilis diuersitatis, & suo quodque vsui ministerioque conueniens. Hæc testatur & arborum varietas, herbarumque diuersitas, tam specie variata: quàm succis. Hæc asserit & permutatio temporum, in quatuor distincta vicissitudines: & certis horis, diebus, mensibus, annum circulus claudens & ne vnam quidem horam statutæ rationis excedens: hinc denique etiam mundi ipsius ætas certa & stabili ratione, concepto annorum numero censetur. Sed dices, quando mundus factus est, & quare tam tarde? Hoc possis obtendere, etiamsi ante factus fuisset: diceres enim, cur non & ante hoc? & ita immensa sæcula transcendens, semper possis requirere, cur non & ante hoc? Sed nobis nunc sermo non de eo est, sed num omninò factus sit? Si enim factum constat, necessariò potentis & summi artificis opus est: quod si constat, quando eum facere voluerit, sapientis artificis arbitrio iudicioque relinquendum est. Nisi videatur tibi omnis hæc sapientia, quæ tam immanem mundi machinam struxit: & singulis quibuscunque rebus, formas & species dedit: quarum habitum non decori solùm conuenientem, sed & futuris vsibus aptissimum & necessarium poneret, hoc eam solùm fugerit: quo tam magnificæ conditionis oportunum tempus adsumeret. Est apud illum profectò certa ratio: sunt euidentes causæ: cur, & quando, & qualiter fecerit mundum: quas hominibus, quibus hæc, quæ ante oculos posita sunt, & de eius Prouidentia contestantur, inquirere & intelligere pigrum fuit: aperiri vtique non oportuit: quæ enim in occulto habentur, & intra sapientiæ sensus, velut intra regios thesauros recondita sunt, nemini patent: nisi his, qui ab illo didicerint, apud quem signata sunt hæc & reposita. Deus ergo est, qui fecit omnia: & ipse à nemine factus est: qui autem Naturam pro Deo nominant, & per Naturam facta esse cuncta testantur, latet eos appellationis suæ error. Si enim Naturam irrationabilem putant, stultissimum est, rationabilem facturam ab irrationabili factore progredi. Si verò ratio est, id est, ὁ λόγος, per quam facta constat vniuersa: superfluò nomen immutant, vbi de conditoris ratione profitentur. Ad hæc si quid habes pater, prosequere. Hæc cùm Niceta dixisset, Senex ita respondit: Tu quidem fili prudenter, & fortiter prosecutus es, adeo, vt melius dici posse de Prouidentia non putem. Sed quoniam hora iam multa est: crastino, ad hæc, quæ, persequutus es, respondere aliqua volo: de quibus, si mihi satisfeceris, gratiæ me fateor debitorem. Et his à Sene dictis, surrexit Petrus. Quidam verò ex adstantium Laodicensium primas, rogabat Petrum & nos, vt Senis indumenta, quæ habebat, sordida & scissa, mutaret: quem Petrus & nos amplexi, & collaudantes pro honesta & optima voluntate sua, dicebamus: Quia nec nos ita insipientes sumus, & impij, vt, cui tam preciosa verba concredimus, non multò magis etiam hæc, quæ ad vsus corporeos sunt necessaria, præbeamus: quæ eum & libenter suscepturum credimus, tanquam à filiis patrem: sed & tectum nobis & vitam communem fore credimus. Hæc cùm nos diceremus: & ille primarius ciuitatis, summa vi, & blandimentis plurimis auellere à nobis cuperet Senem: nos verò eò vehementius retineremus: omnis populus acclamauit, vt illud magis fieret, quod ipsi placeret Seni: & cùm silentium factum fuisset, Senex iuramento præuenit, dicens: Hodie apud nullum manebo: neq; ab aliquo quicquam suscipiam: vt ne alterius delectio, alterius tristitia fiat: hæc enim postmodum, si visum fuerit? fieri possunt. Et cùm hæc dixisset Senex, Petrus ait ad primarium ciuitatis: Quoniam nostri præsentia, bonam voluntatem tuam ostendisti, tristem te non oportet abscedere: sed accipiemus abs te gratiam pro gratia: domum tuam nobis ostende, & præpara eam, vt crastino disputatio, quæ futura est, habeatur: & si qui volunt adesse ad audiendum, permittantur. Quæ cùm audisset primas ciuitatis, valde gauisus est: sed & omnis populus libenter audiuit. Cumque discessissent turbæ, domum suam ostendit: discedere autem & Senex cœpit. Ego tamen vni expeditissime quis meis imperaui, clam subsequi vestigium Senis: discere, vbi maneret. Nos autem cùm redissemus ad hospitium, enarrauimus omnia fratribus, quæ nobis cum Sene habita sunt: & ita ex more cibo sumpto requieuimus. Die autem postera Petrus maturè surgens, suscitauit nos, & perreximus pariter ad locum secretum, in quo & pridie orationis causâ fueramus: atque inde post orationem, dum venitemus ad constitutam domum, in itinere monebat nos, dicens. Audite me conserui dilectissimi. Bonum est, vt vnusquisque vestrùm, secundum quod potest, prosit accedentibus ad fidem religionis nostræ: & ideo non vos pigeat secundum sapientiam, quæ vobis per Dei prouidentiam collata est differentes instruere ignaros: & docere, ita tamen, vt his, quæ à me audistis, & tradita sunt vobis, vestri tantùm sermonis eloquentiam societis. Nec aliquid proprium, & quod vobis non est traditum proloquamini, etiam si vobis verisimile videatur. Sed ea, vt dixi, quæ ipse à vero Prophetâ suscepta vobis tradidi, prosequamini: etiam si minus plenæ assertionis esse videbuntur. Hinc enim sæpe contingit declinare quosdam à veritate, dum speciem sibi verioris & validioris veritatis, propriis cogitationibus reperisse se credunt. His à Petro dictis, libenter annuimus: dicentes ei, nihil nos acturos, nisi quod ipsi videretur. Tum ille: Vt ergo, inquit sine periculo exerceamini: me coram disputate singuli: ita, vt vnus alij succedat, ac suas vnusquisque explicet quæstiones. Nunc ergo, quomodo hesterno die Niceta sufficienter disseruit: hodie sermonem faciat Aquila: & post Aquilam Clemens: inde, ego: si tamen etiam me res popolcerit aliquid addere. Intereà, dum huiuscemodi sermones cedimus, ad domum ventum est: in qua suscipiens nos paterfamilias, introducit ad locum quendam, in similitudinem theatri collectum, & pulchrè exædificatum: in quo turbas plurimas ex tempore noctis operientes nos reperiemus: inter quos & Senex, qui pridie nobiscum disputauerat. Itaque medium habentes Petrum, ingredimur etiam nos, circumspicientes, sicubi cerneremus Senem: quem prior Petrus videns in medio turbæ latitantem, euocauit ad se, dicens: Clariorem multis animam possidens, cur in occulto lates? & verecundiâ contegeris? accede huc magis, & quæ tibi videntur exsequere. Vbi hæc dixit Petrus, statim turbæ locum

Valua. — *Cumulo quodam καὶ συναθροισμῷ, ab effectis suo naturæ docet Prouerb.* — *Alia ἀπόδειξις, de tempore creationis mundi, difficultas soluta, doctissimè & grauiter.* — *Conclusio Nicetæ.* — *Finis disputationis.* — *Senis principes sedula cum Niceta.* — *Prodiſsa qui Clementis.* — *Petrus sermoni veritatis nihil vult addi: nisi eloquentiam.*

A

Altera disputatio Senis Faustiniani cũ Aquila.

Ἀνακεφ. id est, summatim repetere dicta. Vulgo vocant Recapitulationem.

dare cœperunt Seni. Cùm que accessisset, ita cœpit: Eorum, quæ die hesterno prosequutus est iuuenis, etiamsi verba non memini: sensum tamen & ordinem teneo: & ideo necessarium puto propter eos, qui hesterno non adfuerunt, ἀνακεφαλαιῶσαι facere eorum, quæ dicta sunt, & breuiter cuncta repetere: vt etiamsi me aliquid effugerit, ab eo, qui prosequutus est, præsente, commoneat. Hic ergo fuit hesternæ disputationis sensus, quòd omnia, quæ videntur, quoniam certa mensura & arte, formaque ac specie constant, sine dubio à sapiente virtute facta sint: vt rationis ipsius Prouidentia mundus regatur: etiamsi nobis ex, quæ geruntur in mundo, minus rectè geri videantur. Consequitur autem, vt si creator omnium Deus est ac mens, sit etiam iustus: quòd si iustus est, necessario iudicat: si iudicat, necesse est, vt homines de suis actibus iudicentur: & si de actibus suis vnusquisque iudicatur, erit ergo inter iustos & peccatores, iustum quandoque discrimen.

B

Hæc fuit, vt opinor, totius verbi continentia. Si ergo ostendi potest, quod mens ac ratio cuncta condiderit: consequens est: & ea, quæ sequuntur, ratione & Prouidentia geri. Si verò Natura imprudens & cæca gignit vniuersa, perimitur sine dubio iudicij ratio: nec discussio peccatorum, ac benefactorum remuneratio sperabitur vbi iudex non est. Quia ergo omnia in hoc pendent, & huic capiti adhærent: non indignemini, si fortè paulò latiùs discuti hæc & pertractari voluero. In hoc enim mihi ad omnia, quæ proponuntur, velut prima ianua clauditur: & ideò hanc mihi ante omnia aperiri volo. Nunc ergo audite, quæ dico: & respondeat mihi, si quis vestrùm volet: non enim erubescam discere, si audiero, quòd verum est, & rectè dicenti acquiescere. Igitur hesterno à te habitus sermo, qui adserebat, quòd arte, & mensura, & ratione cuncta constarent: non valde me suadet, mentem rationemque esse, quæ fecerit mundum: multa enim habeo, quæ ostendam competenti mensurâ, ac formâ, & specie constare, nec tamen per mentem condita ac rationem. Tum præterea video multa inconditè, inconsequenter, iniustè geri in mundo, & sine Genesis cursu nihil fieri posse: quod post omnia etiam ex meipso manifestissimè adprobabo. Hæc cùm Senex diceret, Aquila respondit: Quoniam ipse proposuisti, vt ad ea, quæ diceres haberet copiam respondendi qui velit, concedit mihi frater meus Niceta hodiè facere sermonem. Et Senex: Prosequere, ait, fili, vt vis. Et aquila respondit. Promisisti quòd ostenderes multa esse in mundo, quæ formam ac speciem æquali ratione collectam gerant: quæ tamen constet, non effici per conditorem Deum. Nunc ergo, quod promisisti, ostende. Et Senex: Ecce arcum videmus in cœlo, circulum tenere omni mensura collectum: & habere speciem veri: quam fortassis nec mens concedere, nec describere ratio potuisset: nec tamen hic ab aliqua mente fit. Ecce in breui totum proposui, responde ad hæc. Tum Aquila: Non continuò, inquit, si quid ex typo & forma exprimitur, id intelligitur à ratione esse: ac sine mente non fieri posse: quoniam typus ipse, qui exprimit figuras ac formas, non sine mente factus est. Verbi causa: cera si adfigatur sculpto annulo, imaginem quidem & figuram sumit ex annulo, qui sine dubio sensu caret: sed annulus, qui exprimit effigiem, manu artificis sculptus est: & mens fuit ac ratio, quæ typum annulo dedit. Ita ergo & arcus exprimitur in aëre: Sol enim nubibus rarescentibus radios suos imprimens, & humori nubilo velut ceræ moli adfigens orbis sui typum, arcus speciem reddit: & efficit hoc ipsa, vt dixi repercussio splendoris Solis in nubibus, atque ex illis fulgorem circuli eius reddens: fit autem hoc non semper, sed cùm oportunitatem sui, humectæ nubes rarescendo præstiterint. Vnde & rursus, cùm densantur nubes & coëunt, arcus forma resoluitur, & exolescit: denique nunquam sine Sole & nubibus arcus apparet: sicut nec sine typo & cera, & alia huiusmodi materiâ, exprimitur imago. Non ergo mirum est, si conditor Deus ex initio fecit typos, ex quibus nunc formæ exprimantur ac species.

Prima ianua ad agnitionẽ Dei.

Proponit Senex, obijciens, multa in verũ natura esse ἄτακτα: quæ auctore Deo vel per Prouidẽtiam fa-

C

cta dicere, sit absurdum, 1. Obiect. Arcus cælestis non fit ab aliqua mente. ἶρις.

D

Arcus in cælo ex repercussione solis vide Aristot.lib.3.

ubi μετεωρολ. Plin. S. l.2. c.59.

Simile autem hoc & illi, quod ab initio Deus elementa insensibilia creauit: quibus ad reliqua omnia formanda, & explicanda vteretur. Sed & qui statuas formant, typum priùs luti vel ceræ fingunt: & ex ipso redditur statuæ effigies: tum deinde & vmbra redditur ex statua, quæ vmbra per omnia formam ac similitudinem statuæ gerit. Quid ergo, dicemus insensibilem statuam formare vmbram, tam diligenti, quàm ipsa statua est, ratione collectam: an illi sine dubio adscribetur vmbræ collectio, qui & statuam finxit? Si ergo tibi videtur hoc ita se habere: & sufficit, quod de hoc dictum est: ad alia inquirenda veniamus: aut si aliquid adhuc deesse putas, repetamus. Et Senex ait: Volo, vt repetas de hoc: sunt enim & alia multa, quæ similiter fieri video: nam & fructus arborum simili modo pulchrè formati, & in rotundum mirè collecti, nascuntur: & foliorum species ingenti decore formatur, atque exquisitâ arte viridis membrana contexitur. Tum prætereà pulices, mures, lacertas, & his similia, nunquid & hæc dicemus à Deo fieri? Vnde ex his vilioribus, coniectura capitur meliorum: quod nequaquam mentis arte formentur. Benè, inquit Aquila, de foliorum textura, & de paruis animalibus colligis, quod ex his fides etiam melioribus deroganda sit: sed non te ista decipiant, vt putes quasi duabus solis manibus operantem Deum, non posse vniuersa complere, quæ fiunt: sed memento quomodo hesterno tibi frater meus Niceta respondit, & mysterium ante tempus aperuit, verè quasi cum patre loquens: & cur, & quo modo fiant hæc, quæ inutilia videntur, exposuit. Et Senex: Cur ista inutilia voluntate illius summæ mentis fiant, velim à te audire. Si inquit, liquidò apud te constat, quòd mentis & rationis opus in ipsis est, tum demum tibi etiam cur facta sunt, dicere non pigebit: & quod iustè facta sint, edocere. Ad hæc Senex respondit: Non possum fili, ea, quæ videntur ex arte formata dicere per mentem fieri: propter cætera, quæ iniustè & inordinatè fieri videmus in mundo. Si te, inquit Aquila, ea, quæ inordinatè fiunt, dicere, quòd per prouidentiam Dei facta sint, non sinunt; cur non ea, quæ ordinatè fiunt, dicere te, quòd à Deo facta sint, cogunt? & quia irrationabilis Natura, opus rationabile proferre non possit? Certũ est enim, nec omnino negamus, quia in hoc mundo quædam ordinatè quædã inordinatè fiant: ea ergo, quæ rationabiliter fiunt, crede: quòd per prouidentiam fiant: quæ verò irrationabiliter & inordinatè, quia naturaliter eueniant, & fortuitò accidant: Miror autem non aduertere homines: quia vbi sensus est, possunt res ordinatè fieri & inordinatè: vbi autem nullus est sensus, neutrum omnino effici: nam ratio ordinem facit: ordinis autem cursus, si contrarium quid acciderit, quod ordinem turbet: necessariò inordinatum aliquid profert. Et Senex: Hoc ipsum mihi à te ostendi volo. Non, inquit Aquila, morabor. Duo visibilia signa monstrantur in cœlo, vnum Solis, aliud Lunæ: hæc sequuntur & aliæ quinque stellæ, diuersos & proprios singulæ explicantes cursus. Hæc ergo Deus posuit in cœlo, quibus aëris temperies pro ratione temporum dispensetur: & ordo vicissitudinum permutationumque seruetur. Horum autem ipsorum ministerio & si quando pro peccatis hominum plaga & correptio terris iniicitur: perturbatur aër: lues, animantibus: corruptio, frugibus: pestilens per omnia mortalibus annus inducitur: & ita fit, vt vno eodemque ministerio, & seruetur ordo & corrumpatur. Etenim palàm est incredulis & imperitis, quòd cursus Solis vtilis & necessarius mundo, per Prouidentiam datus semper ordinatus habeatur. Lunæ verò, ad comparationem cursus Solis, in augmentis & decrementis suis apud imperitos inordinati cursus videntur & incompositi. Nam Sol certis distinctionibus & ordinatis mouetur: ex ipso enim sunt horæ: ex ipso, dies, cùm ascenderit: ex ipso etiam, nox, cùm occiderit: ex ipso, menses & anni numerantur: ex ipso, vicissitudines temporum fiunt: dum ad superiora conscendens, ver temperat: vbi autem ad summum cœli venerit, æstiuos accendit calores: decidens rursus, autumni temperiem reddit: vbi verò ad inferiorem redierit circulum, ex gla-

E

2. Obiect.

F

Contemptissima quæque animalia à Deo creãtur. Eadẽ primã Recognitione Barnaba Euangelij docenti obiecta, retulit sup. B. Clemens. Aiaamq.

G

Solutio.

Gen. 1.

H

ciali

ciali compage cœli, rigorem nobis hyberni frigoris derelinquit. Sed de his aliâs latiùs differemus. Nunc interim, cùm sit iste minister bonus, ad vicissitudines temporum moderandas: tamen, vbi secundum voluntatem Dei correptio mortalibus datur, incandescit acriùs, & vrit mundum vehementioribus flammis. Similiter autem & Lunæ cursus, atque hæc, quæ imperitis videtur, inordinata permutatio, incrementis frugum, & pecudum, omniúmque animantium commoda est: augmentis enim eius detrimentisque mirâ quadam prouidentiæ arte, omne, quod gignitur, alitur, & crescit: de quibus latiùs prosequi possemus, & aperite de singulis rationem, nisi nos propositæ quæstionis ordo reuocaret. His tamen ipsis eisdémque ministeriis quibus gignuntur, aluntur, augentur vniuersa: cùm fuerit iusta aliquâ ex causâ ordinis instituti mutata temperies: corruptio oritur & intemperantia: vt in homines, sicut suprà diximus, castigatio, Dei voluntate procedat. Sed fortasse dices: quid? quòd in ista communi castigatione similia impij patiuntur & pij? Verum esse etiam nos fatemur: sed piis, castigatio ad profectum cedit, vt in præsenti vita afflicti, purgatiores veniant ad futuram: in qua perpetua eis requies præparata est. Simul autem, vt & impij aliquantulum ex ipsorum castigatione proficiant: aut iusta in eos feratur iudicij futuri sententia, cùm in eisdem castigationibus, iusti quidem gratias egerint Deo: iniusti autem, blasphemauerint. Igitur cùm in duas partes rerum diuidatur opinio, quòd alia per ordinem, alia contra ordinem fiant: ex his quidem, quæ secundum ordinem fiunt, oportuit credi esse prouidentiam: de his verò, quæ contra ordinem geruntur, causas requirere ab his, qui eas per doctrinam propheticam didicêre, quibus enim innotescere potuit sermo propheticus, sciunt, quando, & ob quam causam ærugo, grando, pestilentia, & horum similia per singulas quasque generationes exorta sint: & ex quibus peccatis hæc ad vindictam data sint: vnde humano generi causa tristitiæ: vnde gemitus ac dolores acciderint: vnde etiam tremoris languor aduenerit: & quod hæc ab initio fuerit vindicta parricidij. Nam ab origine mundi nihil horum fuit: sed ex impietate hominum, initium mala ista sumpsêre: & inde semper crescentibus iniquitatibus, & malorum numerus creuit. Sed idcirco diuina Prouidentia iudicium erga omnes statuit: quia præsens sæculum non erat tale, in quo vnicuique possit pro meritis dispensari. Non ergo ex his, quæ pro peccatis hominum mundo accidetunt, malis, illa contemplanda sunt, quæ ab initio, cum nullæ malæ causæ existerent, bene & inordinatè instituta sunt: denique ad indicium eorum, quæ ab initio fuêre, inueniuntur nonnullæ gentes, alienæ ab huiusmodi malis. Nam Seres, quia castè viuunt, expertes habentur horum omnium: quia neque, post conceptum adiri vltrà apud eos fœminam, fas est: neque, cùm purgantur, carnibus ibi immundis vllus vescitur: sacrificia nemo nouit: secundum iustitiam omnes sibiipsis iudices fiunt. Idcirco neque castigantur istis plagis, quas suprà diximus: & plurimum temporis in vita durantes, absque ægritudine finiunt vitam. Nos autem miseri, velut cum serpentibus pessimis habitantes, cum hominibus dico iniquis, perferimus necessariò cùm ipsis afflictionum plagas in hoc mundo: sed spem gerimus, ex consolatione futurorum bonorum. Si propter iniquitates, inquit, Senex, aliorum, cruciantur etiam iusti, oportuit Deum tanquam prouisorem iubere hominibus, vt non facerent ea: ex quibus, necesse esset cum iniustis affligi etiam iustos: aut facerent emendationem aliquam, aut purificationem mundo adhiberent. Iussit, inquit Aquila, Deus hæc, & dedit præcepta per Prophetas, quomodo homines viuere deberent: sed & hæc contempserunt: imo verò & eos, si qui fortè obseruare cupiebant, diuersis iniuriis afflixerunt: donec etiam ipsos à proposita obseruatione deiicerent, & ad incredulitatis nihilóminus verterent turbam: sibíque similes efficerent. Propterea denique ab initio cum fuisset omnis terra maculata peccatis, Deus diluuium mundo induxit, quod vos sub Deucalione factum dicitis: & tunc vnum quendam iustum cum filiis suis in Arca reseruauit: & cum eo omnium seminum, omniúmque animantium genus. Et tamen etiam, qui ex ipsis nati sunt, tempore intercedente, rursus similia prioribus agunt: obliuioni enim, quæ acciderant, data sunt: ita, vt posteri ne hoc ipsum quidem crederent, quod diluuium factum est: Vnde & statuit Deus in præsenti sæculo vltrà non fieri diluuium: alioqui secundum rationem peccatorum, necesse erat etiam per singulas generationes hoc fieri, infidelitatis gratiâ: sed magis indulsit per singulas gentes, angelos quosdam agere principatum, qui malis gaudent: quibus tamen eâ conditione potestas aduersum vnumquemque mortalium data est, si priùs se ipse quis peccando eis fecisset obnoxium: donec adueniret ille, qui bonis gaudet: & completetur per ipsum numerus iustorum: & per omnem mundum crescente multitudine piorum, aliqua ex parte reprimeretur impietas: & innotesceret omnibus, quod omne, quod bonum est, à Deo sit. Ex arbitrij autem libertate vnusquisque hominum, dum incredulus est de futuris, per malos actus incurrit mala. Et hæc sunt, quæ videntur in mundo contra ordinem geri: quibus causas, vt essent, infidelitas dedit. Miranda igitur per omnia est diuinæ Prouidentiæ dispensatio: quæ his, qui initio fuerint, bonam quidem viam vitæ incedentibus bonis incorruptibilibus dedit perfrui: vbi verò peccauerint, mali originem peccato pariente sumpserunt. Et vnicuique bono quasi quodam coniugij fœdere, ex parte peccati sociatum est malum.

Sic Phauorinus apud Gellium, libro sexto, cap. primo: non per naturam ait, sed κατὰ παρακολούθησιν sine iuxta consequentiam mala esse, quòd ex contrario consequatur, vt cum in rerum natura bona sint, contrà sint & mala. At hi Ada nostri Euaque peccatum nesciêre.

Quoniam quidem humano sanguine terra polluta est: & aræ dæmonibus succensæ: aërem quoque ipsum incesto sacrificiorum fumo temerârunt: & ita demum corrupta priùs elementa, hominibus corruptelæ vitium, velut radices ramis ac fructibus tradiderunt. Vide ergo in hoc, vt dixi, quàm iustè vitiatis rebus Prouidentia diuina succurrat: vt quoniam bonis Dei, mala, quæ ex peccato originem sumpserant, sociata sunt: duabus his partibus, duos principes poneret: & ei, qui bonis gaudet, bonorum ordinem: qui ad fidem Prouidentiæ suæ, credentes adducere statuit: ei verò, qui malis gaudet, ea quæ contra ordinem & inutiliter geruntur: ex quibus sine dubio etiã prouidentiæ fides in dubium veniat: & habita est per hoc à iusto Deo iusta diuisio. Hinc ergo est, quod cùm ordinatus astrorum cursus, fidem faciat manu artificis conditum mundũ: rursum conturbatio aëris, aura pestilens, fulminum vagi ignes, Prouidentiæ opus refellant. Habentem, vt diximus, singula quæque bona, contraria & coniuncta sibi mala: vt fœcũdis imbribus grando inimica est: vt rori placido, rubiginis est sociata corruptio: vt ventis lenibus, procellarum turbines iũcti sunt: fructuosis arboribus, infructuosæ: herbis vtilibus, noxiæ animalibus mitibus fera & perniciosa connexa sunt: Hæc autẽ omnia posita sunt à Deo, pro eò, quòd hominibus voluntas arbitrij à bonorũ proposito discessit: & declinauit ad mala. Igitur in omnibus mundi rebus habetur ista diuisio: & sicut sunt pij, ita & impij: vt sunt Prophetæ, ita & falsi Prophetæ. Sed & apud Gentiles sunt philosophi, sunt & falsi philosophi. Iudæorũ quoque circuncisionẽ Arabicæ gentes, aliæque plurimæ ad ministerium suæ impietatis imitati sunt: Sic & diuino cultui, est contrarius dæmonum cultus: & baptismo, baptismus:

Et legi, leges: & Apostolis, pseudoapostoli: & doctoribus, falsi doctores. Et inde est, vnde apud philosophos, alij asserant prouidentiam: alij negent: alij vnum Deum, alij plures defendunt. Vsque ad hoc res denique accessit, vt cùm verbo Dei fugentur dæmones: per quòd esse prouidentia declaratur: inuenerit ars magica, ad infidelitatem confirmandam, quomodo etiam hoc ex contrariis imitetur. Sic serpentum venena mitigare carminibus

Obiectio alia ἀδιάφορα. *Quamobrẽ pij cum impiis aliquãdo affligantur.*

Calamitates pobis in vindictã data sunt.

Seres innocentes, miserisque esse testatur & Plin. lib. 6. cap. 17. nat. hist.

Populi orientales, lanitia nobiles. Vnde Sericum dicitur Solinus idem refert in Poly histore, cap. 63. Ezech. 2. Peccatũ diluuio vltus est Deus.

Omne bonum à Deo Iacob. 1.

Malum bono tanquam in fœdere adhæret.

Arabes circuncisionem Iudæorũ sunt imitati. Abusus multarũ rerum.

inuentum:& verbo ac potestati Dei contrarias inducere sanitates. Angelis quoque Dei contraria reperit ars magica ministeria: animarum suscitationes contra hæc, & figmenta dæmonum ponens. Et ne multa enumerando, sermonem longiùs traham: nihil omninò est, quod fidem prouidentiæ facit, & non habeat è contrario aliud ad infidelitatem paratum: & ideo qui ignorant istam diuisionem rerum, pro his, quæ à semetipsis discordant in mundo, non putant esse Prouidentiam. Sed tu pater, quasi vir sapiens, ex ista diuisione elige partem, quæ ordinem seruat, & fidem Prouidentiæ facit: & non solùm sequaris illam partem, quæ contra ordinem currit: & prouidentiæ derogat fidem. Ad hæc Senex respondit: Da mihi viam, fili, qua possim ex duobus istis ordinibus, quorum alter asserit, alter refutat prouidentiam, vnum aliquem in meis sensibus confirmare. Rectum, inquit Aquila, habenti iudicium facile discrimen est: nam & hoc ipsum, quod ais, ordo & inordinatio, ab artifice fieri potest: nam verbi gratiâ, ponamus de excelsâ rupe abruptum saxum in præceps ferri, idque illisum solo in multa fragmenta comminui: nunquid euenire vllo modo potest, vt in illa multitudine fragmentorum, inueniatur vnum saltem fragmentum, in quo perfecta aliqua species per omnia habeatur ac forma? Et Senex respondit: Non potest. Quod si adsit, inquit Aquila, signorum artifex, excisum de monte saxum manu artifice & sensu rationabili formare, in quam velit speciem, potest. Et Senex. Verum, inquit, istud est. Ergo, ait Aquila, vbi sensus non est rationabilis, nulla species ex integro formari potest: vbi autem sensus est artifex, ibi & forma, & informitas esse potest: verbi gratia, si excidat è monte saxum artifex cui formam velit imponere: necesse est, vt id primò informe cædat & barbatum: tum deinde paulatim excudens, & ad libram suæ artis exsculpens, exprimat formam, quam mente conceperit. Ita ergo ex informitate vel deformitate, artificis manu peruenitur ad formam: & vtrumque ab artifice procedit: simili igitur modo, & ea, quæ in mundo geruntur, per artificis prouidentiam fiunt, etiamsi minùs ordinata videantur. Et ideo, quia tibi duæ istæ innotuerunt viæ, earumque accepisti diuisiones, fuge infidelitatis viam, ne fortè perducat te ad illum principem, qui malis gaudet: sequere fidei viam, vt peruenire possis ad Regem illum, qui bonis hominibus gaudet. Ad hæc Senex respondit: Cur autem & princeps ille, qui malis gaudet, factus est? &, vnde factus est, aut, non est factus? Aquila ait: Alterius temporis est iste tractatus: verùm, ne expers abeas etiam huius responsionis, pauca tibi de hoc quoque insinuabo. Præscius omnium Deus ante constitutionem mundi, sciens, quod futuri homines, alij quidem ad bona, alij verò ad contraria declinaturi essent, eos, qui bona elegerint, suo principatui, & suæ curæ sociauit: atque hæreditatem sibi eos propriam nominauit: eos verò, qui ad mala declinarent, Angelis regendos permisit: * his, qui non per substantiam, sed per propositum cum Deo permanere noluerunt, inuidiæ & superbiæ vitio corrupti, dignos ergo dignorum principes fecit. Ita tamen eos tradidit, vt non habeant potestatem in eos faciendi, quod volunt: nisi statutum sibi ab initio terminum transeant. Hic est autem statutus terminus, vt, nisi quis priùs fecerit dæmonum voluntatem: dæmones in eo non habeant potestatem. Et Senex ait. Magnificè prosequutus es, fili: superest nunc, vt dicas, vnde sit substantia mali? si enim à Deo facta est, fructus malus radicem culpabilem docet: videtur enim & ipsa malæ naturæ: si verò coæterna fuit hæc substantia Deo, quomodo potest, quod æqualiter ingenitum & coæternum est, alteri esse subiectum? Non semper fuit, inquit Aquila: sed neque si ex Deo facta sit, continuò necesse est, etiam conditorem eius talem videri, qualis est illud, quod ab eo factum est: nam substantias quidem Deus fecit omnium: Sed si rationabilis mens, quæ a Deo facta est, nequaquam conditoris sui legibus acquiescit: & modum statutæ sibi temperantiæ excedit, quid hoc ad conditorem spectat? vel si aliqua est ratio hac superior, ignoramus: neque enim de singulis ad perfectum scire possumus: & de his præcipuè, pro quibus non sumus iudicandi, cur ignoremus. Ea verò pro quibus iudicandi sumus, facillima sunt ad intelligendum: & penè vno sermone absoluuntur. Omnis enim propemodum actuum nostrorum in eo colligitur obseruantia, vt, quod ipsi pati nolumus, ne hoc aliis inferamus: sicut enim ipse occidi non vis, caueas oportet, ne alium occidas. Et, sicut tuum non vis violari matrimonium, nec tu alterius macules thorum: furtum pati non vis? nec ipse facias: & intra hanc regulam, humanorum gestorum singula quæque concurrunt. Tum Senex: Ne ægrè, inquit, accipias fili, quod dicturus sum: sermones tui quamuis validi sint: non possunt tamen flectere me, vt credam, fieri aliquid posse extra Genesim. Scio enim, omnia mihi necessitate Genesis accidisse: & ideo suaderi mihi non potest, quod vel bene, vel malè agere in nostra potestate sit: & si actus nostros in potestate non habemus, non potest credi futurum esse iudicium: per quod vel malis, pœnæ: vel bonis, præmia tribuantur. Denique, quoniam te imbutum video in huiuscemodi disciplinis, pauca tibi ex ipsa arte proferam. Si, inquit Aquila, ex ipsa disciplina adstruere aliquid cupis, frater meus Clemens tibi diligentiùs respondebit: qui pleniùs scientiam mathesis adtigit: ego enim aliis viis adserere possum, quod actus nostri in nostra sint positi potestate: ista autem, quæ non didici, præsumere non debeo. Cùm hæc Aquila dixisset, ego Clemens: Crastino, inquam, dices, pater, vt voles, & audiemus libenter, nam & te puto gratè habiturum, quòd cum his tibi erit sermo, qui expertes non sunt eius, quam protuleris, disciplinæ. Cùm ergo placuisset inter me & Senem, vt sequenti die disputatio nobis de ratione Genesis haberetur, vtrum omnia ex ea fierent, an esset aliquid in nobis, quod non Genesis, sed animi iudicium gereret: Petrus surrexit, & sermonem facere hoc modo cœpit: Mirum mihi admodum est, quòd res, quæ facilè inueniri possunt, homines exquisitis cogitationibus ac verbis difficiles faciunt: & hi maximè, qui videntur sibi sapientes: quique volentes Dei voluntatem comprehendere, quasi homine, vtuntur Deo: imò & si quid minùs: nam hominis consilium vel sensum scire nemo potest, nisi ipse procedat, quid cogitauerit: sed neque artem quis discere potest, nisi multo tempore à magistro fuerit imbutus: quantò magis inuisibilis & incompræhensibilis Dei neque sensum neque opus scire quis potest, nisi ipse mittat Prophetam, qui enarret consilium suum, & viam conditionis exponat in quantum discere hominibus fas est. Vnde ridiculum puto, cùm naturalibus viis de virtute Dei homines iudicant, & putant hoc quidem ei esse possibile: illud verò impossibile: aut hoc maius, illud minus: ignari omnium: qui cùm sint homines iniusti, iudicant Deum iustum: artificem, imperiti: incorruptibilem, corrupti: factura, factorem. Et nolo putetis, quia hæc dicens, iudicandi de rebus adimo facultatem: sed consilium do, ne per diuina quis incedens, sine fine incurrat errores. Et ideo non solùm sapientibus, sed & omnibus hominibus, qui desiderium gerunt agnoscendi quod sibi expedit, suadeo, vt requirant verum Prophetam: quia ipse solus est, qui nouit omnia & scit, quid, & quomodo vnusquisque quærat. Inest enim intra vniuscuiusque nostrûm mentem: sed in illis quidem, qui desiderium Dei agnitionis & iustitiæ eius nullum gerunt, otiatur. In his verò, qui, quod animæ suæ expedit, quærunt, operatur: & scientiæ lumen accendit. Propter quod primò omnium hunc requirite: quem si non inueneritis, ab alio vos agnituros aliquid non speretis. Inuenitur autem citò ab his, qui veritatis amore perquirunt: & quorum anima præoccupata non tenetur in malitia. Adest enim his, qui eum in innocentia spiritus sui desiderant: qui per patientiam sustinent: & suspiria de profundo cordis, veritatis amore producunt: fugit autem maleuolas mentes: quia, vt Propheta, cognoscit cogitationes vniuscuiusque. Et ideo nemo putet eum per prudentiam suam inuenire posse: nisi, vt suprà diximus, mentem suam omni

Alia quæstio de mali auctore. Cur facti dæmones?

* vnde?

Christiani quædam tutius ignorant, quàm inuestigant.

Senex mathesi [illegible] *ad futuram disputationem.*

Clemens matheseos fuit doctus.

Finem disputationi imponit Petrus, docens in infinitum progredi disputationes: consulendum potiùs Iesu, qui de reb. omnibus certò & verè docuerit.

Sic Paulus, Act. 17. Christus in nonnullis hominibus otiosus est.

Sapien. 1. *Prudentia humana cæcutit in rebus diuinis.*

nequitia

nequitia vacuam effecerit: atque agnitionis eius desiderium purum & fidele conceperit. Vbi enim talem se quis præparauerit, ipse vt Propheta, videns præparatam mentem, sponte se adhibet ad agnoscendum. Si quis igitur vult omnia discere, non per singula discutiens, (neque enim poterit, cùm sit mortalis, Dei innestigare consilium, & ipsam immensitatem perscrutari) sed si discere, vt diximus, omnia desiderat, verum Prophetam requirat. Quem cùm inuenerit, non quæstionibus & disputationibus, neque argumentis cum eo agat: sed, si quid responderit: si quid pronunciauerit: hoc certum esse, non potest dubitari. Et ideo quæratur verus Propheta ante omnia, & eius verba teneantur: in quibus illud tantummodo discutiendum vnicuique est, vt satisfaciat sibi: num verè Prophetica eius verba sunt: id est, num indubitatam fidem contineant futurorum: num tempora definita consignent, num rerum ordinem seruent: anne, quæ prima sunt, nouissima; &, quæ in nouissimis gesta sunt, prima narrarint: num nihil versutum, nihil magica arte ad decipiendum compositum, contineant: aut si non, quæ aliis reuelata sunt, ad se transtulerit, admixtis mendaciis. Et cùm his omnibus recto iudicio discussis, verba constiteris esse prophetica: ita demum credi eis de omnibus, quibus dixerint, & responderint, debet. Etenim consideremus diligentiùs opus diuinæ Prouidentiæ. Nam, quod Philosophi introduxerunt verba subtilia quædam & difficilia, ita, vt ne ipsa quidem vocabula sermonum, nota esse omnibus possent & intelligibilia: Deus eos, qui sibi artifices verborum videbantur, per omnia imperitos esse erga agnitionem veritatis ostendit. Simplex enim est, & manifesta, ac breuis rerum scientia: quæ per verum Prophetam traditur: quam isti per deuia incedentes, & scrupeas verborum difficultates, totâ ignorauerunt viâ. Igitur verecundis & simplicibus mentibus, cùm viderint fieri, quæ prædicta sunt, satis abundéque sufficit, vt de certissima præscientia, certissimam scientiam capiant: & de cætero requiescant, euidenti agnitione veritatis adsumpta: cætera omnia æstimatione tractantur, in quibus firmum nihil esse potest. Quis enim sermo est, qui non recipiat contradictionem? & quæ argumentatio est, quæ non possit aliâ argumentatione subuerti? & inde est, quod ad nullum finem scientiæ & agnitionis per huiusmodi disputationem peruenire homines possunt; priúsque finem vitæ inueniunt, quàm quæstionum. Et ideo cùm in his omnia habeantur incerta, ad verum Prophetam veniendum est: quem Deus pater, volens ab omnibus diligi, hæc, quæ homines induxerunt, in quibus nihil potest adprehendi, voluit penitùs extinguere: vt eò magis iste quæreretur, & quàm illi obcluserant, hic hominibus viam veritatis aperiret. Propter hunc enim Deus etiam mundum fecit: & ab ipso mundus repletur: vndè & quærentibus se adest vbique, etiamsi in vltimis terræ finibus quæratur. Si verò non purè eum quis, nec sanctè, neque fideliter quærat, intra ipsum quidem est, quia vbique est: & intra sensus omnium inuenitur, sed, vt suprà diximus, infidelibus dormit, & absens habetur his, à quibus esse non creditur. Cùmque hæc & alia huiusmodi Petrus de vero Propheta prosequutus esset, turbas dimisit. Senem verò cùm rogâsset plurimùm permanere nobiscum, obtinere non potuit sed & ipse discessit, alia die sicut placuerat, rediturus. Et post hæc nos vnà cum Petro ingressi hospitium, cibo & quiete solito vtimus.

Habes albam, vt ita dixerim lineam ad quam exigas prophetias.

Rom. 2. 1. Cor. 1. 3.

Act. 17.

ARGVMENTVM LIBRI IX. Recognitionum per L. Gruterum Venradium.

Tertia noto hoc libro Senis adhuc ignoti disputatio cum ipsomet Clemente habita perscribitur. Initio Petrus sese explicat, quomodo pridie dixerit, sine propheta nihil certò sciri posse, cui succedit Clemens, eruditè docens, vndénam sit natus ille error, astris vt mala asscribantur imputenturque tum, vnde hæc rerum in vita inæqualitas: demum, quod Aquila proposuerat Senex, vnde ipsum malum, quoque modo depellendum, obiicit Senex, constellationibus multos ad crimina cogi, enarratis exempli causa schematis aliquot, hunc rursum Clemens modestissimè simul & doctissimè confutat: monstratis erroris huius falsitatisque causis: ad quæ nihil ille aliud, nisi, quod miserrimi sui casus, quem sua sibi Genesis visa sit præsagire, schema referat. ex hac fatalium suorum malorum enarratione, trium fratrum, cum quibus fuit congressus, parens esse deprehenditur mirabiliter: redditur suis. Matthidia, optatum recuperat maritum: castissimam hic vxorem: cariss. illi patrem. Est certè hæc Clementis perdocta disputatio, de mali causis & remediis: digna me hercule, quam accuratè legant omnes. mirum, quam fidem ille rollámque dei vir[illegible] sententiam pulchrè philosophicis & naturæ rationibus confirmet. Petrus denique sanat dæmoniacam.

RECOGNITIONVM Diui Clementis ad Iacobum Fratrem Domini, Liber nonus, Rufino Torano Aquileiense Interprete.

SEQVENTI die Petrus vnà nobiscum maturè ad locum, in quo pridie habita fuerat disputatio, properauit: atque ibi, cùm plurimas iam ad audiendum conuenisse turbas, & Senem cum eis videret: ait ad eum: Hesterno die, ô Senex, cum Clemente placuerat, vt hodie sermo fieret: &, aut tu ostenderes, nihil extra Genesim fieri: aut Clemens doceret, Genesim non esse. Ad hæc Senex respondit: Et quid placuerit, memini: & tua verba teneo: quæ potest pactiones loquutus es, quibus docuisti, impossibile esse homini scire aliquid, nisi à vero Propheta didicerit. Et Petrus: Nescis, inquit, quomodo dixerim: sed nunc te ego commonebo: de voluntate dixi, & consilio Dei, quam habuit, priusquam mundus esset: &, quo consilio fecerit mundum: tempora statuerit: legem dederit: iustis, bonorum remunerationem, futurum seculum promiserit: iniustis, pœnas ex iudicij sententia statuerit: hoc ego dixi consilium, & hanc voluntatem Dei, ab hominibus inueniri non posse: quia nemo hominum potest sensum Dei coniecturis & æstimatione colligere, nisi Propheta ab eo missus enunciet. Non ergo de quibuscunque disciplinis, aut studiis dixit quod inueniri sine Propheta, aut sciri non possint: quippe qui sciam & artificia, & disciplinas sciri & exerceri ab hominibus, quas non à verò Propheta sed à magistris hominibus didicerint. Quoniam ergo te professus es gnarum esse positionis siderum, & stellarum cursus: ex quibus conuincetes Clementem, quòd Genesi omnia subiaceant, aut ab ipso disceres, quod per Prouidentiam regantur vniuersa, & sit etiam aliquid in nobis: hoc expedire vos conuenit. Ad hæc Senex respondit: Iam quidem necessarium non erat, huiusmodi mouere quæstiones: si possibile esset nobis à vero Propheta discere, & audire, definitâ sententiâ; quod sit aliquid in nobis & in arbitrij positum libertate: valde enim me sermo tuus mouit hesternus, in quo de virtute prophetica disputasti: vnde & ego assentio, & confirmo sententiam tuam, quia nihil potest ab homine certum indubitatumque cognosci: cui & exiguum vitæ tempus est, & breue ac tenue spiramen, quo retineri videtur in vita. Veruntamen, quoniam priusquam de prophetica virtute aliquid audirem, pollicitus videor Clementi, vt ostenderem, quod omnia subiecta sint Genesi aut ab ipso discerem, quod sit aliquid & in nobis: præstet mihi ipse in hoc gratiam, vt primus incipiat: & quæ obiici possunt, proponat

Explicat Petrus, quomodo dixerit, sine propheta Iesu nihil certò sciri posse.

A

proponat & absoluat: ego enim, ex quo paucis à te audiui de virtute prophetiæ, magnitudinem præscientiæ considerans, obstupui fateor: nec omninò recipiendum quicquam censeo, quod coniecturis & æstimatione colligitur.

Clementis oratio, vnde natus sit error; tribuendi malorum causas astris, & vnde hæc in vita inæqualitas?

Et cùm hæc Senex dixisset, ego Clemens dicere ita cœpi: Deus per filium suum creauit mundum, tanquam duplicem domum: interiectu firmamenti huius, quod cœlum appellatur, distinctam: & in superiori quidem angelicas habitare virtutes: in isto autem visibili mundo, nasci hominum multitudinem dedit: ex quibus eligeret amicos filio suo, cum quibus lætaretur: &, qui ei tanquam sponso, dilecta sponsa pararentur.

Renouata est nostro tempore de Cælo disputatio, sit, ne aliquo certo loco, necne. Clara hic cernitur sententia: quæ est & Petri, libro primo. Putatum quidem fuit à quibusdam patribus olim, certo loco, non in cælis, ante diem nouissimum detineri beatas animas: sed ab Ecclesia damnata atque explosa est hæc sententia, 2. Cor. 5. Paulo clare dicente, consultius esse peregrè abesse à corpore, & apud Deum præsentes esse.

B

Verùm vsque ad nuptiarum tempus, quod est præsentia seculi venturi statuit virtutem quandam, quæ ex his, quæ in mundo nascuntur, eligat, & custodiat meliores: ac seruet filio suo, sequestratos in loco quodam mundi, qui extra peccatum est: in quo iam sunt aliquanti, qui ibi velut sponsa, vt dixi, decora, ad sponsi præsentiam præparantur. Nam mundi huius & præsentis temporis princeps, adultero similis est: qui mentes hominum corrumpit, ac violat: & à desiderio veri sponsi seducens, illicit ad aliena desideria. Sed dicit aliquis: Quid ergo necesse erat istum principem fieri, qui à vero principe mentes hominum declinaret? Quoniam Deus, qui, vt dixi, filio suo amicos voluit præparare: non eos tales esse voluit, qui necessitate naturæ, aliud quid esse non possent: sed, qui arbitrio suo & voluntate, boni esse desiderarent: quia nec laudabile est, quod non est desiderabile: nec bonum iudicatur, quod non proposito expetitur; nihil enim laudis est, id esse, à quo te mutari naturæ necessitas non sinat: Prouidentia ergo Dei, hominum multitudinem nasci in hoc mundo voluit: vt ex pluribus eligerentur, qui iustam diligerent vitam. Et quia præsentem mundum præuidit non aliter posse, nisi diuersitate & inæqualitate constare: secundum præsentium rerum diuersitates, vnicuique menti libertatem motuum dedit: & hunc principem posuit: quo ea quæ contraria videntur, agitante, electio meliorum, virtutis opere constaret. Sed vt planiùs fiat, quod dicimus, per singula exponemus. Nunquid omnes, verbi gratia, oportebat esse in hoc mundo Reges, aut Principes, aut Dominos, aut pædagogos, aut legisperitos, aut geometras, aut aurifices, aut pistores, aut fabros, aut grammaticos, aut diuites, aut agricolas, aut olitores, aut piscatores, aut pauperes? hæc certum est, quod omnes esse non potuerint. Omnia tamen hæc officia, & multò plura, præsens vita hominum requirit: & sine his transigi non potest: est ergo necessaria in hoc mundo inæqualitas. Non enim potest esse Rex, nisi habeat, quos regat, & quibus imperet: neque potest esse Dominus, nisi habeat, cui dominetur: & cætera, similiter. Sciens ergo conditor, à nullo sponte veniri ad agonem, dum refugitur labor: hoc est, ad exercendas artes istas, quas supra diximus, per quas vel iustitia vniuscuiusque, vel misericordia manifestari potest: corpus homini fecit, quod famem, & sitim, & frigus reciperet: vt reficiendi corporis causa compulsi homines, ad omnes quas suprà exposuimus, artes, victus necessitate descenderent. Cibi enim & potus atque indumenti gratia, singulas quasque artes expetere edocemur. Et hic iam vniuscuiusque mentis propositum declaratur, vtrum necessitatem famis & frigoris, per furta & homicidia, ac periuria sarciat, perque alia huiusmodi scelera: an iustitiam, misericordiam, continentiamque custodiens: artis studio & manuum labore, imminentis necessitatis expleat ministerium. Si enim cum iustitia & pietate, ac misericordia, necessitatem corporis transigat: velut propositi agonis victor, amicus filij Dei & electus abscedit. Si vero per fraudes, per iniquitates & scelera, concupiscentiis deseruit corporalibus, principibus mundi, atque omnium dæmonum amicus efficitur: à quibus etiam hoc edocetur, vt stellarum cursibus, malorum suorum adscribat errores: quod non nisi proposito ac voluntate delegit. Etenim artes cogente, vt diximus, cibi ac potus voluptate discuntur, & exercentur: quæ voluptas, cùm accesserit vnicuique veritatis agnitio, infirmior efficitur, succedente parsimonia: quantus enim sumptus est, aqua & pane vtentibus, & hunc à Deo sperantibus? Est ergo, vt diximus, necessaria quædam in dispensatione mundi inæqualitas: dum omnes quidem homines, non omnia possunt scire: vel implere artificia: vsu tamen & ministerio omnium pene omnes indigent: & ob hoc necesse est, alium operari, alium operanti præbere mercedem: alium seruire, alium dominari: alium regi, alium regere: sed hanc inæqualitatem, quæ mortalium vitam necessario subsequuta est, diuina prouidentia in occasionem iustitiæ misericordiæ, humanitatisque conuertit: vt, dum hæc inter homines aguntur, sit vnicuique causa iustè agendi cum eo, cui merces operis exoluenda est: & faciendi misericordiam cum eo, qui debilitate fortassis, aut penuria intercedente, debitum soluere non potest: sed & humanè agendi cum his, qui conditione videntur obnoxij: mansuetudinem quoque conseruandi erga subiectos: & omnia prorsus gerendi secundum legem Dei: dedit enim legem, iuuans per hoc humanas mentes: vt facilius erga vnumquodque, qualiter agi deberet, aduerterent qua via effugerent malum: & qua ad futura tenderent bona: &, vt in aqua regenerari per opera bona, ignem vetustæ natiuitatis extinguerent. Prima enim nostra natiuitas, per ignem concupiscentiæ descendit: & ideo dispensatione diuina, secunda hæc per aquam introducitur: quæ restinguat ignis naturam: vt, cœlesti spiritu anima illuminata, metum primæ natiuitatis abiiciat: si tamen ita de reliquo viuat, vt nullas omnino mundi huius voluptates requirat: sed sit tanquam peregrinus & aduena, atque alterius ciuitatis ciuis. Sed fortasse dicas, quia in his quidem, in quibus naturalis necessitas, exigit artium operumque ministerium, potest vnusquisque habere in potestate, seruare iustitiam, & modum, vel desideriis, vel actibus, quem velit imponere: quid de ægritudinibus dicemus, & infirmitatibus, quæ accidunt hominibus? &, quod dæmonibus nonnulli vrgentur, & febribus, & frigoribus: nonnulli etiam furore agũtur, & mente excidunt: & omnia illa, quæ innumeris casibus premunt mortalium genus? Ad hæc dicemus, si consideret quis totius ministerij rationem, hæc illis, quæ supra exposuimus, iustiora esse pronuntiabit: Deus enim hominibus naturam dedit, per quam & doceri possint de bono, & obsistere malo: id est, vt & artes possint discere: & obsistere voluptatibus: ac præferre in omnibus legem Dei: & ob hoc virtutes quasdam contrarias, oberrare mundum hunc, & obluctari nobiscum permisit: propter causas, quæ iam superiùs dictæ sunt: vt ex earum certamine, oriatur iustis palma victoriæ, & meritum premiorum. Ex istis ergo accidit interdum: vt, si qui incontinenter egerint, & non tam obsistere, quàm cedere atque in semetipsis dare eis volueriot locum: noxia earum adipitatione generetur intemperata, & vitiosa progenies. Dum enim totum libidini indulgetur, & obseruatio nulla coëundi est: illorum sine dubio dæmonum, quibus hæc perurgentibus fiunt: vitia & fragilitates suscipit importuna generatio. Et ideo pro huiusmodi vitiis natorum, obnoxij erunt parentes, qui legem seruare concubitus noluerunt: licet sint & aliæ causæ secretiores, quibus his malis obnoxiæ efficiuntur animæ: quas nunc proferre temporis non est. Tamen oportet vnumquenque agnoscere legem Dei, vt ex ea generandi obseruantiam sumat: & immundicitiæ causas declinet: vt possit mundum esse, quod gignitur. Neque enim fas est, vt in plantandis quidem virgultis, vel in seminandis frugibus,

oportunum

Margin notes:

C

D

Πενία τέχνας γείρει.
Inopia seu paupertas necessitas ar-

E

tes. Gratum est dictum.

Parsimonia, Christianis magnum vectigal est.

F

Dua natiuitates hominũ. Baptismus quid, & cur institutus?

G

1. Petr. 2.
Hebr. 13

Mundus nobis pro hospitio est, non domo. Natura hominum capax boni. Lex Dei non impossibilis.

H

Hæreditaria illa liberis multa vitia corporis à parentibus.

A

oportunum tempus quæratur: terra purgetur: atque omnia, quæ conuenit, præparetur: ne fortè semen iactum lædatur & pereat: & in solo homine, qui est super hæc omnia, serendi obseruatio nulla habeatur, nulla cautela.

Neque enim fas est.) Geometrica hic doctus Clemens, disputans scilicet cum Mathematico, phrasi vsus videtur: quam Rufinus vertit paulò obscurius. Sententia est. Cum in plantandis virgultis, seminandisque frugibus oportunum tempus quæratur, &c. non est consentaneum, solum hominem cæteris rebus præstantiorem nullam habere debere sui cultus & fatimus obseruationem. Doctum est argumentum, doctè propositum. Estque ea forma ratiocinandi valde familiaris scriptoribus Græcis, in primis Mathematicis: neque inusitata Ciceroni: cuiusmodi est in oratione pro Milone: &, libro de Diuinatione.

Sed quid? quod nonnulli, inquit, cùm in prima ætate absque vitio fuerint corporali: processu temporis incurrunt hæc mala, ita, vt aliquanti etiam violenter præcipitentur in mortem? Etiam de his vicina, & penè eadem ratio est: illæ enim, quas diximus, contrarias humano generi potestates, ad vniuscuiusque cor, per multas

B

diuersas concupiscentias inuitantur quodammodo: & ingrediendi accipiunt locum? estque hæc in illis vis & potestas, quæ hortetur & inciter tantùm: non, quæ cogat, & perficiat. Si ergo quis adquiescat eis, vt etiam agat ea, quæ malè desiderat, consensus sui & actus, mercedem perditionis & pessimæ mortis inueniet. Si verò futurum iudicium cogitans, metu ipso fuerit repressus: & reuocauerit se, ne actu impleat, quod mala cogitatione concepit, effugiet non solùm perniciem præsentem: sed & futura supplicia.

Elegans simile, quo baptismi necessitatem, efficaciam, modumque palerè explicat. Nam sciendum est, hunc locum de baptismati tinctione: non autem Ebionitica illa quotidiana ablutione, rectè intelligi debere.

C

Causa peccati similis est stupæ oblitæ pice.

Omnis enim causa peccati; similis videtur esse stupæ pice oblitæ: quæ, vbi calorem ignis acceperit, statim inflammatur: huius verò ignis incendium opera esse dæmonum intelligamus. Si ergo inueniatur quis peccatis & concupiscentiis, tanquam pice, oblitus, ignis ei facillimè dominatur. Si verò non peccati pice, sed aquâ purificationis & regenerationis infusa sit stupa, ignis in ea dæmonum non valebit accendi. Sed dicet aliquis: Et quid faciemus iam nos, quos contigit peccatis, sicut pice oblitos esse? respondebo; nihil aliud, nisi vt festinetis ablui: quo expurgetur à vobis ignis materia, per inuocationem sancti nominis: & de reliquo futuri iudicij metu, concupiscentias refreneris: atque aduersarias potestates, cùm forte ad sensus vestros accesserint, tota obstinatione pellatis. Sed dicis: Si in amorem quis inciderit, quomodo se poterit continere, etiamsi ante oculos suos, ipsum ignis fluuium, quem pyriphlegetonta nominant, videat? Hæc excusatio est eorum, qui conuerti

D

ad pœnitentiam nolunt. Denique nunc nolo pyriphlegetonta adducas in medium hominum tibi propone pœnas: & vide, quantum valeat metus: potestne quisquam, cùm pro amoris crimine ad supplicium ducitur, & ad stipem colligatur vrendus: in illo tempore eius, quam amauit, vel desiderium capere, vel speciem ante oculos proponere? Nequaquam, inquies. Vides ergo, quia præsens metus resecat iniqua desideria. Quod si credentes Deo, & futurum iudicium, pœnamque ignis æterni confitentes, non se continent à peccato: certum est, quòd non plena fide credunt: si enim certa sit fides, certus sit & timor: si verò minus aliquid est in fide, relaxatur & metus: & tunc locum inueniunt introeundi contrariæ potestates: quarum persuasionibus cùm acquieuerint, necesse est, vt & potestati earum obnoxij fiant: & ipsis persuadentibus agantur ad præcipitia peccati. Igitur Astrologi ignorantes huiusmodi mysteria, putant stellarum cursibus ista contingere: vnde & his, qui accedunt ad eos, vt de futuris aliquid consulant, respondentes, falluntur in plurimis: nec mirum: non enim sunt Prophetæ, sed vsu multi temporis auctores eorum perfugium quoddam, in his, quibus decipiebantur, inueniunt: &

Metus fidei continuus.

E

Climacterici anni Astrologorum.

climactêras quosdam introducunt, vt de rebus incertis scientiam fingant. Climactêras enim dicunt, quasi periculi tempus: in quo interdum perimatur quis, interdum non perimatur: ignorantes, quod non stellarum cursus hæc, sed dæmonum gerit operatio: qui ad astrologiæ errorem confirmandum, deseruientes, calculis mathesis decipiunt homines ad peccandum: vt cùm vel Deo permittente, vel legibus exigentibus, peccati dederint pœnas: verum dixisse videatur astrologus: & tamen falluntur etiam in hoc: si enim cito conuersi fuerint ad pœnitentiam, & futuræ pœnæ recordationem conceperint ac metum, conuersis ad Deum per gratiam baptismi, * resoluitur pœna mortis.

** Vide, de quánam ablutione dixerat.*

Climacteras quosdam.) Climacter, Græcè, ὁ κλιμακτήρ, gradus est, seu scala. Idem hic significat, quod τὸ ἔτος κλιμακτηρικόν, id est, annus scansilis, vt Plinius vertit libro 7. Nat. hist. cap. 49. vel gradarius, vel scansorius: ille videlicet, vbi vel ex septenario, in septenarium: vel ex nouenario, in nouenarium ascendimus; ex quo Climacter ille, vel septenarius: vel nouenarius, apud scriptores vocatur. Obseruatum autem est à priscis, insignes naturarum atque temperamentorum conuersiones in hos annos incidere: ideoque plurimum fuit eis tributum semper. Vide in suprà dictum Plinij locum, Hermolaum Barbarum, Gellium quoque, libro noctium 3. cap. 10. & lib. 15. cap. 7. de his consule; qui ex M. Varone eum citat locum, ad quem & Clementem respexisse verisimile est; eodem propemodo ibidem legitur. Pericula quoque vita fortunarumque omnium, quæ Climacteras Chaldæi appellant, grauissima quæque fieri affirmat. De his & Marcrobius 1. libro Somnij. Censorinus, de die Natali. Rectè eam futilitatem Clemens tenuit, etiam ab ipsis ethnicis irrisam. Artis inconstantiam declarat, quam incerta res sit: inquit Plinius.

F

Sed dicet quis: Multi & homicidium, & adulterium, & alia scelera commiserunt, & nihil mali passi sunt. Hoc

G

quidem rarò accidit hominibus: tamen nescientibus consilium Dei, frequenter videtur accidere: Deus autem, qui nouit vniuersa, scit quomodo, & quare peccet, qui peccat: & quæ vnumquenque causa ducat ad peccatum. Hoc tamen generaliter agnoscendum est: quòd si qui non ita mente, vt actibus, mali, proposito incitatò ad peccandum deuoluuntur: his velocior & magis in præsenti vita redditur pœna; vbique enim & semper Deus, prout competere, iudicat, vnicuique pro actibus suis reddit. Eorum verò, qui proposito exercent malitiam, ita, vt interdum etiam in eos sæuiant, à quibus bona consequuti sunt: & nullam recordationem capiunt ad pœnitentiam, differt pœnas in futurum: non enim merentur isti, sicut illi de quibus suprà diximus, in præsenti vita scelerum suorum finire vindictam: sed permittitur eis præsens tempus implere, vt volunt: quia emendatio eorum non est iam talis, quæ temporalibus indigeat castigationibus: sed, quæ æterni ignis in inferno

H

exigat pœnas, quorum animæ ibi pœnitentiam quærent, vbi inuenire non poterunt. Quod si in hac vita positi, illas, quas ibi patientur pœnas, ante oculos posuissent: refrenassent vtique desideria, & nullo pacto decidissent in peccatum. Multùm enim potest sensus in anima, ad rescecandas omnes eius cupiditates: maximè, cum cœlestium scientiam cœperit: per quam, lumine veritatis accepto, ab omni obscuritate malorum actuum declinauit. Sicut enim Sol omnes stellas splendore sui fulgoris obtundit, & contegit: ita & mens per scientiæ lucem, omnes concupiscentias animæ inefficaces reddit & ociosas: futuri iudicij memoriam super eas tanquam radios suos emittens, ita vt ne apparere quidem vltrà in anima queant. Quòd autem timor Dei multùm valeat ad deprimendas concupiscentias, cape humani timoris exemplum: Quotusquisque est, qui non inter homines cócupiscat aliena, & tamen metu pœnæ, quæ legibus statuta est, refrenatur, & continentiùs agit? Regi propter metum gentes subiacent: & armatus paret exercitus. Serui cùm sint validiores Dominis suis, propter metum tamen imperia perferût Dominorû. Bestiæ ipsæ feræ metu mitescût

Cognitio veritatis, vt Sol, mentem illuminat.

Quanta sit vis timoris Dei pio, contra cupiditates.

A

Tauri validissimi, iugo colla submittunt: & immanes elephanti magistris obtemperant, per timorem. Sed cur humanis vtamur exemplis, cùm etiam diuina non desint? nónne terra ipsa sub præcepti metu permanet, quod etiam motu suo & tremore testatur? Mare, statutum terminum seruat. Angeli, pacem custodiunt: stellæ, ordinem tenent: & fluuij, meatus: dæmones quoque certum est timore in fugam verti. Et ne per singula sermonem longiùs producamus, intuere, quomodo vnumquemque timor Dei continens, cuncta in harmonià proprià, & ordinis sui compage custodiat. Quantò magis ergo, certi esse debetis, quia & dæmonum concupiscentiæ, quæ in cordibus vestris oriuntur, admonitione timoris Dei extingui possint, & penitùs aboleri? cùm etiam ipsi incentores concupiscentiæ, metu sibi dominante diffugiant. Hæc ita se habere sciens, si quid tibi respondendum videtur, incipe. Tum Senex: Sapienter, inquit, filius meus Clemens aptauit prosequutionem suam: ita vt nihil nobis ad hæc dicendum reliquerit: verùm omnis eius sermo, quem de natura hominis disseruit, hanc habet continentiam: quod cum eo, quod inest libertas arbitrij, sit extrinsecus & aliqua causa mali: ex qua per diuersas concupiscentias incitantur quidem homines, non tamen coguntur ad peccatum; pro eo, inquit, quòd multò his validior est timor, qui obsistat, & impetus desideriorum refrenet: vt cùm naturales motus deciderint, effugatis, his, qui eos incitant & inflammant dæmonibus, peccatum non possit admitti. Sed me hæc non adducunt ad fidem: conscius enim mihi sum quorundam, ex quibus bene noui, quod compaginatione stellarum, homines aut homicidæ, aut adulteri fiant, cæteraque perpetrent mala. Similiter autem & honestæ ac pudicæ fœminæ, vt bene agant, inde coguntur 1. Denique cum Mars centrum tenens, in domo sua ex tetragono respexerit Saturnum, cum Mercurio ad centrum: Luna veniente super eum plena, in Genesi diurna, efficit homicidas, & gladio casuros: sanguinarios: ebriosos: libidinosos: dæmoniosos: secretorum perscrutatores: maleficos: sacrilegos: & si qua sunt his similia: præcipuè, cùm bonarum stellarum nulla respexerit. Sed & ipse rursus Mars ad Venerem schema tetragonum habens, ex parte ad centrum non respiciente aliquo bonorum: adulteros efficit: & sorores, & filias, & matres in coniugium adducit. Venus cum Luna in finibus & domibus Saturni cum Saturno si fuerit adtestante Marte, efficit mulieres viragines: ad agriculturam, ad structuram, & ad omne opus virile promptas misceri quibuscumque voluerint: & non argui à viris pro adulterio: nulla vti mollitie: non vnguentis, non vestibus, non calceamentis muliebribus, sed virorum sorte agentes: viros autem esse vt fœminas: nec quicquam virile gerere. Cacodæmon Venus cum Marte si sit in ariete, efficit è contrario mulieres, sit in Capræcornu aut Aquario. Cumque multa de his Senex prosequutus esset: & vnumquodque schema mathesis, stellarum quoque positiones enumerâsset: volens per hæc ostendere, quod timor non sufficiat refrenare concupiscentias: ego rursus respondi: Verè patet doctissimè & eruditissimè prosequutus es: & ipsa me ratio inuitat, aliquid ad ea, quæ à te disserta sunt, respondere: quoniam quidem scientia mihi mathesis nota est: & libenter cum erudito viro habeo sermonem.

B — Senex docet constellationibus cogi ad peccata homines.

De his aspectibus stellarum. C — lege 1. Firmici, lib. 3.

D

Cum Responsio, qua Senis confutat sententiam: docens, astra neminem cogere ad peccatum. Totus locus hic est sententia. Cùm tanta sit diuersitas populorum & nationum in moribus atque ingeniis: quos tamen & vno cælo frui, & frequenter vna siderum constitutione nasci constat: quomodo fieri potest, vt Genesis dominetur humanæ vitæ? Eodem modo ratiocinatur & Plinius libro 7. cap. 49. Phauorinus apud Gellium, libro 14. noct. cap. 1. Et eruditè Augustinus noster, libro 5. de ciuitate Dei, cap. 1. 2. 3. Nusquam tamen plenior est confutatio aut exactior, atque hic Clementis, ex qua videas, quantus ille in philosophia fuerit.

Accipe ergo ad ea, quæ dixisti, vt euidenter agnoscas Genesim ea stellis omninò non esse: & quod possibile sit obsisti aduersum impugnationem dæmonum ab his qui confugiunt ad Deum: ac, sicut prædixi, non solùm per timorem Dei, naturales cohiberi concupiscentias posse: sed & per timorem hominum: sicut iam nunc edocebimus. Leges sunt in vnaquaque regione vel regno ab hominibus positæ, siue scriptura, siue etiam vsu durantes: quas nemo facilè transgreditur. Denique primi Seres, qui initio orbis terræ habitant, neque adulterium, neque scortum nosse, neque furtum committere: neque idola venerari: & in illa omni regione, quæ est maxima, neque templum inuenitur: neque simulacrum: neque meretrix: neque adultera: neque fur ad iudicium deducitur: sed neque occisus ibi homo fertur aliquando: & tamen nullius libertas arbitrij secundum vos a stella Martis ignita, vt ferro vteretur ad hominis necem, nec Venus cùm Marte posita, alienum matrimonium compulit vitiari: cùm vtique apud eos, per singulos dies Mars medium cœli circulum teneat. Sed est apud Seres legum metus vehementior: quàm Genesis constellatio.

E — Mirum est cur quæ hic habentur vsque ad paginam sequentẽ desumpta sunt ex libro cuiusdam Bardesanis baronitæ, qui citatur ijsdẽ verbis ab F Eusebio Cæsariẽsi libro sexto de præparatione Euangelica: confer vtrãque loca.

2. Bactra, & Bragmania, populi interiora Orientis habitantes: illi vltra mare Caspium, ad Oxum amnem, hi ad Imaum. Mela, lib. 1. c. 6. Plinius 6. libro cap. 16. 17. Solinus in Polyhistore, cap. 62.

Sunt similiter & apud Bactros in regionibus Indorum immensæ multitudines Bragmanarum, qui & ipsi ex traditione maiorum, moribus, legibusque concordibus, neque homicidium neque adulterium committunt: neque simulacra colunt: neque animantia edere in vsu habent: nunquam inebriantur: nunquam malitiosè aliquid gerunt: sed Deum semper timent; & quidem cùm cæteri Indorum & homicidia, & adulteria committant: & simulacra colant: & inebrientur: atque alia huiusmodi flagitia exerceant. Sed in ipsius Indiæ nihilominus occiduis partibus regio quædam est, vbi hospites, cùm inciderint, capti immolantur & comeduntur: & neque bonæ stellæ vetuerunt eos ab huiusmodi flagitiis, & ab execrandis cibis: neque malignæ stellæ compulerunt Bragmanas, vt aliquid agerent mali. Et rursus mos apud Persas, matres accipere in coniugium, & sorores & filias: & sub illo omni axe incesta Persæ ineunt matrimonia.

1. De his populis suprà 8. Rec. qui sint, dictum. Septbo-tauros eos esse, ex libro 4. c. 12. & & sexto G Plinij, c. 17. apparet. Persæ.

3. De incesto horum filiorum cum matribus concubitu, vide Philonem, libro, de Specialibus legibus. Minucium F. in Octauio. Duplex apud Plinium, libro 6. cap. 28. & 29. Magusum, & Magusa.

Ac ne forte liceat his, qui mathesim sequuntur, vti illo perfugio, quo dicunt, certas quasdam esse plagas cœli, quibus propria quædam habere conceditur: ex ipsa Persarum gente aliquanti ad peregrina profecti sunt, qui Magusæi appellantur, ex quibus vsque in hodiernum sunt alij, in Media: alij, in Parthia: sed & in Ægypto nonnulli: plures autem in Galatia: & Phrygia: qui omnes incestæ huius traditionis formam indeclinabilem seruant: ac posteris custodiendam transmittunt: etiam cùm plagam cœli mutauerint: nec tamen eos Venus cum Luna in finibus & domibus Saturni, cum Saturno, adtestante etiam Marte, compulit habere inter cæteros Genesim.

Magusæi.

H

4. Gelonum gens talis, qualis est apud Soli. cap. 65. Pandea, Populus Mæoticus ad Tanaim, vrbem ligneam habitantes, prope γυναικοκρατούμενοι. Mela lib. 1. cap. 21. Plinius lib. 4. cap. 12. Solinus, cap. 29. Potest hoc loco legi Gelas, quorum fit apud Plinium mentio, lib. 6. cap. 16. populi vltra Hyrcanum mare: Græcis, [illegible]

Apud Gelonos quoque mos est, vt mulieres agricolentur: ædificent: & omne opus virile perficiant: sed & misceri, quibus volunt, licet: nec incusantur à viris, aut adulteræ appellantur: passim enim concubitus miscent: & præcipuè cum hospitibus: vnguenta nesciunt: non induuntur veste fucatâ, non calceis: è contra, viri Gelonum ornantur: pectuntur: indumentis mollibus & variis induuntur: auro compositi: vnguentisque delibuti: & hæc non pro dissolutione virium: (sunt enim bellicosissimi, & venatores acerrimi:) nec tamen vniuersæ Gelonum mulieres, in Capræcornu aut Aquario cacodæmonem Venerem nascentes habuere: neque viri eorum

in

A

in ariete cum Marte Venerem positam: per quod schêma, effeminatos & dissolutos nasci, asserit viros, Chaldaica disciplina. Porrò verò in Susis, mulieres vnguentis, & quidem optimis vtuntur ornamentis: compræ ex lapidibus preciosis: ministeriis quoque ancillarum fultæ procedunt: multò maiore ambitione, quàm viri: nec tamen pudicitiam colunt: sed indifferens eis cum quibuscunque voluerint, vsus est: & seruis & hospitibus: tali licentiâ, à viris permissâ: & non solùm non culpantur pro hoc, sed & dominantur in viros. Nec tamen omnium Genesis mulierum Susidarum in medietate cœli, cum Ioue & Marte Venerem in Iouis domibus habent. In vlterioribus orientis partibus, si puer muliebri se substernat iniuriæ, cùm agnitum fuerit, à fratribus, aut parentibus, vel quibuslibet proximis, interficitur, nec sepultura donatur. Et rursus apud Gallos lex prisca constituit, nuptum tradi publicè pueros: nec opprobrium ex hoc aliquod duci: & nunquid possibile est, vt omnes, qui tam turpiter succumbunt apud Gallos, Luciferum cum Mercurio in domibus Saturni & finibus Martis habuerint? In Britanniæ partibus, plures viri vnam habent vxorem: in Parthia multæ mulieres vnum habent virum: & vtraque orbis pars, moribus suis atque institutis obsequitur. Amazones omnes non habent viros: sed sicut animalia, semel in anno circa vernale æquinoctium, proprios egressæ terminos, finitimæ gentis viris miscentur: solennitatem quandam per hoc obseruantes: ex quibus, cùm conceperint, redeunt: & si marem pepererint, abiiciunt: fœminas nutriunt. Cúmque vnius temporis sit omnium partus, absurdum est, vt in maribus quidem, putetur Mars cùm Saturno in tempore æquis esse portionibus: in fœminarum verò Genesi, nunquam. Sed neque Mercurium cum Venere habuisse in domibus propriis positum, vt vel pictores sibi, vel sculptores, vel trapezitas efficiat: aut in domibus Veneris, vt vnguentarios, vel vocales, vel poëtas producat. Apud Saracenos, & superiores Libes, & Mauros, & circa ora maris Oceani habitantes, sed & in extremis Germaniæ partibus, & apud Sarmatas, & Scythas, atque omnes, quæ sub axe Septentrionis iacent, Pontici littoris gentes, in Chryse insula, nunquam inuenitur trapezita: nec sculptor: aut pictor: aut architectus: aut geometra: aut tragœdus: aut poëta: Ergo deficit apud eos Mercurij, Venerisque constellatio. Ex omni orbe terrarum, Medi tantummodo summâ obseruantiâ, adhuc spirantes homines, canibus deuorandos abiiciunt: & non ob hoc Martem cum Luna, per diurnam Genesim in Cancro positos, habent. Indi mortuos suos incendunt: cum quibus, & vxores defunctorum, sponte se offerentes, exuruntur. Sed non ideo omnes, quæ viuæ incenduntur, Indorum mulieres, in nocturna Genesi sub terra habent Solem cum Marte in partibus Martis. Germanorum plurimi laqueo vitam finiunt, nec idcirco omnes Lunam cum hora, Saturno & Marte circumcinctas habent: sed non in omni gente, & in omni die per omnem diuersitatem Genesis nascuntur homines. Ex quibus omnibus apparet, quod metus legum in vnaquaque regione dominetur: & arbitrij libertas, quæ est hominibus insita per spiritum, obtemperet legibus: nec cogere potest Genesis aut Seres, homicidium committere: aut Brachmanas, carnibus vesci: aut Persas, incesta vitare: vel Indos, non exuri: aut Medos, non à canibus deuorari: Parthos, non habere plures vxores: aut mulieres Mesopotamiæ, non seruare pudicitiam: Græcos, non exerceri palæstris: Gallorum pueros, non pati muliebria: vel gentes barbaras, Græcorum studiis institui: sed, vt diximus, vnaquæque gens suis legibus vtitur pro libertatis arbitrio: & decreta Genesis legum seueritate depellit. Sed dicet aliquis eorum, qui in disciplina mathesis eruditi sunt, Genesim in septem partes dirimi: quæ illi climata appellant: dominari verò vnicuique climati, vnam ex septem stellis: & istas, quas exposuimus, diuersas leges, non ab hominibus positas: sed ab istis principibus, secundum vniuscuiusque voluntatem: & hoc, quod stellæ visum est, legem ab hominibus obseruatam.

5. Susidæ mulieres, de his Plinius lib. 6. c. 27.
6. Galli.
B
7. Britanni multi vnâ vxore habẽt.
8. Amazones. De his vide Iustinũ li. 2. historia mundi.
9. Mauri. Germani Sarmatæ. Chryse, extra ostiũ Indi sita est, ad Tamum. Mela, l. 3. c. 7. Plinius,
C
l. 6. c. 21.
10. Canes Medis sũt pro sepultura.
11. Indi exuruntur mortuus. Vide Melam, l. 3. c. 7.
12. Germanorũ priscus obitus.
Alia ἀπάντησις. Septem climata.
D

Ad hæc ergo respondebimus, quòd primò quidem non est in septem partes orbis terræ diuisus: tum deinde, & si ita esset, in vna parte & in regione inuenimus multas differentias legum: & ideo neque septem sunt secundum numerum stellarum: neque duodecim secundum numerum signorum, neque XXX. & VI. secundum numerum decanorum, sed sunt innumeræ. Meminisse autem debemus eorum, quæ suprà enumerata sunt, quod in vna Indiæ regione sint, & qui hominum carnibus vescantur * & sint, qui etiam à pecudibus vel auibus, omnibúsque animantibus abstineant: Et, quod Magusæi non solùm in Perside matres ac filias accipiant in matrimonium: sed & in omni gente, vbicunque habitauerint, malorum suorum incesta instituta custodiant. Tum præterea & innumeras gentes memorauimus, quæ penitùs studia nesciant literarum: sed & aliquot sapientes viri, ipsas leges in nonnullis commutauerint locis: aliæ verò etiam sponte pro sui vel impossibilitate, vel inhonestate derelictæ sint: certè, quod in promptu est noscere, quot Imperatores gentium quas vicerant, leges & instituta mutarint, & suis eas legibus subiecerint: quod euidenter à Romanis factum docetur, qui omnem penè orbem, omnésque nationes propriis primò & variis legibus institutisque viuentes, in Romanorum ius & ciuilia scita verterunt. Superest ergo, vt & stellæ gentium, quæ à Romanis victæ sunt, climata sua partésque perdiderint. Addam adhuc rem, quæ possit etiam valde incredulis satisfacere. Iudæi omnes, qui sub lege Moysi viuunt, filios suos octaua die absque vlla dilatione circuncidunt: & infantis teneri sanguinem fundunt: à sæculo autem nullus ex gentibus hoc die octaua perpessus est: & è contra, Iudæorum nullus omisit. Quomodo ergo in hoc ratio Genesis stabit, cùm per cunctas orbis terræ partes, omnes Iudæi admixti gentibus viuant? & octauâ ferrum perferant die, vnius in membri loco? & nemo gentilium, sed ipsi soli, vt dixi, hoc faciant? non stellâ cogente, nec perfusione sanguinis perurgente, sed lege religionis adducti: & in quocunque orbis loco fuerint, hoc est eis insigne vernaculum. Sed & quòd vnum nomen omnibus inest, vbicunque fuerint: nunquid & hoc per Genesim venit? &, quòd nunquam apud eos infans natus exponitur? &, quod septimo quoque die omnes vbicunque fuerint, ocium gerunt, nec iter incedunt, nec igni vtuntur? Quid est ergo, quod nullum Iudæorum in illa die cogit Genesis, aut iter agere: aut ædificare: aut vendere aliquid, aut emere? Quinimo & maiorem fidem rerum præsentium dabo: ecce enim ex aduentu iusti & veri Prophetæ, vixdum septem anni sunt, in quibus ex omnibus gentibus conuenientes homines ad Iudæam, & signis ac virtutibus quæ viderant, sed & doctrinæ maiestate permoti, vbi receperunt fidem eius, abeuntes ad regiones suas, illicitos quosque gentilium ritus, & incesta spreuêre coniugia.

Considera hoc loco, Lector, quoto anno hæc & acta sint, atque scripta, permultum id delectabit te, & germanos hos libros auctoris esse docebit.

Denique apud Parthos, sicut nobis Thomas, qui apud illos euangelium prædicat, scripsit: non multi iam erga plurima matrimonia diffunduntur: nec multi apud Medos, canibus obiiciunt mortuos suos: neque Persæ matrum coniugiis, aut filiarum incestis matrimoniis delectantur: nec mulieres Susides illicita ducunt adulteria, nec potuit ad crimina Genesis compellere, quos religionis doctrina prohibebat. Ecce ex hoc ipso coniice, & de quibus sumus locis, coniecturam cape: quomodo, fama tantùm perferente ad aures hominum, quod Propheta in Iudæa apparuit, qui signis & virtutibus doceret homines vnum colere Deum: omnes paratis intentisque animis expectabant, etiam ante aduentum Domini mei Petri, vt sibi aliquis, quæ docuisset ille, qui apparuit, nunciaret. Sed, ne multa enumerare videamur, dicam, quo debeant cuncta concludi, cùm Deus iustus sit, & ipse fecerit hominum Naturam: quomodo poterat fieri, vt ipse poneret Genesim contrariam nobis: quæ nos cogeret ad peccatum, & rursus vlcisceretur ipse peccantes?

E
** Bragmanas eos esse constat, ex Euseb. præ. euãg. l. 6. in quo ex Clemente ad verbum multa trãstulit, Scilicet,*
G
hoc absurdũ est, Ergo,
Vernaculũ insigne Iudaismi,
F
circũcisio Rom. 4. Sabbatũ Iudæorũ,
Thomas apud Parth. euangelio
H
Zanit. Testatur idẽ Sophronio, apud Hier. in Catal. Niceph. Call. l. 2. c. 40. hist. Eccles. Quare Deus puniat,

Vnde certum est, quod non aliam ob causam Deus siue in præsenti, siue in futuro sæculo peccatorem punit: nisi, quia scit eum potuisse vincere: sed neglexisse victoriam: infert enim & in præsenti sæculo vindictam in homines, sicut in eos fecit, qui diluuio perierunt, qui vtique omnes vna die, imò, vnâ horâ extincti sunt: cùm certum sit, non eos esse secundum Genesis ordinem, vna hora natos: absurdissimum est autem dicere, quod ex natura nobis accidat pati mala: si non priùs peccata præcesserint. Et ideò, si salutis curam gerimus, ante omnia scientiæ debemus operam dare: certi, quòd si mens nostra in ignorantia perseueret, non solùm Genesis mala, sed & alia extrinsecùs, quæcunque dæmonibus visa fuerint, perferemus: nisi metus legum & futuri iudicij obsistat omnibus desideriis: & impetum peccandi refrenet. Nam & humanus timor, multa bona, multa etiam mala agit: quæ Genesis nescit, sicut suprà ostendimus. Triplici igitur modo mens nostra erroribus subiacet: Ex his, quæ per malam consuetudinem veniunt: Vel ex his, quæ corpus naturaliter suggerit desideriis: Vel, ex his, quæ contrariæ potestates perurgent: Sed his singulis obsistere & repugnare habet in Natura sua mens: cùm ei obfulserit veritatis agnitio: per quam scientiam, timor futuri iudicij datur, qui sit idoneus animæ gubernator: & qui eam possit à concupiscentiarum præcipitiis reuocare. Quod ergo sint hæc in nostra potestate, sufficienter dictum est. Nunc & tu Senex, si quid habes, quod ad hæc respondeas, incipe. Plenissimè, ait, ostendisti fili: sed ego, sicut dixi ex initio, omni huic incomparabili assertioni tuæ, à propria conscientia prohibeor accommodare consensum. Noui enim & meam Genesim, & coniogis meæ: & scio ea, quæ vnicuique nostrum dictabat Genesis, accidisse: & ab his, quæ rebus & operibus comperta sunt mihi, nunc verbis transferri non possum. Denique quoniam te apprimè imbutum video in huiusmodi disciplinis, audi coniugis meæ thema: & inuenies schema, cuius exitus accidit: habuit enim Martem cum Venere super centrum: Lunam verò in occasum in domibus Martis, & finibus Saturni: quod schema adulteras facit: & seruos proprios amare: in peregrinatione, & in aquis defungi, quod & ita factum est. Incidit namque in amorem serui, & periculum simul atque opprobrium metuens fugit cum ipso, & peregrè profecta, vbi amori suo satisfecit, periit in mari. Et ego respondi: Vnde scis, quod peregrè seruo suo sociata sit, & in eius consortio posita, defuncta? Et Senex: Certissimè, inquit, scio reuera, non quod nupserit seruo: quippe, qui neque hoc quidem, quòd eum amaret, agnoueram: sed postquam profecta est, frater meus mihi enarrauit: dicens, quòd primò quidem ipsum adamasset: sed ille, qui erat honestus vtpote frater, noluit thorum fratris incesti maculâ polluere. Sed illa me verens, & opprobrium non ferens infœlix, (neque enim imputandum ei est, quod eam Genesis facere compulit) finxit somnium, & ait ad me: Adstitit mihi quidam per visum, qui iussit me cum duobus geminis meis, sine mora, ex vrbe proficisci. Hæc ergo cùm audissem, pro salute eius filiorùmque sollicitus, confestim ipsam & liberos exire feci: vnum, qui erat iunior, mihi retinui: hunc enim, qui responsa in somnis dederat permisisse dicebat. Tum ego Clemens, intelligens, quod ipse fortassis esset pater meus: lachrymis oppletus sum: fratres quoque meos, volentes prosilire, & aperire rem, prohibuit Petrus dicens: Quiescite, quoadusque mihi placuerit. Respondens ergo Petrus, ait ad Senem: Quod nomen erat iuniori filio tuo? At ille ait, Clemens. Et Petrus: Si tibi, inquit, hodie coniugem tuam, castissimam consignauero, cùm tribus filiis tuis: credis, quod possit pudica mens motus irrationabiles superare? &, quod omnia, quæ à nobis dicta sunt, vera sint? & Genesis nihil sit? Et Senex: Sicut impossibile est, inquit, te exhibere, quod promisisti: ita impossibile est extra Genesim fieri aliquid. Tum Petrus: Testes, inquit, habere volo omnes hos, qui præsentes sunt, me tibi hodie coniugem tuam, cum tribus vestris liberis viuentem pudicissimè traditurum: & iam nunc accipe fidem rerum, ex eo, quòd omnem causam multò diligentiùs scio, quàm tu: cunctáque tibi per ordinem, quæ gesta sunt, enarrabo: & vt tu cognoscas: & qui præsentes sunt, discant: Et cùm hæc dixisset, conuersus ad turbas, ita cœpit: Hic, quem videtis, ô viri, in hac veste pauperrima, Romanæ vrbis est ciuis, ex genere ipsius Cæsaris descendens, nomen ei Faustinianus: vxorem quoque nobilissimam, Mathidiam nomine, sortitus est, ex qua tres filios suscepit: quorum duo, gemini, vnus autem, qui erat iunior, cui nomen Clemens, hic est. Et cùm hoc dixisset, digito me ostendit; gemini autem filij eius, sunt isti, Niceta & Aquila: quorum alius, Faustinus vocabatur priùs: & alius Faustus. Simul autem, vt nomina nostra enunciauit Petrus: Senex, resolutis membris omnibus, quasi interceptus concidit: Nos autem filij irruentes super eum, complectebamur & osculabamur, verentes simul, ne spiritum reuocare non possit. Et cùm hæc fierent, populus quidem admiratione ipsâ obstupefactus est. Petrus autem surgere nos à complexibus patris, ne eum necaremus, iubet: & ipse, apprehensâ manu eius, quasi de somno quodam profundo eleuans eum, & paululum recreans: omnia, quæ gesta fuerant, secundum veritatem cœpit exponere: quomodo frater eius in amorem inciderit Mathidiæ: & illa, cùm esset pudicissima, illicitum fratris amorem viro indicare noluerit: ne vel bellum fratribus, vel opprobrium generi indiceret: sed sapienter somnium finxerit: quo ex vrbe iubetur excedere cum geminis filiis, iuniore apud patrem relicto: Vtque nauigantes naufragium vi tempestatis incurrerint: & ad insulam Antaradum nomine expulsi: Mathidia quidem supra saxum quoddam fluctu iactante proiecta sit: gemini verò liberi, rapti à piratis, & Cæsaream perducti, religiosæ cuidam fœminæ venundati sunt: quæ eos in filiorum loco habens, liberaliter edocuerit, & erudiri fecerit: eorúmque nomina piratæ immutauerint: & Nicetam, alium: alium, Aquilam vocitauerint. Vtque post hæc studiorum & consuetudinis causâ, Simoni adhæserint: atque ab eo, vbi magum & deceptorem viderunt, auersi accesserint ad Zachæum: &, vt post hæc sociati sint sibi. Sed & Clemens, quomodo ex vrbe agnoscendæ veritatis causâ profectus, per Barnabæ notitiam, Cæsaream venerit: sibique innotuerit & adhæserit: vtque ab eo sit de fide religionis edoctus. Sed & qualiter apud Antaradum mendicantem repererit & recognouerit matrem: vtque omnis insula in eius recognitione gauisa sit, & de pudicissimæ hospitæ contubernio, atque eius per semetipsum collata sanitate. & de liberalitate Clementis in eos, qui erga matrem benefici extiterant. Vtque post hæc Niceta & Aquila requirentes, quænam esset peregrina mulier, cùm audissent à Clemente omne negotium: se esse geminos eius filios, Faustinum exclamauerunt & Faustum: omnémque historiam, quæ eos egerit, patefecerunt: vtque posthæc matri cautius, * ne subito gaudio interciperetur: ipso insinuante, oblati sint Petro. Sed cùm hæc in auditu Senis, narratione gratissimâ turbis exponeret Petrus ita vt audientes, gestorum miraculis, & humanitatis miseratione lachrymarent: nescio vnde audiens mater de recognitione patris, cursu concito, irruit in medium nostri, cum clamore, dicens. Vbi est meus vir, meus Dominus Faustinianus, qui tam multis temporibus affligitur? ambulans per vrbes singulas, & me quærens? Hæc cùm illa quasi amens clamaret, & circumspiceret: Senex accurrens cum multis lachrymis, amplecti & constringere eam cœpit: Et cùm hæc gererentur, Petrus rogauit turbas, vt discederent: dicens, inuerecundum esse, vltrà persistere: sed dandum eis locum, familiariùs inuicem se videndi: Crastino autem hoc, inquit, si qui vestrùm volunt, conueniant ad audiendum verbum. His à Petro dictis, secesserunt turbæ, & cùm vellemus nos quoque ire ad hospitium, Dominus domus ait ad nos: Turpe est & impium, tales ac tantos viros manere in stabulo: cùm ego omnem penè domum vacantem habeam: lectósque stratos quàm plurimos: &, quæ necessaria sunt, parata. Sed Petro contradicente, vxor patrisfamilias vna cum liberis suis pro-

strabat

Tres errorum fôtes sunt. 1. Mala consuetudo. 2. Cupiditatis. 3. Diabolica oppugnationes. Vide mirabilem vnitâ huius disputationis ex quo nullus nō cogitur agnoscere diuinam Prouidentiam.

Senex ille qui Faustinianus dicebatur, inuenitur pater Clementis.

Hæc narratio est quasi historia vita trium fratrum, compendiaria.

Vide supra l. 7.

**Multos repentino gaudio obiisse, refert Plin. l. 7. c. 53. & Gell. lib. noct. att. 3. c. 15. Quadam enim in matrimonio, licet velle parū tamen verecūdè, & decorè in publicum fiunt. Puella à dæmonio liberatur, ex Petri ingressu. Sic Deus patefacit &*

Illustrat fuit Apostolum.

strabat se ante eum, & exorabat, dicens: Obsecro te, mane apud nos. Sed ne sic quidem acquiescebat Petrus, donec filia eorum, qui rogabant, ab immundo spiritu temporibus multis vexata & catenis vincta, quæ fuerat intra conclaue clausa, effugato à se dæmone, & ostiis patefactis, cum catenis suis veniens, procidit ad pedes Petri, dicens: Rectum est, mi Domine, vt agas hodie hic salutaria mea: & non contristes neque me, neque parentes meos. Petro autem requirente catenarum sermonúmque eius causam: parentes præter spem læti effecti de filiæ sanitate, & velut stupore quodam attoniti: ipsi quidem dicere nequeunt: adstantes autem famuli, aiunt: Hæc à septimo ætatis anno dæmone occupata, omnes, qui accedere tentâssent ad eam, scindere, dilaniare morsibus, etiam disrumpere: & hoc per viginti annos vsque ad præsens facere nunquam destitit: nec ab aliquo potuit curari, sed ne accedere ad eam quisquam valebat: multos enim inutiles reddidit: alios & peremit: omnibus enim viris validior erat, sine dubio, viribus dæmonis nisa. Nunc autem, vt vides, ex præsentia tui dæmon quidem fugit: ostia verò, quæ summo cum munimento clausa fuerant, aperta sunt: & ipsa, sana stat ante te, rogans, vt diem salutarium suorum lætum & ipsi, & parentibus facias: & maneas apud eos. Hæc cùm ita vnus ex famulis enarrâsset: & ipsæ catenæ de manibus eius ac pedibus fuissent sponte resolutæ: Petrus certus, quod per ipsum sanitas hæc reddita esset puellæ: acquieuit manere apud eos. Sed & illos, qui remanserant in hospitio, vnà cum vxore sua transire iussit: & vnusquisque acceptis seorsum cubiculis mansimus: atque ex more, cibo sumpto, redditísque laudibus Deo, suis singuli requieuimus locis.

ARGVMENTVM X. RECOG Libri, per I. Gruterum Venradium.

AGITVR hoc decimo libro de conuertendo ad fidem Faustiniano Clementis patre, quoniam autem res est cum docto & in philosophicis versato viro: quo melius Christianæ religionis ipsi professio persuadeatur: superstitiosa ethnica vanitas ac fictitiorum deorum impietas eruditè à Clemente proponitur. Suos initio docet Apostolus, quonam modo cum Sene sit agendum, senex paulò post ingressus, modestè, qui se debeat gerere, rogat: acceptáque dicendi ac disputandi facultate, cum Clemente: an natura reipsa malum aliquid, differit: quod ipsum copiosè & doctè Clemen. docet, existere. Relabitur hoc ille ad Genesin: sed Clemens repetitâ superiore de eadem disputatione: monet, semel rectè conclusa, in dubium non debere reuocari: monstratâ Genethliacorum vanitate, verísque malorum & infortunatorum causis. Nunciatur interea Petro, frequentem populum audiendi gratia conuenisse, eo igitur admisso, Clemens porro, sic volente Petro originem & inanitatem commonstrat ethnicorum deorum. Deinceps Niceta intelligentiam fabularum allegoricam explicat, his autem dictis, hortari Petr. Faustinianum ad fidem in Christum, pœnitentiámque explicans Christiani hominis officia: sed ille, dum isthoc agitur, mirabiliter à Mago transformatur: restitutus tamen sua forma paulò postea à Petro: qui Laodiceà pergit Antiochiam: vbi & cathedram constituit: & Faustinianum baptizauit. Atque ita x. hisce libris, à sua ipsius ad fidem conuersione exorsus B. Clemens, ad mirificam vsque patris amissi recuperationem, conuersionémque ducta historia, iucundissimas certè, doctiss. & Ecclesiæ vtiliss. Petri Apostolorum coryphæi conciones, disputationes, profectiones, cæteràsque actiones eleganter nobis & doctè perscripsit. Porrò permultùm huic libro lucis accedet, si quem non piguerit, Athenagoræ Atheniensis docti philosophi Christiani, pro Christianis ἀπολογίαν, ad Antoninum & Comodum Impp. scriptam cum eo conferre, eos dum ego quidem inter se confero, pleráque omnia eadem dixisse, nec pauca à nostro Clemente dicta obscurius explicauisse videtur, quocirca non verebor lectori hortator esse, cum altero vt alterum conferat: adiuncto Minutij Fœlicis Octauio operæpretium erit, & vt fiat, sanè quæstionis postulat difficultas, quicquid enim in Argonauticis, Orpheus: quicquid in rapsodiis suis, Homerus: quicquid in Theogonia, Hesiodus: Diodorus Siculus, & Apollodorus Atheniensis in suis de diis bibliothecis: quicquid Ouid. in Metamorphosi: cæterique poëtæ & ethnici scriptores passim: quicquid etiam nostri, Athenagoras, Iustinus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Cyprianus, contra Demetrianum: quicquid Eusebius Pamphilus, in Euangelica præparatione: quicquid Arnobius, Lactantius, Ambrosius, Prudentiúsque contra Symmachum, denique Augustinus in libris de Ciuitate Dei habent: hoc totum propè Clemens breuiter & accuratè hic est complexus. ad ea autem omnia rectius intelligenda, plurimùm iuuauerit Lilius Gyraldus suis de Diis syntagmatis.

RECOGNITIONVM Diui Clementis ad Iacobum Fratrem Domini, Liber decimus, Rufino Torano Aquileiense interprete.

MANE autem exorto Sole, ego Clemens & Niceta atque Aquila vnà cum Petro, venimus ad locum, in quo pater simul cum matre requiescebat: & cùm adhuc eos dormientes repetissemus, pro foribus consedimus: vbi Petrus, talibus apud nos sermonibus vtitur: Audite me, dilectissimi conserui, Scio, quia grandem habeatis affectum erga patrem vestrum, vereor ergo, ne ante tempus eum perurgeatis iugum religionis suscipere, nondum ad id paratum: ad quod fortè pro vestri gratia videatur adquiescere: sed hoc non est firmum: quod enim propter homines fit, probabile non est: & citò dilabitur. Ideóque videtur mihi, vt concedatis ei anno vno viuere pro arbitrio, in quo potest, iter agens nobiscum, dum nos alios docemus, etiam ipse simpliciter audire: & audiens, siquidem agnoscendæ veritatis rectum propositum gerit, ipse rogabit, vt suscipiat religionis iugum: aut, si non placet ei recipere: permaneat amicus. Hi enim, qui non id ex corde suscipiunt, cùm ceperint ferre non posse, non solùm abiiciunt, quod susceperant: sed, quasi pro excusatione infirmitatis suæ, incipiunt viam religionis blasphemare, & malè loqui de his, quos nequaquam sequi aut imitari potuerunt. Ad hæc Niceta respondit: Non contradico, Domine mi Pet. rectis & bonis consiliis tuis: sed dicere aliquid volo, vt per hoc discam, quod nescio. Quid? si intra annum hunc, quo differri eum iubes, moriatur Pater noster? descendet in infernum vacuus, & cruciandus in æternum. Tum Petrus: Amplector, inquit, benignum erga patrem propositum tuum: & ignosco tibi de his, quæ ignoras. Quid enim censes, num, si quis putatur iustè vixisse, iste continuò saluabitur? Non putas eum discutiendum ab eo, qui occulta hominum nouit? quomodo iustè vixerit, num fortè, ritu gentilium, institutis eorum & legibus parens: vel pro amicitiis hominum, aut pro sola consuetudine, aut qualibet alia ex causa, vel necessitate, & non propter ipsam iustitiam, neque propter Deum? Qui enim propter solum Deum, & iustitiam eius iustè vixerint: ipsi ad æternam requiem venient & perpetuitatem regni cœlestis accipient. Salus enim non vi acquiritur, sed libertate: nec per hominum gratiam, sed per Dei fidem. Tum præterea cogitare debes, quod Deus præscius sit: & nouerit num hic suus sit, quod si nouit eum non esse, quid faciemus ad ea, quæ ex initio statuta sunt ab eo? In quo autem possum, consilium do cùm euigilauerit & sederimus nos, vos quasi aliquid discere volentes, proponite ex his duntaxat, quæ illi expedit discere: & dum nos loquimur inter nos, ille instruetur. Sed tamen primò quiescite, num fortè ipse videatur aliquid interrogare: quod si fecerit, aptior erit sermonis

Homines non sunt vrgëdi ad fidem.

ἀπροσωποληψία hic. Petrus palàm subindicat & asseuerat. Qui propter solum Dei iustè vixerint saluabuntur.

occasio: si verò ipse nihil quærit, nos ab alterutro sicut dixi, discere aliquid volentes, rogemus vicissim: mihi ita videtur, etiam vobis, quid placeat, dicite. Cúmque collaudassemus eius rectum consilium, ego Clemens aio: In omnibus rebus plurimâ ex parte ad initium respicit finis: similísque principiis rerum exitus datur: spero ergo etiam circa partem nostrum, quoniam per te Deus bona initia dedit, his congruum séque dignum largiatur & finem. Veruntamen etiam illud suggero, si vt dixisti, cœperimus præsente patre, quasi inter nos aliquid tractandi, vel discendi gratia loqui: tu, mi Domine Petre non debes eum locum agere, quasi, qui discere aliquid debeas: hoc enim si videat, fortasse magis offendetur: (certus est enim, te omnia scire diligenter, sicut & verè est: æquale ergo erit, si te videat ignorantiam simulantem? hoc eum, vt dixi, magis lædere poterit: nescientem consilium tuum.) Sed nos quidem fratres inter nos habentes, si in aliquo dubitemus, à te quæstioni nostræ finis congruus detur: nam & si te cunctantem videat aut dubitantem, tunc verè putabit, quòd apud nullum erit scientia veritatis. Et Petrus ad hæc respondit: Omittamus hæc, & siquidem dignum est, vt ingrediatur ianuam vitæ, Deus occasionem competentem dabit: eritque initium ex Deo, & non ex homine.

Aduertat theologi.

Noluerunt Apostoli in salutis fideique negocio, quippe, quod est donum Dei, tyrannidem affectare videri. Idcóque modestia sua & doctrina potius sunt vsi quam concessa sibi facultate: quam ad ædificationem sibi, non destructionem profitebantur datam. Sic & B. Chrysostomus lib. 2. περὶ ἱερωσύνης, cap. 4. non vult aliquem cogi inuitum ad pœnitentiam. Idem & in oratione ὑπὲρ τῶ [illegible] docet. Quod haudquaquam eò pertinere putandum est, vt ne magistratus possit pietatis catholicæ contemptores & contumaces coërcere atque punire: in qua sententia se aliquando fuisse testatur Augustinus, epistola 48. ad Vincentium: & 50. ad Bonifacium: denique 204. ad Donatum: a qua tamen postea facile discessit, motus aliorum sententiis atque etiam exemplis: sed omnem coactionem à fide assumendà tyrannidemque vult Petrus abesse: ne asscribi queat homini salutis initium.

Et ideo, sicut priùs dixi, permittite eum iter agentem nobiscum, audire nos aliquid disputantes: sed, quoniam festinantes vos vidi, idcirco dixi opportunitatem quærendam: quam cùm dederit Deus, vos quoque ad ea, quæ dixero, obtemperate mihi. Hæc nobis sermocinantibus, venit puer dicens: vigilare iam patrem: & cùm vellemus ingredi ad eum, ipse venit ad nos: & osculo nos salutans, cùm resedissemus, ait: Licet ne percunctari, si quid volet quis: an secundum Pythagoricos tacendum semper est?

De Pytagoreorum silentio vide Gellium, lib. noct. 1. cap. 9. Discipuli in disciplinam recepti ad certum tempus tacere iubebantur: prout dociles fore videbantur, ad minimum tamen, quemadmodum colligitur ex quodam Luciani dialogo, biennium: ad summum quinquennium. Quærit Faustinus num ita agatur in fidei doctrina?

Et Petrus. Nos nec silere semper, neque percunctari cogimus accedentes ad nos: sed relinquimus ipsorum libertati, facere vt volunt: scientes, quod, qui curam gerit salutis suæ, si in parte aliquâ sentit animæ suæ dolorem, tacere non patitur. Qui verò negligit salutem suam, si interrogare cogatur: nihil ex hoc vtilitati eius confertur: nisi hoc solùm, vt studiosus esse videatur, & diligens. Quamobrem tu, si quid discere vis, require. Et Senex ait: Est quidam sermo apud Græcorum Philosophos, vehemens valde, qui dicit, in vita hominum, re ipsa neque bonum esse aliquid, neque malum: sed, quæ videntur hominibus, vsu & consuetudine præsentis vitæ, hæc aut mala dicunt, aut bona. Nam neque homicidium reuera malum est, quia animam vinculis carnis absoluit: denique, aiunt, & iusti quique iudices, peccantes perimunt. Quod si homicidium scirent malum esse, non vtique id iusti homines facerent. Neque adulterium malum esse dicunt, si enim ignoret vir, aut non curet: nihil, aiunt, mali est. Sed neque furtum malum esse: quod enim deest alicui, aufert ab alio qui habet: quod quidem oportebat liberè sumi & publicè: sed quia occultè fit, in hoc magis illius, à quo clam aufertur, inhumanitas redarguitur. Communis enim vsus omnium quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit: sed per iniquitatem alius, hoc suum dicit esse: & alius, aliud: & sic inter mortales diuisio facta est. Denique Græcorum quidam sapientissimus hæc ita sciens esse, ait: Communia debere esse amicorum omnia: in omnibus autem sunt sine dubio & coniuges: & sicut non potest, inquit, diuidi aër, neque splendor Solis: ita nec reliqua, quæ communiter in hoc mundo data sunt, omnibus ad habendum diuidi debere, sed habenda esse communia. Hæc autem dicere volui, quoniam quidem cupio me inclinare ad bene agendum: & non possum bene agere, nisi priùs didicero, quid sit bonum: quod si intelligere potuero, ex ipso etiam, quid sit malum, hoc est, huic contrarium, aduertam. Verùm ad hæc quæ dixi, vnum è vobis respondere volo, non Petrum non enim dignum est, ab illo verba & doctrinam cum quæstionibus capere: sed ille, si quid pronunciauerit, hoc absque aliqua retractatione teneatur. Et ideo ipse nobis seruetur, quasi arbiter: vt, sicubi disputatio nostra exitum non inuenerit: ipse, quod sibi visum fuerit, pronuncians, indubitatum finem rebus dubiis imponat. Et nunc ego possem solâ eius sententià contentus credere, si quid ei videretur: quod & ad vltimum faciam; volo tamen priùs videre, num sit possibile, disputando inuenire, quod quæritur. Placet ergo, vt Clem. primus incipiat: & ostendat, an sit aliquid in substantia & actibus bonum vel malum. Ad hæc ego respondi. Quoniam quidem à me vis discere an ne sit aliquid Naturà, aut actu vel bonum vel malum: an potiùs vsu præuentis hominibus bona quædam, & alia videntur mala: pro eo quòd diuisionem inter se rerum fecêre communium: quæ deberent, vt ais, ita esse communes, vt aër & splendor Solis; puto quod non debeam tibi aliunde assertiones adhibere: nisi ex his disciplinis, quibus ipse vteris: & quas ipse confirmas: vt indubitata tibi sint, quæ dicuntur. Omnium elementorum & stellarum certos ponitis fines aliquásque stellas dicitis in quibusdam absque noxa coire, sicut in coniugiis: in aliis verò noxiè misceri, sicut in adulteriis. Et dicitis, quædam generalia esse omnium: quædam verò non omnium: neque generalia. Sed ne prolixa disputatio fiat, breuiter & de re dicam. Terra, quæ arida est, coniugio & admixtione indiget aquæ, vt possit generare fructus: sine quibus vita hominibus non est: est ergo hæc legitima coniunctio. E contrà, si aut pruinæ, frigus terræ misceatur, aut calor, aquis: huiusmodi coniunctio corruptelam facit: & hoc in talibus adulterium est. Et pater respondit. Sed sicut elementorum vel stellarum inconsonæ coniunctionis statim prodiiut noxa: ita deberet & adulterium statim ostendi, quàm malum sit. Et ego aio: hoc mihi primò confirma, an, vt etiam ipse confessus es, ex incongrua & inconsona admixtione efficiantur mala? & istud in consequentibus requiretur. Et pater ait: vt se habet rei Natura, ita ais fili. Tum ego respondi: quia ergo discere cupis de his, vide, quanta sint, quæ mala esse apud neminem dubitantur. Non tibi videtur malum esse febris? incendium? seditio? ruina? cædes? vincula? supplicia? dolores? luctus? & his similia? Et pater: verum est, inquit, fili hæc mala esse, & valde mala: aut certè qui negat hæc esse mala, patiatur ea. Et ego respondi: quia ergo cum eo mihi sermo est, qui in astrologica disciplina eruditus est, secundum ipsam tecum agam, vt de his quæ tibi in vsu sunt, accipiens rationem, citiùs acquiescas. Audi nunc ergo. Confessus es mala esse ea, quæ suprà diximus, id est, febres, incendia, & his similia: hæc secundum vos à malitiosis stellis fieri dicuntur: id est, ab humido Saturno, & calido Marte: horum verò contraria, à benignis fieri stellis, id est, à temperato Ioue & humida Venere, an non ita est? Et Pater respondit: Ita est fili, nec aliter fieri potest. Tum ego: quia ergo à bonis stellis, Ioue dico & Venere, bona fieri dicitis; videamus vnaquæque malarum stellarum

Hi erant, qui dicuntur Ἀκαδημαϊκοὶ, innominati: quorum præter alios Cic. sæpè meminit.

Amicorum omnia communia. Platonis vox est.

Petrus arbiter delegitur.

Propositio disputationis.

1. arg. esse veneram naturæ rerum mala.

Inter aquã & terrã coniugiũ est. Empedocleum est. Adulteria in elementis.

2. arg.

3. arg. Saturnus qui hic humidus dicitur, vno omnium astrologorum ore, siccus putatur. Quod igi-

A

tur cum humida dicat Clemens ita est intelligendum, quod leniter exficere solet: est Mars exficcat vehementer, adeoque vere dicitur. Præfatione honorauitur Clemens, quòd decidi quædam siue asperius dicenda: quòd, vt possint bono consuli sine einsmodi lenocinio.

cùm admixta fuerit bonis, quid est, quod efficit? & illud esse intelligamus malum. Etenim nuptias facere Venerem, ponitis: quæ si Iouem habeat in schemate suo, pudicas efficiat: Ioue autem non respiciente, si adfuerit Mars, corrumpi nuptias per adulterium pronunciatis. Et Pater: Ita se, inquit, habet. Ego respondi: Ergo malum est adulterium, quandoquidem ex malarum stellarum admixtione committitur: & vt compendiosiùs explicemus omnia, quæ dicitis ex malarum admixtione stellarum bonas perpeti stellas, mala esse sine dubio pronuncianda sunt. Istæ ergo stellæ, quarum admixtione diximus febres, incendia, & cætera his similia effici mala, ipsæ secundum vos etiam homicidia, adulteria, & furta operantur, propter vos etiam & stolidos ipsæ efficiunt. Et Pater: Verè inquit, breuiter, & incomparabiliter ostendisti, quod sint mala in actibus: sed hoc adhuc velim, quomodo iustè iudicat Deus eos, qui peccant, sicut vos dicitis, si peccare eos Genesis cogit? Tum ego respondi: Vereor dicere tibi aliquid, pater, quia in omni te honore haberi à me decet: alioquin erat, quod possim dicere, si deceret. Et pater ait: Dic, quod tibi occurrit fili, etiamsi iniuriosum videtur: non enim tu, sed quæstionis ratio iniuriam facit: sicut pudica mulier intemperanti viro, si pro salute indignetur & honestate. Et ego respondi: Si prima quæque inter nos confirmata & confessa non bene retineamus: sed semper, quæ definita sunt, resoluantur, per obliuionem videbimur telam texere Penelopes, ea, quæ texuimus resoluentes: & ideo debemus aut non facilè acquiescere, priùs, quàm diligenter examinetur sermo propositus: aut si iam adquieuimus, & confirmata sententia est: seruare semper, quod semel definitum est vt possimus & de aliis quærere. Et pater ait, Bene dicis fili, & scio, quam ob causam dicas, quia hesterno die de naturalibus disputans causis, ostendisti, quod virtus quædam maligna, transformans se in ordinem stellarum, humanas concupiscentias exagitet, diuersis modis prouocans ad peccatum: non tamen cogens, aut efficiens peccatum. Cui ego respondi: Bene, quia & meministi: & cùm memineris, errâsti. Et Pater: Ignosce, inquit, fili, nondum enim vsum multum in his habeo: nam & hesterni sermones tui veritate ipsâ concluserunt me, vt tibi adquiescerem: in conscientia tamen meâ sunt quasi quædam reliquiæ febrium, quæ paululum me à fide quasi à sanitate retrahunt: discrucior enim, quod sciam multa mihi, imò penè omnia accidisse secundum Genesim.

B

C

Eruditissime Clem. vanitatem Genethliacorum arguit, quemadmodum Phauorinus apud Gell. lib. 14. noct. cap. 1. cuius disputationem cum hoc loco conferre vtilissimum fuerit. Vide & Io. Picum, contra astrologos.

Et ego respondi: Audi ergo pater, quæ sit mathesis natura: & facito secundum ea, quæ dico tibi. Vide mathematicum, & dic ei primò: talia quædam mihi acciderunt mala in illo tempore: vnde ergo, aut quomodo, aut per quas mihi acciderint stellas, discere volo: Respondebit tibi sine dubio, quod tempora tua malitiosius suscepit Mars aut Saturnus, aut aliquis eorum apostaticus fuit: aut aliquis annum tuum aspexit ex diametro: aut coniunctus: aut in centro: vel alia his similia respondebit: addens, quia in his omnibus aliquis aut ἀοικοδεσπότης fuit cum malo: aut inuisibilis: aut in schemate: aut extra hæresim: aut deficiens, aut non contingens, aut in obscuris stellis: & multa alia his similia secundum rationes proprias respondebit, & de singulis adsignabit. Post hunc, alium adito mathematicum, & dicito contraria: illud mihi boni contigit in illo tempore: tempus autem hoc idem dicito: & require, ex quibus partibus Genesis hoc tibi euenerit boni, & tempora, vt dixi, eadem, quæ de malis interrogaueras custodito.

D

Locus hic inspecto astrolabio rectiùs intelligetur. à nam ... et, huc omnia conuertere. Vide quoque theorica planetarum: si est animus, exactiùs hæc cognoscere: quæ certè ex ima philosophia astronomica sunt petita.

Cúmque tu fefelleris de temporibus, vide, quanta tibi inueniet schemata, per quæ ostendat quod tibi in illis ipsis temporibus euenire debuerint bona, impossibile enim est hominum Genesim tractantibus non in omni, quam dicunt, regione stellarum, semper inuenire quasdam bene positas stellas, & quasdam, malè, circulus enim est æqualiter ex omni parte collectus secundum mathesim, diuersas & varias accipiens causas, ex quibus occasionem capiant dicendi, quod volunt. Sicut enim fieri solet, vbi somnia aliqua viderint homines, & nihil certi intelligunt, cùm aliquis occurrerit exitus rerum: tunc ad ea, quæ acciderint, aptant etiam somnij visum: Ita est & mathesis: antequam aliquid fiat, certi nihil pronunciatur: postea verò, quàm aliquid acciderit: rei iam gestæ colligunt causas. Denique frequenter cùm enarrauerint, & aliter res acciderit: semetipsos increpant, dicentes, quod illa fuerit stella, quæ impedinit, quæ occurrit: & non videmus ignorantes, quod error eorum, non ex artis impudentia, sed ex totius causæ inconuenientia descendat: ignorant enim, quæ sint, quæ facere quidem concupiscamus: non tamen indulgeamus concupiscentiis. Nos autem qui mysterij huius didicimus rationem, scimus & causam: quia libertatem habentes arbitrij interdum concupiscentiis obsistimus: interdum cedimus: & ideo humanorum gestorum incertus est exitus: quia in libertate pendet arbitrij. Nam concupiscentiam quidem, quam operatur maligna virtus, potest indicare mathematicus: sed, an concupiscentiæ huius actus vel exitus impleri possit, necne, quia in arbitrij libertate est, sciri aute effectum rei à nullo potest: & hoc est, quod ignorantes astrologi inuenerunt sibi, vt climacteras dicerent, rei scilicet incertæ perfugia: sicut hesterno plenissimè ostendimus. Ad hæc si quid tibi dicendum videtur, dicito. Et pater: Nihil verius, inquit, fili his, quæ prosequutus es. Cúmque hæc loqueremur inter nos, nunciauit quidam plurimum stare populum foris, qui audiendi gratiâ conuenerint: & Petrus iussit his ingrediendi copiam dari: erat enim locus opportunus & amplus. Cúmque ingressi fuissent, ait ad nos Petrus: Si quis vult vestrûm, faciat ad populum sermonem: & de idololatria disserat.

E

F

De climacteris, supra.

G

Populo admisso, disputatur, volente Petro, de Idololatria: ipsius origine & vanitate.

Cui ego Clemens respondi: Multa benignitas tua, & erga omnes lenitas, ac patientia indulget nobis, vt audeamus loqui coram te, & rogare, quæ volumus: & ideo, vt dixi, morum tuorum mansuetudo inuitat omnes, & adhortatur salutaris doctrinæ præcepta suscipere: hoc ego vsque ad præsens apud nullum alium vidi, nisi apud te solùm: apud quem inuidia nulla est, neque indignatio: sed quid tibi videtur? Et Petrus, non solùm hæc ex inuidia aut indignatione veniunt: sed interdum inest aliquibus verecundia, ne fortè de his, quæ proponuntur, plenè respondere non possint, & refugiunt imperitiæ notam. Sed non debet pro hoc quis verecundiam pati, quia nec est aliquis hominum, qui profiteri debeat, omnia se scire: vnus enim est, qui scit omnia: ipse, qui & fecit omnia. Si enim magister noster diem & horam, cuius etiam signa prædixit, nescire se professus est: vt totum reuocaret ad patrem: quomodo nos turpe ducemus, si aliqua nos ignorare fateamur? cùm magistri in hoc habeamus exemplum. Hoc tamen vnum profitemur scire, quæ à vero propheta didicimus: ea autem à vero Propheta nobis esse tradita, quæ sufficere humanæ scientiæ indicauit. Tum ego Clemens dicere ita cœpi: Apud Tripolim cum contra Gentiles disputares, Domine mi Petre, valde miratus sum te, qui à patribus Hebræorum, & obseruantiis propriæ legis imbutus, Græcæ eruditionis studiis in nullo inquinatus es: quomodo tam magnificè, & tam incomparabiliter prosequutus sis, ita vt etiam quædam de historiis Deorum, quæ in theatris decantari solent, contingeres, verùm quoniam sensi tibi ipsas fabulas, & blasphemias eorum minùs esse notas: de his si placet, aliqua in auditu tuo repetens, ab ipsa origine disseram. Et Petrus: Dic, inquit, bene facis iuuare prædicationem nostram. Tum ego: dicam igitur, quia iubes, non vt docens: sed, quàm stultas de Diis suis opiniones habeant Gentiles, in medium proferens. Cúmque vellent dicere, Niceta labrum mordicus stringens, in-

Luc. 21. Cur Christus dixerit se nescire extremum diem. Vide supra 4. 5. & sextam Recognitionem.

H

nuebat

A

nuebat mihi vt tacerem, quem cùm vidisset Petrus, ait: Cur ingenium liberale, & generosam lædere vis naturam, vt in honorem mei, qui nullus est, tacere eum velis? An nescis, quod si omnes gentes, postquam audierint à me prædicationem veritatis, & crediderint, vellent se ad docendum conferre, mihi maiorem pariant gloriam, siquidem gloriæ me cupidum putas? Quid enim tam gloriosum, quàm Christo discipulos præparâsse? non, qui taceant, & soli salui fiant: sed qui loquantur, quæ didicerunt? & multis prosint? vtinam quidem & tu Niceta, sed & tu dulcissime Aquila, iuuaretis me ad prædicandum verbum Dei: eò magis, quòd ea, in quibus errant Gentiles, bene vobis comperta sunt: & non solùm vos, sed & omnes, qui audiunt me, opto, ita audire & discere: vt & docere possint: multis namque adiutoribus indiget mundus, quibus homines ab errore reuocentur. Cúmque hæc dixisset, ait ad me: Tu ergo Clemens exequere, quæ cœpisti. Et ego continuò subiunxi: Quoniam, vt dixi, apud Tripolim disputans, multa de Diis gentium vtiliter & necessariò disseruisti: cupio de origine eorum, ridicula, te coram exponere, vt neque te lateat vanæ huius superstitionis commentum: & auditores, qui adsistunt erroris sui probra cognoscant.

Clementis oratio de genealogia Deorũ gẽtilium.

B

Non debes mirari, Lector: si fortè diuersius à quibusdam θεογονίαν Clemens tibi enarrare visus fuerit: quando ipsimet Græci valde inter se dissentiant. Aliter namque Orpheus: aliter Antiphanes, citatus ab Irenæo, libro Elenchi hæreseôn 2. cap. 19. aliter Homerus: aliter Hesiodus: aliter in Timæo, Plato: aliter rursum Diodorus Siculus, & Apollodorus Ath. in suis bibliothecis. Neminem in his sequitur ille vnum, visus fortassis in tanta varietate suo iudicio: vel quod sic tunc suæ memoriæ occurrerit γενεαλογία: vel, quòd ita eam sapientes enumerarint. Consule in hunc locum auctores, quos ad argumentum adieci.

Aiunt ergo, qui sapientiores sunt inter Gentiles, primò omnium Chaos fuisse, hoc per multum tempus exteriores sui solidans partes, fines sibi & fundum quendam fecisse, tanquam in oui immanis modum formámque collectum: intra quod multo nihilominùs tempore, quasi intra oui testam, fotum viuificatúmque esse animal quoddam: disruptóque post hæc immani illo globo, processisse speciem quandam hominis duplicis formæ, quam illi Masculo fœminam vocant: * hunc etiam Phanetam nominârunt, ab apparendo: quia cùm apparuisset, inquiunt, tunc etiam lux effulsit: & ex hoc dicunt progenitam esse Substantiam, Prudentiam, Motum, Coitum: ex his factum, Cœlum & Terram. Ex Cœlo sex progenitos mares, quos & Titânas appellant: similiter & de Terra sex fœminas: quas Titanidas vocitârunt: & sunt nomina eorum quidem, qui ex Cœlo orti sunt, hæc: Oceanus, Cœcos, Crios, Hyperion, Iapetos, Cronos, qui, apud nos, Saturnus nominatur. Similiter & earum, quæ è Terra ortæ sunt, nomina sunt hæc: Theia, Rhea, Themis, Mnemosine, Thetis, Hebe. Ex his omnibus, qui primus fuerat è Cœlo natus, primam Terræ filiam accepit vxorem: secundus, secundam: & cæteri similiter, per ordinem. Primus ergo, qui primam duxerat: propter eam deductus est deorsum: secunda verò: propter eum, cui nupserat, ascendit sursum: & ita singuli per ordinem facientes, manserunt in his, qui eis nuptiali sorte obuenerant, locis. Ex istorum coniunctionibus, alios quoque innumeros adserunt progenitos. Sed de illis sex maribus, vnus qui dicitur Saturnus, qui in coniugium acceperat Rheam: &, cùm responso quodam commonitus esset, quod, qui ex eo nasceretur, fortior ipso futurus esset, regnóque eum depelleret: omnes, qui ei nascerentur filios, deuorare instituit: Huic ergo primus nascitur filius, quem ἀίδην appellârunt, qui apud nos Orcus nominatur: quem pro causis, quibus suprà diximus, adsumptũ deuorat pater.

C

μορφὴν δ' ἄρρεν ἐν ἀρσενόθηλυ κεκλῶσι. (margin)

D

Saturnus Rhea.

Orcus, ἀίδης, ab α priuatiua, & εἴδω, video: quod omnia sint illic obscura, nec quicquam cerni queat.

Post hunc secundum genuit, quem Neptunum dicunt: quémque simili modo deuorauit. Nouissimum genuit eum, quem Iouem appellant: sed hunc mater miserans Rhea, per artem deuoratori subtrahit patri: & primò quidem, ne vagitus pueri innotesceret, Corybantas quosdam, cymbala fecit ac tympana percutere: vt obstrepente sonitu, vagitus non audiretur infantis.

Neptunus Iupiter.

E

Hinc κουρητισμὸς apud Dionysium Halicarnasseum, lib. 2. ἀρχαιολογίας ῥωμαϊκῶν. quem locum citat & Eusebius 2. πρoπαρ. Vide de hoc tinnitu Minucium F. in Octauio. Sed notoria hæc ex fabulis poëticis esse possunt.

Sed cùm ex vteri imminutione intellexisset pater editum partum, expetebat ad deuorandum: Tunc Rhea lapidem ei offerens magnum: Hunc genui, inquit. At ille accipiens, absorbuit, & lapis deuoratus, eos, quos primò absorbuerat filios, trusit & coëgit exire. Primus autem procidens, descendit Orcus, & inferiora, hoc est, inferna occupat loca. Secundus, vtpote illo superior, super aquas detruditur is, quem Neptunum vocant. Tertius, qui arte matris Rheæ superfuit, ab ipsa, capræ superpositus, in cœlum emissus est, Hactenus anilis gentilium fabula & genealogia processerit, sine fine enim est, si velim omnes generationes eorum, quos Deos appellant: & impia gesta proferre. Sed exempli gratia, omissis cæteris, vnus, quem maximum & præcipuum habent, quémque Iouem nominant flagitiosa gesta replicabo. Hunc enim cœlum dicunt tenere, tanquam cæteris meliorem: qui statim, vt adoleuit, sororem propriam, quam Iunonem dicunt, duxit vxorem: in quo vtique statim fit similis pecudi. Iuno Vulcanum parit: sed, vt tradunt, non ex Ioue conceptum. Ex ipso autem Ioue Medeam genuit: quam responso accepto, quod qui ex ea nasceretur fortior ipso esset, & regno eum depelleret, assumens etiam ipse deuorat, & rursum genuit de cerebro quidem Mineruam, de fœmore verò Liberum. Post hæc Thetidem cùm adamâsset, aiunt Prometheum pronunciâsse ei, quod si concubuisset cum ea, qui ex ea nasceretur, fortior foret patre: & ob hoc veritus, Peleo cuidam dat eam in matrimonium: dehinc Persephonæ, quæ ei ex Cerere fuerat suscepta, miscetur, ex qua Dionysium genuit, qui à Titânis discerptus est: sed recordatus, inquit, ne fortè pater suus Saturnus alium filium generaret: qui etiam se fortior nasceretur, regnoque depelleret: oppugnare adgreditur patrem vnà cum fratribus eius Titânis: quibus oppressis, ad vltimum etiam patrem in vincula coniecit: desectáque eius genitalia in mare proiicit: sed cruor qui defluxit ex vulnere, susceptus fluctibus & frequenti collisione in spumam versus, procreauit eam, quam dicunt Aphroditen, quámque apud nos Venerem appellant: ex cuius concubitu, quæ erat vtrique soror: hunc ipsum Iouem ferunt genuisse Cyprin, ex aqua aiunt & Cupidinem natum. Hæc quidem de incestis eius: Audi nunc & de adulteriis. Europam Oceani coniugem vitiat: ex qua nascitur Dodonæus. Heleñam, Pandionis: ex qua nascitur Musæus. Eurynomen, Asopi. ex qua nascitur Ogygias. Hermionem, Oceani: ex qua nascuntur Charites, Thalia, Euphrosyne, Aglaia. Themin, sororem suam: ex qua nascuntur Horæ, * Eurinomia, Dice, Irene. Themisto, Inachi: ex qua nascitur Arcas. Idean, Minois: ex qua nascitur Asterion, Phænissá, Alphionis: ex qua nascitur Endymion. Iô, Inachi: ex qua nascitur Epaphus. Hippodamiá & Isionem, Danai filias: quarũ vnã Hippodomiam, Olenus: Isionem verò, Orchomenus siue Chryses habuit. Catinean, Phœnicis: ex qua nascitur Critomatis, quæ fuit sodalis Dianæ. Calisto Lycaonis: ex qua nascitur Arcas. Lybeen Munanti: ex qua nascitur Belus. Latonam, ex qua nascitur Apollo, & Diana. Leanidá, Eurymedontis: ex qua nascitur Coron. Lysithean. Eueni: ex qua nascitur Helenus. Hippodamiam: Bellorophontis: ex qua nascitur Sarpedon. Megacliten, Magaclei: ex qua nascitur Thebe, & Locrus. Nioben Phoronei, ex qua nascitur Argus, & Pelasgus. Olympiadam, Neoptolemi: ex qua nascitur Alexander. Pyrrham, Promothei: ex qua nascitur Helmetheus, Protogeniam & Pandoram, Deucalionis filias: ex quibus genuit Aëthlium, & Dorum, & Meleram, & Pandorum. Thaicruciam, Protei: ex qua nascitur Nympheus. Salaminam, Asopi: ex qua nascitur Satacon. Taygetem. Electran, Maiao: Plutiden, Atlantis filias: ex quibus genuit, ex Taygete quidem, Lacedæmonem: ex Electra, Dardanũ: ex Maia, Mercuriũ: ex Pluride,

F

1. Incesta flagitia Iouis. Iuno.

Minerua. Vide 1. dialogum deorum, apud Lucianum. Ouid. 1. Metam.

G

2. Iouis adulteria. Vide Apollodorũ extat enim.

** Eurin) Hanc Apollodorus, Eunomiam vocat.*

H

Iô.) Ouid. 1. Metam. De Callistone, Ouid. 2. Metam.

Tanta

A

De Chloride, Catullo, in Coma Berenices.

3. Iouis transformati adulteria, de his vide Arachnen, apud Ouid. lib. 6. Meta. Et Higinum, in quo Mythologia Poëtica.

Tantalum. Pthiam, Photonei: ex qua genuit Achæum. Chalceam, nympham: ex qua nascitur Olympus: Charidiam, nympham: ex qua nascitur Alchahus. Chlorida, quæ fuit Ampegi: ex qua nascitur Mopsus. Coroniam, Lesbi: ex qua nascitur Polimedes. Hippodamiam, Aniceti: Chrysogeniam, Penei: ex qua nascitur Thisseus. Sed & alia sunt plurima eius adulteria, ex quibus nec progeniem suscepit, quæ enumerare satis longum est. Verum ex his omnibus quas enumerauimus, nonnullas transformatus, vtpote Magus, vitiauit. Denique Antiopen Nyctei, versus in Satyrum corrupit: ex qua nascuntur Amphion & Zethus. Alcmenam, mutatus in virum eius Amphitryonem, ex qua nascitur Hercules. Æginam Asopi, mutatus in aquilam: ex qua nascitur Æacus. Sed & Ganymeden Dardani, mutatus nihilominus in aquilam, stuprat. Manthean Phoci, mutatus in vrsum, ex qua nascitur Arctos. Danaën Acrisii, mutatus in aurum, ex qua nascitur Perseus. Europen Phœnicis, mutatus in taurum, ex qua nascitur Minos & Radamanthus, Sarpedonque. Eurymedusam Achelai, mutatus in formicam, ex qua nascitur Myrmidon: Thalian Ætnam nympham, mutatus in vulturem, ex qua nascuntur apud Siciliam Palisci. Imandram Geneani apud Rhodum, mutatus in imbrem. Cassiepeiam, ex qua nascitur Anchimos. Lædam Thesei, mutatus in cygnum, ex qua nascitur Helena: & iterum eandem, mutatus in stellam, ex qua nascuntur Castor & Pollux. Lamiam, mutatus in vpupam. Mnemosynen, mutatus in pastorem: ex qua nascuntur Musæ nouem. Nemesin, mutatus in anserem. Semelen Cadmiam, mutatus in ignem, ex qua nascitur Dionysius. Ex filia autem sua Cerere, genuit Persephonen, quam & ipsam corrupit, mutatus in draconem: sed & Europam, Patrui sui Oceani vxorem: & sororem eius Eurynomen adulterat: & patrem punit: & Pluten, Atlantis filii sui adulterat filiam, ex qua natum sibi filium Tantalum, damnat. Ex Larisse etiam Orchomeni, genuit Tityone, quem & ipsum suppliciis tradidit. Dianam Ixionis filii sui diripiens vxorem, ipsum perennibus subiicit pœnis: & pene omnes; quos ex adulteriis genuit filios, violentæ mortis conditione damnauit: quorum & sepulcra penè omnium manifesta sunt. Ipsius denique parricidæ, qui & patruos peremit: & vxores eorum vitiauit: sororibus stuprum intulit: multiformis Magi sepulchrum euidens est apud Cretenses: qui tamen scientes & confitentes infanda eius atque incesta opera, & omnibus enarrantes: ipsi eum confiteri Deum non erubescunt.

B

De Semele, Ouid. lege 3. Metam. Larissem vocat Apollodorus Elaram, filiam Orchomeni, matrem Tityi, lib. 1.

C

De sepulcris Deorum, eadem referunt, Clemens Alexand. Athenagoras, in Apologia. Eusebius Pamph. & Minucius, in Octauio. Habetque hoc idem Lactantius, ex hoc, opinor, quædam mutuatus, nam series argumentique ratio hoc omnino clamat.

Vnde mirum mihi & valde mirum videtur, quomodo is, qui super omnes mortales scelere & flagitiis eminet, sanctum & quod est super omne bonum nomen acceperit, vt pater Deorum atque hominum vocaretur: nisi fortè ille, qui malis hominum gaudet, eum, quem sceleribus eminere supra cæteros vidit: supra cæteros ei honorem conferre infœlices animas suasit: vt ad imitationem malorum imitaret vniuersos. Sed & filiorum eius, qui apud eos Dii putantur, sepulcra singulis quibusque in locis manifestissimè demonstrantur: Mercurii, apud Hermopolim: Cypriæ Veneris, apud Cyprum: Martis, in Thracia: Liberi, apud Thebas: vbi discerptus traditur: Herculis, apud Tyrum: vbi igni crematus est. In Epidauro, Æsculapii: quique omnes non solùm vt homines defuncti: sed vt nequam homines puniti pro sceleribus docentur: & tamen ab stultis hominibus vt Dii adorantur.

D

Deos homines fuisse, etiam Herodotus, atque Alexander M. Macedo, Philippi F. in epistola ad matrem: itemque Mercurius Τρισμέγιστος: tum Apollodorus libro de diis, testantur apud Athenagoram: quem omnino cum hoc loco conferre, haud paruum operæpretium erit.

Quod si argumentari volunt, & magis hæc loca ortus eorum, quam sepulturæ vel mortis adfirmant: ex vicinis & adhuc recentibus gestis, priora & vetera conuincentur: cum docuerimus adorari ab eis eos, quos etiam ipsi homines & defunctos, vel potius punitos esse profitenter, verbi gratia: vt Syri, Adonem: Ægyptii, Osirin: Ilienses, Hectorem: apud Leuconesium, Achillem: apud Pontum, Patroclum: apud Rhodum, Alexandrum Macedonem: multosque alios per diuersa loca, singuli, vt Deos colunt & adorant: quos homines mortuos fuisse non dubitant. Vnde consequens est, etiam priores simili errore prolapsos, mortuis hominibus, qui fortè vel potentiæ aliquid, vel artis habuerunt: maximeque si phantasiis magicis in stuporem stolidos homines adduxerant honorem contulisse diuinum. Iam hinc additum est, vt & poëtæ elegantiâ verborum commenta erroris ornarent: & suauitate dicendi, immortales effectos esse ex mortalibus persuaderent: imò & amplius, aliquid, ex hominibus aiunt stellas fieri, & arbores, & animalia: & flores: & aues: fontesque ac fluuios: & ni verbositas videretur, omnes penè stellas, quas ex hominibus effectas asserunt, enumerare, vel arbores, vel fontes, ac fluuios possem: exempli tamen causâ singula saltem ex singulis memorabo. Andromedam Cephei, in stellam dicunt esse conuersam: Danaën Ladonis fluuii filiam, in arborem commutatam: Hiacinthum Apollinis dilectum in florem: Calisto in sidus, quod arcton vocant: Prognen, & Philomelam cum Tereo, in aues: Thysben apud Ciliciam in fontem: & Piramum inibi in fluuium resolutos: omnesque penè vt dixi, vel stellas, vel arbores, fontesque ac fluuios, floresque & animalia, vel aues, aliquando homines fuisse confirmant. At Pet. hæc audiens, ait: Ergo secundum ipsos, antequam homines mutarentur in stellas, vel cætera, quæ enumeras, & cœlum sine stellis erat: & terra sine arboribus & animalibus: nec fontes, nec flumina, nec aues erant: & quomodo ipsi homines vixerunt sine his, qui in hæc postmodum mutati sunt, cùm constet, nec potuisse prorsus sine his vitam ducere homines in terris? Et ego respondi. Sed ne ipsum quidem cultum Deorum suorum obseruare consequenter nôrunt: vnusquisque enim eorum, quos colunt, habet aliquid sibi dicatum, à quo debent se continere cultores: vt puta Mineruæ, oliuam: Ioui, capram ferunt dicatam: Cereri, semina: Libero, vinum: Osiri, aquam: Hammoni, arietem: Dianæ, ceruum: Syrorum dæmoni, piscem & columbam: Vulcano, ignem: & vnicuique, vt dixi, est aliquid proprie dicatum: à quo oportebat abstinere se cultores, ad honorem eorum, quibus dicati sunt. Nunc autem singuli ab vno aliquo se obseruantes, pro vnius honore cæteros omnes iratos habent: quos vtique si placare velint, pro honore omnium, abstinere se ab omnibus oportebat: vt ante diem iudicii iustâ à semetipsis sententiâ condemnati, morte miserrimâ per inediam deperirent. Verùm ad propositum reuertamur. Quæ, malum, ratio est, imò, quæ amentia mortalium possidet mentes, vt hominem, quem impium, scelestum profanum, Iouem dico incestum, parricidam, parricidam non solùm sciunt esse, sed & publicè in theatris cantant, hunc vt Deum colant & adorent? Aut si pro his gestis Deus esse meruit: ergo, & si quos audiunt homicidas adulteros, parricidas incestos, etiam nunc debent, vt Deos, adorare. Sed quod in aliis execrantur, scire omninò non possum, cur in illo venerentur. Et Petrus respondit: Quoniam te nescire dicis, disce à me, cur in illo facinorosa gesta venerentur: primò quidem, vt cùm ipsi similia egerint, acceptos se ei futuros sciant: vtpote, quem imitantur in flagitiis.

E

Ita factum est, vt Deorum numerus ferme vltra hominum increuerit:

F

Hæc Plinius. Trãsformationes hominum. Vide 6. lib. Met. Ouid. Petrus.

G

H

Vel vnus Terentianus Cherea satis locuples erit testis hoc ita esse: is enim quod in virginẽ sibi permisit, Iouis se exemplo fecisse excusat. Actu 3. scena 5. in Eunucho. Testatur & Ouidius primo de arte amandi.

Iupiter ex alto periuria videt amantum:
Et iubet Æolios irrita ferre notos.
Per Stygia Iunoni falso iurare solebat:
Iupiter exemplo nunc fauet ille suo.

Idem autem & Menippus in [illegible] apud Lucianum

A

rum testatur. Qua de re & Augustinus de Ciuitate Dei, Dei, libro 2. cap. 7.

Secundò, quod hæc literis scitè recondita, & versibus eleganter inserta veteres reliquerunt. Et nunc puerilis eruditionis obtentu, cùm eorum notitia teneris & simplicibus adhæserit mentibus, reuelli ex eis atque abiici difficulter potest. Hæc cùm dixisset Petrus, Niceta respondit: Non putes Domine mi Petre, non habere eruditos quosque gentilium verisimilitudines quasdam, quibus adstruant hæc, quæ culpabilia videntur & probrosa, quæ quidem ego, non vt confirmans errores eorum dico (absit enim à me, vt hoc vel ad cogitationem meam veniat:) sed tamen scio esse apud prudentiores ipsorum defensiones quasdam, quibus adstruere & colorare solent, hæc, quæ videntur absurda. Et si tibi placet, vt aliqua ex his proferam, quæ ex parte aliqua retineo: vt iubes, faciam. Cumque Petrus permisisset:

B

Niceta hoc modo cœpit: Omnis sermo apud Græcos, qui de antiquitatis origine conscribitur, cùm alios multos, tum duos præcipuos auctores habet, Orpheum & Hesiodum. Horum ergo scripta in duas partes intelligentiæ diuiduntur, id est, secundum literam, & secundum allegoriam: & ad ea quidem, quæ secundum literam sunt, ignobilis vulgi turba confluxit. Ea verò, quæ secundum allegoriam constant, omnis Philosophorum & eruditorum loquacitas admirata est.

Orpheus. Hesiodus.

Poeticas fabulas allegoricè enarrarunt olim Aristoteles, in Peplo. Dionysius, in Coronâ. Reginus in Πολυμίμοις, vt refert Niceph. Callistus, lib. 10. cap. 36. Denique Ioannes Tzetzes de ratione eas intelligendi pulchrè scripsit in 1. librum Hesiodi, de officijs & diebus.

Orpheus igitur est, qui dicit primò fuisse Chaos sempiternum, immensum, ingenitum, ex quo omnia facta sunt: hoc sanè ipsum Chaos non tenebras dixit esse: non lucem: non humidum: non aridum: non calidum: non frigidum: sed omnia simul mixta: & semper vnum fuisse informe aliquando: tamen quasi ad ovi immanis modum, per immensa tempora effectam peperisse, ac protulisse ex se duplicem quandam speciem, quam illi Masculo fœminam vocant, ex contraria admixtione huiusmodi diuersitatis speciem concretam: & hoc esse principium omnium, quod primum ex materia puriore processerit, quodque procedens discretionem quatuor elementorum dederit: & ex duobus, quæ prima sunt, elementis, fecerit cœlum, ex aliis autem, terram: ex quibus iam omnia participatione sui, inuicem nasci dicit & gigni. Hæc quidem Orpheus. Subiungit autem his & Hesiodos, post Chaos statim Cœlum dicens factum esse, & Terram: ex quibus ait progenitos illos vndecim, quos interdum & duodecim dicit: ex quibus sex mares, quinque fœminas ponit: nomina autem dat moribus: Oceanus, Cœus, Chrius, Hyperion, Iapetus, Cronus, qui & Saturnus. Item fœminis, Thya, Rhea, Themis, Mnemosyne, Thetis: quæ nomina per allegoriam hoc modo interpretantur. Numerum quidem vndecim vel duodecim, ipsam dicunt primam naturam, quam & Rheam à fluendo dictam volunt: reliquos autem decem accidentia eius dicunt: quas & qualitates appellant: duodecimum tamen addunt & Cronum, quem apud nos Saturnum dicunt, hunc pro tempore accipiunt. Saturnum ergo & Rheam tempus ponunt, & materiam, quæ vbi cum humido & arido, & calido, & frigido tempore fuerint admixta, omnia generat. Hæc ergo, inquit, primo omnium tempore multo concretam genuit quandam quasi bullam, quæ ex spiritu, qui in aquis erat, paulatim collecta intumuit: & aliquanto tempore circumacta per superficiem materiæ, ex qua, quasi ex vulua processerat, rigore frigoris obdurata, & glacialibus augmentis semper increscens, abrupta tandem demergitur in profundum: ac pondere ipso pertracta, in infernum descendit. Et quia inuisibilis facta est,

C

D

Cœli & Terræ filij. Locus egregie philosophicus. pro enim, fuo est.

(Legendum videtur: quasi ἀΐδης appellata est ἀΐδης. Ἅδης, tartarus, siue, inferi, quasi ἀΐδης, inaspectabilis, obscurus: ab α priuatiua part. & ἰδεῖν, id est, videre.)

Aides appellata est: qui & Orcus, vel Pluto nominatur. Cumque de superioribus mergeretur in inferna, locum confluendi humido præbuit elemento: & pars crassior, quæ est terra, aquis cedentibus patefacta est. Hanc ergo aquarum libertatem, quæ prius bulla obtegente premebatur postquam illa inferni sortita est locum, Neptunum esse appellatum. Post hoc, cum elementum frigidum per concretionem glacialis bullæ, ad inferiora fuisset absorptum, & aridum fuisset humidumque discretum; nullo iam impediente elementum calidum ignis, vapore vigore & leuitate ad superiora conuolauit aëris, spiritu & procella subuectum. Hanc ergo procellam, quæ καταιγὶς Græcè appellatur, ægam, id est capram dixerunt: & ignem, qui ad superna conscendit, Iouem: & ideo cum capra subuectum conscendisse Olympum dicunt.

E

Iupiter vnde dictus sit. Vide eundem Arist. Ibidem: Orphea in Cratere: Platonem in Cratylo.

αἰγὶς & καταιγὶς. Vide Aristotelem, de Mundo ad Alexandrũ.

F

Ipsum verò Iouem, Græci quidem à viuendo, vel vitam dando: nostri à iuuando nominatum volunt. Hanc ergo esse viuentem substantiam ferunt: quæ in superioribus posita, vi caloris velut cerebri ambitu, ad se trahens cuncta, & cuiusdam temperamenti moderatione componens, de capite dicitur genuisse sapientiam, quam Mineruam vocant: quæ à Græcis ἀθήνη propter immortalitatem nominata est: quæ, quia pater omnium per sapientiam suam cuncta condidit: & ex ipso capite eius, & principali omnium genita dicitur loco: & temperata admixtione elementorum, vniuersum formasse mundum & adornasse perhibetur. Igitur species, quæ materiæ inditæ sunt, vt fieret mundus, quia vi caloris constringuntur, Iouis viribus contineri dicuntur. Quæ quoniam sufficienter se habent, nec vltrà addi sibi indigent aliquid noui, sed vnumquodque seminis sui posteritate reparatur: vinctæ esse à Ioue Saturni manus dicuntur: quia nihil noui iam, vt dixi, ex materia tempus producit: sed calor seminum, secundum sui speciem cuncta restituit: nec vltra Rheæ partus, hoc est, propago materiæ fluentis ascendit, & ideo ipsam primam elementorum diuisionem, abscissionem Saturni nominant: quasi, qui vltra mundum generare non possit. Nam de Venere hoc modo allegoriam tradunt, vbi niuor,ætheri subiectum est pelagus, cùm repercussis aquis splendor cœli gratior refulsisset, venustas rerum, quæ ex aquis pulchrior apparuerat, Venus nominata est: quæ Ætheri tanquam fratri suo sociata, quod concupiscibile decus effecerit, Cupidinem genuisse memorata est. Hoc ergo modo per allegoriam Cronum quidem, qui est Saturnus, tempus esse vt diximus, tradunt: Rheam, materiam: Aiden, id est, Orcum, inferni profundum: Neptunum: aquam: Iouem, ætherem id est, caloris elementum: Venerem, venustatem rerum: Cupidinem, concupiscentiam, quæ inest rebus omnibus: per quam posteritas reparatur: vel etiam rerum ratio, quæ sapienter inspecta delectat. Hera, id est Iuno, aër iste medius, qui de cœlo vsque ad terram descendit, ponitur. Diana, quam ipsa Proserpinam dicunt, aërem inferno tradunt. Appollinem, ipsum etiam Solem dicunt, circumeuntem polum. Mercurium, verbum, quo ratio de singulis quibusque reddatur: Martem, intemperatum ignem, qui cuncta consumat. Sed ne singula enumerando immoremur, ad hanc allegoriæ speciem, de vno quoque eorum, quos colunt, in quibus secretior. de talibus inest peritia, honestas sibi videntur & iustas reddere rationes. Hæc cùm Niceta dixisset, Aquila respondit: Valde mihi videtur, quisquis est auctor & inuentor horum, impius extitisse: si hæc, quæ grata & honesta videntur, abscondit: & superstitionis suæ ritum in dedecorosis & turpibus obseruantiis collocauit: cùm ea, quæ secundum literam scripta sunt, manifestè inhonesta sunt, & turpia: & tota religionis eorum obseruantia, in ipsis constet, vt per huiusmodi scelera & impietates, Deos suos quos colunt, doceant imitari. Nam in istis allegoriis, quæ eis vtilitas erit? quæ quamuis honesta finguntur, nullus tamen ex eis aut visus ad cultum peruenit: aut ad mores, emendatio. Vnde magis constat, quòd prudentes viri cùm viderent communem superstitionem

Minerua ἀθήνη propter immortalitatem dicta est. Alij quasi ἀθήνα dictam volunt, id est, non lacta tam.

G

Saturni manus à Ioue vincta cur.

Eodem modo Philo Iudæus, libro de decalogo, in primum præceptum. Iuno. Diana. Mercurius.

H

Allegoria de Dijs

tam

gentilium ad velãdas dedecora corũ inuenta sunt.

tam probrosam esse, tam turpem, nec tamen corrigendi modum aliquem, vel scientiam didicissent: quibus potuerunt argumentis, & interpretationibus, conati sunt res inhonestas honesto sermone velare? & non, vt dicunt, honestas rationes, inhonestis fabulis occultare: quod si esset, nunquam vtique ipsa eorum simulacra, atque ipsæ de eis picturæ, cum suis vitiis & criminibus formarentur: Non cygnus, adulter Ledæ: nec taurus formaretur Europæ: & in mille monstra eum, quem putant meliorem omnibus, verterent. Quod vtique si magni & sapientes, qui sunt apud eos, viri fictum scirent esse, non verum: nónne impietatis arguerent & sacrilegij eos, qui ad iniuriam Deorum huiusmodi aut picturam ponerent, aut sculperent simulacra? denique Regem temporis sui depingant in bouis formâ vel anseris, vel formicæ, vel vulturis: & scribant suprà Regis sui nomen: atque huiusmodi vel statuam, vel imaginem collocent: & iniuriam facti sentient, & vindictæ magnitudinem. Sed quoniam vera hæc magis sunt, quæ publica turpitudo testatur: & ad excusationem à viris prudentibus, sermonibus honestis quæsita sunt, & concinnata velamina: idcirco non solùm non prohibentur: sed & ipsis mysteriis Saturni filios deuorantis, & occultati pueri, per Corybantum & cymbala, & tympanorum sonitus, exprimuntur imagines. De abscissione verò Saturni, quæ maior erit probatio veritatis, quàm vt in honorem Dei sui, simili infœlicitatis sorte abscindantur etiam cultores; Cùm ergo hæc manifestè cernantur, quis iam exigui sensus, imò tam stolidi inuenietur cui non palàm sit, hæc magis vera esse de infœlicibus Diis, quæ infœliciores cultores etiam corporum suorum vulneribus, & abcissione testantur? Quod si, vt dicunt, hæc ita honestè & piè gesta tam inhonesto ritu ministrantur & impio, sacrilegus profectò est, quisquis ille, vel ex initio hæc tradidit, vel nunc malè tradita persistit implere. Quid autem & de libris dicimus poetarum, nónne oportuerat eos, si honesta, & pia Deorum gesta turpibus fabulis infamârunt, abiici protinus atque in ignem dari: ne persuaderent teneræ adhuc ætati puerorum, Iouem ipsum Deorum principem, parricidam erga parentes: incestum erga sorores & filias: impurum etiam in pueros extitisse? Venerem cum Marte adulteros: & omnia illa, quæ iam superiùs dicta sunt. Aut quid tibi videtur Domine mi Petre? Tunc ille respondit: Certus esto, dulcissime Aquila quia omnia per bonam Dei prouidentiam gesta sunt, vt non solùm infirma, & fragilis, verum & turpis esset causa, quæ futura erat contraria veritati. Si enim validior & verisimilior fuisset erroris assertio: haud facile quisquam, qui in eo deceptus esset, ad iter veritatis rediret. Si enim nunc, cùm tam multa probra & dedecora de diis gentium proferuntur vix aliquis turpem derelinquit errorem, quantò magis, si esset ibi aliqui honestum & verisimile? Difficulter namque transfertur animus ab his, in quibus à prima ætate præuentus est: & ob hoc, vt dixi, diuinâ prouidentiâ factum est: vt erroris substantia, & infirma esse & turpis. Sed & cætera omnia simili modo, competenter & commodè dispensat diuina prouidentia: licet nobis ignorantibus rerum causas, bonæ & optimæ dispensationis diuinæ non liqueat ratio. Cum hæc Petrus dixisset, ego Clemens Nicetam rogabam, vt aliqua de allegoriis gentilium, quas diligenter attigerat, agnoscendi gratiâ exponeret: vtile enim est, vt quando cum gentilibus disputamus, etiam ista nos minime lateant. Et Niceta: Si inquit, permittit Dominus meus Petrus, possum dicere. Tum Petrus. Hodie, inquit, permisi vobis dicere aduersum gentiles, vt oôstis. Et Niceta ait: Dic ergo Clemens, de quibus audire velis. Cui ego aio: Quomodo tradunt de Deorum cœna gentiles, quam in Pelei nuptiis habuerunt, & Thetidis, quem dicunt esse Paridem pastorem, & quas ponunt in Iunone, Minerua & Venere, quæ apud eum iudicantur, quemue Mercurium, vel quod malum, & cætera quæ per ordinem consequuntur? enarra nobis.

Propterea Plato Red. sua eiecit poetas.

Prouidentia Dei omnia sũt infirma & palàm inhonesta, quæ veriati repugnãt.

De nuptijs Pelei ac Thetidis luculentè scribit Apollodorus Athenensis, lib.3. de dijs. Earum atque cœna hic est valde elegans explicatio. Vide & Gyraldum 5. Syntagmate. Lucianum: in iudicio Paridis.

Tum Niceta: Cœnæ Deorum causa hoc modo se habet. Conuiuium, mundum tradunt: discumbendi ordinem Deorum, stellarum positionem, quos Hesiodus cœli & terræ primos filios nominat: in quibus sex mares, & sex fœminas, ad duodecim signorum numerum referunt: quæ vniuersum circumeunt mundum: dapes autem conuiuij, rationes esse & causas rerum tradunt, dulces & concupiscibiles, quæ, qualiter regatur & gubernetur hic mundus, ex signorum positione, & astrorum cursibus colliguntur. Ad libertatis tamen conuiuij modum, dicunt ista constare, pro eo, quòd potestatem habeat vniuscuiusque sensus, si velit degustare aliquid ex huiusmodi scientia, aut si nolit: & sicut in conuiuio nemo cogitur, sed vescendi libertas penes vnumquemque est: ita & philosophandi ratio, pendet in voluntatis arbitrio. Discordiam, concupiscentiam carnis dicunt: quæ insurgit aduersum propositum mentis: & philosophandi impedit studium: ideo denique & tempus illud esse aiunt, in quo de nuptiis agitur. Peleum verò & Thetidem nympham, aridum & humidum ponunt elementum, ex quorum admixtione substantia corporum constat. Mercurium, verbum esse tradunt: per quod sensui doctrina confertur. Iunonem, pudicitiam. Mineruam, fortitudinem. Venerem, libidinem dicunt. Paridem, sensum. Si ergo aiunt, acceidat in homine barbarum esse & imperitum sensum, & rectum iudicium nescientem, spretâ pudicitiâ, & virtute, libidini palmam, quod est malum, dabit: per quod non solùm sibi, sed & ciuibus & vniuersæ genti subuersio & pernicies aderit. Hæc ergo licet illis componere ex qualibet materia visum sit: tamen aptari ad omnem hominem possunt: quia si quis pastoralem & rusticum atque imperitum habeat sensum, nec velit erudiri: vbi corporis calor de libidinis suauitate suggesserit: continuò spretis studiorum virtutibus, & scientiæ bonis, ad voluptates corporum animum confert. Et hinc est, vnde impacata bella consurgunt: vrbes ruunt: patriæ concidunt: sicut & Paris raptâ Helenâ ad mutuum Græcos & Barbaros armauit exitium. Et Petrus, collaudans prosequutionem eius, ait:

Inde etiã nomen quidam Mercurium inuenisse testãtur.

Sic & 2. epist. 1.

Petrus docet non licere in diuinis libris intelligendis agere, quod ethnici faciunt in fabulis. Vera sanè regula explicandarum scripturarum. Docet præterea, quatenus scientia profana adhibari possit ad diuinam doctrinam.

Multas, vt video, ingeniosi homines, ex his, quæ legunt, verisimilitudines capiunt, & ideo diligenter obseruandum est, vt lex Dei cum legitur, non secundum proprij ingenij intelligentiam legatur. Sunt enim multa verba in scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad suum sensum quem sibi vnusquisque sponte præsumpsit: quod fieri non oportet. Non enim sensum, quem extrinsecus attuleris alienum, & extraneum debes, quærere, quem ex scripturarum anctoritate confirmes: sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis: & ideo oportet ab eo intelligentiam discere scripturarum, qui eam à maioribus, secundum veritatem sibi traditam, seruat, vt & ipse possit ea quæ rectè suscepit, competenter asserere. Cum enim ex diuinis scripturis integram quis susceperit & firmam regulam veritatis, absurdum non erit, si aliquid etiam ex eruditione communi ac de liberalibus studiis, quæ forte in pueritia attigit, ad assertionem veri dogmatis conferat: ita tamen, vt vbi vera didicit, falsa & simulata declinet. Et cum hæc dixisset, ad patrem nostrum respiciens, ait: Tu ergo, senex, si quidem saluti animæ tuæ consulis, vt cùm corpore fuerit resoluta, pro breui hac conuersione, requiem inueniat sempiternam, require, de quibus vis: & consule, vt possis, si quid in te est, dubitationis abiicere: incertum enim est etiam iuuenibus vitæ tempus: senibus autem, iam nec incertum est: non enim dubitatur, quin, quantumcunque est, quod putatur superesse, breue sit. Et ideo tam iuuenes, quàm senes oportet de conuersione, & pœnitentia valde esse solicitos: & satagere, vt de reliquo ornent animam suam ornamentis dignissimis: id est, dogmatibus veritatis: decore pudicitiæ,

Hortatur P. senem Faustum ad fidem in Christũ & pœnitentiã: explicans officia vere Christiani hominis, docens denique quomodo necessariò

ex sacris literis petenda sit veritatis cognitio.

citiæ: splendore: iustitiæ candore pietatis, aliisque omnibus quibus comptam decet esse rationabilem mentem. Tum præterea declinare à consortiis inhonestis & infidelibus: & societates habere fidelium: atque illos frequentare conuentus, in quibus de pudicitia, de iustitia, de pietate tractatur. Orare semper Deum ex corde: & ab ipso petere, quæ decet à Deo posci: ipsi gratias agere: veram pœnitudinem gerere præteritorum gestorum. Aliquantulum etiam, si possibile est, per misericordias pauperum iouare pœnitentiam: per hæc enim facilior venia dabitur: & indulgenti citiùs indulgebitur. Quod si prouectioris ætatis sit is, qui ad pœnitentiem venit: non magis gratias agere debet Deo, quòd postquam fractus est omnis impetus concupiscentiæ carnalis, scientiâ veritatis acceptâ, nulla ei imminet pugna certaminis: per quam insurgentes aduersum animam, reprimat corporis voluptates. Superest ergo in agnitione veritatis, & misericordiæ operibus exerceri: vt afferat fructus dignos pœnitentiæ: nec putet, quod in temporis longitudine documentum conuersionis ostendatur, & non in deuotionis ac propositi firmitate: Deo enim manifestæ sunt mentes, qui non temporum rationem colligit, sed animorum: ipse enim probat, si quis agnitâ veritatis prædicatione non distulit, neque tempus negligendo consumpsit: sed statim, & si dici potest, eodem momento, præterita perhorrescens, futurorum desiderium cœpit: & in amorem regni cœlestis exarsit. Propter quod nemo vestrûm vltra dissimulet, nec retro respiciat: sed ad euangelium regni Dei libenter accedat. Non dicat pauper, cùm diues factus fuero, tunc conuertar: non requirit à te Deus pecuniam, sed animum misericordem, & piam mentem. Neque diues conuersionem suam differat, pro sollicitudine sæculari: dum cogitat, quomodo dispenset abundantiam frugum: neque dicat intra semetipsum, quid faciam, vbi recondam fructus meos? neque dicat animæ suæ, habeo multa bona reposita in annos multos, epulare, lætare: nam dicetur ei: Stulte, hac nocte auferetur abs te anima tua: & quæ præparasti, cuius erunt? Itaque festinet ad pœnitentiam omnis ætas, omnis sexus, omnisque conditio, vt vitam consequatur æternam. Iuuenes quidem in eo grati sint, quòd in ipso impetu desideriorum ceruices suas iugo subiiciont disciplinæ: Senes & ipsi laudabiles, quia multi temporis consuetudinem, in qua malè præuenti sunt, pro Dei timore commutant. Nemo ergo differat, nemo cunctetur: quæ enim causa cunctandi est ad benè agendum? aut times, ne cùm benefeceris, ibi remunerationem non inuenias, vt putasti? Et quid senties detrimenti, si benefeceris gratis: nónne etiam sola in his sufficeret conscientia? Quòd si inueneris, vt præsumis, nónne pro paruis, magna: & pro temporalibus, æterna recipies? verùm ego hæc propter incredulos dixi. Nos autem quæ prædicamus, ita se habent: quia nec aliter esse possunt, quæ Propheticâ voce promissa sunt. Si quis verò cupit ex amussim veritatem nostræ prædicationis agnoscere, conueniat ad audiendum: &, quid sit verus Propheta, cognoscat: & tunc demum omnis in eo cessabit ambiguitas: si tamen non obstinatis animis resistat his, quæ vera esse competerit. Sunt enim quidam, qui quolibet modo, ad hoc tantùm respiciunt, vt vincant: & laudem pro hoc magis, quàm salutem quærant: quibus non conuenit vel dici aliquid, ne & sermo nobilis patiatur iniuriam, & iniuriæ suæ reum æternâ morte condemnet. Quid enim est, in quo aduersari prædicationi nostræ quis debeat? aut, in quo contra veri honestique fidem sermo prædicationis nostræ deprehenditur? qui dicit, honorandum esse Deum, & patrem omnium conditorem: eiúsque filium, qui solus enim & voluntatem eius nouit: cuique soli de omnibus credendum est, quæ præcepit: solus enim est lex, & legislator, & iudex iustus: cuius lex discernit, honorandum esse Deum, Dominum omnium, per vitam sobriam, castam, iustam, misericordem, & in ipso solo omnem collocandam spem. Sed dicet aliquis, etiam à philosophis huiusmodi præcepta dari. Nihil est simile: nam de iustitia quidem ab eis, & sobrietate mandatur: sed remune-

Retro respicere, est moras texere, aut causari aliud, quod priùs te agere expediat. Ita Christus. Luc. 12.

Inter salubria philosophorū & Christi præcepta, quid intersit,

ratorem Deum gestorum bonorum malorúmque non nôrunt: & eò leges & præcepta eorum accusatorem tantummodò publicum vitant: conscientiam verò purificare non possunt. Quid enim timeat in occulto peccare, qui occultorum esse arbitrum & iudicem nescit? Addunt præterea philosophi in præceptis suis, etiam Deos, qui sunt dæmones, honorandos: quod solum, etiamsi in aliis probabiles viderentur, grauissimæ eos potest impietatis arguere, & propriis condemnare sententiis: qui vnum quidem esse pronunciant Deum: pro assentatione tamen erroris humani, plures mandent colendos. Aiunt autem & illud Philosophi, Deum non irasci: nescientes, quid dicant. Ira enim mala est, vbi mentem turbat, vt rectum consilium perdat: illa verò, quæ malos punit, perturbationem menti non infert: sed vnus, vt ita dixerim, idémque affectus est, qui & bonis præmia, & malis retribuit pœnam: nam si bonis & malis bona restituat, & simili remuneratione erga pios vtatur, & impios, iniustus potiùs, quàm bonus videbitur. Sed ais: nec Deus debuit facere malum. Verum dicis: neque facit: sed, qui ab eo creati sunt, dum iudicandos se esse non credunt: indulgentes voluptatibus suis, à pietate & iustitia deuoluti sunt. Sed dices, si iustum est punire malos, statim, vt malè agunt, puniri debent. Tu quidem benè festinas, sed ille, qui æternus est, & quem nihil latet: &, quantò nullus ei finis, tantò & prolixa patientia est: non ad velocitatem vindictæ, sed ad salutis respicit causas: delectatur enim non tam morte, quàm conuersione peccantis. Ideo denique & sanctum baptisma largitus est hominibus, ad quod si quis venire festinet, & de reliquo maneat emendatus: delentur ex eo omnia peccata, quæ per ignorantiam commissa sunt. Nam philosophi quid contulerunt vitæ mortalium, dicendo hominibus non irasci Deum? nempe, vt docerent eos nullum habere vindictæ alicuius, vel iudicij metum: & per hoc tota peccantibus frena laxarent. Aut quid illi humanum genus iuuârunt, qui dixerunt, non esse Deum: sed casu omnia, & fortuitò agi? nônne, vt hæc audientes homines, & arbitrantes nullum esse iudicem, nullum prouisorem rerum, ad omne facinus, quod vel furor, vel auaritia, vel libido dictâsset, neminem verendo præcipites agerentur? Nam illi multùm reuerà iuuerunt mortalium vitam, qui dixerunt, nihil posse sine Genesi fieri: scilicet, vt vnusquisque peccati sui causam Genesi ascribens, semetipsum in sceleribus suis pronunciaret innoxium: dum crimen suum non pœnitendo diluit, sed factum culpando congeminat. Nam de illis, quid dicam, philosophis, qui Deos colendos esse introduxerunt: & tales Deos, quales paulò antè audistis? Quid fuit aliud decernere, nisi, vt vitia: nisi, vt flagitia colerentur? Pudet, miserétque me vestri, si creditis, quod indigna hæc esse & impia, atque execrabilia, aut non deprehendistis hactenus, aut deprehensa & intellecta, mala pro bonis & optimis coluistis. Tum præterea & illud quale est, quod præsumpserunt nonnulli philosophorum, vel de Deo loqui, cùm sint mortales: & opinione solâ de inuisibilibus dicere: vel de mundi origine, vbi non aderant, cum fieret: vel de fine eius, vel de animarum in infernis dispensatione & iudicio: nescientes, quod præsentia quidem & visibilia nosse, hominis sit rationabilis. Præterea verò, & futura, & inuisibilia scire, solius propheticæ præscientiæ sit. Non ergo hæc coniecturis & opinionibus colligenda sunt, in quibus valdè falluntur homines: sed fide propheticæ veritatis, sicut se habet hæc nostra doctrina. Nos enim nihil ex nobis loquimur, nec humanâ æstimatione collecta adnunciamus: hoc decipere est auditores: sed veri Prophetæ auctoritate nobis tradita, & manifestata prædicamus. De cuius præscientia & virtute propheticâ, si quis, vt dixi, ad liquidum vult documenta suscipere, sollicitus conueniat, & intersit ad audiendum: & euidentes dabimus probationes, quibus vim propheticæ præscientiæ, non solùm auribus audire: sed & oculis etiam videre, ac manu contrectare se credat. De quo cùm certam fidem conceperit, iugum iustitiæ & pietatis absq; vllo labore suscipiet: tantámque in eo sentiet suauitatē, vt

Prolixa patientia Dei.

Ezec. 18. Ioan. 12.

Vitia culta pro Diis.

De rebus diuinis loqui humanis coniecturis, quàm friuolum.

Sic etiam Petrus 2. epist. c. 1.

&

Appion Anubiõ.

non solùm nihil ei laboris inesse causetur, verùm & ampliùs aliquid addi sibi desideret, & imponi. Cúmque hæc & alia his similia dixisset, & nonnullos ea his qui aderant infirmos,& dæmonibus obsessos curâsset : gratulantes,& Deum collaudantes turbas dimisit : præcipiens eis, vt ad eundem locum, etiam consequentibus diebus audiendi gratia conuenirent. Cúmque domi iam inter nos essemus, ac præpararemus ad edendum, ingressus quidam nunciat Appionem Plistonicensem,cum Anubione nuper venisse ab Antiochia : & hospitari cum Simone. Tum pater audiens, gauisus est,& ait Petru : Si permittis volo & salutare Appionem, & Anubionem,quia valde amici mihi sunt. Fortassis autem Anubionem etiam suadere potero, disputare cum Clemente de Genesi. Et Petrus : Permitto,inquit : & laudo,quòd amicos colas : veruntamen considera,quomodo per prouidentiam Dei omnia tibi ex sententia concurrunt : ecce enim non solum affectio tibi propria Deo præstante reparata est:sed & amicorum præsentia procuratur. Et pater: Verè,inquit,aduerto ita esse,vt dicis.Et cùm hæc dixisset,abiit ad Anubionem. Nos autem cum Petro positi,per totam noctem interrogando de diuersis,& discendo ab eo, delectatione ipsâ doctrinæ,& suauitate verborum peruigiles mansimus.Et cùm iam aurotesceret, Petrus intuens me ac fratres meos, ait:Miror, quod visum sit patri vestro.

Plerisque totus hic locus valde suspectus est, de transformatione Faustiniani in Magum : quod in præfatione sua Rufinus testetur penitus illum non haberi in quibusdam codicibus : neque hæc res à fabula multum videatur abesse, non debuit tamen omitti, quando & manuscripti vetusti quidam codices eum habeant : & in Epitome referatur : denique perpetua sibique pulchrè coherens historia fere satis indicet παρεμβεβλημένον eum esse non posse.

Cúmque hæc diceret superuenit pater, & inuenit Petrum nobis de se loquentem. Cúmque salutasset, satisfacere cœpit ; & causam exponere, ob quam foris mansisset. Nos autem respicientes ad eum, expauimus, vultum in eo Simonis videntes : vocem tamen patris nostri audiebamus. Cúmque refugeremus eum, & execraremur, stupebat pater, quòd tam austerè cum eo ageremus & barbarè. Solus tamen Petrus erat, qui vultum eius naturalem videbat, qui & ait ad nos. Cur execramini patrem vestrum ? Cui nos vnà cum matre respondimus:Hic nobis Simon videtur,vocem habens patris nostri.Et Petrus: Vobis quidem vox eius, quæ maleficiis mutata non est, sola nota est:mihi autem etiam vultus eius,qui alius arte Simonis mutatus apparet, Faustiniani patris vestri notus est : & intuens patrem, ait : Causa, quæ coniugem tuam conturbat,ac filios,hæc est:species vultus in te non videtur illa, quæ fuit:sed facies execrandi Simonis in te apparet.Et cùm hæc diceret, ingressus quidam ex his, qui Antiochiam præcesserunt,dicebat ad Petrum : Scire te volo, Domine mi Petre,quod Simon apud Antiochiam publicè multa faciens signa,& prodigia,nihil aliud populo persuasit, nisi,quæ ad tui odium pertinent:Magum te nominans,maleficum,homicidam : & in tantum eos aduersum te odium concitauit, vt magnopere desiderent,si te vsquã inuenire queant, etiam carnes tuas deuorare : & ob hoc nos,qui præmissi sumus, videntes valde commotam contra te ciuitatem, occultè in vnum conuenientes, considerabamus,quid fieri oporteret. Cúmque nullum videremus exitum rei, superuenit Cornelius Centurio, missus à Cæsare ad præsidem Cæsareę,publici negotij gratiâ:hunc accersimus ad nos solum,causamque ei,qua mœsti essemus, exponimus : ac, si quid posset,vt iuuaret,hortamur. Tum ille promptissimè repromittit, se eum protinùs fugaturũ, si tamen consilio eius etiam nos adniteremur : cúmque nos polliceremur impigrè cuncta gesturos, ait : Cæsar in vrbe Roma, & per prouincias maleficos inquiri iussit ac perimi, ex quibus plurimi iam perempti sunt. Ego igitur diuulgabo per amicos,me,vt istum Magum caperem,venisse:& ob hoc missum à Cæsare, quo etiam hic cum cæteris suis sociis puniatur. Vestri ergo, qui cum ipso sunt, occultè quasi vndecunque audierint, dicent ei, quod ego ad ipsum capiendum missus sim:& certum est, quod cum audierit, fugiat : aut si vos aliquid meliùs videtis, dicite. Quid plura?ita factum est à nostris, qui cum ipso erát,explorandi gratiâ simulati. Vbi didicit Simon ventum esse ad se,tanquam ingens sibi beneficium collatum ab eis accipiens, in fugam versus est. Discedens igitur ea Antiochia,cum Athenodoro huc venit,sicut audiuimus,hoc ergo visum est nobis omnibus, qui præcessimus, vt interim nunc ascendas Antiochiam, vsquequo videamus,num illo discedente, odium, quod de te populo seminauit, aliquâ ex parte vacuetur. Cùm hæc insinuâsset is,qui de Antiochia venerat, Petrus respiciens ad patrem nostrum, ait : Faustiniane,à Simone Magu trãsformatus est vultus tuus, sicut apparet : putans enim, quod à Cæsare quæreretur ad pœnam, territus fugit, & suum vultum tibi imposuit, si fortè tu pro ipso capereris : & ad mortem duci possis: vt filiis tuis tristitiam moueret. Pater verò vbi hæc audiuit, cum lachrymis exclamans : Rectè, inquit, æstimâsti Petre : nam & Anubion, quia mihi valde amicus erat,sub mysterio quodam mihi indicare cœperat,de insidiis eius: sed infœlix non credebam : quia nihil in eum commiseram mali. Cúmque omnes vnà cum patre tristitiâ & lachrymis ageremur,interea & Anubion venit ad nos, indicans nobis Simonem fugisse per noctem,Iudæam petentem. Videns autem patrem nostrum plangentem & lamentantem se, ac dicentem:Infœlicem me, qui eum Magum audiens non credebam:quid mihi misero accidit,vt vna die recognitus ab vxore, & filiis, lætari non potuerim ; cum eis;sed ad priores miserias, quas in errore pertuli, reuolutus sum ? Mater autem multò grauiùs sparsis & laceratis crinibus plangebat : nos quoque in permutatione vultus patris stupentes, nec,quid rei esset,intelligere poteramus. Sed & Anubion omnes nos ita videns affligi,velut mutus stabat. Tunc Petrus nos intuens filios eius, ait : Mihi credite, quòd hic ipse est pater vester : propter quod & moueo vos, vt quasi patrem seruetis eum. Dabit enim Deus occasionem aliquam, quia deposito Simonis vultu, euidentem patris vestri, id est, suam recuperare possit effigiem. Et ad patrem reuersus, ait : Ego tibi permiseram salutare Appionem,& Anubionem : quos tibi amicos à puero fuisse dixeras : non tamen, vt cum Simone loquereris. Et pater : Peccaui, inquit, fateor. Tum Anubion:Et ego,inquit,cum ipso rogo & deprecor te, vt ignoscas seni, viro bono, & generoso: seductus est infœlix,& ludibrio factus,à nominato Mago: dicam enim, quomodo res gesta est. Vbi venit ad salutandos nos, contigit, vt in ipsa hora circumstaremus Simonem audientes eum dicentem, quod fugere vellet : in ipsa nocte audisse enim se, quod venerint quidam etiam ad hanc Laodiceæ ciuitatem, qui eum ex præcepto Imperatoris comprehenderent : velle autem se in hunc, qui nuper ingressus est Faustinianum, omnem conuertere furorem. Et ait ad nos : tantùm, inquit, vos facite eum cœnare nobiscum : & ego vnguentum quoddam componam, quo cœnatus perungat faciem suam ; vt ex eo meum vultum omnibus habere videatur : vos autem herbæ cuiusdam succo facies perungemini priùs, vt non fallamini de immutatione vultus eius : ita, vt exceptis vobis, aliis omnibus Simon esse videatur. Et cùm ille hæc diceret, aio ad eum : Et quid tibi ex hoc facto confertur lucri ? Tum Simon : Primò, inquit, vt ipsum comprehendant, qui me quærunt, & me desinant quærere. Si verò punitus fuerit à Cæsare, vt luctum maximum habeant filij sui, qui me derelicto, confugerunt ad Petrum : & sunt modo adiutores ipsius. Ego autem confiteor tibi, Petre, quod verum est : timui tunc Faustiniano indicare hæc: sed neque spacium nobis ipse Simon dedit, vt possemus secretiùs loqui, & pleniùs ei consilium Simonis aperire. Interea circa mediam noctem, Simon in Iudæam petens aufugere, (deduxit autem eum Athenodorus & Appion,) ego simulaui inæqualitatem corporis tanquam dormituriens, vt dormire manens, facerem hunc velociùs ad vos redire : si fortè possit aliquo modo occultari apud vos : ne ab his, qui

Simon in Iudæam fugit.

Cornelius centurio is, qui Act. X. iustus & timens Deum dicitur.

Simonem quærunt, comprehensus, ad Cæsarem perducatur: & pereat gratis: & nunc solicitus pro ipso, veni videre eum, & redire antequam superueniant illi, qui deduxere Simonem. Et conuersus ad nos Anubion ait: Ego Anubion patris vestri verum vultum video reuera: quia perunctus sum prius ab ipso Simone, sicut narraui vobis, vt oculis meis vera Faustiniani facies appareret, vnde satis stupeo & admiror artem Simonis Magi, quod vos stantes modò non agnoscitis patrem vestrum. Flentibus autem patre & matre, ac nobis omnibus pro his, quæ acciderant, motus miseratione etiam Anubion, flebat. Tum Petrus misericordia permotus, restituturum se promittit faciem patris nostri, dicens ad eum: Audi Faustiniane, cùm nobis prius vtilitatis aliquid contulerit error iste transformati vultus tui, & ministrauerit ad ea, quæ volumus, tunc ego veram sibi vultus tui imaginem reddam: si tamen prius, quæ à me tibi fuerint imperata, profligaueris. Cumque pater meus impleturum se cuncta, quæ iuberet, omni promitteret pacto: tantum, vt propriam recuperaret effigiem: Petrus ita cœpit: Ipse auribus tuis audisti, quod vnus ex his, qui præmissi fuerant, regressus ex Antiochia, nunciauerit, quomodo Simon ibi positus, turbas aduersum me concitauerit, atque in odium mei totam inflammauerit ciuitatem: magum me & homicidam ac deceptorem confirmans: in tantum, vt desiderent, si me videant, etiam carnes meas deuorare. Fac ergo, quod ego dico tibi, relinquens apud me Clementem, præcede nos Antiochiam cum coniuge tua, & Fausto ac Faustino filiis tuis. Sed & alios mittam tecum, quos mihi videbitur, qui obtemperent his, quæ præcepero. Cùm ergo vnà cum ipsis Antiochiam veneris, quandoquidem Simon videris, publice stans prædica pœnitentiam tuam, & dic: Ego Simon denuncio vobis & confiteor, me omnia fefellisse de Petro: ille enim neque seductor est: neque magus: neque homicida: neque horum aliquid, quæcunque contra eum loquutus sum: sed dixi illa omnia furore commotus. Obsecro ergo vos ipse ego, qui dudum causas odij vobis contra eum dederam, vt nihil sale de eo sentiatis: sed deponite odium, cessate ab indignatione, quia verè à Deo ad salutem mundi, missus est discipulus veri Prophetæ, & Apostolus. Propter quod suadeo, hortor, & moneo, vt ipsum audiatis, ipsi credatis prædicanti vobis veritatatem, ne fortè si spreueritis eum, ipsa etiam subito ciuitas vestra pereat. Quam vero ob causam hæc nunc vobis confitear, indicabo. Hac nocte Angelus Dei corripuit me impium, & cur inimicus essem veritatis præconi, vehementissimè flagellauit. Deprecor ergo vos, vt, etiam si ego ipse post hæc veniens ad vos, aliquid tentauero aduersum Petrum dicere, ne suscipiatis, nec credatis. Confiteor enim vobis, ego magus, ego seductor, ego deceptor fui, sed pœnitentiam ago: licet enim per pœnitentiam priora male gesta delere. Cum hæc Petrus intimaret patri, ille respondit: Scio, quid velis, ne labores vltra: intellexi enim & noui, quid oporteat, cum ad locum venero, prosequi. Et Petrus iterum suggerebat, ei, dicens: Cum ergo veneris ad locum, & videris populum ex sermone tuo conuerti? &, depositis odiis recipere desiderium nostri; mitte & manda mihi, & statim veniam. Cum autem venero, sine mora alienum hunc à te vultum effugabo, & tuum proprium, qui tuis omnibus notus est, reddam. Et his dictis fratres meos proficisci cum ipso iubet, ac Mathidiam matrem nostram, & quosdam ex familiaribus simul. Sed mater recusabat proficisci simul, & aiebat: Quasi adultera mihi futura videor, si vultui Simonia coniuncta sim: quod etsi cogar simul ire, impossibile tamen est, vt in eodem lectulo cum ipso iaceam: sed nescio, si proficisci simul acquiescam. Et cùm valde renueret, Anubion hortari eam cœpit, dicens: Crede mihi & Petro: sed & ipsa vox non tibi Faustinianum esse persuadet coniugem tuum, quem verè non minus ego diligo, quam tu? Denique etiam ego ipse vobiscum veniam. Et cum hæc dixisset Anubion, promisit mater simul se profecturam. Tum ego, Competenter, aio, Deus negotia nostra componit: habemus enim nobiscum & Annubionem astrologum, cum quo, si Antiochiam venerimus, de Genesi attentius disputabimus. Cumque post medium noctis pater noster, cum his, quos iusserat Petrus, & Anubione profectus esset, manè, priusquam procederet ad disputandum Petrus, regressi sunt illi, qui deduxerunt Simonem, id est, Appion & Athenodorus: & venerunt ad nos, requirentes patrem meum. Petrus vero, vbi cognouit, iussit eos introire. Et cùm consedissent, Vbi est, aiunt, Faustinianus? Petrus respondit, nescimus: vespere enim postquam ad vos venit, vltrà nulli suorum visus est: hesterno tamen die manè Simon venit, quærens eum, & quia nihil illi respondimus nescio quid ei visum sit: Faustinianum se esse dicebat: quod cum ei nemo crederet, flens & dolens comminabatur peremptorum semetipsum, & post hæc abiit ad mare versus. Hæc cum audisset Appion, & qui cum ipso erant, vlulatum dederunt grandem, dicentes: Quid hoc fecistis, cur non recepistis eum? Et cùm vellet Athenodorus dicere mihi, ipse fuit Faustinianus pater tuus: Appion præueniens eum: Comperimus, inquit, à quodam, qui cum Simone profectus est, ipso Faustiniano deprecante, eum, pro eo quod nollet filios suos videre, quia Iudæi erant. Nos ergo cùm audissemus hæc, venimus eum hic requirere: sed quia hic non est, apparet, quod verè dixit, qui nunciauit, eum cum Simone profectũ: hoc ergo nuntiamus vobis. Ego autem Clemens, vbi intellexi consilium Petri, quia voluerit eis suspicionem dare, quod ab ipsis quærendus esset senex, vt timerent & fugerent, cœpi iuuare consilium eius, & aio ad Appionem: Audi charissime Appion, nos, quod bonum credimus, etiam patri tradere volumus: quod si noluerit recipere, sed magis, vt dicis, exhorrescens nos fugit, (asperum sit fortasse, quod dico) nec nos de eo curamus. Et cum hæc dixisset, quasi execrantes crudelitatem meam discedunt, vestigia Simonis, vt sequenti die comperimus, insequentes. Interea, cùm Petrus ex more quotidie populum doceret: & virtutes multas ac sanitates efficeret: post dies decem venit quidam nostrorum ab Antiochia, missus à patre, adnuncians nobis, quomodo publicè staret pater, Simonem quidem, qui in vultu videbatur, accusans: Petrum verò immensis laudibus præferens: & omni populo commendans, ac desiderabilem faciens: ita vt omnes ex eius sermone mutati, desiderarent eum videre multos autem tantum in Petri amorem venisse, vt sæuirent in patrem, quasi in Simonem: & manus ei vellent iniicere, velut qui tantum mali commisisset in Petrum: propter quod, aiebat, adpropera, ne fortè perimatur: in tempore enim magno positus, velociter misit me, vt sine mora venias, quo viuentem eum occupes: simul & crescenti erga tui desiderium ciuitati, opportunus appareas. Aiebat etiam, quomodo mox, vt vrbem Antiochiam pater ingressus esset, quasi ad Simonem, omnis populus ad eum collectus esset, & cœpisset omnibus confiteri publicè secundum ea, quæ populi restauratio flagitabat: nam, quicunque, omnes simul, nobiles & diuersi simul diuites ac pauperes conuenissent, sperantes aliqua ab eo, more solito, prodigia posse fieri, omnes hac voce adloquitur: Diu est, quod me Simonem infœlissimũ hominum patientia diuina sustinet: nam, quicquid in me mirati estis, non veritatis mysterio, sed dæmonum mendaciis & artibus gestum est: vt vestram fidem euerterem, & meam animam condemnarem. Confiteor me omnia de Petro finisse mentitum: ille enim neque Magus, neque homicida vnquam fuit: sed à Deo ad salutem vestram omnium missus est quem si ex hac hora contemnendum putaueritis, certum sit apud vos quod possit ipsa ciuitas vestra repente deperire. Quæ autem causa sit, vt hæc vobis vltrò confitear: ab Angelo Dei hac nocte vehementer correptus sum, & cur ei inimicus extiterim, vehementissimè flagellatus. Deprecor ergo vos, vt si ego ipse ex hâc hora aperuero os meũ contra eum, proficiatis me ab aspectu vestro: ille enim immundus dæmon saluti hominum inimicus, per os meũ contra ipsum loquitur, ne per eum vos pertingatis ad vitam. Quid enim ars magica per me vobis potuit virtutis ostendere? Canes feci æreos latrare: & statuas mouere: figuras mutare hominum, & subitò ab aspectibus hominum absentari: sed per hæc debuistis

Nec illa habentur in nonnullis codicibus, nec mihi arrident. Non enim decuit Petri astutiæ nec eo fuit illi opus in Euangelico negotio.

Faustinianus, subdititius, Simon Antiochia plebē reconcillat Petro.

Talia patrasse Magum, suprà dictum est.

Vide & Nic.Call. libro 2. cap.27.

artem magicam execrati, quæ, vt vobis miraculum inane prætenderem: animas vestras diabolicis laqueis innodabant, ne crederetis Petro: qui & languentes in nomine eius, à quo missus est, curat: & dæmonas fugat: ac cæcos illuminat: & paralyticis salutem reddit: & mortuos suscitat. Hæc & his similia multa prosequente, execrari cœpit populus, & dabant fletum & gemitum, quòd peccâssent in Petrum, credentes eum esse magum, & impium. Eodem verò die ad vesperam restituta est in Faustiniano facies propria, & abcessit ab eo aspectus Simonis Magi. Audiens autem Simon, vultum suum in eo ad Petri gloriam profecisse, festinus præuênit Petrum, agere cupiens arte suâ, vt à Faustiniano eius similitudo recederet, cùm iam hoc iuxta verbum Apostoli sui Christus implêsset. Videntes autem Niceta & Aquila post prædicationem necessariam, paternam faciem restitutam: gratias agentes Deo, non eum permiserunt vlteriùs adloqui populum. Simon autem cœpit, licet occultè, per amicos suos & familiares ambulare, & ampliùs Petro derogare, quàm anteà. Tunc omnes expuentes in faciem eius, expulerunt eum de ciuitate, dicentes: Tu eris reus mortis tuæ, si vlteriùs loquutus contra Petrum, huc tibi credideris esse veniendum. Quibus cognitis, Petrus posterâ die conuenire populum iubet, & vno ex his, qui sequebantur eum, ordinato eis Episcopo, aliis etiam presbyteris: baptizatis quoque plurimis: & omnibus, qui erant vexati languoribus, vel dæmonibus, sanitati redditis: demoratus ibi aliud triduum, cunctis ritè compositis, valedicens eis, proficiscitur à Laodicea multùm desiderabilis Antiochensium plebi: & cœpit per Nicetam & Aquilam tota ciuitas audire, quod Petrus aduentaret. Omnis autem populus Antiochiæ ciuitatis, audiens Petrum venire, occurrerunt ei: & penè omnes maiores natu & nobiles, cinere aspersi in capite, pœnitentiam agentes, qui contra prædicationem eius, Magum Simonem suscepissent: Hæc & his similia prosequentes, offerunt ei vexatos languoribus, & dæmoniis fatigatos, paralyticos quoque, & diuersa pericula patientes: & erat infinita multitudo simul languentium. Quos videns Petrus non solùm pœnitudinem agere, quòd de eo malè sensissent per Simonem, verùm etiam & iam integram fidem exhibere iubebat Deo; vt etiam omnes, diuersas ægritudines patientes, crederent per eum posse saluari, expandit ad cœlum manus suas, & cum lacrimis orationem effundens, gratias referens Deo, dicebat: Benedicte pater prædicande, qui omne verbum & promissum filij tui adimplere dignaris, vt cognoscat omnis creatura, quia tu solus Deus in cœlo & in terra. Hæc & his similia dicens, ascendit in eminentiore loco, & iussit ante se poni omnem multitudinem ægrotantium quos omnes hac voce alloquutus est: Similem vobis hominem me esse videntes, nolite putare, quòd à me possitis recuperare salutem vestram: sed per eum, qui de cœlo descendens, ostendit credentibus sibi, integram animæ & corporis medicinam: vnde vox vestra testem habeat hunc omnem populum, quod ex toto corde credatis in Dominum Iesum Christum, vt sciant etiam seipsos ab ipso posse saluari. Cumque omnis multitudo infirmantium vna voce clamaret, hunc esse verum Deum, quem Petrus adnunciaret, subitò immensum lumen gratiæ Dei in medio plebis apparuit, & cœperunt paralytici currere ad pedes Petri, sani: cæci, recuperato visu clamare: claudi, restauratô gressu gratias agere: languentes, receptâ sanitate gaudere: nonnulli etiam solo flatu viuentes, iam sine sensu & sine voce recuperati sunt: omnes quoque lunatici, & pleni dæmoniis liberati sunt. Tantam itaque spiritus sanctus in illa die gratiam suæ virtutis ostendit, vt omnes à minimo vsque ad maximum vna voce confiterentur Dominum: & ne multis immorer, intra septem dies, plùs quàm decem millia hominum credentes Deo, baptizati sunt, & sanctificatione consecrati: * ita, vt omni auiditatis desiderio, Theophilius, qui erat cunctis potentibus in ciuitate sublimior, domus suæ ingentem Basilicam, Ecclesiæ nomine consecraret: in qua Petro Apostolo constituta est ab omni populo cathedra: & omnis multitudo quotidie ad audiendum verbum conueniens, credebat sanæ doctrinæ, quam sanitatum efficacitas adfirmabat. Tum ego Clemens cum fratribus meis & matre patrem adloquimur, vtrum aliquæ infidelitatis in eo reliquiæ remansissent. At ille: Venite, ait, & videbitis coram Petro, quantum in me fidei creuerit incrementum. Tunc accedens Faustinianus, procidit ad pedes Petri dicens: Semina verbi tui, quæ ager meæ mentis accepit, iam nata sunt: atque ita ad fœcundam maturitatem prouecta sunt, vt nihil desit: nisi, vt à paleis me spiritali illâ tuâ defeces falce, & reponas me in horreo dominico, facias me mensæ diuinæ participem. Tum Petrus cum omni alacritate adprehendens manum eius, tradidit eum mihi Clementi, & fratribus meis, dicens: Sicut tibi patri filios restituit Deus: ita & patrem filij restituunt Deo. Indixit autem ieiunium omni plebi, & veniente die dominicâ, baptizauit eum: atque in medio populo, ex conuersione eius materiam sumens, omnes casus eius exposuit: ita vt omnis ciuitas quasi Angelum eum susciperet: & non minorem ei gratiam; quàm Apostolo exhiberet.

Faustiniano natiua facies restituitur.

Simon eiectus Antiochia.

Deo referendum acceptum si quid gesti fuerit ab hominibus paulo diuiniùs.

** Vide priscum vsũ Dei dicandorum & consecrandarũ Ecclesiarum.*

Cathedra Petro Antiochia constituta.

Faustinianus quantum promouerit.

Recognitionum Diui Clementis Libri decimi & vltimi Finis.

NOTA.

Reliqua Diui Clementis Opera, nempe libros octo Constitutionum Apostolicarum (quorum vltimo Liturgia continetur;) Canones item Apostolorum ab eo collectos, & Epistolas sex cum fragmento septimum hic adijcere superfluum duximus, cum tomo primo, nouissima editionis Conciliorum Generalium impressa reperiantur.

FINIS PRIMI SÆCVLI BIBLIOTHECÆ Patrum Sanctorum.

A

E

DE SEQVENTIBVS
OPVSCVLIS OBSERVATIO,

Quamuis qui sequuntur Authores frontem huius Bibliothecæ occupare debuissent, quippe qui ante tempus Incarnationis vixerint, eos tamen ad calcem huius primi Sæculi reijcere placuit, eo quod nullius vel dubiæ admodum fidei apud eruditos pleró{s}que eorum opuscula habeantur.

B

F

ARISTEÆ DE SEPTVAGINTA duobus Scripturæ Sacræ interpretibus, ad Philocratem Patrem, Historia.

DE ARISTEA; ET AB EO Descripta, 70. Scripturæ interpretum Historia.

Ex Iosephi Antiq. Iudaicarum, lib. 12. cap. 2.

C

G

QVi vult singula cognoscere, quæ in conuiuio illo [Ptolomæi Regis 70. Interpretum] *præparata fuerunt? legat volumina Aristeæ ita, quæ propter hoc conscripserat; & intelliget.*

Ex Tertulliani Apologet. Cap. 18.

Affirmauit hæc [70. videlicet Interpretum sententiæ communionem] *vobis etiam Aristeas ita in Græcum stylum ex aperto monumenta reliquit.*

Ex Eusebio, Præparationis Euangelicæ, lib. 8. Cap. 1.

Fuit quidem Traductio facta temporibus secundi Ptolomæi, qui Philadelphus vocatus est? quam rem Aristæas, vir doctus, vtpote qui rebus aderat, diligenter conscripsit.

D

H

Ex Epiphanii libro de ponderibus & mensuris.

Primi Interpretes diuinæ Scripturæ fuerunt, ex Hebraica lingua in Græcam, 72. viri, qui eandem primam interpretationem tempore Ptolomæi Philadelphi interpretati sunt, & electi fuerunt ex 12. Tribubus Israël, ex singulis Tribubus 6. viri, velut tradit Aristeas in libro suo.

NOTA.

Proinde non iniuria miratur D. Perionius, in Obseruationibus in S. Iustini Parænesim ad Gentes; quinam venerit in mentem Loduico Viui ad Cap. 42. lib. 18. de Ciuitate Dei, S. Augustini; suspicari librum hunc non ab Aristæa, sed ab aliquo recentiore Scriptore compositum: Nam præter superiores Patres, ipse etiam D. Hieronymus in Præfat. in Pentateuchum, & Apol. 1. contra Ruffinum. Philo Iudæus, & Zonoras Annalium Tom. 1. partim tacito, partim expresso Authoris nomine, multa ex hoc libro citant: hanc verò historiam Aristæa non esse, vel repertâ & editâ aliâ Aristeæ Historiâ, vel certo, aliquo argumento nemo adhuc demonstrauit.

Existimauit quoque hoc opus non esse Aristeæ illius Ptolomæi hyperaspistis Leo Castrus Præfat. in Comment. Isa. cap. 35. At illius esse confirmant quoque Bellarminus lib. 2. de verbo Dei, cap. 6. & Possevinus in apparatu sacro.

De 72. Interpretibus, & Aristæa ex Bellarmino de Sctiptoribus Ecclesiasticis.

A*Nno septimo decimo Ptolomæi Philadelphi Regis Ægypti, qui fuit annus Mundi ter millesimus septingentesimus vicesimus, facta est celeberrima illa versio sacrarum Scripturarum ex lingua Hebraica in Græcam à septuaginta duobus viris doctissimis, non sine miraculo diuino, conuenientibus tot hominibus in vnam, & eandem versionem, vt scribunt Philo libr. 2. de vita Moysis, Iosephus lib. 12. antiq. cap. 2. Tertullianus in Apologetico cap. 18. Athanasius in Synopsi, Epiphanius de mensuris, & ponderibus, & Augustin. lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 45. sed Epiphanius non solum nominat Regem: sed etiam annum 17. Regni eius. Qui fuerint viri illi doctissimi, & nomina, exponit Aristæas in suo libro de septuaginta duobus interpretibus, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum Tomo 7. editionis secundæ. Et quamuis aliqui recentiores existiment, Aristæam, qui nunc exstat, non esse illum, qui vixit tempore ipsorum septuaginta interpretum, sed confictum ab Hebræis: tamen verè esse illum ipsum, satis probatur ex eo, quòd omnia, quæ citant ex Aristæa Ioseph. lib. 12. antiquit. cap. 2. Tertullianus in Apolog. cap. 18. Eusebius libr. 8. de præparatione Euangelica cap. 1. & sanctus Hieronymus præfatione in Pentateuchum, inueniuntur in hoc nostro ad verbum.*

Vide, si places, de 72. Interpretibus in nostro libro secundo, capite sexto de Verbo Dei.

Vide etiam de eodem Aristea Salianum tom. 5. annalium veteris Testamenti anno 3775. numero 50. & sequentibus; quo loci quæstionem fusè discusit de legitimo authore huius opusculi.

PROEMIVM ARISTEÆ.

CVm permagni semper feceris (Philocrates) cuiusque rei cognitionem, miroque discendi amore tenearis: rem præstantem & cognitu dignam ad te scribere statui, quæ nuper nobis contigit apud Eleazarum summum Iudæorum sacerdotem. Verùm enim quò harum rerum facilior tibi foret cognitio: causas primùm ob quas eò missi sumus, inde rem ipsam quam verissimè explicare conabor, cùm propter ipsius rei dignitatem, tùm propter eam (quæ animo tuo insita est) rerum omnium noscendi cupiditatem. Inest namque id homini præstantissimum, vt vel ab Historiis, vel ab ipsis rebus semper aliquid discat. Sic enim rudis adhuc animus & quasi infans maximè exornatur: cùm in initio pulcherri-

ma quæque & rerum dignissima complectens, pietatem lege infallibili, rationemque sequitur. Igitur cùm rerum diuinarum notitiam magno studio perquireremus, & diuipa lex sine interprete cognosci non posset: nos pro eius translatione legationem vel vltrò suscepimus, ad hunc talem virum qui bonitate & gloria, & à suis ciuibus & aliis omnibus honoratissimus habeatur, quique magno decori atque vsui sit non solùm his quibus cùm vnà versatur, sed cæteris etiam ciuibus quotcunque in loco sint: diuina siquidem lex apud eos membranis conscripta, literis Hebraicis continetur. Hanc verò rem nos cupidè egimus sumpta à Rege proficiscendi occasione à Iudæorum Coloniis. quæ primùm à Patre huius Regis (qui vrbem & prouinciam obtinuit) in Ægyptum deductæ sunt. Sed quando in harum rerum mentionem deuenimus, dignum duximus eadem tibi aperire, quò maior inde esset cognitio. Arbitramur te namque venerando cultui longè magis intendere, quàm hominum (etsi sanctas) legum constitutiones inquirere, quod quidem desiderium tuum vel maximè patet, quando ex Insula ad nos vsque profectus sis, ea solum gratia vt quicquid vbique esset, quod animum exornaret, coràm cognosceres. Etenim primò, quæ memoratu digna visa sunt de Iudæorum genere ad te scripsi, sicuti accepi ab eruditissimis Ægypti sacerdotibus, viris quidem prudentissimis, quo eruditionem hanc tuam, si quomodo possem, iuuarem. Oportet enim acceptas gratias omnibus quidem referre, sed maximè similibus: verum multò magis tibi, cui cognita sit virtus; neque solum ex genere ipso fratris nomen referas, sed & decus quidem & pulcritudinem, & eodem mecum impetu ducaris. Neque enim auri gratia, aut quiuis preciosissimarum rerum ad inanem gloriam apparatus, eos nobis fructus afferunt quales ab eruditionis institutione, earumque rerum consideratione percipimus. Sed ne longius præfati, nos ad ostentationem exercere videamur, iam redeat vnde discessit oratio. * Demetrius Phalereus cùm regis Bibliothecæ præpositus esset, diligenti cura elaborabat, vt ex vniuerso orbe (quoad fieri posset) volumina compararet, distributis per opportuna loca hominibus, qui libros & emerent & transcriberent. Quo studio demum perfecit, vt quantum in se erat, adimpleretur Regis propositum. Nam præsentibus nobis, cùm ab eo peteretur, quot librorum milia congregasset (inquit) Rex supra ducenta milia iam in Bibliothecam redacta sunt, breuique numerum adimplebo, qui ad quingentorum milium summam ascendat. Nunciatur quoque mihi Iudæorum leges transcriptione dignas esse, & quæ in Bibliotheca tua habeantur. Quid igitur obstat, ait, quod te hoc facere prohibeat? Nónne omnia tibi in hunc vsum prompta subiectaque sunt. Cùm repondisset Demetrius, interpretatione opus esse, quoniam ita propriis characteribus secundùm eorum linguam Iudæi vterentur, quemammodum & Ægyptij suarum literarum dispositionem ad propriam vocem sequantur: Nam longè falluntur, qui Syria lingua illos loqui putant, cùm alius sit illorum dicendi modus. Intercipiens ea Rex (inquit scripturum sese ad Iudæorum Pontificem, vt omnia perficiantur. Hic equidem tempus adesse ratus sum eos liberandi quos ex Iudæa, Regis Pater traduxerat, quaque pro re sæpè rogaueram Sosibium Tarentinum, & Andream præfectum corporis custodum. Ille enim vnà cum Andrea ducens exercitum per Celem, Syriam adque Phœniciam omnia sibi subiecit. Nam hos quidem in Coloniam, illos in prædam abduxit, cuncta terrore prosternens, adeò vt ex Iudæa hominum centum milia in Ægyptum deduceret. Ex quorum numero armatis electorum triginta millibus, eos in Prouinciæ custodiam disposuit. Antea quoque & multi cum Persis, atque inde aliis cum sociis, qui aduersus Æthiopum regem cum Psammitico missi sunt, venerant, sed non tanta multitudine affuerunt, quantam solus Ptolomæus Lagus deduxit: Nam sicut diximus ille viros quosque ætate atque robore præstantes eligens, armauit. Cæteram verò colluuionem iuniorum, senum, & fœminarum, in Coloniam instituit, ea mente, vt si quando milites sui ob bellorum necessitatem insolescerent, his eorum iactantiam compesceret. Nos igitur qui ad horum hominum libertatem, modum aliquem (quemadmodum dictum est) perquirebamus: sumpta tunc opportunitate, verbis huiusmodi ad regem vsi sumus. Non absurdum est Rex, si aliquando accidat, vt quis ab ipsa re redarguatur. Nam cùm omnibus Iudæis vna sit lex, quam nos non solùm transcribere cupimus, sed interpretari, qua ratione ad eos mittemus, quando in regno tuo detinetur magna eorum multitudo? Verum enimuerò diues animus & præstans, solutis his qui in ærumnis habentur, legem peteret: præsertim, quando Deus ipse regnum tuum fortunet, qui illis eam legem dedit propter quam tantopere laboramus omnium enim factorem & creatorem Deum isti colunt, quem & mortales omnes. Sed nos Rex aliter denominantes, Iouem appellamus, quemadmodum non insipienter maiores nostri significarunt, quoniam singula, quæ sunt per eum & fiant & viuant, quem ductorem omnium & dominatorem volunt; qui etsi omnes mortales subiectos habeat, tamen splendore animi præfulgens, implorantium vota minimè fallit: sic & nos animo Deum precari debemus, vt mentem nostram erga omnium libertatem rectè instituat. Nam cùm figmentum Dei genus hominum sit, & mutetur rursus atque vertatur ab eo, propter hoc sæpius multisque modis precamur dominatorem cordium ea perficere, quæ imploramus. Hoc equidem sermone, magnam spem conceperam rei patrandæ: cùm præsertim recta precantibus, diuinum quoque nomen adsit. Quæ enim ad iustitiam atque bonorum operum rationem tendunt, si ea homines sanctè agere enituntur, dominator omnium Deus, illorum actiones, affectusque dirigit. Rex tunc paululum se inclinans vultu exhilarato, quot (inquit) milia esse arbitraris? Andreas, qui aderat, breui respondit, supra centum milia. Tunc Rex: Paruum est (inquit) quod nos orat Aristeas. Sosibius autem & astantium quidam, dignum est (aiunt) tua magnanimitate Rex, si horum libertatem pro gratiarum munere, maximo Deo offeras. Nam cùm maximè honoratus es à dominatore omnium, & sublatus super maiores tuos, decens quoque est, vt maiores etiam tu gratias referas. Hic Rex conuiuio in lætitia effusus, conquiri omnes præcepit, ac singulorum corpora dragmis viginti redimi: proponique super his edicta, celeri hac in re promptitudine vsus. Deus enim desideria nostra perficiebat: impellebatque illum non solùm eos libertati reddere, qui ab exercitu Patris transducti fuerant, sed omnes qui & prius & postea quocumque modo in regnum peruenissent: precium autem redemptorum supra quadringēta talenta ascendit. Edicti verò exemplum ad te transcribere, haud absurdum duxi, quò clarius appareat & rei magnitudo, & regis facilitas. Deus enim illum in multorum salutem impulit.

Vide Iosephi lib. 12. Antiq. Cap. 11.

* Hæc citat Eusebius paucis immutatis. Euang. Præp l. 8. Cap. 1.

Demetrius, Phalereus.

Sosibius. Andreas.

Psammiticus.

Iupiter.

Edictum liberationis Iudæorum.

OMnes qui cum Patre meo per Syriam atque Phœniciam militantes, Iudæam terram intrauerunt, abduxeruntque Iudæorum corpora quæ in vrbibus, in agro, aliisque operibus relegauerunt, ea omnia soluere iubemus & libera esse. Præterea & Iudæos omnes qui vel prius vel postea quocunque modo abducti sint, libertati restituere, pro quibus statim in corpus quodque dragmas viginti accipiant: quas milites quidem in cibariorum distributione, cæteri ex regia mensa sument. Arbitramur namque præter Patris mei consilia, præterque æquum & rectum hos captiuos deductos, vastatamque regionem, atque hominum huiusmodi in Ægyptum deductionem, militum temeritate factam esse putamus. Satis enim commodi sibi fuerat ex loci militibus, quando prouincia omnis dicto pareret. Cùm igitur iusta vniuersis hominibus reddere intendamus, atque his maximè quibus per iniuriam dominamur, perscrutantes singula quæ ad rectum iustumque ducunt, ac pietatem ante omnia proponentes: quæcunque Iudaicorum corporum

A vbique vel in Coloniis vel quocumque modo in regnum deducta, capite seruiant, libera esse censemus. Ad hæc ne quis damno afficiatur, iubemus, vt omnes, tribus diebus ex quo hoc edictum fixum fuerit, extemplo libellos porrigant, quibus certo contineatur, quot quisqoe capita libertati tradiderit, hoc enim sic perfici, & nobis & regno conducere arbitramur. Eorum verò qui non paruerint, bona publicentur, quos quisquis deferre voluerit, cuiuscunque sententiam aperiat, imperamus. Perfecto edicto cum id Regi traderetur, vt cognosceret, an ita ex voluntate sua conscriptum esset, & cætera omnia adessent (præter hoc tantum) & qui antea quique postea in regnum peruenissent: Rex id ipsum ob magnificentiam adiecit, moxque accumulatam pecuniam depromi ac ministris nummularijsque suis distribui iubet. Dicbus verò septem perfecta est huiusmodi distributio: persolutaque sunt supra sexcentorum sexaginta talentorum milia. Nam ingens puerorum multitudo cum ipsis matribus libertati reddita est, & in cuiusque capita pro regia iussu dragmæ vigiori appensæ, hæc enim summa cum voluptate perfici mandauerat. Post hæc imperat Rex Demetrio, vt summam Hebraicorum voluminum sibi libello præbeat. Mos namque regibus his, cuncta edictis proferre: ita vt nec minimum quidem sine rescripto agatur propter magnificentiam, & certam rerum fidem. Quapropter quo res ipsas vel oculis cernere possis: Rogationis, & Epistolarum exempla traduxi: licet enim ipsis in tabulis cerni liberatorum multitudinem: quóve quisqoe habitu & arte differret: Rogationis verò Demetrii, ad Regem, exemplum hoc est.

B *Ægyptiorum, regum rescripta.*

Demetrij Rogatio.

CVm instituisses Rex, vt volumina vndique perquirerentur, quæ ad implendam Bibliothecam tuam decentemque ornatum facerent. Id equidem omni diligentia, cuncta perscrutans, tibi significo Iudæorum legis libros, & paucos quosdam adhuc deesse. Illa quidem Hebraicis literis & lingua conscripta est, & propter hoc hactenus suis tantum cognita, ad regias manus adhuc minimè peruenit. Sed digna est, vt ipsa quoque inter tuos libros habeatur, cùm propter sapientiam quæ in illa continetur, tùm propter eius sublimitatem, vtpote diuinam. Cuius rei gratia & apud Poetas & Historicos, horum voluminum frequens est mentio: quoniam perutilis sit & ad regendos mores, & respublicas instituendas, ob hominum præstantiam, qui illic describuntur, & rerum venerationem, quemadmodum Hecateus Abderites inquit. Igitur si tibi videtur rex scribatur Hierosolymam ad Pontificem, vt mittat ad te ex omni Tribu, sex viros quidem optimis moribus institutos, & ætate venerandos, ac ipsius legis meditatione doctissimos, vt multia omni acumine interpretantibus, consonum quoddam eligentes, rem tanto opere maque electione dignam conficiamus: Perpetuo vale.

C

D

Finis rogationis.

HAc rogatione accepta, Rex literas ad Eleazarum de his rebus decernit, quibus significabatur captiuorum liberatio. Addit præterea ad Sacerdotum decus, crateras, phialas, mensam, atque libamina, auri pondo talenta quinquaginta, argenti septuaginta, & preciosorum lapidum ingens precium. Præcepit ad hæc ærariis & artificibus cuncta ad opus illico præbeant: & pecuniam ad sacrificia atque alios vsus talentorum centum: sed quo huius apparatus quæque rectiua intelligas, regiæ Epistolæ exemplar (quæ huiusmodi verbis extat) afferemus.

Rex Ptolomæus Eleazaro summo Iudæorum sacerdoti. S. P. D.

CVm Iudæorum plurimi nostram regionem incolerent, qui Hierosolymis adducti fuerant eo tempore quo Persæ rerum potiebantur, quique patrem meum in Ægyptum vincti sequuti sunt, ex quibus plures in militum ordinem adegit, fidos eosque in præsidiia collocans, quo auxilio munitus insolescentes Ægyptios compesceret: nos vbi regni gubernacula cepimus, benignitate erga omnes, tum maximè erga ciues tuos affecti, eorum supra centum milia libertate donauimus, in capita quæque digno pretio dominis reddito: Studemus enim ea ratione componere, si quæ armorum impetus à bono rectoque deduxit: arbitrantea piè id agere, si hoc munus pro gratiis referamus magno Deo, qui regnum nostrum pace atque gloria insigni, per vniuersum orbem concelebrauerit. Quapropter alios qui in exercitu seruiebant, vt contubernales essent, effecimus. Alios qui fide digni haberentur, aulæ nostræ præfecimus. Sed cum his & vniuersis qui per orbem sparsi sunt Iudæis grata edere cupiamus, instituimus legem vestram, quæ Hebraicis literis continetur in Græcam transferri linguam, vt & ipsa quoque in Bibliotheca apud nos, cum aliis regiis libris habeatur. Recte igitur facies & rem nostro studio dignam: si ex omni tribu sex elegeris seniores, qui quàm optimè educati sint, & in legis eruditione comprobati, quique ad interpretandum optimi sint. Nam quando ad eam interpretandam acutiori meditatione opus est: ex plurium consideratione verum elicietur. Arbitramur siquidem tanto opere perfecto, magnam inde nos gloriam assequuturos. Mittimus igitur harum rerum gratia. Andream custodum corporis nostri principem, & Aristeam viros quidem apud nos honoratos, qui munera ad sacrificia aliosque vsus offerant argenti talenta centum. Tu verò si ad nos rescribas, si quid est, quod desideres rem gratam nobis & amicitiæ dignam facies: & statim enim perficiemus, quæ te cupere intelligemus.

Andreas & Aristeas.

Eleazarus Epistola hac accepta verbis huiusmodi respondit.

G

ELeazarus Pontifex Regi Ptolomæo amico splendidissimo salutem. Si vales & regina Arsenoë, soror & liberi, benè est & vt volumus, ego quoque valeo. Literæ tuæ magno nos gaudio affecerunt, cùm propter consilium tuum & institutum, tum propter egregiam erga nos voluntatem: quibus acceptis, aduocato in concionem populo, multa de benignitate tua erga nos disseruimus, vt cognoscerent oblationes & pietatem tuam erga Deum nostrum, ostentantes aureas phialas viginti, & argenteas 30. quas misisti, crateres quinque & mensam propositionis: atque argenti inde talenta centum in victimarum apparatum, aliosque vsus quorum sacra indigent: quæ obtulerunt Andreas præstantium vnus apud te, & Aristeas: viri quidem pulchritudine & moribus insignes, doctrinaque præstantea, tua profecto instructione & iustitia rebus omnibus digni, qui nobis desiderium tuum, quemadmodum & literis continebatur, plurimis explicauerunt. Igitur cuncta quæ tibi cordi sunt quanquam difficilia, perficiemus: quod magnum amicitiæ & amoris argumentum est, maximo enim beneficio & incomparabili ciues nostros effecisti. Quare extemplo sacrificium laudis pro te, pro sorore, pro liberis, & amicis obtulimus, & omnis multitudo id orauit, vt bene sit tibi, dirigatque voluntatem tuam in omnibus, & fortunet regnum tuum in pace & gloria dominator omnium Deus: vtque sacræ legis translatio multa tibi tranquillitate & commodo eueniat, peractis sacris nos ex omnibus (nam aderant omnes) elegimus viros bonos & venerandos ex omni tribu sex: quos vnà cum lege mittimus. Benè itaque facies Rex iustissime, si perfecta librorum interpretatione, viros ad nos dimiseris. Vale

Ptolomæi dona.

H *Sacrificium pro rege.*

Hi sunt viri, qui ex cunctis Iudæorum tribubus profecti sunt.

Ex prima Tribu.

Iosephus, Ezechias, Zacharias, Ioannes, Ezechias, Helisæus.

Ex secunda.

Iudas, Simon, Sumoëlus, Adeus, Matthias, Eschemias.

Ex tertia.

Neemias, Iosephus. Theodosius, Baseas, Ornias, Datis.

Ex quarta,

Ionathas. Auxeus, Helisæus, Ananias, Chabrias, Sachus.

Ex quinta,

Isachus, Iacobus, Iesus, Cabatheus, Simon, Leuis.

Ex sexta,

Iudas, Iusephus, Simon, Tacarias, Somelus, Selemias.

Ex septima,

Sabbateus, Iasan, Iesu, Theodorus, Ioannes, Ionathas.

Ex octaua,

Theodosius, Iason, Iasus, Theodotus, Ioannes, Ionathas.

Ex nona,

Theophilus, Abrahamus, Arsamus, Iason, Endemias, Danielus.

Ex decima,

Ieremias, Eleazarus, Tacarias, Baneas, Elisæus, Datheus,

Ex undecima,

Samuel, Iosephus, Iudas, Ioathes, Cabel, Desitheus.

Ex duodecima,

Israëlus, Ioannes, Theodusius, Arsamenus, Abietas, Azecelus, omnes. 72.

HÆc quidem ad regiam Epistolam responsa sunt. Nunc ea ornamenta quæ apud Eleazarum inuenimus, & quæ missa ad eum sunt, tibi perquam breui explicare conabor. Vario enim opere, singularique eleganti a perfecta sunt, rege non modò cuncta abundantissimè præbente, sed sic artificum quusque per se circumeunte, vt ne minimum quidem illis prætermittendi vagandique locus daretur. Mensa quidem primò enarranda est, quoniam singulari studio expolita sit. Rex enim in eo opere præstans quid atque elegans reddere cupiens, eius mensæ quæ Hierosolymis victimas reciperet, dimensiones ornatusque exposcit. Ea vbi accepit, maior ne recipi possit rogat. Quod cùm & sacerdotum quidam & aliorum respondissent nihil prohibere, inquit Rex, velle se in quintuplum excellere, ni vereretur, ne incommoda sacrificantibus reddatur magnitudo. Nam non solùm quid capiat locus considerandum est, sed multò magis ad gratam quandam habitudinem ad ea sacra quæ supra præparanda sunt, intendendum: non enim auri inopia (quando cuncta illis abundarent) breuioribus mensuris, quæ adsit, compositam, arbitrandum esse, sed ratione quadam eiusmodi dimensionibus perfectam apparere ait. Quapropter neque si longior altiorve fabricetur, rectè se habere putare. Igitur cuncta reuoluens (vt est ingenio ad singula iudicanda bono, promptóque) illam summis artificum ingenijs variante opere expoliri iubet, ita vt quæcunque cælata essent ad speciem, pulchritudinémque: plana verò ad mensuram referrentur, eius enim longitudinem duorum cubitorum, altitudinem verò cubiti vnius & semissem perfecerunt, non lentescente in folia metallo eius aream superlinientes, sed auro purissimo totam solidam elaborauerunt. Huic mensæ in circuitu inerat

Ornatus mensæ.

corona palmi vnius, plectæ enim & reticulæ sculpturam connexæ, inter sese reticulatum speciem opere referentes, intertatili expolitæ sunt, in tribus lateribus. Est enim mensa triangularis, & per singulas partes eandem ad opus dispositionem habens, ita vt ad quodcunque te latus vertas, eandem faciem, frontemque existimes. Nam si per adiacentem coronam ad ipsius mensæ planiciem inspexeris, miræ pulchritudinis forma refulget. Exterior verò tractus propter excellentem geminorum laterum fulgorem (quæ prospectui subiiciuntur) oculos perstringit. Nam triangularis mensa (sicut supra diximus) quocunque modo vertatur, eandem frontem eandemque opportunitatem præbet: preciosorum verò lapidum ornatus illi inerat per medias funium connexiones, sic enim alius apud alium disponebatur, vt inimitabilis operis implicationem redderent, sustentabanturque omnes extenuati ex auro fibulis ob firmitudinem infixi. At iuncturæ angulis ad constringendum inuicem opus sic concludebantur, vt inspectantes fallerent: in latitudine autem circa coronulam in circuitu ad superiorem aspectum, lapides qui quandam ouiculorum similitudinem referrent, componebantur, iungebantur & crassiores inde virgulæ sculptura paululum extantes, & densa inter se positione fulgentes, quæ mensam omnem ambirent. Inferius autem sub huiusmodi lapidum ouiculatione coronulam omni fructu contextam, artificis manus ita expolierant, vt in ipsis coronæ thoris, colligatas vuas, spicas, palmulas, mala, oleas, rosas, & similium plura ostenderent. In quibus nexi auro lapides qui colore specieque fructus quosque redderent, mira arte illigabantur, quæ singula in mensæ circuitu, frontem, lateraque ornatu simili ambiebant; coronæ, ouulorum ornatus iungitur: Adduntur & reliqua virgulati, sculptique decoris, quæ vtraque parte auream mensam sic complexa sunt, vt quacunque vertatur, eandem sculpturæ vndantiumque plicarum prospectum, & coronæ elegantiam vsque ad locum pedum retineant. Etenim laminam totius mensæ solidam altitudine digitorum quatuor fecerant, quo in ea pedes firmius insererentur, quos quidem ad ipsam coronam obscuris clausuris fi[illegible] stringebant: ita vt si quando mensa vertatur, ver[illegible] parte vtilis, peropportunaque esset, & eundem as[illegible] [illegible]tibus decorem præberet. Mensæ verò superficiem Meander curuatis finibus influere videtur: in cuius verticibus alueoque præciosi lapides, carbunculi, smaragdi, Onichini & cuiuscunque generis plures, decora specie fulgent. Post huiusmodi amnem, trica quædam innectitur (visu mirabile) quæ rhomborum prospectum præbens, christallo, electroque figurabatur, in qua quidem terso opere, spectantium etiam formæ referebantur. At pedes in liliorum figuras expolierant artificis manus, quæ repandis in ipso vertice foliis mensam sustentarent? erectis intrinsecus ad aspectum frondulis: in pauimento pedes huiusmodi firmabantur. Carbunculi lapidis extensio erat in circuitu palmi vnius, abrupti cuiusdam speciem visui præbens: producebaturque in latitudinem digitorumque octo, quam supra fulcri huius onus omne recumbit. Ex hoc autem lapide hedera assurgit, quæ florido achanto innexa, viti implicatur, qua cum vna pendentibus vndique racemis ad summum vsque circumambiunt. Sed pedibus (qui quatuor mensæ suberant) similis operis dispositio, prospectusque vnus erat. Enimuero sic cuncta diligenti arte, præstantique expertorum hominum opere perfecta sunt, vt non vera modò fallerent, sed leui quoque aura frondium crepitum exaudias, referentibus singulis verarum rerum imagines. Fecerant & mensæ labia vndique mobilia, quæ inexplicabilis clauus sic inter sese per operis crassitudinem innectebat, vt visu cognitúve, iuncturæ nusquam paterent, inerat namque mensæ per totum non minus semicubiti crassitudo, ex quo multorum talentorum sumptus expostulauit: Nam vbi statuit Rex prioris magnitudinem haudquaquam superandam esse, id omne & longè plura, quod aurea magnitudini adiici concupierat, ornatui abundantissimè præbuit, cunctaque pro regis desiderio, excellenter & eleganter expolita sunt arte inimitabili, & pulchritudine decora. Craterum verò duo à base ad medium vsque squameo ornatu, opere egregio visum fallebant, relucentibus per squamarum media lapidibus multa arte dispositis. Hos supra, Meander fluuius vnius cubiti altitudine ambit: lapidum varietate & specie inenarrabili cuncta implicans. Post hunc, virgultorum ornatus inde rhomborum trica ad summum labium sequens, retis speciem præbet, per quorum medium in clypei formam lapides sic componebantur, vt non minus digitorum quatuor spacio inter

Mensa triangularis. *Meander.* *Carbunculus.*

se

A

se distarent, quo fulgore gratior iterat pulchritudo. Supra labium verò, liliorum corona floribus racemisque innectitur, quæ implicatorum inter se funium speciem referens omnia circumambit, hi enim crateres tali ex auro ornatu decori, supra duas metretas capiunt. At argentei crateres præstantiori decore exornabantur, opere terso. In eo enim sic intrinsecus singula relucent, & clarius etiam quam in speculis apparere soleant. Nec dictu facile est, quam ad veri formas cuncta exposita essent, adeò vt si huiusmodi vasa aliud apud aliud disponantur: vtpote si primo argenteus crater, inde aureus ac deinceps argenteus, & item aureus eodem ordine statuantur, res prorsus mira aspectui efficietur, & quæ intueri non possit, oculorum aciem hebetante fulgore. Nam si te ad aurei crateris ornatum verteris, tanto splendore varij operis oculi percutientur, vt præ admiratione, radiorumque multitudine, qui inde emittuntur, abstrahatur animus & deficiat. Et rursus si ad argenteos te deflectere volueris, omnibus circummicantibus maior luminis effusio ita occupat intuentem, vt omnino operis structuram cernere nequeat. Phialas verò aureas ita perfecerunt: vt sertis vitreis eorum media exornarentur ora, & labia hederæ, mistus atque oleæ in coronæ modum ambirent: in quibus preciosi lapides per commoda quæque loca inserebantur. Singula namque artifices ad excellentiam quandam regiæ gloriæ sic expolierant, vt neque in regis ærariis, neque ornamentis, neque vsquam alibi quicquam inueniretur, aut ornatûs aut operis elegantioris. Rex enim gloriæ auidus, in his exornandis curam quàm diligentissimam, magnificentissimamque habuit. Nam sæpius veniens opus per sese inuisebat, atque opificibus immixtus nonnulla mutabat: studio quoque instans ne loco moueantur, donec singula ex sententia sua perficiantur. Quapropter cuncta perquam eleganter, decenterque expolita sunt, tum propter regis ipsius præstantiam, tum propter Pontificis dignitatem, qui tanto loco præerat, ad quem mittebantur. Etenim preciosorum lapidum ingens multitudo & ignota, sed qui mira magnitudine præstarent ad quinque millium numerum fuerunt, artificio tamen cuncta superante, ita vt lapidum manus artificúmque manus in quintuplum auri pondus, elegantia, precioque excellerent. Hæc idcircò ad te scripsi, quoniam vtilitatis plurimum ad rerum cognitionem tibi allatura putarem: ea verò quæ sequentur, cuncta iter nostrum ad Eleazarum continebunt. Quod vt clariùs intelligas, prouinciam primum omnem figurabo. Enimuerò vbi ad loca ventum est: vrbem in monte suspicimus totius Iudaicæ regionis mediam sublimem prospectum præbentem. In cuius vertice Templum apparebat visu pulcherrimum: hoc muri tres circumambiunt altitudine supra septuaginta cubitos sublimes: latitudine ea quæ ad altitudinem deceret, longitudine omnem templi apparatum magnifico opere & decore circumeunt. Portarum verò aspectus, & lapidum connexiones, & superliminarium mirum decus summa claritudine fulgent, vtpote quæ nulla sumptuum parcimonia ob magnificentiam cuncta abundantissimè constructa fuerant. Erat & extrinsecus velum (quo templum in circuitu clauditur) appensum, simili portarum magnificentia. Quod quidem visu iucundissimum spectaculum præbebat: tum maximè cùm mota per pauimentum aura velum subintrans illud ad summum vsque crispantibus sinibus in vndarum morem moueat. Altare illic pro loco conuenientissimè constructum (propter hostias quæ superincenduntur) fumario amplectitur, ascensus autem erant ad illud pro loci magnificentia perquam decenter & ad decorem simul uditi, & commodum sacrificantium sacerdotum qui talaribus ex bisso tunicis induuntur. Templum ipsum ad orientem Solem versum occiduo terga monstrat. Cuius tractus quadam dimensionum inter se conuenientia, venusti decoris formam præseferunt, solum omne strato lapide ornatur. Aquarum verò receptacula, quæ plurimæ ad diluendam iugulatarum hostiarum sanguinem funduntur, commodis locis occuluntur. Nam festis diebus multa victimarum millia cæduntur. Etenim tantus est eductarum aquarum assiduus fluxus, vt perennem fontem inundare putes. Sed mirabilius est & ferè inenarrabile subterraneorum conceptaculorum magnitudo, quæ ad quinque vsque stadia per circuitum templi cuncta penetrat; plumbeæ ad ea fistulæ quacunque per muros & templi solum quibus omnia abluantur, mundenturque: descendunt. Sunt & apud aræ basim frequentes aperturæ, omnibus quidem, nisi his qui ministrant, incognitæ, quarum influxu & impetu omnis ex hostiarum multitudine cruor purgetur: receptarum autem aquarum multitudinem per hunc modum coniectauimus. Nam cùm nos vltra quatuor stadia extra vrbem deduxissent ad quendam locum, iubent nos subterfluentium vndarum sonitum exaudire: qui mihi quidem magnorum vasorum confluxus visus est. Verum enimuerò ministerium Sacerdotum robore, decore & silentio cuncta superabat, omnibus sua sponte laborantibus, quando quisque institutum opus iniussus curat: hi quidem ligna, hi oleum, hi similiam, alij aromata alii carnes incedentes, & roboris excellentiam quandam dexteritatemque ostentant. Sumptis enim duobus vitulorum cruribus, quæ pondo supra duo talenta sint, mira in altum facilitate sic decenter proiiciunt, vt nunquam à loco aberrent. Similiter ouium caprarumque pondera iaciunt: sunt autem hostiæ omnes absque macula, & pinguedine præstantes. Sternitur & ad quietem locus, vbi omnes cubant, vnde nullo excitante celeres quique ad opus per vices exurgunt, silentium verò tantum inest, vt cùm septingenti ferè ministrorum continuò adsint, & offerentium libamina multitudo ingens: nec vnum quidem hominem loco versari putes; summa namque veneratione cuncta, & magna Dei pietate perficiuntur. Maxima verò omnium illa nos tenuit admiratio: vbi primùm Eleazarum ad sacra conspicimus, stola ac vestibus quibus vtitur indutum & sua gloria astantem, & preciosorum lapidum fulgore nitentem. Aurea namque tintinnabula in circuitu vestimenti eius appensa, suauem concentum reddunt: Interque Punica mala, miro colore variisque floribus vnumquodque distingunt. Cingulum supra pulcherrimis coloribus intextum perquam decenter stringitur: supra pectus quod rationale dicunt, pendet: in quo duodecim lapides varii generis auro illigantur, quibus cuiuscumque tribus principum nomina; quæ in initio fuêre, scripta sunt: species cuiusl coloris inenarrabilis, caput cidarin (vt appellant) ornatur, supra quod mitra decore incomparabili erigitur, regium decus præferens. Ex qua dependet lamina aurea frontem ad supercilia operiens: vbi sacris literis Dei nomen inscribitur, conspectus profectò summæ gloriæ plenus, ac tanto ministerio dignus, tantus enim huiusmodi ornatus fulgor emanat, vt horrorem intuentibus, turbationemque incutiat, referatque venientis ad se hominis speciem. At singulorum conspectus adeo inenarrabilis decoris pulchritudo mentem suspendit, vt illorum quæque animum in sui considerationem rapiat. Hinc ad contemplandam arcem conscendimus: quæ altissimo loco frequentibus turribus (quæ & ipsæ magnis lapidibus constructæ sunt) iuxta templum communitur. Et quantum coniectura colligere possumus, veluti ipsius Templi propugnaculum: ne si quando seditio aut tumultus, hostiumve impetus ingruat, quispiam viam ad Templi claustra penetranda inuenire possit, cum & adiacentibus speculis, arcisque turribus, tum dispositis vbique machinis, atque prærupti ipsius loci vbi muri assurgunt difficultate tueantur. Seruatur autem arx ipsa, dispositis in turres robustissimorum iuuenum fidissimis excubiis: qui ob benè de se merita patriæ plurimum debeant: his arcem egrediendi nulla potestas datur, præterquam cùm festus dies adfulserit, idque non nisi ex parte quadam ac per vices conceditur. Intromittendi quenquam nemini est facultas. Nam summa diligentia perspicuitateque arcis præfectus si quando aut rediens quis aut nouus admittatur, ita cuncta explorat, vt falli prorsus nequeat; quemadmodum

Crateres argentei.

B

Phialæ.

C

Hierusalem in medio Iudææ. Templũ Salomonis.

Velum Templi.

D

Altare cum fumario.

Vestes sacerdotii [illegible].

E

De aquis piscinarum.

F

Eleazari Pontificis vestitus.

G

Arx Hierusalem.

H

nobis contigit, qui inermes ac multa rogando sùi duo vix tandem ad iospiciendasacra recepti sumus. Dicebant enim & sacramento idem firmabant, omnes qui quingenti ad huius custodiam semper aderant, sacro iureiurando adactos, ne supra quinque eodem tempore recipiant, quoniam omois templi custodia salusque in ea arce consistat, qua victa nullum superesset templi propugnaculum. Vrbis verò ipsius magnitudo quantum colligere potuimus, ad quadraginta stadia in circuitu extenditur, murò & turrium dispositione, spectaculo digna. Earum viarum strata, quæ rectà tendant: multis & opportunis diuerticulis exornant, quippe vt ciuitas, quæ in monte constructa sit multam ad asceosus descensusque facilitatem habeat. Sicut & ad ipsos viarum exitus transceosus quidam, per quos præstantiores altius incedant, cum aliis depressius eatur, & maximè ad primores vias, ne qui sacra ferunt, immundorum contactu inter eundum polluantur, Quare non iniuria hanc vrbem maiores talibus dimensionibus situque condidêre, sapienter locum captantes: regio enim lata & pulchra, hinc ad Samaritas finitimosque Idumeos apertis campis extenditur, illinc consitia collibus & cultu lætitiæque commodis se erigit. Ex quo euenit, vt cum prouincia omnis ferax sit, & summo agricolarum studio excolatur, cuiusque generis fructu abundet. Ciuitates namque quæcunque magnitudine excellunt, & fœlicitatem assequuntur, otio torpescere solent, & agros negligere propter frequentes voluptates, quibus illecta iuuentus atque luxui dedita, effœminatur. Quod quidem Alexandriæ maximè accidit, quando & magnitudine & fortunis longe excellit: siquidem iuuentus ex agro io vrbem confluens, vbi voluptatum dulcedioe distrahitur, atque operum suorum oblita residet. Quam ob causam Rex instituit, ne homines in ea diutius morarentur, ne ve quis supra viginti dies domo abesse posset, idque noo nisi vrgentium negociorum gratia tribuit: in quibus, ne longius tempus teneretur, controuersiæ omnes & lites intra quintum diem decerni finirique iussit lege promulgata, atque iudicibus ad ea ministrisque per regiones institutis, ne iudiciorum longitudine agricolæ in vrbe versantes culturam negligerent, vnde ærarium diminutis agrorum tributis damno afficiatur. Hæc idcirco perstrinximus: quoniam singula docente Elcazaro rectè cognouimus. Magnum igitur illic agricolarum studium, ingensque culturæ sollicitudo homines habet. Nam in tanta populari multitudine, & arboribus consita regio est, & frumento abundans vbique viret: vestiuntur vineis colles: palmarum ad hæc & glandiferarum arborum multitudo in regiooe numerari noo potest: pecoribus quæ innumera possident, vberrima pascua tondentur. Quapropter rectè animaduerterunt loca huiusmodi multitudini opportuna, vnde & vrbis apparatum & pagorum frequentiam commodissimè disposuere. Eò præterea immensa aromatum & preciosorum lapidum aurique copia ab Arabibus affertur, prouincia enim negociationibus apta se singulis velut emporium præstat, & vrbs opificum multitudine abundat. Nam neque vllius rei, quæ mari aduehitur, indiget, quando opportuni illi portus propius adsunt apud Ascalonem, Ioppem & Gazam, atqoe item ab Ptolomaide (quæ à rege condita est ciuitas) plurima comportantur. Vrbs verò ipsa sic in medio horum, quos diximus lõcos sita est, vt non longè à singulis absit ex quibus cuncta facili cursu accipiat; cum præsertim vniuersa in circuitu regio, longe lateque culta, magnam præstet securitatem: circunfluit prouinciam Iordanis perennis fluuius, qui ab ortu ipso decurrens non minus sexaginta millia passuum ambit. In huius fluminis vberiori ripa, posterioribus temporibus robustissimi Iudæorum numero ad sexcenta millia traiecto amne, agrum obtinuerunt. Ad hæc fluuius ipse æstiuis mensibus plenior factus, eodem modo quemadmodum & Nilus agri plurimum inundat, ingreditur inde & aliud per Ptolomaidem flumen, atque vna in mare exit. Sunt & plures quoque torrentes qui Gazam versus atque Azotum erumpentes, prouinciam omnem irrigant. Securitatem vero prouinciæ natura ipsa præstat, locorum asperitate. Nam montibus vndique circunscripta regio, hinc abscissis rupibus fluentiumque concursu effossis vallibus clauditur, illinc implexis altisque anfractibus sic vbique coarctatur, vt vix viatoribus per angustos colles transitus pateat: fertur & in montibus Arabiæ adiacentibus æris ferrique metalla effodi solita. Sed postea, dum Persæ rerum potirentur, huiusmodi ratione derelicta sunt, veluti inutilis & sumptuosa esset effossio. Hanc enim contumeliam incolæ loci confinxerunt, ne & regio fossoribus subrueretur, néve ea occasione inuentis apertisque faucibus, externis inde aditus in regionem aperirentur. Sed de his hactenus, quæ ob cognitionis facilitatem carptim ad te perstrinxi Philocrates frater: deinceps, quæ ad interpretationem sunt, aperiam. Eliguntur igitur viri optimi & doctrina præstantes omnes claris parentibus orti, non Iudaicarum tantum literarum eruditione excellentes, sed qui Græcam quoque linguam multa meditatione excoluerint. Quapropter ad legationes commodi semper paratique aderant, munusque huiusmodi, si quando res postulat, ipsi obeunt. Conciones etenim, & de lege interrogati, responsa mira facilitate peragunt, & ad dicendum & ad iudicandum prompti. Atque qui omni iam explosa barbarie ipsi iucundissimorum morum suauitate prædití, vitæ atque ordinis mediocritatem quandam, quod quidem pulcherrimum est, sequuntur: hac vna in re nitentes cæteros superare, vt & prudentia & doctrina vincant, hoc enim illis est studium, hoc perquirunt, in hoc viribus omnibus enituntur: scilicet vt consuetudioe inter æquales, mitius audiendo respondendoque alius aliì præster. Cùm quisque suorum principatu propter virtutem dignus habeatur, operæpretium est cognoscere, quanta pietate Eleazarum obseruent: quantoque illos amore & ipse prosequatur. Nam vt prætermittam eius ad regem literas pro eorum redito, multa iosuper rogando, homines Andreæ commeodabat, vt omni conatu in eorum gratia ageremus. Cui cùm respondissemus curæ omnia nobis fore, propterea animo quiesceret. Imò inquit, & longè animo angor: noui enim regem virum diligentem & bonorum amatorem, quantaque industria præstantes viros inquirat, adeò vt nihil potius ducat quam ad omnia loca mittere, vbi acceperit egregium quempiam hominem, vel disciplina vel prudentia singularem. Nam illum quoque dicere solitum audiui & rectè quidem, in hoc magnum regni esse totamen & robur, circa se quamplurimos viros habere iustos & prudentes, qui quocunque casu in amicorum commodum consulant. Quod quidem in his experior qui ab eo mittuntur. Exin iureiurando affirmat sese huiusmodi homines minimè missurum, si propria quædam ingruat necessitas: sed ob commune ciuium commodum, pro quo omnia pati possit, nihil negare audere. Nam etsi rectè viuendi norma in mandatorum obseruatione consistat: id tamen rerum cognitione multò rectius perficitur, quàm simplicitate assequatur: his igitur atque huiusmodi pluribus claruit, quo ille animo erga tales viros afficeretur. * Dicendum est quoque breuiter de iis, quæ interrogatus à nobis Eleazarus disseruit. Nam cùm magna in lege habeatur obseruatio de cibis & poculis, & his animalibus quæ immunda putantur: idcircò interrogamus, quando omnia vna creatione subsistant, qua ratiooe quædam vt immunda ad esum tactumque reiiciantur, quæque plurima legis institutio habet, in his profectò iofeliciter. Ad ea ille. Non cerois (inquit) quam vim habeat consuetudo ad rectè viuendum, qualésque rerum mutationes afferat: atque vt qui malis conuersantur facilè corruptis moribus in procliue labantur fiántque per omnem vitam miseri: qui verò sapientibus & prudentibus assuescunt, ex inscitia qua tenentur in rectum bonúmque mutati vita fortunantur? Animaduertens igitur hæc noster Legislator, cunctáque ad pietatem atque iustitiam intendens, singula non sermonibus tantum docuit, sed exemplis quæque demonstrans, mala prohibuit, ante oculos ponens, cuius quæque gratia à Deo creata sint, demonstrat omnium primum, quoniam

Circulus Hierusalem.

Alexandrinorũ luxus.

Iordanis fluuius.

Iudic. 18.

Iudæorũ legationes.

Eleazari beneuolentia in suos.

** Hæc citat Euseb. Euãg. prap. l. 8. cap. 3.*

solus

solus sit Deus: cuius potentia constent singula & regantur, ipséque locis omnibus adsit, sine quo nec minimum quiddam subsistat: nihilque eum lateat eorum, quæ in terra ab hominibus vel clanculum gerantur, sed singula quæ aut secum agat quis, aut cum alio contrahat aperta illi atque ante oculos posita esse: futura, seu præsentia intueri. Hæc igitur omni studio peragens, id maximè ostendere enititur, vt si quando quis in malum adducitur, haudquaquam se latere intelligat: neque aliud quicquam per totam legem animo intendit, nisi vt Dei potentiam ostendat. His igitur ab ipso initio intentus demonstrat cæteros mortales, qui plures arbitrantur esse Deos, quàm potentiores sint ipsis Diis, quos fatuitate quadam colunt: simulachris enim aut ex lapide aut ligno fabrefactis, eorum illas esse formas dicunt, qui suis inuentis vtilitatem aliquam ad communem viuendi vsum attulerunt: hos genibus aduoluti, atque extra sese positi, sublato animo adorant. Quod si quis quale eorum sit inuentum roget: ignari prorsus, quoddam natura productum veiuti præclaram illorum compositionem afferant, quam ipsi non fecerint. Qua in re vani nempe & stolidi comprobantur. Nam & nunc multò quidem doctiores & ad inueniendum promptiores elegantioresque plures inueniuntur quàm priores illi fuerint: neque hos tamen venerantur vt Deos, quanquam harum rerum factores & scriptores Græcorum sapientissimi honore dignos putent. Quid enim Ægyptios, atque his finitimos referam, aliis longè stultiores: quorum alij feras, alij reptilium insensatorum plurima sibi constituerunt, quæ colerent, quæ adorarent, quibus & viuis & mortuis victimas cæderent? Sapiens itaque legislator atque à Deo in cognitionem omnium institutus singula reuoluens: nos vallo infrangibili, murisque ferreis circumsepsit: vt animo innoxij & corpore mundi, nulli gentium prorsus immisceremur, ac vanis opinionibus abiectis, solum Deum, qui supra omnes creaturas potest, coleremus. Quamobrem Ægyptiorum sacerdotes, populi principes, qui etsi multis aberrent, tamen in quibusdam nobiscum conueniunt, nos quidem homines Dei appellant, quoniam non sic cæteris eueniat, vt secundùm veritatem Dei cultores existant: sed homines mensis poculisque & vmbræ dediti (quod omne illis est studium) ventri tantum indulgeant: quæ quidem nostrûm curat nemo, immò per omnem vitam in sola diuinæ victoria cognitione versamur: ne vlla re polluti néue vanè conuersantes in crimen labamur, vndique nos puritate communiuit, cùm ad esum & potum, tum ad tactum, auditum atque visum, vniuersa enim ad physicam rationem referens, quemadmodum cuncta vna potentia subsistant: sic & in singulis alio sensu instituit quibus vteremur, & quibus abstineremus, vt exempli gratia vnum aut alterum percurram: ne simplicia tantum verba inspiciens, arbitreris murium aut mustellæ, & similium causa, Mosem tantopere in ferendis legibus elaborasse: sed ad mundiciem contemplandam, emendandósque mores: ad benè rectéque viuendum cuncta pereleganter instituit. Volatilium namque quibus quotidie vescesemur, illa tribuit quæ mansueta & puritate à cæteris seiuncta, frumento ac seminibus alerentur, vt sunt columbæ, turtures, pauones, perdices, anseres, ac cætera huiusmodi. Aues verò quarum vsum prohibet, feras esse inuenies, & quæ carne pascantur, quæque superbientes rapacésque, suis in alias viribus illatis nusquam cibum quærieant, nisi aliarum auium damno & iniuria, ac maximè mansuetarum, nec solùm in aues inuehuntur, verùm & agnos & hœdos rapiunt, homines viuentes adhuc, & exanimes contumelia afficiunt. Igitur translatione quadam ab his & similitudine vsus legislator: ea immunda nominauit, quoniam vellet singula ad considerationem, & mentis puritatem referri: atque vt quisque quotidianis exemplis monitos intelligeret, iustitia & æquitate vtendum, néue superbiendo aut rapiendo quicquam omnium lædendum esse, quanquam viribus plurimum valeas ad rectè vitam deducendam, viuendúmque esse quemadmodum illæ (quas prædiximus) aues quæ seminibus mitem vitam degunt: nec nostri generis quemquam insequi, rapere, turbare debere veluti ea animalia faciunt quæ ad esum prohibet. Nec vi, vlla in re agendum, nec viribus fidendum esse demonstrat iis qui sensu omnino non carent. Teneris igitur, inquit, causam cur nos ab eorum (quæ prædiximus) vsu prohibuit, propter eam scilicet inclinationem quæ singula habent, vt verò omnibus in rebus quibus assuescimus ad emendandos, firmandósque mores ab ipsis brutis intenderit: aduertite. Nam quod præcepit nos his quadrupedibus vesci, quibus duo sunt labia, & vngulas findunt: signum est vt nos quoque operationes nostras ad rectum, bonúmque partiamur sic omnia distribuendo: his signis nos ad iustitiam intendere coëgit, propter quod etiam à cæteris gentibus diuidimur, ne illorum consuetudine, & criminibus polluamur. Gentium namque pleræque sibi ipsis commiscentes, magna impietate fœdantur. His prouinciæ & ciuitates omnes deturpatæ, non solùm marium concubitores sustinuêre, sed parturientium etiam sanguine inquinatæ, à filiarum insuper incestu non abstinent, à quibus nos longè seiungimur. Vbi verò diuisionis locus signatur, circa eundem & reminiscendi charactere admonemur. Nam quandocunque scribitur quæ vngulas findunt: additur & ruminant. Ex quo manifesto admonemur ea omnia ad earum rerum quas gerimus memoriam referenda. Nam quid profectò aliud sibi vult illa ruminatio, nisi vt assiduè, quadam vitæ & gestorum nostrorum recordatione cuncta animo recursemus, voluamúsque? Arbitramur enim, cibo vitam ea maximè de causa sustentari, quo eius ruminandi similitudine gesta nostra meditaremur. Cuius rei gratia & per scripturam inquit, memoria recordare Dei, qui fecit in te magna & mirabilia. Quæ profectò si consideres, magna mirandáque apparent. Primo quidem corporis compago, alimenti transfusio, ac singulorum membrorum distributio, & mira quædam connexio. Verùm maiori longè admiratione digna videbuntur, si ad vnumquodque seorsum compositionem aduertas, si quæ sint mentis actiones, & motus inuisibiles consideres, vtque quaque in re ingenij acumen, perspicacitásque elucent: vnde innumerabilium penè artium inuentio prodiit. Quapropter rectè iussit meminisse: quemadmodum huiusmodi omnia, diuina potentia & fabricatione perfecta sint, atque vt singula tempore & loco circumscripsit, memoriam semper reuocans ad considerationem dominantis omnium, & perfectoris Dei. Etenim vt à mensis poculisque incipiamus, rectè iussit tunc Deum laudare, cùm mensæ accumbimus: in qua quidem nec aliquid ad confabulandum concessit quod diuini numinis memoriam abijceret. Simili quoque ratione supra portas & ostia ea eulogia figere instituit, quæ Dei cognitionem mentibus innouarent. Apertissimo enim id signo ostendit, omne studium nostrum ad æquitatis puritatísque memoriam referri oportere. Atque in omnibus Dei timorem ante oculos versari præcepit: & cùm discumbimus & cùm assurgimus Dei fabricam non solùm verbo, sed veneratione laudare, illarum rerum perpetuum motum meditantes, vtque diuina sit & incomprehensibilis harum rerum alternatio. Sic igitur breuiter demonstrata est partiendi, reminiscendique ratio, veluti proposuimus eorum quæ vngulas diuidunt & ruminant. Neque enim vanum quicquam ad animum reddidit, verùm hac dicendi vsus figura, singula ad veritatem accommodauit. Nunc verò quæ gustu auditúue percipiuntur, referamus. Nam ne quid agas, ne quid audias, aut dicendi flumine fisus ad iniqua labaris, eadem similitudine admonuit, quod quidem & in pecorum consideratione inspicere licet. Sunt enim peruersorum morum mustellæ & mures, atque his similia animantia, quorum contactum prohibuit. Nam mures cuncta fœdant, malóque afficiant, & homini quidem non modò ad esum perniciosi, sed nec vlli prorsus vsui vtiles sunt. Mustellæ autem proprium est genus, & supra ea quæ diximus vt est ad deturpanda omnia immundum. Auribus præterea concipit, quæ ore parturiat, qui mos hominibus perniciosissimus est, vt quæ ipsi auribus accipiunt, eadem verbis exaggerantes, maioribus

Ægyptiorum idololatria.

Leuit. 11.

Aues immundæ.

De animalibus findentibus vngulas & ruminantibus. Leuit. 11.

Murium immūdiciei mysterium.

De Mustellis.

malis inuoluant, instantémque turpitudinem, omnibus ipsi modis auctam iniquè fundent. Quapropter rectè rex vester huiusmodi homines (sicuti accepimus) supplicio tollit. Hic equidem (inquam) emplanistas te dicere arbitror. Illos enim iudiciis, supplicio, fœdáque nece, assiduè insequitur. Ille hos ipsos (inquam) refero. Nam eorum inertia perniciosa viris perditio est. Iubet namque lex nostra, nec sermone nec opere quenquam malo afficias. Sed de his ad te, hæc paucis dicta sint, quo intelligas nostra omnia, lege, ad iustum rectúmque dirigi, neque quicquam aut decenter minus, aut ex animi impetu factum, sacris in literis admitti, verùm vt per omnem vitam ac vniuersis operationibus nostris erga omnes homines mites, iustéque conuersemur dominantis Dei nusquam obliti. De cibis igitur & immundis reptilibus atque pecoribus, vtque ad iustitiam atque rectos hominum mores omnis intendat sermo: mihi quidem rectè dixisse visus est. Addidit insuper & de oblationibus vitulorum, arietum & hircorum, multa differens: quemadmodum illa ex armentis gregibúsque assumentes, mansueta animalia Deo cedant: nihílque ferum mactent, ne qui sacris adolent victimásque faciunt, elatum quid sibiipsis proponentes, animo eleuentur, sed victimarum mansuetudine, & exemplo moniti; humiles & omni mente in Deum intenti, sacra peragant. Hactenus hæc ad te scripsi Philocrates memoratu digna, propter eam quæ tibi inest discendi cupiditatem, quo ex his paucis, totius legis majestatem, physicámque eius meditationem perciperes. Sed iam redeamus, vnde digressi sumus. Eleazarus sacris prius de more peractis, viros quos ad regem mittat, deligit: præclara inde munera regi accumulans, nos itineri quietos dimittit. Post vbi verò Alexandriam venimus, annunciatúsque est regi aduentus noster, extemplò Andreas & ego in atrium admissi, regem comiter salutauimus, reddidimúsque simul & ab Eleazaro epistolas. Ille quod maximi faceret rem sibi secundam in impetrandis hominibus euenisse, séque voti compotem factum gauderet: cæteros qui multi negociorum causa aderant excedere iubens, viros actutum aduocat præter omnium opinionem. Est enim mos genti, ne legatorum quisquam in regis conspectum admittatur, etiam si propter negocia missi redierint. Regum verò & excellentium vrbium legationes, vix trigesima die in atrium recipiuntur. Ac deinceps habita ratione pro dignitate eorum qui miserint & præstantia. Rex itaque emissis omnibus quos minimè necessarios duxit, restitit deambulans, donec venientes se salutassent. Hi posteaquam cum muneribus & diuersis pellibus in quibus diuina lex aureis literis Hebraïco sermone conscripta erat, & membranarum tenuitate quæ inter sese quadam ligaturæ excellentia constringerentur, exornabatur, rem visu mirabilem: intromissi in regis conspectu steterunt. Rex sedulò in eos versus, vt primùm viros circumspexit, de libris interrogat. Cùm autem illa inuolucra aperuissent, explicuissentque membranas, diutiùs hæsit Rex, septiésque adorans, Gratiam (inquit) vobis habemus viri, maiorem ei qui vos misit, maximam verò Deo, cuius eiusmodi verba sunt. Acclamantibus autem viris & omnibus qui vnà aderant voce simili applaudentibus, ipse præ gaudio lachrymis effusus est, profusa enim exhilaratio, & honoris sublimitas, lachrymas etiam nolentibus excutit. Hic admonens vt libri in suum ordinem redigerentur viros salutans, ait: Æquum erat viri, vt quorum gratia vos aduocassem, illos primùm venerarer, atque inde vobis dexteram præberem, propter quod id primùm egi, hæc verò dies per omne vitæ tempus magna mihi semper in annos erit & celebris, in qua & vos mihi adfuistis, & euenit vt aduersus Antigonum nauali prælio victor euaderem. Quapropter & vos quoque hodie vnà mecum conuiuio lætari volumus: principes mox adesse, inter quos & me discumbere dignatus est, & omnem ædium apparatum quo vtitur, depromi imperat, iubet & viris diuersoria quàm ornatissima, & arci proxima sterni mandat, & conuiuium quàm opulentissimè apparari: hic Nicanor medicorum princeps Dorotheum huiusmodi rerum præpositum aduocans imperat, vt omni promptitudine, quæ vsus decúsque postulat, in singulos expediat. Etenim sic à rege institutum erat quemadmodum & nunc quoque cernere licet, vt quotcunque ciuitates ad præbenda cibaria poculentia & lectisternia præparatæ sunt, totidem earum rerum præfectos habeant, qui regibus assistant, homines nulla in re morosi, quique si quando opus sit, necessaria exornent, & multa cum hilaritate iussa prosequantur: quod quidem in his maximè factum est. Nam Dorotheus vir in huiusmodi rebus dexter profusúsque, cùm sibi talium virorum cura demandata esset, vniuersa quæ in sua potestate continebantur in tales vsus pridem præparata magnificè depromit, perhumaniterque cuncta exornans, thoros cuique pro regio imperio distribuit. Iusserat enim rex eorum partem mediam coram se, reliquos iuxta sui ipsius solium discumbere, nihil prætermittens quod ad hominum honorem spectare arbitraretur: posteà verò quàm cuique suus stratus est thorus, præcepit rex Dorotheo, vt omnibus qui à Iudæa venerant, consuetas ex patrio more dapes, & quicquid concupiscant, præbeat: détque cuncta abundanter ad oblationes & sacra, atque alia vota peragenda sicuti genti mos est. His peractis, primùm omnium Eleazarum virum grauem, ac omnibus qui nobiscum venerant seniorem, vota facere rogat. Ille (vt erat venerandus) stans inquit: impleat te rex bonis omnibus quæ fecit omnipotens Deus, détque tibi vxori & liberis, & amicis ea omnia immota esse per omne vitæ tempus. Eo adhuc dicente, sequitur diuturnior cum clamore plausus, gaudij & exultationis plenus, móxque rebus iucunditate multa præparatis, in lætitiam vertuntur, ministris quemadmodum instituerat Dorotheus, festiuissimè cuncta præbentibus, inter quos & regij liberi & honoratissimi quique ministrabant, post vbi verò tempus sermoni opportunum visum est, Rex per interualla quædam (vt omnes ordine secundùm ætatem assederant) eum qui primo loco discubuerat, interrogat. *Quonam pacto regnum incolume in finem vsque conseruetur.* Ille parumper cunctatus inquit: hoc maximè modo regnum optimè dispones, si Dei mansuetudinem in rebus omnibus imitatus, patientia ac longanimitate vteris: extolléisque dignos, elatos autem affabilitate, ex malo in pœnitudinem traduces. Eo collaudato, Rex proximum rogat. Quemadmodum iustè singula perficere possit? Respondit ille. Si in rebus omnibus seipsum obseruet, omnia eum rectè acturum: & si consideret omnem sensum à Deo esse, proponátque ante omnia Dei timorem, nulla in re aberrabit. Hunc maximè laudatum dimittens, tertium dicere hortatur. Quomodo amicos, sui similes habeat? Qui ait: si intelligent te multa meditari in subiectorum populorum commodum: & tu id facias considerans quemadmodum & Deus genus humanum bonis afficiat, valetudinem illis; & vitæ alimenta, atque alia cuncta opportunis temporibus præbens. Attestatus quoque & huic, ad alium qui illi assedetat, inquit. Quonam modo in negotiis ac iudiciis peragendis delictísque puniendis bonam assequatur famam? Tum ille, Si omnibus te æquum ratione præbueris, inquit, & nihil superbè, nihílque pro potentiæ tuæ viribus contra delinquentes ages. Id autem assequeris si Dei dispositionem inspicias, qui dignis sua vota perficit, peccantibus verò vel per insomnia vel opere demonstrat, quid illis nocuum sit: neque secundum eorum peccata, neque pro magnitudine vitium suarum homines cædit, sed mansuetudine vsus corrigit rectè: Et hoc quoque collaudato, deinceps postulat: Vt in rebus bellicis inuictus existat? Qui respondit, si non armis, si non potentiæ suæ fidat, sed Deum semper imploret, vt iustè agendi sibi consilia dirigat. Huius dicta recipiens, alium inde petens poscit. Quemadmodum inimicis formidolosus sit? Qui ait. Si armis & exercitu, multóque veluti ad bellum apparatu instructus fueris: ea tamen omnia diutiùs ceu vana priusquam his vteris, detineas: nam & Deus ipse antequam majestatis suæ trepidationem incutiat, inducias quasdam præbet. Exin omni apparatu mentes deterret. Et hunc item col-

laudatum

Physica legis Mosaicæ meditatio. — *Quæst. 1.* — *Quæst. 2.* — *Dei timor.* — *Quæst. 3.* — *Quæst. 4.* — *Quæst. 5.* — *Quæst. 6.*

laudatum dimittens: alium interrogat. Quæst. 7. Quid sibi optimum in vita sit? At ille, si cognoscat (inquit) quoniam Deus mortalibus dominetur, atque vt ad optimas quasque operationes non per nosipsos consilia dirigamus: Deus enim qui cunctis dominatur, omnium opera perficit & deducit. Annuens & huic, alium ordine respondere iubet, Quæst. 8. Quomodo rectè omnia seruans & illæsa, eundem filiis statum tradat? Tum ille, si Deum (inquit) assiduè imploraueris, vt rectos tibi sensus ad ea quæ in posterum peragenda sunt tribuat: & filiis imperaueris, ne gloria diuitiisque superbiant, sed arbitrentur Deum benignitate sua cuncta illis elargiri, neque per sese alicuius rei substantiam possidere. Et attestatus rex ab alio petit. Quæst. 9. Vt bonam & malam famam æquo animo ferat? Ad ea ille: si tibi ipsi proposueris, inquit, cunctos mortales sic à Deo esse creatos, vt maximis malis iactati, bonis rursus afficiantur, neque quisquam omnium sit, qui huiusmodi alternationem effugere valeat: Deus enim implorandus est, qui tranquillitatem tribuat. Approbans & hunc, rectè (inquit) omnes reponderunt. Sed quando vnum deinceps, qui adhuc superest, interrogauero, hæc ad præsens prætermittam, vt ad lætitiam versi, reliquum huius diei iucundissimè transigamus. Deinde sex qui sequentur dies, ea quæ modò prætermittuntur addiscemus: Quæst. 10. his simul dictis, virum interrogat. Quis fortitudinis sit finis? Ille si quando periculosa imminent (ait) in rebus aggrediendis rectè qui consuluerit, & consulendo propositum assequatur. Tibi enim rectè vtiliterque consulenti Deus cuncta perficiet: acclamantibus omnibus & plausu virum collaudantibus: Rex in Philosophos versus inquit (non enim pauci aderant.) Arbitror equidem hos viros virtute excellere, ac plurimùm intelligere, qui talibus rogationibus ex tempore tam decenter responderunt: dicendi initium à Deo omnes assumentes. Ad ea Menedemus Erithræus philosophus profectò, rex (ait) cùm homo diuinum sit opus, quod quidem & totius mundi fabrica monstrat: rectè sequitur, vt omnem virtutis & sermonis sui pulchritudinem principiúmque à Deo deducat: his vbi rex annuit, in iucunditatem cuncti versi, conuiuium summa festiuitate in noctem vsque protrahunt. Postridie eodem ordine mensæ parantur, conuiuium trahitur. Cùm verò tempus ad rogandas sententias accommodum adfuit: rex eos interrogat, qui deinceps ordinem seruabant ab illis qui superiori die rogati sententias dixerant. Cœpit enim ab vndecimo rogare: quoniam pridie decem respondissent. Conticuerant iam omnes: & rex poscit. Quæst. 11. Quibusnam modis diuitias conseruet? Ille dum petita reuoluit paululùm moratus: si nihil (inquit) indignum regno tuo, neque flagitiosè ages, neque in vanis rebus & incommodis sumptus facies, & erga populum tuum te beneficum benignúmque præbueris. Etenim Deus, bonorum omnium, quem sequi oportet, largitor est. Hoc collaudato, sequentem ediscere hortatur. Quæst. 12. Quando veritatem colat? His ille respondit: si cognoueris quàm magnum dedecus mendacia mortalibus omnibus afferant, & multò maiorem notam regibus inurant. Nam quando eâ potentiâ sunt, vt quæ volunt facilè perficiant, cuius rei gratia mentientur? Oportet etiam te considerare Rex, vt Deus amator veritatis existat. Hunc quoque valde approbans, in proximum respiciens, inquit. Quæst. 13. Quæ est disciplina sapientiæ? Tum ille, quemadmodum, inquit, te expertem optas, & omnibus bonis abundare, si hoc ipsum in subiectos tibi populos & delinquentes serues, si optimates præstantesque viros humaniùs commoneas. Etenim Deus mansuetudine cunctos fouet: Annuens huic, ab alio postulat. Quæst. 14. Quonam modò clemens, benignúsque sit? Ille si consideres, ait, quàm longiori tempore quantísque & quàm magnis calamitatibus oriatur genus hominum, alatur, nutriatúrque. Vnde neque in eos temerè animaduertendum, neque accusandi sunt, si reuoluens insuper vt omnis hominum vita doloribus semper & suppliciis exagitetur: singula intelligens in misericordiam profectò verteris: Nam & Deus misericors est. Suscipiens & hunc: Quæst. 15. deinceps ordine interrogauit. Quod in regno potissimùm obseruandum sit? Conseruare (inquit) se à muneribus incorruptum: atque magnam vitæ partem inuigilare, iustitiámque ante omnia colere, & huiusmodi amicos sibi comparare. Iustos enim Deus amat. Annuens & huic: ab alio petit vt se doceat, Quæst. 16. Quid sit pietatis robur? Tum ille cognoscere ait, quia Deus omnia semper operatur, & videt, neque eum lateat quisquam iniusta faciens, neque perperam agens, vt enim vniuersum orbem Deus bono afficit: ita & tu si eum imitaberis, nusquam aberrabis. Applaudens & huic alium rogat. Quæst. 17. Quis sit regnandi modus? Ad ea ille, rectè (inquit) seipsum regere: & sine copia, nec gloria elatus superbum indecénsue concupieris, si rectè ratiocinatus fueris, si cuncta tibi aderunt quasi nihil sint: Deus enim mansuetus est, & nullius egens: quod tu pro humanis viribus considera: neque multa ad regnum appetas. Laudans & hunc: alij vt differat suadet. Quæst. 18. Quemadmodum optima eligat? Respondit ille, si iusta semper tibi proposueris, arbitrerísque iniquam vitæ priuationem. Nam & Deus semper iustis elegantissima bona præparat. Hoc collaudato: à sequente postulat. Quæst. 19. Quomodo in somnis quietus sit? Hic ille, rem dictu difficilem petis, inquit. Nam in iis quæ mentem per insomnia agitant, haudquaquam obsistere possumus, sed sensu quodammodò irrationabiliter ducimur ex huiusmodi rebus quæ accidere solent & videmus: videmur enim quandoque pelago ferri, nauibus traiicere, nunc negociari, nunc pennis sublati volare, loca mutare, & cætera huiusmodi quæ minimè fiant. Similiter & quæ maximè experimus; ea mentem in somniis turbare solent. Quare rex omni negocio quicquid dixeris, quicquid feceris, ad pietatem intendendum censeo, vt teipsum seruans virtute circumuallaris, nec voluptate irrationabiliter pellectus, néue potentia fisus, quod iustum est tollas. Etenim in quibus quisque plurimum versatur vigilans, & per quietem earundem rerum cura homini recursat. Sed quando omnes rationes & operationes tuas ad pulcherrima quæque instituis, & vigilans & dormiens, ob eam causam optima in te semper est tranquillitas. Hoc comprobato, ad alium dixit. Postquam tu decimo loco dicturus es, vbi responderis, ad conuiuium conuertemur. His simul dictis petiit. Quæst. 20. Quemadmodum nihil indignè agamus? Cui ille, si quid te deceat (inquit) quidue possis omni in re, prospexeris ne tua dignitate indecorum quicquam dicendo, agendóue te excidat, intelliges omnes quibus imperas de te semper & cogitare & loqui, neque enim minimum hypocritis partis, qui ex vultus varietate mentem coniectant, ex cuius consideratione indecenter cuncta peragunt. Tu verò nulla hypocrisi deprauatus apertè imperas, præstante tibi Deo multa cum dignitate, morum elegantiam. Hic rex multa cum lætitia diutiùs applaudens, homines ad quietem dimisit. Post vbi verò hæc ad illos locutus, se ad sequentis diei conuiuium præparauerunt. Quæst. 21. Quod cùm eodem ordine seruato structum esset, vt interrogandi tempus rex adesse putauit, primum eorum qui nondum rogati fuerant, sententiam dicere iubet. Quid sit in regno difficillimum. Ille, sibi ipsi dominari, respondit: neque appetitibus efferri? Inest enim natura mortalibus vt mente ad aliquid semper declinent, & pleríque ad mensas, pocula, voluptatésque trahuntur, in quibus multitudo maximè effunditur. At reges, subigendorum populorum cura sollicitat ob gloriæ magnitudinem. Sed pulchrum est se omni in re metiri, & quæ Deus dederit studio continere. Inconcessa verò atque inexpetibilia, ne concupiscas. His dictis assentiens, proximum interrogat. Quæst. 22. Quonammodo nemini inuideat? Hæc ille excipiens, si animaduerteris primùm (inquit) Deo omnibus regibus impartiri gloriam, diuitias & magnitudinem, & illi imperare posse neminem. Nam etsi huiusmodi gloriæ participem sa quisque cupiat, haud tamen potest, Dei enim donum est. Virum pluribus laudans, alium petens (inquit.) Quæst. 23. Vt inimicos spernat? Tum ille, si placidus, ait, erga omnes benignitatem exercueris, nullius amicitiæ ratione habita. Gratum verò se omnibus præbere id pulchro Dei munere, quod optimum est conceditur. His annuens: alium deinde respondere iubet.

A Quemadmodum gloriosus perduret ? Cui ille, si benigni-
Quæst. 24 tate, inquit, & gratia excellens, erga alios magnificus exti-
teris : gloria te nusquam deseret, quæ vt tibi adsit, Deus
semper implorandus est. Hoc collaudato : proximum re-
Quæst. 25. spondere precatur. Erga quos habendus sit honor ? At
ille ait, potissimùm omnes tribuendum putant his quos
amicè diligamus : ego verò opinor erga æmulos haben-
dam esse honoris munificentiam quam maximè gratam,
quo illos hoc præsertim modo ad ea quæ honesta sibi
sunt & vtilia inducamus. Oportet autem Deum qui men-
tibus dominatur precari, vt hæc perficiat. His vbi assensit,
Quæst. 26 à sexto exquirit: Quibus gratificandum sit? Ad ea ille, pa-
rentibus (inquit) ante omnes, etenim Deus in honorandis
parentibus præceptum maximum posuit, censens amicos
secundo loco habendos: quos, animo pares nominauit. Tu
verò rectè facis qui cunctos homines ad te amandum al-
Quæst. 27 licis. Post hunc à sequente postulat. Quid sit pulchritudi-
ne dignius? Ille, pietas, ait. Nam & ipsa pulchritudo quæ-
dam est præcellens : eius autem potentia charitas, quæ
B quidem Dei munus est, quam & tu possides, cuncta in
ipsa bona amplectens. Huic magno assensu applaudens,
Quæst. 28 alium interrogauit. Quemadmodum amissa gloria instau-
retur ? Ille autem ad hæc, quando (inquit) clemens omni-
bus gratúsque existis, quę res beneuolentiam comparant:
fieri non potest vt excidas : & magni præterea armorum
apparatus, maximam securitatem præstant. Si qui verò
cadunt : ab his abstineant oportet, quorum gratia excide-
runt, amicitiarúmque inde cultores iusta agant. Dei nam-
que donum est bonorum operatio. Vbi talibus satisfa-
Quæst. 29 ctum est : alius sententiam quærit. Quomodo sine tristi-
tia viueret ? Tum ille, si neminem (inquit) læseris, om-
nésque iuues, iustitia quosque prosequens : ab ea huius-
modi fructus iucunditatis colligitur. Sed implorandus est
Deus, ne ea nos lædant quæ præter opinionem nostram
accidunt, vt sunt mortes, morbi, ægritudines & cætera
huiusmodi. Te autem, quando pius es, borum nihil in-
sequetur. Rectè & bene respondisse asserens, decimum
Quæst. 30. ad dicendum hortatur. Quid sit in gloria potissimum ?
C Respondit ille, Deum venerari, non sacris, inquam, ne-
que muneribus, verùm animi puritate ac fide candida,
eius voluntatem sequi. Quod quidem & tu perficis, id
firmum animo gerens, vt & quicquid feceris, & quæ fa-
cturus sis omnibus pateant. Hic rex cunctos collauda-
tos maiori voce salutat : omnibus & præsertim philoso-
phis approbantibus. Nam opere & sermone longè præ-
stabant, quippe qui à Deo sententiarum principium de-
duxerant. Exin rex conuiuio læto fruitur. Sequenti ve-
rò die mensis solito apparatu instructis discubuerunt.
Tum rex ex opportunitate eos deinceps, qui ab iis pri-
die dixerant, sequebantur : interrogans à primo petit.
Quæst. 31. An prudentia doceri possit ? Cui ille, animi (inquit) de-
cos quoddam est à diuina potentia fluens ad suscipienda
bona, renuendáque contraria. Confessus hoc, proximum
Quæst. 32. interrogat. Quid potissimùm valetudini conferat ? ille,
prudentia, respondit, quæ contingit nemini nisi Deus
Quæst. 33. mentem ad eam præparauerit. Eo collaudato, ad alium
D inquit. Quibúsnam modis genitoribus dignas gratias
referat ? Ad ea illi, si nulla in re (ait) illos tristitia affi-
cias. Sed hoc potuit nemo, nisi Deus cognitionis dux
mentem ad pulcherrima quæque disponat. Annuens
Quæst. 34. huic sequentem postolat. Quomodo sit audiendi cupi-
dus ? Is, si existimaueris (refert) singularum rerum co-
gnitionem tibi vtilem fore: vt aliquid ex his quæ audie-
ris ad præsens tempus comparans ea eligas quæ conue-
nientiora videbuntur. Sed implorandum est, vt diuinum
adsit numen, ab eo namque operationum omnium per-
Quæst. 35. fectio est. His approbatis, ad alium dixit. Vt nihil contra
leges agat ? Tum ille, si cognoueris, inquit, quoniam
Deus legislator mentes intellectúsque dederit ad homi-
num vitam benè regendam, leges sequeris. Approbans
Quæst. 36. & hunc, ab alio rogat. Quod sit cognitionis commo-
dum ? Sic ille, si accidentia (inquit) reputare volumus :
in aduersis eorum rebus, & nos vnà grauiter afficimur &
premimur, vel pro cognatorum mœstitiæ magnitudine,
fortunantibus autem illis gloria inde & decore extolli-

mur. Si verò negocium inter se benignè susceperint : & E
cuncta indissolubili glutino se habent, nihílque ad se-
cundas illorum res desideratur. Verùm orandum est, vt
Deus cuncta secundet. His item receptis, ad alium di- *Quæst. 37.*
xit. Quemadmodum intrepidus existat ? Ille, si mens (in-
quit) nullius sibi conscia mali Deum sequatur, qui con-
silia omnia in bonum dirigit. Hoc collaudato, ab alio
petit. Quomodo recta ratio in promptu sibi esset ? Si *Quæst. 38.*
hominum (inquit ille) infortunia semper consideraue-
ris : reuoluens quales rerum vicissitudines Deus afferat,
alióśque gloria sublimatos honoribus prouehat, alióśque
calamitatibus opertos ignominia deiiciat. Hunc benè
dixisse asserens, alium respondere hortatur. Quibúsnam *Quæst. 39.*
modis, neque socordia neque voluptatibus distrahatur ?
Ille, in promptu hoc tibi est, ait : cùm & magno regno
imperes, & varia negotiorum multitudine tenearis, vt
non ad aliud quidpiam traducendi mentem quies detur:
horum igitur in cura verseris oportet : Deúmque roga,
ne quod te decet prætermittas. Laudans & hunc, à deci- F
mo postulat. Quemadmodum noscat, qui in eum dolo *Quæst. 40*
agant. Ille ad ea respondit, si obseruaueris qua quisque
erga te libertate vtatur : an eosdem semper mores ha-
buerit in salutando consultandóque ac reliqua vitæ con-
uersatione, nec quicquam eorum quæ amicitia postulat
prætermiserit ab affectibus & aliis vitæ rationibus. Deus
verò tibi rex ad optima quæque intellectum instruet.
Hic, Rex nomine quosque appellans, omnes collaudat,
móxque cuncti in iucunditatem vertuntur. Postera die
Rex conuiuij opportunitate sumpta, sequentem monet
vt ostendere velit, Quæ sit maxima negligentia ? Tum *Quæst. 41*
ille, si quis filiorum (inquit) negligens fuerit, eósque
nulla in re erudiat. Deus enim semper vota non pro no-
bis tantum concipimus, quantum precamur, vt & libe-
tis nostris bona cuncta adsint, eruditionem & pruden-
tiam impartiatur. Nam id Dei virtute euenit. Et hunc re-
ctè dixisse obtestatus, ab alio petit. Quomodo patriæ cul- *Quæst. 42*
tor existeret? Si tibi persuaseris, ille inquit, domi viuere, &
mori optimum esse, peregrinationem verò egentibus stul-
titiam, diuitibus dedecus afferre, ceu patria suis malis G
eiecti sint. Igitur tu bonis quemadmodum & facis cun-
ctos afficiens, id assequeris : Deus enim in omnibus gra-
tiam tibi præstabit. Hoc audito, alium rogat. Vt vxoribus *Quæst. 43.*
accommodandum sit? Ille, quádoquidem (ait) fœmineum
genus sui confidens est, asperum, & suorum affectuum
sequax, atque in lapsum procliue propter imprudentiam,
& eius naturam imbecillem, verùm ad valetudinem &
commoda nostra vtendæ sunt, neque illis contraria sen-
tentia aduersandum. Est enim dirigenda vita ad certum
aliquem finem : ac veluti nauium gubernatores signum
aliquod intendere, quæ profectò omnia & cætera cun-
cta Dei institutione reguntur. Assentiens huic, proxi-
mum ad disserendum hortatur. Quomodo non decipia- *Quæst. 44*
tur ? Ad ea ille, si singula ratione prosecutus (ait) de-
tractoribus insuasus persliteris, sed tu ipse vt excellis, di-
cta quæque discernens & facta si operationes tuas certo
iudicio directas perfeceris, indeceptus rex (vt dicis) eris.
Hoc verò intelligere atque in his versari, esse diuinæ po- H
tentiæ operatio. His dictis rex assensus, ab alio poscit.
Quemadmodum non sit iracundus ? ille, si consideraue- *Quæst. 45*
ris (inquit) quoniam is in quo omnium vita pendet, si
quid per iram agat, mortem pluribus affert, quod qui-
dem triste & perniciosum est, multorum vitam regni
causa delere, verùm cùm omnes obsecundent & pareant,
nec vnus quidem aduersetur, qua de causa irascendum
est ? Sed nosse oportet, vt Deus omni indignatione va-
cuus vniuersum gubernet, quem te imitari necesse esse.
Rex benè & hunc respondisse dicens, sequentem inter-
rogat. Quid sit benè consulere ? Rectè cuncta (ille ait) *Quæst. 46*
ex rationis discursu agere, ad propositum aliquem finem,
reiicereque inutilia & rationi contraria, vt mente per
singula discursante benè consulendo propositum adipi-
scamur. Sed omne consilium est Dei virtute firmissi-
mum, sibi præsertim pietatem exercenti. Applaudens
& huic deinceps ostendere iubet. Quid sit philosophari ? *Quæst. 47*
Benè & commodè ratiocinari, refert, circa vnumquod-

que eorum quæ emergunt, neque appetitibus efferri, negligereque vana cuncta & stulta quæ ex cupiditatibus oriri solent, ad peragenda opportuna mensura quadam deduci, quem statum vt adipiscamur, Deum implorare oportet. Huic annoens, inquit ad sequentem. *Quæst. 48* Quæ sit hospitalitatis remuneratio? Si omnibus, inquit, æquus existens quæ acceperis maiori etiam sæoore accumulata reddideris, ita vt in hospitalitate eacellere videaris. Nam & Deus plurimum humiles erigit, & subiectos homines diligit. Attestans his ab alio petit: Quæ sint diuturna opera? *Quæst. 49* Ille, si magna, ioquit, quis & veneranda absoluat, adeo vt spectantes propter operum pulchritudinem & excellentiam illis abstineant, neque quenquam prætermittat eorum qui talia capoliunt, neque indonatos aliquos ad ea perficienda impellat quæ vsus poscit. Etenim Deus cuncta cernens, genus hominum donis accumulat, præbens illis bonam valetudinem, & sensus & alia huiusmodi. Quare & tu simile quid imitatus, laborantibus calamitosisque, malorum vicissitudioem quietemque tribue: ea namque perpetua, quæ ex iostitia perficiuntur. Rectè & hunc respondisse affirmans, decimum rogat. *Quæst. 50* Quis sit sapientiæ fructus? Is, non conscium sibi esse mali respondit, & vitam in veritate transigere. Ex his enim maximum gaudium, & animi voluptas gignitur, præstantissime rex, & spes in Deo optima tibi regnanti piè, aderunt. His auditis, cuncti ea multo applausu approbauerunt. Post hæc Rex multa lætitia plenus, ad propinandum vertitur. Postridiè verò vbi ex consuetudine thoris omnes discubuêre, Rex sumpto tempore, eos *Quæst. 51* qui supererant, interrogat, à primo eorum potens. Quonammodo quis in superbiam non extollatur? Respondit ille, si æqualitatem seruet, & singulis in rebus sui ipsius meminerit, reuoluens animo, vt homo hominibus præsit, vtque Deus deleat superbos, mansuetos & humiles *Quæst. 52* extollat. Hortatus hunc, sequentem ad dicendum monet. Quibus consultoribus vtendum sit? His (ait) qui multis in rebus versati, summam erga se beneuolentiam seruent: atque moribus sint tui similes. Sed Dei claritas ostendit, qui sint huiusmodi digni. Laudans & hunc, ab alio postulat. Quid regi sit maximè necessarium? Subdito- *Quæst. 53* rum (inquit amor & dilectio, per hoc namque insolubile beneuolentiæ vinculum texitur. Deus enim ea perficit quæ rectè eliguntur. Huic annuens, alium definire hortatur. Qui sit orationis finis? Tum ille, proposito *Quæst. 54* (ait) de quo dicendum sit, aduersario persuadere, diluendu contraria, & inepta ostendendo. Sic enim inoffenso currens pede, finem multa laude assequetur. Sed Dei opere dirigitur persuasio. Benè & hunc dicere testa- *Quæst. 55* tus, alium interrogat. Quomodo multis in regno populis se accommodet? Si decenter cuique distribueris (inquit) iustitiamque (quemadmodum facis) ducem sequaris, præbente Deo tibi recta discernere. Congratula- *Quæst. 56* tus huic ad alium dixit. In quibus est tristandum? Ad hæc ille respondit, in amicorum aduersis, quandoquidem diuturna ea & ineuitabilia cetoimus, quæue calamitatibus opertos interimant. Nam in his mœstitiam nulla ratio leuat. Sed de iis in quibus desperamus, neque quicquam in his vtile inuenimus, mortalea omnes contristantur: malum verò omnino effugere, diuinæ potentiæ est. Sic illi respondendum fuisse, testatus, ad alium *Quæst. 57* transiit petens; Quare quis inglorius fiat? Respondit ille: si quando superbia quis ductus exasperetur, vituperationes tunc subeunt & gloriæ priuatio. Nam Deus totius gloriæ dominator, eam quò vult declinat. Hoc collaudato, aliom exinde ostendere vt velit precatur. Quibus *Quæst. 58* seipsum credere oporteat? Iis qui tibi beneuolentia ita afficiantur, inquit, vt neque timore, neque cupiditate vlla, lucróue tangantur. Amoris verò signum difficulter apparet, & temporis obseruatione indiget. Nam qui diuitiis intendit, natura proditor existit. At tibi omnes tui amatores adsunt, Dei tibi recta consilia præbente. Prudenter & hunc dixisse dicens, alium rogat, Quid *Quæst. 59* regnum conseruet? Ille, cura & meditatio (respondit) ne quid à rerum præpositis malè agatur committatúrque in plebem, quemadmodum facies, cùm tibi Deus præstantem intellectum præbeat. Huc laudato, deinceps petit, Quare gratia, honórque seruetur? Virtute (ille in- *Quæst. 60* quit) ea enim pulcherrimorum operum perfectria, malum concoleat, quemadmodum & tu quidem eacellentem erga omnes bonitatem obseruas, quod diuino tibi munere præstatur. Gratia multa, huius quoque dicta *Quæst. 61* recipiens, vndecimum inde (quoniam duo à LXX. superarent) postulat. Quomodo & in bellis quoque, animo pacifico se habeat? Si proposueris animo (ait) nihil perperam à tuis ducibus committi, verùm omnes de virtute inter sese certare: quoniam eam spem animo suam habeant, te suarum rerum curam gesturum, si illos vitæ cedere contingat. Non enim tristitia afficieris, quandoquidem cuncta diuino munere recta disponas, præbente Deo tibi bona sapere. Hic omnes applausu suscipiens, lætitia effunditur, ac cuique propinans, cum iis diutiùs oblectatur. Septima verò die splendidiori apparatu, quod plures è ciuitatibus legationes adessent, conuiuio instructo, Rex per occasioocm ad eos versus qui nondum sententiam dixerant, eorum primum dicere monet. *Quæst. 62* Quemadmodum rectè ratiocinetur? Ille, si tecum [inquit,] reputaueris & dicta ipsa, & à quo dicantur, ac qua quisque de re loquatur, eandemque multo post tempore variis modis perquisieris. Nam ingenij acumen ad discernenda quæque, quemadmodum & tu possides rex, Dei pulcherrimom est donum. Ea *Quæst. 63* plausu approbans, rex alium postulat. Propter quid est quod plerique virtutem non essequantur? Hic, ille, quoniam natura (ait) mortales omnes incontinentes & ad voluptates pronos finxit, ex quibus iniustitia gignitur, & auaritiæ cumulus: virtutis verò status alto loco fixus, eos maximè prohibet & reiicit, qui voluptatibus deuincuntur: fortitudinem namque & iustitiam potissimum colendas iubet, quorum ductor & largitor Deus est. Re- *Quæst. 64* ctè & hunc respondisse asserens, ab alio petit. Quid reges potissimum sequi oporteat? Respondit ille, leges, vt iustis operationibus mortalium vitam regant, quemadmodum & tu peragens, perennem tui memoriam fe- *Quæst. 65* cisti, diuina præcepta secutus. Hoc collaudato, sequentem rogat inquiens, Qui magistratibus præficiendi sint? Ille, quicunque (ait) iniqua odio habent, ac tuos imitantur affectus, laudumque dulcedine tracti iusta semper ad adipiscendam gloriam operantur. Quod & tu profectò (Rex) quandoquidem Deus iustitiæ coronam tribuit; assequeris. Et hunc voce approbans, ad alium ver- *Quæst. 66* sus poscit. Qui sint in duces eligendi? Qui fortitudine & iustitia excellant (inquit) quique hominum salutem cruentæ victoriæ anteponant: Nam & Deus, bona ad omnes operatur: quem tu sequutus, bonis afficis subditos tuos. Huius responsum laudans quærit inde. Qui vir admiratione dignus sit? Ad ea, ille quicunque refert, *Quæst. 67* gloria diuitiis & potentia exuberans: æquam tamen erga omnes mentem habeat, quemadmodum & tu talem te gerens, omnibus admirandus existis, Deus enim in hanc curam te ducit. Annuens huic ad alium dixit. Quibus in rebus reges diutiùs versari debeant? Tum ille, in *Quæst. 68* rerum gestarum cognitione (ait in legendisque incumbentium operum libellis, temporis plurimum assumere oportet, & quæcunque ad conseruanda regna, emendandosque hominum mores scripta sunt perquirere: quod tu cum studio peragas, Deusque consilia tua fœcundet, excellentem supra alios gloriam obtines. Gestiens huic, iubet vt inde ordine alius dicat. Quid per ocium agen- *Quæst. 69* dum sit, ne inertia torpeas? Ille ad hæc: considerandum est (ait) multa cum diligentia quæcunque in mentem veniunt, & ante oculos vitæ formam & imaginem quandam proponendam, tum qua quæque vi perfecta sint, considerandum: est enim & in his decus suum & eruditio quædam. Nam & sæpe in minimis egregium quiddam elucet quod eligas. Tu verò quando bonitatem tibi Deus sufficit, elegantiam omnem propter philosophandi studium amplecteris. Hunc extollens dictis, no- *Quæst. 70* num petens dic, ait: Quomodo in conuiuiis trasigendum sit? Is discendi cupidos assumendos esse refert, & qui regni negotia meminisse possint, & principum

vitas

A

vitas narrare; his namque suauius nihil, neque incundius inuenies. Quoniam hi quidem ad eruditionem pulchertima quæque instructi, Deum venerantur, quod to profectò facis, cùm præsertim cuncta tibi Deus fortunet. Quo probato, rex ab alio petit.

Quæst.71

Quid potius sit populis an priuatum quempiam regem sibi constituant, an verò ex rege genitum regem sequantur? Respondit ille, id quod naturæ decentius est. Etenim cùm reges ex regibus orti insuaues & asperi erga populos habeantur, longe magis & qui à priuato loco ad hanc magnitudinem vehuntur (quando & pauperiem & duros labores experti sunt) truculentiores impiis tyrannis euadent, vi quadam subiectis imperantes. Verum vt suprà dictum est, mos optimus est institutio communis valentissima ad regnandum, quemadmodum tu rex magnis imperas. Nam non tantum gloria & imperio & diuitiis excellis, quantum mansuetudine & benignitate vniuersos Dei munere allicis. Diutiùs & hoc collaudato, versus ad vltimum.

B

Quæst.72

Et tu dic, inquit, Quid sit in regno optimum? Tum ille, in pace, inquit, semper populos continere: atque in caussis peragendis quantocius rectè diiudicare. Hæc per principem fiunt, quando malos exosus, bonos diligit, plurimique existat, si hominis animam saluam reddat. Sicuti, & tu qui hominis necem, summum ducis scelus, cunctaque iustitia moderans perennem gestorum tuorum gloriam exornas, cùm Deus tibi liberam malis mentem, omnique labe exemptam illustrauerit. His simul dictis ingens plausus attollitur, cuncta lætitia & gaudio diutius complentur. Sed vt sunt facta silentia tectis, rex craterem mero statuens propinquat, & his qui sententias dixerant, & præsentibus omnibus, atque ita orsus: Maxima, inquit, mihi vestra præsentia adfulserunt bona. Nam & plurimum commodi vestris responsis, & doctrinam ad regnandum attulistis. Hinc tria cuique talenta argenti & puerum qui ministrauit donari instituit. Ea approbantibus vniuersis & applaudentibus, & lætitia & gaudio conuiuium effunditur, rege ante omnes festiuissimè soluto.

C

Plura equidem de his dixit Philocrates, hominum sapientiæ affectus. Mirabar namque viros sic ex tempore ad proposita quæque tam accommodatè, tamque eleganter respondere potuisse, cùm præsertim quæstiones huiusmodi, diuturna meditatione perquisitæ fuerint: & qui interrogabat, multa prius cogitando singula proponeret. Et illi extemporaneis responsis, ita inter sese conuenerunt, ac si his diutius consultassent. Quapropter admiratione digni visi sunt, cùm mihi & præsentibus omnibus, tum maximè philosophis. Verum enimuero legentium hæc fidem excellere arbitror, & maiora videri, quam quisquam credere possit. Sed qui ipse falsum adiicere voluerim, cum eadem & in regiis monumentis cerni liceat, in quibus vel minimum prætermitti summo sceleri ducatur? Vera igitur atque vt singula gesta sunt, omni prorsus errore abiecto referimus. Qua in re quo verius singula tenerem, ea diligentia vsi sumus, vt assumptis regiis actis in quibus gesta regis dicta quæque & responsa conuiuiaque referuntur, nostra hæc ex illis mutuati simus. Mos est etenim quotidie quemadmodum nosti, ex ea diei hora qua

D

primùm rex responsa reddere cœperit, vsque dum in somno quiescat, singula eius dicta, gesta, facta litteris demandare, rem profecto vtilem & rectè institutam, vt cùm prioris diei responsa, & acta releguntur, si quid minus commode gestum sit, emendari possit. Igitur cuncta (sicuti diximus) regis monumenta diligentiùs perscrutatus, hæc ad te idcirco transcripsi, quoniam intelligerem quàntopere bonarum artium desiderio tenearis. Post tres verò dies quam ea gesta sunt, Demetrius viros ad maris insulam deduxit, transmissoque aggere, septem stadiorum, pontem transgreditur, regionem inde quæ ad Boream vergit petens, ad præparatum consessum venit. Domus erat supra littus perquam decenter ornata, & quæ multo silentio quiesceret, rebus omnibus ad vitæ vsum elegantissimè dispositis. Illic eos ad peragendum interpretationem hortatur, viri singula inter se disserendo, consonum quid edebant. Rursusque ex iis in quibus omnium consensus accesserat: illa Demetrio habenda seruabant, quæ digniora, elegantioraque videbantur.

E

extendebatur verò consessus huiusmodi & disceptatio ad nonam vsque diei horam: soluto huiusmodi consilio ad curanda corpora disceditur. Etenim (vt prædiximus) cuncta sumptuosissimè præbebantur. Nam & quæcunque per singulos dies rex præparabat, eadem & his Dorotheus, cui ea cura demandata erat, studio assequebatur. Ad hæc quotidie regiam aulam inuisebant: vbi rege consalutato ad consueta loca diuertunt, atque vt mos est Iudæis, omnibus manibus prius in mari lotis, Deo preces effundunt: lectioni inde & rerum interpretationi operam dant. Interrogaui equidem & illud quoque cuius gratia cùm vota facerent, manus priùs lauarent? Quærenti talia, demonstrarunt illud testimonium esse, ne quid perperam agant, sed piè cuncta sanctèque perficiant, quandoquidem vniuersa opera manibus exerceantur, rectè singula ad iustitiam & veritatem (sicut prædiximus) referentes. Igitur viri & loci silentio & quieti habiti, magnaque vbique rerum amœnitate & splendore traducti, propositum opus expoliunt.

F

Euenit autem vt duobus & septuaginta diebus quasi id è composito inter sese factum fuisset, perficeretur huiusmodi scripturæ interpretatio. Enimuerò Demetrius rebus ritè peractis, omnem Iudæorum multitudinem in eundem locum vbi interpretatio perfecta est, aduocat, rem omnem à principio edocet à præstantibus interpretibus, qui ab vniuersa multitudine maximis gratiis & laudibus prosequuti sunt, quippe qui præstantium bonorum causa extiterint. Exin Demetrium venerantur, orántque vt legem huiusmodi transcriptam suis principibus permittere velit, donec eius compositionem considerent. Igitur dum lex cognoscitur, astantes interpretum seniores, vrbiúmque legati & multitudinis principes, vnà omnes obtestantur, rectè sanctéque vnumquodque interpretatum esse, beneque se habere si sic permaneant, neque in vno quidem permutetur. Approbantibus ea omnibus, & rogationi applaudentibus iubet Demetrius, vt pro eorum consue-

G

tudine imprecentur, si quis vel addere, vel mutare, transferre, delereue audeat quicquam ex iis omnibus quæ scripta sunt. Cùm vniuersa hæc ritè expleuissent, vt perennis illa sit sempérque seruetur, adiurat. Eadem vbi & illi læto plausu exoptarent, regi maximè gratificatus est quod demandatum sibi munus egregiè obiisset, tradetque perfectum. Hic rex post vbi studio cuncta explorat discitque, legislatoris sensus quosque longè admiratus, ad Demetrium ait: Vt fieri potuit quando talia hæc támque perfecta sunt, quod historiarum aut poëtarum nemo sibi assumpserit? Tum ille: cùm ob venerandam legis institutionem refert, tum quia Deus prohibuerit. Nam quidam tantum opus sibi assumere ausi, mox diuina vltione percussi, consilio abstitêre. Testaturque inde se audisse Theopompum quoniam ex lege secretiora quædam in historia audaciùs, transferre conaretur, supra triginta dies mentis turbatione correptum. Qui cùm per morbi interualla Deum implorasset: ei manifestò per insomnium demonstratum est, ea gratia id sibi contigisse, quòd diuina peruertens in vulgus proiicere tentasset.

H

quibus visis emendatus, & menti redditus est. Et quidem & ipse comperi apud Theodectum tragœdiarum scriptorem se luminibus captum, dum quædam ex huiusmodi libris in suum poëma transferre vellet. Verùm vbi eam cæcitatis causam animaduertit, Deum plures orasse dies, atque ita restitutum, ait. Tum rex obtestatus hæc à Demetrio perpulchrè dici, adiurat, iubétque vt in seruandis custodiendísque ab omni macula libris, summa exhibeatur cura. Exin interpretes perbenignè alloquens vt cùm in Iudæam venerint, frequentiùs ad se commeare velint, hortatur. Æquum enim est, inquit, vt nunc pro dignitate domum deducantur. Si verò redierint, amicos illos sicut fas est, habiturum, & magnis insuper muneribus ornaturum, pollicetur. Mox hominum reditus paretur; imperat, digna sui magnificentia erga eos visus. Etenim singulos tribus inclytis stolis donat, additque præterea auri talenta duo, craterémque.

que præstantem, talenti pondo vnius, addit omnem diuersorij ornatum, Mittit ad hæc Eleazaro thoros decem argenteis pedibus suffulios: cum his omnibus rebus quæ ad illorum decus exquiruuius. Alia insuper talenta triginta, stolas decem, purpuram, coronámqoe decentem, tunicas byssinias ad centum, & phialas & pelues craterésque aureos ad libamina duos. Literis deinde suis eum exhortatus est, ne homines prohiberet, si quando eorum quispiam ad se redire mallet. Nam cùm doctorum virorum consuetudines pluris faceret: in his consequendis opes suas non quidem vanis in rebus vt prodigi, sumptuosissimè elargiebatur. Habes tu quidem Philocrates munus, quod polliciti sumus: in quo legendo maiorem te profectò voluptatem capturum arbitror, quàm si in percutiendis fabulosarum rerum libris oblectetis. Cùm præsertim magnorum gestorum exercitatione, in quo quidem diutiùs versaris, ingenium exerceas. Quapropter enitar digna quæque ad te deinceps perscribere: vt præstantissimarum rerum inter nos amoris certamen excitetur. Vale.

LIBER QVI DE DVODECIM Patriarcharum testamentis inscribitur. Roberto Lincolniensi interprete.

Liber hic apocryphus est pseudepigraphus, fabulosus & indignus plane, qui legatur, multa enim continet partim erronea, partim vana, & mendacia, nullo auctore aut fundamento subnixa, quæ facile lector & discernet & repudiabit.

Testamentum Ruben, de his quæ moriturus in mente, spiritu prognostico dictante, habuit. I.

TRANSCRIPTVM Testamenti Ruben, quæcunque mandauit filiis suis, priusquam moreretur, in CXXV. anno vitæ ipsius. Post annos duos mortis Ioseph, ad ægrotantem congregati sunt, vt visitasent eum filij, & filij filiorum eius & dixit eis: Filioli mei, ego morior, & vado viam patrum meorum. Et videus illic Iudam, Gad & Aser fratres suos, dixit eis: Erigite me fratres, vt dicam fratribus meis, & filiis meis, quæcunque habeo in corde meo abscondita, deficiens enim ego sum à modo. Et stans osculatus est eos, & plorans dixit: Audite fratres mei, auribus percipite verba Ruben patris vestri, quæcunque mando vobis: Ecce, testificor vobis Deum cœli hodie; vt non ambuletis in ignorantia iuuentutis & fornicatione, in qua effusus sum ego, & inquinaui lectum patris mei Iacob: Dico enim vobis, quoniam percussit me Dominus plaga magna in illis meis per menses septem, & nisi Iacob pater meus orasset pro me ad Dominum, quoniam voluit occidere me, periissem. Eram enim annorum triginta, quando feci hoc malum coram Domino, & septem mensibus infirmatus sum vsque ad mortem, & electione animæ meæ septem annis pœnitui coram Domino. Vinum & siceram non bibi, & caro non intrauit os meum, & omnem panem desiderij non gustaui lugens pro peccato meo, magnum enim erat, & non fiet in Israelita: Et nunc audite me filij, vt manifestem vobis quæ vidi, de spiritibus erroris, in pœnitentia mea. Septem spiritus dati sunt aduersus omnem Beliar, & ipsi sunt caput operum iuuentutis, & septem spiritus dati sunt ei in creatione, vt sit in omne opus hominis. Primus spiritus est vitæ cum qua consistentia creatur. Secundus spiritus est visus, cum quo fit desiderium. Tertius spiritus est auditus, cum quo fit doctrina. Qoartus spiritus est olfactus, cum quo est gustus datus in attractione aëris & spirationis. Quintus spiritus est locutionis, cum quo fit cognitio. Sextus spiritus est gustus, cum quo fit cibatio comestibilium & potabilium, & fortitudo in ipsis creatur, qooniam in cibis substantia est fortitudinis. Septimus spiritus est seminis & coitus, cum quo congreditur per concupiscentiam voluptatis peccatum. Propter hoc vltimus est creationis, & primus iuuentutis, quoniam ignorantia plenus est, & ipsa iuniorem ducit vt cæcum in foueam, & vt iumentum in præsepium. In omnibus his octauus spiritus somni est, cum quo creata est extasis naturæ, & imago mortis. His spiritibus commiscetur spiritus erroris. Primus fornicationis, in natura & sensibus iniacet. Secundus spiritus, insatiabilitas in ventre. Tertius spiritus, pugnæ in hepate & colera. Quartus spiritus, placentiæ & machinationis, vt per superfluitatem decorus appareat. Quintus spiritus superbiæ, vt moueatur & magna sapiat. Sextus spiritus mendacij, in prædicatione & zelo fingendo sermones eius, de genere & familiaribus. Septimus spiritus iniustitiæ, cum qua fiunt & commotiones, vt faciat concupiscentiam voluptatis cordis sui. Iniustitia enim cooperatur reliquis spiritibus per doli assumptionem. In omnibus his spiritus somni. Octauus spiritus copulatur errore & phantasia, & ita perit animus iuniorum, obtenebrans mentem à veritate, & non intelligens legem Domini, neque obediens doctrinæ patrum suorum quemadmodum ego passus sum in iuuentute mea. Et nunc filij veritatem diligite & ipsa custodiet vos: Audite Ruben patrem vestrum, non attendatis in visione mulieris, neque singulariter sitis cum fœmina quæ est sub viro, neque circumscrutemini operationem mulierum. Nisi enim vidissem Ballam balneantem in cooperto loco, non incidissem in iniquitatem magnam. Concipiens enim mens mea muliebrem nuditatem, non sinit me dormire vsquequo operatus sum abominationem. Absente enim Iacob patre meo apud Isaac patrem suum, existentibus nobis in Gades, proximo Ephrara domus Bethlehem, Balla erat ebria, & dormiens reuelata iacebat in cubiculo, & ego ingrediens, & videns nuditatem ipsius, operatus sum impietatem, & derelinquens eam dormientem egressus sum: confestim Angelus Dei reuelauit patri meo Iacob de impietate mea, & veniens lugebat super me, non amplius tangens eam. Non ergo attendatis pulchritudini mulierum, neque cogitetis operationes earum. Sed ambulate in simplicitate cordis in timore Domini, & laborantes in operibus, & exercitantes in literis & in gregibus vestris donec Dominus det vobis coniugem qoam ipse vult, vt non patiamini sicut & ego. Vsque ad mortem patris nostri non habebam fiduciam aspiciendi in faciem Iacob, vel loquendi alicui fratrum propter opprobria: & vsque nunc conscientia mea cruciat me de peccato meo, & consolatus est me pater meus qooniam orauit pro me ad Dominum, vt transeat à me ira Domini, sicut ostendit mihi Dominus. Ex tunc igitur custoditus sum & non peccaui. Propter hoc filij mei custodite omnia quæcunque narro vobis, & non peccabitis. Perditio enim animæ est fornicatio diuidens à Deo, & adproximare faciens ad idola, quoniam ipsa in errorem ducit intellectum & mentem, & deducit iuuenes in infernum ante tempora ipsorum. Nam multos perdidit fornicatio. Quoniam etsi sit aliquis senex, vel nobilis, opprobrium ipsum facit, & derisionem apud Beliar & filios hominum. Quia enim custodiuit se Ioseph ab omni muliere, & cogitationes purgauit ab omni fornicatione, inuenit gratiam coram Domino & hominibus. Etenim multa fecit ei Ægyptia quæ Magos aduocauit, & pharmaca ei obtulit, & non suscepit consilium animæ eius desiderium perniciosum. Propter hoc Deus patrum meorum eruit eum ab omni visibili & abscondita morte. Si enim non præualeat fornicatio menti, neque Beliar præualebit vobis. Perniciosæ enim sunt mulieres, filij mei, qooniam cùm non habent potestatem vel virtutem in hominem, dolosè agunt in formis quibus eum ad ipsas attrahant, & quem per fortitudinem non possunt vincere, hunc per deceptionem vincunt. Nam & de eis dixit mihi Angelus Dei, qui docuit me, quoniam mulieres vincuntur à spiritu fornicationis super homines & in corde machinantur aduersus homines, & per ornatum errare faciũt primo eorum mentes, & per visum venenum inferunt, & tunc opere captiuant: non enim potest mulier hominem cogere. Fugite ergo fornicationem filij mei, præti-

Spiritus hominis. — *Spiritus peccati.* — *Mulieris aspectus fugiẽdus.* — *Incessus Ruben.* — *Fornicationis mala.* — *Castitas Ioseph.* — *Mulieres luxuriosæ magis quã viri.*

pite mulieribus vestris & filiabus vt non ornent se in capitibus, & visus earum castigent, quoniam omnis mulier dolose agens in his, in punitionem sæculi reseruata est. Ita enim seduxerunt vigiles ante diluuium, & illi continuo videntes eas affecti sunt desiderio adinuicem,& conceperunt mente operationem, & transfigurati sunt in homines, & in coitu virorum suorum apparuerunt eis, & illæ desiderantes mente imaginationes eorum,pepererunt Gigantes. Apparuerunt enim eis vigiles vsque ad cœlum attingentes. Custodimini ergo à fornicatione, & si vultis purgari mente, custodite sensus vestros ab omni fœmina, sed & illis præcipite non communicare cum hominibus, vt & ipsæ purgentur mente. Continuæ enim contingentiæ,& si non operatum faciunt impium, tamen ipsis sunt ægritudo insanabilis, vobis vero opprobrium Beliar sempiternum, quoniam fornicatio neque intellectum neque pietatem habet in seipsa, & omnis zelus habitat in desiderio eius, propter hoc zelabitis filios Leui, & quæretis exaltari super eos, sed non poteritis. Deus enim faciet vindictam eorum, & moriemini morte perniciosa. Leui enim dedit Dominus principatum & Iudæ, cum his & mihi, Dan & Ioseph, vt essemus Principes. Propter hoc mando vobis, audite Leui, quoniam ipse noscet legem Domini, & diuidet iudicia & sacrificia pro omni Israël, vsque ad consummationem temporum principis Sacerdotum Christi, quem dixit Dominus: Adiuro vos per Deum cœli, vt faciatis veritatem vnusquisque proximo suo,& ad Leui appropinquate in humilitate cordis, vt recipiatis benedictionem ex ore ipsius. Ipse enim benedicet Israël:& Iudam, quoniam eum elegit Deus regem super omnes populos, & adorate semen ipsius, quoniam pro vobis morietur in bellis visibilibus & inuisibilibus, & erit in vobis Rex sæculorum. Et mortuus est Ruben præcipiens filiis suis prædicta & benedicens, & posuerunt eum in thecam, vsque quo referentes eum ex Ægypto, sepelierunt in Hebron in spelunca duplici, vbi patres eius dormierunt.

Gigantū ortus.

Leuitarū honor ex Castitate.

Leuitæ honorandi.

† *Caute lege, nam auctor refricare videtur errorem quorundam antiquorum angelos cecidisse libidinis peccato, quod se cum mulieribus impuro coitu miscuerint. Vide S.Thomam 1.p.q.51.art.3.ad 6.eiusque interpretes, & Sixtum lib. 5. biblioth. annot.77. Deinde nimis fabulosum illud est,quod iste auctor subdit: Apparuerunt enim eis vigiles vsque ad cœlum pertingentes.*

Testamentum Simeon, de Inuidia. II.

TRanscriptum verborum Simeon quæ locutus est filiis suis antequam moreretur centesimo-vicesimo anno vitæ suæ,in quo mortuus est Ioseph. Venerunt enim visitare ipsum ægrotantem, & erectus sedens osculatus est eos,& dixit eis: Audite filij, audite Symeonem patrem vestrum, quæcunque habeo in corde meo. Ego genitus sum ex Iacob patre meo filius secundus, & Lya mater mea vocauit me Symeonem, quoniam audiuit Dominus orationem ipsius. Potens effectus sum valde, non formidaui operationem, neque timui ab omni re. Cor enim meum erat durum, epata mea immobilia,& viscera mea compatientia, quoniam & fortitudo ab altissimo datur hominibus in animabus & corporibus. In tempore illo inuidi Ioseph, quoniam dilexit eum pater noster: firmaui super eum epata mea ad occidendum eum, quoniam princeps erroris mittens spiritum inuidiæ excæcauit mentem meam, vt non attenderem non parcens Iacob patri meo. Sed Deus eius & patrum eius mittēs Angelum suum eruit eum ex manibus meis. Vt enim ego ieram in Sichimis afferre vnguentum gregibus, & Ruben in Dotan vbi erant necessaria nobis & omnia reposita, Iudas frater noster vendidit eum Ismaëlitis, & veniens Ruben tristatus est, voluit enim ipsum saluum reducere ad patrem. Ego vero iratus eram aduersus Iudam quoniam viuentem ipsum dimisit, & fui menses quinque iratus ei, impediuit autem me Deus & prohibuit à me operationē manuum, quoniam manus mea dextera semisicca erat per dies septem. Et cognoui filij, quod propter Ioseph hoc mihi accidit, & pœnitens fleui & oraui Dominum vt restitueret manum meam, & abstinerem ab omni inquinamento, inuidia,& omni insipientia. Cognoui enim quoniam perniciosam rem cogitaueram coram Domino & Iacob patre nostro propter Ioseph fratrem meum cui inuidebam. Et nunc filij custodimini à spiritibus erroris & inuidiæ, etenim inuidia dominatur omni menti hominis quæ non patitur eum neque bibere, neque facere aliquid boni, semper suggerens occidere eum cui inuidetur, quum is omnino floreat, inuidens vero marcescat. Per duos annos puniui in timore Domini & in ieiunio animam meam, & cognoui quoniam liberatio inuidiæ, per timorem Dei efficitur. Si quis ad Dominum refugiat, aufugit perniciosus spiritus ab ipso,& efficitur mens leuis,& iam compatitur inuidioso, & non reprehendit diligentes ipsum, & ita quiescit ab inuidia. Et interrogabat pater de me quoniam vidit me tristem, & dicebam mentiens: epata mea doleo. Tristabar enim super omnes quoniam ego eram causa venditionis Ioseph,& quando descendimus in Ægyptum, & ligauit me velut exploratorem, cognoui quoniam iuste patiebar, & non sum contristatus. Ioseph vero erat vir bonus,& habens spiritum Dei in seipso, miserator & misericors, non recordatus est facere malum mihi, sed & dilexit me vt alios fratres. Custodimini ergo filij mei ab omni zelo & inuidia,& ambulate in simplicitate animæ,& in bono corde cogitantes fratrem patris vestri, vt det nobis Deus gratiam,gloriam & benedictionem super capita vestra, sicut videtis in ipso omnibus diebus non improperauit nobis de verbo hoc, sed dilexit nos vt animam suam & super filios suos: & glorificauit nos, & diuitias, pecora & fructus omnibus nobis largitus est. Et vos ergo filij mei dilecti, diligite vnusquisque fratrem suum in bono corde,& amouete à vobis spiritum inuidiæ, quoniam ipse syluestrem facit animam, & corrumpit corpus, iram & bellum tribuit eius consiliis, & in sanguinem exacuit, & in extasim ducit mentem, & non sinit intellectum in hominibus operari. Sed & somnum aufert, & tribulationem tribuit animæ,& tremorem corpori, quoniam & in somno aliquis zelus malitiæ imaginatæ ipsum corrodit, & spiritibus perniciosis conturbat animam ipsius, & expauescere corpus facit, & conturbatione excitari mentem, & sicut spiritum perniciosum & venenum fundentem habens, ita apparet hominibus. Propterea Ioseph erat pulchra facie, & decorus aspectu, quoniam non habitauit in ipso quicquam perniciosum. A turbatione enim spiritus, faciem puram habuit. Et nunc filij mei benigna facite corda vestra coram Domino,& dirigite vias vestras coram hominibus, & inuenietis gratiam coram Deo & hominibus:& custodimini ne fornicemini, quoniam fornicatio mater est omnium malorum, diuidens à Deo, & appropinquare faciens ad Belial. Vidi enim characteres scripturæ Enoch, quoniam filij vestri vobiscum in fornicatione corrumpentur,& Leui iniustitiam facient in gladio. Sed non præualebunt ad Leui, quoniam bellum Domini bellabit,& vincet omne castrum vestrum, & erunt paucissimi diuisi in Leui & Iuda,& erit vobis Dux, quemadmodum pater meus Iacob prophetauit in benedictionibus. Ecce prædixi vobis omnia, vt iustificer à peccato animarum vestrarum. Si autē auferatis à vobis inuidiam, & omnem duram ceruicem, vt rosa florebunt omnia ossa mea in Israël,& vt lilium caro mea in Iacob, & erit odor meus sicut odor Libani, & multiplicabuntur vt cedri, sancti ex me vsque in sæculum, & rami eorum vsque in longitudinem dierum. Tunc peribit semen Chanaam, & residuum non erit Amalech, & peribunt omnes Cappadoces, & omnes Cethæi perdentur. Tunc deficiet terra Cham,& omnis populus peribit. Tunc requiescet omnis terra à tribulatione, & omnis qui sub cœlo est à bello. Tunc Sem glorificabitur, quando Dominus Deus magnus Israël apparebit in terra vt homo,& saluabit in ipso Adā. Tunc dabuntur omnes spiritus erroris in conculcationē, & homines regnabunt super perniciosos spiritus. Tunc resurgam in lætitia,& benedicam altissimum in mirabilibus ipsius, quoniam Deus corpus assumens,& co[illegible]

Ira Symeonis.

Simeon ligatus in Ægypto.

Ioseph syncere dilexit fratres.

Inuidia mala.

Fornicatio fugienda.

Prophetia Enoch.

Deus vt homo.

hominibus

Salutare ex Leui & Iuda.

hominibus saluabit homines. Et nunc filioli mei, obedite Leui, & in Iuda liberamini, & non efferemini super duas tribus has, quoniam ex ipsis orietur nobis salutare Dei. Suscitabit enim Dominus ex Leui principem Sacerdotum, & ex Iuda regem, Deum & hominem. Ita saluabit omnes Gentes & genus Israël: Propter hæc omnia mando vobis, vt vos mandatis filiis vestris, vt custodiant hæc in generationes eorum. Et Simeon finiuit sermones hos mandans filiis suis, quum esset centum & viginti annorum. Et posuerunt eum in theca lignorum quæ non putrescunt, vt reducerent ossa eius in Hebron, & reduxerunt ea clam in bello Ægyptiorum. Ossa enim Ioseph custodiebant Ægyptij in ærariis regum. Dicebant enim eis incantatores, quod si deportentur ossa Ioseph, forent in omni Ægypto tenebræ, & caligo & plaga magna valde Ægyptiis, vt cum lucerna quoque non cognoscat vnusquisque fratrem suum. Et fleuerunt filij Simeon patrem suum secundum legem tristitiæ, & erant in Ægypto vsque ad dies exitus eorum ab Ægypto in manu Mosi.

Testamentum Leui, & de Sacerdotio & Superbia III.

TRanscriptum verborum Leui, quæcunque disposuit filiis suis, scilicet omnia quæ facient, & quæcunque contingent eis vsque ad diem Iudicij. Sanus erat quando vocauit eos ad seipsum, præsciebat enim quando moriturus erat. Quum autem congregati erant, dixit eis: Ego Leui in Carra conceptus sum, & natus illic, & post hæc veni cum patre in Sichima. Eram vero iunior quasi annorum viginti, quando feci cum Simeone vindictam sororis nostræ Dinæ de Emmor. Vt autem pauimus greges in Abelmaul, spiritus intellectus Domini venit super me, & videbam omnes homines exterminantes viam suam, & quoniam muros ædificauit sibiipsi iniustitia, & super turres iniquitas sedit. Et tristatus sum de genere hominum, & oraui Dominum vt saluarer. Tunc cecidit super me somnus, & contemplatus sum montem excelsum. Hic est mons aspidis in Abelmaul: & ecce aperti sunt cœli, & Angelus Dei dixit ad me: Leui ingredere, & ingrediebar de primo cœlo in secundum. Et vidi illic aquam suspensam in medio huius & illius. Et vidi tertium cœlum multo lucidius quam duos. Etenim altitudo erat in ipso infinita. Et dicebam Angelo: Propter quid istud? Et dixit Angelus ad me: Non mireris in his, alios enim quatuor cœlos videbis clariores & incomparabiles cum ascenderis illic. Quoniam prope Dominum stabis, & minister ipsius eris, & mysteria eius annunciabis hominibus, & de venturo liberatore Israël prædicabis. Et per te & Iudam apparebit Dominus hominibus saluans in ipsis omne genus hominum, & ex parte Domini erit vita tua, ex ipso erit tibi ager, fructus, aurum & argentum. Audi ergo de septem cœlis. Quod inferius, propterea tristius est, quia iuxta omnes iniustitias hominum est. Secundum habet ignem, niuem, glaciem, parata in diem præcepti Domini in iusto iudicio Dei. In ipso sunt omnes spiritus retributionum ad vindictam iniquorum. In tertio sunt virtutes castrorum, ordinatæ in diem iudicij, ad faciendum vindictam in spiritu erroris & Beliar. In quarto autem superius his sancti sunt, quoniam in superioribus locis habitat magna gloria sanctorum supra omnem sanctitatem. In eo quod post hoc, Angeli sunt faciei Dei ministrantes, & propitiantes ad Dominum in omnibus ignorantiis iustorum. Offerunt vero Domino odorem suauitatis rationabilem & sine sanguine oblationē. In eo autem quod subtus est, sunt Angeli qui ferunt responsiones Angelis faciei Dei. In eo vero, quod post hoc est, sunt Throni, Potestates, in quo hymni semper Deo offeruntur. Quando ergo respexerit Dominus super nos omnes, nos commouebimur, cœli, terra, & abyssi à facie magnitudinis eius commouebuntur. Filij autem hominum in his existentes insensibiles, peccabunt & irritabunt altissimum. Nunc ergo cognoscite, quoniam faciet Dominus iudicium super filios hominum, quando petris scissis, Sole extincto, aquis siccatis, igne tremente, & omni creatura turbata, inuisibilibus spiritibus liquefactis, inferno spoliato, in passione altissimi, homines [...]reduli permanebunt, & in iniustitia propter hoc in pœn[...] [...]dicabuntur. Audiuit igitur altissimus orationem tua[...]d separandum te ab iniustitia. Et vt efficiaris ei filius & [...]mulus, & minister faciei eius, lumen cognitionis, illum[...]anda illuminabis in Iacob, & vt Sol eris inter semen Isra[...] tibique dabitur benedictio ac semini tuo, vsquequo vi[...]t Deus omnes Gentes in visceribus misericordiæ fili[...]s vsque in sæculum. Veruntamen Filij tui imponent [...]nus in ipsum ad crucifigendum ipsum, & propter hoc [...]tum est tibi consilium & intellectus, vt notum facias [...]is tuis de ipso, quoniam benedicens, ipsi benedictus [...] maledicentes coram eo, peribunt. Et aperuit mihi An[ge]lus portas cœli, & vidi Templum sanctum, & in throno [gl]oriæ, altissimum. Et dixit mihi: Leui, tibi dedi benedic[tio]nes Sacerdotij, vsquequo veniens, habitabo in medio [Isr]aël. Tunc duxit me Angelus in terram, & dedit mihi [sc]utum & gladium, & dixit: Fac vindictam in Sichē pro D[in]a, & ego ero tecum, quoniam Deus misit me. Et occidi tempore illo filios Emmor, sicut scriptum est in tabulis [c]elorum. Dicebam autem ei: Oro te Domine, dic mihi [no]men tuum, vt inuocem te in die tribulationis. Et dixit [E]go sum Angelus excusans genus Israël, vt non percutiat[...] in finem, quoniam omnis spiritus perniciosus ei insidia[tu]r. Postea velut ex somno excitatus, benedixi altissimum, & Angelum excusantem genus Israël & omnes iustos. Vb[i v]ero veni ad patrem meum, inueni aspidem æneum, vnde [e]tiam nomē monti est aspis, quoniam prope Gebar est à dextris Abila. Et conseruabam sermones hos in corde meo. Ego consului patri meo & Ruben fratri meo, vt dicerent filiis Emmor vt circuncideruntur, quoniam zelaui propter abominationem quam fecerant propter Israël. Ego enim interfeci Sichem in primis, & Simeon Emmor. Postea que venerunt fratres qui percusserunt Ciuitatem in ore gladij. Vt audiuit pater, iratus est, quoniam susceperant Circumcisionem, & post hoc mortui sunt, & in benedictionibus aliter fecit. Peccauimus enim, quoniam præter consilium eius hoc fecimus, & infirmatus est in die illa. Sed ego noui, quoniam sententia Dei erat mala in Sichimam, quoniam voluerant Saræ facere quemadmodum fecerunt Dinæ sorori nostræ, verum Deus prohibuit. Persecuti autem sunt Abraham patrem nostrum, peregrinum existentem, & conculcauerunt armenta eius, prætetea quoque Ieblae in domo ipsius genitum valde verberauerūt. Ita faciebant in omnes peregrinos, vi rapientes vxores eorum, & in exilium impellentes eos. Venit autem ira Domini super ipsos in finem. Et dicebam patri, Ne irascaris Domine, quoniam in te ad nihilum rediget DEVS.

Aquæ super Cœlos. *Iudicij extremi tempus.* *Tabula Cœlorū.* *Inuocatio Angeli.* *Dei Prouidentia in Sichimitas.*

*** *Caute lege, nam ista narratio fabulosa & erronea est, cum certum sit Simeon & Leui male fecisse in interfectione Sichimitarum, vt Iacob pater iis improperauit Genesis 49. vers. 5. & 6. Angelus bonus & Dei minister nescit patrocinium dare criminibus.*

Chananæos, & dabit terram ipsorum tibi, & sancto tuo post te. Erit enim ab hoc die Sichem dicta ciuitas stultorum: quoniam vt quis deridet fatuum, ita derisimus eos. Nam insipientiam operati sunt in Israël dum auferebant vt inquinarent sororem nostram. Venimus autem in Bethel, & ibi rursus videbam rem quemadmodum prius, postquam sacrificaui dies septuaginta. Et vidi septem homines in veste alba, dicentes mihi: Exurge, indue stolam Sacerdotij & coronam iustitiæ, & rationale intellectus, & poderem veritatis, & petasum fidei, & mitram signi, & Ephod Prophetiæ, & vnusquisque ipsorum vnumquodque portantes, imposuerunt mihi & dixerunt: A modo esto Sacerdos Domini tu & semen tuum vsque in sæculum. Et primus vnxit me oleo sancto, & dedit mihi virgam iudicij. Secundus lauit me aqua munda, & cibauit dans panem & vinum, scilicet Sancta Sanctorum, circundedit me stola sancta & gloriosa. Tertius, byssina me induit simili Ephod: Quartus zonam mihi circumposuit similem purpuræ. Quintus ramum oliuæ mihi dedit pinguedinis. Sextus diadema Sacerdotij capiti meo imposuit, & impleuerunt manus meas thymia-

Panis & vinum sancta sanctorū.

mate, vt Sacerdotio fungerer Domin‑ Dixit autẽ ad me
Leui, In tria principia Dei detur ser tuum, in signum
gloriæ Domini superuenientis, & crediderit, primus
erit. Sors magna super ipsum non Secundus erit in sa-
cerdotio. Tertius qui vocabitur nen nouum, quoniam
Rex ex Iuda exurget, & faciet cerdotiũ meum nouum
secundum typum Gentium in nes Gentes. Aduentus
autem ipsius ineffabilis vt Pr etæ altissimi ex semine
Abraham patris nostri. Om desiderabile in Israël tibi
erit & semini tuo, & come is omne pulchrum visu, &
mensam Domini distribuet men tuum, & ex ipsis erunt
principes Sacerdotum, & dices & Scribæ, quoniam in
ore eorum custodietur s tum. Et expergefactus intel-
lexi quoniam hoc simil ius est, abscondi vero hoc in
corde meo, & non anu iaui hoc omni homini in terra.
Primis duobus diebus cendimus ego & Iudas ad Isaac
patrem nostrum, & b edixit me pater patris mei secun-
dum omnes sermon visionum mearum quas videram,
& non voluit ire no cum in Bethel. Vt autem venimus
in Bethel, vidit pat meus Iacob in visione de me quod
futurus essem eis S cerdos coram Domino. Et exurgens
mane decimault nia Domino. Et venimus in Hebron
ad habitandum & Isaac vocauit me continuo ad expo-
nendam legem omini, secundum quod monstrauit mihi
Angelus Dei, docuit me legem Sacerdotij, Sacrificio-
rum, holocaustomatum, primitiarum, voluntariorum &
salutarium. Singulis diebus docuit me intelligere, & per-
seuerabat i me coram Domino, & dixit: Non attendas
fili spiritui ornicationis, hic enim permanebit, & per se-
men tuum nquinabit sancta. Accipe ergo tibi vxorem in
iuuentute ua, non habentem maculam, neque inquinatã,
neque de genere Allophylorum vel Gentium. Et antequã
intrabis sancta, lauato: similiter, sacrificando. Et complens
sacrificium, rursus laua. Duodecim arborum perpetuo vi-
rentium fructus offer Domino, vt etiam me Abraham do-
cuit, & omnis animalis mundi, & volatilis mundi offer sa-
crificium Domino. Similiter omnis primi germinis & vi-
ni offer primitias, & omne sacrificium sale conspergas.
Nunc igitur custodite quæcunque mando vobis filij, quo-
niam quæcunque audiui à patribus meis, annunciaui vo-
bis. Innocens sum ab omni impietate vestra & transgres-
sione quam facietis in consummatione sæculorum, in
Saluatorem mundi impie facientes, seducentes Israël, &
suscitantes ei mala magna à Domino, & inique facietis
cum Israël vt non subsistat Hierusalem à facie malitiæ
vestræ. Et scindetur velum Templi, vt non velet deformi-
tatem vestram, dispergemini captiui in Gentibus, & eritis
opprobrium, maledictio & conculcatio, domus tamen
quam eliget Dominus, Hierusalem vocabitur quemad-
modum continet liber Enoch iusti. Quando igitur accepi
vxorem, eram annorum viginti octo, cui nomen erat Mel-
cha: & concipiens peperit filium, & vocaui nomen eius
Gersam quando in terra nostra aduenæ eramus, Gersam
enim exilium significat. Sciebam autem de ipso, quoniam
non erit in primo ordine. Secundo Kaat genitus est in tri-
cesimo quinto anno. Ad Orientem Solis videbam in vi-
sione, quoniam medius in excelsis stabat omnis congrega-
tionis, propter hoc vocaui nomen ipsius Kaat, quod est
principium magnitudinis & instructionis. Tertio peperit
mihi Merari, quinquagesimo quinto anno vitæ meæ, &
quia difficile peperit mater eius, vocauit eum Merari,
quod est amaritudo mea, quoniam & ipse mortuus
est. Iochabed vero sexagesimo quarto anno nata est in
Ægypto (gloriosus ergo eram tunc in medio fratrum
meorum) & accepit Gersam in matriũ, & peperit ei Lom-
ny & Semei, & filij Kaat, Ambrã, Isaar, Chedrũ & Oziel.
Et filij Merari, Mooly & Omnisi. Et in nonagesimo quar-
to anno meo, accepit Abram Iochabed filiam meam fi
in vxorem, quoniam in vna die nati sunt ipse & filia mea.
Octo an. eram, quando ingressus sum terram Chanaan, de-
cem & octo an. quum Sacerdotio functus sum. Et vigesi-
mo octauo anno accepi vxorem. Et quadragesimo an-
no ingressus sum in Ægyptum. Et ecce filij mei estis,
filij mei tertia generatione. Ioseph centesimo & de-
cimo octauo anno mortuus est. Et nunc filij mei mando
vobis, vt timeatis Dominum Deum vestrum ex toto cor-
de, & ambuletis in simplicitate secundum omnem legem
ipsius, docete autem filios vestros literis, vt habeant in-
tellectum in omni vita eorum, legentes indesinenter le-
gem Dei. Quoniam omnis qui cognoscit legem Dei, ho-
norabitur, & non erit peregrinus quocunque vadat. Plu-
res quoque amicos suis genitoribus habebit, & desidera-
bunt multi hominum seruire ei, atque audire legem ex
ore ipsius. Facite iustitiam filij mei in terra vt inueniatis
in cœlis, & seminate in animabus vestris bona, vt inue-
niatis ea vitæ vestræ. Si enim seminaueritis mala, om-
nem turbationem inuenietis ac metetis. Sapientiam pos-
sidete in timore Dei, quoniam si fiat captiuitas & ciuita-
tes disperdantur, & regiones, aurum & argentum, & om-
nis possessio pereat, sapientis sapientiam nullus potest au-
ferre nisi cœcitas impietatis & peccati, quoniam efficien-
tur ei hæc apud hostes clam & in terra aliena, patria, &
in medio inimicorum inuenietur amicus. Si doceat hęc &
faciat, sedebit cum rege, sicut & Ioseph frater noster. Et
nunc filij cognoui ex scriptura Enoch, quoniam in fine
impie agetis, in Dominum manus imponentes in omni
malicia, & confundentur in vobis fratres vestri, & omni-
bus gentibus fient illusio. Etenim Pater noster Israël,
mundus erit ab impietate Principum Sacerdotum, qui
imponent manus in Saluatorem mundi. Cœlum super
terram mundus est, & vos estis luminaria cœli vt Sol &
Luna. Quid facient omnes Gentes, si vos obtenebrescatis
in impietate, & inducatis maledictionem super genus ve-
strum, pro quibus lumen mundi datum est vobis ad illu-
minationem omnis hominis? Hunc volentes occidere,
contraria mandata docentes de iustificationibus, Obla-
tiones Domini latrocinabimini & de partibus ipsius fura-
bimini, & antequam sacrificetis Domino, assumetis ele-
cta, & contemptim comedentes cum meretricibus, in
auaricia mandata docebitis. Eas quæ sub viris sunt coin-
quinabitis, & virgines in Hierusalem violabitis. Et mere-
tricibus & adulteris copulabimini, filias Gentium acci-
pietis in vxores, purificantes eas purificatione iniqua, &
efficietur mixtio vestra Sodoma & Gomorra, & in im-
pietate inflammabimini in Sacerdotio, non solum autem
aduersus homines elati, sed & aduersus mandata Dei in-
flati illudetis sancta in contemptu deridentes. Propter
hoc, templum quod vtique elegit Dominus, desolabitur
in immundicia, & vos captiui eritis omnibus Gentibus,
& abominatio inter eas, & accipietis opprobrium &
confusionem sempiternam à iusto iudicio Dei. Et omnes
qui contemplabuntur vos, fugient à vobis. Et nisi propter
Abraham, Isaac, & Iacob patres nostros hoc fieret, vnus ex
semine meo non relinqueretur in terra.

Et nunc cognoui in libro Enoch, quoniam septuagin-
ta hebdomadas errabitis, & Sacerdotium inquinabitis, &
sacrificia polluetis, & legem exterminabitis, & sermones
Prophetarum contemnetis, in peruersitate persequemini
viros iustos, & pios odio habebitis, veracium sermones
abominabimini, & virum renouantem legem in virtute
altissimi, erroneum appellabitis. Et in fine, vt æstimabitis,
occidetis eum nescientes ipsius resurrectionem, innocen-
tem sanguinem in malicia super capita vestra recepturi,
propter ipsum erunt sancta vestra deserta vsque per iura-
mentum prophanata, & non erit locus vester mundus, sed
in Gentibus eritis maledictio, atque desperatio anget vos,
donec ipse rursus visitabit, & miserens recipiet vos in fide
& aqua. Et quoniam audistis de septuaginta hebdomadis,
audite de Sacerdotio. Secundum vnumquemque enim
Iubileum erit Sacerdotium. In primo Iubileo, primus
vnctus in Sacerdotium magnus erit, & loquetur Deo vt
patri, & Sacerdotium ipsius plenum erit cum timore
Domini, & in die gaudij ipsius, in salutem mundi ipse
resurget. In secundo Iubileo vnctus, in tristitia delictorum
concipietur, & erit Sacerdotiũ ipsius honorabile, & apud
omnes glorificabitur. Tertius vero Sacerdos in tristitia as-
sumetur. Et quartus in dolore erit, quoniam apponet super
ipsum iniustitia in multitudine, & in Israël odio habebit
vnusquisque proximum suum. Quintus in tenebris
comprehendetur. Similiter sextus & septimus. In septimo

Marginalia: *Fornicatio Sacerdotibus fugienda.* — *Liber Enoch.* — *Lex Dei legenda.* — *Docere, & facere sapientiã.* — *Leuitarũ futura peccata.* — *Liber Enoch.*

vero erit abominatio, quam non possum dicere coram Domino & hominibus, quoniam ipsi cognoscentur qui facient ea. Propter hóc in captiuitate & in corruptione erunt, & terra & substantia eorum exterminabitur, & in quinta hebdomada reuertentur in terram desolationis ipsorum. Et renouabunt domum Domini. in septima vero hebdomada venient Sacerdotes idololatrantes, bellatores auari, scribæ iniqui, impudici puerorum corruptores & pecorum. Et postquam facta fuerit vindicta ipsorum à Domino in sacerdotio, tunc suscitabit Deus sacerdotem nouum, cui omnes sermones Domini reuelabuntur, & ipse faciet iudicium veritatis in terra in multitudine dierum, & orietur astrum ipsius in cœlo, sicut Rex illuminans lumen cogitationis in Sole diei, magnificabitur in orbe terrarum vsque ad susceptionem ipsius, ipse resplendebit sicut Sol in terra, & tollet omnes tenebras sub cœlo, & erit pax in omni terra. Cœli exultabunt in diebus ipsius, & terra gaudebit, & nubes exaltabuntur, & cognitio Domini fundetur in terra vt aqua marium, & Angeli gloriæ faciei Domini gaudebunt in eo. Cœli aperientur, & ex Templo gloriæ veniet super illum sanctificatio cum voce paterna, sicut ad Abraham patrem Isaac, & gloria altissimi super ipsum dicetur & spiritus intellectus, & sanctificationis requiescet super ipsum, de qua ipse dabit magnificentiam Domini filiis suis in veritate in sæculum, & erit successio ipsi in generationes & generationes vsque in sæculum, & in sacerdotio ipsius deficiet omne peccatum, & iniqui requiescent à malis, iusti vero requiescent in ipso, & ipse aperiet portas Paradisi, statuétque minantem gladium aduersus Adam, & pascet Sanctos de ligno vitæ, & spiritus sanctificationis erit in eis, Beliar autem ligabitur ab ipso: & dabit potestatem filiis suis ad calcandum super, perniciosos spiritus, & lætabitur Dominus in filiis suis. Et acceptabit eum Deus in dilectum vsque in sæcula. Tunc exultabit Abraham, Isaac & Iacob, & ego gaudebo, & omnes sancti. Et nunc filij mei omnis audistis. Eligite igitur vobismetipsis, vel tenebras, vel lucem, vel legem Domini, vel opera Beliar: & respondimus nos patri, dicentes: Coram Domino ambulabimus secundum legem ipsius, & dixit Pater noster: Testis est Dominus, testes Angeli eius, & testis ego, & testes vos de sermone oris vestri, & cum diximus: Testes erimus, requieuit Leui hæc mandans filiis suis. Et extendit pedes suos, & appositus est ad patres suos quum vixisset centum & triginta septem annos, & posuerunt eum in theca, & postea sepelierunt eum in Hebron, iuxta Abraham, Isaac & Iacob.

De Christi Sacerdotio.

Testamentum Iudæ, de Fortitudine, Auaritia & Fornicatione III.

TRanscriptum sermonum Iudæ, quæcunque locutus est filiis antequam moreretur. Congregati venerunt ad ipsum, & dixit eis: Quartus filius effectus sum patri meo, & mater mea vocauit me Iudam, dicens: Confiteor Domino, quoniam dedit mihi & quartum filium, velox eram, studiosus in iuuentute mea, & obediens patri meo secundum omne verbum, & benedicebam matri meæ, & sorori matris meæ. Et factum est quod effectus sum vir, & pater meus Iacob orauit super me, dicens: Rex eris, & prosperatus in omnibus. Ecce dedit mihi Deus gratiam in omnibus operibus meis, in agro & in domo, vt videbam quod concurrebam, & apprehendens ipsam, feci cibum patri meo, & capras superabam per cursum, & omne quod erat in campis capiebam, & equam agrestem apprehendens mansuefeci, & eripiebam hœdum ex ore eius. Vrsum capiens pede præcipitabam, & omnem feram reuersam ad me, dilacerabam eam, vt canis: Porco syluestri concurrebam, & præoccupans in currendo dilaceraui eum. Pardalis in Hebron insiluit super canem, & apprehendens eam, statim caudã abiiciebam eam, & disrupta est in terminis Gate. Bouem syluestrem in regione pastum tenui cornibus, & in circulum voluebam, & quum in tenebris iacerem, occidi. Quando veniebant duo reges Chananæorum loricati super greges, & multus populus cum ipsis, & ego solus currens super gregem. Sur regem continui, & in tibias percutiens prostraui, & ita occidi eum. Alium regem Taphen sedentem in equo occidi, atque ita omnem populum dispersi. Achor regem virum gigantem sagittantem ante & retro, in equo apprehendens, lapidem sexaginta librarũ vibrans proieci in equum, ipsum vero interfeci. Et expugnãs Achor horis duabus occidi, & dissecans clypeum conscidi pedes eius. In exuendo autem eius thoracem, ecce octo viri amici eius inceperunt pugnare aduersum me. Inuolués ergo manum meam lapidibus, funda percutiens ipsos, quatuor eorum occidi, alij autem fugerunt. Et Iacob pater noster occidit Beelisa regem omnium regum, gigantem fortitudine, cubitorum duodecim. Et cecidit super ipsos timor, & quieuerunt pugnare contra nos. Propter hoc sollicitus erat pater meus quandu in præliis eram cum fratribus meis. Vidit in visione de me, quoniam Angelus virtutis sequebatur me in omnibus, vt non vincerer. Et secũdum auspicium, factum est nobis prælium maius quam quod in Sichimis, & fortiter prælians cum fratribus meis, persecutus sum mille viros, & occidi ex eis decentos viros, & quatuor reges, & ascendi super ipsos tanquam super murum, & alios duos reges occidi, & ita liberauimus Hebrõ, & abduximus omnes captiuos. Postero die abiuimus in Arecam ciuitatem potentem, muratam, & inaccessibilem, minantem nobis mortem. Ego igitur & Gad aduenimus ab Oriente ciuitatis, Ruben vero & Leui ab Occidente & Austro, & putabãt qui super muros erant, quod non soli essemus, ac irati inuasere nos, & ita latentes fratres ex vtraque parte, scalis ascenderunt murum, & intrauerunt ciuitatem ignorantibus ipsis, & cepimus eam in ore gladij, & refugientes in turrim, incendentes eam ipsis cepimus. Et quum recederemus, viri Taffi insidiabantur prædæ nostræ, & acceperunt eam cum filiis nostris. Nos vero deprehendimus eos ad Taffum, atq; occidimus, & ciuitatem incendimus, omnia quæ in ipsa erant spoliantes: & vt eram in aquis Gureba, ij qui à Iobel veniebant aduersus nos in prælium, cõtingimus eos, simul eos qui à Selon compugnatores ipsorum erant, spoliauimus & occidimus. Et non dedimus eis egressum veniendi ad nos. Et à Machir venerunt quinto die, vt captiuos abducerent, ad quos in perseuerãti pugna venimus, quoniam erat multitudo potens in eis, & occidimus eos antequam ascenderunt ascẽsionem. Vt autem venimus ad ciuitatem eorum, mulieres eorum voluebant super nos lapides à vertice montis in quo erat ciuitas, & latitantes ego & Symeon à posteriori apprehendimus excelsa, & totam ciuitatem perdidimus. Et sequenti die dictum est nobis, quod ciuitates duorum Regum in prælio graui venirent ad nos. Ego igitur & Dan fingentes nos Amorrhæos & socios, venimus in ciuitatem eorum. Nocte autem profunda venientes ad aditus ciuitatis, aperuimus aduenientibus fratribus nostris portas patentes, & omnes eos, & quæ eorum erant, perdidimus, & deprædãtes, tres muros eorũ prostrauimus. Et in Thamma appropinquauimus, vbi erat omne refugium bellantium regum. Tũc iniuriam passus, iratus sum, & impetum feci in ipsos super verticem, & illi fundis iaciebãt super me lapides, & iaculabantur arcubus, & nisi Dan frater suppetias mihi tulisset, interfecissent me. Venimus igitur irruentes in ipsos cum furore, & omnes fugerunt, & transeuntes per aliam viam supplices fiebant patri meo, & iniit fœdus cum eis, & non fecimus eis quicquam mali, sed recepimus eos in societatem, & reddidimus eis omnes captiuos, & ædificaui ego Chanaan, & pater Rhambahel. Viginti annorum eram, quando factum est bellum istud, & erant Chananæi timentes me & fratres meos. Erant autem mihi pecora multa, & habebam principem pastorum Itan Odolamité, ad quem quum veni, vidi Barsan regem Odolam, & fecit nobis conuiuiũ, & precans dedit mihi filiã suã Bethsue in vxoré, hæc peperit mihi. Et, Annã & Silom, quorum duos sine filiis occidit Deus. Sylon enim vixit, & filij eius vos estis. Octodecim annis fecimus pacé pater noster & nos cũ fratre eius Esau, & filij eius nobiscũ. Postquã venimus nos ex Mesopotamia à Labam, & impletis octodecim annis in 40. anno vitæ meæ, superuenit nobis Esau frater patris mei in prælio graui & forti, & cecidit in arcu Iacob,

Iuda filij Iacob mores & vita.

Iacob gesta bellica.

Esau occisus à Iacob.

A

& latus est mortuus in montem Sen. Nos autem persecuti sumus super filios Esaü. Erat autem eis ciuitas & murus fortis ferreus, & portæ areæ, & non potuimus intrare in eam, obsidentes vero conclusimus eos. Cum autem apparerent intra dies viginti videntibus eis adduxi scalam & galeam super caput meum & ascendi accipiens lapidem pondere talentorum trium, & occidi quatuor potentes ex ipsis. Et die sequenti intrantes Ruben & Gad, occiderunt alios sexaginta. Tunc offerebant pacem, & consilio patris nostri recepimus eos tributarios. Dabant autem nobis frumenti Choros ducentos, & olei Batros quingentos, vini mensuras mille & quingentas donec descendimus in Ægyptum. Post hoc filius meus Her duxit vxorem Thamar ex Mesopotamia, filiam Aram. Erat autem Her perniciosus, & dubitauit de Thamar, quoniam non erat ex terra Chanaan, & Angelus Domini occidit eum tertia die in nocte, & ipse non cognouit eam propter astutiam matris suæ, & hic in malitia mortuus est. Non enim voloit habere filios ex ipsa. In diebus thalami dedi ei virum Annan, & iste in malitia non cognouit eam, viuens cum ea annum, & quando minatus sum ei, coïuit quidem cum ea, semen vero corruit in terram secundum mandatum matris suæ, & hic in malitia mortuus est. Volebam & Siloim dare ei, sed vxor mea Bethsue non permisit. Malignabatur enim in Thamar, quoniam non erat ex filiabus Chanaan sicut ipsa. Ego enim sciebam, quoniam perniciosum erat genus Chanaan, sed consilium iuuentutis cæcauit cor meum, & videns eam vinum fundentem, in ebrietate vini deceptus sum, & concidi ad eam, ipsa me absente abiit, & accepit Silon vxorem ex terra Chanaan. Cognoscens vero quod fecit ita, maledixi ei in dolore animæ meæ, & ipsa mortua est in malicia filiorum suorum. Post hos autem sermones vidua existente Thamar, post duos annos, ascendo tondere oues, & ornata sponsalibus ornamentis, ad portam ciuitatis sedit. Lex enim Amorthæorum est, nuptam præsidere in fornicatione per septem dies iuxta portam. Inebriatus igitur ego in aquis *Horeb*, non agnoui eam præ vino, & decepit me pulchritudo ipsius per formam ornatus, & declinans ad ipsam, dicebam: Ingredior ad te. Et dixit mihi: Quid dabis? Et dedi ei virgam meam, & zonam, & diadema regni. Et cum coïtem cum illa, concepit. ignorans autem quod feci, volui occidere eam. Ipsa autem mittens in abscondito arrabones, verecundauit me, vocans vero eam, audiui in secreto sermones quos locutus sum dormiens cum ea in ebrietate mea, & non potui occidere eam quoniam à Domino erat. Dicebam autem: Ne forte dolo mecum agat, ab illa accipiam arrabonem. Sed neque tetigi eam amplius vsque ad mortem meam, quoniam abominationem feci hanc in omni Israël, & qui erant in ciuitate dicebant non esse in ciuitate desponsatam, quoniam alio loco veniens ad breue sedebat in porta, & æstimaui, quod nullus me cognouit intrauisse ad eam. Et post hoc venimus in Ægyptum ad Ioseph propter famem. Quadraginta sex annorum eram, & septuaginta tres annos vixi illic. Et nunc quæcunque vobis mando, audite filij patrem vestrum, & custodite omnes sermones meos ad faciendum omnes iustificationes Domini, & ad obediendum mandato Domini Dei, & non ambuletis in desideriis vestris, neque in cogitationibus consiliorum vestrorum in superbia cordis vestri, & non glorificemini in operibus fortitudinis iuuentutis vestræ, quoniam & hoc est perniciosum in oculis Domini. Quia enim ego glorificatus sum, quoniam in bellis non decepit me facies mulieris formosæ, & exprobraui Ruben fratri meo de Balla vxore patris mei: Spiritus zeli & fornicationis concidit in me, donec incidi in Bessue Chananæam, & in Thamar, nuptam filiis meis, & dicebam socero meo: Consului patrem meum, itaque accipiam filiam tuam vxorem, & ostendit mihi nomine filiæ suæ auri multitudinem infinitam. Erat enim rex. Ornauit autem eam auro & margaritis, iussitque nobis vinum infundere in cœna in pulchritudinem mulierum, & vinum peruertit ex oculos meos, & obscurauit cor meum voluptas, & desiderans eam concidi, & transgressus sum mandatum Domini & mandatum patrum meorum, & accepi eam in vxorem. Et secũdum consilium cordis mei retribuit mihi Dominus, quoniam non lætatus sum in filiis eius. Et nunc filij mei, ne ebriemini vino, quoniam vinum auertit intellectum à veritate, & immittit iram desiderij, & ducit in errorem oculos: spiritus enim fornicationis vinum vt ministrum ad voluptates habet intellectus, quoniam & duo hæc auferunt potentiam hominis. Si enim aliquis biberit vinum in ebrietatem, cogitationibus sordidis conturbat intellectum in fornicationem, & accendit corpus in admixtionem. Et si adest desiderij causa, operatur peccatum, & non verecundatur. Tale est vinum filij mei, quoniam ebrius nihil erubescit. Et ecce, ita enim & me errare fecit, vt non erubescerem multitudinem in ciuitate, quoniam in oculis omnium declinaui ad Thamar, & feci peccatum magnum, & reuelaui velamen immundiciæ filiorum meorum, bibens vinum, non verecundatus sum transgredi mandatum Dei, & accepi vxorem Chananæam. Propter quod intellectu opus habet, qui bibit vinum filij mei, & is est intellectus vini potationis, quod vnusquisque qui habet erubescentiam bibat. Si vero transeat terminum hunc, amittit intellectum, & adhæret spiritui erroris, qui facit ebrium turpia loqui & iniqua agere, & non verecundari: sed & gloriari vilitate, existimans esse bonum. Qui fornicatur, & nudatur regno, & non egreditur, seruus effectus fornicationum, sicut & ego nudatus sum. Dedi enim aliis virgam meam, hoc est, firmamentum meæ tribus: & zonam meam, hoc est, potentiam: & diadema, hoc est, gloriam regni mei: & pœnitens de his, vinum & carnes non assumpsi vsque in senectutem, & omnem lætitiam nesciui. Et ostendit mihi Angelus Dei, quoniam vsque in sæculum, & regi & pauperi mulieres dominabuntur, & regis quidem tollent gloriam. Cæterùm viri potentiæ, & pauperes paupertatis, minimum sunt firmamentum. Custodite ergo filij mei modum in bibendo, sunt enim in eo quatuor spiritus perniciosi concupiscentiæ, inflammationis, luxuriæ & turpis lucri. Si bibitis vinum in lætitia cum timore Dei erubescentes, viuetis. Si autem bibitis non erubescentes, & recedit Dei timor, iam efficitur ebrietas, & subintrat inuerecundia. Si vero neque omnino bibetis, non peccabitis, neque verbi contumeliæ, neque pugnæ, neque calumniæ, neque præuaricationis mandatorum Dei, neque peribitis in tempore vestro. Nam mysteria Dei & hominum aliis reuelat vinum, & ego mandata Dei & mysteria Iacob patris mei reuelaui Chananææ Bessuæ, quæ vetuit Deus reuelare. Sed & belli & seditionis causa efficitur vinum. Mando ergo vobis, filij mei, vt non diligatis argentum, neque inspiciatis in pulchritudinem mulierum, quoniam & propter argentum & formositatem errau i in Bessue Chananæam. Noui enim quod propter duo hæc erit genus meum in malitia, & sapientes viros filiorum meorum peruertent, & regnum Iudæ quod dedit mihi Dominus in obedientia patris. Nunquam enim contristaui verbum patris mei Iacob, quoniam omnia quæcunque dixit, faciebam. Et Abraham pater patris mei benedixit me, vt pugnarem in Israël, & Isaac insuper benedixit me similiter sic. Et ego noui quoniam ex me stabit regnum, quoniam & legi in libris Enoch iusti, quod mala facietis in extremis diebus. Custodimini ergo filij mei à fornicatione & auaritia. Audite Iudam patrem vestrum, quoniam ista separant à lege Dei, & excæcant consilium animæ, & superbiam docent, nec patiuntur nequaquam misericordiam exhibere proximo suo. Priuant animam ipsius bonis omnibus, & detinent ipsum in laboribus & doloribus. Separãt etiam somnum ab eo, & cõsumunt carnes ipsius. Postremo sacrificia Dei impediunt, & benedictiones negligunt, Prophetæ loquenti non obediunt, & verbo pietatis offenduntur. Duæ enim passiones istæ contrariæ sunt mandatis Dei. Seruiens his, Deo obedire non potest, quoniam perstringunt mentem hominis, & in die sicut in nocte ambulat. Filij mei, auaritia ad idola ducit. Nam in errore per argentum non existentes deos nominat deos, & cogit eum qui illa premitur in pessimam degenerationem. Pro-

Filij Esaü vectigales facti filiis Iacob.

B

C

D

Gen. 35.

E

Contra Ebrietatem.

Gen. 38.

F

Iuda Pœnitentia pro Ebrietate, & fornicatione.

G

Iuda cur à Deo datum regnum. *Liber Enoch.*

H

Contra auaritiã.

A

pter argentum ego perdidi filios meos, & nisi pœnitentia carnis meæ, & humilitas animæ meæ, & orationes Iacob patris mei fuissent, sine liberis iam morerer. Sed Deus patrum meorum miserator & misericors cognouit, quoniam ignorantia peccaui. Excœcauit enim me princeps erroris, & ignoraui sicut homo & caro, in peccatis corruptus ignorabam meiipsius infirmitatem, existimans me inexpugnabilem esse. Cognoscite ergo Filij mei, quoniam duo spiritus vacant homini, spiritus veritatis, & spiritus erroris, & medius est spiritus intellectus mentis, cuius est quo volt inclinere: Et quæ sunt veritatis, & quæ sunt erroris scripta sunt super pectus hominis, & vnumquodque eorum cognoscit Deus, & non est tempus in quo potuerunt latere hominum opera omnia, quoniam omnia occulta pectoris scripta coram Domino, & spiritus veritatis testimonium perhibet de omnibus & accusat omnia, & adustus est qui peccat ex proprio corde, & leuare faciem non potest ad iudicem. Et nunc filij, diligite Leui, vt permaneatis & non efferamini super ipsum vt non dispereatis. Mihi dedit Dominus regnum, & illi Sacerdotium, & subiecit regnum Sacerdotio. Leui datum est Sacerdotium & Iudæ regnum, & subiecit Deus regnum Sacerdotio. Mibi dedit quæ in terra: illi, quæ sunt in cœlis. Vt supereminet cœlum terræ, ita supereminet Dei Sacerdotium, regno quod est in terra. Etenim ipsum supra te elegit Dominus appropinquare sibi, & comedere mensam ipsius & primitias filiorum Israël, & eris ei vt mare. Quemadmodum enim in mari, iusti & iniusti periclitantur, hi quidem capti, hi vero ditati: ita & in te omne genus hominum, & hi quidem periclitantur capti, hi vero ditantur rapientes, quoniam regnabunt sicut cete deglutientes homines, velut pisces filias & filios liberos in seruitutem redigent. Domos, agros, greges, pecunias rapient, & multorum carnibus iniuste coruos & ibices saturabunt, & proficient in malum in auaritia exaltati, & erunt vt procellæ Pseudoprophetæ, & omnes iustos persequentur. Inducet autem eis Dominus dissensiones adinuicem, & bella continua erunt in Israël, & in alienigenis consummabitur regnum meum, donec, veniat salutare Israël vsque ad aduentum Dei Iustitiæ, vt quiescat Iacob in pace & omnes Gentes, & ipse custodiet pacem regni mei vsque in seculum. Iuramento enim iurauit mihi Dominus non deficere regnum meum & seminis mei, omnibus diebus vsque in sæculum. Multa autem tristitia mihi est filij mei propter impudicitias, & sortilegia & Idololatrias quas facietis in regnum, Phitonissas sequentes, dæmonibus erroris filias vestras deuouentes, cantatrices publicas facietis, & immiscebimini abominationibus Gentium, pro quibus inducet Dominus super vos famen & pestilentiam, mortem & gladium, vlciscentem obsidionem, & canes in dilaniationem, inimicorum & amicorum opprobria, perditionem & dolorem oculorum, puerorum occisionem, & vxorum ablationem, possessionum rapinam, templi Dei incendium, terræ desolationem, vestri ipsorum seruitutem in Gentibus, & ex vobis in eunuchos vxoribus excæcabunt Verum si reuertamini ad Dominum in humilitate cordis pœnitentes, & ambulantes in omnibus mandatis Dei, visitabit vos Dominus in misericordia, & in dilectione à captiuitate inimicorum vestrorum. Et post hæc orietur vobis astrum ex Iacob in pace, & exurget homo ex semine meo, vt Sol iustitiæ ambulans cum filiis hominum in mansuetudine & iustitia, & omne peccatum non inuenietur in eo, & aperientur super ipsum cœli ad effundendum Spiritus benedictionem à Patre, & ipse effundet Spiritum gratiæ super vos, & eritis eius filij, in veritate ambulabitis in præceptis illius primis & vltimis, hic est germen Dei altissimi, & hic est fons vitæ omni carni. Tunc refulgebit sceptrum regni mei, & à radice vestra nascetur vas plantationis, & in eo ascendet virga iustitiæ Gentibus, vt iudicet & saluet omnes inuocantes eum. Et post hoc resurget Abraham, Isaac & Iacob in vitam, & ego & fratres mei principes sceptrum vestrum in Israël erimus. Leui primus. Secundus ego. Tertius Ioseph. Quartus Beniamin. Quintus Simeon. Sextus Isachar, & ita deinceps omnes. Et Dominus benedixit Leui, Angelus faciei meæ virtutes gloriæ Symeon, cœlum Ruben, Isachar terra, mare Zabulon, montes Ioseph, tabernaculum Beniamin, luminaria Dan, delitiæ Neptalim, sol Gad, oliua Aser. Et erit vnus populus Domini & lingua vna, & non erit amplius spiritus erroris Beliar, quoniam mutetur in ignem in sæculum. Qui in tristitia mortui sunt, resurgent in gaudio, & qui in paupertate propter Dominum, ditabuntur: & qui in inopia, saturabuntur, & qui in infirmitate, fortificabuntur, & qui propter Dominum mortui sunt, euigilabunt in vita, & current in Iacob, & current in exultatione, & æquilæ Israël volabunt in gaudio. Impij vero tristabuntur, & peccatores lugebunt, & omnes populi glorificabunt in secula Dominum. Custodite ergo filij mei omnem legem Domini, quoniam est spes omnibus dirigentibus viam suam, & dixit ad eos: Centum decem & nouem annorum, ego morior hodie in oculis vestris. Nullus me sepeliat in preciosa veste, vel ventrem meum rescindat, quoniam hæc facturi sunt regnatores, & reducite me in Hebron vobiscum. Et hæc dicens, obdormiuit Iudas. Et fecerunt filij eius secundum omnia quæ mandauit eis, & sepelierunt eum in Hebron cum patribus suis.

3. Spiritus. *Regnum Sacerdotio subiectum.* *De Christo.* *Sepultura Iuda filij Iacob.*

B C D E F

Testamentum Isachar de Gula. V.

TRanscriptum verborum Isachar, vocans filios suos dixit eis: Audite filij Isachar patrem vestrum, auribus percipite verba dilecti à Domino. Ego sum natus, quintus filius Iacob in mercede mandragorarum. Iacob enim attulit mandragoras ex agro, & præobuians Rachel accepit eas. Fleuit autem Ruben, & in voce ipsius exiuit Lya mater mea. Mandragoræ autem erant mala odorifera, quæ producit terra Aram in excelso sub valle aquarum. Dixit autem Rachel: Non dabo hoc tibi, quoniam erunt mihi pro filiis. Erant autem mala duo. Et dixit Lya, Sufficiat tibi, quoniam accepisti virum virginitatis meæ. Num & hæc accipies? Illa vero dixit: Ecce sit Iacob tibi nocte hac pro mondragoris filij tui. Dixit autem Lya ad eam: Non iactes & non glorieris, meus enim est Iacob, & ego vxor iuuentutis eius. Rachel vero dixit: Quid igitur, quoniam mihi primo copulatus est, & propter me seruiuit patri nostro annis quatuordecim. Et dixit Lya: Quid tibi faciam, quoniam multiplicatus est dolus & astutia hominum, & dolus procedit in terra, si autem secus esset, neque tu quidem videres faciem Iacob. Non enim vxor ipsius tu es, sed in dolo pro me inducta es. Et seduxit me pater meus, & transferens me nocte illa, non permisit me videre, quoniam si fuissem illic, non factum fuisset hoc. Et dixit Rachel, Accipe vnam mandragoram, & pro vna io mercede do tibi eum in vna nocte. Et cognouit Iacob Lyam, & concipiens me peperit, & propter mercedem vocatus sum Isachar. Tunc apparuit Iacob Angelus Domini, dicens: Quoniam duos filios Rachel pariet, quia respuit coitum viri, & elegit continentiam, & nisi Lya mater mea pro coitu reddidisset duo mala, octo filios paritura fuisset, propter hoc sex peperit. Duos vero Rachel, quoniam in mandragora visitauit eam Deus. Sciuit enim quod propter filios voluit coire cum Iacob, & non propter desiderium voluptatis. Apponens enim & in crastino reddidit Iacob, vt acciperet & aliam mandragoram, propter hoc in mandragoris exaudiuit Dominus Rachel, quoniam & desiderans eas non comedit, sed reposuit eas in domo Domini offerens Sacerdoti altissimi, qui erat in tempore illo. Quando ergo factus sum vir filij mei, ambulaui in rectitudine cordis mei. Et factus sum agricula patrum, & attuli fructum ex agris secundum tempus eorum, & benedixit me pater meus videns quod in simplicitate ambulabam, & non eram perscrutator in omnibus actibus meis, neque perniciosus aut inuidens proximo, non oblocutus sum alicui, neque vituperaui vitam hominis, ambulans in simplicitate oculorum. Propter hoc triginta

Rachel obtulit Deo Mandragoras.

G H

Pietas Isachar.

annorum accepi mihi meam vxorem, quoniam labor deuorauerat fortitudinem meam. Et illecebrosus nunquam intelligebam voluptatem mulieris, sed per laborem somnus meus circondedit me, & semper gauisus est in simplicitate pater meus. Siquidem laborabam omnem fructum & omne primum germen, primum per Sacerdotem Domino offerebam, deinde patri meo, & tunc ergo Dominus duplicauit bona io manibus meis, sicut & Iacob, quoniam Deus cooperatur simplicitati meæ. Omni enim pauperi & omni tribulato tribuebam terræ bona in simplicitate cordis. Et nunc audite me, filij, & ambulate in simplicitate cordis, quoniam noui in ipsa omnem beneplacentiam Domini. Simplex, aurum non concupiscit, proximum non inuadit, cibos varios non appetit, vestem diuersam oon vult, tempora longa sibi noo promittit, sed solum respicit voluntatem Dei, & spiritus erroris nihil possunt aduersus eum. Non enim nouit respicere pulchritudinem mulieris, ne coinquinet mentem suam. Non zelus in consiliis eius superueniet, non inuidia liquefaciet animam eius, oeque locrum in auaritia excogitat. Ambulat enim in rectitudine vitæ, & omnia videt io simplicitate, non recipiens oculis perniciositates ab errore mundi, vt non videat peruerse aliquod mandatorum Dei. Custodite ergo legem Dei, filij mei, & simplicitatem possidete, & io innocentia ambulate non circumscrutantes mandata Domini, & proximi actus: sed diligite Deum & proximum, pauperis & infirmi miseremini. Supponite dorsum vestrum in agriculturam, & operamini io operibus terræ secundum vnamquamque agriculturam, dona cum gratiarum actione Domino offerentes, quoniam primis germinibus fructuum terræ benedixit Dominus secundum quod benedixit omnes sanctos ab Abel vsque nunc. Noo enim datur tibi alia pars quam pinguetudinis terræ, cuius iu doloribus sunt fructus, quoniam pater noster Iacob in benedictionibus terræ & primitiarum fructuum benedixit me. Et Leui & Iudas glorificati sunt à Domino in filiis Iacob. Etenim Deus hæreditauit in illis, & huic quidem dedit Sacerdotium, huic vero regnum. Eis ergo obedite, & io simplicitate patris nostri ambulate, quoniam Gad datum est perdere tentationes superuenientes Israël. Noui, filij mei, quoniam in extremis temporibus derelinquent filij vestri simplicitatem, adhærebunt auaritiæ, & dimittentes innocẽtiam appropinquabunt malignitati, & derelinquentes mandata Dei, adhærebunt Beliar, & dimittentes agriculturam, sequentur perniciosa consilia sua, & dispergentur in gentes, & seruient inimicis suis. Vos ergo dicite hoc filiis vestris, vt si peccent, velociter reuertantur ad Dominum, quoniam misericors est, & eripiet eos, vt reuertantur io terram suam. Centum vigintiuni duorum annorum sum ego, & non cognoui super me peccatum io mortem, præter vxorem meam non cognoui aliam, non fornicatus sum in elatione oculorum, vinum in ebrietate non bibi, omne desiderabile proximi non desideraui: dolus non factus est in corde meo, mendacium non ascendit per labia mea, omni homini contristato coogemui, & pauperi dedi panem meum. Non comedi solus, terminum non solui, pietatem feci in omnibus diebus meis & veritatem. Dominum dilexi in tota fortitudine mea. Omnem hominem dilexi, vt filios meos. Si & vos filij mei hæc feceritis, omnis spiritus Beliar fugiet à vobis, & omnis actio perniciosorum hominum non dominabitur vobis: & omnem agrestem feram seruituti subiicietis, habentes vobiscum Deum cœli, ambulantes cum hominibus in simplicitate cordis. Et mandauit eis vt reducant eum io Hebron, & illic eum sepeliant in spelunca cum patribus suis. Et extendit pedes suos, & mortuus est quintus filius Lyæ, in senectute bona, omne membrum habens sanum & potens dormiuit somnum sæcularem.

Homo simplex quis.

Agricultura.

Pietas Isachar.

Testamentum Zabulon, de commiseratione & misericordia VI.

TRanscriptum Zabulon, quod disposuit filiis suis centesimo decimo quarto anno vitæ suæ, post triginta duos annos mortis Ioseph. Et dixit eis: Audite me filij Zabulon, datio bona genitoribus meis. Cum enim genitus essem, multum auctus est pater meus gregibus & armentis, quoniam iu variis virgis habuit sortem. Non cognoui, filij mei, quod peccaui io diebus meis, neque enim tunc recordabar, quoniam iniquitatem feci propter ignorantiam in Ioseph, quoniam cælaui cum fratribus meis patri meo, quod factum erat, & fleui multum in abscondito. Timui enim fratres meos quoniam conspirabant omnes simul, vt si quis reuelaret mysterium, occiderent eum gladio. Tamen quoniam volebant occidere eum multa testificatus sum eis lachrymans ne facerent iniquitatem hanc. Venerunt enim Symeon & Gad super Ioseph, vt occiderent eum, & cadens super faciem Ioseph, dixit eis: Miseremini mei fratres mei, misereremini viscerum Iacob patris nostri. Non iniiciatis in me manus vestras, vt effundatis sanguinem innocentem, quoniam oon peccaui in vos. Si vero peccaui, in disciplina erudite me. Manum autem vestram ne inferatis propter Iacob patrem nostrum. Vbi autem dixit verba hæc, miseratione commotus veni ego, & incepi flere, & epata mea resoluta sunt in me, & omnis subsisteotia viscerum meorum laxata est super animam meam. Fleuit autem Ioseph & ego cum ipso, & intremuit cor meum, & iuncturæ corporis mei expauerunt, & non potui stare, & videns me flentem cum eo, & illos superuenientes ad occidendum eum, refugit retro me deprecans eos. Exurgens autem Ruben, dixit: Fratres, non occidamus eum, sed proiiciamus eum in lacum exiccatum quem foderunt patres nostri, & non inuenerunt aquam. Ideo enim prohibuit Deus ascendere aquam in eum, vt protectio esset Ioseph, & fecit Deus ita donec vendiderunt eum Ismaelitis. Neque in peccato Ioseph, filij, ego consensi, sed Symeon, Gad, & alij sex fratres nostri accipientes precium Ioseph, emerunt calceamenta sibiipsis & vxoribus suis: dicentes: Non comedamus illud, quoniam precium sanguinis est fratris nostri, sed conculcatione conculcemus illud, pro eo quod dixit, se regnaturũ super nos, & videbimus quid portendaot somnia eius. Ergo in scriptura legis Enoch scriptum est: oon volenti suscitare semen fratri tuo, solui calciamentum Ioseph. Etenim venientes in Æygptum soluta sunt à pueris Ioseph ante portam, & ita adorauerunt Ioseph secundum typum Pharaonis. Non solum autem adorauerunt eum, sed etiam rubore suffusi suot procidentes coram eo, & sic confusi sunt coram Ægyptiis. Deinde audierunt Ægyptij omnia mala quæ fecimus Ioseph. His factis apposuerunt fratres cibum vt comederent. Ego vero per duos dies & duas noctes non gustaui cibum, miseratus Ioseph, & Iudas noo comedit cum eis. Intendebat autem in lacum, quoniam timebat ne assilientes Symeon & Gad interficerent eum. Et videntes me non comedentem, posuerunt me custodire ipsum, quousque venditus est. Fuit autem in lacu tres dies & tres noctes, & ita venditus est incibatus. Et audiens Ruben, quod venditus est absente eo, circumscissus plorabat, dicens: Quomodo videbo faciem Iacob patris mei? Et accipiens argentum, cucurrit ad mercatores & neminem inuenit: dimittentes enim viam regiam, ambulauerunt per deuia in velocitate, & noo comedit Rubeo panem in die illa. Accedens ergo Dan, dixit ei: Ne fleas, neque tristeris de iuuene, scio quid dicturi simus patri nostro Iacob: Occidemus hircum caprorum, & tingemus tunicam Ioseph, & dicemus: Cognosce, si tunica filij tui est ista. Tunica enim patris nostri exuerunt Ioseph cum venditurì erant eum, & induerunt eum vestimentum vetus serui. Tunicam vero habuit Symeon, & noluit dare eam, volens gladio suo discindere eam, iratus quod viueret adhuc, nec occidisset eum. Exurgentes autem aduersus eum omnes

Gen. 30.

Gen. 39.

Pretium Ioseph.

Scriptura legis Enoch.

Ioseph venditus.

Gen. 37.

simul

A

simul dixerunt: Quidni daturus sis, cum tu solus feceris hoc malum in Israël? Et ita dedit eam, & fecerunt sicut dixit Dan. Et nunc filij mei annuncio vobis, custodite mandata Domini, & facite misericordiam in proximo, & viscera misericordiæ in omnes habete, non solum ad homines sed & ad irrationalia. Propter hoc enim benedixit me Dominus,& omnibus fratribus meis ægrotantibus, ego sine ægritudine euasi. Nouit enim Deus vniuscuiusque electionem. Habete ergo misericordiam in visceribus vestris, filij mei, quoniam vt aliquis faciet proximo suo, ita & Dominus faciet ei. Etenim filij fratrum meorum ægrotabant, & moriebantur propter Ioseph. quoniam non fecerunt misericordiam in visceribus suis. Filij autem mei sine ægritudine custoditi sunt sicut nouistis. Et etiam in Chanaan in littore, venatus sum venatione piscium copiam Iacob patri meo, & multis suffocatis in mari, ego illæsus permansi. Primus ego feci scapham in mari nauigare, quoniam Deus dedit mihi intellectum & sapientiam in ipsa; & dimisi lignum retro ipsam & linteamen extendi in ligno medio, & ipsa petaobulans littora piscabar pisces domui patris mei, vsquequo venimus in Ægyptum, & ex venatione mea omni homini peregrino miseratus dabam. Si verò erat peregrinus, vel ægrotans, vel senex? coquens pisces, & faciens hoc benè, secundum vniuscuiusque necessitatem afferebam omnibus colligens & compatiens. Propterea Deus multos pisces fecit me venari in mari. Qui enim tribuit proximo, accipit multiplicata à Domino. Quinque annis piscatus sum omni homini quem videram tribuens,& omni domui patris mei sufficienter: in autumno piscabar, in hyeme autem pascebam gregem cum fratribus meis. Nunc annunciabo vobis quæ feci: Videbam tribulatum in medietate hyemis, & miseratus super ipsum, furatus vestimentum ex domo mea abscondite dedi tribulato. Et vos ergo filij mei ex his quæ tribuit vobis Dominus, indifferenter omnibus miserentes, misericordiam facite, & tribuite omni homini in bono corde. Si verò non habetis vt quam primum detis indigenti, compatiamini in visceribus misericordiæ. Noui quoniam manus mea non neglexit vel notam tribuere indigenti, & amplius septem stadiis ambulans cum ipso flebam, & viscera mea versa sunt super ipsum in compassione. Et vos ergo filij mei habete viscera misericordiæ aduersus omnem hominem in misericordia, vt & Deus in vos propicius miseratus vobis. Quoniam in extremis diebus mittet misericordiam suam in terram, & vbi inuenerit viscera misericordiæ in ipso habitabit. Quantum enim homo miseretur erga proximum, tantum Deus ipsi. Quando enim descendimus in Ægyptum, Ioseph non recordatus est mali in nos, me verò videns misertus est. Io quem inspicientes & vos immemores malorum efficiamini filij mei, & non cogitetis vnusquisque malitiam fratris sui, quoniam hoc diuidit vnitatem, & omnem consanguinitatem dispergit & animam perturbat. Memor enim mali, viscera misericordiæ non habet. Attendite aquas, quoniam cum simul mouentur, lapides, ligna, arenam distrahunt. Si verò in multas diuidantur, terra exterminat eas, & fiunt neglectæ, & vos si diuidamini eritis ita. Nec scindamini in duo capita, quia omne quod fecit Deus, caput vnum habet, dedit duos humeros, manus, pedes, sed omnia membra vni capiti obediunt. Noui in scriptura patrum meorum, quoniam in vltimis diebus recedetis à Domino, & diuisi eritis in Israël, duos reges sequemini, & omnem abominationem facietis, & omne idolum adorabitis, & captiuabunt vos inimici vestri, & sedebitis in rationibus in omnibus infirmitatibus, tribulationibus & doloribus animæ. Et post hoc recordabimini Domini, & pœnitebitis & conuertet vos, quoniam miserator est & misericors, non excogitans malitiam filiis hominum, quoniam caro sunt, & spiritus erroris seducunt eos in omnibus actibus suis. Et post hæc mittet vobis ipse Deus lumen iustitiæ, & sanitas & misericordia in pœnis eius. Ipse redimet omnem captiuitatem filiorum hominum à Beliar, & omnis spiritus erroris conculcabitur,& conuertet omnes

Misericordia etiam ad bruta.

B

Zabulon inuentor scaphæ.

Eleemosynæ Zabulonis.

C

D

Exortatio ad misericordiam.

Schisma Israelitis futurum.

gentes in æmulationem,& videbitis Deum in forma hominis, quoniam elegit Deus Hierusalem, nomen Deus ei. Et rursus in malicia sermonum vestrorum ad iracundiam prouocabitis eum,& abiecti eritis vsque ad tempus consummationis. Et nunc filij mei non contristemini quoniam morior ego, neque concidatis quoniam relinquo vos. Resurgam enim in medio vestri, velut dux in medio filiorum suorum. Et lætabor in medio tribus meæ, quotquot custodierunt legem Domini & mandata Zabulon patris eorum. Super impios vero inducet Dominus ignem æternum,& perdet eos vsque in generationes: Ego in requiem meam recurro sicut patres mei, vos autem timete Dominum Deum vestrum in omni fortitudine omnibus diebus vitæ vestræ. Et hæc dicens, dormiuit somno bono, & posuerunt eum filij sui in theca. Postea autem reducentes eum in Hebron, sepelierunt eum cum patribus suis.

E

Deus venturus in forma hominis.

F

Testamentum Dan, de Ira & Mendacio. VII.

TRanscriptum verborum Dan, quæ dixit filiis in vltimis diebus suis centesimo vicesimo quinto anno vitæ suæ vocans tribum suam, dixit: Audite filij Dan sermones meos, attendite verbis oris patris vestri: Probaui in corde meo, & io omni vita mea, quod bonum est. Nam Deo bene placet veritas cum iusta actione,odi quod pernitiosum fuit vt mendacium & iram, quoniam omnem maliciam hominem edocent. Confiteor vobis hodie filij mei,quoniam in corde meo lætatus sum de morte Ioseph viri veritatis & boni, & gaudebam in venditione Ioseph quoniam super nos pater eum diligebat. Spiritus enim zeli & elationis dixit mihi: Et tu es filius eius. Et vnus spirituum Beliar cooperabatur mihi, dicens: Accipe gladium hunc, & eo occide Ioseph, & diliget te pater tuus mortuo eo. Hic est spiritus iræ suadens mihi,vt sicut Pardalis deuorat hœdom, ita deuorarem Ioseph. Sed Deus Iacob patris nostri, non immisit eum in manus meas vt inuenirem eum solum, neque permisit iniquitatem hanc facere, vt soluantur duo sceptra in Israel. Et nunc filij, ego morior, & in veritate dico vobis, quoniam si non custodiatis vosmetipsos à spiritu mendacij & iræ, & non diligatis veritatem & longanimitatem, disperibitis. Cæcitas est in ira filij mei, & non est aliquis iracundus, videns faciem in veritate, quoniam etsi pater & mater est, vt hostibus attendet eis. Si sit frater, non nouit: Si Propheta Domini, non obedit: si iustus, non aspicit: amicum non cognoscit. Circumponit enim ei spiritus iræ, retia erroris, & excæcat naturales oculos eius, per mendacium obtenebrat mentem eius, & propriam visionem tribuit ei. In quo autem circumponit oculis eius? in odio cordis, & dat ei cor proprium aduersus fratrem in inuidiam. Perniciosa est ita filij mei, etenim ipsæ animæ ipsa fit anima, corpus quidem iracundi proprium sibi facit, animæ autem dominatur. Et tribuit corpori potentiam vt faciat omnem iniquitatem. Et cùm iam operata fuit anima,iustificat quod operatum est,quia non videt. Propter hoc quia iratus est, siquidem sit potens triplicem habet potentiam ira. Vnam quidem per potentiam & adiutorium ministrantium. Secundam autem per diuitias, persuadens & vincens in iustitia. Tertiam naturalem habens corporis, & per seipsum operans malum. Si autem debilis sit qui irascitur, duplam habet potestatem præ ea quæ est naturæ, adiuuat enim semper iniquitatem hic spiritus, vt semper cum mendacio fiant actus eius. Quapropter intelligete potentiam iræ, quoniam vana est. In sermone enim exacerbat, à dextris Sathanæ ambulat, vt incredulitate & mendacio fiant actus. Quapropter intelligite potentiam iræ, quoniam vana est, in sermone enim exacerbat primum, deinde in operibus fortificat stimulatum, & in iacturis amaris conturbat consilium eius, & ita exuscitat in ira magna animum eius. Quando ergo loquitur aliquis aduersum vos, ne moueamini in iram. Si laudat vos vt bonos,ne eleuemini, neque transmutemini, neque in petulantiam, neque

G

Iracundia cæca est.

H

Ira potentia vana est.

in

in rigorem vultus. Primùm enim dilatat auditum, atque exacuit mentem, vt intelligat quod improperatum est. Et tunc iratus existimat iustè irasci. Si in iactoram aut perditionem aliquam incideretis filij, ne tumultuemini mihi, quoniam hic spiritus concupiscere facit quod perditum est, vt irascatur per desiderium. Si autem iacturam patiamini voluntariè, ne contristemini, tristitia enim suscitat iram cum mendacio. Est autem malum, duplicem habere faciem. Ita cum mendacio, colloquuntur adinuicem vt conturbent consilium. Turbata autem anima per contumeliam, recedit Dominus ab ipso, & dominatur ei Belial. Custodite ergo filij mei mandata Domini, & legem eius seruate. Fugite autem & odite mendacium, vt Dominus habitet in vobis & fugiat à vobis Belial. Veritatem loquimini vnusquisque ad proximum suum, vt non incidatis voluntariè in turbationem, sed eritis in pace, habentes Deum pacis, & non præualebit aduersum vos bellum. Diligite Dominum in omni vita vestra, & vosmet adinuicem in veraci corde. Noui enim quoniam in vltimis diebus recedetis à Domino, & offendetis Leui, & Iudæ resistetis, sed non superabitis eos. Angelus enim Domini ducit vtrosque, quoniam in ipsis stabit Israël. Et recedetis à Domino, in omni malitia ambulabitis, facientes abominationes Gentium, abeuntes ad mulieres iniquorum, in omni malitia, spiritibus erroris operantibus in vobis. Legi enim in libro Enoch iusti, quoniam princeps vester est Satanas, & quoniam omnis spiritus fornicationis & superbiæ Leui sese applicabit ad insidiandum filiis Leui, vt faciat eos peccare coram Domino. Filij autem appropinquabunt ad Leui, spectantes eum in omnibus, & filij Iudæ erunt in auaricia, rapientes aliena vt leones. Propter hoc abducemini cum eis in captiuitatem, & illic recipietis omnes plagas Ægypti, & omnes malicias gentium, & ita reuertentes ad Dominum misericordiam consequemini, & ducet vos in sanctificationem suam clamans vobis pacem. Et orietur vobis ex tribu Iuda & Leui salutare Domini. Ipse faciet aduersus Belial prælium, & vltionem victoriæ dabit iuuenibus nostris. Animas sanctorum captiuas liberabit à Belial, & conuertet corda incredula vestra ad Dominum, & dabit inuocantibus eum pacem æternam, & requiescent in eodem sancti, & in noua Hierusalem lætabuntur iusti, quæ erit in glorificatione Dei vsque in sæculum. Non amplius sustinebit Hierusalem desolationem, neque captiuabitur Israël, quoniam Dominus erit in medio eius cum hominibus conuersatus, & sanctus Israël regnans super ipsos in humilitate & paupertate. Et qui credit in eum regnabit in veritate in cœlis. Et nunc timete Dominum filij mei, attendite vobis à Satana & spiritibus eius appropinquate autem Deo & Angelo excusante vos, quoniam hic est mediator Dei & hominum ad pacem Israël. Contra regnum inimici stabit, quapropter conabitur inimicus subuertere omnes inuocantes Dominum. Nouit enim quoniã in qua die cecidit Israël, consummabitur regnum inimici. Ipse Angelus pacis fortificabit Israel ne incidat in fine malorum. In tempore illo recedet Israël ab iniquitate, & Dominus visitabit facientes voluntatem ipsius. Nomen verò eius erit in omni loco Israel, & in Gentibus Saluator. Conseruate igitur vosmetipsos filij mei ab omni opere pernicioso, & abiicite iram & omne mendacium. Diligite veritatem & longanimitatem. Et quæ audiuistis à patre vestro, tradite & vos filiis vestris, vt recipiat vos pater gentium. Est enim verax & longanimis; mansuetus humilis, & docens per opera legem Dei. Discedite ab omni iniustitia, & adhæreatis iustitiæ legis Domini, & sepelite me prope patres meos. Hæc dicens, osculatus est eos, & dormiuit somnum sæcularem. Sepelierunt autem eum filij eius, ac reduxerunt ossa eius prope Abraham, Isaac & Iacob. Et quemadmodum prophetauit eis Dan, quod legem Dei sui neglecturi essent aliquando, ac seipsos abalienaturi essent a terra hæreditatis ipsorum, & à genere & patria Israël, ita factum est.

Liber Enoch. Fornicatio, & superbia insidiabitur Leui.

Salutare Dei ex Leui & Iuda.

Israel reuersurus ad Dominum.

Somnus sæcularis.

Testamentum Neptalim, de Bonitate. VIII.

TRanscriptum Testamenti Neptalim, de his quæ disposuit in tempore finis sui in anno centesimo tricesimo secundo vitæ suæ. Conuenientibus filiis suis septimo mense quarta die mensis, ipso sano existente iussit apparare cœnam & potum magnificum. Postquàm autem excitatus est à somno mane, & quoniam morti proximus erat, laudabat Dominum qui illum confirmabat, & incepit sic loqui filiis suis. Audite filij mei filij Neptalim, audite sermones patris vestri: Ego natus sum à Balla, & quoniam astutè fecit Rachel, & dedit pro seipsa Ballam Iacob, & super fœmora Rachel peperit me, propter hoc vocatus sum Neptalim. Et dilexit me Rachel quoniam super fœmora sua natus sum, & ipsa tenerum existentem osculata est me, dicens: Videam fratrem tuum ex ventre meo secundum te. Vnde similis mihi erat in omnibus Ioseph secundum petitiones Rachel. Mater autem mea Balla, filia Rothei fratris Deboræ nutricis Rebeccæ, quæ Balla in vna die nata est in qua & Rachel. Rotheus enim de genere Abraham erat Chaldæus, Deum venerans, liber & nobilis: sed cùm esset captiuus, emptus est à Laban, & dedit ei Euam ancillam suam in vxorem, quæ peperit filium, & vocauit eum Zelipham cognomine castelli, in quo captus erat. Deinde peperit Ballam dicens Nouiter festinans filia mea, confestim enim nata festinauit lac sugere. Et quia pedibus leuis eram vt ceruus, ordinauit me pater meus Iacob in omnem missionem & annunciationem, & vt ceruum me benedixit. Quemadmodum enim figulus nouit vas quantum capit, & ad ipsum fert lutum, ita & Dominus ad similitudinem spiritus facit corpus, ad potentiam corporis spiritum imponit. Et non est iam vna tertia ex vno capillo: in pondere enim & mensura & regula, est omnis creatura altissimi. Et quemadmodum nouit figulus vniuscuiusque vsum quibus rebus sufficere queat, ita & Dominus nouit corpus vsquequo sufficiat in bono, & quando incipit in malo, quoniam non est vlla creatura, nec vllus intellectus, quem non cognouit Deus. Omnem enim hominem creauit ad imaginem suam, sicut & fortitudo eius, ita & opus eius, & sicut prælectio eius, ita & actus eius, sicut cor eius, ita & os eius: sicut oculus eius, ita & somnus eius: sicut anima eius, ita & sermo eius vel in lege Domini, vel in lege Belial. Et sicut diuisum est inter medium lucis & tenebræ, visus, auditus, ita diuisum inter medium viri & inter medium mulieris. Neque dicendum, quod vlla in re faciei vel similium quid præster. Omnia enim in ordine fecit Deus bona. Quinque sensus in capite, & collum copulauit capiti, & capillos ad gloriam. Deinde cor ad prudentiam, ventrem ad excretionem stomachi, calamum ad sanitatem, epar ad iram, vel ad amaritudinem, ad risum splenem, renes ad asturiam, lumbos ad virtutem, costas ad positionem, sperma ad fortitudinem, & quæ deinceps. Ita filij mei ordine sitis bono, in timore Dei, neque quicquam inordinatum facire ex contemptu, neque extra tempus suum. Quoniam si dicas oculo, audire non potest. Itaque neque in tenebris poteris facere opera lucis. Non igitur festinate in auaritia corrumpere actus vestros, vel in sermonibus vanis seducere animas vestras, quoniam tacentes in mundicia cordis poteritis voluntatem Dei tenere, & abiicere voluntatem diaboli. Sol & luna & stella non mutant ordinem suum, ita & vos non mutetis legem Dei in ordinationem actuum vestrorum. Gentes errantes, & derelinquentes Dominum mutauerunt ordinem suum, & secuti sunt lapides & ligna, sequentes spiritus erroris. Vos autem non sic filij, & vnum Deum vestrum cognoscite, in firmamento, in terra, & in mari, & in omnibus creaturis Dominum, qui fecit hæc omnia, vt non efficiamini sicut Sodoma, quæ mutauit ordinem naturæ suæ. Similiter autem & vigiles immutauerunt ordinem naturæ ipsorum, & quos maledixit Dominus in diluuio, propter ipsos ab habitatione & fructibus ordinans terram inhabitabilem. Hæc dico filij mei, quoniam legi

Gen. 30.

Vigiles.

in Scriptura sancta Enocb, quod & vos recedetis à Domino ambulantes secundum iniquitatem Sodomorum, & inducet Dominus vobis captiuitatem, & seruietis illic inimicis vestris, & omni pœna & tribulatione comprehendemini, vsquequo consumat Deus omnes vos. Et postquam pauci effecti fueritis & minorati, reuertemini

† *Caute lege, nam redit ad errorem de angelis amore & concubitu mulierum lapsis. Vide notam in testamento Ruben. Equidem non est dubium Henoch librum propheticum scripsisse, attestante S. Iuda Apostolo in sua catholica: at liber Henoch quem aliqui patrum citant, & cuius testimonia non semel in hoc libro proferuntur, certissimum est non esse diuinam scripturam, vel quod non iste sit illemet scriptus ab Henoch., vel quod ille germanus Henoch fœtus additionibus, detractionibus, mutationibus nefariè deprauatus sit ab hæreticis Vide S. August lib.15 de ciuit Dei, cap.23. & lib.18. cap.38. Sixtum Senensem lib.2. Biblioth in Henoch & alios recentiores.*

& cognoscetis Dominum Deum vestrum, & conuertet vos in terram vestram, secundum multam misericordiam suam. Et erit cum venerint in terram patrum suorum, rursus obliuiscentur Domini, & impiè agent, & disperget eos Dominus super faciem vniuersæ terræ, vsquequo venerit misericordia Domini, homo faciens misericordiam & iustitiam, in omnes qui longe sunt, & qui prope. In anno enim quadragesimo vitæ meæ, vidi in montibus olei, versus orientem Hierusalem (quoniam sol & luna steterunt) & ecce Isaac pater patris mei dicit nobis: Accurrentes tenete vnusquisque secundum virtutem suam, potest enim apprehendi sol & luna. Et omnes simul accurrebamus, & Leui tenuit solem, & Iudas accingens apprehendit lunam & exaltati sunt ambo cum eis. Et cum esset Leui sicut Sol, iuuenis quidam tradidit ei ramos palmorum duodecim, & Iudas erat splendens vt luna, & sub pedibus eius erant 12. radij. Et accurrentes adinuicem Iudas & Leui tenuerunt seipsos. Et ecce taurus in terra habens cornua magna. & alæ aquilæ in dorso eius, & volentes apprehendere eum non potuimus. Præueniens enim Ioseph cœpit eum, & ascendit cum ipso in excelsum. Et vidi (quoniam eram illic alicubi) & ecce Scriptura sancta apparuit nobis dicens: Assyrij, Medi, Elamæi, Gelachæi, Chaldæi, Syri, hæreditabunt in captiuitate sceptrum Israel. Et rursus post menses 7. vidi patrem nostrum Iacob stantem in mari Lamnæ, & nos filij eius cum eo. Et ecce nauis venit, velificans plena siccis carnibus sine nautis & gubernatore. Inscribebatur autem nauis Iacob, & dicit nobis pater noster: Ascendamus in nauem nostram. Vt autem intrauimus, facta est tempestas vehemens, & turbo venti magni, & auolat pater noster à nobis tenens gubernacula. Et nos tempestate quassati; pelagus ferebamur, & impleta est nauis aquis tempestatis, vndique quassata & contrita. Ioseph autem è cymba fugit. Diuidimur & nos in tabulis decem. Leui autem & Iudas erant nobiscum. Dispergimur ergo omnes vsque in terminos. Leui autem indutus sacco, pro omnibus nobis precabatur Dominum. Vt autem quieuit tempestas, scapha attigit terram velut in pace. Et venit pater noster Iacob, & vnanimiter exultauimus. Hæc duo somnia dicebam patri meo, & dixit mihi. Oportet, hæc impleri secundum tempus ipsorum multa Israël sustinente. Tunc dixit mihi pater meus: Credo quoniam viuit Ioseph. Video enim semper, quoniam Dominus connumerat eum vobiscum. Et flens dixit: Viuis Ioseph fili mi, & non te video, & tu non vides Iacob qui genuit te. Fecit autem & nos lachrimari in his sermonibus suis. Et accendebar in visceribus vt palam facerem quod venditus esset, sed timui fratres meos. Ecce filij mei ostendi vobis tempora extrema, quoniam omnia fient in Israël. Et vos igitur mandate filiis vestris vt iungantur Leui & Iudæ. Per Iudam enim orietur salus Israël, in ipso benedicetur Iacob. Per sceptrum enim eius apparebit Deus habitans inter homines in terra, vt saluet Deus genus Israël, & congregabit iustos ex Gentibus. Si operamini bonum filij mei, benedicent vos homines & Angeli, & Deus glorificabitur per vos in Gentibus, & Diabolus fugiet à vobis, bestiæ timebunt vos, & Angeli suscipient vos. Sicut enim si quis filium nutriat benè, perpetuo gratus & memor esse studet: ita & in bono opere memoria est apud Deum bona. Qui verò non fecerit bonum, huic maledicent homines & Angeli, & Deus contumelia afficietur per ipsum in gentibus, & diabolus possidebit hunc tanquam proprium vas & instrumentum, & omnis bestia dominabitur ei, & Dominus odio habebit eum. Nam mandata legis duplicia sunt, & opere implentur. Tempus enim est coëundi cum vxore sua, & tempus continendi ab ea ad orationem suam. Duo mandata sunt, quæ nisi fiant in ordine suo, peccatum tribuunt. Ita est in reliquis mandatis. Efficiamini ergo sapientes in Deo, & prudentes, scientes ordinem mandatorum eius & leges omnis rei, vt Deus diligat vos. Et multa talia mandans eis, precatus est vt transferant ossa eius in Hebron, & sepeliant eum iuxta patres ipsius. Et comedens & bibens in hilaritate animæ velauit faciem suam, & mortuus est. Et fecerunt filij sui secundum omnia quæcunque mandauerat. Nephtalim pater eorum.

Futura Israelitarum tempestas.

Deus ex Iuda orturus.

Continere ad orationē.

Testamentum Gad, de Odio. IX.

TRanscriptum testamenti Gad, quæcunque locutus est ipse filiis suis in anno centesimo vitæ suæ, dicens: Septimus filius natus sum Iacob, & eram fortis in gregibus pascendis. Ego custodiui in nocte gregem, quando venit leo, vel lupus. vel pardus, vel vrsus, vel omnis bestia super gregem, persequebar eam, & apprehendens pedem eius manu mea, & girans obtenebrabam, & proiiciebam eam vltra duo stadia, & ita interficiebam. Ioseph ergo pascebat gregem nobiscum circiter dies triginta. Qui cum tener esset, incidit in morbum propter nimium æstum. Et reuersus est in Hebron ad patrem suum, & reclinauit eum iuxta se, quoniam diligebat eum. Et dixit Ioseph patri nostro, quod filij Balæ & Zelphæ dilapidarent bona, & deuorarent ipsa insciis Iuda & Ruben: Sciebat enim quoniam agnum eruebam ex ore vrsi quem interfeci, & agnum occidi, de quo contristabar, quoniam non potuit viuere, & comedebamus ipsum: & dixit patri nostro. Verum fratres molestè ferebant istud verbum Ioseph, vsque in diem venditionis eius in Ægyptum, & spiritus odij erat in me, & nolui Ioseph neque audire, neque videre, ipse vero aperte redarguit nos, quoniam sine Iuda comedimus. Denique omnia quæcunque dixit patri, persuasit ei. Confiteor autem nunc peccatum, filij, quoniam sæpe volui occidere eum. Nam ex animo odio habui eum, & omnino non erant in me viscera misericordiæ erga ipsum, & propter somnia ipsius concepi tantum odium. Et volui ipsum deuorare è terra viuentium, quemadmodum deuorat vitulus herbas à terra. Propter quod ego & Iudas vendidimus eum Ismaëlitis triginta aureis. De quibus decem furtim subtraximus, viginti autem ostendimus fratribus nostris. Et ita auaritia adductus sum, vt interfectum vellem: Deus autem patrum nostrorum eripuit eum de manibus meis, vt non facerem iniquitatem in Israël. Et nunc audite filij mei sermones veritatis, vt faciatis iustitiam & omnem legem altissimi, & non erretis spiritu odij, quoniam malus est in omnibus actibus hominum. Omne quodcunque fecerit homo, odit & abominatur. Si faciat legem Domini, non laudat eam. Si timeat Dominum & sectetur iusta, hunc non diligit, veritatem vituperat, diligenti prosperè res suas, huic inuidet, obtrectationem amplectitur, arrogantiam amat. Et quoniam odium excæcauit animam eius, facit proximo suo, sicut & ego Ioseph. Custodimini igitur filij mei ab odio, quoniam in ipsum Dominum iniquitatem facit. Non enim vult audire verba mandatorum eius de dilectione proximi, & in Deum peccat. Si enim delinquat frater. statim vult annunciare omnibus, & festinat vt iudicetur pro hoc delicto, & punitus moriatur. Si autem fuerit seruus, accusat eum apud Dominum suum, & omnes persequendi vias excogitat aduersus eum, si quomodo mortificet eum. Odium enim

Ista falsa & fabulosa sunt, cū Scriptura sacra Gen. 37. versu 28. tā in fonte Hebraico, quam in editione vulgata apertissime dicat Ioseph viginti argenteis diuenditum.

Mala ex odio proximi.

operatur

operatur cum inuidia aduersus benè operantes, profectum audiens & videns semper contristatur. Quemadmodum enim dilectio etiam mortuos amat, & cupit viuere, & in eos qui sunt in sententia mortis, si fieri queat, à morte reuocare vellet: ita odium viuentes conatur delere, & eos qui paululum quiddam peccauerint, indignos vita iudicat. Spiritus enim odij animi peruersitate cooperatur Satanæ in omnibus vsque ad mortem hominum. Spiritus enim dilectionis in loganimitate cooperatur legi Dei in salutem hominum. Malum est odium, quoniam permanet cum mendacio, continuè loquens aduersus veritatem, & parua magna facit, tenebris lucem obfuscat. dulce amarum dicit, & calumniam edocet, bellum, iniuriam, & omnem abundantiam malorum, denique veneno diabolico cor implet. Hæc edoctus experientia dico vobis filij mei, vt fugiatis odium, & adhæreatis dilectioni Domini. Iustitia eiicit odium, humilitas occidit odium, iustus enim & humilis erubescit facere iniustè, non ab alio reprehensus, sed à proprio corde, quoniam Deus protegit consilium eius. Non detrahit viro, quia timor altissimi vincit odium. Timens enim Dominum, non offendit, non vult omnino, neque cogitatione iniusta facere aduersus hominem. Hæc ego vltimo cognoui, posteaquam pœnitui de Ioseph. Quæ enim secundum Deum est vera pœnitentia, ea mortificat hominem ad obedientiam, fugat tenebras, & illuminat oculos, & cognitionem tribuit animæ, & ducit consilium ad salutem. Et quæ non didici ab hominibus, noui per pœnitentiam. Induxit enim mihi ægritudinem epatis, & nisi fuissent orationes patris mei Iacob, profectò statim spiritus desiisset esse in me. Per quæ enim homo peccat, per illa & punitur. Quia igitur disposita erant epata mea impropitiabiliter aduersus Ioseph, in epate passus sum impropitiabiliter. Iudicium pertuli per menses vndecim, vt par esset tempus pœnæ, cum tempore quo vrgebam venditionem Ioseph. Et nunc filij mei diligite vnusquisque fratrem vestrum, & auferte odium à cordibus vestris, diligentes inuicem in opere, sermone, & cogitatione animæ. Ego enim coram facie patris nostri pacifica loquebar ad Ioseph, & exeunte me, spiritus odij obtenebrauit intellectum meum, & turbauit animam meam ad occidendum eum. Diligite igitur adinuicem ex corde, & si peccet in te aliquis, dic ei in pace exterminans venenum odij, & in anima tua non teneas dolum. Et si confitens pœniteat, dimitte ei, & si negat, non contendas cum eo, ne quando iurante eo, dupliciter pecces. Non audiat alienus in contentione secretum vestrum ne odiens te immutetur, & magnum peccatum operetur aduersum te. Quoniam multoties dolo loquetur tecum, vel perscrutabitur te in malo, accipiens à te venenum. Si ergo negat & erubescit, & redargutus quiescit, non educas eum. Negans enim pœnitet, vt non amplius delinquat in te, sed honorabit te & timebit & pacificus erit. Si verò verecundus est, & instat malitiæ, tunc dimitte ex corde Deo vindictam. Si quis plus quàm vos prosperatur, ne contristemini, sed orate pro ipso, vt perfectè prosperetur. Fortè enim vobis expedit ita, & si plus exaltatus fuerit, nec inuideatis recordantes, quoniam omnis caro morietur. Domino autem hymnum afferte, tribuenti bona & vtilia omnibus hominibus. Scrutare Iudicia Domini, & ita dimittet & quiescet consilium tuum. Si verò ex malis quis ditatus fuerit, sicut Esau frater patris mei, nolite æmulari. Terminum enim Domini suscipietis, vel enim aufert hoc in malis, vel pœnitentibus dimittit, impœnitenti seruat In æternam punitionem. Nam pauper abundans in omnibus Domino gratias agit, & ipse apud omnes ditatur, quoniam non habet perniciosam deprecationem hominum. Auferte igitur odium ab animabus vestris, & diligite inuicem in rectitudine cordis. Dicite autem & vos filiis vestris, vt honorent Iudam & Leui, quoniam ex eis oriri faciet Dominus Saluatorem Israëli. Cognoui enim, quoniam in fine recedent filij vestri ab eis, & in omni pernicie & malignitate & corruptione erunt coram Domino. Et paululum requiescens, rursus dixit eis: Filij mei audite patrem vestrum, & sepelite me prope patres meos. Et eleuans pedes suos dormiuit in pace. Et post quinque annos reduxerunt eum, & posuerunt eum in Hebron cum patribus suis.

Timor domini. — *Pœna Gad.* — *Fratres quomodo se gerere debeant in iracundia.*

Testamentum Aser, de duabus faciebus Maliciæ & Virtutis. X.

TRanscriptum testamenti Aser, quæ locutus est filiis suis centesimo vicesimo anno vitæ suæ adhuc sanus existens, dixit ad eos: Audite filij Aser patrem vestrum, & omne rectum coram Deo ostendam vobis. Duas vias dedit Dominus filiis hominum, duo consilia & duos actus, duo loca & duos fines. Ideoque omnia duo sunt vnum, contra & viæ duæ boni & mali. Sunt etiam duo consilia in pectoribus nostris, quæ nos vel ad honestatem vel ad turpitudinem impellunt. Si igitur ad bonum ducitur homo, omnes actus ipsius circa iustitiam versantur. Et si quid deliquerit, tamen illicò pœnitet. Iusta enim cogitans & abiiciens malitiam, statim corrigit sua peccata, & malitiam animi aufert. Si verò ad malum declinat consilium, omnis actus eius est in malitia, & repellens bonum, assumit malum constitutus sub domino Beliar. Et si bonum operetur, conuertitur in malitiam hoc. Cùm enim inceperit boni aliquid facere, finem actionis eius in malum opus perducit. Quia thesaurus diaboli veneno perniciosi spiritus impletus est. Dicit igitur anima ipsius bonum supra malum esse, & finem rei in maliciam ducit. Est homo qui non miseretur ministrantis ei in malum, & hoc duplicem faciem habet, sed totum perniciosum est. Est & homo diligens malignitatem, similiter est malitia, quoniam & mori desiderat in malo propter ipsum. Et de hoc manifestum, quoniam duplicis faciei est, totum verò malus actus est. Et amor existens, malitia est abscondens malum sicut nomine quasi bono, finis verò actus venit in malum, alius furatur, iniustè agit, rapit, auarus existit, & non miseretur pauperum. Duplicem quidem faciem habet, & hoc totum perniciosum est, auarus existens erga proximum ad iracundiam prouocat Deum, & Altissimum abnegat, & pauperis non miseretur. Præceptorem legis Dominum spernit & acerbat, nec pauperem requiescere sinit, animam inquinat, vt corpus splendidum reddat, multos occidit, & paucorum miseretur. Hoc quidem duplicis faciei est. Alius adulteratur & fornicatur, & abstinet à cibis, ieiunans malefacit, potentia diuitis multos miserè vexat. Ex mala conscientia facit mandata, & hoc duplicis faciei est, totum autem malum est. Tales vt sues sunt & lepores: quoniam ex medietate sunt mundi, reuera sunt immudi. Vos igitur filij mei non efficiamini secundum ipsos duplicem habentes faciem, bonitatis & maliciæ, sed bonitati soli adhærete, quoniam Deus requiescit in ipsa & homines desiderant eam. Maliciam fugite, occidentes diabolum in bonis vestris actibus, quoniam qui duplicis faciei sunt, non Deo, sed concupiscentiis suis seruiunt, vt Beliar complaceant & his qui sunt ipsis similes. Edom autem viri, & qui sunt vnius faciei etsi existimētur ab eis qui duplicis faciei sunt peccare, iusti tamen sunt apud Deum. Multi enim occidentes perniciosos, duo faciunt opera, malum & bonum, totum verò est bonum. Quoniam qui malum eradicauit, perdidit illud. Est aliquis qui odit aliquem misericordem, & accusat eundem adulterij vel latrocinij, hic est duplicis faciei, sed totum opus bonum est, quoniam imitatur Dominum, non aspiciens quod videtur bonum, cùm verò sit malum. Alter non vult diem bonum videre cùm luxuriosis, vt non maculet eos, & inquinet animam. Et hic duplicis faciei est, totum autem bonum est, quoniam tales capreolis & ceruis similes sunt, quoniam in consuetudine agresti videntur immundi esse, ex toto autem mundi sunt, quoniam in zelo Dei ambulant recedentes ab his à quibus Deus prohibet per mandata, odio habent eos & necant malum à bono. Videte igitur qualiter duo sunt in omnibus, vnum contra vnum, & vnum sub vno absconditur. Vitæ mors succedit, gloriæ igno-

Contra auaros.

minia, dici nox, & luci tenebræ. Omnia vero sub die sunt, & sub vita quæ iusta sunt, propter quod & mortem æterna vita præexpedit, & non est dicere veritatem mendacium, neque iustum iniustum, quoniam omnis veritas sub luce est, quemadmodum omnia sub Deo. Hæc omnia probaui in vita mea, & non erraui à veritate Domini, & mandata altissimi exquisiui secundum omnem fortitudinem, ambulans secundum vnam faciem in bonum. Attendite igitur filij & vos mandata Domini secundum vnam faciem sequentes veritatem, quoniam qui duplicis faciei sunt, dupliciter puniuntur. Spiritus erroris odit hominem agonizantem. Legem Domini custodite, & non attendite malum vt bonum, sed reuera bonum respicite, & obseruate illud in omnibus mandatis Domini ad eum reuersi, & in eum quiescentes, quoniam fines hominum ostendunt iustitiam eorum. Et cognoscite Angelos Domini & Satanæ. Si enim adhæseritis spiritibus malis, anima torquebitur à pernicioso spiritu, cui seruitis in concupiscentiis & operibus perniciosis. Si autem quiescibiliter in gaudio cognoueritis Angelum pacis, consolabitur vos in via. Ne efficiamini filij vt Sodoma, quæ ignorauit Angelos, & periit vsque in sæculum. Noui enim quoniam peccabitis, & trademini in manus inimicorum vestrorum, terra vestra desolabitur, & vos dispergemini in quatuor angulos terræ, & eritis in dispersione despecti velut aqua inutilis, vsquequo Altissimus visitauerit terram, veniens, vt homo cum hominibus manducans & bibens, & in silentio conterens caput draconis. Per aquam hic saluabit Israël, & omnes gentes, Deus in virum absconditus. Dicite igitur hæc filiis vestris, vt non negligant legem Dei scriptam in tabulis cœlorum: nam futurum est vt increduli fiant in legem Domini. Et vos impiè agentes, impiè agetis in Deum, non attendentes legem Dei, sed mandata hominum. Et propter hoc dispergemini vt Gad & Dan fratres mei, qui regiones eorum ignorabant, & tribum & linguam eorum. Sed congregabit vos Deus in fide propter spem misericordiæ suæ, propter Abraham, Isaac & Iacob. Hæc cùm dixisset, mandauit eis dicens: Sepelite me in Hebron. Et mortuus est, somno bono dormiens. Et post hæc fecerunt illi filij eius sicut mandauerat eis. Et reducentes eum, sepelierunt cum patribus suis.

Testamentum Ioseph de castitate & fraterna dilectione. XI.

TRanscriptum testamenti Ioseph cùm moriturus erat, vocans filios suos, & fratres suos dixit eis: Filij mei, & fratres audite Ioseph dilectum ab Israël, auribus percipite filij patrem vestrum. Et sciui in vita mea inuidiam & mortem, quibus me fratres mei perdere volebant. Oderunt enim me, & Dominus dilexit me. Ipsi voluerunt occidere me, & Deus patrum meorum custodiuit me. In lacum me miserunt, & Altissimus reduxit me. Venditus sum in seruum, & Dominus liberum me fecit. In captiuitatem assumptus sum, & fortis manus eius adiuuit me. In fame detentus sum, & ipse Dominus nutriuit me. Desolatus eram, & Deus consolatus est me. In infirmitate eram, & Altissimus visitauit me. In carcere eram, & Saluator lætificauit me. In vinculis detinebar, & soluit me Dominus. In accusationibus Ægyptiorum, ipse causam meam egit, & liberauit ab inuidia, & dolo, & exaltauit me, ita quod etiam Phocimar princeps coquorum Pharaonis credidit mihi domum suam. Et periclitatus de vita mea propter mulierem inuerecundam, solicitantem, vt iniqua agerem cum ipsa, flamma libidinis æstuante circa pectus illius, in carcerem coniectus sum, verberibus cæsus & subsannatus. Fecit autem Dominus vt misericordia commotus sit erga me custos carceris. Non enim derelinquit timentes se, non in tenebris, nec in vinculis, nec in vllis tribulationibus vel necessitatibus. Non enim vt homo, confunditur Deus, neque vt filius hominis, formidat, neque vt terrenus pauore concutitur vel repellitur. In omnibus verò locis præsens est, & in grauissimis malis consolatur suos. In breui recedens ad probandum animi consilia. In decem tentationibus probatum me deprehendit, & in omnibus longanimis fui, quoniam magna medicina est longanimitas, & multa bona dat sustinentia. Quoties Ægyptia minata est mihi mortem? quoties pœnis tradens reuocauit me mulier? quoties mortem minata cùm recusarem rem habere cum ea? Dicebat autem mihi: Dominaberis mihi & omnibus quæ mea sunt, si tradideris teipsum mihi atque gesseris morem mihi, & eris dominator nostri. Ego verò recordatus sum sermonum patris mei Iacob, & ingrediens in thalamum adoraui Dominum, & ieiunaui septem annis, apparui autem Ægyptiæ ea corporis habitudine, quasi qui in deliciis vixisset, quoniam propter Deum ieiunantes faciei gratiam accipiunt. Cúmque dabatur mihi vinum, non bibebam. Et in triduano ieiunio accipiebam meam diætam, & tribui eam egentibus & infirmis. Et manè euigilaui ad Dominum, & fleui pro Memphitica Ægyptia, quoniam multum & indesinenter molesta erat mihi. Noctu enim venit ad me quasi quæ me inuisere vellet, & primo quidem, quoniam filius masculus non erat ei, fingebat habere me vt filium. Et oraui ad Dominum vt daret illi marem. Per hoc tempus autem vt filium me amplexa est, & ego ignorabam. Denique me ad fornicationem attrahebat, & intelligens tristatus sum vsque ad mortem, & exeunte ipsa redij ad me ipsum, & tristabar illius causa per dies multos, quoniam cognoui dolum eius & errorem. Et dicebam ei verba Altissimi, si fortè auerteretur concupiscentia perniciosa. Multoties vt sancto viro, in verbis blandita est mihi non sine dolo laudans castitatem meam coram marito, qui penitus extinguere me volebat. In manifesto & abscondito dixit mihi: Ne timeas tibi à viro meo, etenim persuasum est ei de castitate tua, quoniam & si dixerit aliquis ei de nobis, non crederet. Propter hæc omnia in terra iacebam ego indutus sacco, & deprecabar Dominum vt liberaret me Dominus ab Ægyptia. Vbi verò nihil potuit efficere hac via venit denuo aliis instructa rationibus, videlicet vt disceret verbum Dei ex me, atque in hunc modum cœpit loqui: Si vis vt relinquam idola, obtempera mihi, & Ægyptium persuadebo recedere ab idolis, & in lege Domini Dei tui ambulabimus. His ergo respondi: In immunditia non vult Dominus esse venerantes ipsum, neque in adulteriis beneplacitum est ei. Et illa siluit desiderans explere concupiscentiam suam. Et ego apponebam orationem & ieiunium vt liberaret me Dominus ab ipsa. Rursus verò alio tempore dicit mihi: Si adulterare non vis, ego occidam Ægyptium, & ea lege accipiam te in virum. Ego autem vt audiui, scidi stolam meam, & dicebam: Mulier, pudeat te quæso horum coram Deo, & time Dominum, neque facias tam perniciosam rem, neque desperes omnino, vt teipsam deuoueas malo. Nam si pergas, ego proferam cogitationes impietatis tuæ. Timens igitur illa, rogabat vt nulli annunciarem malitiam eius, & recessit. Iam verò tentabat reducere donis, mittens mihi omnia quæ sunt in vsum filiorum hominum, & misit mihi cibum incantatione conspersum. Et vt venit eunuchus ferens ipsum, respexi, & vidi virum terribilem tradentem mihi cum disco gladium. Et intellexi, quoniam insidias struerent animæ meæ, & exeunte illo flebam, neque illum neque alium aliquandiu ciborum ipsius gustans. Post vnum ergo diem, ipsa veniens ad me, inquit: Quid hoc est, quoniam non comedisti de cibo? Et dicebam ad eam, quoniam implesti illum morte, scias autem quoniam non appropinquo idolis, sed Domino soli. Nunc igitur cognosce quoniam Deus patris mei per Angelum reuelauit mihi maliciam tuam, & seruaui cibum in redargutionem tui, si fortè videns illum pœniteas, aut discas quoniam his qui in castitate Dominum venerantur, non præualet malitia impiè agentium. Et accipiens coram ipsa comedi dicens: Deus patrum meorum & Angelus Abraham erit mecum. Illa verò cecidit in faciem suam ad pedes meos, & fleuit. Et erigens illam multis adhortatus sum ipsam, & promisit se non esse facturam posthac amplius impietatem hanc. Quoniam

Ieiunium Ioseph.

Ægyptia Lenocinia.

verò cor ipsius in me exarserat ad adulterium ingemiscens, suspiria trahens ab imo pectore deiecit vultum. Videns verò eam Ægyptius dicit ad eam: Quid concidit facies tua? Illa verò dixit; Dolore cordis ego doleo, & gemitus spiritus mei cootinet me. Et curabat eam non ægrotantem. Tunc insiluit ad me huc foris existente viro suo, & dicit mihi: Suffocor, vel in puteum vel præcipitium proiicio meipsam, nisi mihi obtemperaueris. Et intelligens quoniam spiritus Beliar ipsam conturbat, orans Dominum dixi ei: Vt quid turbaris, aut quid tumultuaris in peccatis excæcata? Recordare quoniam si occidas teipsam, Sechon concubina viri tui inuidens tibi, colaphos infringet filiis tuis, & perdet memoriam tuam de terra. Et dicit ad me: Eia age video quod adhuc aliqua tibi mei cura relicta est. Satis habeo quod protegis vitam meam & filiorum meorum, bona me spes habet futurum vt potiar desiderio meo. Et non cognouit quoniam propter Deum meum dixi ita, & non propter ipsam. Si enim aliquis passioni succumbat desiderij perniciosi, huic seruus efficietur, vt & illa. Etsi bonum aliquid audierit in passione qua vincitur, accipit illud ad desiderium perniciosum. Dico vobis filij, quoniam hora erat quasi sexta, quando exiuit à me & ego genuflectens oraui ad Dominum per totum diem & totam noctem coniungens. Circa diluculum surrexi lachrymans vt liberaretur tandem Ægyptia. In fine igitur apprehendit mea vestimenta violenter attrahens me ad concubitum. Vt igitur vidi, quoniam insaniret, & violentia, ac vi teneret vestimenta mea, nudus effugi. Illa verò calumniata est me apud virum suum, qui misit me in carcerem, qui erat in domo regis. Sequenti die, vbi flagris probè cæsus fueram, rursus coniectus sum in carcerem. Et cùm vinctus iacerem in compedibus, Ægyptia infirmata est nimio dolore, & auscultabat qualiter laudarem Dominum existens in domo tenebrarum. Ego autem hilari voce gaudens, glorificaui Deum meum solum, quod per hanc occasionem amouebar ab Ægyptia, ipsa tameo non destitit instare ac dicere: Age accipe conditionem quam offero tibi, ac imple desideriom meum, & liberabo te à vinculis, & eripiam te ex tenebris. Verum vsque adeo nihil potuit persuadere mihi, vt ne cogitatione quid in vota eius fuerim inclinatus. Diligit enim Deus magis eum qui in lacu tenebrarum ieiunat in castitate, quàm eum qui in thalamis deliciatur cum luxuria. Qui autem in castitate viuit, & vult gloriam, & si nouerit Altissimus quod expediat, tribuit ei & hoc quemadmodum & mihi. Moltoties infirmata descendit ad me immaturè, & audiuit vocé mei orantis & acriùs instabat. Intelligens verò ego suspiria eius, silui. Etenim quum eram in domo eius nudauit brachia sua, pectora, & tibias quò me in amorem sui accenderet, nimis enim erat pulchra, maximéque ornata vt me deciperet, sed Dominus custodiuit me ab operationibus ipsius. Videte igitur filij mei quãta operatur; sustinẽtia & oratio cum ieiunio. Et vos igitur si sobrietatem & castitatem dilexeritis in sustinentia & humilitate cordis, Dominos habitabit in vobis, quoniam dilexit sobrietatem. Vbi verò habitat Altissimus, & si incidat in inuidiam vel seruitutem vel calumniam, Dominus qoi in ipso habitat, non solùm propter castitatem hunc à malis liberat, sed exaltat quoque, & glorificat ipsum sicut & me. Omnino enim hic vel in opere, vel in verbo, vel in cogitatione continetur. Cognouerunt fratres mei qualiter dilexit me pater meus, & nõo exaltatus sum in corde meo, quamuis puer existens habebam timorem Dei in mente mea. Silui & moderabar meipsum, & honorabam fratres meos quos timebam. Silui venditus, vt non dicerem Ismaëlitis genus meum, quoniam filius eram Iacob viri magni & potentis. Et vos igitur habete actu vestro Dei timorem, & honorate fratres vestros. Omnis enim qui facit legem Domioi, diligetur ab ipso. Veniens enim ad Indoculpitas cum Ismaëlitis interrogabant me, & ego dicebam, quoniam seruus ipsorum sum ex domo, vt noo confunderem fratres meos. Dicit autem maior eorum; Noo es seruus, quoniam & aspectus tuus ostendit de te, & minatus est mihi vsque ad mortem. Ego verò dicebam quoniam seruus ipsorum sum. Vt autem venimos in Ægyptum, de me certabant quis ad thesaurum acciperet me, & placuit omnibus vt essem in Ægypto apud negotiatorem negotiationis ipsorum vsquequo reuerterentur ferentes negotiationem, & Dominus dedit mihi gratiam in oculis negotiatoris, & credidit mihi domum suam, & benedixit eum Dominus io manu mea. Et dedit Dominus ei copiam argenti & auri. Et eram cum ipso mensibus tribus & diebus quinque. Hoc tempore transiuit Memphitica mulier Pethefri in gloria multa, & iniecit super me oculos soos quoniam dixerãt ei eunuchi de me, & dicit viro suo de negotiatore quoniam ditatus esset in maou iuuenis cuiusdam Hebræi, & dicebant quòd furto furati essent eum de terra Chanaan. Nunc ergo fac cum eo iudicium, & aufer iuuenem io dispensatorem tuum, & benedicet te Deus Hebræorum, quoniam gratia ex cœlo est in ipso Pethefris verò persuasus verbis ipsius, iussit adduci negotiatorem, & dicit ei: Quid hic audio quoniam furaris animas ex terra Hebræorum in pueris vendendis? Cadens igitur oegotiator in faciem suam, rogabat dicens: Rogo te Domine non oout quod dicis. Ille verò dicit, Vnde igitur tibi iste Hebræus? Et dixit, Ismaëlitæ commendauerunt mihi ipsum vsquequo reuertantur. Et non credidit ei, & iussit flagellari ipsum. Sustinente verò eu, dicit Pethefris: Adducatur iuuenis, & inductus adoraui principem eunuchorum, Tertius enim erat in dignitate apud Pharaonem princeps omnium eunuchorum habens vxorem & filios & concubinas. Et cum me seorsum duxisset, dixit mihi: Seruus es vel liber? Et dicebam: Seruus. Et dicit ad me: Cuius es seruus? Et dico ei: Ismaëlitarum. Et rursus dixit mihi: Qualiter ipsorum effectus es seruus; Et dicebam; Quoniam ex terra Chanaan emerunt me. Ille vero non credidit dicens: Sanè mentiris. Et nudum iussit me flagellari. Memphitica verò vidit per fenestram flagellatum me, & mittit ad virum suum dicens: Ioiustum est iudicium tuum, quoniam & furatum liberum punis & iustè agentem. Vbi autem non mutaui verba, denuò flagellatum iussit custodiri me, vsquequo veniant (ait) Domini pueri. Et vxor eius dicit ad eum; Propter quid detines captiuum & nobilem puerum, quoniam opportuit magis dimitti eum atque te flagellari? Voluit enim me videre in desiderio peccati, & ignorabam de omnibus his. Ille verò dixit ad Memphiticam: Non est honestum apud Ægyptios ante ostensionem auferri aliena, hoc dixit de negotiatore & de me quando debui inclusus teneri. Post vigioti verò & quatuor dies venerunt Ismaëlitæ, & audientes quoniam Iacob pater meus tristatur de me, dixerunt ad me: Quid est quod dixisti teipsum seruum esse, & ecce cognouimus quoniam es filius viri magni in terra Chanaao & tristatur pater tuus in sacco. Et rursus volui lachrymari, & continui meipsum vt non confunderem fratres meos. Et dixi ego: Istud non noui, seruus sum. Tunc inibant consilium quo me venderent ne inuenirer in manibus eorum. Timuerunt enim Iacob ne vlcisceretur se de ipsis. Auditum est enim quòd esset magnus apud Deum & homines. Tunc dicit negotiator eis: Redimite eum nunc à iudicio Pethefri. Audientes igitur petebant me, dicentes: Quoniam argento emptus est à nobis, & ille absoluit me, Memphitica verò ostendit viro suo vt emeret me: Audio enim (ait) quoniam vendunt eum. Et misit eunuchum ad Ismaëlitas qui petiit me in venditionem, & non volens facere cum eis reuersus est. Eunuchus verò cùm tentasset, ostendit dominæ quoniam ingens petiuerint precium pueri. Illa verò misit alterum eunuchum dicens; Et si duas minas auri petiuerint, vide oe parcas auro, tantum emas puerum & duc ad me. Ille verò dedit octoginta aureos pro me: centum dicens Ægyptiæ datos esse pro me. Et videns ego siloi vt non exquireretur eunuchus. Videte filij quanta sustinui, diligite adinuicem, & in longanimitate elicite adinuicem ex animo simultates. Delectatur enim Deus concordia fratrum, & io electione cordis probari in dilectiooe. Quando autem venerunt fratres mei in Ægyptum & cognouerunt me reddidi ar-

georum eis, & non exprobraui quicquam illis, sed & consolatus sum eos. Et post mortem Iacob abundantiùs dilexi eos, & omnia quæcunque iussit feci ex abundanti. Et admirabantur; non enim dimisi eos tribulari vsque ad patriam tem. Et omne quod erat in manu mea eis dedi, filij eorum filij mei apud me habiti sunt. Et filij mei vt serui eorum; anima eorum anima mea, & omnis dolor eorum dolor meus, & omnis infirmitas eorum, infirmitas mea. Terra mea terra eorum, consilium meum, consilium eorum. Et non exaltaui meipsum in eis in superbia propter mundanam gloriam meam. Sed eram in eis sicut vnus minimorum. Sic igitur & vos ambuletis in mandatis Domini, filij mei, exaltabit & vos Dominus, & benedicet vobis in bonis perpetuò. Et si voluerit quis malè facere vobis, vos in benignitate orate pro eo, & ab omni malo liberamini per Dominum. Ecce enim videtis, quoniam propter longanimitatem, filiam dominorum meorum accepi in vxorem, & centum talenta auri mihi data sunt cum ea. Quoniam eos Deus mihi seruire fecit, & pulchritudinem dedit mihi vt quasi flos super pulchros forem in Israël. Et custodiuit me vsque ad senectutem in virtute & pulchritudine, quoniam ego similis in omnibus Iacob extiteram. Audite filij mei & quæ vidi somnia. Duodecim cerui pascebantur, & nouem diuisi sunt, & dispersi in terra. Similiter & vidi, quoniam ex Iuda nata est virgo, habens stolam byssinam, & ex ipsa prodiit agnus immaculatus. Et à sinistris eius agni vt leo, & omnes bestiæ impetum fecerunt aduersus eum. Et vicit eas agnus & perdidit in conculcationem, & gaudebant in eo Angeli, & homines, & omnis terra. Hæc autem fient in tempore suo in vltimis diebus. Vos igitur filij mei custodite mandata Domini: & honorate Iudam & Leui, quoniam ex ipsis orietur vobis Agnus Dei, gratia saluans omnes Gentes & Israël. Regnum enim eius regnum æternum, quod non præteribit. Meum enim regnum in vobis consummatur vt pomorum custodia, quoniam post messem non apparebit. Noui quoniam post mortem meam Ægyptij tribulabunt vos, sed Deus faciet vltionem vestram. Et inducet vos in repromissionem patrum vestrorum. Sed comportate ossa mea vobiscum, quoniam si reduxeritis ossa mea Dominus in luce erit vobiscum contra Ægyptios. Et Beliar in tenebris erit cum Ægyptiis. Et Zelpham matrem vestram reducite, & prope Ballam iuxta Hypodromum proximam Rachel ponentes eam. Et hæc dicens, extendens pedes suos dormiuit somnum sæcularem. Et planxerunt eum omnis Israël & omnis Ægyptus planctu magno. Etenim & Ægyptiis vt propriis membris compassus est, & benefecit omni tempore consilio & re assistens.

Leui & Iudas honorandi.

Ossa Ioseph somnus sæcularis.

Testamentum Benjamin, de mente munda XII.

TRanscriptum verborum Benjamin quæ disposuit filiis suis viuens annos centum viginti. Et osculans eos dicit: Sicut Isaac centesimo anno natus est Abraham, ita & ego Iacob. Quia igitur Rachel mortua est cùm pareret, lac non habui, Ballam igitur ancillam eius suxi. Rachel enim, postquam peperit Ioseph duodecim annis sterilis fuit. Et orauit Dominum cum ieiunio duodecim annis & concipiens peperit me, valde enim pater meus dilexit Rachel. Et optauit duos filios videre ex ipsa, propter hoc vocatus sum filius dierum vel luctus, quia mater in partu mortua est, quod est Benjamin. Quando igitur intraui in Ægyptum, & recognouit me frater meus Ioseph dixit mihi: Quid dixerunt patri meo quando vendiderunt me? Et dicebam ei; Quoniam consperserunt tunicam tuam sanguine, & mittentes dixerunt: Cognosce si tunica filij tui est ista. Et dicit mihi etiam frater: Etenim quando accipiebant me Ismaëlitæ, vnus ex eis exuens me tunicam, dedit mihi perizoma. Et flagellans me dixit vt currerem. Cùm verò abiret ipse vt absconderet vestimentum meum, obuiauit ei leo, & occidit eum. Et ita participes timentes vendunt me sociis tuis. Et vos igitur filij mei diligite Dominum Deum cœli, & audite mandata eius imitantes bonum & sanctum virum Ioseph. Et sit mens vestra in bonum, vt & me nostis. Qui habet mentem bonam, omnia respicit rectè. Timete Deum, & diligite proximum. Et si spiritus Beliar in omnem malitiam tribulationis sollicitauerit vos, non dominabitur in vobis malitia tribulationis, sicut nec Ioseph fratri meo. Quot homines voluerunt occidere eum, & Deus protexit? Qui enim timet Deum, & diligit proximum suum, ab aëreo spiritu Beliar non potest vulnerari. Et protectus timore Domini, & ab insidiis hominum & bestiarum non potest subiugari adiutus à Domini dilectione quam habet erga proximum. Etenim deprecatus est patrem nostrum Iacob vt oraret pro fratribus nostris, & non imputaret eis Dominus si quid excogitauerunt periculosum de ipso. Et ita clamauit Iacob: O fili Ioseph vicisti viscera patris tui. Et amplexans eum per duas horas osculabatur eum, dicens: Adimplebitur in te Prophetia cœli de agno Dei & Saluatore mundi, quoniam immaculatus pro iniquis tradetur. Et qui sine peccato est, pro impiis morietur in sanguine Testamenti, in salutem Gentium & Israël, & euacuabit Beliar & ministrantes ei. Videte filij, boni viri finem, imitamini in bona mente misericordiam ipsius, vt & vos coronis gloriæ induamini: bonus homo non habet tenebrosum oculum, miseretur enim omnibus etiamsi sint peccatores, & inierint consilia de ipso mala. Nam qui benefacit, vincit malum protectus à bono: Iustos autem diligit vt animam suam. Si quis glorificatur, non inuidet. Si quis ditatur, non zelat. Si quis fortis est, hunc laudat castum credens, laudat eum, qui habet timorem Dei. Diligenti Deum cooperatur. Reprobantem altissimum admonet vt conuertatur. Et habentem gratiam spiritus boni diligit secundum animam suam. Pauperi miseretur: infirmo compatitur. Deum laudat & veneratur. Si habeatis bonam mentem filij, & mali homines pacificabuntur vobis, & luxuriosi erubescentes vos, conuertentur in bonum. Et auari non solum recedent à passione, sed quæ superabundant dabunt tribulatis. Si sitis benefacientes, & immundi spiritus fugient à vobis, & ipsæ malæ bestiæ fugient à vobis timentes. Vbi enim est timor bonorum operum in mente, tenebræ fugiunt ab eo. Si enim iniurietur quis viro sancto, pœnitet. Miseretur enim sanctus iniuriantis & silet. Et si quis animam iustam tradat, & iustus orauerit, nonnihil humiliatur is qui facit iniuriam, & postea multò clariora appatet qualis etiam factus est Ioseph frater meus. Consilium boni viri non est in manu spiritus erroris Beliar. Angelus enim pacis ducit animam ipsius. Non aspicit in passionibus corruptibilia, neque congregat diuitias in desideriis voluptatis. Non delectatur, voluptate, non contristat proximum, non impletur cibo, non errat fastu oculorum: Dominus enim pars est eius. Propter bonum consilium non recipit gloriam, inhonorationem hominum non curat, & omnem dolum vel mendacium, pugnam vel contumeliam non nouit. Dominus enim in eo habitat, & illuminat animam eius, & gaudet coram omnibus in omni tempore. Bona mens non habet duas linguas, benedictionis & maledictionis, iniuriæ & honoris, tristitiæ & gaudij, quietis & turbationis, simulationis & veritatis, inopiæ & diuitiarum. Sed vnam haber circa omnes synceram & puram dispositionem. Non habet visum neque auditum duplicem: in omni enim quod facit vel loquitur vel videt, nouit quoniam Dominus visitat animam eius, & purgat mentem eius vt non reprehendatur à Deo & hominibus. Sed omne opus beliar duplex est, neque habet simplicitatem. Propter hoc filij mei fugite maliciam Beliar, quoniam gaudium dat obedientibus ei, gladius autem septem malorum mater est. Primum concipit mens per Beliar. Est autem primum inuidia, secundum perditio, tertium tribulatio, quartum captiuitas, quintum indigentia, sextum turbatio, septimum desolatio, propter quod & Cain septem vindictis trahitur à Deo. Nam secundum septem annos vnam plagam induxit ei Dominus. Ducentis annis patitur, & nonagesimo anno

Boni viri officia.

Pœna Cain.

desolatus in diluuio propter Abel iustum fratrem eius. In septingentis annis Cain iudicatur, Lamech verò in septuagies septem, quoniam vsque in sæculum assimilari Cain in inuidia, in odium fraternum eadem punitione vindicabuntur. Et vos igitur filij mei fugite malitiam inuidiámque & odium fraternum, & adhærete bonitati & dilectioni. Qui habet mentem puram in dilectione, non videt mulierem in fornicationem. Non enim habet inquinationem in corde, quoniam requiescit in eo spiritus Domini. Quemadmodum enim Sol non inquinatur attingens gurgitem vel stercus, sed magis siccat & abigit fœtorem: ita & pura mens in inquinationibus terræ contendit vt magis ædificet, ipsa verò non inquinatur. Intelligo autem ex sermonibus Enoch iusti & actus in vobis malos fore. Fornicabimini enim fornicatione Sodomorum & peribitis vsque ad paucos, & renouabitis in mulieribus motus inordinatos & regnum Domini non erit in vobis quoniam confestim ipse accipiet illud. Verumtamen in parte nostra fiet templum Dei, & gloriosum erit in vobis. Quoniam ipse Dominus accipiet regnum & duodecim tribus illic congregabuntur, & omnes Gentes, vsquequo altissimus mittat salutare suum in visitatione vnigeniti. Et ingredietur in primum templum, & illic Dominus iniuriam patietur & contemnetur, & in ligno exaltabitur. Et erit velum templi scissum, & descendet spiritus Domini super Gentes, vt ignis effusus. Et ascendens ex inferno ascendet à terra in cœlum. Recordabitur quàm fuerit humilis in terra, & quàm gloriosus in cœlo. Quando autem Ioseph erat in Ægypto, desiderabam videre speciem eius, & formam aspectus eius. Et per orationes Iacob patris mei vidi eum in die vigilans, secundum quod erat omnis species eius. Cognoscite igitur filij mei quoniam nunc morior. Facite igitur veritatem & iustitiam vnusquisque cum proximo suo, iudicium & fidei operationem & legem Domini & mandata eius custodite, hoc enim vos pro omni hæreditate doceo. Et vos igitur date hæc filiis vestris in possessionem sempiternam. Hoc enim fecerunt Abraham, Isaac & Iacob, omnia hæc dederunt nobis in hæreditatem, dicentes: Custodite mandata Dei vsquequo reuelet Dominus salutare suum omnibus Gentibus. Tunc videbitis Enoch, Noë, Sem, Abraham, Isaac & Iacob resurgentes à dextris in exultatione. Tunc nos resurgemus vnusquisque in sceptrum nostrum adorantes Regem cœlorum qui in terra apparuit in forma humanæ humilitatis. Et quotquot crediderunt ei in terra, congaudebunt ei tunc. Et omnes hi quidem resurgent in gloriam, isti verò in ignominiam. Et iudicabit Dominus in primis Israël de ea, quæ in ipsum, iniustitia. Quoniam in aduenientem Deum in carne liberatorem non crediderunt. Et tunc iudicabit omnes Gentes quotquot non crediderunt ei in terra apparenti. Et arguet in electis Gentium Israël, quemadmodum redarguit Esau in Madianeis seducentibus fratres ipsius per fornicationem & idololatriam. Et abalienati sunt à Deo, excidêtes ab hæreditate filiorum qui non timent Deum. Vos autem si ambuletis in sanctificatione secundum faciem Domini, rursus habitabitis in spe in me. Et congregabitur omnis Israël ad Dominum, & non amplius vocabor lupus rapax propter rapinas vestras, sed operator Domini, tribuens cibum operantibus bonum. Et suscitabitur ex semine meo in extremis dilectus Domini audiens in terra vocem eius, cognitionem nouam, illuminans omnes Gentes lux cognitionis, ascendens Israëli in salutem. Et rapiens vt lupus ab ipsis, & dans synagogæ Gentium, & vsque in consummationem sæculorum erit in synagogis Gentium. Et in principibus earum sicut musicum melos in ore omnium. Et in libris sanctis erit inscriptus opus & sermo eius. Et erit electus Dei vsque in sæculum, & propter ipsum instruxit me Iacob pater meus, dicens: Ipse replebit defectus tribus tuæ. Et vt impleuit sermones suos, dixit: Mando vobis filij mei, referte ossa mea ex Ægypto, & sepelite me in Hebron prope patres meos. Et mortuus Benjamin centum viginti annorum & quinque in senectute bona, & posuerunt eum in theca. Et in nonagesimo primo anno ante exitum filiorum Israël ex Ægypto ipsi & fratres eorum seduxerunt ossa patrum suorum in abscondito in locum dictum Chanaan. Et sepelierunt eum in Hebron, iuxta pedes patrum suorum. Et ipsi reuersi sunt ex terra Chanaan, & habitauerunt in Ægypto vsque ad diem exitus eorum de terra Ægypti.

Sermones Enoch.

Dominus crucifigendus.

Resurrectio futura.

In iudicium extremũ.

SIBYLLINORVM Oraculorum Libri octo de Sibyllis & Sibyllinis Libris Authorum Testimonia.

Ex Indice Expurgatorio Ioan. Mariæ Brasichellensis Magistri Sacri Palatij.

TAMETSI certissimum sit reperiri innumera Patrum Elogia de Sibyllis, eas tanquam Dei prophetissas ad Gentes prædicantium, oraculaque Sibyllina magno vsui fuisse Christianis initio nascentis Ecclesiæ, ad stabilienda fidei dogmata & prophanas Gentilium superstitiones reuincendas; ob quam causam Gentiles Christianos Sibyllistas appellabant, vti scribit Origenes libro quinto contra celsum: qua de re vide cum primis apparatum ad Annales Ecclesiasticos: at diligenti eruditorum iudicio deprehensum est in his octo Sibyllinorum oraculorum libris, multa contineri falsò sub nomine Sibyllæ inserta, nec esse omnia Sibyllarum genuina ac Germana Carmina. Et vt alia interim argumenta omittamus, primùm multa insunt huic operi, quæ indicent authorem post Christum natum vixisse, at Patres Sibyllas ante ortum Christi vaticinatas produnt: Deinde S. Hieronymus & alij Patres tradunt Sibyllas fuisse virgines, & in præmium virginitatis accepisse diuinationem, at hîc lib. 7. Sibylla fatetur se scortum impudentissimum fuisse, vide apparatum sacrum Posseuini, verbo Sibyllæ. Quocirca ea tantum oracula Sibyllina in his libris descripta, quæ antiqui alicuius Patris testimonium habent, recipienda ducimus, reliqua in dubiorum & apocryphorum classem reiicienda videntur, nec pro certis & indubitatis Sibyllæ cuiuspiam vaticiniis capienda: immo studio alicuius peritioris viri oracula illa quæ ex authoritate Patrum, Sibyllarum esse constat, secernenda essent in vnum corpus, diligenti & accuratâ collectione: cætera in aliam fascem ableganda, sine vlla maiori authoritate & fide, quam vel res ipsæ, vel consensus cum scriptoribus aliis conciliauerint.

PRÆFATIO,

AD LECTOREM.

FVISSE fœminas fatidicas, quas Chaldæi Sambethas, Græci & Latini Æolico more Sibyllas appellarunt, adeo certum est, vt nullus in dubium vocare possit aut debeat. Sed quot fuerint, quæ singularum patria sit, qui parentes, quæ nomina, quæ ætas, quæ oracula, planè incertum est & controuersum, vt facilè colligitur ex testimoniis Græcorum & Latinorum auctorum in vnam synopsin in hac editione collatis. In quibus quoniam quæcunque de Sibyllis dici poterant, sub suis auctoribus consignantur, ampliore enarratione supersedebo. Nunc tantum, quod ad rem præsentem attinet, duo capita inquiram in huius libri vestibulo, & lectori diiudicanda proponam.

ponam: I. an oraculorum istorum Sibyllarum nomine publicatorum, & octo libris comprehensorum, Sibyllæ sint auctores. II. an omnia sint vnius Sibyllæ, an verò plurium. Noui equidem me in multorum reprehensionem incursurum, quod rem certam & omnibus confessam conuellere, & incertam facere ausim. Sed ij mihi, vt spero, æquiores erunt, vbi quas habeam dubitandi causas perspexerint. Hactenus libri isti de quibus quæstionem institui, communi ferè omnium hominum consensu Sibyllis adscripti, & pro veris Sibyllarum oraculis habiti sunt, propter crebra testimonia, quæ passim ex illis apud antiquos Ecclesiæ scriptores, Iustinum Martyrem, Theophylum Antiochenum, Athenagoram, Clementem Alexandrinum, Firmianum Lactantium, & alios contra gentiles citra leguntur. A quo consensu recedere nefas duxissem, nisi tempus, ordo, dictio, & res ipsæ horum oraculorum auctoritatem eleuare viderentur. Nam si ætatem Sibyllarum qua vixerunt, consideremus, & Iustino Martyri, Tatiano, Clementi Alexand. Eusebio, cæteris, denique Ecclesiasticis scriptoribus credimus, nulla Sibylla Mose prior fuit. Quomodo ergo nostra Sibylla lib. 3. de Mose vaticinari, quomodo diluuium prædicere, quomodo vnà cum Noë in arca esse potuit? ait enim se cum suo marito, cum socero & socru, cum leuiribus & glossibus in vndis tempore diluuij fuisse iactatam: quod ipsum auditu insolens, & à nemine hactenos proditum est. Sio Sibyllæ plus quàm illis credimus, oracula hæc conscripta sunt mille quingentis annis post Græcorum imperium, vt patet ex eodem libro 3. Incertum quidem est, quodnam Græci imperij initium statuat Sibylla: sed vndecunque illud sumatur, siue ab Argiuorum, siue à Sicyoniorum, siue ab Atheniensium regno; de Mose, de regno Solomonis, de imperio Macedonico, de quatuor monarchiis vana Sibyllæ vaticinia erunt, vtpote post res gestas prolata. Quod si post Mosem demum Græcorum regnum cœpit, versibus istis multo minus auctoritas sua constabit. Nam ab exitu Mosis ex Ægypto vsque ad vltimam politiæ Iudaicæ destructionem sub Vespasiano, numerantur mille quingenti octuaginta duo anni. Et certè, vt plurima ex istis oraculis post Christum conscripta esse credam, triplici causa moueor. Vna, quia lib. 5. asserit Sibylla se alterum incendium ædis Vestalis vidisse. Hoc autem, teste Eusebio in Chronicis, contigit anno Domini CXCIX. sub Imperatore Commodo: quo non modo ipsa Vestæ ædes, sed etiam palatium & plurima vrbis pars solo coæquata sunt. Nam primum incendium fuit Olympiad. CXXXIV. Secunda quia circa Antonini Pij & Commodi tempora innotescere, in vulgus efferri, & à scriptoribus eius ætatis citari cœperunt ista vaticinia Sibyllina antea ignota, nec ab vllo quem sciam adducta. Eo autem magis in hac opinione confirmor, quod vltra Commodum non extendantur, quippe post Adrianum tres Imperatores (id est, Antoninum Pium, Anton. Philosophum, & Commodum) regnaturos lib. 5. & lib. 8. & tunc tempora finem habitura esse, scribitur. Tertia, quia video opiniones nonnullas post Christum demum à Christianis excogitatas, hisce libris insertas esse. Impios post aliquot sæcula ex æterno supplicio liberatum iri, sententia est Origenis, vt docet Augustin. lib. 21. de ciuit. Dei cap. 17. & Neronem in vigore ætatis subtractum & occultatum suo tempore reuelatum iri & Antichristum fore, *suspicio fuit nonnullorum orta ex dicto* Pauli ad Thessal. Mysterium iniquitatis iam operatur, vt idem Augustin. tradit libro 20. de ciuitat. Dei cap. 19. Atqui prior extat libro 2. posterior passim inculcatur, vbi de Nerone mentio fit libro 8. Vnde non leuis suspicio me tenet, oracula ista à quodam opinionibus illis imbuto potiùs quàm à Sibylla concinnata fuisse. Hæc de tempore. Sed & ordo ipse multum Sibyllinis libris detrahere videtur. Sibyllæ carmina, vt Iustinus refert, sunt inconcinna, obscura, mutila, ne ab ipsa quidem intellecta, quia cum furore quodam effusa: ita vt prouerbio locum dederint, quo rem perplexam, foliis Sibyllæ obscuriorem esse dicimus. At nostri libri sibyllini, etsi metri ratio interdum claudicet, ferè perpetuum rerum ordinem seruant; in primo de mundi creatione & ætatibus, de Noë, de diluuio, ea serie qua in Genesi: in tertio de Saturno & Titanibus, de Mose, de lege, Babylonica captiuitate: in quarto de quatuor monarchiis: in quinto de rebus gestis XV. Imperatorum integræ historiæ contexuntur: ita concinnè denique & perspicuè omnia referuntur, vt historiæ potius quàm oraculi, animi sedati potius quàm furoris, perspicuitatis potius quàm obscuritatis indicia de se præbeant. His consentit dictio ipsa, siue voces, siue phrases spectemus. Voces partim insolentes & nouæ sunt, partim è sacris litteris & scriptoribus desumptæ, partim ineptis etymologiis effusæ. Phrases verò, stylus, tota denique lectio, paucis exceptis, nihil animi numine afflati spirant, nihil impetus & stimuli diuini præ se ferunt: imo ne quidem Homericam majestatem attingunt, quod magno indicio est nos veris Sibyllinis carere, illorum siquidem tanta fuerat grauitas tanta excellentia, tanta venustas, vt Homerus, Diodoro teste, plurimos versus ex Sibyllæ oraculis in sua opera transtulerit. At in nostris hodie vix sex vel septem hemistichia Homericis similia reperias. Carmina nostra Sibyllina, si verum fateri volumus, maxima ex parte sibi multùm dissimilia, dura, coacta, & ex sacris literis Orpheo, Hesiodo, oraculis Apollinis, Phocylide & cæteris gnomicis poëtis consarcinata sunt.

Venio nunc ad res ipsas in Sibyllinis expositas, quarum pleræque adeo plenè, copiosè, & apertè describuntur, vt vel inde tantum conijcere liceat, illas non prædictas, sed prius visas, auditas, aut lectas, ita perspicuè recitatas fuisse. Vaticinia alioqui non solent omnibus suis circumstantiis limitari, multo minus nomina propria personarum in illis designari, vt constare potest ex scriptis Prophetarum.

Esayas indefinitè prædixit, Ecce virgo pariet puerum. At Sibylla nominatim, Ecce virgo Maria pariet puerum Iesum in Bethlehem. Quasi verò Prophetæ minùs instinctu diuino agitati futura prædixerint quàm Sybillæ: aut quasi nomen Iesu ante Angeli in Euangelio annuntiationem, & Sibyllis publicatum fuerit. Christi baptismum in Iordane nullus Prophetarum prædixit: at Sibylla lib. 6. & baptismum illum, & Spiritus sancti apparitionem in columbæ specie, multo ante, si credere fas est, præsignificauit. Si ita est, cur non plus Sybyllis quàm Prophetis tribuimus? sed quicumque istorum Sibyllinorum auctor est, suo se iudicio sicuti sorex prodit cum in historia de Christo tum in descriptione XV. Imperatorum Romanorum statim ab initio lib. 5. vbi singulorum nomina & facta ita perspicuè & graphicè tanquam in breuiario quodam referuntur, vt ab historico aliter narrari non potuerint; ne tamen fraus animaduertatur, non integra nomina exprimuntur, sed numeri tantùm quos primæ seu capitales singulorum nominum litteris Græcis designant; vt, si Diis placet, mera ænigmata videantur. Sed cur non eadem serie subsequentium imperatorum nomina similibus ænigmatibus & gryphis inuoluit? An quia imperio iam defunctorum & regnantium nomina nota erant, posterorum Imperatorum primæ literæ & numeri ignoti? Sibylla autem hæc de præteritis & notis vaticinatur. Quod si interdum de futuris loqui velit, ex numeris qui ex nominum propriorum litteris exurgunt, hariolatur; vt Libro 8o. prædicit Romam perituram postquam numerum nominis sui compleuerit. Plura his addere possem, si minuta omnia, hic persequi vellem. Verùm prudenti hæc sufficere arbitror, vt intelligat iudicium meum de sibyllinis libris satis probabilius rationibus esse suffultum. Quod, ne veteribus Ecclesiæ scriptoribus qui Sibyllas frequenter laudant, aliquid detraxisse videar, & ne Camarinam, vt Sibylla nostra monet, agitem quam præstat non agitari; hac interpretatione temperabo. In libris istis hactenus vulgatis aliquot vera Sibyllarum oracula, pauca integra, sed multa deprauata & interpolata contineri; at reliqua omnia noua, supposititia, ex variis auctoribus comportata, ex euentu composita, in eum quo leguntur hodie ordinem redacta, & subinde versibus aliquot adaucta esse: quemadmodum iam vno & altero exemplo ostendam. Lib. 13. mentio fit agonis Iselastici.

Vt verò ex Plinij epistolis constat, Traiani tempore certamina Iselastica instituta & celebrata fuere, vt suscipio sit eum locum post Traianum conscriptum fuisse. Nero cùm Romam excitato incendio inflammasset, eius criminis inuidiam in Iudæos & Christianos deriuauit: Quod vt videretur à Sibyllis prædictum, à bono quodam viro versus iste insertus fuit, [illegible]. Clemens, Lactantius, Theophilus, Pausanias, & alij, multa citant ex sibyllinis, quæ aut non extant in his nostris, aut multum euariant, & vel verbis, vel versibus integris interpolata sunt, vt diligenter suis locis infra notaui. Quæ omnia eò spectant, vt doceant sibyllina nostra maximam partem esse spuria, pauca legitima. Vtinam verò, vt nota Ciceronis voce vtar, tam facile vera inuenire possem quàm falsa redarguere. Sed quia id præstare non licet, falsa cum veris, & mala cum bonis erunt toleranda: vt saltem aliquot sibyllinorum oraculorum vestigia conseruemus. Atque de priore capite satis: Sequitur alterum, an omnia ista vnius sint Sibillæ, aut scriptoris. Hoc, ne quippiam de styli & rerum discrepantia dicam, breuiter ex Lactantio expediri potest. Ille namque lib. I. de falsa rel. cap. 6. singularum Sibyllarum singulos libros esse scribit: vnius tamen credi, quia Sibyllæ nomine circumferuntur: neque discerni ac suum cuique propter confusionem assignari posse, nisi Erythrææ, quæ & nomen suum verum carmini inseruit, & Erythræam se nominat. Erythrææ autem est is qui in libris nostris tertium ordinem tenet. Primi libri auctor dicit se nurum Noë fuisse. Secundum, vt & septimum, adscribit sibi scortum quoddam adeo impudicum, vt (si recte verba mendosa in fine libri. 7. accipio) cum Patre incestum commiserit: quale pecus ne quidem Ethnici inter Sibyllas castas & Deo plenas agnoscerent. Quintum librum sibi vendicat Isidis soror. Cæteri sub incertis auctoribus feruntur. Absolutis ergo duobus illis capitibus, finem præfationi imponam, vbi eorum nomina publicauero, qui suam operam nobis ad hanc editionem contulerunt. Quid enim in ipsa præstitum sit, ex aliarum collatione dici malo, quàm ex prædicatione fortassis suspecta. Primum itaque duo manuscripta Sibyllarum exemplaria habuimus, quorum vnum integrum, alterum posterioribus libris, id est, parte quinti, sexto & septimo mancum fuit. Nam qui in nostris vltimus est, ibi erat primus. Integrum pro suo erga studia publica fauore concessit nobis integerrimus Iurisconsult. Fr. Pithoeus: mancum eumque vetustiorem suppeditauit bibliotheca clariss. Catharinæ Mediceæ reginæ Gallorum olim prudentissimæ. Deinde exemplar Sibyllarum ab Æmaro Ranconeto præside suo tempore doctissimo alicubi emendatum, quaternionem vnum m.s. & magni illius Ad. Turnebi emendationes in I. librum & partem secundi, Nic. Turnebus filius pâtre dignus liberaliter communicauit. Post ea multum nos iuuerunt Ioan. Aurati variæ lectiones in I. librum, quas partim ex ipso viuo excepti, partim ab Ant. Baysio accepi. Sed & Lactantiani codicis vetustiss. ope plurima loca emendata sunt, quem optimum sane vir opt. Cl. Puteanus ex sua biblioth. pro eâ quâ me solitus est prosequi humanitate lubenter concessit. Postremo viri nobiliss. & eruditissimi P. Delbernius & Aimerius Thuanus, ille Hermeram philosophum, hic procopium Græcos videndos dederunt, ex quibus elogia & fragmenta Sibyllarum nonnulla decerpta sunt.

Iustinus in admonitorio ad Græcos.

Perfacile autem vobis erit, rectam religionem ex parte aliqua: & ea quæ proxime ad prophetarum accedunt doctrinam, à veteri Sibylla ex afflatu quodam mirifico per sortes ac responsa vos docente percipere. Hanc Babylone ortam, Berosi, qui Chaldaicum historiam scripsit, filiam ad Campania eras nescio quomodo peruenisse ferant, vbi responsa dedit, in vrbe cui Cuma nomen est, sexto à Baiis (qui locus thermas Campanas habet) lapide. Vidimus sane ea in vrbe cum essemus, locum quendam, vbi basilicam ingentem vno fabrefactam saxo conspeximus, rem profecto maximam & admiratione omni dignissimam: vbi oracula eam edidisse, qui res patrias à maioribus suis quasi per manus traditas acceperant affirmabant. In media autem basilica nobis illi ostenderunt tria dolia ex eodem excisa lapide, quibus aquâ repletis lauisse ibi eam, & stola sumpta in penitissimam se basilica adem eodem extructam saxo abdere, atque in media eius adesuper sublimiore gradu & throno considere solitam, & sortes ad eum modum promulgasse dixerunt. Huius Sibyllæ tanquam fatidica cum permulti alij meminere scriptores, tum etiam Plato in Phadro. Mihi certe quidem is videtur, cum in illius vaticinia incidisset, vates diuinitate donasse. Videbat enim prædictiones eius ad rem conferri ac proinde admiratione ductus in libro ad Menonem fatidicos laudat, & ad verbum ita scribit: Rectè profecto diuinos eos appellauerimus, quot modo vocamus fatidicos & vates, nec minus hos etiam (in republica administratione versantes homines) quàm reliquos, atque insuper eos quoque dixerimus diuinos esse, atque numine instigari afflatos, nec non à Deo agitari attonitos, qui res multas & magnas rectè & verè dicunt, nihil eorum quæ loquantur intelligentes: manifestè & apertè ad carmina respiciens Sibylla. Huic enim haudquaquam, sicuti Poëtis, etiam postquam poëmata scripsere, facultas fuit corrigendi atque expoliendi responsa sua, iuxta exquisitionem numerorum & dimensionum carminis rationem: sed in ipso afflatus tempore sortes illa suas explebat: & euanescente instinctu ipso, simul quoque dictorum memoria euanuit. Atque hæc ipsa causa est, quamobrem non omnes carminis numeros Sibyllæ seruent oracula. Quin ipsi quoque, cum in vrbe ea essemus, indicibus, qui hospites ad ea quæ visenda sunt ducere solent, ostendentibus, qui nobis locum etiam in quibus illa est vaticinata commonstrarunt, vidimus loculum quendam ex ære elaboratum, vbi reliquias eius seruari dicebant. Insuper inter alia omnia quæ indices illi exposuerunt, illud quoque fuit: à maioribus se audiuisse, quod qui responsa ab oraculo excipiebant, quia tum ab eruditione alieni fuissent, multoties in accuratiore numerorum obseruatione errauerint: & proinde istam illi carminum quorundam inconcinnitatis attulerunt causam, quod cum vates ipsa mentis emotione et afflatu libera, dictorum suorum memoriam non retinuerit: tum qui oracula scripto mandabant, propter imperitiam numerorum obseruandorum accurata ratione exciderint. Quapropter Platonem in Sibyllæ oracula inuenientem, de vatibus hoc dixisse constat, ita scribentem: Cum multas magnasque res rectè & verè dicunt, nihil eorum quæ loquuntur intelligentes. Porro cum non in poëticis numeris, neque in ea quæ apud vos clara habetur eruditione, viri Græci, res veri cultus Dei sint sita, relicta deinceps carminum & orationum exquisita ratione, ad dicta Sibyllæ, citra contentionis studium, animum aduertentes, cognoscite tandem, quorum vobis illa bonorum futura sit conciliatrix, Seruatoris nostri Iesu Christi aduentum disertis verbis clare prædicens: Qui cum Dei sit Verbum, virtute ac potentia ab eo indiscretum, homine qui iuxta imaginem & similitudinem Dei conformatus est, assumpto, ad memoriam nos priscorum parentum nostrorum religionis reuocauit quam qui ex eis pregnati sunt, mortales relinquentes, inuidi dæmonis instinctu, ad eorum qui dicantur & non sunt, vtpote falsorum deorum, delapsi sunt cultum. Quod si vos addubitatio aliqua conturbat, quo minus creationem hominis credatis: eis duntaxat fidem habete, quorum vos auctoritatem sequi debere existimatis: ac scitote, oraculum vestrum à quopiam, vt hymnum & laudem omnipotentis ederet Dei, rogatum, sic illud in medio hymno cecinisse.

Quem primum finxit mortalē, dixit Adamum.

Atque hymnus hic multis qui mihi noti sunt asseruatur: ad eos coarguendos, qui omnium testificatione confirmata veritati credere nolunt. Itaque viri Græci, si falsam de eis qui non sunt, diis imaginationem salute vestra antiquiorem non habetis: credite, sicut dixi, antiquissimæ & priscæ admodum Sibyllæ, cuius libri in vniuerso extant orbe,

de eis qui dicuntur, non sunt autem, diis mirifico quodam præpotentis numinis afflatu fortibus vos datis docentes: de futuro autem Seruatoris nostri Iesu Christi aduentu, ac de rebus ab eo gerendis liquidò & apertè vaticinantes. Horum namque rerum cognitio pernecessaria fuerit, sacrorum virorum prædictiones antecedens præmeditatio. Denique si quis opinetur ab antiquissimis quibusque, sicuti apud vos nominati fuerunt, philosophis, de Deo discendam esse rationem, Acmonem is & Mercurium audiat: illum quidem in libris de eo suis, Deum ἀνώνυμον id est prorsus occultum nominantem: hunc verè clarè & manifestò dicentem, Deum intelligentia comprehendere difficile est, eloqui autem impossibile, ei quoque cui intelligentia illum nosse sit possibile. Vndequaque ergo & modis omnibus scire conuenit, nullo planè pacto aliter aut aliundè de Deo, vel de recta religione disci quidquam posse; quam in prophetis solis, qui diuina inspiratione afflati vos docent & instituunt.

Clemens Alexandrinus libro primo Stromat.

Heraclitus scribit, Sibylla non humanitus, sed diuinitus res futuras ostensas esse. Dicunt sane, Delphis apud curiam, ostendi petram quandam, in qua primum Sibylla, cum eo ex Helicone à Musis educata venisset, sedisse dicitur, nonnulli ex Malea venisse aiunt, Lamia ex Sidone filiam. Serapion autem neque mortuam desiisse vaticinari Sibyllam tradit: & quod post obitum in aërem abierit, sortibus & auguriis diuinare, è corpore autem in terram coniecto herbam, vt fieri solet, progressam esse: quam quæ in eis locis sunt pecudes depascentes, mortalibus in visceribus certam futurorum præmonstrant significationem. Et animam eius esse putant, quæ in luna apparet faciem. Et hæc de Sibyllis.

Item.

Neque vero Moses, solus, sed etiam Sibylla Orpheo antiquior est. Traditur enim & de nomine eius, & de oraculis quæ illi adscribuntur, quorum sunt complures libri: eamque fuisse Phrygiam nomine Dianam, quæ ad Delphos profecta sic cecinerit.

O Delphi, Phœbi ferientis qui eminus estis
Serui, veni ad vos Iouis expositura potentis
Mentem, in germanum cum sim bile percita
Phœbum.

Est autem alia quoque quæ vocatur Herophile Erythræa. Harum meminit Heraclides Ponticus in libro de Oraculis. Mitto Ægyptiam, & Italicam quæ Romæ habitauit. Carmen tale, cuius fuit filius Euander: qui Romæ templum Panis, quod Lupercal apellatur condidit.

Lactantius lib. 1. de falsa religione cap. VI.

M. Varro, quo nemo vnquam doctior, ne apud Græcos quidem, (nedum apud Latinos,) vixit, in libris rerum diuinarum, quos ad C. Cæsarem Pontificem maximum scripsit: cum de quindecim viris loqueretur, Sibyllinos libros ait non fuisse vnius Sibyllæ, sed appellari vno nomine Sibyllinos, quod omnes (feminæ) vates, Sibyllæ sint à veteribus nuncupatæ, vel ab vnius Delphidis nomine, vel à consiliis deorum enuntiandis: σιοὺς, enim deos, non θεοὺς, & consilium, non βουλὴν, sed βόλλαν, appellabant Æolico sermonis genere. Itaque inde Sibyllam dictam esse quasi θεοβούλην. Ceterum Sibyllas decem numero fuisse, eisque omnes enumerauit sub auctoribus, qui de singulis scriptitauerunt. Primam fuisse de Persis, cuius mentionem fecerit Nicanor, qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit. Secundam Libyssam, cuius meminerit Euripides in Lamiæ prologo. Tertiam Delphicam, de qua Chrysippus loquatur in eo libro quem de diuinatione composuit. Quartam Cimmeriam in Italia, quam Næuius in libris belli Punici, Piso in annalibus nominet. Quintam Erythræam, quam Apollodorus Erythræus adfirmet suam fuisse ciuem: eamque Graiis Ilium petentibus vaticinatam, & perituram esse Troiam, & Homerum mendacia scripturum. Sextam Samiam, de qua scribat Eratosthenes in antiquis annalibus Samiorum reperisse se scriptum. Septimam Cumanam nomine Amalthæam: quæ ab aliis Demophile, vel Herophile nominetur: eamque nouem libros attulisse ad regem Tarquinium Priscum, ac pro his trecentos philippeos postulasse, regemque aspernatum pretii magnitudinem derisisse mulieris insaniam: illam in conspectu regis tres combussisse, ac pro reliquis idem pretium poposcisse: Tarquinium multo magis insanire mulierem putauisse. Quæ denuo tribus aliis exustis, cum in eodem pretio perseueraret, motum esse regem, ac residuos trecentis aureis emisse: quorum postea numerus sit auctus, Capitolio refecto, quibus ex omnibus ciuitatib. et Italicis et Græcis, præcipueque Erythræis coacti, allatique sunt Romam, cuiuscumque Sibyllæ nomine fuerunt. Octauam, Hellespontiam in agro Troiano natam, vico Marpesso, circa oppidum Gergithium: quam scribat Heraclides Ponticus Solonis & Cyri temporibus fuisse. Nonam Phrygiam, quæ vaticinata sit Ancyræ. Decimam Tiburtem, nomine Albuneam, quæ Tiburi colatur vt dea iuxta ripas amnis Anienis: cuius in gurgite simulachrum eius inuentum esse dicitur, tenens in manu librum: (cuius sacra senatus in Capitolium transtulerit.) Harum omnium Sibyllarum carmina et feruntur, & habentur, præterquam Cumææ, cuius libri à Romanis occultantur: nec eos ab vllo nisi à Quindecim viris, inspici fas habent. Et sunt singularum singuli libri: qui quia Sibyllæ nomine inscribuntur, vnius esse creduntur: suntque confusi, nec discerni, ac suum cuique assignari potest, nisi Erythrææ, quæ & nomen suum verum carmini inseruit, & Erythræam se nominat vbi prælocuta est, cum esset orta Babylone: sed & nos confuse Sibyllam dicemus, sicubi testimoniis earum fuerit abutendum. Omnes igitur hæ Sibyllæ vnum Deum prædicant, maxime tamen Erythræa: quæ celebrior inter ceteras ac nobilior habetur: siquidem Fenestella diligentissimus scriptor de XV. viris dicens, ait: Restituto Capitolio retulisse ad Senatum C. Curionem cos; vt legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquisita Romam deportarent: itaque missos esse P. Gabinium, M. Octacilium, L. Valerium: qui descriptos à priuatis versus circa mille Romam deportarunt. Idem supra ostendimus dixisse Varronem.

Idem lib. de ira, cap. XXII.

Sibyllas multas fuisse plurimi & maximi auctores tradiderunt: Græcorum, Aristonicus & Apollodorus Erythræus: nostrorum, Varro & Fenestella. Hi omnes præcipuam & nobilem præter ceteras Erythræam fuisse commemorant. Apollodorus quidem vt de ciui ac populari sua gloriatur. Fenestella vero etiam legatos Erythras à Senatu esse missos refert, vt huius Sibyllæ carmina Romam deportarentur, & ea consules Curio & Octauius in Capitolio, quod tunc erat, curante Q. Catulo restitutum, ponenda curarent.

Ambrosius comment. in epist. 1. Ad Corinth. cap. 11.

Spiritus mundi hic est per quem arripiuntur fanatici, qui sine Deo sunt; est enim inter mundanos spiritus potior: vnde solet coniecturis quæ mundi sunt diuinare, quem Pythonem appellant. Hic est qui per verisimilia fallitur & fallit: hic est qui per Sibyllam locutus est, sensum nostrum secutus, locum volens inter cælestes habere.

Hieronymus aduersus Iouinianum lib. 1.

Quid referam Sibyllas Erythræam atque Cumanam & octo reliquas? (nam Varro decem fuisse autumat) quarum insigne virginitas est, & virginitatis præmium diuinatio? Quod si Æolico genere sermonis Sibylla θεοβούλη appellatur: recte consilium Dei sola scribitur nosse virginitas.

Idem in chronicis.

Sub Romulo *agnoscitur Sibylla Erithraa.*

Item.

Sibylla Samia qua Herophila appellabatur, in Samo insignis habetur, tempore Numæ Pompilij.

Et statim.

Sibylla qua & Herophila, in Samo nobilis habetur: sub Tullo Hostilio.

August. lib. XVIII. cap. XXIV.

Numâ regnante Roma, & apud Hebraos initio regni Manasse, à quo impio rege propheta Esaias perhibetur occisus, Samiam fuisse Sibyllam ferunt.

Idem Augustinus lib. XVIII. de ciuitate Dei cap. XXIII.

Romuli tempore nonnulli Erythraam vaticinatam ferunt. Sibyllas autem Varro prodidit plures fuisse, non vnam. Hac sane Erythraa Sibylla quadam de Christo manifesta conscripsit, qua etiam nos in Latina lingua versibus male Latinis & non stantibus legimus, per nescio cuius interpretis imperitiam, sicut post cognouimus. Nam vir clarissimus Flaccianus, qui etiam proconsul fuit, homo facillima facundia, multaque doctrina, cum de Christo colloqueremur, Gracum nobis codicem protulit, carmina esse dicens Sibylla Erithraa, &c.

Et mox.

Nonnulli sanè Erythraam Sibyllam non Romuli, sed belli Troiani tempore fuisse scripserunt.

Idem lib. XIII. contra Faustum Manichæum cap. XV.

Sibylla porro, vel Sibylla, & Orpheus, & nescio quis Homerus, & si qui alij vates vel theologi, vel sapientes, vel philosophi gentium de filio Dei, aut de patre Deo vera pradixisse seu dixisse perhibentur: valet quidem aliquid ad paganorum vanitatem reuincendam, non tamen ad istorum auctoritatem amplectendam, cum illum Deum nos colere ostendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui suos congentiles populos, idola & damonia colenda partim docere ausi sunt, partim prohibere ausi non sunt.

Rutilius Claud. Numatianus itinerarij lib. II.

Nec tantum Geticis grassatus proditor armis: Ante Sibyllina fata cremauit opus.

Ammianus Marcellinus lib. XXI.

Aperiunt nunc quoque ventura quum astuant hominum corda, sed loquuntur diuina. Sol enim (vt aiunt physici) mens mundi, nostras mentes ex sese velut scintillas diffundens, quum eas incenderit vehementius, futuri conscias reddit. Vnde Sibylla crebro se dicunt ardere, torrente vi magna flammarum.

Martianus Capella lib. II. de nuptiis philologiæ.

Alij quoque huius generis homines in diuinandi vsum & prascientiam procreati, vt Carmentis in Arcadia, ab effuso per vaticinia carmine memorata. Sibylla, vel Erythrea, queque Cumana est, vel Phrygia: quas non decem vt asserunt, sed duas fuisse non nescis, id est, Erophilam Troianam Marmensi filiam, & Symmachiam Hippotensis filiam, qua Erythrea progenita, etiam Cumis est vaticinata.

Donatus in III. Æneid. Virgilij.

Insanam dixit vatem, plenam numinis.

Sedemque odere Sybillæ] *Morem dixit Sibylla, & quo in loco sit, & quo ordine singulorum desideriis respondeat. Sumit, inquit, folia: illic responsa conscribit, ordinat, & dimittit: veniunt homines, considerant folia, & futura cognoscunt. Sed hoc habet mos ipse contrarium, quippe si ventus impleuerit fores, & ordinationem foliorum turbauerit, pereunt consulta, & dubij remeant, qui instructi fuerant redituri.*

Seruius in IV. eclog. Virgilij.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas] *Sibylla qua Cumana fuit, & sacla per metalla diuisit: dixit etiam, quis quo saculo imperaret: & Solem vltimum, id est decimum, voluit. Nouimus autem eundem esse Apollinem, vnde dicit: Tuus iam regnat Apollo.*

Idem in III. Æneid. Virg.

Insanam vatem alij magnam dicunt: quia duo genera vaticinandi sunt, aut simplex, vt Helenus; aut per furorem, vt Sibylla, quia vates à vi mentis appellatos Varro auctor est. Sed melius est Deo plenam & vaticinatricem intelligamus, à Gracorum tractum etymologia, μάντεις ἀπὸ τῆς μανίας appellauerunt, nam supra sensus humanos intelligentia, furor & insania dicitur, teste Cicerone lib. de diuinatione. Huic prastantissima rei nomen nostris à diuis, Graci (vt Plato interpretatur) à furore dixerunt, prorsus furoris diuinationem Sibyllinis maximè versibus contineri arbitrati.

Item.

Tribus modis futura pradicit; aut voce, aut scriptura aut signis: id est quibusdam notis, vt in obelisco Roma videmus. Vel vt alij dicunt, notis litterarum, vt per vnam litteram significet aliquid. In foliis autem palmarum Sibyllam scribere solere, Varro testatur.

Carmina virgo] *Quia eius responsa versibus scribebantur. Virgo vero Phemonoe dicta est: nam Sibylla appellatiuum nomē est omnium vaticinantium, adeo vt Varro quot Sibylla fuerint, scripserit. Sibylla autem dicitur omnis puella, cuius pectus numen recipit: nam Æoli σιοὺς dicunt deos, βουλὴ autem est sententia. Ergo σιοβύλλας quasi σιῶ βουλὰς dixerunt. Inde est, Magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates. Sane sciendum, omnia responsa Sibylla plus minusve centum contineri sermonibus: vnde Vergilius ait, Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum, Vnde ruunt totidem voces responsa Sibylla.*

Idem in VI. Æneid.

Bene autem Sibylla quid sit, expressit, Magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates. Nam, vt supra diximus, Sibylla dicta est quasi σιῶ βουλὴ, id est Dei sententia. Æolici enim σιοὺς deos dicunt.

Item.

Deiphobe Glauci] *Subaudi filia, & est proprium nomen Sibylla: multa enim fuerunt, vt supra diximus in tertio, quas omnes Varro in libris Rerum diuinarum commemorat, & requirit à qua sint fata Romana conscripta, & multi sequentes Vergilium, ab hac Cumana dicunt, qua licet longaua dicatur: non tamen valde congruit eam vsque ad Tarquinij tempora durasse, cui libros Sibyllinos constat esse oblatos. Dicit tamen Varro Erythraam creditum scripsisse, quia post incensum Apollinis templum in quo fuerant libri, apud Erythraam insulam ipsa inuenta sunt carmina.*

Ibidem.

Longæua sacerdos] *Sibylla. Hanc Apollo pio amore dilexit, & ei obtulit poscendi quod vellet arbitrium. Illa hausit arenam manibus, & longam vitam poposcit. Cui Apollo respondit, id posse fieri, si Erythraam insulam, in qua habitabat, relinqueret, & eam nunquam videret. Profecta igitur Cumas tenuit, & illic defecta corporis viribus, vitam in sola voce retinuit. Quod cum ciues eius cognouissent, siue inuidia, siue miseratione commoti, ei epistolam miserunt, creta antiquo more signatam: qua visâ terrâ (nam erat de eius insula) in mortem resoluta est. Vnde nonnulli dicunt, hanc esse qua Romana fata scripsit: quod incenso Apollinis templo inde Romam allati sunt libri, vnde hæc fuerat.*

Isidorus cap. VIII. lib. VIII. orig.

Sibyllæ generaliter dicuntur omnes feminæ vates lingua Græca. Nam σιὸς Æolico sermone Deum, βουλὴν Græci mentem nuncupant, quasi Dei mentem. Proinde igitur, quia diuinam voluntatem hominibus interpretari solebant, Sibyllæ nominatæ sunt, sicut enim omnis vir prophetans vel vates dicitur, vel propheta: ita omnis femina prophetans Sibylla vocatur. Quod nomen ex officio, non ex proprietate vocabuli est. Decem autem Sibyllæ à doctissimis auctoribus traduntur fuisse: quarum prima de Persis fuit: secunda Libyca: tertia Delphica in templo Delphici Apollinis genita, quæ ante Troiana bella vaticinata est, cuius plurimos versus operi suo Homerus inseruit: quarta Cimmeria in Italia: quinta Erythræa nomine Erophyla in Babylone orta, quæ Græcis Ilium petentibus vaticinata est perituram esse Troiam, & Homerum mendacia scripturum. Dicta autem Erythræa, quia in eadem insula, eius inuenta sunt carmina. Sexta Samia, quæ Samonote dicta est à Samo insula, vnde fuit cognominata. Septima Cumana nomine Amalthea, quæ nouem libros attulit Tarquinio Prisco, in quibus erant decreta Romana conscripta. Ipsa est & Cumæa, de qua Virgilius, Vltima Cumæi venit iam carminis ætas. Dicta autem Cumana à ciuitate Cumis quæ est in Campania, cuius sepulchrum in Sicilia adhuc manet. Octaua Hellespontia in agro Troiano nata, quæ scribitur Solonis & Cyri fuisse temporibus. Nona Phrygia, quæ vaticinata est Ancyræ: decima Tiburtina nomine Albunea. Quarum omnium carmina efferuntur: in quibus de Deo & de Christo, & gentibus multa scripsisse manifestissime comprobantur. Celebrior autem inter ceteras ac nobilior Erythræa perhibetur.

MARCI ANTIMACHI

Præfatio in Sibyllina Oracula,

SI GRÆCORVM scriptorum lectio multum affert vtilitatem, quippe quod multarum rerum peritos efficiat eos qui circa ea elaborant: multo magis conuenit eos qui sapiunt, assiduam operam nauare diuinis litteris, in quibus de Deo & de iis quæ ad hominis salutem pertineant, agatur: cum hinc geminum lucrum consequantur, quo & seipsos & alios iuuare possunt. Hac de causa visum est mihi, de Sibyllinis oraculis (in quibus ea quæ dixi continentur) summatim & in vniuersum disserere (quoniam ea alioqui sparsa extant, atque confusa) vt lectoribus ad intelligendum faciliora sint, atque ita faciliorem eis vtilitatem pariant: declarant enim non pauca necessaria atque vtilia, & excellentius magisque varium opus efficiunt. Nam & de patre, filio, & spiritu sancto (quæ diuina est, auctorque vitæ trinitas) apertè loquuntur: itemque de acta in carne vita domini Deique & seruatoris nostri IESV CHRISTI, videlicet de eius ex alma virgine generatione, de morborum sanationibus: itemque de viuifico eius supplicio, de resurrectione à mortuis post triduum, & de futuro iudicio, ac remuneratione eorum quæ nostrum quisque fecerit in hac vita. Præterea quæ in Mosaicis scriptis vatumque libris habentur, deque mundi creatione, hominis formatione, & ex paradiso eiectione, & porro recreatione: de his inquam rebus explicatè scribitur in his oraculis; in iisque & præterita dicuntur, & futura variè prænuntiantur; atque, vt simpliciter dicam, lectores non parum iuuare possunt.

Fuerunt autem Sibyllæ (vt multi scripserunt) diuersis & locis & temporibus, numero; decem estque huius verbi ea notio, vt sit idem Sibylla, quod vates; vnde vno nomine, fœminæ vates appellatæ sunt. Prima fuit Chaldæa, siue Persica, quæ proprio nomine Sambetha est nuncupata de genere beati Noe: quæ quidem Alexandri Macedonis gesta prædixisse fertur; facitque eius mentionem Nicanor, qui vitam conscripsit Alexandri. Secunda Sibylla fuit Libyssa, cuius meminit Euripides in Prologo Lamiæ. Tertia Delphica, quæ Delphis nata est: de qua locutus est Chrysippus in libro de Diuinitate. Quarta fuit Italica, in finibus Italiæ: cuius filius fuit Euander, is qui Romæ Panis fanum Lupercum appellatum condidit. Quinta Erythræa, ea quæ Troianum bellum prædixit, de qua Apollodorus Erythræus asseuerat. Sexta Samia, quæ proprio nomine vocatur Phyto, de qua scripsit Eratosthenes. Septima Cumæa, quæ dicitur Amalthea, eamdemque Erophila, à nonnullis Taraxandra. Virgilius Cumæam Deiphoben appellat, Glauci filiam. Octaua Hellespontia, nata in pago Marmiso, apud oppidulum Gergitium, quod fuit olim in finibus Troadis, temporibus Solonis & Cyri, sicuti scripsit Heraclides Ponticus. Nona Phrygia. Decima Tiburtina, nomine Albunæa. Tradunt, Cumæam attulisse oraculorum suorum libros nouem Tarquinio Prisco, qui tum Romæ regnabat, & pro iis trecentos Philippeos petiisse. Cumque contempta fuisset, & ne quidem interrogata, quæ nam essent quæ in illis continerentur, cremauit igni tres ex illis libris. Ac rursus in alio congressu regi sex libros obtulit, idem precium postulans. Cumque rursum despectui habita fuisset, combussit alios tres. Deinde tertio reliquos tres afferens, regem adit, idem pretium petens: seque eos quoque crematuram dicens, nisi ille emisset. Tunc rex illos legit: & admiratus, dedit pro eis centum Philippeos, eosque abstulit. Interrogauit etiam de aliis. Illa renunciauit se neque habere similes eorum qui combusti fuissent: neque quicquam earum rerum scire sine diuina permotione; nonnunquam etiam nonnullos ex diuersis vrbibus & locis excepisse, quæ ipsis necessaria & conducibilia videbantur, ea esse colligenda: id quod etiam quamprimum factum est. Quod enim vere diuinitus datum erat, id in abdito positum non latuit. Omnium autem Sibyllarum libri repositi fuerunt in Capitolio priscæ Romæ, Cumææ Sibyllæ libris abditis, nec in vulgus prolatis: quoniam quæ in Italia euentura forent, ea ibi magis propriè & apertè efferentur. Alij fuerunt omnibus cogniti. Sed qui Erythrææ inscribuntur, habent hoc à loco nomen, à quo loco fuit ipsa nuncupata. Alij titulum auctoris non habent, sed indistincti sunt. Firmianus quidem, qui fuit non vulgaris philosophus & sacerdos illius quod dixi Capitolij, in Christum æternum lumen nostrum intuitus in suis operibus exposuit Sibyllarum dicta de ineffabili gloria errorisque Græcæ imperitiam validè confutauit, oratione Latina ille quidem, sed Sibyllinis versibus Græca lingua citatis. Ac ne cui hoc falsum videatur, eius testimonium adducam, quod sic habet. Enimuero quæ apud nos extant Sibyllina, ea non solum tanquam vilia contemnuntur ab iis qui Græca supra modum suspiciunt (quoniam quæ rara sunt, preciosa videntur) verumetiam quia non omnes versus retinent numerorum exactos modos, minus fidei inueniunt. In causa sunt notarij, qui sermonis rapiditatem assequi nequiuerint, aut etiam indocti fuerint: non ipsius vatis; cuius vna cum inspiratione, cessaret effatorum recordatio. Atque hanc ob causam dixit Plato, vates multas magnasque res componere, nihil scientes eorum

Gellius lib. 1. cap. 9.

Hunc locum quia in Lactãtio non inuenimus, de Græco Antimachi conuertimus.

quæ dicant. Nos igitur ex iis quæ Romam à legatis allata sunt, quæ poterimus adducemus. Igitur de Deo, qui principio careat, sic effata est.

SIBYLLINA ORACVLA.

PROOEMIVM

Ex Theophilo ad Autolycum.

Sibylla, quæ cum apud cæteras nationes, tum apud Græcos fuit vates, in principio suæ vaticinationis, hominum genus ita obiurgat:

MORTALES homines, vilissima corpora carnis,
Cur vos effertis, neque finem cernitis unis?
Non tremitis, summumque Deum (qui præsidet) status)
Non formidatis? qui conspicit omnia testis,
Creditor omnia qui nutrit, cunctisque suauem
Indidit afflatum, mortales qui regat omnes,
Vnus qui solus regnat Deus, atque supremus,
Omnipotens, nunquam genitus, qui conspicit ipse
Omnia, mortali non aspectabilis ulli.
Corporeis oculis etenim quis cernere verum,
Æternumque Deum possit, cælumque colentem
Cum neque splendentes radiantia lumina solis
Sustineant homines mortales cernere contra.
Hunc colite, hunc vnum, qui solus regnat in orbe,
Qui solus semperque fuit, semperque futurus,
Non genitus, per se constans, tenet omnia semper,
Et viget in cunctis mortalibus, atque vigorem
Sensibus insinuat, communis luminis author.

In hoc versu diminuti.

Præmia sed prauæ mentis digna accipietis:
Quandoquidem æternoque Deo, veroque relicto,
Cui decus & sacro debetur victima ritu,
Manibus infernis fecistis sacra superbi.
Insanique, via recta veraque relicta,
Erratis per ve[illegible] opulis & sentibus horrens.
Desinite in terris noctis turbare tenebris,
Vani mortales: noctisque nigrore relicto,
Vtimini (patet en cunctis errore sine vllo)
Solis luce, suo qui lumine cuncta serenat.
Atque hoc pectoribus sapienter noscite vestris:
Vnus, qui pluuias mittit, motusque, notosque,
Est Deus, atque fames, pestes, tristesque dolores.
Atque niues, glaciem sed quorsum singula pando?
Imperat & cælis, & terris præsidet. Ipse est.

De iis autem qui generati dicuntur, ait

Quod si progenitum est, prorsum interit: exque virili
Fæmineoque nequit membro Deus esse creatus.
Sed Deus est vnus solus, rerumque supremus,
Qui cælum, solem, stellas, lunamque creauit,
Frugiferam terram, pontique fluenta tumentis,
Siluosos montes, fontesque perenne scatentes,
Et sub aquis degens genus innumerabile gignit,
Quæque premunt terram serpentia corpora nutrit,
Et varias volucres, seu balbas, siue canoras,
Stridentes, teneras, sulcantes aëra pennis,
Et genus imposuit syluis agreste ferarum,
Subiecitque pecus nobis mortalibus omne,
Cunctorumque ducem fecit diuinitus ortum,
Subiecitque viro quæ vel comprendere non sit.
Nam quis hæc valeat mortalis noscere cuncta?
Ipse sed hæc solus nouit, qui condidit vna,
Auctor inextinctus, æternus, in æthere degens,
Et multo maiora bonis bona præmia reddens,
Iniustosque, malosque, ira pariterque coërcens,
Immittens bellum, pestem, tristesque dolores.
Stirpitus, o homines, cur insurgendo peritis?
Non pudet in diuos, feles & bruta referre?
An non est rabies, cæcaque insania mentis,
Taurros furantur diui prædantur & ollas,
Quosque poli sedes aureas habitare decebat,
Hos caries, densisque infestat aranea telis.
Serpentes colitis, stultis, felesque, canesque,
Et volucres, & quæ serpunt animalia terra,
Et fabricata manu simulacra, & saxea signa,
Et passim lapidum moles; hæc vanaque multa
Præterea colitis, quæ sunt turpissima dictu.
Talia sunt hominum stultorum numina falsa
Quorum mortiferum distillat ab ore venenum.
At cuius vita est, cuius lux illa perennis,
Lætitia vnde viris dimanat dulcior omni
Melle: isti ceruix omnis se subdere soli
Debet, quique piis ostendit quæ sit eundum
In vitam; his itaquam neglectis, insipienter
Ingentem, magnum calicem, plenumque meraco,
Pœnarum hausistis furiosis mentibus omne.
Nec sobrij vultis fuaque euadere mentis,
Et nouisse Deum regem, qui cuncta tuetur.
Propterea feruens ignis vos opprimet ardor,
Semper & in flammis turpes ardebitis, omne
Quandoquidem vanis statuis impenditis æuum.
At quibus æternus colitur Deus, atque perennis
Hi vitam degent quæ tempus in omne manebit,
Floriferos hortos paradisi semper habentes,
Et dulcem cæli panem stellantis edentes.

SIBYLLÆ LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM

De Deo principij experte.

VNVS, *Qui solus regnat Deus, vnus & idem,*
Non genitus, rerum summus, super omnia magnus,
Qui cælum, solem, stellas, lunamque creauit,
Frugiferam terram, pontique fluenta tumentis:
Qui solus Deus est, incomprensusque creator.
Hic hominum formam & speciem construxit, & idem
Viuentem generis naturam miscuit omnem.

NARRATIO.

A*Ggredior primo generis mortalis ab æuo,*
Vsque ad supremum diuine pandere cuncta:
Quæ fuerint mundo, quæ sint, quæ deinde sequantur
Ob scelus humanum. Primum, quænam sit origo
Mundi, dicere me Deus imperat. Ergo scienter
Ne mea mortalis temnas præcepta caueto.

Mundi creatio.

**Supremum regem, qui mundum condidit omnem,*
Sic fatus, fiat: factumque est; namque locauit
Quæ cingatur aquis, & cingat tartara, terram:
Dulce dedit lumen: cælum subuexit in altum:
Et mare cæruleum explicuit: cælumque renidens
Astrorum clara cinxit densaque corona:
Et terram ornauit plantis: & flumina ponto
Indidit infundens: & miscuit aëre ventos,
Et pluuias nubes. Aliud genus edidit inde,
Et commisit aquis pisces, ventisque volucres,
Atque feras syluis hirsutas, atque dracones
Serpentes: breuiter, quæ nunc cernuntur vbique,
Hæc fecit verbo, & sunt protinus omnia facta,
Et plane: siquidem per se parit ipse sua vi.

Hominis creatio.

Cælum despiciens perfecto denique mundo,
Rursum finxit opus spirabile. namque recentem
Expressit, propria ducens ab imagine, pulchrum,
Præstantemque virum, & viridaria iussit amœna
Incolere, vt studijs operam nauaret honestis,
Verum cum solus viridantibus esset in hortis,
Colloquium optabat, proprioque videre volebat
Consimiles vultus. igitur Deus ipsius, eius
Ereptam lateri, formosam condidit Euam:
Uxoremque viro propriam coniunxit, vt vna
Degeret. hanc simulac vidit, proprieque notauit

Exemplar

Exemplar formæ, stupit simul, atque recentem
Hausit lætitiam: tum doctè fariet iussit,
Verbis sponte sua manantibus, omnia quando
Curabat Deus.

Desunt Adami verba.

Nam neque velabat mentem laxata libido,
Nec pudor vllus erat: sed praua mente carebant,
Luce palam vulgo coëuntes, more ferarum.
Illis deinde Deus tradens præcepta, cauendum

Serpens.

Arboris ostendit gustu, sed pessimus illos
Decepit vafrè serpens, vt mortis abirent
In fatum, scirentque bonumque malumque quid esset.
Sed mulier primo proditrix extitit illi,
Quæ dedit, ignoraque rei peccare suasit.
Ille quidem audita persuasus coniuge, patrem
Æternum oblitus, spreuit clarissima iussa.
Hoc ergo peperere sibi mala, non bona, facto.
Ac tum mellitæ ficus foliis contextis
Vestes fecerunt, quibus obtexêre pudenda
Impositis inter sese; cogente pudore.
At pater æternus facto succensuit illo,
Deiecitque loco immortali, quatenus æquum
Degere mortali fuit in regione, rebelles
Contra immortalis magni præcepta parentis.
Qui simul egressi terram tetigere parentem,
Et gemitu & lachrymis perfundebantur, & inde
Immortalis eos Deus est affatier ersus:
Crescite multiplici numero, terramque per artem
Exercete, cibos alimentaque desudantes.
Sic ait, & fraudis serpentem qui fuit autor,
In latus & ventrem, terram calcare coëgit,
Acriter exactum: capitaleque conciliauit
Inter eos odium, quare hic caput, ille tuetur
Calcem: quandoquidem mortis discrimen vtrosque
Vrget, mortalesque, veneniferosque malignos.

Ætas prima.

Tum genus humanum, sicut mandauerat ipse
Omnipotens, magno numero crescebat, & amplus

Artium inuentores.

Fiebat populus, tunc scite tecta, domosque
Diuersas alij cœperunt ædificare:
Vrbes & muros alij, queis, longa dabantur
Tempora viuendi: nec enim non sollicitudo
Mortem conflabat: placidoque simillima somno
Mors obrepebat, felices, magnanimique,
Quos Deus æternus rex & seruator amauit.
Sed tamen hos etiam peccandi amentia cepit.
Ridebant patres, & matres dedecorabant
Turpiter, & notos non norant, fratribus ipsis
Insidiabantur, Peruersi, sanguine pleni
Humano, neque non crudeles bella gerebant.
Exitium sed idem diuinitus abstulit illos
De cælo tactos, aut dura morte peremptos
Quos Orcus cepit, qui Graijs nomine dictus
Est ἅδης quòd eo primus descenderit Adam,
Vita defunctus quando est tellure repostus.
Hinc homines quotquot fuerint telluris alumni,
Infernas Orci sedes dicuntur adire.
Et tamen hi (quamuis omnes acceperit Orcus)
Ad primos primi generis referuntur honores.

II. ætas.

His terra tectis, hominum genus inde secundum
Extitit ex reliquis, cui non certauerit vllum
Iustitia, fuit his, diuersis cura studere
Rebus, & egregiis studiis, pulchroque pudori,
Et disciplinis variis: artesque colebant
Omne genus, mentis quas extundebat acumen,
Hic terram docuit colere: ille fabrilia primus
Inuenit: quidam torrentia flumina tranat.
Sidera suspectant alij volucrumque feruntur
Auguriis: alij medicam, magicamve sequuntur
Quisque suo indulgent studio, curaque: vocati
Rite repertores vigiles: hoc nomen adepti,
Mentis inexaustæ quod erant, & mole stupenda
Membrorum, facie proceraque, horribilique
Hi quoque tartareas ædes subiere tremendas,
Infractis vinclis seruati, suppliciumque
Ignis inextincti iussi perferre gehennæ.

III. ætas.

Tertia stirps hominum post illos deinde secuta est,
Sanior, & factis nimium tumefacta superbis,
Qui mala multa sibi per sese consiliantes,
Cædibus assiduis acie pugnaque peribant
In domitis animis. Quorum de sanguine nata est
Posterior soboles temeraria, cæde cruenta.
Hoc quartum genus est hominum, qui sanguine multo
Immaduere, Deique hominumque timore sepulto.
Infantes etenim stimulis credulæ furebant
Sæuitia, dira parentes impietati.
Atque hos bella quidem, cædesque & prælia dira
Demisère Erebo (dictu miserabile factum)
Infandos homines, quos tandem percitus ira
Cælestis Deus, ipse suo detrusit ab orbe,
Clausos tartareis claustris, tellure sub ima.

V. ætas

Postremo longe peiorem condidit atque
Plane illaudatam stirpem Deus, atque malorum
Artificem, multo illis intolerabiliorem:
Scilicet horrendos, fautos infanda, gigantes.
Inter eos omnes vnus iustissimus, atque
Verax, Noe fuit, fidusque, & rebus honestis
Addictus, cælo cui sic Deus inquit ab alto:
Collige Noe tuas vires, populosque moneto
Omnes, vt mores mutent, seruentur vt omnes.
Quod si non curent (vt mens est læua malorum)
Omne genus perdam, illuuiem molitus aquarum.
Tu propero fabricare domum, durabile cuius
Non bibat humorem lignum. dabo mentis acumen,
Artem, mensuram, spacium; mihi cura salutis
Summa tuæ fuerit: fuerit mihi cura tuorum.
Porro ego sum, qui sum, (memori quod mente teneto)
Cælum, vestitum præbet mihi, pontus amictum
Terra, mihi fulcitque pedes, & corpus amicit:
Aër, astrorumque chorus me circuit omnem.

Ænigma de Dei nomine.

Sunt elementa nouem mihi, sum tetrasyllabus autem
(Percipe me) prima tres syllabæ efficiuntur
Ex binis omnes elementis: cætera restant
In reliquis: quorum sunt non vocalia quæque.
Totius numeri bis sunt hecatontados octo,
Et ter tres decades, cum septem. Si scieris me,
Non te, quæ potior, sapientia dia latebit.
Sic ait; ast illum audito tremor occupat ingens.
Ac tum pendenti moliens singula mente,
Hortari populos, & verbis talia fari,

Noë admonitio.

Perfidiosi homines, quæ vos dementia cepit?
Quæ facitis, Deus haud ignorat namque salutis
Autor inextinctæ videt omnia, & omnia nouit:
Qui mihi iussit, vti vobis hæc dicta referrem,
Exitio ne sit demens socordia vobis.
Discite iustitiam, vitiis absistite, neve
Inter vos animis odia exercete cruentis,
Humano late tingentes sanguine terram.
Immensum, inuictum numen, rerumque parentem,
Cui domus excelso cælo manet alta, timete
Mortales, & eum cuncti placate (benignus
Audiet) vt viues, vt totum denique mundum,
Quadrupedumque gedus seruet, volucrumque secundus.
Tempus erit, quando totus delebitur vndis
Orbis & humanum genus (heu horrete minantem)
Et subito vobis totus turbabitur aër,
De cæloque Dei magni vos opprimet ira.
Tempus erit certe, cum magni numinis ira
Sæuiet in terras, nisi vos placabitis illam,
Et vita mores iam nunc mutabitis acta,
Vt nulla cuiquam deinceps iniuria fiat,
Sancta sed & cunctis innoxia vita colatur,
Sic ait; ast illi vulgo ridere monentem,
Dicereque insanum, dementatumque furore.
Tunc iterum tales effatur Noe loquelas:
O miseri, mentis praua, mutabile vulgus,
Quos iuuat extincto vitam fœdare pudore,
Raptores, violenti, importunique tyranni.
Mendaces, praui studiosi, perfidiosi,
Detrectatores, mœchi, scelerata ferentes,
Nil formidantes supremi numinis iram,
Qui vos ad quintas pœnas iam destinat æui.

Non fletis passim, duri? ridetis, inepti?
Sardonium risum ridebitis, horrida quando,
Quam dico, torrensque Dei vos opprimet unda,
Tuna cum per terras sacrum genus unda nouabit,
Stirps æterna, locis nunquam sitientibus orta,
Funditus & prorsum noctu delebitur una.
Cumque viris vrbes terra Neptunus ab antris
Diruet exagitans, concussaque mœnia rumpet.
Et tunc immensus mundus, cunctique peribunt
Mortales: at ego quantum plorabo gemamque,
Inclusus ligno? lachrymas miscebo quot vndis?
Hac etenim mandante Deo si venerit vnda,
Nabit humus, nabunt montes, innabit & arbor,
Omnia pontus erit, corrumpet & omnia pontus.
Verum sistentur venti, venietque secunda
Ætas. O Phrygia, à summis tu vertice prima
Emerges vndis: hominum tu prima renascens
Educes genus, & censebere maxima nutrix.

Sed postquam frustra sceleratos commonefecit,
Summus ei apparens iterato talibus infit:

Deus iubet Noë intrare in arcã.

Tandem tempus adest, quo fiant omnia, Noë,
Quæ tibi promittens aliquando futura monebam.
Omnia sunt (homines vnquam quascunque rebelles
Ausi sunt fraudes) vna plectenda ruina.
Sed tu cum natis, & coniuge protinus intra,
Et nuribus, necnon quæcunque coire iubebo
Serpentum genera, & pecudum, volucrumque vocato.
His ego deinde, quibus vitam concessero cunque,
Iniciam mentem, ne quid cunctentur adesse.
Sic ait. ille autem clamorem sustulit altum,
Intrauitque: debinc coniux, natique, nurusque,
Lignea tecta domus subierunt: cætera deinde
Adsunt omnia, quæ Deus asseruare volebat.

Ast vbi conueniens firmauit opercula clauis,
Missa per obliquum, quæ sedes apta dabatur:

Diluuium.

Tum Deus vt voluit cœlestis nubila cogit,
Igniuomque globum solis caligine condit,
Nec non cum stellis lunam, cœlique coronam,
Omnibus obductis, mortalia pectora terret,
Horrendum increpitans, ardentia fulmina mittens,
Omnibus excitis ventis, soluuntur aquarum
Venæ omnes, magni patefiunt commata cœli,
Et terræ latebra, indefessique fluenta
Oceani refluunt, & vasto gurgite tellus
Quanta patet tegitur, penitus superantibus vndis.
At domus interea nimbis diuina natabat,
Fluctibus & ventis circumsona, terribilesque
Costis excipiens ictus: multasque carina
Mota secabat, aqua rauco cum murmure, spumas.

Sed postquam pluuiis totum Deus eluit orbem,
Tunc animo cupiens (nam sic Deus ipse volebat)
Cernere Noë foras, emersit ab æquore Nerei.
Continuoque domus tectum, quod ligneus apta
Arctabat paries iunctum compage, recludit.
Tunc oculos cœli partes conuersus in omnes,
Cunctasub æquoribus longe lateque teneri
Vt videt, vt magno pulsantur corda timore,
Dum nihil apparet, tristis nisi mortis imago.
Tunc aër paulum diductus (namque diebus
Lassus erat multis, totum dum proluit orbem)
Flammiferum cœli fusum pallore cruento
Ostendit, fessumque orbem, tum Noë timore
Vix posito, sola permisit abire columba,
Sciret vt an tellus vsquam detecta pateret.
Illa leuis postquam lustrauit cuncta volatu.
Alas fessa redit: nec enim defluxerat altum
Æquor adhuc, quando repleuerat omnia late.
Ille dies aliquot mansit, rursumque columbam
Eiicit, vt discat num vastum cesserit æquor.
Illa leues pennas alternat: uectaque terram
Humentem corpus paulum defessa quieuit:
Post ad Noë redit; ramum frondentis oliuæ
Ore ferens, terra certissima signa reperta.
Hic cunctis pulso multum gaudere timore,
Terram sperantes visuros. ille deinde
Continuo laxat volucrem nigrantibus alis:
Illa leues auras pennis vibrata secabat,
Et terra inuenta, reditus secura remansit.
Tunc existere humum cognouit Noë propinquam.
Hinc vbi diuinæ trabs huc illucque natauit,
Murmure cum rauco ponti iactata fluentis,
Appulit exiguæ terræ, tandemque quieuit.
Assurgit Phrygiæ mons quidam in finibus atræ,
Arduus, alta petens, Ararat quem nomine dicunt,
Quod fatale fuit illic euadere cunctis,
Optataque frui tandem charaque salute:
Fluminis vnde alti Marsyæ manat origo.
Huius in excelso postquam cessantibus vndis
Constitit arca iugo, tunc illi rursus ab alto
Ingens immensi vox est audita Tonantis:

Deus Noam exire iubet ex arca.

Noë fidelis, amans æqui, seruate periclis,
Egredere audenter, nec non cum coniuge nati,
Cumque tribus nuribus, terramque replete patentem,
Multiplici numero crescentes, iustitiamque
Tradentes natis natorum, donec in omnes
Iudicium detur mortales: namque subibunt
Iudicium cuncti: sic vox diuina locuta est.

Ille suo nihil addubitans exire cubili,
Ingreditur terram: nec non natique, nurusque,
Et coniux, nec non serpentes, atque volucres,
Quadrupedum pecudumque genus, tum cætera cuncta,
Egressi pariter liquerunt lignea tecta.
Noë igitur cunctos homines iustissimus inter,
Exiit octauus, vicenos cum bis, & vnum
Complesset soles (Deus ipse volebat) in vndis.

vi. ætas

Hinc noua progenies, hinc ætas aurea prima
Exorta est hominum, quæ venit in ordine sexta,
Optima post homines natos, & nomine fertur
Cœlestis, quod eam cura Deus vnus habebit.

O æui sexti stirps prima, ô gaudia magna,
Quod sortita fui, postquam discrimina mortis
Effugi, iactata mea cum coniuge multum,
Necnon cum leuiris glosses, socerroque socruque.
Nunc autem varium florem laudabo futurum,
In saca ficus.* diuidet autem
Imperium regni tempus,*
Sceptriferum accipiet; nam tres iustissima reges
Pectora magnanimi, diuisis partibus æquis
Tempore longinquo regnabunt, iuraque tradent
Illis, queis studio labor est, laudandaque facta.
Terraque sponte sua læto feret vbere fruges,
Spicarumque suos reditu saturabit alumnos.
Non illi spatio canescent temporis vllo:
Sed tristi semper morborum peste carentes,
Oppressi somno decedent, inque profunda
Deuenient Acherontis, vbi nec honore carebunt:
Quippe beatorum felix genus, optima quorum
Mens fuerit dono Sabaoth, qui semper in omni
Illis consilio dederit facienda secundus.
Atque hi fœlices, etiam cum ceperit illos
Orcus, erunt. Hominum surget genus inde secundum,
Ingens, horrendum, Titanum terrigenarum:
Quis eadem facies, eadem natura, modusque
Corporis, & species, & vox erit omnibus vna,
Pectora quæ primo Deus inspirauit ab ortu.
Hi vero (tantum præcordia vana tumebunt)
Constituent tandem, properantes perdere sese,
Illato bello stellatum inuadere cœlum.
Tunc in eos vndans insano gurgite magnus
Effluet Oceanus. Sabaoth sed maximus illum
Reprimet indignans: nec enim disperdere rursus
Peruersos homines immissis sustinet vndis.

Sed postquam tumidos fluctus, rabiemque citatam
Vndarum huc illuc pressa disiecerit ira,
Cumque suis pontum conclusum finibus, intra
Littoraque & portus compresserit, oppositaque
Finierit terra magni vice Altitonantis:
Tunc ad mortales veniet, mortalibus ipsis
In terris similis, natus patris omnipotentis,

De Iesu nomine.

Corpore vestitus. Vocales quatuor autem

Fert,

Fert, non vocalesque duas, binûm geniorum.
Sed quæ sit numeri totius summa docebo.
Namque octo monadas, totidem decadas super ista,
Atque hecatontadas octo infidis significabit
Humanis nomen: tu vero mente teneto
Æterni natum Christum, summique parentis.
Illo Dei legem complebit, non violabit,
Persimilem formam referens, & cuncta docebit.
Illi libabunt aurum, myrrhamque ferentes,
Thusque sacerdotes: hæc omnia namque patrabit.

Ioannes Baptista.

Verum cum quadam vox per deserta locorum
Nuncia mortales veniet, quæ clamet ad omnes,
Vt rectos faciant calles, animosque repurgent
A vitiis, & aqua lustrentur corpora cuncta,
Ve nunquam deinceps peccent in iura, renati:
Barbarus & tandem saltatibus illaqueatus, *Herodes.*
Mercede vocem hanc casam concedet iniqua:
Tunc erit indicium subito mortalibus ægris,
Cum lapis Ægypti felix seruatus ab oris
Veneris: huic populus impinget Hebræus, & huius
Ductu conuenient gentes, per eumque supremum
Cognoscent numenque, viamque in lumine rectam.

Iesus redux ex Ægypto.

Æternam vitam mortales namque docebit
Electos, ignemque malis feret omne per æuum.
Ille quidem morbis pressos sanabit, & omnes
Læsos quotquot ei fident; cæcique videbunt:
Incedent claudi, surdis audire licebit:
Insolitas mutis dabitur formare loquelas.
Expellet furias: oppressi morte resurgent:
Placabit fluctus: in desertisque locorum,
Large panibus ex quinis & pisce marino.
Millia quinque virum satiabit, relliquiæque
Bis senos cophinos implebunt virginis almæ.
Et tunc Israël ebrius, non mente videbis,
Non oculis cernet, non auribus audiet ipsis.
Hebræos sedenim summi lymphata Tonantis
Cum petet ira, fide sublata prorsus eorum,
Propter cœlestem diuino semine cretum,
Offensum per eos puerum: tunc impius ille
Impinget colaphos, virosaque sputa scelestis
Israël labiis: neque non & fellis amari
Apponent escam, potumque immitis aceti,
Pectora vesanis stimulis & corda subacti,
Nil oculis ipsis cernentes; & mage cæci
Talpis, anguis magis metuendi, pestiferæque
Aspidis oppressi diroque grauique veterno.

Christi miracula.

Sed manibus passis cum mensus cuncta coronam
De spinis tulerit, nec non latus eius arundo
Fixerit acta manu, cuius causa tribus horis
Nox tenebrosa die medio monstrosaque fiet:
Tunc hominum generi magnum Solomonia signum
Templa dabunt, Ditis cum tecta profunda subibit,
Nunciet in vitam reditum quo morte peremptis.
Sed postquam triduo lucem repetiuerit, atque
Monstrarit somnum mortalibus, atque docendo
Cuncta illustrarit, cœlestia tecta subibit
Nubibus inuectus, cum lætum liquerit orbi
Pactum Euangelij, cuius de nomine surget
Flore nouo germen de gentibus, idque regendum
Magna lege: Soli doctores deinde futuri.
Deinde genus vatum iam tandem desinet esse.
Inde male messem facient astutis Hebræi,
Atque auri multum Romanus diripiet rex,
Argentique, dehinc existens altera regna
Assidue, regnis pereuntibus vsque prementque
Mortales, sed erit tunc magna ruina virorum
Illorum, quando fastum ingredientur iniquum
Cum dederint autem Solomonia templa ruinam.
A loricatis (quorum vox barbara linguæ)
Dirata, cum patria terra pellentur Hebræi
Errantes, misere vexati, farraque multo
Miscebunt lolio: tunc tristes seditiones
Versabunt homines omnes, vrbesque malorum
Congeries coget sese deflere vicissim,
Propterea facinus quod commisere nefandum:
Tanta in eas magni desæuiet ira Tonantis,

LIBER SECVNDVS.

De Græcis, & de Deo, & de Sanctis & de iudicio.

POSTQVAM perdoctum carmen, me multa precãte,
Compressit numen, mihi sub præcordia rursum
Diuini cantus vocem subiecit amœnam.
Corpore tota stupens trahor huc, ignara quid ipsa
Eloquar, ipse sed hæc mandat Deus omnia fari.
Sed cum terrarum motus, & fulmina dira.
Fulguraque & tonitrus fuerint, & squalor agrorum,
Et cædes hominum, rabies & sæua luporum,
Atque hominum atque boum interitus, & quadrupedantum
Et iumentorum, mulorumque, atque caprarum,
Atque ouium: fiet tum plurima terra relicta,
Et frugum incultos prouentus deseret agros,
Erumpetque hominum vitiosa licentia passim,
Fanaque diripiens. hominum tum denique seclum
Existet decimum: quando qui sidera fecit,
Concussor terræ, statuarum franget amorem,
Et Romæ populum, quæ septem continet arces
Concutiet: diues deleta peribit opum vis,
Vulcano crebris miscente incendia flammis.
Et tunc de cœlo demissa sanguinolenta. *
At genus humanum longe lateque per orbem
Cædibus alternis insanies: inque tumultu
Pestes, atque fames Deus, & sua fulmina mittet
Illis, qui viuent expertes legis & æqui.
Existetque hominum toto defectus in orbe:
Si quis vt in terris hominis vestigia cernat,
Miretur, rursum magnus Deus incola cœli,
Relliquias hominum penitus seruabit vbique.
Tunc pax, & veri prudentia summa vigebit,
Terraque frugiferens fruges feret vberiores,
Nõ diuisa quidem, neque seruitura deinceps.
Omnis liber erit portus mortalibus, omnis
Et statio, sicut fuit ante: scelusque peribit.

Signum aduētus filij hominis.

Tunc autem signum dabitur diuinitus ingens,
Namque relucebit clarissima stella, coronæ
Assimilis clara, cœlo visenda sereno,
Lucibus haud paucis: humanis nempe coronam
De cœlo ostendet, qui præmia quærere certant.
Nam tunc incipiet magnum procedere seclum
Vrbi cœlesti dispensatorque vocabit
Omnibus humanis, ait immortalis honores
Qui teneas, cunctus tunc immortalia propter
Præmia contendet populus, victoria quando
Accendet præclara animos, nam rite licebit
Cuilibet argenti clarum petere inde coronam.
Castus enim Christus ponet certamina iusta,
Ornabitque probos, æternaque præmia reddet
Testibus, ad mortis certamen euntibus vsque.
Virgineis verò, qui pulchre currere pergent,
Æternum munus dabit, & seruantibus æqui
Omnibus humanis, generique alienigenarum,
Et sancte viuendo Deum noscentibus vnum.
Tum qui coniugio gaudentes, furta cauebunt
Concubitus vetiti, dabit his quoque munera larga,
Immortalem spem, nam donum numinis omnes
Sunt humanæ animæ: quas vllis flagitiorum
Mortales maculis prorsum fœdare nefas est.

Porta vitæ.

Hoc certamen, hic est labor, hæc sunt præmia pugnæ:
Hæc vitæ porta est, hic est ingressus in æuum
Æternum. Deus hæc cœlestis, iustitiæ
Humanæ statuit victrices præmia: quique
Contigerint palmam, per eam ingredientur honeste.
Sed postquam toto signum hoc extarit in orbe,
A teneris pueri vestiti tempora canis,

Arctabunt homines, mutato cardine rerum,
Pestes, bella, fames, lachrymaque & luctus, abunde;
Eheu quot viduæ lugebunt pignora, tristi
Cum gemitu, & prolis carnes in veste cruenta
Cum membris terræ mandabunt omniparenti,
Puluere sanguineo fœdatæ. O pessima secla,
O nimium praui, quos vltima proferet ætas.
Dementes, qui quid muliebria femina vincat
Non norint: Sed ne parias tunc femina prolem.
Humani generis strages & maxima messis
Instat: cum quidam pro vatibus insinuati

De Antichristo.

Fallaces aderunt in terris vaticinantes:
Et belial veniet, facietque insignia multa
Inter mortales, tunc sancti funditus, atque
Electi, fidique, euersi diripientur:
Nec non Hebræi, quos fauior impetet ira.
Tum cum bis senis tribubus conflatus ab ortu
Adueniet populus, populumque requiret Hebræum
Cognatæ stirpis quem perdidit Assyriorum
Impetus: illata gentes ita clade peribunt.
Postremo rursum vehementibus imperitabunt
Hebræis fidis electis, sub iuga missis
Vt prius: imperium quoniam non desinet vnquam,
Omnia qui cernit supremus, & incola cœli,
Palpebras hominum somno concludet apertas
Felices famuli, Dominus quoscunque reuersus
Inueniet vigiles, tangit vigilantia cunctos,
Semper vt expectent, nec somno lumina claudant.
Nam veniet mane: aut sero, mediove diei.
Adueniet certe, neque me sententia fallet,
Dum dormitur, erit cœli vt stellantis ab oris
Cuncta die medio cernantur sidera cunctis,
Vna cum binis facibus, properantibus annis.
Tunc quoque cœlesti curru deuectus imbit

Elias.

Terras de cœlo Thesbites, signaque trina
Ostendet toti mundo vita perennis.
Væ quas illa dies deprendet ventris onustas
Pondere, quæue suo lactabunt vbere natos,
Aut qui propter aquas habitabunt, væ quibus illam
Contigerit vidisse diem, nam totus ab ortu
Solis ad occasus, austroque, aquiloneque mundus
Terra inuoluetur noctis caligine cæca.
Tunc ardens fluuius cœlo manabit ab alto
Igneus, atque locum consumet funditus omnem,
Terramque oceanumque ingentem, & cærula ponti
Stagna, lacus, fluuios, fontes, Ditemque seuerum,
Cœlestemque polum, cœli quoque lumina in vnum
Fluxa fluent, forma deleta prorsus eorum.
Astra cadent etenim de cœlo cuncta reuulsa,
Humanaque animæ frendebunt dentibus omnes,
Fluminis ardentes, ignisque, & sulphuris æstu,
In feruente solo, cinis obteget omnia quando.
Omnia tunc mundi viduata elementa iacebunt,
Aër, terra, polus, mare, lux, noctesque, diesque
Non iam tot volucres sulcabunt aëra pennis,
Non vada squamigeri pisces per salsa natabunt,
Non ibit ponti per fluctus nauis onusta
Non glebosa boues pandi telluris arabunt,
Non sonitum reddent percussa flamine syluæ.
Omnia sed puram molem conflabit in vnam.
Tum vero æterni genij patris immortalis,
Hur [illegible], Vriel, Saniel Azaëlque*
Quæ mala quisque hominum patrauerit ante, scientes,
E terris animas tenebris caliginis omnes
Iudicem sistent, ad formidabile patris

De ultimo iudicio.

Magni, immortalis solium, nam solus & vnus
Conditor omnipotens rerum non interit vnquam,
Iuraque dicturus mortalibus æqua sedebit,
Et tunc infernis animas, flatumque, sonumque
Cœlestis tribuet, compactaque conuenienter
Artubus ossa suis, carnes neruosque repostos,
Et venas, pellemque priorem, cæsariemque.
Sic coniuncta suis terrestria corpora rite
Membris, vna dies reddet vitalibus auris.
Tunc ferratarum portarum Ditis auari
Claustra immania, durique infractique adamantis,
Ingens ingenti Vriel conuulsa ruina
Perrumpet genius: perlugubresque figuras
Omnes iudicio sistet: simulachra vetusta
Titanum in primis, monstrosorumque gigantum:
Tum quas diluuium, tum quas maris vnda profunda
Absumsit: nec non quas serpentesque, feraque
Faucibus hauserunt auidis, volucresque, vocabit
Ad solium cunctas: nec non quas igneus ardor
Absorpsit flammis, ad iudiciale tribunal
Coget adesse Dei, collectas vndique in vnum.
Tum vero Sabaoth Adonaus, fulminis autor,
Defunctos reddet vitæ, Parcasque resoluet,
Cœlesti residens solio, magnamque columnam
Figet. eo veniet in nube æternus & ipse
Christus ad æternum, magno splendore, bonisque
Cum genijs: solioque sedebit dexter in alto,
Iudicet vt mores hominum, vitamque proborum,
Et sceleratorum, veniet quoque magnus amicus
Ille Dei Moses supremi, carne renata
Vestitus: veniet Abraham quoque magnus & ipse,
Isaac, atque Iacob, Iesus, Daniel, Elias,
Ambacoum, Ionas, & quos genus perdit Hebræa
Tum residens iudex solio, omnes perdet Hebræos
Qui post Eremiam fuerint, vt præmia digna
Accipiant, & quæ mortali quisque patrarit
In vita, soluant. igitur per flumen agentur

Malorū pœna.

Ignis inextincti cuncti: iustisque salutem
Omnibus indeptis, scelerati tempus in omne
Perdentur, quotquot patrarint ante nefanda.
Quis cædes faciunt, aut quorum conscia mens est:
Mendaces, fures, vafri, pestesque domorum,
Mandones, fidei frangentes connubialis,
Detrectatores, petulantes, lege carentes,
Et simulachricolæ: necnon qui patre relicto
Magno, immortali, dixere nefanda, piorum
Carnifices, fidei nullius, perniciesque
Iustorum: neque non, qui commendante senecta,
Et grauitate, vafri fallunt, vultuque bifronte
Turpiter imponunt alijs, læduntque nocenter,
Fallaces, famæ freti, verbisque, sed ipsis
Pardis atque lupis multo magis exitiales.
Tum nimio tumidi fastu: tum fœnore sorsus
Qui cumulant, magnis pupillos afficientes
Et viduas damnis: vel qui quæsita scelestè
Dant viduis, aut dant pupillis: quive labore
De proprio cum dent, exprobant: quive parentes
In senio linquunt, neque præmia digna rependunt
Pro nutricatu: vel qui parere recusant,
Aspera vel contra dixerunt verba parentes;
Vel qui depositum sese accepisse negarunt,
Quique suis faciunt dominis contraria serui:
Quique suum corpus conspurcauere salaces:
Vel qui virgineam zonam soluere, latenter
Congressi: vel qui fœtus in ventre necatos
Eijciunt, & qui partum exposuere nefandi:
Quique veneficijs vsi, seu fœmina, seu vir:
Hos immortalis incorruptique columna
Ira Dei affiget, quam circuit vndique flumen
Indefesso igni manans, & eos simul omnes
Æterni patris genij nunquam moriturus
Ignitis flagris, inflammatisque catenis,
Insuper infractis vinclis, arctisque reuinctos,
Duris torquebunt pœnis, dein noctis in vmbra.
Obijcient monstris, sub tartara tetra gehennæ,
Multis, horrendis, vbi nox tenebrosa perennat.
Hinc vbi iam multis cruciatibus excruciarint
Omnes, quorum mens fuerit scelerata: deinde
Succedet fluuio magno rota flammea circum.
Hinc vbi pertulerint tot iam mala, totque dolores,
Diuersi flebunt, dictu miserabile, patres,
Infantes pueri, matres, lacrymosaque matrum
Pignora sub mammis, nec erit modus vllus eorum
Ploratus, neque vox tristes distincta querelas
Diuersas referet: verum sub nocte profunda,

Tartarea, nigra, laniante dolore, profundum
Clamorem tollent: atque in regione profana
Tot tantum soluent, quantum fecere malorum,
Igni confecti multo: tum dentibus omnes
Stridentes, acri tabescent vique, sitique,
Optandumque mori dicent, fugetque vocantes:
Non iam mortis eum requiem, non noctis habebunt.
Multa quidem frustra supremi numina patris
Orabunt: sed eos tunc auertetur aperte.
Secula nam septem dedit vsus virgine casta,
Ad resipiscendum, spacium mortalibus agris.

Bonorum præmia.

Ast alios, qui ius æquum coluere, bonumque,
Et quibus & pietas & mens fuit optima cordi,
Sublatos Genij rapidum per fluminis æstum
Ducent in lucem, & secura munera vitæ,
Immortalis vbi magni via crura Tonantis:
Fontibus & trinis vinum, lac, mella scatebunt:
Terraque par cunctis, non vllis inclusa muris,
Aut interseptis, fructus feret vberiores
Sponte sua: victus communis, opesque beatæ.
Nam neque pauper ibi, neque diues, nemo tyrannus,
Nec seruus, nec erit quisquam maiorve minorve,
Non rex, non ductor: sed agent communiter omnes.
Nec iam dicetur, venit nox, aut veniet cras,
Aut transiuit heri: nec erunt, quos multa fatigat
Cura, dies: non ver, æstas, autumnus, hyemsve:
Non nuptiæ, non mors, non emptio, venditiove:
Non occasus erit, non ortus: namque creabit
Ille diem longam. quin hoc quoque conferet idem
Ille pijs Deus omnipotens, æternus: ab ipsis
Oratus dabit, ex ignis feruore perenni
Et gemitu seruare homines: hoc conferet illis.
Namque leges stabiles, æternoque eximet igni,
Perque suos aliam in vitam mandabit, eamque
Æternam nullo moritaris tempore, campo
Scilicet Elysio, longis vbi fluctibus olli
Sunt Acherusiadis æterna stagna profunda.
Eheu me miseram, quid me illo tempore fiet?
Quæ demens omnes peccatis exuperarim,
Nescia coniugij, laudanda nescia mentis,
Quinetiam, locuples cum vir meus esset, egenos
Ædibus exclusi, focique nefanda scienter.
Tu me Seruator tortoribus eripiaderis,
Quamlibet infamem, consusreatque pudoris.
Obsecro te porro paulisper desine carmen,
Sancte, potens rerum, magni rex maxime regni.

RVRSVS IN TERTIA PARTE hæc inquit, ex secundo lib. de Deo.

Altitonans, fœlix, cœlestis, habensque Cherubim
Firmatum, precor vt me plane vera locutam
Paulisper recrees: animo nam fessa fatisco.
Sed quid cor iterum quatitur mihi? mens quæ flagello
Icta, foras vocem prorumpere cogitur, omnes
Vt moneam? rursus nimirum cuncta profabor,
Quæ Deus effari mortalibus imperat ægris,
O homines, quibus est diuina in imagine forma,
Cur temere erratis, cur non per recta viarum
Vaditis, æterni memores patris omnibus horis?

De Deo.

Vnus & immensus Deus est, regnator & vnus
Æthereus, sese consistens totus in vno,
Cuncta videns solus, non aspectabilis ipse:
Quem non humani saxo manus vlla, vel auro,
Aut ebore artificis fecit, retulitve figurans:
Ipse sed ipsum se seclo monstrauit ab omni,
Quique est, quique fuit, qui porro deinde futurus.
Cuius namque Deum mortalis lumina possunt
Cernere? quæve ferent vel vocem nominis aures,
Cœlestis magnique Dei, mundumque regentis?
Omnia qui dicto fecit, cœlumque, solumque,
Et rapinum solis cursum, lunamque tumentem,
Sidereos ignes, solidam magnamque parentem,
Fontes & flumos, ignem, noctesque, diesque.

Adam.

Nimirum Deus is finxit tetragrammaton Adam,
Qui primus fictus fuit, & qui nomine complet
Ortus, occasus, austrum, boreamque rigentem.
Ipse hominum solidam formam speciemque creauit,
Ipse feras fecit, serpentiaque, atque volucres.

In simulacricolas.

Hunc vos non colitis, frustraque, errore pudendo,
Anguibus & felis reuerenter sacrificatis,
Et signis alijs hominum, saxisque sacratis,
Ante profanorum delubrorum ostia stantes.
Obseruate Deum, quique est, quique omnia seruat.
Qui dum saxorum specie gaudetis inani,
Non venit in mentem iudex æternus, & idem
Seruator, cœlum qui tellurémque creauit,
Heu stirps, effuso quæ gaudes sanguine, praua,
Impia, vafra, hominum mendax genus, atque bilingue,
Insidians, durum, mœchum, simulacricolarum:
Quorum vesanus stimulus præcordia vexat,

In auaros.

Qui sibi prospiciunt rapiendo, proh pudor, vuis.
Nam nemo locuples, & habens, impertiet vllis:
Humanum sed erit prorsum genus omne scelestum.
Non erit vlla fides penitus: viduæque frequentes
Furtiuo, causa quæstus, vtentur amore:
Sortitaque viros connubia iugalia frangent.
Sed postquam Roma Ægyptum reget, imperioque
Frenabit, summi tum summa potentia regni
Regis inextincti mortalibus exorietur.
Rex etenim sanctus veniet, qui totius orbis
Omnia seclorum per tempora sceptra tenebit.

De Christo.

Tuncque Latinorum non eluctabilis ira
Tres Romam tristi fatorum stamine perdent.
Atque suis homines perdentur in ædibus omnes,
Tum cum de cælo torrens fluet igneus. eheu
Me miseram, quando veniet lux illa, diesque
Iudicis æterni, magni regisque, Deique!
Nunc quid vos vrbes ornatis, construitisque
Templisque, stadijsque, foris, signisque, vel auro
Si qua, vel argento sunt, saxove: futura
Cum sit acerba dies, ad quam veniatis oportet?
Nam veniet, cunctos homines cum nidor olentis
Sulphuris afflabit. Verum iam singula pandam,
Quæ mala sint homines passuri, quasque per vrbes.

LIBER TERTIVS.

Postea verbis progrediens, de impostore dæmone Antichristo hoc maximè modo loquitur.

De Antichristo.

EX Augustinis autem voluentibus annis
Adueniet Belial, qui celsa cacumina montes,
Qui mare, qui magni lucentem lampada solis,
Qui claram lunam, qui sistet lumine cassos,
Multaque signa quidem faciet mortalibus, at non
Vera, sed error ibi suberit, falletque frequentes
Fidos, electos, Hebræos, lege carentes,
Atque alios, nondum quibus est audita Dei mens.
Verum quando Dei prædicta minacia magni
Aduenient, terrasque petet flammata potestas
Inflata, exuret Belier, hominesque superbos
Omnes, quotquot ei fuerint per fœdera iuncti.

Mulieris imperiũ.

Tunc autem mundus manibus muliebribus omni
In rerum summa parebit, eisque regetur.
Cum vero vidua in totum regnauerit orbem,
Aurumque argentumque hominum, queis vita caduca est,
Ferrumque, atque, maris salsas iactarit in vndas:
Omnia tunc mundo viduata elementa iacebunt,
Cum Deus æthereus cœlum conuoluet ad instar
Libri, labetur varius polus omnis ad imas
Terras & pelagus. rapidus fluet, igneus, ingens
Torrens: vretur tellus, pontusque, diesque,
Cœlestisque polus: rerum natura creata
Conuertetur, & in molem purgabitur vnam.
Non iam læta globi iactabunt lumina: non nox,
Nec matutinum; nec erunt, quos multa fatigat
Cura, dies: non ver, æstas, autumnus, hyemsve
Iudiciumque Dei magni, magnumque sub æuum,

A
In medium veniet, cunctis his denique factis.

Deest initium.

O liquidas vndas, ô totam denique terram,
Quà sol exoriens, quà labens aspicit orbem,
Omnia parebunt in mundum rursus euntis,
Propterea primus quod vires nouerit eius.
Sed cum dicta ad rem fuerint collata, minatus
Quæ magnus Deus est olim mortalibus illis,
Babel.
Qui turrim Assyriis in finibus ædificarunt,
Cum cunctis eadem vox esset, stelliferumque
In cœlum vellent ascendere, continuoque
Immortalis.
Flatibus: at venti magnam sublime ferentes
Turrim euerterunt, & litem conciliarunt
Inter, eos vrbemque ideo Babylona vocarunt.
Sed postquam cecidit turris, linguæque fuerunt
Vocibus inter se diuersis, terra deinceps
B
Tota replebatur diuisis regibus. inde
Decima ætas.
Extitit in terris decimum mortalibus æuum,
Postquam diluuijs homines periere priores.
De Saturno historia.
Porro Saturnus, & Titan, Iapetusque,
Regnarunt: Cœlo quos & Tellure creatos
Dixerunt homines, Terræ Cœlique vocantes
Nomine, quod cunctos homines virtute præirent.
Tres terræ partes, vt sors cuiusque ferebat,
Quisque suam regnabat habens, certamine nullo.
Obiectus erat pater, & diuiserat æquas
Partes. Sed postquam senio confectus obiuit
Mortem, tum natis (violata religione,
Iureque iurando) contentio nata, quis omnes
Inter mortales regis dominetur honore.
Pugnaruntque inter sese, Saturnus, & ipse
Titan. at Iuno, Tellusque, Venusque coronis
Gaudens, cum Vestaque Ceres, & pulchra Dione,
Inter eos litem sedarunt, eosque vocarunt
Reges, & fratres omnes, consanguineosque,
C
Et reliquos eius quoque sanguinis atque parentum.
Horum Saturno tribuit sententia regnum,
Vtpote qui reliquis forma præstaret, & ætate.
Verum Saturnum Titan iurare coegit,
Ne marium natam sobolem nutriret, vt ipse
Regnaret, postquam Saturnum fata vocassent
Præ senio. Quod si quando Rhea parturiebat,
Titanes aderant, & mascula dilaniabant
Pignora cuncta fere: matrem nutrire sinentes
Iuno nascitur.
Fœmineos partus. Sed quando tertius ille
Adfuit enixus, Iuno fuit edita prima.
Hoc vbi fœmineam sobolem videre feroces
Titanes, illa ad se discessere relicta.
Iupiter.
Inde marem peperit puerum Rhea, continuoque
In Phrygiam per tres furtim dimisit alendum
Iurisiurandi constrictos religione,
Cretenses: ideoque Iouem dixere, quod esset
Neptunus.
Missus. item furtim Neptunum misit eodem.
Pluto.
Tertius editus est Pluto ille, præterennti
Dodonam, vnde liquens Europa defluit amnis
D
Fluminis, atque maris salsas prouoluitur vndas
Mixtus Peneo Stygium quem nomine dicunt.
Postquam Titanes autem didicere euentos
Saturno pueros, atque eius coniuge furtim:
Titan collectis sexaginta vndique natis,
Saturnum vinclis eius cum coniuge strictum
Abdidit in terram, custodiuitque tenebris.
Hoc vbi Saturni nati didicere, duello
Magno intulerunt illum, turbasque cierunt.
Hinc est principium belli mortalibus ortum
Omnibus: hæc belli mortalibus extat origo.
Tum Deus exitio Titanas misit, & omne
Titanum perijt genus, & Saturnia proles.
Postea surrexit tandem voluentibus annis
Monarchia.
Ægypti regnum: Persarum deinde secutum est,
Medorumque, Æthiopumque, atque Assyria Babylonis:
Deinde Macedonicum regnum, Ægyptique renatum:
Postea Romanum. Tum magnus voce volucro
E
Pectora pulsauit mihi, præcepitque profari
Omnes per terras, & regibus insinuare
Singula. tum primum soluit Deus insinuauit
Hoc mihi, quot nam sint hominum post regna futura.
Solomonis regnum.
Namque domus regno primum Solomonis coget
Phœnices, Asiæque duces, aliasque marinis
Fluctibus ambitas gentes, Persasque, Phrygesque,
Phamphylos, Cares, Mysos, Lydosque scatentes
Auro. post Græci venient diri atque superbi.
Macedonicum imperium.
Deinde Macedonia populus dominabitur ingens,
Qui belli horrenda mortales nube lacesset.
Cœlestis sedenim prorsum Deus eruet illum.
Romanum imperium.
Post hæc imperium regni succedet aliud,
Excellens, ducibus multis, ex occiduique
Parte maris, multis quod terris imperitabit.
Et quatiet multos, & regibus omnibus olim
Terrorem faciet: multis ex vrbibus auri
Diripiet multum, argentique. deinde per orbem
F
Aurumque argentumque erit, ornamentaque rursum.
Mortalesque premens: tandemque existet eorum
Casus, vt iniusto incipient turgescere fastu:
Continuoque in eis scelerum vis magna vigebit,
Masque mari sese iunget, statuentque pudendis
In lustris pueros. & erit tunc temporis ingens
Inter mortales angustia, cunctaque turbans,
Cunctaque contundens, & replens cuncta malorum.
Turpis auaritia, iniustarum diuitiarum,
In primisque Macedonijs in finibus, atque
In multis alijs: odiumque cietur, & omnis
Illis procedet fallacia: septimum ad vsque
Donec ventum sit regnum, vigeatque potestas
Ægypti regis, Græco de sanguine nati.
Christiani.
Tum demum surget magni præclara Dei gens,
Qua duce mortales omnes bene viuere discent.
Sed mihi quid menti Deus iniicit hoc quoque fari?
Quæ quibus accident mala? quæ postrema sequentur?
Primum supplicio diuinitus afficientur
G
Titanes, prolesque dabit Saturnia pœnas,
Saturnum quoniam vinxit, matremque pudicam.
Deinde tyrannides in Græcis, regesque feroces,
Impuri, tumidi, qui iura iugalia frangent,
Omnino praui: neque iam mortalibus vlla
A bello requies, Phryges autem funditus omnes
Perdentur, venietque malum illo tempore Troiæ.
Continuoque malum Persas manet, Assyriosque,
Omnemque Ægyptum, necnon Libyam Æthiopesque,
Pamphyliosque malum fuerit, Caresque mouens,
Mortalesque omnes. sed quorsum singula pando?
Finitis primis, nascentur deinde secunda
Humano generi. quæ tandem prima vocabo?
Sunt ventura pijs mala, qui Solomonia circum
Templa colunt, hominum iustorum sanguine creti,
Quorum progeniem celebrabo, genusque paternum,
Et cunctum populum: tu vero mente teneto
Omnia rite, vafer mortalis, callide mentem.
Vrbs erit in terra Vchaldi
Piorum studia.
Ex quibus est hominum proles iustissima, semper
H
Queis bona mens cordi est, & rerum cura probarum.
Nam neque decursum solis, lunæve rotantem,
Nec curant ea quæ per terras magna feruntur:
Nec magni Oceani rimando quærere fundum,
Non sternutantum, non præpetis omina penne,
Non cantatores, vatesve, veneniue dantes,
Non imposturas fatuorum ventriloquorum:
Nec Chaldæorum prædicta per astra loquuntur,
Astra nec obseruant. nam sunt hæc omnia falsa,
Dementes homines quæ perscrutantur in horas,
In re exercentes animos quæ non iuuat hilum.
Quin miseros homines errores edocuerunt,
Ex quo mortales aguant mala multa per orbem,
Vt rectisque vijs & iustis rebus aberrent.
At sunt virtutis cultores, iustitiæque.
Non & auaritia, quæ tristia plurima constat
Mortali generi, bellumque, famemque vagantem.
His modus est iustus demensa per arua, per vrbes,

Nec nocturna sibi rapiunt per furta vicissim,
Caprarumve greges abigunt, ouiumve, boumve,
Nec terra metas vicini summouet alter,
Nec locuples quicquam divexat pauperiorem,
Nec videas torquet, sed eis magis auxiliatur,
Semper subveniens oleo, vinoque, ciboque:
Semper & in populo felix, & diues egenis
Pauperibusque sua partem largitur arista,
Vt fieri iubet & laudat diuina Dei lex,
Qui terram fecit communis vt omnibus esset.

Israëlitarũ exitus ex Ægypto.

Cum vero Ægyptum linques, desertaque vades
Per loca bis sena populus de prole creatus,
Sub ducibus missis diuinitus, isque columna
Ignita per iter noctis gradietur opacæ,
Per totumque diem nebula praeunte columna,
Huic populo ductor dabitur vir magnus ab illo

Moses.

Moses, quem inuentum propter regina paludem
Sustulit, & nati nutritum nomine duxit.
Hic igitur postquam populi dux, quem Deus extra
Ægyptum perduxit, eo perueniet, vbi mons
Sina fuit, legem de cœlo tradidit illi,

Lex.

Omnia cum tabulis scripsisset iusta duabus:
Et iussit fieri Deus. & si forte quis esset,
Qui non pareret, pœnas is solueret ipsa
Lege, vel humanis manibus: si forte lateret
Mortales, tamen hic omni ratione periret.
Fecit enim terram communis vt omnibus esset,
Omnibus atque bonam mentem Deus insinuauit.
His solis fruges tellus creat alma, remittens
Ex vno centum, diuinumque vber adæquans.
Sed tamen his etiam veniet mala pestis, eamque
Non fugient: & tu delubra decora relinques,
Et fugies, (etenim sanctum tibi linquere campum
Fatale est) & ad Assyrios duceris, apudque
Immites homines natos seruire videbis,
Vxoresque, omnisque peribit victus, opesque:
Omnis plena tui regio terraque, marisque:
Nullus erit mores quin istos oderit: omnis
Terra tibi deserta iacebit, & ara relicta,
Et magni delubra Dei, murique patentes,
Omnia consident in humum: sanctissima quando
Æterni præcepta Dei de mente repellens,
Fœdus seruisti simulacris: depositoque
Æterni diuumque hominumque satoris honore
Atque metu, generis mortalis signa colebas,

Babylonica captiuitas.

Propterea decies septem per tempora terra
Omnis erit deserta tua, & mirabile fanum.
Sed bonus exitus hinc & gloria maxima surget,
Hoc curante Deo tibi, mortalisque sed ipse
Legibus augustis diuinis crede manendo,
Dum tibi genua Deus defessa attollat in auras,

Christus

Tum Deus è cœlo regem demittet, is autem
Sanguine quosque homines, ignisque probabit in æstu.
Regalis quædam tribus est: genus huius ab omni
Peccato plane vacuum dominabitur olim,

Instauratio templi post Babylonis captiuitatem.

Incipietque Dei renouatam construere ædem:
Huc quoque Persarum rex conferet omnis, & auro
Æreque succurret, ferroque ferente laborum.
Nam Deus ipse dabit per noctem somnia sancta:
Et recidiua, velut fuerant, delubra resurgent.
Vt mihi diuino requieta a carmine mens est,
Orabam magnum Genitorem, vis vt abesset:
Sed mihi suggessit vocem sub pectora rursum,
Perque omnes terras præcepit vaticinari,
Mentibus & regum res insinuare futuras.
Hocque mihi primum mentem dat dicere numen,

In Babylonem.

Quanta immortalis Babyloni funera constet,
Illa Dei quoniam magnam populauerit ædem.
Heu Babylon, eheu hominum genus Assyriorum.
Totam peruadet sceleratam maxima terram
Clades, & clamor vincentum perniciosus,
Insultusque Dei magni, qui carminis auctor.
Aërius veniet Babylon tibi namque superne,
Descendet sacris cœli de sedibus inquam
Æternus furor. & peruertet teque tuosque.
Tunc eris vt fueras, ceu nunquam nata fuisses.
Sanguine tum multo replebere, sicut & ipsa
Sanguine fundendo iustosque bonosque necasti,
Sanguis adhuc quorum nunc clamat ad æthera magnum.

In Ægyptum.

Te quoque magna manet clades Ægypte domorum,
Quam tibi venturam nunquam sperauerit esse.
Nam te per mediam gladius penetrabit acutus,
Eueniet que tibi dispersio, morsque, famesque,
Septena regum sub stirpe, deinde iacebis, (amnes

In Gog & Magog.

Heu tibi Gog, tractusque Magog, qui diuidis
Æthiopum medius: quantas tu sanguinis vndas
Accipies, pœneque domus diceris in orbe,
Potabitque nigrum tua roscida terra cruorem.

In occidentales.

Heu Libya tellus: eheu mare, terraque, gentes
Occidua, vobis orietur tempus acerbum.
Vobis luctandum magni certaminis æstu,
Et grauis & duri: vobis est pœna luenda
Omnibus, & rigida pereundum sorte, quod ædem
Æterni magnam grauiter violastis, eamque
Perratis grauiter mandistis dentibus ergo
Terram istam plenam defunctis esse videbis,
Quos pestisve, famesve, & numinis impetus omnis
Bellave sustulerint, atque implacabilis hostis.
Omnis terra tibi deserta, vrbesque relicta.

Cometa.

Sole sub occiduo vero vocitata cometa
Stella relucebit, gladij mortalibus index,
Et famis & mortis, præclarorumque virorum
Atque ducum interitus magnorum, nobiliumque
Maxima præterea mortales signa monebunt:
Altus enim Tanais Mæotica stagna relinquet,
Liraque depresso sulcos infindet in alueo
Frugifero. at fluctus cursum cohibebit abundans:

Asianarũ vrbiũ ruina.

Vasta barathra lebesque: ruent hinc oppida multa
Plena viris: neque hæc Asia labentur Iassis,
Cebre, Pandonie, Colophon, Ephesus, Nicæa,
Antiochia, Tanagra, Sinope, Smyrne, Marus,
Europeque Cyagra, Clitus, Basilis, Meropea,
Antigone, Magnesia, Mycene, Panthea.
Gaza nimis fœlix, Hierapolis Astypalæa:
Tum scito Ægypti morti genus esse propinquum.
Tum melior qui transiit annus Alexandrinis,
Ex Asia quando suscepit Roma tributum.
Verum Asia veniet vel tripla pecunia rursum
A Roma, pendetque atrox iniuria pœnas:
Ac quot sunt Itali Asianorum famulati,
Viceni toties Asia cogentur in oris
Pro mercede graues Itali tolerare labores,
Innumerasque pati victu cum paupere mulctas.
O auro locuples, Roma propugnata Latina
Virgo tenella, procis multis optata frequenter
Ebria non vllo cum mundo seruaque nubes.
Sæpe tibi velles teneros hera dura capillos,
Et pœnas repetens ad terram sternet ab alto,
Rursus & à terra sublimem tollet in altum.
Mortalis quod erat vitiosa, iniustaque vita.
Fiet arena Samus: Delus deleta latebit,
Fiet Roma ruina: ita digerit omnia fatum.
Nullaque erit Smyrna pereuntis mentio vindex,
Sed vitiisque ducum, & prauorum consiliorum.
Pax autem tranquilla Asia gradietur in oris.
Tunc & erit fœlix Europa, & fertilis æther,
Annosus, firmus (tempestas grandoque nulla)
Cuncta ferens, volucres, reptiliaque omnia terræ,
O felix, seu vir, veniet qui tempus ad illud,
Seu mulier, fœlix securæ munere vitæ:
Nam bona lex omnis cœli stellantis ab oris,
Iustitia comitante, homines inuiset, & vna
(Qua nihil est homini melius) concordia sana,
Atque amor, atque fides & amoris in hospite vincla
At mala lex, mordax liuor, dementia, & ira
Mortales fugient: fugiet vis, pauperiesque,
Cædes, letifera lites, & iurgia dira,
Furtaque nocturna, atque malum tunc temporis omne.

In Roma.

Detrimentum Asia sed grande Macedonia edet,

A

Europaque nimis magnus dolor exorietur,
Saturni de gente notha, seruisque creata.
Illa etiam firmam Babylona domabit, & omnis
Quantum sol lustrat, terra regina vocata,
Tristibus, infelix, fatis euersa peribit,
Nec iam deinde vagos compesces lege nepotes.

Quin olim veniet non expectatus in agros
Felices Asiæ, humeros indutus amictu
Purpureo, crudelis homo, importunus, & ardens
Fulmine quippe citus fuit ille vir ante. iugumque
Durum Asiam totam premet, & madefacta cruorem
Terra bibet multum, facta de cæde fluentem,
Illius inde genus a stirpe peribit eorum,
Ipse genus quorum conatur perdere totum,
Radicem vnam dans, quam Mars excindet & ipsam,
Purpurea stirpis patrem excindendo ferocem
Cornibus ex denis: aliam plantam feret inde.

Horum versuum ordinem Græcũ nõ sum secutus, sed quem in B *Græco numeris notatum vides.]*

Sequentes sexdecim versus ita confusi sunt, vt ex iis nullam potuerim elicere sententiam. Hos in hunc modum vtcunque vertere verbis solutis conabar.

Sed tamen prorsus euersum omnem Ida curauerit.
Atque ipse a filiis quorum in vnanimem fatalem mat
Corrumpitur. at tunc quidem agnoscens cornu regnabit.
Erit etiam Phrygia frugifera prorsus signum.
Cum Rhea præuium genus in terra fluctus
Æternum radicibus nunquam fatiscentibus germinans.
Funditus prorsum perditum vna in nocte fuerit,
In vrbe Antandro atsfeis terra Neptuni,
Quam tum dictabum cognomen Dorelaon
Antiqua Phrygia lachrymosa nigra.
Erit igitur tempus illud cognomen Neptunus
Antra terra dissipabit, & mœnia soluet.

C

Signa autem non boni, sed mali nascetur initium,
Ciuilis belli tristes habebitis angustias.
Æneadas autem dans indigne cognatum sanguinem,
Quanquam rursus præda hominibus amatoribus.

Helena.

Ilion, heu miseresco tui: nam crescet Erinnys
In Sparta, specie eximia, famaque perenni,
Egregium germen, diuexat vtraque gentes,
Europa atque Asia populosas: præcipueque
Plangores, æstusque tibi, gemitusque datura
Semper, & æterna fama celebranda nepotum.

Homerus.

Quidam deinde senex falsorum scriptor, & ipsam
Mentitus patriam, nascetur, lumine captus
Ille quidem, verum præclara mente vigebit,
Astringetque modis carmen praduice, duobus
Mixtum nominibus: Chion quoque se ipse vocabit.
Hic res Iliacas scribet, non sicut habebunt,
Sed clare, verbisque meis vtendo, modisque.
Primus enim voluet librorum scripta meorum.

D

Isque vel in primis ornabit belligerantes.
Hectora Priamiden, & Achillea Peliona,
Et reliquos etiam, quibus & res bellica cordi.
Quin faciet diuos illis assistere, falsa
Omnino scribens: homines cum morte caduci
Is fuerint, quorum tantum nuda ossa supersunt,
Et quibus ingentem famam dabit Ilios amplum.
Sed tamen alterno res gestas carmine dicet,
Et Lycia Locri proles mala multa creabit.
Te quoque Chalcedon ponti fortita meatum
Angusti, Ætola gentis populabit alumnus.
Et tibi franget opes onerosas Cyzice pontus.
Tu quoque tunc Asia Byzantion arma sonabis,
Et gemitus etiam accipies, multumque cruorem,
Altumque imperium Lycia de vertice montis,
Vndaque reclusa petra resonabit hiatu,
Donec signa patrum iam cessent fatidicorum.
O Cyzice, accola Propontidos vinifera,
Circum te tumida resonabit Rhandacus vnda.

In Rhodum.

Tu quoque diu nulli Rhode subdita, filia Solis,
Durabis, multaque olim pollebis opum vi,

E

Imperioque maris primas euecta tenebis.
Præda tamen studio tandem rapieris amantum,
Ceruicemque iugo, diues, formosaque subdet.
Lydius at motus res Persidis expoliabit,
Europaque Asiaque genus pertriste dolebit.
At Rex Sidonius, aliorumque agmina pugna

In Samios.

Exitium Samijs conflabunt triste per æquor:
Sanguine terra fluens resonabit in æquora rauca
Cæde virum. vxores autem, lepidæque puellæ,
Ah lamentantes sua tristia damna querentur,
Propter & occisos, & natos morte cadentes.
Signum Cypri, terræmotu vtro perdet phalangas,
Et multas animas hominum simul Orcus habebit.
At trallis vicina Epheso succussa, tremente

In Trallensis.

Terra, compositos muros, hominumque labores
Diruet, & latices feruentes terra refundet:
Terra grauata illos, & sulphuris hauries æstus,
Regalesque struet Samus ædes tempore certo.

F

In Italos.

Italia haud tibi res cum externo marte futura est.
Sed te ciuilis (dictu miserabile) sanguis
Affliget, celebrem nimium positique pudoris.
Feruida quin etiam recubans libamina propter
Quæ prauidis animo suo, interimet seipsam.
Nec tu blanda bonoi mater, sed lacte fomobis
Altrix sana feras, iterum vir perniciosus
Surget ab Italia. tunc diruta Laodicea,
Vrbs Carum præclara, Lyci splendentis ad vndas,
Magnanimi patris lucta defuncta silebis.
Dhraces acrobyzi alios collocabuntur ad ventos
Æstus Campanis ingens impendet ad vrbes
Depopulante fame, & longæua morte parentis
Defleta. Cyrnus, Sardoque, furente procella
Magna hyemis, sanctoque Deo feriente, profundo
Merguntur, tectis sub gurgite nantibus alto.

G

Eheu quam multas sponsabit Pluto puellas
Intactas, iuuenesque impubes æquore mersos.
Eheu infantes oppressos gurgite salso!
Mysorum terra felix, genus regium subito
Condet. post tamen haud durabit tempore longo
Carchedon. Galatis aderit tristis quoque luctus.
Et Tenedo veniet suprema, at maxima, clades,
Et Sicyon æris tinnitu, teque Corinthe
Extolles præ omnibus, æque vero clamabit tibia.
Vt requieta mihi diuino a carmine mens est,
Ecce iterum stimulat magnum mea pectora numen,
Meque futura iubet per terras vaticinari,
Eheu Phœnicum marium genus & muliebre,
** Litoreasque vrbes omnes: nam nulla manebit*
Ad lumen solis, communi in lumine, vestrûm.
Nec vita numerus, nec erit tribus amplius vlla,
Iniustam propter linguam, visamque nefandam,
Quam triuere omnes reserantes ora profana,
Tetraque dixerunt, iniustaque, falsaque verba:
Et contra magnum regemque, Deumque steterunt:

H

Oreque falsa malo vomuerunt: propter id ipsos
Cunctas terribilis per terras cæde domabit,
Et mandabit eis Deus heu tristissima fata,
Euertens vrbes & multas funditus arces.

In Cretã.

Eheu Creta tibi, multum dolitura: manet te
Clades, pernicie te prostratura perenni,
Et te fumantem tota olim terra videbit,
Semper & ardentem nunquam te desinet ignis.

In Thraces.

Heu tibi Thraca, iugum quoniam seruile subibis
Cum Græcos Galatæ permixti, Dardanidæque,
Vastabunt auide: tum te tua damna lacessent,
Externaque malum terra dabis, accipiesque.

In Gog.

Heu tibi gogque, magogque, aliisque ex ordine cunctis,
Marsog, atque Angon: tibi quot mala fata propinquant?
Multa etiam Lycia natis, Mysaque, Phrygumque,
Pamphylæque cadent gentis, Lydique frequentes,
Maurique, Æthiopesque & quorum barbara lingua est
Cappadoces, Arabesque. quid autem singula pando?
Quotquot enim gentes versantur in orbe, tremendam
Omnibus immittet cladem Deus ille supremus.

Barbara

A

Græciæ calamitates.

Barbara gens vero cum Græcos aggredietur,
Multa quidem capita extirpabit lecta virorum.
Multas balantes hominum corrumpet opimas,
Mulorumque greges, & equorum armenta, boumque,
Infandoque domos elegantes igne cremabunt:
Multaque diversum ducent captiva sub orbem
Corpora vi, molles pueros, cinctasque parentes
Ex thalamis, pedibus teneris quæ ante iacentes
Cernent in vinclis (constringet barbarus hostis)
Omnia dura pati; nec erit tamen ulla potestas
Sævum pellendi bellum, vitamque tuendi.
Cernent divitiis hostem, rebusque fruentem
Omnibus ipsorum: trepidi genibusque trementes,
Et fugient unum centum, per eumque peribunt:
Quinque autem magnum superabunt agmen, & illi
Turpiter vincitur pugna, tristique tumultu,
Lætitiamque ferent hosti, Græcisque dolorem,
Et servile iugum portabit Græcia tota.

B

Cuncta simul tangent homines, belluæque, luesque,
Et superum cælum divinitus ære rigebit,
Nec pluviis ullis madefiet ferrea terra.
Postea mortales omnes miserabile flebunt
Igneque vastari, nec arariet arva, ferique.
Et mala multa dabit cæli terræque creator.
Atque hominum fiet pars tertia sola superstes.

Ad Græcos.

Græcia principibus quid fidis morte caducis,
Ultima quos lets non est evadere fata?
Quorsum defunctis donaria vana reponis?
Quidve litas statuis? quis te malus error ad ista
Mentis agit, magni linquentem numinis ora?
Accipere omniparentis nomen numenque memento.
Mille anni atque alia sunt penthecatontades, ex quo
Græcorum reges regnum tenuere superbi,
Qui mala mortales docuerunt prima magistri,
Tot simulacra deum statuentes luce carentum:
Ex quibus effectum est, ut tam sapiatis inane.
Verum quando Dei magni vos ira lacesset,

C

Tunc agnoscetis conspectum numinis alti.
Atque omnes animæ mortales multa gementes,
In cælum recta manibus sublime supinis,
Regis opem magni incipient orare vocantes,
Quærereque, ecquis eos tanta defendat ab ira.
Hoc quoque discendum, & memori tibi mente te.
Funera volvendis annis sint quanta futura, nondum,
Græcia quando boves & tauros cædet opimos,
Ad magnique Dei templum libamina sistet,
Effugiet creperum bellum, pestemque, metumque,
Et servile iugum tandem cervice repellet.
Sed tamen impia stirps hominum illuc usque vigebit,
Dum finem hoc capiat tempus fatale, diesque.
Non vos quippe Deo libabitis ante, peracta
Omnia quam fuerint, statuet quæcunque voluntas
Certa Dei fieri quæ prorsum cuncta necesse est.

de Christianis.

Tunc hominum tandem surget gens sacra piorum,
Qui præcepta Dei retinentes mente supremi,

D

Eius honorabunt casto libamine templum,
Et suffiminibus; cadetur & hostia multa,
Et tauri pingues, aries quoque multus, ovesque
Primigeno partu nata, cum pinguibus agnis,
Quæ sancte magna procurabuntur in ara,
Sortitique æquas partes, ex lege supremi,
Oppida felices habitabunt, arvaque læta.
At vates præerunt, quos immortalis honorat,
Quique bonum portant cunctis mortalibus ingens.
Solis quippe Deus fatum donavit habere
Consiliumque, fidemque, bonamque in pectore mentem,
Nec vero vanis erroribus ulla laboris
Humani monimenta colunt, aut ære vel auro
Cusa, vel argento simulachra, vel intereuntum
Ligno, vel saxo factorum signa deorum:
Aut creta aut minio vivos in imagine cultus,
Qualia stultitia mortales mentis adorant:
Verum protendunt castas ad sidera palmas,
Ex lectoque manus surgentes mane repurgant
Semper aqua, atque Deum, qui semper magnus, honorant

E

Æternum, post quem patres matresque: deinde
Ante omnes homines sancti meminere cubilis:
Nec maribus pueris scelerate congrediuntur,
Sicut phœnices, Ægyptiique, atque Latini,
Frugiferensque aliis cum multis Græcia terris,
Persis, & Galatis, Asiamsque omnibus, almam
Æterni legem qui contempsere Tonantis:
Pro qua re Deus in mortales faciet omnes,
Immittetque famem, plangores, bella, malam rem,
Pestem, perniciem, lachrimas, tristesque dolores:
Æternum quoniam sancte decorare parentem
Nolentes, hominum generis simulacra colebant
Facta manu, stupidi: in rupes quæ iacta cavatas
Mortales abdent, magno cogente pudore
Cum novus Ægypti rex septimus imperitabit
In propria terra, de Græcis annumerandus,
Cui Macedo imperio dominabitur imperiosus:

Antiochus.

Ex Asiaque aquilæ veniet rex magnus ad instar,
Ardens, qui terram peditumque equitumque catervis

F

Obducet, qui cuncta malis labefacta replebit,
Et regnum Ægypti prosternet, & omnia secum
Asportans, vastum discedet prædo per æquor:
Tumque genu flectent album regique, Deoque
Magno immortali per terras omnis parentes,
Et fabrefacta manu consident omnia flammis.
Tunc Deus humanis concedet gaudia magna,
Terraque, & arborea stirpes, pecudumque caterva
Innumera veros fructus mortalibus edent,
Vinum, dulceque mel, niveum lac, quodque vel inter
Omnia frumentum mortales adiuvat ægros.

Admonitio ad homines.

Sed tu mortalis, versuta mente, malaque,
Noli divitiis nimis invigilare: sed illis
Missis; conversus numen placare memento,
Et mactare Deo taurorum corpora centum,
Primigenosque agnos, caprasque, volatibus horis.
Quære Dei faciles æterni placando favorem;
Qui solus Deus est, nec quisquam est alter ab ipso.

G

Iustitiam colito, nulloque iniurius esto.
Immortalis enim iubet hæc mortalibus ægris.
Tu vero magni vitato numinis iram,

Terræ calamitates.

Tum enim mortales omnes petet exitialis
Pestis, & horribili pœnarum strage prementur,
Et regem capiet rex, terramque auferet illi:
Et gens delebit gentem, populosque dynastæ,
Diversasque duces omnes fuga pellet in oras,
Mutabitque homines tellus, & barbara totos
Græcorum pingues agros populata potestas
Tollet divitias, & nata seditione
Ipsi inter sese contendent, scilicet aurum
Propter & argentum (tantum malesuada malorum
Cogit avaritia) inque alienis finibus omnes
Nullis claudentur tumulis, inhumataque fanis,
Corpora vulturibus linquent lanianda, ferisque.
Factaque cum fuerint hæc omnia funditus, ingens
Reliquias tellus consumet luce carentum,
Semina nec prorsum capiet, nec arabitur ipsa,

H

Infelix hominum testans scelus exitiale. *
Tempore longinquo multis volventibus annis
Peltas & clypeos, gæsos, diversaque tela.
Nec de quercetis lignum scindetur ad ignem.
Et tunc sole Deus regem demittet ab alto,
Qui totam terram diris recreabit ab armis,
Occisis aliis, aliis in fœdera vinctis.
Nec vero propria disponet is omnia mente,
Sed laudanda Dei magni decreta secutus.
Atque iterum magni florebit amata Dei gens
Divitiis, auro atque argento, purpureoque
Ornatu: tellusque parens gaudebit, & æquor,
Plena bonis, etiamque inter se fervere reges
Incipient ira, meditantes corde nefanda.
Invidia nihil est peius mortalibus ægris.
Sed crebri terram gentiles rursum eandem
Invadent reges, leti sibi fata ferentes.
Namque Dei magni tentabunt depopulari
Sacra virosque bonos: cum fines ingredientur,

A

Circum urbem reges peruersi sacrificabunt,
Quisque sui solij dominus, populique rebellis.
At Deus ingens ad socordem voce loquetur,
Et tardum populum cunctum, iustasque reposcet
Iudicio pœnas magnus, dexteraque peribunt
Omnes æterna, & cælo labentur ab alto
In terram ardentes enses, venientque coruscæ
Lampades in medios homines splendore micantes.
At terra omniparens illis percalsa diebus,
Numinis æterni dextra, piscesque marini,
Terrestresque feræ omnes, & genus omne volantum,
Humanaque omnes animæ, maria omnia vultum
Æterni horrescent, exalbescentque timore.
Ille sed immanes, excelsa cacumina, montes
Rumpet, cæruleique Erebi domus ima patebit,
Excelsis vero putescent montibus antra,

B

Plena cadaueribus: manabunt sanguine cautes,
Omnia complebunt torrentia flumina campos.
At muros omnes hominum, quibus improba mens est,
Vasta ruina trahet, quia legem iudiciumque
Nesciuere Dei magni: quin insipienter
Hastas sacratam cuncti vibrastis in ædem.
Omnes ergo Deus bello multabit, & ense,
Igneque, & vndanti pluuia: tum sulphur ab alto,
Et lapis in densa perniceque grandine, cælo
Depluet, & letho perimentur quadrupedantes.
Tum Deus æternus noscetur, qui facit, illa.
Fletus & immensam terram, clamorque cadentum
Replebit, tacitique omnes manante luentur
Sanguine nec tellus illa de strage cruorem
Non bibet, explebitque feras caro dilaniata.
Ipse mihi Deus hæc dedit omnia vaticinari,
Magnus & æternus, qui quod vel mente reponit,
Non fieri prorsus nequit, & contingere finem:
Namque Dei nescit mentiri spiritus orbi.
Interea magni proles secura Tonantis

C

Beatorum fœlicitas.

Circum ædem viuent, & lætabuntur in illis:
Namque creator erit (qui iudicat omnia iuste,
Omnia qui solus princeps regit) auctor eorum.
Solus enim præsens claudet munimine tutos,
Ardentique, velut muro, circumdabit igne.
Ergo vrbes nullo bello, sedesque tenebunt,
Quando nulla manus belli premet: ipsa sed illos
Æterni armipotens defendet dextera sancti.
Tunc omnes pariter fabuntur & insula, & vrbes,
Quanto illos adamet Deus immortalis amore:
Omnia quippe quibus certent prodesse iuuando
Auxiliis, cælum, rapidus sol, ipsaque luna.
At terra omniparens tremefiet tempore in illo.
Tum dulci incipient meditari carmine laudes.
Hus omnes, positis genibus simul ore precemur
Æternum, magnumque Deum, regeque perennem.
Ad sacra mittamus, solus quanque ille potens est,
Supremique Dei legem omnes excutiamus,

D.

Quæ sola in toto pollet iustissima mundo.
At nos æterna errantes à lege Tonantis,
Morte caducorum statuas, & signa virorum,
Numina facta manu, fatui ornabamus honore,
Hæc dicent animæ iustæ fideque piorum
Eia age diuino in populo per tecta domorum
Suppliciter rerum oblectemus laude parentem,
Arma per extensam relegantes hostica terram,
Per septem longos annis vertentibus orbes,
Peltas, & clypeos, galeas, diuersaque tela,
Tam multos arcus, hastas, celeresque sagittas,
Ne de querceto lignum scindatur ad ignem.
Sed misera heu tandem tu desine Græcia fastum,
Vtque Deum æternum magnumque precere memento.
Mitte & in hanc vrbem populum consulta petentem
Qui de sacrata est magni tellure Tonantis.
Ne Camarinam agita: nam præstat non agitari:
Pardalin è tecto, ne nanciscare malam rem.
Comprime te, tumido nec tantum corde superbi,
Vt nihil indubites durum certamen inire.
Sed magnum venerare Deum, quis participes hac,
Cum finem hoc capiet tempus fatale, diesque,

E

Iudiciumque Dei mortalia pectora magnum
Æterni, magno imperio cogente, subibunt.
Nam terra omniparens fruges mortalibus almas
Edet inexhaustas, olei, vinique, cibique:
Dulciaque ex alto cælo rorantia mella,
Arboreos fructus, nitidas pecudesque, bouesque,
Agnos atque agnas pingues, hædosque caprarum:
Et niueo fontes erumpent lacte suaues,
Oppida plena bonis & pinguia culta vigebunt,
Nec gladios metuet, nec belli terra tumultus:
Nec tremefacta gemet nutanti pondere tellus:
Nec bellum, nec erit sentorum squalor agrorum.
Aut famis, aut fruges vastantis grandinis horror.
Verum pax terris florebit in omnibus alta:
Ad metasque dati regem rex diliget æui,
Communemque Deus toto componet in orbe

F

Æternus legem, cæli qui sidera torquet.
Qua quicquid facient mortales lance librabit.
Nam solus Deus est, & nescit habere secundum.
Ipse hominum vires immanes igne cremabit.
Sed mea pectoribus vestris consulta tenentes,
Viuentem colite, & cultus vitate nefandos:
Confusumque maris lectum fuge, adulteriumque,
Enutri proprios natos, occidere noli.
Nam Deus æternus peccantes opprimet ira.
Tunc autem regnum tempus componet in omne
In cunctos homines, sancta cum lege piorum
Donauit gentem, queis terram pandere cunctis
Promisit, portasque beatorum orbis, & omnem
Lætitiam, mentemque æternam, & gaudia semper
Duratura ferent & thus, & munera larga
Omnibus ex terris ad magna fana tonantis.
Nec venturo hominum generi domus vlla futura est,
Præter fidum hominem quem dat Deus, ad venerandum.

G

Namque Deo dicent homines genitore creatum,
Omnes & campi, calles, & littora dura,
Et celsi montes, & sæua fluenta profundi
Tunc pedibusque dabunt faciles, remisque meatus.
Pax etenim terram peragrabit summa bonorum,
Et gladios tollent afflati numine vates:
Et qui iura dabunt, reges mortalibus æqui
Diuitiis homines iustis magnisque fruentur,
Quippe Dei quam iudicium ipsum, erit imperium ipsum:
Gesti læta puella: tibi nam gaudia semper

Ad Ecclesiam.

Duratura dedit cæli terræque creator,
In te habitaturus: tibi lux æterna manebit.
Cumque lupis agni per montes gramina carpent,
Permixtique simul pardi pascentur & hædi.
Cum vitulis vrsi degent, armenta sequentes,
Carniuorusque leo præsepia carpet vti bos:
Et pueri infantes captas in vincula mittent,
Terrebitque feras in terris debile corpus:

H

Cum pueris capient somnos in nocte dracones.
Nec lædent, quoniam Domini manus obteget illos.
Signa tibi vera dicam clarissima, per quæ
Omnia cum terris sint perficienda videbis.
Cum visi fuerint cæli stellantis in oris
Nocturni gladij, casus ad solis & ortus,
Puluis & e cælo terram descendet in omnem
Protinus, & medio cursu lux aurea solem
Deseret, & terram fulgenti lumine luna,
Sanguineis guttis stillantibus, irradiabit,
Signaque saxa dabunt, & in alta prælia nube
Cernetis peditumque equitumque sonantibus auris;
Quali venantes prædas clamore fatigant:
Hunc finem belli faciet Deus incola cæli
Sed magno regi decet omnes sacrificare.

Sibyllæ genus.

Hæc sunt, quæ moneo Assyria Babylone pro
In Græcos ignis missus, fanatica, cunctis (fecta,)
Exponens diuina Dei præsignificata,
Mortali vt generi diuina ænigmata pandam.
Et tamen ex alia patria me Græcia dicit,

Ex Erythra natam, positique pudoris; at illi
Matre forent Circe, Gnosto me patre, Sibyllam,
Insanam, falsam; sed cunctis denique factis,
Tunc recoletis me, neque dixerit amplius vllus
Insanam, magnam sed vatem numinis alti:
Cui Deus ostendit quæcunque parentibus idem
Ante meis, & quæ fuerint, quæ sintque futura,
Omnia perdocuit, mentem veracibus implens.
Vt mortale genus (venturaque, quæque fuerunt,
Pandens) admoneam; siquidem cum dilueretur
Mundus aquis, cum vir solus probus exuperauit
Quidem, quem per aquas vexit domus vrna syluis,
Et pecudes, & aues, rursum implerentur vt orbis,
Eius ego nurus, eius item de sanguine nata,
Cui prima acciderunt, postrema ostensa fuerunt,
Hactenus ore meo vera omnia prodita sunto:

LIBER QVARTVS.

De deo & diuersis regionibus ac insulis.

AVDI gens Asiæ nimis Europæque superba,
Hæc quæ mellisono verissima vaticinari
Ore paro, nostro dictata a numine magno:
de Phœbo.
Non oracla quidem dantis mendacia Phœbi,
Quem dixere Deum quem falso nomine vatis
Vani appellarunt homines: sed numine magno
de Deo.
Flante Dei, quem non hominum manus vlla dolauit,
Mutis assimilem signis, saxoque polito:
Nec domus est illi, saxum nec in æde sacratum,
Voce carens, surdum, mortalibus exitiosum:
Sed quem de terra mortali lumine non est
Cernere, metirique manu, neque fingere tactum:
Omnes qui cernit, à nullo cernitur ipse:
Cuius in imperio nox est tenebrosa, diesque,
Lunaque, sideraque, & sol, piscosumque profundum:
Tellus, & fluuij, fontesque perennis scatentes,
Ædesque ad vitam, & pluuia cum frugibus alma
Terra, atque arbores, & vites, animalia, oliuæ.
Hic mihi verberibus mentem quatit acribus intus,
Vt tum quæ nunc sunt, tum quæ ventura patrabuntur,
A primo vndecimum donec iam venerit æuum,
Mortali generi referam certissima namque
Ipse mihi pandens narrauit cuncta; sed audi
Omnia tu populus, dicit quæcunque Sibylla,
Veridicus sancto fundens ex ore loquelas.
Vera pietas.
Felices hominum illi versabuntur in orbe,
Qui laudare Dei supremi numen amabunt
Ante cibum & potum: freti pietatis amore:
Omnia qui visu templa auertentur, & aras,
Ex lapidum vanas stupidorum pondere moles,
Sacrificio fœdas animantum quadrupedumque
Sanguine: suspicientque Dei decus vnius ingens.
Nec diram facient cædem: neque lucra parabunt
Grandia per furtum: quæ sunt deterrima plane.
Nec vetitum alterius cupient fœdare cubile:
Mascula nec turpi maculabunt corpora tactu.
Atque horum moresque pios, vitaque tenorem
Haud imitabuntur reliqui, quibus improba mens est:
Sed tetris illos sannis, risuque, sequentes,
Affingent illis dementes crimina falsa,
Crudeles, ipsi quæcunque nefanda patrarint.
Omne hominum genus est monitis accredere durum.
Sed cum iudicium iam tandem venerit orbis,
Censebitque pios homines Deus ipse, malosque,
Atque malos rursum tenebras detrudet ad imas:
Tum demum noscent quàm flagitiosa patrarint.
Terra pijs autem nutrix habitanda manebit,
Dante Deo flatum; vitam, victumque, sed hæc sunt
In decimo penitus seclo omnia perficienda
Nunc autem à primo seclo ventura recludam.
Assyriorum imperiũ.
Principio Assyrij mortalibus imperitabunt
Omnibus, ætatesque tenebunt imperia sex:
Ex quo cœlestis sanas ob numinis iras
Terras atque homines omnes, vrbesque, profundum
Obruit æquor aquis, ex eluuione redundans.
Medorũ.
Quos Medi tollent tumidi, soliumque tenebunt,
Per duo tantum secla, & eorum hoc tempore fiet:
Nox erit in medio spacio tenebrosa diei,
Astraque deficient cœlos, & luna globosa,
Et tellus magni motus concussa tremore
Vrbes euertet multas, hominumque labores,
Emergentque maris fundo tunc insula ab imo.
Euphrates sed cum manabit sanguine magnus,
Persarũ.
Tum Medi & Persæ belli certamine duro
Confligent, & ibi Persis vincentibus hastis
Diffugient Medi Tigris trans magna fluenta.
Fiet & in mundo Persarum summa potestas,
Ætas vna quibus posita est sine principe felix.
Existent & quas homines odere, malæ res,
Conflictus, cædesque, fugæque, & seditiones,
Excisæque dabunt turres vrbesque ruinas;
Græcia cum planum tranabit ad Hellespontum,
Et tristes Asiæ fastu feret horrida clades.
Ægypti fames.
Deinde per Ægyptum glebosam, frugiferamque,
Frugum inimica fames totis grassabitur annis
Viginti: cum nescio quo subter sola terra
Nilus aristarum pater abdet nigra fluenta.
Xerxes.
In Græcos autem ducet rex magnus in armis
Ex Asia innumeras naues, solusque liquentes
Per fluctus pedibus, per terras nauibus ibit.
Hæc est Asia.
Quem bello profugum accipiet miserabilis Asis.*
In Siciliam.
Siciliam vero miserandam, funditus omnem
Igneus exuret torrens, immanibus Ætna
Euomitus flammis, & maxima corruet altis
Fluctibus absorpta vrbs; aget & discordia Græcos,
Atque inter sese bellis immanè furentes
Multas exscindent vrbes multosque necabunt,
Cum tamen inter eos anceps victoria ludet.
Sed cum procedet decimum mortalibus æuum,
Tum seruile iugum Persis, terrorque donabit.
Alexander.
Porro autem sceptrum Macedo cum victor habebit,
Thebis adueniet tandem expugnatio tristis,
Inque Tyro degent Cares. Tyrijque peribunt.
Totaque littoreis Samus obducetur arenis.
At Delus, non iam Delus, delebitur omnis.
Et Babylon ingens visu, certamine parua,
Mœnibus ab nimium fidens, spes pascet inanes.
Bactra colet Macedo: qui vero Bactra tenebunt,
Et Susas, fugient in Græcos protinus omnes.
Isthæc euenient, liquida cum Pyramus vnda
Ad sacram litus profundens insulam adibit.
Concidet & Sibaris, & Cyzicus, oppida quando
Labentur magno terra feruente tremore.
Et Rhodijs clades veniet postrema, sed ingens.
Nec semper Macedo dominabitur, occiduumque
Italiæ imperiũ.
Surget ab Italia bellum, cui subditus orbis
Subdet colla, iugis Italis seruire coactus.
Procumbentque tuæ Carthago funditus arces.
Teque olim motus, infelix Laodicea,
Pronam consternet, rursumque reponet in vrbem.
Tu quoque te captam miseranda Corinthe videbis.
O Lybyæ pingues agri, te terra tremiscens
Pronam sparget humi, cupiesque agitata cadendo
Quærere diuersas fugiens velut aduena terras.
Armenia & tibi vis instat fertilis ab ipsa
Italia, magnam quæ numinis eruit ædem.
Sed cum stultitia freti, pietate repulsa,
Infandas facient cædes ***
Tunc ex Italia rex tanquam transfuga, magnus,
Perditus, Euphratis fugiet trans perfidus amnem,
Cum scelus infandum patrarit, matre necata:
Multaque præterea, manibus confisus iniquis.
Et circum fanum Romanum sanguinis multi
Fœdabunt terram, patrios cum fugerit ille
Trans fines. Syriam vero Romanus adibit
Nero. Vespasianus.
Bellator, qui cum delubra cremauerit igni,
Imbuet horrendum multorum cædibus hastam,
Et Iudæorum latos populabitur agros.

A

Tunc idem motus perdet Salamina, Paphumque,
Cum circumfusa Cyprus turbabitur vnda.

In his duobus versibus dubito.

** Flamma sed Italico postquam succensa furore,*
In cœlum magno torrens ardore feretur,
Exuretque vrbes multas, hominesque necabit.
Æthera que implebit fuligo multa, cinisque,
Et minio similes guttæ labentur ab alto:
Tunc noscenda venit cœlestis numinis ira,
Immeritum quoniam genus occidere piorum.
Tunc & in occasum venient certamina belli
Surgentis, profugusque vibratu magnus in hasta
Romanus multis traiecto Euphrate cateruis.
Infelix iam non vrbem te Antiochia vocabunt,
Stultitiam propter Italis labere sub hastis.
Et Scyrum perdet tunc pestis, & aspera pugna.
Heu Cypre infelix, te tempestatibus actum
Iactabit validis vasti maris vnda procellis.

B

Ast Asiæ veniet permagna opulentia quando
Quæ sublata domo prædiuite Roma recondit,

Quæ Tiberius congessit. Nero prodegit.

Post alia inde quidem præstabit duplice summa.
At vastans vrbes Mæandri ad fluminis vndas,
Carum turritas, perpulchras, depopulabit
Dira fames, fluctus atros Mæander vt abdet.
Verum quando fidem impietas humana fugarit,
Audacesque homines, vitam viuendo scelestam,
Improba crudeles facient, infandaque multa:
Nec modo iustorum rationem vllus habebit,
Sed perdent omnes vesana mente furentes,
Læti flagitiis, manuumque cruore madentes:
Tunc non iam lenius cuiquam Deus esse putetur,
Sed genus humanum cunctum disperdere magno

Admonitio ad homines.

Æstu durescens; ad vos resipiscite stulti
Mortales, magnumque Deum irritare cauete,
Ponite sed gladios, gemitus, cædesque, nefasque;
Et totum fluuio corpus mersate perenni.

C

Tum manibus pacis ad sidera, præteritorum
Poscite factorum veniam, sanateque factis
Impia facta piis; nam sic Deus ipse vicissim
Consilium vertet, neque vos exscindet, & iram
Sedabit rursum, si vos modo mente coletis,
Quæ nil gratius est illi, pietatis amorem.
Sin autem mihi non credetis, & impietate
Capti, cuncta malis hæc auribus accipietis,
Igni flagrabit mundus, signumque dabunt hæc:
Enses atque tubæ simul, & sole exoriente
Terribilem sonitum, mugitumque audiet omnis
Mundus, & exuret terram omnem torridus ignis.
Hinc genus humanum postquam delerit, & omnes
Vrbes & fluuios exusserit atque profundum,
Omnia fient hæc mixtus fuligine puluis.
Omnia sed postquam in cineres collapsa iacebunt,
Et Deus obruerit tantum qui accenderat ignem,
Inque hominem Deus ipse iterum formauerit ossa

D

Et cineres mortalibus vt fuerant renouatis:
Iudicium tunc certo erit, in quo ius feret æquum
Ipse Deus mundi iudex: ac qui impietate
Peccarint, iterum iniecta tellure tegentur:
Contra iterum in terris viuent pietatis amici,
Ipsis dante Deo flatum, vitamque, cibumque:
Seque pij agnoscent omnes, sesèque videbunt.
O nimium felix, veniet qui tempus ad illud:

LIBER QVINTVS.

Deest versus.

*N*VNC *dicenda mihi lugubria tempora, fama*
Clara Latinorum, qui post tellure repostos.
Ægypti reges, habituros proxima regna,
Post cinemPelles, oriens cui paruit omnis

Alexander.

Diues & occasus domitori, quemque Philippo
Restituit Babylon, demonstransque putatum
Ammonis falso Iouis ortum semine fama:

Romani, Æneas.

Assaraci existens de stirpe & sanguine creti,

E

Autor erit quorum qui Troia diffidit ignes,
Post reges autem multos, & bellipotentes,

Romulus & Remus. Cæsar Iulius, Augustus. Antonius. Cleopatra.

Postque fera geminos natos balantinorantis,
Primus erit regum, cuius capitalis habebit
Littera bis decies, poterit qui plurima bello,
Et numeri formam primam denarij habebit.
Proximus hunc princeps sequitur, quem littera signat
Prima elementorum, horrebit quem Thracia terra,
Et Sicula, & Memphis: Memphis cui causa ruinæ
Culpa ducum fuit, & mulier seruire rebellis,
Per fluctus elapsa. feret quoque gentibus ille
Leges, & subiget cuncta, & post tempore longo

Tiberius.

Imperium tradet cuidam, cui prima valebit
Littera tercentum, qui carum nomen habebit
Fluminis, & Persas, Babylonemque aggredietur,
Et tandem rigida percellet cuspide Medos.

Gaius.

Deinde notam trini numeri sortitus habebit

F

Imperium: mox quem nota vicenaria monstrat,

Claudius. Nero.

Rex erit, Oceani extremas penetrabit ad vndas,
Et tunc indomitum Ausoniis subdet maris æstum.
Quem vero dominum nota quinquagesima signat,
Dirus erit serpens, spirans lachrymabile bellum,
Distentasque manus perdet sua originis olim,
Cunctaque turbabit certans, plebemque trucidans,
Et permulta patrans, bifidas & diuidet vndas,
Et percellet Atho; sed funditus intrimetur:
Deinde reuertetur; sesèque Deo æquiparabit.
Sed non esse Deum tandem Deus arguet ipse.

Galba, Otho. Vitellius Vespasianus. Titus. Domitianus. Nerua.

Post quem tres reges à sese alterna peribunt.
Hinc veniet quidam magnus, casorque piorum,
Quem nota perspicue decies septena docebit.
Filius est huius (nota tricenaria monstrat)
Auferet imperium: post quem futule tenebit.
Imperium; numeri quem quarti littera signat.
Hinc quinquagenum numerum vir honestus habebit
Quem sequitur, cui dat nota tricenaria nomen,

G

Traianus.

Gallus montiuagus, properans orientis ad arma.
Triste nec effugiet fatum, fessusque iacensque,
Mortuus externa tectus tellure premetur,
Floris de vento vocitati nomen habento.

Adrianus.

Post hunc argento galeatus nomine ponti.
Dictus regnabit: vir is optimus, omnia noscet.
Atque hac, cæruleis sub te insignite capillis
Optime, subque tuis excellentissime ramis
Omnia tempora erunt tres rerum summa tenebunt,
Omnibus at tandem potietur tertius ille.
Torqueor infelix, dum tristia fata recordor
Isidis ipsa soror diuina oracula pandens.
Principio circum ima tua lachrymabilis ædis
*Mænades augebunt: atque in manibus sceleratis**
Vna dies veniet, cum totu feretur in vrna
Ad sex atque decem cubitos Ægyptia Nilus,
Abluat vt terram omnem, mortalesque rigentur:

H

Et decor & terræ facies speciosa silebit; (dolebis:)
Memphi vicem Ægypti multum lachrymosa

In Memphim.

Nam prius imperio terra dominata potente
Fies vilis, vt de cœlo clamet & ipse
Fulmineus magna voce: O fortissima Memphi,
Olim mortales inter celebrata superbè,
Infortunata ærumnosaque flebis, vt alta
Immortale Dei cognoscat numen in æthra
Factus vbi tuus est, homines tumidissimus inter?
In natos etenim quoniam diuinitus vnctos
Es bacchata meos, iustisque immitis inique
Vsa, bonisque viris: ideo pro talibus ausis
Talis habenda tibi vestis, pœnaque luenda.
Iam tibi non inter sedes erit vlla beatos.
Ex astris es lapsa, nefas tibi scandere cœlum,
Hactenus Ægypto Deus hæc me dicere iussit
Tempus ad extremum, quo gens humana futura est
Pessima; sed durantque, malique malum opperiuntur,
Iram immortalis cœlestis & altitonantis:

In simulacrorum cultores.

Proque Deo lapides & ficta animalia, multa
Religione colunt, trepidi, diuersaque: quorum
Non vllus sermo. mens nulla, auditio nulla est:

Singula nec fas est verbis simulachra referre
Mortali fabricata manu; quos namque creauit
Humanaeque manus labor, ac industria mentis.
Accepere deos stulti, saxove, vel auro,
Ære vel argento factos, lignove dolatos,
Exanimos, surdos, conflatos ignis in æstu
Fecere, atque his frustra commisere salutem.
Opprimitur Tomnis & Xonis: consiliumque
Herculis atque Iouis frangetur, Mercuriique.
*Te quoque Alexandrea altrix celebris**
*Non cessabit bellum non**
**Quæ fecisti ante superbe*
Diu taciturna eris & reditus tempus.
** Nec tibi iam suauis potus fluet:*
***
†
†
Vastabitque tuam terram vir pessimus omnem,
Sanguineque inficiet, diris & cædibus aras,
Barbarus, immanis, rabie demente tremendus,
Ingentesque tua structuris strages aceruos.
Tunc eris vrbs olim felix, tunc plena laborum,
Plorabitque tuas Asia omnis compta venustas
Turpe caput donis, ad terram prona cadendo.
Cui vero Persa contingent, bella mouebit
Ægypto, occisisque viris prædabitur omnem
Victum, & rex Cissis missus diuinitus illi,
Vt sic tertia pars maneat mortalibus agris.
Ipse ex occasu saltu veloce volabit,
Terram desolans & vastans funditus omnem.
Sed cum terribilis multum dirusque valebit,
Iamque beatorum veniet populetur vt vrbem,
Rex quidam fortis missus diuinitus illo
Omnes excindet magnos regesque virosque.
Sic hominum finis existet deinde perennis.
Heu misero tibi cor, quid me narrare lacessis
Ægypti miserum multo sub principe fatum?
I, genus ad stultum Persarum solis ad ortus,
Iis monstra quæ sint præsentia, quæque futura.
Diluuium immittent Euphratis fluminis vnda,
Et Persas perdent, & Iberos, & Babylonas,
Massagetasque armis claros, atque arcubus omnes.
Tota Asia igne ardens æquor stillabit adusque:
Pergamus insignis quondam, succisa peribit.
Desertamque homines Putanen, vastamque videbunt.
Lesbos tota petet fundum, penitusque peribit.
Smyrnaque per præceps prolabens flebis: & olim
Quæ fuis insignis fama, celebrisque, peribis,
Bithinij patria flebunt incendia terra,
Et Syria magna, Phœnicesque arbore crebra.
Eheu te Lyciam, tibi quot molitur acerba
Omnibus in miseram terram vadentibus vltro.
Vt fleas ob motum tristem, latices & amaros
Expers vnguenti Lycia, id quod oleuerat olim.
Et Phrygiam grauis ira manet, constanto dolore,
Propter quem Iouis iniit eo Rhea, mansit & illic.
Barbara gens ab eo Pontus, Taurique peribunt,
Et Lapithas ad humum prostratos dispoliabit.
Thessalicos fines vndosum flumen & altum,
Peneus perdet, auens homines auellere terra,
Eridanus formas dicens generare ferarum.
Græcos vexabunt miseros bis terque poëta,
Nero.
Quando ex Italia processum ruperit isthmi
Magna rex magnus Romæ, similisque Deo vir,
Iuppiter (vt perhibent) quem de Iunone creauit,
Mellea qui dulci modulamine carmina fundens
Per cantus, perdet multos, miseramque parentem.
Id est Roma.
*Aufugiet * Babylone malus rex, horribilisque,*
Quem male mortales omnes odere, bonique,
Cum tot ob occisos, tum casa matre scelestum,
Coniugibusque parum fidum, prauisque creatum.
Et Medos autem reget, Persas & adibit,
Quos primos cupit, decus & quis conciliauit,
Inuisa genti mala commentando per illos.
Sustulit & templum diuinitus ædificatum,
Et ciues igni miseros combussit, eoque
Scandentes populos, quos iuste concelebraui.
Hoc etenim tremuit rerum natura creato,
Et reges periere, potestas mansit in illis.
Perdiderunt magnamque vrbem, populumque bonorum
Sed cum astrum stato magnum lucebit in anno,
Quod solum perdet terram omnem, propter honorem
Ipsi Neptuno primum posuere marino:
Deque polo veniet sidus magnum in mare magnum,
In Romam.
Altumque exuret pontum, atque ipsam Babylonem
Italiæ terram, per quam periere frequentes
Sancti Hebræorum fidi, delubraque vera:.
Tum vero duros patiere scelesta labores
Præmia digna tuis factis, desertaque in omne
Tempus eris, tempus deserta manebis in omne,
Ossa solum proprium, quia delectat e veneno es.
Mater adulterij, marium teterrima nutrix
Concubitus: vrbs mollis, iniqua, scelesta, nefanda.
Eheu vrbs terra prorsum impurata Latina,
Mænas viperea, ad ripas viduata sedebis,
Teque suam vxorem Tiberis lachrymabitur amnis,
Impius est animus tuus, & cor cæde cruentum.
Nescis quid possit Deus, & quid cogitet: atque
Sola (inquis) ego sum, non sum superabilis vlli
Nunc Deus æternus disperdet teque, tuosque,
Nec super vlla tui in terra monimenta manebunt,
Vt quondam, magnus tibi cum Deus auxit honores.
Sola scelesta mane, & flagrantibus indita flammis
Tartareas habita sedes inamabilis Orci.
Nunc Ægypte tuos iterum deploro dolores.
In Memphim.
Memphi laborum autor, tumulis & vertice plena,
In te pyramides audaci voce loquentur.
Python vrbs olim gemina vrbis condita iure,
Tempus in omne sile, vt finem des improbitatis.
Triste scelus, mænas lugubris, fœta dolore,
Anxifices fletura malis, vidua omne per æuum,
Annosa effecta es mundum tu sola gubernans.
Verum quando super sordens vestiet album
Barce vestitum, nolim nascive vel esse.
In Thebem.
Thebe, quid facta est tua tanta potentia? dirus
Perdet homo populum: tu pullo induta colore
Lugebis sola infelix, & præmia digna
Accipies factis, quæcunque scelesta patrasti.
Cernentur que tui planctus, ignara pudoris.
Syenen perdet vir magnus: vique subacta
Teuchiris Æthiopum nigris habitabitur Indis,
Pentapoli flebitque Soes vir robore magno.
O Libye fletura, quis enarret tua damna?
Quis te autem Cyrene hominum miserabile flebit?
Non vnquam deerit tristis tibi perdita luctus.
In Gallos.
In Gallis auro locupletibus, atque Britannis,
Oceanus multo resonabit sanguine plenus
Quippe Dei natis ipsi quoque damna tulerunt,
Tum cum Sidonijs rex Phœnix Gallica multa
Agmina de Syria deduxit, teque peremit,
*Ipsa Rauennaque ad cædem dux extitit. **
In Æthiopes & Indos.
Præstantes animi Æthiopes, Indique pauete.
Cum perstringet enim capricorni circulus axis,
Taurus & in geminis medio vertetur olympo,
Et virgo ascendens, & zona tectus amictu
Sol frontem ductor totum peragrabit Olympum,
Ardore ingenti flagrabit ab æthere tellus,
Astrorumque nouum certamen surget, vt omnis
India & Æthiopum tellus considat in ignes.
In Corinthum.
Tu quoque deplora tua tristia fata Corinthe.
Nam cum tergemina voluendo stamine Parca
Nero.
Nentes deducent fallaciter aufugientem,
Ad fortes isthmi sublimem, dum videatur
Omnibus is, ferro qui rupem ruperit olim,
Vastabitque tuas late fataliter oras:
Nam Deus huic vni vires dedit efficiendi.
Quæ potuit regum cunctorum nemo priorum.
Primum quidem è tribus capitibus cum falce radicis
Insistens eximie aliis dabit euellere.
Regis vt infandi comedantur membra parentum.

Namque

A
Namque manent cunctos homines cadesque metusque.
Propter magnam urbem, & populum virtutis alumnum,
Prouida quem semper durantem cura tuetur.
Inconstans, peruerse, malis circumdate fatis,
Principiumque mali, mortalibus exitus ingens, [Hic diuinaui.]
Quem natura malis fatis infensa creauit:
Triste nefas, dirum, monstrum mortalibus ingens:
Quis tibi quis bene vult? quis non irascitur intus?
Iratus se quis vitam amisit rex præcipitatus?
Omnia turbasti misere, seminu malorum,
Et per te pulchri mutauit machina mundi.
In lites nostras hac mobilis obiice forsan.
Quo pacto dicis tibi persuadebo? quod in te
Si quid reprendo, dico, solis subgr inter
Mortales olim clarum sunt, irradiante
Lumine concordi vatum: totque suauem
Humano generi diffundent lingua liquorem
B
Exitit, & pergebat, & omnibus orta dies est.
Ergo summorum vilissime causa malorum,
Aduenient illis gladius luctusque diebus,
Principiumque mali mortalibus exitus ingens,
Quem natura malis fatis vitiata creauit.
Tristem audi famam, pestis mortalibus atrox,
Verum cum bellis iam Persica terra carebit.
Et peste & gemitu: tunc illo tempore viuet
Iudæum diuum genus, & caleste beatum,
Qui terra mediis habitabunt finibus vrbem
Diuinam, & magnis ambibunt mænibus vsque
Ad Ioppen, celsas tangentes culmine nubes.
Non iam terribili sonitu tuba bella ciebit,
Non hostes manibus furiosis interimentur.
Sed statuent mundo præclara trophæa malorum.
Existetque olim quidam vir ab æthere præstans,
Cuius frugifera distendit in arbore palmas
Optimus Hebræus, licuit cui sistere solem, [Iosua.]
C
Clamando pulchris verbis, castisque labellis.
Desine iam mentem cruciare, & pectora curis, [Ad Iudæam.]
Diua genus, summe locuples, optate Deo flos,
Lux bona, delubrum venerabile, germen amœnum,
Vrbs elegans, Iudæa venusta, & laudibus alma.
Persica non deinceps Græcus bacchabitur arua,
Impurus, diram qui fert in pectore mentem.
Sed nati multum decorabunt egregij te,
Et modulata sacris dicent tibi carmina linguis,
Omnigenisque Deo sacris, precibusque litabunt
Ex paruisque malis quicunque tulere labores,
Multo plura malis iusti bona lata tenebunt.
At mali, in æthera qui linguam iecere scelestam,
Cessabunt inter sese maledicta referre,
Seque abdent, donec fiat mutatio mundi.
Igneus exiliet vero de nubibus imber:
Nec iam homines pulchras carpent telluris aristas
Nec satio prorsum fiet, nec aratio, donec
Norint mortales numen quod cuncta gubernat,
D
Æternum, neque iam morti subiecta colantur,
Aut canis, aut vultur, quorum monstrarunt honores
Oribus Ægyptus stultis, fatuisque labellis.
Sancta sed Hebræis erit, & feret omnia tellus,
Et de rupe fluent latices, linguaque, suaues,
Omnibus & iustis lac immortale scatebit,
Quippe quibus genitore Deo, præstantique solo
Fretis, magna fuit cordi pietasque fidesque.
Verum quid tandem sapiens mihi suggerit hæc mens?
Te te Asia infelix tristi deploro querela, [In Asiā.]
Ionumque genus, Carumque, auroque scatentum
Lydorum; heu Sardis, heu multum Trallis amœna:
Eheu Laodicea, vrbs pulchra: peribitis ergo
Motibus euersa terra, puluisque redactæ
Asia caliginosæ Lydorum auroque potentum.
Ast Ephesi structum Dianæ nomine fanum, [In Ephesi fanum.]
Motibus & vasto subter mare sidet hiatu,
Præceps, vt naues rumpunt si quando procella.
At lachrymas Ephesus recubans ad littora fundet,
Et quod erit nusquam templum gemebunda requiret.
Tum Deus indignans æternus, in æthere degens,

E
Fulmine præcipites sceleratos desuper vret.
Proque hyemis glacie fiet tunc temporis æstas.
Tunc homines placida tandem requiete fruentur.
Nam pater omnipotens sceleratos eruet omnes,
Fulgureque, & tonitru, flagranteque fulmine diras
Exercens iras, & delens flagitiosos.
Terraque defunctos plures portabit arenis.
Nam veniet quoque Smyrna, suum plorando Lycurgum
Ad portas Ephesi, porro magis ipsa peribit.
Cuma autem demens, cum tactis numine lymphis, [In Cumam.]
In manibus diuum, sceleratorumque virorum,
Deiecta, haud tantum saltabit in æthera deinceps,
Verum in Cumeis remanebit mortua lymphis.
Tunc aduersa simul degentes perpetientur,
Scies signum habens quia labores tolerasti.
Nam genus inuisum Cumanum, gensque proterua est.
Hinc postquam in cineres fuerit mala terra redacta
Lesbus in Eridanum per secula tota peribit. [Lesbus.]
F
Eheu te Corcyra venusta vrbs, desine luxum. [Corcyra.]
Solaque diuitiis Hiera ò spatiosa pusita, [Hiera.]
Sede quidem multi luctus potiere cupita,
Complanata iacent ad flumina Thermodontis.
Petrosa & Tripolis Mæandri ad fluminis amnem, [Tripolis.]
Nocturnis vndis repleta in littoris ora,
Omnino perdes diuinum consilium te.
Ne me vicinam Phœbi vastare volentem
Terram †
Miletum mollem delebit fulmen ab alto, [Miletus.]
Accepit quoniam Phœbi fallacia dicta,
Consiliumque virum prudens, curamque sagacem.
Parce o omniparens teneræ terra atque feraci,
Iudææ magnæ, tua quo decreta feramus. [In Iudæam.]
Hanc etenim primam nouis per munera numen,
Vt videant omnes diuino munere primam
Mortales hanc esse, Deo præcellere dante.
G
Infelix aueo spectare negocia Thracum, [In Thraces.]
Et murum bimarem per pulueris aëra plenum,
Fluminis ut morem piscoso gurgite ferri.
Hellesponte eheu, vastabunt Assyrij te, [Hellespontus.]
Pugnaque teque tuasque euertet Thracia vires,
Rexque Macedonios Ægypti depopulabit, [In Macedonas.]
Robur & imperij peruertet barbara pubes.
In Pisidis Lydi, Galatæ, Phamphylij, omni
Cum populo armati, certamen triste tenebunt.
Italia infelix, deserta, infleta manebis, [In Italiā.]
In terra viridi, in saltum syluamque redacta.
Omnibus & dabitur spatiose ex æthere calo
Diuinam vocem ritu exaudire tonitrus.
Iam non existent flammantia lumina solis,
Lumine nec claro splendebit lumina deinceps,
Cum Deus extremo regnabit tempore: verum
Omnia per terras caligo nigra tenebit,
Atque homines caci, plangorque furorque ferarum
Tempore erit longo tunc, cognoscatur vt ipse
H
Rex Deus, omnia qui cælo speculatur ab alto.
Nec vero tunc ipse suos miserabitur hostes,
Agnorumque oniumque greges, vitulos & opimos
Mactantes, vitulos magnos, & cornibus aureis,
Exanimes, diuisque ex marmore factis.
Quod fas est, iustisque places, sapientia habetor,
Ne Deus æternus succensens doleat olim
Omne genus, vitamque hominum, stirpemque nefandam.
Aeternus genitor, sapiens Deus vsque colatur.
Sub luna finem postremo tempore bellum
Ingruet insanum, fallax, ac insidiosum.
Matris & occisor quidam de finibus orbis, [Nero.]
Vir fugiens veniet, spirans immane, fremensque,
Omnes qui terras vastabit, & omnia vincet,
Ante homines que omnes prudenter cuncta videbit.
Propter quam periitque, & protinus auferet ipsam,
Et multos homines perdet, magnosque tyrannos,
Exuretque omnes, aliis faciebat vt olim.
Rursus & attollet collapsos innulis idem.
Ast ex occasu nascentur plurima bella.
Per ripasque cruor rapidos manabit ad amnes,

Atque

A

Atque Macedonia stillabit bilis in armis,
Auxilium occasus quærens, regisque ruinam.
Tunc tempestatum perflabunt flamina terram,
In sanctoque solum bello replebitur eius,
Inque homines ignes de cœli depluet oris,
Ignis, sanguis, aqua, fulmen, nox ætheris atra,
Et belli clades, atque in caligine cædes.
Et reges omnes perdet simul, eximiosque.
Sic belli exitium capiet miserabile finem.
Nec quisquam gladiis aut ferro belligerabit
Postea, nec telis, quæ deinceps esse nefas est:
Sed sapiens populus gaudebit pace superstes,
Aduersa expertus, latis vt deinde fruatur.

Ad Rom.

Matrum cæsores, animos cohibete feroces,
Audacesque manus, qui fœdos instituistis
Concubitus olim puerorum: prostibulisque,
Quæ fuerant castæ, meretrices prostituistis,
Flagitiis victas, & fœde sollicitatas.

B

In te nam mater nato commixta scelesta est,
Concubuitque suo genitori filia sponsa.
In te etiam miserum reges os commacularunt,
In te homines pecudum coitum inuenere nefandi.
Deplorata sile, scelerata, vrbs luxuriosa.
Non iam perpetuo seruatas fomite flammas
Virgineæ inuenient in te, diuasque puellæ.
Extincta est istic ædes peramabilis olim,
Tum cum, præcipitem flamma superante secundam
Vidi labentem manibus crudelibus ædem,
Ædem perpetuo florentem: numine templum
Augustum, à sanctis structum, semperque futurum
Ipsius ex animo speratum, & corpore, quippe
Numen ab obscura terra non segniter ornat.
Nec lapides apud hos opifex fabricauit acutus:
Nec saxum mundi cultum est errore, vel aurum:
Sed magnum patrem cunctorum, quos Deus afflat,
Sacrificando Deum coluere, sacrisque litando.

C

At nunc quidam rex ignobilis atque scelestus,
Præstantum numero magno comitante virorum
Venit, & hanc prostrauit, inextructamque reliquit.
Ipse Immortalem in terram grassatus obiuit.
Necdum tale fuit signum mortalibus vllum,
Vt magnam vrbem alij videantur diripuisse.
Venit enim cœli vir ab alta sede beatus,
In manibus gestans diuino munere sceptrum,
Omnes qui pulchre vicit, retulitque bonorum
Diuitias ipsis, quas diripuere priores:
Atque solo cunctas vrbes multo eruit igni,
Et dedit in flammas populos hominum ante malorum.
Præcipueque Deo dilectam reddidit vrbem,
Et sole & stellis & luna splendidiorem,
Illic ornatum posuit, tam condidit almum
Corporeum pulchrum templum, turrimque sub auras
Multis in stadiis magnam produxit, & amplam,
Ipsas tangentem nubes, cunctisque videndam:

D

Omnes vt iusti videant, omnesque fideles,
Splendorem æterni, spectacula dulcia, patris.
Ortusque occasusque Dei celebrant honores.
Non etenim deinceps mala sunt mortalibus ægris,
Furtaue coniugij, in puerosue nefanda libido:
Aut cædes: turbaue: sed est his omnibus æqua,
Vltima sanctorum sunt tempora: namque ea condit
Altitonans, opifex templi super omnia magni.

In Babylonem.

Eheu te Babylon solium aurea, & aurea plantas,
O regina vetus, quæ mundum sola gubernas,
Vrbs olim magna & celebris, non amplius aureis
Montibus, Euphratis liquidas residebis ad vndas:
Tempore sterneris motus, vt cuncta domares,
Parthi fecerunt acres, os comprime fœda
Gens Chaldæorum: ne cura, neue rogato,
Quo pacto Persasque reges, Medosque domabis.
Propter enim tuum imperium, cuius habuit obsides,
Romam mittens, & Asiæ mercede seruientes,
Ideirco & ipsa regina sapiens in iudicium
Atticorum venies, quorum causa mala perpessa es.
Proque malis verbis pœnas dabis hostibus acres.

Porro siccus erit postremo tempore pontus:

E

Tum nec in Italiam vadent per cærula naues.
Tunc Asia illa ferax rerum, redigetur in vndas,
Creteque campus erit, feret & mala, tristia Cyprus:
Et Paphus vt sapiat, patietur tristia fata.
Et Salamina vrbem magnam, mala tristia passam
Tunc erit infelix, sterilisque in littore tellus.
Cypria non pauca vastabunt arua locustæ
Spectandoque Tyrum mortales flebitis ægri.
Phœnice, grauis ira tibi est ventura ruinam:
Vt vere plorent casum Serenes acerbam.
At quinto seclo, cum clades desinet olim
Ægypti, reges cum miscebuntur iniqui,
Omnigenæ gentes Ægyptumque aggredientur:
Inque Macedonia, Lycusque, Asiaque mouebit
Exitiale, & humum sparsurum sanguine bellum:
Quod Roma reprimet rex, occiduique potentes.
Hinc postquam hybernis niuibus, iam defluet aër,

F

In Asiã.

Et fluuij ingentes: & maxima stagna rigescent,
Protinus inuadeat Asiæ oras barbara turba,
Et duros perdent, quasi sint sine robore, Thracas.
Tunc homines mœsti vescentur carne parentum,
Et tales epulas, fame sic vrgente, vorabunt:
Præbebitque feris mensam domus omnis: & ipsa,
Et volucres, omnes mortales dilacerabunt.
Oceanusque (malum) fluuio fundente, rubebit
Sanguine stultorum, reuolutaque corpora merget.
Sic demum parua tellus requiete fruetur,
Vt numerusque virum, matronarumque sciatur.

In occidentales.

Innumerum vero flebis gens dura sub orbis
Occidui finem, ne rursum ascendere possit,
Oceani remanens vt perfundatur ab vndis:
Nam multorum hominum vidit commissa nefanda.
At magnum cælum nox circumfusa tenebit,
Obducetque tantum niger densissimus orbem
Rursum deinde bonis ostendet quæ sit eundum
Lux diuina viris, qui laudauere Tonantem:
Isi dea infelix, Nili remanebis ad amnem,

G

Sola furens mænas, permixta Acherontis arenis:
Fama nec vlla tui toto remanebit in orbe.

In Serapim.

Tuque Serapis sedens in saxis, multa dolebis,
Magnaque in Ægypto infelice ruina iacebis.
Quique per Ægyptum studuere tibi, acriter omnes
Te flebunt: sed queis illæsa in pectore mens est,
Noscent te nihil esse, Deum quicunque celebrant.
Deque sacerdotum numero quidam vir amictus
Lino: Agedum (dicet) delubrum constituamus
Formosum, verumque Dei prauosque parentum
Mutemus ritus, factos cretaque petrisque
Qui coluere deos, stulti, festisque sacrisque.
Mutemus mentes: celebretur carmine nostro
Æternus genitor, peremtis nescius anis,
Rex verus, rerum cui summa potentia, semper
Magnus, quique animas fecit, nutritor earum.
Tunc & in Ægypto templum visetur, & ingens,
Et castum, quo sacra feret coniuncta Deo gens:
Æternamque dabit Deus illis ducere vitam.

Onias, Onia Pōtificis filius. Ioseph. An. 13.

H

Sed cum desertis impura gente Triballis
Æthiopes tulerint simul Ægyptum & suam arari,
Incipiens cladem, quo fiant postera cuncta.
Nam templum tollent: quod magnum Ægyptus habebit.
In terrasque Deus duram illis depluet iram,
Vt pereant cunctique mali, cunctique nefandi:
Nec penitus deinceps parcetur finibus illis,
Quod non seruauere, Deus quod tradidit ipsis.
Ipsa minas solis vidi splendentis in astris,
Nec non & sæuas iras in fulgure lunæ.
Parturiere (Deus permittit) sidera pugnam.
Nam longa pugnam flamma pro sole serebant.
Lucifer instabit pugnæ, vrgens terga leonis.
Est etiam luna mutata ærumna bicornis:
Percussit iuuenis tauri neruum capricornus:
At reditum rapide capricorno taurus ademit.
Orionque iugum summotum sede remouit.
Et virgo gemino mutauit in ariete sortem:

A

Abditn pleias erit, zonamque draco ipse negauit.
Pisces immersi cinctum subiere leonis.
Cancer non mansit, namque Oriona timebat.
Scorpius in caudam subiit, praestante leone.
Elapsus canis est flammato solis ab igne.
Luciferi vires accendit aquarius acres.
Commotum caelum pugnantes perculit ipsum,
Iratumque ipsos in terras praecipitauit.
Sic vada ad Oceani deiecti protinus omnem
Terram incenderunt. mansit sine sidere caelum.

LIBER SEXTVS.

Alterius hæc esse videntur.

De Christo.

B

AETERNI magnum natum cano pectore ab imo,
Cui solum genitor tribuit supremus habendum,
Nondum progenito siquidem de corpore duplex
Extitit, est autem perlutus fluctibus amnis
Iordanis, glauco cuius pede voluitur vnda
Et igne ex primo primus Deus, qui & suauem
Spiritu factum albis alis columbæ.
Flos autem purus florebit cuncta serenans,
Ostendetque hominum generi callesque, viasque
Caelestes: omnes sapiens voce docebit.
Iustitiam tradet, populum alliciendo vel hostem,
Caelestis iactando genus laudabile patris.
Pacabit fluctus, & morbis eruet agros:
Vitam defunctis reddet, pelletque dolores.
Et panis de fonte hominum satias erit vno,
Cum domus effundet stirpem Dauidicam, cuius
In manibus totus mundus, tellus, mare, caelum.
Emicabit autem in terra, qualem olim primo apparentem
Viderunt ex mutuis costis duo illi facti.

C

Tempus erit, cum spe tellus gaudebit alumni.

In Hierosolymā.

At solam Sodoma tellus mala dira manent te.
Nanque Dei, male sana, tui to notto fugit,
Sensibus humanis ludentis: nempe coronam
De spinis illi posuisti, inturia maior
Quo foret: & potum fudisti fellis amari.
Ergo tibi strages ingentes spiritus edet.
O lignum felix, in quo Deus ipse pependit.
Nec te terra capit, sed caeli tecta videbis,
Cum renouata Dei facies ignita micabit.

EX LIBRO SEPTIMO.

Hæc confusa sunt: quorum pars est in libro primo.

VRBES inter eris prima, & te prima necabis,
Orba viris, verum non victus vllius expers.
Dele, natabis tu, perque vndas mobilis ibis.
Cypre, maris vero te vxoria diruet vnda.
Sicilia, exuret te, qui sub te exaestuat ignis.
Nec vitare Dei terrorem inamabilis vnda.
Noë quidem venit fugiens ex omnibus vnus.

D

Nabit humus, nabunt montes, innabit & æther.
Omnia fluxilis erit, perdentur & omnia fluctu.
Sed venti ponent, atque ætas altera surget.

In Phrygiam.

O Phrygia in summas vndas tu prima micabis:
Prima deum vero pulsa pietate negabis,
Gratificans mutis simulachris perditis, quæ te
Perdent, infelix, multis voluentibus annis.

In Æthiopes.

Æthiopes miseri, lugubria funera passi,
Cædentur gladiis tremefacto corpore duris.

In Ægyptum.

Ægyptum pinguem, quæ semper flores aristis,
Quam restiens ebriat septeno flumine Nilus,
Perdet ciuilis praedatio. deinde repente
Eiicient non diuum homines mortalibus Apim.
Eheu Laodicea, Deum neque videris vnquam,
Et falsum dices audax: assque cremabit
Te ipse Deus magnus genitus, qui sidera multa
Efficiet, mediumque axem suspendet in æthra
Ingentemque metum statuet mortalibus altum,

E

Vndique quam multo circumdabit igne columnam,
Cuius perdentur homines aspergine sontes.
Nam communis erit rex olim tempus, ibique
Placabunt homines numen, neque tristia damna
Sedabunt: quorum domus est Dauidica causa.
Conciliauit enim solium Deus ipse, deditque
Ipsi sub pedibus vero Genij dormibunt,
Quique pyras monstrant, etiam qui flumina monstrant,
Quique vrbes seruant, etiam qui flamina mittunt.
Sed multos homines inuadet vita molesta,
Insinuans animis, humanaque pectora mutans.
Sed de stirpe nouum cum germen lumina soluet
Creatura, quam olim omnibus cibum dedit copiosum.
Et hæc quidem circa tempora erunt plura, sed cum alij
Cum gens Persarum regnabit bellipotentum,
Protinus existens, ob sponsarum improbitatem,
Infandi thalami; num natum mater habebit,
Inque vicem natus peccabit coniuge matre.

F

Filia succumbens patri qui barbaricei
Mos est huic faciet somnos, sed posterus ipsis
Romanus mauors exurget cuspide multa,
Multamque humano fœdabunt sanguine terram.
Tunc Italus fugiet bellator cuspide victus.
Calatumque auro florem in tellura relinquent.
* ferunt semper signum necessitatis
Porro tempus erit, cum fatis tota sinistris

In Troianos.

Ilias haud nuptum; sed combibet improba bustum.
Atque ibi plorabunt nymphæ miserabile, quando
Non nouere Deum, sed semper tympana pulsu
Tangere, semper eis crepitacula plaudere cura est.

In Colophonem.

Fata require, tibi Colophon grauis imminet ignis.

In Thessaliam.

Thessalia infelix nymphis: non amplius aut te,
Aut cinerem cernet tellus? nam sola natabis
A terra fugiens, ò ærumnosa, relicta.
Et prabebis eis belli vilissima sordem,
Et rapidis fluuiis, & duro diruta ferro.

G

O miseranda Corinthe, grauis certamine martis
Circumdaberis, & vos mutuo vulnera perdent.
Tyre, tu vero quanta accipies sola? piorum enim.
Virorum regio es; parua claritas te differet.
Assyria Cœle Phœnicum summum virorum
Quibus eructata iacet † † salum
Non nosti miseranda tuum, quem proluit olim
In Iordane Deum † & volitabat spiritus †

Christus.

Qui prius & terra fuit, & stellantibus oris.
Factus voce patris princeps, & flamine sancto:
Corpus & indutus celer in patris euolat ædes.
At magnum caelum tres turres condidit illi,
In quo nunc habitant genitrices numinis almæ,
Spes alacris, pietas, & dulcis religio, quæ
Non auro gaudet, non argento, sed honestis
Cultibus humanis, sacrisque, & pectore iusto.
Vt vero facias magno, æternoque Tonanti,
Augustoque, sacrum, non thuris in igne liquescet
Mica tibi, nullus cultro mactabitur agnus:
Sed consanguineo cœtu stipante tuorum.

H

Agrestes capeas in caelum lumina tendes
Mittet cum precibus volucres: lymphaque liquorem
Igni libabis puro, sic voce locutus,
Qui te progenuit verbum caelis pater vndes
Mitto pater, referens propere quæ verba, volucrem
Aspergens baptisma suum, per quem ignem apparuisti
Nec portam claudes, si quis tibi venerit hospes
Indignus, vt fame se defendat, pauperieque:
Sed caput illius sumpta conspergito lympha.
Terque tuum venerare Deum sic voce profatus:
Non amo diuitias, tenuisque aliquando vicissim
Accepit tenuem, pater accipe vota secundus.
Orantique dabit, respondit vir quoque contra.
Ne me dilectum Domino caput opprime, germen
Quin potius iustum, immaculatum, & suscipe sanctum.
Confirma miserum mihi cor pater, intueor te,
Immolatum te, quem non fecit manus vlla.

In Sardo.

Sardo nunc grauis in cineres conuersa iacebis,
Insula iam nec erit, decados cum venerit annus.

Nautaque

Nautaque te nusquam existentem quaeret in undis,
Alcyonesque tuum flebunt lachrymabile fatum.
In Mygdoniam.
Aspera Mygdonie specula insperata profundi,
Omnem per seriem scelerum tota senesces,
Perdita ferventi vento, lymphata dolore.
In Galliam.
Gallia difficiles qua montibus accolis alpes,
Omnis arenarum cumulus operibere, nec iam
Fruges, aut segetes paries, herbasve: sed omni
A populo deserta, gelu glacieque rigebis
Aeternum, culpamque lues quam perdita nescis.
In Romam.
Roma ferox animi, post fracta Macedonis arma
Fulgure perstringes caelum, sed te Deus omni
Robore privabit, cum firma videberis esse
In primis: at tunc tibi talia vociferabor:
Perspicuum periens olim clarumque sonabis.
Plura quidem dictura tibi sum Roma deinceps.
At nunc te Syria infelix miserabile ploro.
Theba inconsulta, vobis sonus horridus instat
Vocalis litui: vobis sonitum tuba tristem
Emittet, terramque perire videbitis omnem.
Eheu infelix, eheu mare perfidiosum,
Omne vorax ignis te perdet: tu sale gentes.
Tantus enim terris insaniet ignis, aqua vis
Quanta stat, terram delebit funditus, uret
Montes, siccabit fontes, fluviosque cremabit.
Mundus erit iam non mundus, populique peribunt,
Heu miseri ardentes, & caelum suspicientes,
Caelum non astris rutilum, sed ab igne laborans.
At non perdentur subito: sed corpora sensim
Tabescent, animi totos urentur in annos.
Semper male-examinatam Dei legem videbunt
Non reiiciendam esse, coacta igitur terra
Quemcumque audax Deum susceperit aras
Mentita, fumum autem per aethera dolores ponentem.
In primis autem angentur, qui nomine lucri
Turpia praedicent, augentes tempus acerbum.
Hebraei sane sciderius cum tergus ovile,
Mendaces referent, quae non sunt dicere iussi:
Verba quidem dantes, facientes lucra dolorum.
Qui mores vertent, nec iusti pellicientur,
Quique Deum plane sincero pectore placant.
Ultimi temporis felicitas.
Tertia sed eam sors vertentes duxerit annos,
Octavo primo mundus spectabitur alter,
Nox incredibili caligine longa manebit.
Tunc exhalabit teterrima sulphuris aura,
Nuntia cladis: eis fame debitae, & nocte peremptis,
Tunc hominum gignet puras in pectore mentes,
Restituetque genus, fuit ut tibi tempore prisco.
Iam nullus sulcos curvo proscindet aratro,
Terra nec a bubus ferro scindetur acuto.
Nec spica, nec erunt sarmenta, sed omnibus una
Roscida manna simul mandent dentibus albis.
Nec Deus abfuerit illis, qui cuncta docebit,
Ut sceleratam me, nam quae scelera ante patrani
Prudens, & studio peccandi perdita feci?
Mille mihi lecti, connubia nulla fuerunt,
Iureque iurando quosvis periura ligavi.
Exclusi tenues, & per mollissima rura
Quoslibet admisi, magni secura Tonantis.
Propterea igni sum consumpta, eoque, nec ipsa
Vivam, sed perdet durum me tempus, ibique
Constituent homines bustum mihi, posteri at undis,
Me periment saxis, quoniam meo Patri
Charum dedi natum: me cadite cadite cuncti,
Sic etenim vivam, atque in caelum lumina figam.

LIBER OCTAVVS.

TERRIBILES toti mundo divinitus iras
Postremi secli venturas tempore pando,
Omnibus humanis effunde futura per urbes,
Ex quo collapsa turri discrimina linguae
Sumpserunt hominum, variato munere vocum.
Principio Aegypti, Persarum postea regnum,
Medumque, Aethiopumque, ac Assyria Babylonis.
Deinde Macedonia fastus offata minaces,
Italia regnum clarum dirumque recludo,
Italiae imperium.
Extremum pariet quod mundo tristia multa,
Conatusque hominum consumet totius orbis,
Occiduasque feros reges perducet in oras,
Et leges ponet populis, & cuncta domabit.
Sed mola postremo pinset divina farinam.
Omnia tunc ignis perdet, vertetque minutum
In cinerem, celsos montes, & corpora cuncta.
Sola est causa mali cunctis dementia habendi.
Nam fallacis erit auri argentique cupido.
Nil etenim censent homines praestantius istis,
Non lumen solis, non caelum, non maris aequor,
Non vastam terram, quae procreat omnia: non qui
Donat cuncta Deum, genitorem totius orbis:
Non fidei, non plus tribuunt pietatis amori.
Impietatis fons, perturbandi ordinis autor,
Belli causa, hostis pacis, dementia habendi:
Quae patribus natos, patres inimicat alumnis.
Connubiis nec honos, auro praesente, manebit.
Terra omnis metas, custodes aequor habebit,
Omnibus astuto divisa scatentibus auro,
Ut terram semper videantur velle tenere.
Diripient tenues, ut agris maioribus ipsi
Quaesitis, illos cogant servire superbi.
Quod nisi terra procul caeli stellantis ab oris
Sed remota foret, non lux foret omnibus aequa,
Sed quaesita auro solis locupletibus esset,
Pauperibusque aliam mundum Deus ipse pararet.
Romae ruina.
Par tibi de caelo, sublimis vertice Roma,
Adveniet clades, & flexo vertice prima
Complanaberis, & tota absumeris ab igni,
In tua decergens sola: divitiaque peribunt,
Inque tuis degent vulpesque lupique ruinis.
Tunc deserta, quasi nunquam sis nata iacebis.
Tunc ubi Palladium? quis te Deus asseret auro,
Aereve, vel saxo factus? consulta senatus
Tunc ubi sunt? ubi Rhea, Saturnique propago,
Aut Iovis? & quorum tot religiosa celebas
Manes exanimos, simulacraque luce carentum?
(Infelix quorum se iactat Creta sepulchris)
Sedibus exorans vita sensuque carentes?
Sed tibi cum reges fuerint ter quinque potentes,
A quibus occasus mundi subigetur, & ortus,
Adrianus.
Rex erit albenti galea, qui nomen habebit
Vicini Ponti: mundum pede visit iniquo,
Munera conquiret, magnum auri pondus habebit,
Nec non invisi argenti plus congeret, atque
Detectum solvet: mysteria cuncta scaebit
Arcani magici: puerum monstrabit & ipsum
Esse Deum: tollet, sancte quaecunque coluntur,
A capite erroris cunctis arcana recludet.
Ex illo tempus flendum, quia reste peribit,
Praque potens populus, urbs corruet, inquiet olim,
Noscens continuo venturum tempus acerbum.
Tunc tua lugebunt tristissima fata videntes,
Et miseram foveam, patres, natique tenelli,
Eheu lugebant maestas ad Tybridis undas.
Post hunc regnabunt tres ultima tempora habentes,
Implebuntque Dei caelestis nomina, cuius
Imperium nunc est, & tempus in omne manebit.
Unus sane aut plenus diu sceptra tenebit,
Rex nimis infelix, qui totius in sua tecta
Nero.
Congeret orbis opes, servans, ut quando redibit
Extremo casor matris fugitivus ab orbe
Omnibus has donans, Asiam locupletet abunde.
Tum tu purpureo imperii nudata nitore
Flebis, & in pullo luctus iterabis amictu.
O rex iactator, Roma progenite Latina,
Iam tuus haud fama fastus celebrabitur ulla,
Prostratusque semel nunquam miserande resurges.
Gloria namque cadet gestantum aquilas legionum.
Quo tibi tunc vires? Quae te armis terra iuvabit,

Per te nequicquam seruire coacta, scelesto?
Nam genus omne, hominum toto turbabitur orbe,
Cum pater omnipotens veniet, solioque sedebit,
Vt viuos, functosque, vt totum iudicet orbem.
Tum nec amicus erit nate pater, ipséve patri
Filius, ob subiteis casus atque impietatem.
Ex illo excidium gemitúsque, fugásque manebo,
Oppida quando ruent, & tellus edet hiatus.

Æsculapius Romã aduectus.

Ignifer ergo draco liquidis cum venerit vndis,
Prolixo cum ventre, suosque f·uebit alumnos
Instantis fam s & ciuilis tempore b·lli:
Tum finis mundi, tum lux extrema propinquæ,
Iudiciúmque Dei æterni lectisque, probísque.

In Romã

Sed Roma procedet ineluctabilis ira:
Infelix vita u luoniet, tempúsque cruentum.

Italia.

Eheu † immanis regio, gens barbara valde,
Non animaduertis nuda vnde, indignoque
Veneris in lumen, repetas vt rursus eundem
Nuda locum, postremo in ius venturu seueram
Ve iura exercens iniustè †
Sola gigantæis manibus, quaquá patet orbis,
Dilapsa ex alto terris habitabis in imis,
Sulphuréque, & naphtha, multoque bitumine, & igni
Vanesces, & eris cinis ardens tempus in omne.
Quisquis & aspiciet lugubres audiet istinc
Planctus, inque Orco dentes stridore crepantes,
Et te dira tuis tundentem pectora pugnis.
Illic diuitibus par nox est, pauperibúsque
Omnibus, è terra nudi, nudi sub eandem.
Crescentis vitæ tempus mox exitus aufert.
Nullus seruus ibi, non est herus, atque tyrannus,
Nec rex, non inuidus ductor, non legibus vtens
Orator, non qui discernat iurg a princeps.
Non fuso recalet libantibus ara cruore.
*Tympana non resonant, non cymbala**
Tibia multiforí non turbat pectora cantu,
Non lituus forma tortos imitante dracones,
Non qua barbarico sonitu tuba nunciat arma:
Non comes ebrietas luxus, non fœda libido:
Non citharæ sonitus, non sunt commenta malorum:
Non vis, non variè se versans ira, nec enses
Sunt vita functis, commune sed omnibus vnum.
Claniger ad solium diuinum carceris vlti,
Et signis auro, argento, saxóve politis.
Pulchro estote, diem quo pertingatis acerbum.
Roma tuas primas cernens pœnas fremitumque,
Nec tibi iam seruile iugum ceruice subibit
Aut Syrus, aut Græcus, vel barbarus, aut alius quis:
Excindere, luésque quod vnquam cumque patrasti,
Et trepidans, donec persolueris omnia, flebis:
Tuque triumphus eris mundo, tu dedecus orbis.
Ex illo sexta defuncti ætate Latini
Reges postremum viuent, & sceptra relinquent.
In gentem sed rex alius regnabit eandem,
Qui subiget terras omnes, & sceptra tenebit,
Marte suo regnans (ea numinis alma voluntas)
Succedétque eius stirps inconcussa nepotum.
Num sic in fatis fixum est vertentibus annis.
Ægyptus reges postquam ter quinque crearit,
Illinc cum Phœnicis aduenerit quinti temporis
Ad gentes veniet diuersas depopulandam
Hebræam gentem: tunc mauors marte premetur,
Is Romanorum perfringet telo, minasque.
Interiit florens Romana potentia quondam,
Vrbibus hinc atque hinc positis regina vetusta.
Non iam Romanum latum agrum deinde domabis,
Ex Asia quando veniet cum marte potenti.
Omnibus his factis veniet sublimis in vrbem.
Porro quater decies complebis, terque trecentos
Annos, atque octo, cum te pertingere metam
Tristia fata, tuo completo nomine, cogent.
Hei mihi, quando illud tempus miseranda videbo
Roma tui quandoque, Latinus sed mage cunctis
Comessatur consilio * occulto puerperio
Ex Asia terra Troia portante quadriga,
Exardens animo, sed postquam ruperit Isthmum,
Aspiciens omnes pelagus traiectus eundo,
Nigro inuadetur tunc bestia magna cruore.
Edidit & canis in pastorum damna leonem.
Sceptra adiment autem, quin & penetrabit in Orcum.
Et Rhodiis veniet clades postrema, sed ingens.
Et Thebas manet exitium miserabile eandem.
Ægyptusque ducum vitio, culpaque peribit.
Et qui tum fugiet casus mortalis acerbos,
Is vir erit felix, is terque quaterque beatus.
Roma ruet. Delus nusquam deleta patebit.
*Fiet arena Samos.**
Postremo Persas quoque tangent funera tandem.
Ob tumidos fastus iniuria cuncta peribit.
Tunc sceptrum castus rex totius orbis habebit
Perpetua, in vitam reuocatis lumine cassis.
Romaque sublimis peraget tum tristia fata.
Hoc autem cuncta humanis fine peribunt.
Sed non parebunt, quanquam præstantius esset.
Sed cum longa dies accreuerit aspera cunctis,
Et famis, & pestis, infrunitique tumultus.
Tunc iterum vero princeps miserabiles anna
*Coget consilium quo pacto perdere possit**
Siccæ quidem felels florebunt inde coortis,
In solideque solum saxo cœleste docebit,
Igneumque & fulgur terris, & flamina densa,
Sparsaque per totum mundum creberrima tela.
Sed rursum posito facient infanda pudore,
Non hominum veriti, non numinis ipsius iram:
Omne nefas proni patrare, pudoris inanes,
Crudeles, violenti, importunique tyranni,
Mendaces falsi, peruersi, perfidiosi,
Fœdifragi, falsis verbis infanda loquentes.
Quos nec opes vlla satiabunt, pluraque quærent
Turpiter oppressi violenta fraude peribunt.
*Sidera cuncta cadent, puppes maris**
Sidera multa deinceps, splendentemque cometam,
Appellant homines stellam mala significantem,
Imminet vt multum bellum, vastatæ, strages,
Nolim viuere me tum cum inagá imperitabit,
Sed tum, gratia cum cœlestis regna tenebit.
Cumque aliquando puer sacer ἀνέσεως ἀνώνυμος
Conficiet vinclis pandende triste profundum,
Mortalesque domus concludet lignea fluxim.
Sed postquam decimum sub terras inerit annum,
Fœmineum imperium deinceps erit, & mala multa
Afferet ipse Deus, quando regale decorum
Fœmina compta caput, totusque annus mire sæculum
Et sol nocturnis currens cernitur in horis.
Sidera deficient cœlum, multaque procella
Terram vastabit: sublati mortes resurgent:
Cursus erit rapidus claudorum: surdus & ipse
Audiet, & cernent cæci, mutique loquentur,
*Et communis erit vita omnibus**
Terraque par cunctis, sine muro aut sepibus vllis,
Nec diuisa quidem fruges feret vberiores.
Et dulci vina fontes, alboque fluentes
*Lacte & melle dabit**
*Iudiciumque Dei æterni**
Tempora sed postquam Deus immutarit †
Æstatem ex bruma faciens, tunc omnia †
Sed cum mundum perdidit †

ACROSTICHIS DE CHRISTO.

IESVS CHREISTVS FILIVS SERVATOR CRVCS.

I udicij signum tellus sudoribus edet,
E xque polo veniet rex tempus in omne futurus,
S cilicet ut carnem omnem, vt totum iudicet orbem,
V nde Deum fidi diffidentesque videbunt,
S ummum cum sanctis in secli fine sedentem,
C orporeorum animas hominum quo iudicet, olim
H orrebit totus cum densis vepribus orbis.
R eiicient & opes homines simulachraque cuncta,

Exurét

E xuretque ignis terras, cælumque, salumque.
I ncendetque fores angusti carceris Orci.
S anctorum quæ omnis caro libera reddita, lucem
T unc repetet: semper cruciabit flamma scelestos.
V tque quis occulte peccauerit, omnia dicet.
S ub lucemque Deus reserabit pectora clausa.
D entes stridebunt, crebrescent vndique luctus:
E t lux deficiet solemque, nitentiaque astra.
I nuoluet cœlos, & lunæ splendor obibit.
F ossas attollet, iuga deprimet ardua montes.
I mpedietque nihil mortalis amplius altum.
L onga carina fretum non scindet: montibus arua
I psa æquabuntur: nam fulmine torrida tellus,
V naque & sicci fontes, & flumina labuntur.
S ideresque sono tristi tuba clanget ab oris,
S ultorum facinus mœrens, mundique dolores.
E t chaos ostendet, & tartara, terra dehiscens.
R egesque ad solium sistentur numinis omnes.
V ndaque de cœlo fluet ignea sulphure mixto.
A tque omnes homines signum præsigne notabit,
T empore eo lignum, cornu peramabile fidis,
O ppositus mundo casus, sed vita piorum,
R espergendo lauans duodeno fonte vocatos,
C ompescetque pedo ferrata cuspide gentes.
R ex tibi nunc nostris descriptus in ordine summo
V ersibus, hic noster Deus est, nostraque salutis
C onditor æternus, perpessus nomine nostro,
S incera hunc Moses expressit brachia tendens;
Vt fides vincens Amalec, vt disceret esse
Electum patri populus, magnoque in honore,
Dauidis virgam, lapidem in quo constituit: in quo
Cui sua spes posita est, is in omnia secula viuet.
*Non aliter siquidem in decore**
Probrosus, misere deformis, spem tamen addet.
*Et forma carnis peritura**
Cælestem dabit †
Atque hominem manibus conformatum omnipotentis,
Cui vafer impostus serpens, vt mortis abiret
In fatum, sciretque bonumque malumque quid esset,
Omissoque Deo seruaret morte caducus.
Huius consilio namque olim primitus vsus,
Sic ait omnipotens: Faciamus imagine, fili,
Ambo de propria mortalia semina ducta.
Nunc ego curabo manibus, tu denique nostram
Effigiem verbis, vt opus commune struamus.
Ergo ad iudicium veniet dicti memor huius,
Persimilem formam portans in virginis aluum,
Collustrans lympha manibus senioribus omnes.
Cuncta iubens faciet, morboque medebitur omni.
Pacabit ventos dicto, sternetque profundum
Insanum, placidis pedibus calcando fideque.
Ad virosa genas præbebit sputa pudentes,
Verberibusque sacrum tradet proscindere tergum.
Virginem enim castam tradet mortalibus ipse.
Perque feret tacitus colaphos, ne forte sciatur
Quis sit, cuiue sit, mortalibus vnde locutum
Venerit: horrentemque feret de vepre coronam.
Nam sanctus veniet de vepre æterna corona
Lectus, tum calamo compungent ilia, lege
More sua, ex calamis etenim quos concutit aura,
Ad lites animi sese ira vindice vertit.
Verum cum fuerint quæ dixi cuncta peracta,
Soluetur omnis lex in eum, quæ tradita quondam
Est placitis hominum, ob populum non morigerantem.
Expandetque manus, totum metietur & orbem.
Panibus & quinque, & binis ex piscibus olim
Millia quinque virum in desertis exsaturabit.
Quin & fragmentis collectis relliquiarum
Bis senos cophinos (vt sit sperare) replebit,
*Felicesque animas dicet**
*Qui mala derisi pensant bono**
Concisi flagris, & paupertatis amantes.
† † †
Cuncta sciens, spectans, auscultans, intima prorsus
Viscera perscrutans nudabit, vt arguat: ipse
Cunctorum auditus, mens, visus, sermo creator
Formarum, omnia cui parent, qui morte solutos
Seruat, qui morbo cuiuis curando medetur.
Hunc tandem nacta scelerata & perfidiosa
Contundens alapis palma (proh! crimina) diuum.
Felle fames eius, sitis illudetur aceto.
Hanc apponet ei gens scilicet hospita mensam,
Scindetur templi velum, medioque die
Nox tenebrosa tribus premet admirabilis horis.
Non etenim deincept templum legemque colendam
Arbitrio mundi monstratum est, idque latebat,
Arbiter vt terras æternus venit in imas,
Deuenietque, bonam spem portans omnibus, Orcum,
Et triduo somno peraget mortalia facta.
Tum demum linquet manes lucemque reuiset,
Prima resurgendi lectis vestigia monstrans:
Qui latices culpas abluit fonte perennis
Præteritas rursum geniti, planeque renati,
Iam non infandis parebunt moribus orbis.
Porro suis primum Dominus patefiet, eritque
Corporeus, sicut fuit ante, manusque, pedesque
Ostendetque impressa suis vestigia membris
Quatuor, occasus, ortus, boreamque, notumque.
Nam totidem mundi perpetrant regna patentis
Infandum nimium facinus, nobisque probrosum.
Salue casta Sion, permultaque passa puella:
Ipse tibi inscenso rex en tuus intrat asello.
Ergo omnis mitis, iuga quo tibi, quo iuga demat
Intoleranda tibi, quæ fers ceruice subacta,
Soluat & exleges leges, violentaque vincla.
Hunc agnosce tuum numen de numine natum,
Laudibus hunc ornans, hunc imo pectore gestans,
Diligeque ex animo, ferque eius amabile nomen.
Reijce præteritos, atque eius sanguine solue.
Nam nec verba tibi, nec eum libamina placant,
Nec sacra (inextinctus cum sit) mortalia curat,
Sed qui sincero taciturni pectore adorant.
Nosce quis hic nam sit, tum patrem denique cernet.
Tempore torpebunt vidua omnia semina mundi,
Aër, terra, salum, lux ignis feruida, cœli
Cardo, dies, noctes, consident omnia in ignes,
Et fiet species quam desertissima rerum.
Omnia namque cadent lucentia sidera cælo.
Nec volucres plumis agiles per inane volabunt,
Omnibus & tellus animantibus orba tacebit.
Non homines edent vocem, volucresue, feræue
Confusum solitum sonitum non audiet orbis,
Sed magnum sonitum reddet maris vnda minacis,
Et trepidi cuncti morientur in æquore pisces.
Nec sulcabit aquas iam pondere nauis onusta,
Mugitumque dabit de bellis terra cruenta,
Humanaque anima, frendebunt dentibus omnes,
Vexabuntque malos vlulatus, atque timores,
Cadibus atque sitis, fama, pesteque deficientes:
Optandumque mori dicent, fugietque vocantes.
Non iam mortis enim requiem, non noctis habebunt.
Multaque nequicquam supremi numina patris
Orabunt, sed eos tunc auertetur aperte.
Sæcula nam septem dedit, visus virgine casta,
Ad resipiscendum spatium mortalibus ægris.
Ipse mihi Deus hæc sibi decreta omnia dixit,
Perficietque meis quæ sunt dicta omnia verbis.
Noui ego arenarum numeros, mensuramque profundi,
Tellurisque sinus, tenebrosaque tartara noui,
Quot fuerint homines, quot sint, quot deinde futuri,
Astrorum numeros, stirpes, frondesque quot vsquam:
Quot sint quadrupedes, quot pisces, quotque volucres.
Idem nam species hominum, mentesque creauit,
Et docuit scire, & rationis munia recta.
Lumina qui finxit, quique aures: cernit & audit,
Omnes qui mentis motus tenet, omnia nouit,
Et tacet, & tandem conuincet, suppliciaque
Afficiet quæ quisque hominum scelera patrarit,
Cum veniet solium ad diuinum iura daturus:
Qui nil dicentes, mutos, intelligit, audit.

Et quantum tellus à cœli vertice distet,
Principium, finem, media omnia nouit: ab ipso
Omnia fiunt, cœlum qui telluremque creauit.
Solus enim Deus est, non est Deus alter ab ipso.

In simulachrorũ cultores.

Ast homines syluis abscindunt robur, & inde
Muta suis manibus diuum simulacra figurant,
Quæ decorent ritu, libaminisque profanis,
Impurasque colunt nugas, genitore relicto.
Omnesque assidui vanissima munera libant.
Et tamen hoc ipsum ferentur honore iuuare,
Atque dapes adolent, vt cassos lumine pascant.
Namque cremant carnes, & plena ossa medullis,
Et mactant aris, & placant sanguine manes,
Candelasque Deo accendunt, qui lumina donat.
Ac tanquam sitiat, vini libamina fundunt,
Mortales ebrij, qui numina vana fatigant.
Non libaminibus, non sacris indiget istis,
Nec nidore malo, aut inuiso sanguinis haustu.
Namque (tyrannorum regumque insania suadet)
Manibus hæc faciunt, seu manes cœlicolæ, sint,
Risus curantes prauosque, Deoque carentes.
Effigiesque suas (rerum genitore relicto)
Marmoreos dicunt diuos, pendere putantes
Hinc sibi spem & vitam: surdi mutique, malum qui
Credere tam faciles, à recto prorsus abberrent.
Ipse viis posuit binas vitaque necique,
Propositque bonam menti sibi sumere vitam:
Sed sese in mortem æternam iecêre, & ignem.

Vera religio.

Effigies mea homo est rectæ rationis alumna:
Huic tu pone volens puram sine sanguine mensam,
Repletamque bonis: panem potumque famenti,
Et sitienti da: nudum tege corpus amictu:
De proprio castis manibus largire labore:
Oppressum recrea: fessi solare labores.
Hæc à te detur viuenti victima viuens,
Sparge pie semen, Dominus tibi donet vt ista:
Æternos fructus, æternum lumen habebis,
Vitam incorruptam, cum cunctos arguet igne.
Omnia nam purgans, molem conuertet in vnam.
Cœlum conuolutt, telluris operta recludet.
Manes in vitam (fatorum lege soluta,
Et lethi stimulis) ad iudiciumque vocabit,
Iudices vt tandem mores prauosque piosque.
Ariete tunc aries, pastor pastore propinquo,
Et vitulus vitulo admoto censebitur illic:
Quosque sibi nimium fastum sumpsisse patebit,
Et qui cuilibet os obstruxêre impersosi,
Et sibi de sanctis veres peperêre subactis,
Ex paribusque ipsos fecerunt inferiores,
Et studij lucro ducti iussêre silere:
Tunc inquam cedent omnes fidisque probisque.
Non iam iurgia erunt, non iam dicetur, Erit cras,
Aut transijt heri: nec erunt quos crebra fatigat
Cura dies: non ver, æstas, autumnus, hyemsue,
Ortusue, occasusue; dies nam longa manebit.
In sæcula lucis magnæ desiderabitur
*Christus Iesus sæclorum**
Æternus, nunquam genitus, plane intemeratus,
Ignitas cœli cohibet qui viribus auras:
Fulminis & sonitum sæuo fulgore coërcet,
Horrendos tonitrus mollit, pacatque fragores,
Terram conuoluens stridores comprimit †
Fulguris obtundit percussus igne micantes,
Imbris & immodice fluxus, & grandinis alba,
Et nubis gelida ictus, hyemisque soluta.
Singula namque ipsi coniectant mente, videntur
Quæ tibi, quæque tuo nato annuis ipse patranda:
Qui tibi & vnanimis, & par, res ante creatas,
Humanæ index vitæ, sociusque creator.
Ad quem oris prima tu dulci voce locutus,
Condamus hominem proprium, nostraque figura
Persimilem, atque auram vitalem demus habere.
Cui vel mortali totus famulabitur orbis,
Et ficto ex terra nos omnia subiiciemus.
Hæc tu mente tua sic verbo fatus, & ecce
Omnia facta: tibi parent elementa iubenti
Omnia protinus, & rerum natura perennis
Et cum figmento mortali condita rite,
Cœlum; aër, ignis, tellus, fluctusque marini,
Sol, luna, astrorumque chorus, montesque, diesque,
Nox, flatus, somnus, vigilantia, visque volendi,
Vita, intellectus, voces, & robur; & artes,
Atque immansuetum volucrum genus, atque natantum,
Mansuetum, bigenus, serpentumque, ancipitumque.
Omnia namque tibi certo ordine dispesuisti,
Temporibusque petis postremis terram †
Et breuis egressus Maria de virginis aluo
*Exorta est noua lux**
E cœlo veniens mortales induit artus.

Gabriel

Ac primum corpus Gabriel ostendit honestum
Nuntius, hinc tali affatur sermone puellam:
Accipe virgo Deum gremio intemerata pudico.
Sic ait: ast illam cœlestis gratia molli
Leniit afflatu; tum virginitatis amatrix
Perpetua, magno subito correpta stupore,
Atque metu, trepida pressit formidine mentem,
Ignotis verbis commoto corde tremiscens.
Hinc vt lætificis mens est creata loquelis.
Erubuit malas ridens puerile venustas,

Maria.

Lætitia, dulcique animum demulsa pudore.
Tunc ad se redit, verbumque volauit in aluum,
Idque suo factum atque animatum tempore corpus
Mortali facie cretum est; puer inde creatus
Virgineo partu: mira est mortalibus hæc res;
Sed res nulla Deo patri natoque stupenda.
Hoc puero nato properauit gaudia tellus,
Cœlestis risit sedes, & gestiit orbis:
Diuinamque Magi stellam coluêre recentem.
Monstratusque Dei præcepta sequentibus infans
Est in præsepi, quem fascia circuit, estque
Dicta Logi Bethlem diuino patria nutu
Caprarum atque ouium custodibus, atque bubulcis.
Et tumidos fastus animis odisse modestis.
Atque alios prorsum seu semet amare, Deumque
Diligere ex animo cum religione colendo.
Nos igitur sancta Christi de stirpe creati
Cœlesti, nomen retinemus proximitatis,
Lætitia memorem seruantes religionem.

Sequentes versus ex vet. cod. adiecti sunt.

Pietatis & veritatis calcantes semitas.
Nunquam ad templorũ penetralia permittamur accedere,
Neque sculptilibus libare, nec precibus honorare,
Nec odoribus florum multum-suauibus, nec fulgoribus
Lampadum, sed nec donariis ornare,
Nec thuris vaporibus emittentibus flammam, aram,
Nec cum tauris-sacrificatis oues-mactatas cum dedecore
De-redemptione-lati mittere, terrestris iudicia pœna
Neque de rami-voracis rogi nidorifero fumo,
Et impuris flatibus inquinare ætheris lucem.
Sed sacris pectoribus lætantes hilari animo,
Diuiseque charitate, & liberalibus palmis,
Suauibus psalmis, deo-conuenientibusque cantibus
Immortalem celebrare te & veracem iubemur,
*Omnium-genitorem Deum, sapientem**

Qui sequuntur versus in vet. codice regia bibliotheca reperti, inseri debent libro secundo. Sunt autem plerique ex Phocylidis γνώμαις desumpti, vel potius à Phocylide ex Sibyllinis oraculis surrepti, si Suida credimus sic scribenti:

Phocylides, Milesius philosophus, æqualis Theognidis. Fuit autem vterque sexcentis quadraginta septem annis bello Troiano posterior, Olympiade nati quinquagesima nona. Scripsit versus heroicos & elegiacos, admonitiones siue sententias, quas quidam capita appellant; sunt autem surreptæ ex Sibyllinis carminibus.

Ne ditescas iniuste, sed ex iuste partis viue.
Esto contentus præsentibus, & ab alienis abstine.
Mendacia ne dixeris, sed vera omnia custodias.

Neque

Neque frustra simulacra colas: sed immortalem semper
Primum deum venerere deinde, vero tuos parentes
Omnibus iusta tribue, nec in iudicium iniustum venias.
Ne abiicias paupertatem, iniuste nec iudices ex persona.
Si tu male iudicaueris, postea deus te iudicabit.
Testimonium falsum fuge, & iusta profer.
Virginitatem custodi, dilectionemque erga omnes obserua.
Mensuras dato iustas: bonus vero est modus in omnibus
Trutinam ne pellas in alteram partem, sed aequalem trahas.
Ne peierauerit, neque ignoranter, neque sponte;
Periurum odit deus, quisquis ille qui iurauerit.
Ex iniustis operibus donum manu ne vnquam suscipias.
Semina ne surripito, execrabilis quisquis abstulerit,
In fasula saeculorum dissipatio eius vita.
Ne cum masculo cubes, nec sycophantam agas, nec occidas.
Mercedem laboranti da: nec affligas pauperem.
Lingua mentem cohibe, arcanũ sermonem in pectore contine.
Pupillis, viduis, indigentibusque largire.
Ne iniurius esse velis, nec iniuste quenquam agere sinas.
Pauperibus statim da, neque eras reuerti iube.
Copiam spicarum manus egenti praebe.
Quicunque eleemosynam dat, deo nouit faenerare.
Liberat à morte misericordia, iudicium quoniam venerit.
Non sacrificium, misericordiã vero vulde pro sacrificio.
Vestito itaque nudum, impertire esurienti panes tuos.
Exulem in domum excipe, & caeco via dux esto.
Naufragorum miserere, quia nauigatio incerta.
Manum lapso porrige, seruaque desertum virum.
Communes casus, omnium, vita rota, instabilis felicitas.
Si diuitias habes, tuam manum pauperibus porrige.
Quae tibi dedit deus, de his egenti eroga.
Communis tota vita hominum, inaequalis autem facta est.
Ne si virum pauperem conspexeris, irrideas alterius.
Neque maligne alloquaris vituperandum aliquem virum,
Vita in morte probatur; num quis perpetrarit
Illegitimum quid aut iustum, diiudicatur ad iudicium si venerit,
Ne mentem laedas vino, nec bibas immoderate.
Sanguinem vero ne comedas, & ab iis quae diis immolantur abstineas.
Gladium accinge non contra amicum, sed ad defensionem.
Vtinam vero non vtaris, neque iniuste neque iuste.
Etiamsi namque occideris hostem, tuam manum pollu...
Ab agro vicini abstine, neque transi.
Omnis terminus est iustus: transgressio vero vitiosa.
Possessio vtilis est sanctorum, iniustorum vero praua.
Ne quem crescentem laeseris fructum agri.
Sint iis pari honore aduenae cum ciuibus.
Omnes enim peregrinationis circumuehuntur aerumnosae
Tanquam hospites alter alterius. Peregrinus vero nullus inter nos.
Eris, quia omnes homines sanguine ex vno estis.
Terraque non perpetuum habet locum hominibus.
Non velis ditescere, neque opta: sed hoc opta,
Vt viuas paucis contentus, nec quicquam possideas iniustum,
Amor pecuniae mater est malitiae omnis.
Ne desiderium sit auri vel argenti; in his enim
Erit vtrinque acutum, animum corrumpens ibi ferrum.
Aurum semper fraus est & argentum hominibus.
O aurum malorum dux, vitae labes, omnia euertens,
Vtinam tu mortalibus non esses malum desiderabile.
Tui enim gratia, pugnae, & praedae, & caedes,
Infensique liberi parentibus, fratresque consanguineis,
Ne fraudes consuas, neque contra carum cor armes te.
Neque aliam occultes in corde sententiam, aliam proferas:
Neque vt saxis adhaerens polypus, cum loco mutes.
Omnibus vero simplex sis, quaeque ex animo profer.
Qui volens iniuste facit, improbus vir: qui vero coactus,
Non malũ dico prorsus, consiliũ vero redarguitur cuiusque.
Non efferaris sapientia, neque viribus, neque opibus.
Vnus deus est sapiens, potens simul, & multum-diues.
Ne praeteritis malis crucia tuum cor.
Nunquam enim potest factum fieri infectum.
Ne sis praeceps ad manum, sed compesce saeuam iram.
Saepe enim percutiens, inuitus caedem perpetrauit.
Sint communes passiones: nihil magnum, neque superbũ sit.
Non bona redundans esse solet mortalibus vtilitas.
Nimius autem luxus ad immodicos trahit amores.
Extollunt autem multae diuitiae, & ad petulantiã impellunt.
Ira nimia furorem perniciosum parit.
Ira quidem est cupiditas, sed modum excedens, odium.
Aemulatio bonorum, bona: malorum vero: mala.
Audacia malorum perniciosa, bonorum vero gloriam affert
Honestus est amor virtutis, sed Veneris, dedecus auget.
Suauis mansueto-animo-praeditus vocatur inter ciues.
Moderate edo, bibe, & loquere.
Omnium modus optimus, excessus vero molestus.
Ne inuideas, neque incredulus sis, nec calumniator esto,
Nec praui-consilij, nec impostor immoderatus.
Temperantiam exerce, obscoenisque factis abstine.
Ne sectare malignitatem, sed iure repelle iniuriam.
Persuasio namque commodum, lis vero litem rursus gignit.
Ne credas temere; priusquam certo finem perspicias.

FRAGMENTA SIBYLLINORVM ORACVLORVM.

Theophilus oratione II. ad Autolycum.

Si enim dij generabantur, oportebat eos etiam ad hae vsque tempora generari, non secus atque homines quotidie nascuntur: immo multo plures dij esse deberent quam homines, vt Sibylla inquit,
Nam si generationi dant operam, & immortales manent,
Plures quam homines procreati isti dij essent:
Nec locus, vbi consisterent mortales, vsquam esset.

Clemens Alexandrinus Strom. lib. I.

O Delphi famuli longe-iaculantis Apollinis,
Veni ego vaticinatura Iouis mentem aegida-tenentis,
Germano fratri irata Apollini.

Lactantius lib. VII. cap. XIX.

——quando venerit,
Ignis, erunt tenebrae in media nocte obscura.

lib. VII. cap. XXIIII.

Audite me homines, rex aeternus imperat.

Plutarchus in Theseo.

...oc oraculum post ciuitati Atheniensi repetiisse scribunt ...yllam, hoc versu,
...r, immergeris, submergi vero tibi non fas est.

Idem in Demosthene.

V... canebatur ex carminibus Sibyllinis oraculum,
A... ermodontem pugna procul vtinam essem,
Ex... quila eam ex nubibus atque aëre viderem.
Fle... us, sed victor perijt.

Pausanias in Achaicis.

M... onum certe bellicam gloriam, & imperij magnitudinem ... ilippo Amyntae filio regnante partam, alterius Philippi ... oribus pessum iuram, diuinitus his versibus praedixit ... lla:
Gloriante ... ibus Macedones Argeadis,
Vobis impe... bonum & damnum erit Philippus.
Certe quide... ier vrbibus populisque reges
Imponet, po... r vero decus omne perdet,
Victus ab occ... alibus viris orientalibusque.

In Phocicis.

Cladem cert... affecti sunt ad Aegos potamos Athenienses, dictitat... am sibi non iusto praelio, sed praetorum suorum prod... quos pecunia hostes corrupissent: dona enim a Lysa... Tydeum & Adimantum accepisse. Eius rei testimoni... Sibyllinis carminibus afferunt:

Et tunc Atheniensibus graues luctus statuet
Iupiter altitonans, cuius vis est maxima.
Nauibus vehet belli pugnam & cladem,
Pereuntibus doloso modo ob militiam ducum.

Dio in Tiberio.

Augebat timorem, quod per id tempus quaedam oracula canebantur pro Sibyllinis, quae licet ad hae nostra tempora potius quam ad illa pertinerent, tamen iis omnes valde commouebantur. Quibus versibus dicebatur fore vt ter trecentis annis praeteritis ciuiles seditiones inter Romanos suscitarentur, & furor Sybariticus. Haec Tiberius vt falsa calumniari coepit, librosque omnes scriptos de vaticiniis inspici, ex quibus eos qui inutiles esse videbantur, damnari atque reiici, caeteros reponi & retineri iussit.

Idem in Nerone.

Imprimis omnes commonebat recordatio oraculi, quod decantatum fuerat Tiberij temporibus: id erat,
Ter vero trecentis circumuoluentibus annis,
Romanos ciuilis perdet seditio.

Quumque Nero populi consolandi causa hos versus nusquam repertos esse diceret, mutata sententia hunc versum, vt vere Sibyllinum, canere coeperunt:
Vltimus Aeneadum matris caesor imperabit.

Id quod accidit, siue vere praedictum diuino oraculo, siue afflatu multitudinis ex statu rerum qui tum erat: nam is vltimus ex Iulij familia, quae ab Aenea profecta erat, regnabat.

Lucianus in morte Peregrini.

Caeterum Theagenes nuper, vt quidam mihi ex familiaribus retulit, ait Sibyllam quoque ea de re ista praedixisse: Et cur non ipsos percenseamus versiculos?
Ast vbi iam Proteus Cynicos longe optimus inter,
Per loca sacra Iouis rutilum succenderit ignem:
Tunc omnes quotquot fructu vescuntur agrorum,
Noctiuagum, vt iubeo, placatu heroa colentes
Concessa Alcidae ac Vulcano sede propinquum.

Haec quidam Theagenes ex Sibylla se audisse praedicat.

Zosimus hist. lib. II.

Secundum haec morbis & bellis ingruentibus, anno ab vrbe condita supra trecentesimum quinquagesimo secundo, Senatus vt se malis liberare de Sibyllinis oraculis volens: eos, ad quos haec cura pertinebat, oracula consulere iussit. Illis mali finem fore nunciantibus, si Diti patri & Proserpinae rem sacram fecissent: perquisitum locum Diti patri & Proserpinae, seu iussi fuerant, M. Potito quartum Cos. dedicarunt, & peracto sacro malis vrgentibus liberati, rursus aram absconderunt, in extremo campo Martio alicubi sitam. Eodem sacrificio ad tempus neglecto, quum rursus aduersi quidem casus accidissent; Octauianus Augustus ludos renouauit, factos illos idem ante L. Censorino, & M. Manlio Puelio Coss. tunc autem L. Censorino, & C. Sabino, quum Ateius Capito leges ludorum exposuisset; ac tempus, quo rem sacram fieri, atque eius spectacula oporteret, XV. viri, ad quos oraculorum Sibyllinorum custodia pertinet, inuestigassent.

Et post pauca.

Vt autem & reapse vera isthaec esse credamus, ipsum Sibyllae oraculum adiiciam, quod ante nos etiam ab aliis est relatum.
Sed cum longissimum venerit tempus hominibus
Vita, ad annorum centum decem circulum means:
Memor sis Romane, & non valde obliuiscaris eorum,
Memor sis horum omnium, diis quidem immortalibus
Vt sacra facias in campo ad Tiberis immensam aquam,
Vbi arctissima nox quando terra superuenerit,
Sole abscondente suam lucem. Hic tu sacrificato
Omnium-generatricibus Parcis agnos & capras.
Caeruleam posthaec Lucinam placanto
Puerpera hostiis, vt fas est: itemque Terra
Feraci porcus & sus mactetur nigra.
Candidi tauri vero Iouis ad aram ducantur:
De die, non nocte. Diis namque caelestibus
Diurnus est victimarum modus. Eadem vero ratione
Mactentur iuuenca, vacca corpus purum Iunonis
Capiat templum, à te quoque Phoebus Apollo,
Qui & Sol vocatur, paria recipiat
Sacrificia Latonae filius. Cantantesque Latini
Paeanas cum pueris puellisque in aede vescentur
Immortalium; seorsum autem puellae chorum ipsae habeant,
Et seorsum puerorum masculus ordo: sed parentum
Omnium viuentium quibus vtrinque vires adhuc sit genus,
At nuptiarum copulis vinctae, die illo
Flexo-genu Iunonis ad aram celebrem sedentes
Diuam supplicent, omnibus vota vt perficiat
Viris & mulieribus, maxime vero foeminis.
Omnes autem e domo ferunto, quaecunque ferre
Decet mortales soluentes vitae primitias,
Diis benignis placamina & beatis
Caelestibus: haec omnia accumulata iaceant,
Vt tam foeminis quam viris sacris assidentibus
Illinc praebeas memor. Diebus vero esto
Noctibusque crebris venerandis in puluinaribus
Frequens coetus: res autem seria risusque misceantur.
Haec tibi in animo tuo semper memoria haereant.
Et tibi omnis tellus Italia & tota Latina
Semper sub sceptris subditum iugum habebit.

Et iterum.

Maxentius intra muros inclusus, Diis victimas offerebat, & extispices de belli euentu consulebat, ipsis quoque Sibyllinis oraculis peruestigatis. Quumque reperisset oraculum, quo significaretur, in fatis esse, vt qui ad perniciem populi Romani spectantia designaret, miserabili morte periret, de semetipso id accipiebat, quasi qui Romam adortos, eamque capere cogitantes, propulsaret.

Eodem libro.

Ac mihi quidem saepe mirari subiit qui fieret, vt quum vrbs Byzantina tantopere excreuerit, vt alia nulla cum hac, siue felicitatem, siue magnitudinem spectes, comparari possit; nullum vaticinium maioribus nostris de ipsius incremento, meliorem ad fortunam euecta, datum fuerit: in qua cogitatione dum iampridem versor, multis historiarum monumentis & oraculorum collectionibus euolutis, & aliquo nonnullo tempore in hac de istis dubitatione: vix tandem in oraculum quoddam incidi, quod Erythraeae Sibyllae, vel Epirotica Phaellonis esse perhiberetur. Nam & haec afflata numine, fertur edidisse quaedam oracula, quibus fretus Nicomedes Prusiae filius, qui ea suis ex commodis interpretaretur, hortatu Attali bellum patri Prusiae fecit. Est autem oraculum huiusmodi.
O rex Thracum accipies vrbem in ouibus,
Augebis vero leonem magnum, vncis-vnguibus, horribilem,
Qui olim mouebit patria pretiosam supellectilem regionis,
Terramque capiet absque labore: neque te aio
Sceptriferis honoribus gauisurum admodum diu,
Sed ex solio casurum quippe canes vtrinque habitant.
Mouebis vero dormientem lupum, vncunguem, dirum.
Non volenti enim intus sub iugum ceruicem mittet.
Certe tunc Bithynorum terram lupi habitabunt,
Iouis consiliis, mox autem perueniet imperium ad
Viros, qui Byzantij sedem inhabitant.
Ter felix Hellesponte, & deo condita moenia virorum necessitate.
——— diuino iussu
Quam lupus, horrendus lupus, terrebit potenti sub
Me namque norunt meam inuolentes sedem.
Non amplius silebo patris animum, sed ostendam
Immortalium oraculorum mortalibus insigne carmen.
Thressa vtero-fert ingens malum, partus autem ei non amplius procul est.
Incepit puerum malum ——— & hunc cum tulerit:
Asperum iuxta continentis latera erumpet vlcus,
Et valde tumescet, cito autem ruptum sanguine manabit.

Hoc oraculum omnia, prope dixerim, reuera designat, obscurisque vocibus indicat euentura Bythinis mala propter graue tributorum onus, quae sequutis temporibus eis imposita fuerunt: & quod imperium cito venturum esset ad eos Viros qui Byzantis solum inhabitant.

A

Quod autem seculis non paucis interiectis ea quæ prædicta fuerant, euenierint; non eo quis torqueat, ac si de re quadam alia vaticinium hoc loquatur; nam omne tempus Deo breue est, qui semper & extitit & erit. Atque hæc tum de rerum ipsarum euentis ratiocinando collegi. Quod si cui videtur esse alia verborum oraculi sententia, per me sane sic illud accipiat licet.

Procopius lib. 1. de bello Gotthorum.

Romanis tunc Sibyllina carmina recordantibus, vetustis temporibus decantata, miraculi loco res fuit. Ferebat enim oraculum illud, quod quando Africa detinebitur, Mundus suo cum semine interibit. *At oraculum non hoc significabat, sed cum subiunxisset*, quod iterum sub Romanis Lybia futura esset; *etiam hoc addidit*, quod tunc cum filio mundus sit periturus. *Sic enim ait*, * * *Quoniam vero cosmos Latinorum sermone idem valet quod mundus, arbitrabantur de mundo oraculum esse.*

B

Ibidem.

Tunc & Patritij quidam Sibyllæ dicta in medium proferebant, asseuerantes ad Iulium vsque mensem ciuitatem in discrimine fore, & necessarium postea, vt imperator tunc quispiam Romanorum existat, quem deinde Roma nil Geticum extimescet. Geticam quippe Gutthorum hanc nationem esse affirmant. Ita autem ferebat oraculum: *** *quintum mensem autem affirmabant Iulium esse, quem Sibylla rebus his terminum præfixisset: tum quia Martio mense obsideri sit ciuitas cœpta, post quem Iulius quintus subsequitur mensis: tum etiam quia Martium ante Numæ Pompilij regnum, primum hi ducerent mensem: quando scilicet apud Romanos mensibus decem annus constabat, & Iulius Quintilis ab iis dicebatur. Non tamen conuenienter Romani hæc de Sibyllæ vaticinio sentiebant, quandoquidem nec imperator his eo tempore erat, & post annum soluta obsidio sit, & rursum ciuitas esset, Totila Gotthis imperitante, in eadem discrimina recasura, vt in sequentibus dicam. Meo quidem iudicio non hanc Barbarorum incursionem oraculum denotabat, sed aliam quandam aut iam progressam, aut aliquando futuram; nam Sibyllinorum oraculorum mentem ante rem gestam aperire homini arbitror impossibile; in causa sunt quæ iam proferam. Collectis enim omnibus vndequaque oraculis, Sibylla res ordine gestas non refert, neque sermonem concinne continuat, sed dictum aliquod, exempli gratia de Libycis malis, elocuta, mox ad Persarum mores prosilit, inde Romanorum mentione facta, sermonem ad Assyrios transfert, iterumque de Romanis vaticinata, Brittanorum calamitates prædicit. Hac de causa fieri nequit vt hominum quisquam quicunque ille sit, Sibyllæ oracula antequam res acciderit, intelligat: nisi tempus ipsum, re iam peracta, & oraculo experientia comprobato, accurate vaticinium interpretetur. Sed hæc quisque pro libitu suo æstimet.*

C

Eusebius in oratione ad sanctorum Cœtum cap. 18. addita vitæ Constantini Imp.

D

Subit autem animum meum, etiam extraneorum quoddam de Christi diuinitate testimonium commemorare. Ex hoc enim, etiam blasphemantium ipsum animus, Deum ipsum esse, ac filium Dei, nouit: si saltem suis ipsorum sermonibus credunt. Sibylla igitur Erythræa, quæ se ipsam, sexta post diluuium generatione vixisse, & sacerdotem Apollinis fuisse dicit, diadema ex æquo vna cum Deo, cui seruiebat, gestans: & tripoda, circa quem serpens versabatur, colens, & appropinquantes ad se abijciens, propter dementiam parentum, qui eam tali cultui tradiderant, ob quam etiam dedecorosa furia, sicut commemorant qui de Daphne scribunt. Hæc, inquam, Sibylla intus ipsis aliquando adytis importuna superstitione occupata, ac diuina certe inspiratione referta, carminibus futura de Deo vaticinata est, perspicue in serie primarum literarum, quæ ἀκροστιχὶς dicitur, historiam aduentus Iesu declarans. Est autem Acrostichis ista: IESVS CHRISTVS, DEI FILIVS, SERVATOR, CRVXS. *Carmina vero illius hæc sunt.*

E

I udicij fuerit cum signum, terra madebit,
E t cælo veniet princeps per secla futurus,
S cilicet vt carnem præsens & iudicet orbem.
O mnis homo hunc, fidusque Deum, infidusque videbit,
V na cum sanctis excelsum fine sub æui;
S ede sedens animas censebit, corpora & ipsa.
C hersos erit mundus, spinas feret vndique tellus.
R eijcient simulachra homines & munera Diuûm.
I nquireas portas infringet carceris atri.
S ic etenim cuncta veniet lux libera carni,
T unc sanctis: ignis sontes æternus adurat.
O ccultos actus omnes & quisque loquetur,
S ed tenebrosa Deus collustrans pectora pandet.
T H renus erit cunctis, & stridor dentis adesit.
E ffigies solis iubar, astrorumque chorea,
O mne poli lumen soluetur, & aurea luna.
V alles extollet, collesque à vertice perdet.
V squam nec celsum mortalibus aut graue quicquam.
I nde æquis montes campis, hinc cerula ponti.
O mne ratis spernent onus, hiscet fulmine tellus.
S ic fontes simul arescent, & fluminis alui.
S tridula tum querulum sonitum tuba fundet olympo,
O rbis grande malum rugiens, & damna futura,
T artareumque chaos monstrabit terra dehiscens.
E t venient omnes reges magni ante tribunal.
R efluet & cælo tunc sulphuris amnis, & ignis.
S ic cunctorum hominum fient manifesta sepulchra.
T um fidis lignum, cornu atque optabile fiet:
A tque piorum vita hominum, documentaque mundi
V ndis lustrabunt bisseno insonte vocatos.
R ex pastoris erit nobis & ferrea virga,
O mnipotens Deus est præscriptus versibus istis,
S eruator nostro æternus rex passus amore.

F

Id est lamiatio.

Et hæc virgo perspicue vaticinari potuit. Hanc ego quidem beatam iudico, quam Seruator prouidentia sua erga nos vatem elegit. Verum multi sunt, qui hanc illa vaticinatam esse non credunt, quamuis Sibyllam Erythræam vatem fuisse confiteantur: sed suspicantur, aliquem nostræ religionis, poeticæ Musæ non expertem, hæc condidisse carmina: esseque illa adulterina, & falso Sibyllæ vaticinia dici, cum vtiles sententias habeant, multam voluptatum licentiam amputantes, & ad temperatam & honestam vitæ conuersationem ducentes. Est autem veritas in propatulo, eo quod nostræ religionis viri tempora diligenter & exacte collegerunt: non posse coniecturari, quod poema hoc à quopiam sit, post Christi factum descensum, & iudicium. Est enim in confesso, Ciceronem poëma hoc legisse, illudque & in Romanam dialectum translatisse, & commentarijs suis inseruisse: denique hunc imperante Antonio interemptum: Antonium vero postea ab Augusto superatum, qui quinquaginta sex annos imperauit: & huic Tiberium successisse, cuius tempore Christi aduentus illuxit, & sanctissimæ religionis mysterium obtinuit, ac noua populi successio conilluxit. De quo eminentissimum Italiæ poëtarum loqui puto vbi ait: Iam noua progenies cælo demittitur alta.

G

Et iterum, in alio quodam Bucolicorum loco.

Sicelides Musæ, paulo maiora canamus.

Quid manifestius? adijcit enim:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.

H

Significans videlicet: Cumæam Sibyllam. Nec his contentus, vlterius progressus est, tanquam ipsa necessitas testimonium ipsius desideraret. Quid igitur dicit?

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.

Quænam igitur hæc virgo est, quæ redit? An non ea, quæ plena & fœta facta est de spiritu sancto? Et quid impedit, quo minus puella hæc de diuino spiritu grauida, semper sit & maneat virgo? Redibit autem denuo, orbemque aduentu suo releuabit. Et addit Poëta:

Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta faue Lucina, tuus iam regnat Apollo.

To

Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua soluent formidine terras.

Intelligimus autem dicta hæc manifeste simul, & obscure per allegorias prolata iis qui carminum horum sensum altius sub conspectum diuinitatis Dei scrutantur, innuere: quomodo Poëta, ne quis eorum qui in regia vrbe dominabantur, culpare posset, quod contra patrias leges scriberet, & quæ iam olim inde à maioribus de diis credita fuissent, reiiceres, veritatem occuluerit. Noueras enim (opinor) beatam ac celebrem Seruatoris mortem: vt vero immanem crudelitatem declinares, mentes auditorum ad suam ipsorum consuetudinem duxit, atque aras fundandas esse, ac templa construenda, victimasque recens nato offerendas. Consequenter autem & consentanee reliqua etiam subiunxit, si quis recte intelligat, dicit enim:

Ille Deum vitam accipiet, diuisque videbit
Permixtos Heroas, & ipse videbitur illis.

Intelligit autem iustos.

Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima puer nullo munuscula cultu
Errantes hederas passim cum baccare tellus,
Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.

Vir admirabilis, omnisque generis eruditione ornatus, temporum illorum sæuitiem exacte sciens iterum dicit:

At tibi sincero puer vbera lacte grauescent,
Ipsa lacte domum referent distenta capellæ
Vbera, nec magnos metuent armenta leones.

Vere dicit. Potentes enim aula regia fides non metuet.

Ipsa tibi blandos reddent cunabula flores,
Occidet & serpens, & fallax herba veneni
Occidet: Assyrium vulgo nascetur amomum.

Et his nihil verius quicquam, nihil etiam virtuti Seruatoris accommodatius esse dixeris. Ipsis namque Dei cunabulis spiritus sancti virtus fragrantes quosdam flores, nouam scilicet progeniem dedit. Serpens vero occidit, & venenum serpentis illius, qui protoplastos primus seduxit, ac mentes eorum in transuersum egit, per insitum voluptatum oblectamentum, vt cognoscerent imminens ipsis exitium. Etenim ante Seruatoris descensum, animos hominum propter ignorantiam immortalitatis iustorum nulla bona spe fundatos, fractos reddidit: verum post passionem illius, postquam corpus, quo amictus erat, ad tempus communicatione spiritus sancti priuasset, reuelata est mortalibus resurrectionis virtus, & si qua fex iniustitiæ in hominibus relicta est, vniuersa sacris est lauacris repurgata. Tunc obtemperantibus sibi, bono esse animo præcepit, & ex augusta ipsius illustrique resurrectione consimilia sperare iussit. Itaque non immerito occidit venenatorum serpentium natura: occidit & mors, obsignata vero est resurrectio. Periit & gens Assyriorum, quæ filium Dei recusauit. Et amomum vbique nasci dicens, sic multitudinem cultorum Dei appellat: velut enim ex vna radice multitudo ramorum, fragrantibus floribus vernant, ac moderato rore irrigatim germinat. Scite autem hæc, ô sapientissime poëta Maro, & quæ sequuntur etiam consentanea sunt:

At simul heroum laudes, & facta parentis,
Iam legere, & quæ sit poteris cognoscere virtus.

Heroum laudes, iustorum virorum opera significat: patris vero virtutes, mundi huius constitutionem & opificium, perpetuo consistens. Forsan autem & leges, quibus Ecclesia amans Dei vtitur, dum vitam cum iustitia & temperantia decoratam exercet. Admirabilis etiam est expedita illa amplificatio commiserationis inter bonos & malos, quæ subitam repentinæ mutationis velocitatem non admittit.

Molli paulatim flauescet campus arista.

Hoc est, diuinæ legis fructus maturuit.

Incultisque rubens pendebit sentibus vua.

Quæ quidem non sunt secundum illicitam vitæ conuersationem.

Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

Stoliditatem hominum illius temporis, ac frigidos mores describit: & quam suauem hi, qui filium Dei audiunt, tolerantia sua fructum recepturi sint, docet.

Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis,
Quæ tentare Thetim ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ iubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos Heroas: erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

Recte, ô sapientissime poëta, poëticam enim facultatem quousque licuit, vsurpasti. Non enim vaticinari poteras, quod propositum habebas; cum propheta non esses. Deinde & periculum quoddam opinor tibi obstitit, quod imminebat, quod à maioribus sancita reprehendisses. At veritatem communiter & secure pro viribus, illis qui intelligere poterant expressit, dum turres ac bellum accusans, quæ revera etiamnum in vita mortalium inquiruntur, Seruatorem ad Troianum bellum proficisci significat: Troiam autem, totum orbem intelligit. Expugnauit igitur palam prauam illam aduersariam potentiam Christus, ex propria prouidentia, & maximi patris mandato missus. Sed quid post ista Poëta dicit?

Hinc vbi iam firmata virum te fecerit ætas.

Hoc est, vbi adoleuerit malis quæ vitam humanam occupant, radicibus extirpatis, totam terram pacis ornamentis decorabit.

Cedet & ipse mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem.
Robustus quoque iam tauris iuga soluet arator.
Nec varios discet mentiri lana colores:
Ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera luto.
Sponte sua sandix pascentes vestiet agnos.
Talia secla suis dixerunt currite fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcæ.
Aggredere ô magnos, aderit iam tempus, honores
Chara Deum soboles, magnum Iouis incrementum.
Aspice conuexo nutantem pondere mundum,
Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum:
Aspice venturo lætentur vt omnia seclo.
O mihi tam longe maneat pars vltima vitæ,
Spiritus & quantum sat erit tua dicere facta:
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus: huic mater quamuis, atque huic pater adsit
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
Pan etiam Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.

Vide, inquit, etiam elementorum omnium gaudium. Arbitretur ista quisquam insipientium de genere mortalium dici. Verum quæ fuerit ratio, vt nato filio hominis terra nec sata sit, nec arata, nec vitis falcem aut aliam quampiam culturæ curam admittat? Quomodo intelligetur, hoc de humana dictum esse generatione? Natura enim diuini mandati ministra est, non humanæ iussionis operatrix. Sed & gaudium elementorum, descensum Dei, non hominis alicuius partum significat. Et quod poëta vitæ sibi finem prorogari optat, diuinæ est denominationis symbolum. Vitam enim ac salutem à Deo petere solemus, non ab homine. Dicit itaque Erythræa ad Deum: quid mihi, ô Domine, diuinationis necessitatem imponis: & non magis à terra in sublime sublatam, vsque ad beati aduentus tui diem custodis? Sed Maro etiam ista prædictis adiungit:

Incipe parue puer risu cognoscere matrem:
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe parue puer: cui non risere parentes,
Nec Deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

Quomodo siquidem huic risere parentes? Deus enim illorum potentia est, sine qualitate, nec figuram habet: nec in reliquis circumscribitur, neque corpore est humano. Spiritum vero sanctum quis ignorat, expertem esse thalami? Qualis vero concupiscentia, & quale desiderium est in specie boni, quod omnia expetunt? Quid omnino commercii est sapientiæ ac voluptati? Sed permittantur ista dicere, quibus humanitus non sunt affectus, sed animum suum ab omni malo opere & verbo repurgare satagunt.

Eustathius in comm. ad Dionisij Periegesin.

Sibylla ait Siciliam Trinaciam à Trinaco bubulco denominatam esse, his verbis,

Trinacia insula, quam condidit Trinacus heros,
Filius mari præfecti Neptuni regis.

Augustinus epist. CLVI. ad Martianum.

Omnino non est cui alteri præter Dominum Christum dicat genus humanum,

Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua soluent formidine terras.

Quod ex Cumæo, id est ex Sibyllino carmine se fassus est transtulisse Virgilius, quoniam fortassis etiam ille vates aliquid de vnico saluatore in spiritu audierat, quod necesse habuit confiteri.

Idem in expositione epist. ad Rom.

Per Prophetas suos.] *Fuerunt enim & prophetæ non ipsius, in quibus etiam aliqua inueniuntur, quæ de Christo audita cecinerunt, sicut etiam de Sibylla dicitur. Quod non facile crederem, nisi quod poëtarum quidam in Romana lingua nobilissimus, antequam diceret ea de innouatione sæculi, quæ in Domini nostri Iesu Christi regnum satis concinere & conuenire videbantur, præposuit versum dicens:*

Vltima Cumæi iam venit carminis ætas.

Cumæum autem carmen Sibillinum esse nemo dubitauerit.

De ciuitate Dei lib. x. cap. xxvii.

De Christo poëta nobilissimus, poëtice quidem, quia in alterius adumbrata persona, veraciter tamen, si ad ipsum referas, dixit:

Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua soluent formidine terras.

Ea quippe dixit, quæ etiam multum proficientium in virtute iustitiæ possunt, propter huius vitæ infirmitatem, & si non scelera, scelerum tamen manere vestigia, quæ non nisi ab illo Saluatore sanantur, de quo iste versus expressus est. Nam hoc vtique non a seipso dixisse Virgilius in Ecloga ipsius quarto ferme versu indicat, vbi ait:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.

Vnde hoc à Cumæa Sibylla dictum esse incunctanter apparet, & quæ sequuntur.

Isidorus Orig. lib. IX. cap. II.

Galli à candore corporis nuncupati sunt γάλα enim Græce lac dicitur. Vnde & Sibylla sic eos appellat, cum ait de iis,

——Tunc lactea colla
Auro innectuntur.——

SIBYLLARVM DE CHRISTO Vaticinia, ex vetustiss. codice descripta.

PERSICA.

Virgine matre satus, pando residebit asello,
Iucundus princeps, vnus qui ferre salutem
Rite queat lapsis: tamen illis forte diebus
Multi multa ferent, immensi fata laboris.
Solo sed satis est oracula prodere verbo:
Ille Deus casta nascetur virgine magnus.

LIBYCA.

Ecce dies venient, quo æternus tempore princeps,
Irradians sata læta, viris sua crimina tollet
Lumine clarescet cuius synagoga recenti:
Sordida qui soluet reserabit labra reorum,
Æquus erit cunctis, gremio rex membra reclinet
Reginæ mundi, sanctus, per sæcula viuus.

DELPHICA.

Non tarde veniet, tacita sed mente tenendum
Hoc opus, hoc memorem semper qui corde reponet,
Huius pertentant cor gaudia magna prophetæ
Eximij, qui virgineo conceptus ab aluo
Prodibit, sine contactu maris, omnia vincit.
Hoc naturæ opera: at fecit, qui cuncta gubernat.

CIMMERIA.

In teneris annis facie præsignis, honore
Militiæ æternæ regem sacra virgo cibabit.
Lacte suo: per quem gaudebunt pectore summo
Omnia, & eoo lucebit sidus ab orbe
Mirificum: sua dona Magicum laude ferentes,
Obijcient puero myrrham, aurum, thura Sabæa.

SAMIA.

Ecce dies, nigras quæ tollet læta tenebras,
Mox veniet, soluens nodosa volumina vatum
Gentis Iudææ, referens vt carmina plebis.
Hunc poterunt clarum viuorum tangere regem,
Humano quem virgo sinu inuiolata fouebit.
Annuit hoc cælum, rutilantia sidera monstrant.

CVMANA.

Iam mea certa manent, & vera nouissima verba,
Vltima venturi quod erant oracula regis,
Qui toti veniens mundo cum pace, placebit,
Vt voluit, nostra vestitus carne decenter,
In cunctis humilis, castam pro matre puellam
Deliget, hæc alias forma præcesserit omnes.

HELLESPONTICA.

Dum meditor quondam, vidi decorare puellam,
Eximio (castam quod se seruaret) honore,
Munere dignum suo, & diuino numine visa,
Quæ sobolem multo pareret splendore micantem:
Progenies summi, speciosa & vera Tonantis,
Pacifica mundum qui sub ditione gubernet.

PHRYGIA.

Ipsum Deum vidi summum, punire volentem
Mundi homines stupidos, & pectora cæca, rebellis.
Et quia sic nostram complerent crimina pellem,
Virginis in corpus voluit demittere cælo
Ipse Deus prolem, quam nunciet Angelus almæ
Matri, quo miseros contracta sorde leuaret.

EVROPAEA.

Virginis æternum veniet de corpore verbum
Purum, qui valles & montes transiet altos.
Ille volens etiam stellato missus Olympo,
Edetur mundo pauper, qui cuncta silenti
Rex erit imperio: sic credo, & mente fatebor:
Humano simul ac diuino semine gnatus.

TYBVRTINA.

Verax ipse Deus dedit hæc mihi munia fandi,
Carmine quod sanctam potui monstrare puellam,
Concipiet quæ Nazareis in finibus, illum
Quem sub carne Deum Bethlemica rura videbunt.
O nimium felix, cælo dignissima mater,
Quæ tantam sacro lactabit ab vbere prolem!

AGRIPPA.

Summus erit sub carne satus, charissimus atque,
Virginis & veru complebit viscera sanctum
Verbum, consilio, sine noxa, spiritus almi:
Despectus multis tamen ille, salutis amore,
Arguet & nostra commissa piacula culpa:
Cuius honos constans, & gloria certa manebit.

ERYTHRAEA.

Cerno Dei natum, qui se demisit ab alto,
Vltima felices referent cum tempora soles:
Hebræa quem virgo feret de stirpe decora,
In terris multum teneris passurus ab annis,
Magnus erit tamen hic diuino carmine vates,
Virgine matre satus, prudenti pectore verax.

DE SIBYLLINIS LIBRIS, & eorumdem inspectione, præcipuè vero Sibyllæ Cumanæ adscriptorum.

Dionysius antiq. Rom. Lib. IV.

QVIN & alia Tarquinio regnante miranda felicitas *vrbi contigisse dicitur, siue deorum alicuius siue dæmonum munere, quæ non ad breue aliquod tempus, sed in omne æuum multoties eam è grauissimis periculis seruauit. Venit ad tyrannum externa quædam mulier, nouem libros Sibyllinorum oraculorum venales offerens: cumque Tarquinius nollet eos tanti emere quanti illa indicauerat, abije*

& tres excussit ex eo numero: nec multo post reliquos referens, tantidem obtulit: derisaque pro delira, quod tantum pro paucioribus peteret, quantum pro pluribus obtinere non potuisset, rursum discedens reliquorum cremauit dimidium: relatisque tribus qui supererant, auri, quantum antea petijt. Tum rex miratus mulieris consilium, accersiuit augures: reque denarrata quæsiuit quid facto opus esset. Illi signis quibusdam edocti, auersatum sum rem missam diuinitus, magnamque noxam admissam esse quod non omnes libros emisset, iusserunt numerari mulieri quantum auri peteret, & reliquum oraculorum redimi; mulier datis libris diligenter eos seruari monuit, & mox ex hominibus disparuit. Tarquinius duos è ciuibus viros illustres elegit, additis duobus ministris publicis; quibus istorum librorum custodiam tradidit; horum duumuirorum alterum M. Atilium, visum non bona fide rem gerere, & ab vno ministrorum delatum parricidij, in culeum insutum proiecit in mare. Expulsis postea regibus, *ciuitas suscepta Sibyllinorum cura, clarissimos viros custodes eorum creat; qui per totum vitæ tempus funguntur eo munere, liberi ab omnibus militaribus atque ciuilibus muneribus: & publicè illis addit* alios *sine quibus Sibyllinos libros ab illis inspici non sinit; & vt compendio dicam, nihil Romani seu religiosum seu sacrum tam diligenter custodiunt quam Sibyllina oracula. Vtuntur autem eis ex senatusconsulto, si quando seditionibus turbetur status reipublicæ aut in bello insignis aliqua clades accepta sit; aut prodigia & ostenta, quæ difficili coniectura magnum aliquid portendant, apparuerint: qualia multa contigere. Hi libri manserunt incolumes vsque ad bellum Marsicum, in templi Capitolini cella subterranea, inclusi arca lapidea, asseruati à decem viris. Post exactam vero tertiam supra centesimam & septuagesimam olympiadem, cremato Capitolio, siue per insidias, vt quidam autumant, siue fortuito incendio, cum alijs donarijs Iouis, hi quoque igne absumpti sunt; nam qui nunc exstant, è multis locis comportati sunt, partim allati ex Italicis vrbibus, partim ex Erythris Asiæ, ex S. C. legatis illuc ad transcribendum missis, partim ex alijs vrbibus, & a priuatis hominibus descripti: in quibus inueniuntur quædam supposititia, quæ deprehenduntur acrostichidum quas vocant discrimine. Sequor autem hic Terentij Varronis auctoritatem, qui ista prodidit in libris rerum diuinarum.*

Idem lib. 1.

Quin & vniuersa ora quæ nunc vocatur Italia, dicata erat huic Deo, & à cultoribus Saturnia vocabatur, vt licet videre in Sibyllinis carminibus & aliis oraculis à diis redditis.

Et rursus.

Porro Æneam & Troianos in Italiam peruenisse confirmant Romani omnes, eorumque sacra & festi dies indicant, & Sibyllini libri cum Pythicis oraculis, aliaque multa: quæ nemo tanquam ad speciem conficta respuerit.

Item.

Acceperant quoddam responsum Troes apud Dodonam, vt nonnulli scribunt, vt alij malunt, in Erythris Idæ viculo, vbi habitabat Sibylla eius loci nympha; hæc iusserat eos nauigare occidentem versus, donec eo locorum peruenirent, vbi mensas comederent: quod simul atque factum animaduertissent, quadrupede ducis, vbicunque fessa procubuisset animans, ibi condere oppidum.

Libro III.

Et supplicium quo in Vestales stupri conuictas animaduertunt pontifices, Tarquinius videtur inuenisse primus, siue id certo consilio, siue, vt quidam opinantur, insomnijs monitus instituit: quæ post illius obitum inter Sibyllina oracula reperta dicunt sacrorum enarratores.

Libro IV.

Ædem Cereri, Libero, & Liberæ faciendam Posthumius locauit ex voto; nam initio belli laboratum est victus inopia, & magnus erat metus ne in totum deficeret, terra fructus negante, & bello ne commeatus aliunde subueheretur vetante; in quo metu cum Sibyllinos libros a suis custodibus inspici iussisset, & ex oraculorum monitis cognouisset placanda esse hæc numina, votum fecit priusquam exercitum educeret, si imperij sui tempore benigna vrbi esset annona, vt antea, templa se illis constructurum, & instituturum in singulos annos sacrificia.

Lib. X. antiq. Rom.

In Sibyllinis oraculis inuentum est, fore vt intrantibus in vrbem hostibus exteris, magno libertatis periculo dimicaretur: sed externum bellum initium sumpturum ab intestina seditione: cuius semina ex vrbe exterminanda esse, diisque tum votis tum sacrificijs placatis, auerruncanda mala; quod si fieret, certam *de hostibus fore victoriam.*

Et iterum.

Vbi vero P. Valerius Poplicola, C. Claudius Sabinus conss. magistratum inierunt, periculum quale nunquam ante, ab externis gentibus in vrbem incubuit, per intestinas seditiones intra mœnia adsciitum, vt & Sibyllini libri præmonebant, & signa diuinitus edita superiori anno portenderant.

Plutarchus in Poplicola.

Proximo anno Poplicola quartum consul factus est. Quia Sabini & Latini conspirauerunt, erat belli suspicio. Religionem insuper ciuitati attulerat quod omnes mulieres, quæ ea hora prægnantes erant, partus imperfectos ediderunt neque esset suo tempore vllus editus. Itaque Poplicola, ex libris Sibyllinis, placatis dijs inferis, ludisque ex oraculo Apollinis instauratis, & fiducia diuini numinis erecta ciuitate, iam ad hominum se conuertit minas.

In Fabio Maximo.

Eodem *tempore multos arcanos & vtiles ipsis libros consuluit, quos Sibyllinos appellant. Perhibent sortes nonnullas in libris proditas, illius tempestatis fuisse casibus & gestis consonas. Quod cognitum fuerat ex illis libris, fari ad alios nefas erat.*

In Mario.

Octauium Chaldæi *aruspices & vates ex libris Sibyllinis, quasi omnia ex sententia essent cessura, Romæ detinuere.*

In C. Cæsare.

At odium maxime illustre in eum & funestum effecit regni cupido, quæ vulgo prima materia & iampridem in occulto maleuolis color fuit speciosissimus. Et quidem rumorem in plebem vulgauerunt illi qui hoc honoris quærebant Cæsari, libris Sibyllinis proditum, vinci Parthos à Romanis posse, si rege duce bellum iis mouissent, esse ipsis alioquin insuperabiles: ac redeuntem Alba ad vrbem Cæsarem ausi fuere salutare regem.

In Cicerone.

Talis hunc ingenio & a Catilina incensum vani insuper vates & præstigiatores spe dementauerant inani, carmina conficta & sortes canentes, quasi ex libris Sibyllinis prænunciantes in fatis esse vt tres Cornelij Romæ rerum potirentur: eorum duos fatum iam impleuisse, Cinnam & Syllam: tertio qui superesset, Cornelio deos ipsi dominationem deferre, quin susciperet, nec cunctando sicut Catilina corrumperet opportunitatem.

Idem de iis qui tarde à numine corripiuntur.

Cæterum quum accessisset, vocem audiuit sonoram mulieris carmine nonnulla prædicentis, ac (vt sibi videbatur) tempus interitus ipsius præsagientis. Dæmon vero Sibyllæ vocem illam esse narrabat, quam in lunæ globo circumrotatam, futura canere aiebat. Quumque plura audire cuperet, vehementi lunæ impetu, ceu vertigine quadam in contrarium repulsus est. Nonnulla tamen breuia intellexit velut de Lesbio monte, ac Dicæarchiæ deflagratione, nec non & comma de tum imperante principe.

Quod bonus existat, sed morte tyrannida linquet.

Pausanias in Phocicis.

Sed & Lacedæmoniorum & Argiuorum concertationem super oppido Thyrea nomine, Sibylla prædixit æqualem vtrique vrbi fore.

Iustinus in Apologetico.

Opera autem & instinctu malorum dæmonum, mortis supplicium aduersus librorum Hystaspis, aut Sibyllæ, aut prophetarum lectores constitutum est: vt per timorem homines ab illis, quo minus scripta ea legentes rerum bonarum percipiant notitiam, sed in seruitute eorum retineantur, absterrentur: quod certè quidem efficere, & ad finem

sunm perducere nequiuerunt : non enim absque timore tantum huiusmodi scripta legimus, verumetiam vobis ad inspiciendum quæ in eis traduntur, vt videtis, offerimus: grata acceptáque omnibus fore scientes. Atque hoc etiamsi paucis persuaserimus, maximum tamen inde feremus lucrum: nam vt boni agricolæ, amplam à Domino capiemus mercedem.

Laonicus Chalcondylas lib. VIII. de rebus Turcicis.

Miror autem si qui fuerint qui Sibyllinis oraculis fidem non habuerint, cum Byzantenæ regionis regum catalogus ab Leone (vt aiunt) sapiente rege conscriptus in hunc regem, & in patriarcham Florentiæ Tyrrhenorum mortuum, exeat.

EX LATINIS AVCTORIBVS.

Varro de lingua Latina lib. v.

Megalesia dicta à Græcis, quod ex libris Sibyllinis accersita ab Attalo Rege Pergami propè murum Megalesion, vbi templum eius deæ, vnde aduecta Romam.

Lib. 1. de re rustica cap. 1.

Neque patiar Sibyllam non solum cecinisse quæ, dum viueret, prodessent hominibus, sed etiam quæ cùm perisset ipsa, & id etiam ignotissimis quoque hominibus, ad cuius libros tot annis post publicè solemus redire, cum desideramus quid faciendum sit nobis ex aliquo portento.

Cicero de diuinatione lib. 1.

Quoties senatus Decemuiros ad libros ire iussit? nam cum duo visi soles essent, & cum tres lunæ, & cum faces, & cum sol nocte visus esset, & cum ex cœlo fremitus auditus, & cum cœlum discessisse visum est, atque in eo animaduersi globi. Delata etiam ad senatum labes agri Priuernatis, cum ad infinitam altitudinem terra desedisset, Apuleiáque maximis terræmotibus conquassata esset. Quibus portentis magna populo R. bella, perniciosæque seditiones denuntiabantur. Inque his omnibus responsa haruspicum cum Sibyllæ versibus congruebant.

Ibidem.

Quamobrem Sibyllam quidem sepositam & conditam habeamus, vt, id quod proditum est maioribus, iniussu Senatus ne legantur quidem libri, valeántque ad deponendas potius quam ad suscipiendas religiones: cum antistibus agamus, vt quibus potius ex illis libris, quam regem proferant: quem Romæ post hæc nec dij, nec homines esse patientur.

Verrina vltima.

Itaque apud patres nostros atroci ac difficili reip. tempore, cum Ti. Graccho occiso magnorum periculorum metus ex ostentis portenderetur, P. Mucio, L. Calpurnio coss. aditum est ad libros Sibyllinos, in quibus inuentum est, Cererem antiquissimam placari oportere.

Epist. VII. lib. 1. ad famil.

Esse & tuæ, & nostri imperij dignitatis Ptolemaide, aut alio propinquo loco rege collocato, te cum classe atque exercitu proficisci Alexandriam; vt cum eam pace præsidiísque firmaris, Ptolemæus redeat in regnum: ita fore vt per te restituatur, quemadmodum senatus initio censuit: & sine multitudine reducatur, quemadmodum homines religiosi Sibyllæ placere dixerunt.

Liuius lib. III. Decadis I.

Libri per duumuiros sacrorum aditi pericula à conuentu alienigenarum prædicta, ne qui in loca summa vrbis impetus cædésque inde fierent, inter cætera monitum, vt seditionibus abstineretur.

Lib. IV.

Pestilentia eo anno aliarum rerum ocium præbuit: ædes Apollini pro valetudine populi vota est, multa duumuiri ex libris, placandę deûm iræ, auertendęq; à populo pestis causa, facere.

Lib. V.

Tristem hyemem, siue ex intemperie cœli raptim mutatione in contrarium facta, siue alia qua de causa, grauis pestilénsque omnibus animalibus æstas excepit, cuius insanabili pernicie, quando nec causa nec finis inueniebatur, libri Sibyllini ex S.C. aditi sunt. Duumuiri sacris faciundis, lecti sternio tunc primum in vrbe Romana facto, per dies octo Apollinem Latonámque & Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum tribus quam amplissimè tum apparari poterat, stratis lectis placauere.

Lib. VII.

Pestilentia ciuitatem adorta, coëgit senatum imperare decemuiris, vt libros Sibyllinos inspicerent: eorúmque monitu lectisternium fuit.

Paulo post.

Lapidibus pluit, & nox interdiu visa intendi, librísque inspectis, cum plena religione ciuitas esset, senatui placuit dictatorem feriarum constituendarum causa dici.

Lib. X.

Decemuiros sacris faciundis, carminum Sibyllæ ac fatorum populi huius interpretes, antistites eosdem Apollinaris sacri cæremoniarúmque aliarum plebeios videmus, nec tum patriciis vlla iniuria facta est, cum duumviris sacris faciundis adiectus est propter plebeios numerus.

Ibidem in fine.

Multis rebus lætus annus, vix ad solatium vnius mali, pestilentiæ vrentis simul vrbem atque agros, suffecit, portentóque iam similis clades erat. Et libri aditi, quinam finis, aut quod remedium eius mali ab diis daretur, inuentum in libris: Æsculapium ab Epidauro Romam accersendum.

Decadis III. lib. 1.

Ob cætera prodigia libros adire decemuiri iussi, *& mox:* Hæc procurata votaque ex libris Sibyllinis magna ex parte leuauerant animum religione.

Lib. 11.

Decretum, vt ea prodigia partim maioribus hostiis, partim lactantibus procurarentur: & vti supplicatio per triduum ad omnia puluinaria haberetur. Cætera, cum decemuiri libros inspexissent, vt ita fierent, quemadmodum cordi esse diui carminibus præfarentur. *Et statim:* Postremo ex libris Decembri iam mense ad ædem Saturni Romæ immolatum est, lectisterniúmque imperatum (& eum lectum senatores strauerunt) & conuiuium publicum, ac per vrbem Saturnalia die ac nocte clamatum, populúsque eum diem festum habere ac seruare in perpetuum iussus.

Ibidem.

Q. Fabius Maximus dictator, quo die magistratum iniit, vocato senatu, ab diis orsus, cum edocuisset patres, plus negligentia cæremoniarum auspiciorúmque, quam temeritate atque inscitia peccatum à C. Flaminio cos. esse: quæque piacula iræ deum essent, ipsos deos consulendos esse: peruicit vt (quod non fermè decernitur, nisi cum terra prodigia nunciata sunt) decemuiri libros Sibyllinos adire iuberentur, qui inspectis fatalibus libris, retulerunt patribus, quod eius belli causa votum Marti foret, id non ritè factum, de integro atque amplius faciendum esse: & Ioui ludos magnos, & ædes Veneri Erycinæ ac Menti vouendas esse, & supplicationem lectisterniúmque habendum, & ver sacrum vouendum: si bellatum prosperè esset, résque publica in eodem quo ante bellum fuisset, statu permansisset.

Et paulo post.

Veneri Erycinæ ædem Q. Fabius Maximus dictator vouit: quia ita ex fatalibus libris editum erat vt is voueret, cuius maximum imperium in ciuitate esset.

Ibidem.

Cæterum prius quam signa ab vrbe nouæ legiones mouerent, decemuiri libros adire atque inspicere iussi, propter territos vulgo homines nouis prodigiis.

Eodem libro.

Territi super tantas clades cum cæteris prodigiis, tum quod duæ Vestales eo anno, Opimia atque Floronia stupri compertæ: & altera sub terram, vt mos est, ad portam Collinam necata fuerat, altera sibimet ipsa mortem

conſciuerat. L. Cantilius ſcriba pontificum, quos nunc minores pontifices appellant, qui cum Floronia ſtuprum fecerat autem pont. max. eo vſque virgis in comitio cæſus erat, vt inter verbera expiraret. Hoc nefas cum inter tot, vt fit, clades in prodigium verſum eſſet: decemuiri libros adire iuſſi ſunt. Et Q. Fabius Pictor Delphos ad oraculum miſſus eſt ſciſcitatum, quibus precibus ſupplicationibúſque deos poſſent placare: & quænam futura finis tantis cladibus foret. Interim ex fatalibus libris ſacrificia aliquos extraordinaria facta: inter quæ Gallus & Galla, Græcus & Græca in foro Boario ſub terra viui demiſſi ſunt in locum ſaxo conſeptum, ibi ante hoſtiis humanis minimè Romano ſacro imbutum.

Lib. v.

Poſtero die ſenatuſconſultum factum eſt, vt decemuiri libros de ludis Apollini, rectéque diuina facienda inſpicerent. Ea cum inſpecta relatáque ad ſenatum eſſent, cenſuerunt patres Appollini ludos vouendos faciendóſque: & quando ludi facti eſſent, duodecim millia æris prætori ad rem diuinam & duas hoſtias maiores dandas.

Lib. IX.

Ciuitatem eo tempore repens religio inuaſerat, inuento carmine in libris Sibyllinis, propter crebrius eo anno de cœlo lapidatum inſpectis. Quandocunque hoſtis alienigena terræ Italiæ bellum intuliſſet, eum pelli Italia vincíque poſſe, ſi mater Idæa Peſſinunte Romam aduecta eſſet.

Decadis IV. *lib.* I.

Decemuiros adire libros de portento iuſſerunt, decemuiri ex libris res diuinas eaſdem, quæ proximè ſecundum id prodigium factæ eſſent, imperarunt: carmen præterea ab ter nouenis virginibus cani per vrbem iuſſerunt: donúmque Iunoni reginæ ferri.

Lib. v.

Prodigiorum cauſa decemuiri libros adire iuſſi, & nouendiale ſacrum factum, & ſupplicatio indicta eſt, atque vrbs luſtrata.

Lib. VI.

Prodigiorum cauſa libros Sibyllinos ea S.C. decemuiri cum adiſſent, renuntiarunt ieiunium inſtituendum Cereri eſſe, & id quinto quoque anno ſeruandum: &. vt nouendiale ſacrum fieret, & vnum diem ſupplicatio eſſet, coronati ſupplicarent: & cos. P. Cornelius quibus diis quibúſque hoſtiis vidiſſent decemuiri, ſacrificaret.

Lib. VIII.

Cupientem tranſire Taurum ægrè omnium legatorum precibus, ne carminibus Sibyllæ prædictam ſuperantibus terminos fatales cladem experiri vellet, retentum.

Lib. X.

His prodigiis cladibúſque anxij patres decreuerunt, vt & conſules, quibus diis videretur, hoſtiis maioribus ſacrificarent, & decemuiri libros adirent, eorum decreto ſupplicatio circa omnia puluinaria Romæ in vnum diem indicta eſt, iiſdem auctoribus & ſenatus cenſuit & conſules edixerunt, vt per totam Italiam triduum ſupplicatio & feriæ eſſent.

Ibidem.

C. Seruilius pont. max. piacula iræ Deum conquirere iuſſus, decemuiri libros inſpicere: conſul Apollini, Æſculapio, Saluti dona vouere, & dare ſigna inaurata; quæ vouit deditque. Decemuiri ſupplicationem in biduum valetudinis cauſa in vrbe, & per omnia fora conciliabuláque edixerunt.

Ibidem.

Ob prodigia decemuiri iuſſi adire libros, edidere quibus diis & quot hoſtiis ſacrificaretur; & ob fulminibus complura loca deformata, ad ædem Iouis vt ſupplicatio diem vnum eſſet.

Decadis. v. *lib.* I.

Cum peſtilentiæ finis non fieret, ſenatus decreuit, vt x. viri libros Sibyllinos adirent. Ex decreto eorum diem vnum ſupplicatio fuit.

Lib. II.

Cum bellum Macedonicum in expectatione eſſet, priuſquam id ſuſciperetur, prodigia expiari, pacémque Deum peti precationibus quæ editæ ex fatalibus libris eſſent, placuit. *Et ſtatim*: Ob hæc prodigia libri fatales inſpecti, editúmque ab decemuiris eſt, & quibus diis, quibúſque hoſtiis ſacrificaretur, & vt ſupplicatio prodigiis expiandis fieret.

Ibidem.

Patres ad aruſpices referre, & x. viros adire libros iuſſerunt. Decemuiri luſtrandum oppidum, ſupplicationem obſecrationémque habendam, victimis maioribus ſacrificandum, & in Capitolio Romæ, & in Campania ad Mineruæ promontorium renuntiarunt: ludos per x. dies Io. O.M. primo quoque die faciendos.

Lib. III.

Publicorum prodigiorum cauſa libri à decemuiris aditi, XL. maioribus hoſtiis, quibus diis coll. ſacrificarent, & addiderunt vti ſupplicatio fieret, cunctique magiſtratus circa omnia puluinaria victimis maioribus ſacrificarent, populúſque coronatus eſſet.

Lib. v.

Ob id maximè decemuiri libros adire iuſſi, ſupplicationem in diem vnum populo edixerunt, & 5. capris in foro ſacrificauerunt.

Florus Decadis III. *lib.* II. *epitome.*

Ob cladem Romanam ad Thraſimenum lacum ex libris Sibyllinis ver ſacrum votum.

Idem decadis III. *lib.* IX.

Idæa mater deportata eſt Romam à Peſſinunte oppido Phrygiæ, carmine in libris Sibyllinis inuento, pelli Italia alienigenam hoſtem poſſe, ſi mater Idæa deportata Romam eſſet.

Lib. IV. *cap.* 5.

Lentulus deſtinatum familiæ ſuæ Sibyllinis verſibus regnum ſibi vaticinans, ad præſtitutum à Catilina diem vrbe tota viros, faces, tela diſponit.

Decadis VI. *lib.* IX.

Diti patri ludi ad Tarentum ex præcepto librorum Sibyllinorum facti.

Corn. Tacitus lib. XV. *annal.*

Mox petita à diis piacula, aditique Sibyllæ libri, ex quibus ſupplicatum Vulcano & Cereri Proſerpinæque, ac propitiata Iuno per matronas, primum in Capitolio, deinde apud proximum mare.

Suetonius in Octauio Aug. cap. XXXI.

Quicquid fatidicorum librorum Græci Latiníque generis, nullis, vel parum idoneis auctoribus, vulgo ferebatur, ſupra duo millia contracta vndique cremauit: ac ſolos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito; condiditque duobus forulis auratis ſub Palatini Apollinis baſi.

Idem in Iulio Cæſare cap. LXXIX.

Proximo ſenatu percrebuit fama, L. Cottam XV. virum ſententiam dicturum, vt quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos, niſi à rege, non poſſe vinci, Cæſar rex appellaretur.

Plinius lib. XIII. *cap.* XIII.

Inter omnes conuenit, Sibyllam ad Tarquinium Superbum treis libros attuliſſe. Ex quibus igni duo cremati ab ipſa, tertius cum Capitolio Syllanis temporibus.

Idem lib. III. *cap.* XVII.

Oppidum Eporedia, Sibyllinis libris à populo Romano condi iuſſum.

Iulius Solinus Polyhiſtor. cap. VII.

Vir optimus Naſica Scipio iudicatus eſt, non priuato tantum teſtimonio, ſed totius ſenatus Sacramento quippe quod inuentus dignior non fuit, cui præcipuè religionis crederetur miniſterium, cum oraculum moneret acceſſi ſacra matris Deum Peſſinunticæ. quod tale fuit:

Mater abeſt, matrem iubeo Romane requiras,
Cum veniet, caſta eſt accipienda manu.

Ibidem.

Nauis à Phrygia gerula ſacrorum, dum ſequitur virtas

castitatis, contulit Claudiæ principatum pudicitiæ. At Sulpicia Pateculi filia Marci Fului; Flacci vxor censura omnium matronarum è centum probatissimis haud temerè electa est, quæ simulacrum Veneris, vt Sibyllini libri monebant, dedicaret.

Idem cap.XII

Lilybæum oppidum est Sibyllæ sepulchro.

Valerius maximus lib.1.cap.1.

Ceteria cum in vrbe pulcherrimum templum antiqui haberent Gracchano tumultu moniti Sibyllinis libris, vt vetustissimam Cererem placarent, Ennam (quoniam sacra eius inde orta credebant) decem viros ad eam propitiandam miserunt.

Ibidem.

Tarquinius rex M. Tullium Duumuirum, quod librum secreta cioiliom sacrorum continentem, custodiæ suæ commissum, corruptus Petronio Sabino describendum dedisset, culeo insutum in mare abiici iussit.

Ibidem cap.IX.

Cura sacerdotum, inspectis Sibullinis libris, animaduertit, non aliter pristinam recuperari ciuitatis salubritatem posse, quam si ab Epidaoro Æsculapius esset accersuus.

Ælius Spartianus in Adriano Cæs.

Cum sollicitus Adrianus de imperatoris erga se iudicio, Virgilianas sortes consuleret,

Quis procul ille autem ramis insignis oliua
Sacra ferens? nosco crines incanáque menta
Regis Romani, primam qui legibus vrbem
Fundauit, curibus paruis & paupere terra,
Missus in imperium magnum, cui deinde subibit,

sors excidit, quam alij ex Sibylliois versibus ei prouenisse dixerunt.

Iul. Capitolinus in Gordiano iuniore.

Fuit terræ motus eoúsque grauis imperaote Gordiano, vt ciuitates etiam terræ hiatu cum populis deperirent: ob quæ, sacrificia per totam vrbem, totúmqoe orbem terrarum ingentia celebrata sunt. Et Cordus quidem dicit, inspectis libris Sibyllinis celebratísque omnibus quæ illic iussa videbantur, mundanum malum esse sedatum.

Trebellius Pollio in Gallienis.

Pax Deum quæsita, inspectis Sibyllæ libris, factúmque Ioui salutari, vt præceptum fuerat, sacrificium.

Flauius Vopiscus in Diuo Aureliano.

In illo timore, quo Marcomanni cuncta vastabaot, ingentes Romæ seditiones motæ sunt, pauentibus cunctis ne eadem quæ sub Gallieno fuerant, prouenirent, quare etiam libri Sibyllini noti beneficiis publicis inspecti sunt; inuentúmque vt in certis locis sacrificia fierent quæ barbari transire non possent. Facta denique sunt ea quæ præcepta fueraot in diuerso cæremoniarum genere: atque ita barbari restiterunt, quos omnes Aurelianus carptim vagantes occidit. Libet ipsius S. C. formam exponere, quo libros inspici clarissimorum iussit auctoritas. Die tertio Idus Ian. Fuluius Sabinus prætor Vrbanus dixit: *Referimus ad vos P. C. Pontificum suggestionem, & Aureliani principis litteras, quibus iubetur vt inspiciantur fatales libri quibus spes belli terminandi sacrato deorum imperio continetur. Scitis enim ipsi quotiescunque granior aliquis extitit motus, eos semper inspectos: neque prius mala publica esse finita quam ex iis sacrificiorum processit auctoritas.* Tunc surrexit primæ sententiæ Vlpius Syllanus, atque ita loquutus est: *Sero nimis P.C. de reip. salute consulimus, sero ad fatalia iussa respicimus, more languentium qui ad summos medicos nisi in summa desperatione non mittunt, proinde quasi peritioribus viris maior facienda sit cura, quum omnibus morbis occurri sit melius. Meministis enim P. C. me in hoc ordine sæpe dixisse iam tum quum primum nunciatum est Marcomannos erupisse, consulenda Sibyllæ decreta, vtendum Apollinis beneficiis, recusasse vero quosdam, & cum ingenti calamnia recusasse, quum adulando dicerent tantam principis esse virtutem, vt opus non sit deos consuli, proinde quasi & ipse vir magnus non deos colat, non de diis immortalibus speret. Quid plara? audiuimus litteras quibus rogauit opem deorum, quæ nunquam cuiquam turpis est vt vir fortissimus adiuuetur. Agite igitur pontifices, quâ puri, quâ mundi, quâ sancti, quâ vestitu animisque sacris commodi, templum ascendite, subsellia laureata constituite, veteranis manibus libros euoluite, fata reip. quæ sunt æterna perquirite: patrimis matrimisque pueris carmen indicite: nos sumptum sacris, nos apparatum sacrificiis, nos aris ambaruālia indicemus.* Post hæc interrogati plerique senatores sententias dixerunt, quas longum est innectere. Deinde aliis manus porrigentibus, aliis pedibus io sententias euntibus, plerísque verbo consentientibos, conditum est S.C. Itum deinde ad templum, inspecti libri, proditi versus, lustrata vrbs, cantata carmina, amburbium celebratum, ambarualis promissa: atque ita solemnitas quæ iubebatur, expleta est. Est epistola Aureliani de libris Sibylliois: nam ipsam quoque indidi ad fidem rerum. *Miror vos patres sancti tandiu de aperiendis Sibyllinis dubitasse libris, perinde quasi in Christianorum Ecclesia, non in templo deorum omnium tractaretis. Agite igitur, & castimonia pontificum, cæremoniisque solennibus iuuate principem necessitate publica laborantem. Inspiciantur libri: quæ facienda fuerint celebrentur, quemlibet sumptum, cuiuslibet gentis captiuos, quælibet animalia regia non abnuo, sed libens offero: neque enim indecorum est diis iuuantibus vincere: sic apud maiores nostros multa finita sunt bella, sic cœpta. Si quid est sumptuum, datis ad præfectum ærarij litteris decerni iussi. est præterea vestræ auctoritatis arca publica, quam magis refertam esse reperio quam cupio.*

In Floriano.

De Probo dictum est, quod Probus diceretur etiam si Probus nomine non fuisset. Quem quidem moiti ferunt, Sibyllinis libris fore promissum, qui si diutius vixisset, orbis terræ barbaros non haberet.

Aurelius Victor.

Claudius quum ex fatalibus libris, quos inspici præceperat, cognouisset, sententiæ in senatu dicendæ primi morte remedium desiderari, Pomponio Basso qui tunc erat, se offerente, ipse vitam suam, haud passus responsa frustrari, dono reipublicæ dedit, præfatus neminem tanti ordinis primas habere nisi ipsum imperatorem.

Ammianus Marcellinus lib.XXII.

A qoo oppido (Pessinunte) bello Punico secundo, carmine Cumaoo monente, per Scipionem Nasicam simulacrum translatom est Romam.

Idem lib.XXIII.

Iisdem diebus nuntiatum est per litteras, Romæ super bello libros Sibyllæ consultos, vt iusserat, imperatorem eo anno discedere à limitibus suis aperto prohibuisse responso.

Lactantius lib.II.cap.IV.de falsa religione.

Gracchanis temporibus turbata rep. & seditionibus & ostentis, cum repertum esset in carminibus Sibyllinis antiquissimam Cererem debere placari, legati sunt Ennam missi.

Lib.II.cap.VII.

Claudia quoque proponitur in exemplum miraculi. Nam cum ex libris Sybillinis Idæa mater esset accita, & in vado Tyberini fluminis, nauis qua vehebatur, hæsisset, nec vllo modo, aut vlla vi commoueretur: Claudiam ferunt, quæ semper impudica esset habita ob nimios corporis cultus, deam submissis genibus orasse, vt si se castam iudicaret, suum cingulum sequeretur: ita nauim quæ ab omni iuuentute non valuit commoueri, ab vna muliere esse commotam.

Augustinus lib.III.de ciuit.Dei cap.XVII.

Quid illa itidem ingens pestilentia, quamdiu sæuiuit, quam multos peremit? Quæ cum in annum alium multo grauius tenderetur, frustra præsente Æsculapio aditum est ad libros Sibyllinos. In quo genere oraculorum, sicut Cicero in libris de Diuinatione commemorat, magis interpretibus, vt possunt siue volunt dubia coniectantibus,

credi solet. Tunc ergo dictum est eam esse causam pestilentiæ, quod plurimas ædes sacras multi occupatas priuatim tenerent.

Idem lib. sing. de Grammatica.

τρία κάππα κάκιστα, Id est, tria cappa pessima, de Corn. Sylla, de Corn. Cinna de Corn. Lentulo, hi enim per tres litteras designati sunt in libris Sibylliois.

Gellius lib. 1. cap. XIX.

In antiquis annalibus memoria super libris Sibyllinis hæc prodita est. Anus hospita atque incognita ad Tarquinium Superbum regem adit, nouem libros ferens, quos esse dicebat diuina oracula, eos velle dixit venundare. Tarquinius pretium percontatus est. Mulier nimium atque impensum poposcit. Rex, quasi anus ætate desiperet, risit. Tum illa foculum coram eo cum igni apposuit: & treis libros ex nouem deussit, & ecquid reliquos sex an eodem pretio emere vellet, Regem interrogauit. Sed enim Tarquinius id multo risit magis, dixitque anum iam proculdubio delirare. Mulier ibidem statim treis libros alios exussit, atque id ipsum denuo placidè rogauit, treis reliquos eodem illo pretio emat. Tarquinius ore iam serio, atque attentiore animo fit: eam constantiam, confidentiámque non insuper habendam intelligit: & libros treis reliquos mercatur nihilo minore pretio, quam quod erat petitum pro omnibus. Sed eam mulierem tunc à Tarquinio digressam, postea nusquam loci visam constitit. Libri tres in sacrarium conditi, Sibyllini appellati. Ad eos quasi ad oraculum Quindecim viri adeunt, cum Dij immortales publicè consulendi sunt.

Macrobius Saturn. lib. 1. cap. XVII.

Bello Punico ludi Apollinares ex libris Sibyllinis primum sunt instituti, suadente Cornelio Rufo Decemuiro, qui propterea Sibylla cognomitus est.

Seruius in VI. Æneidos.

Tuas sortes] Id est Sibyllina responsa, quæ (vt supra diximus) incertum est cuius Sibyllæ fuerint: quanquam Cumanæ Virgilius dicat, Varro Erythrææ. Sed constat regnante Tarquinio quandam mulierem nomine Amaltheam, obtulisse ei nouem libros, in quibus erant fata & remedia Romana: & pro his poposcisse ter centum Philippeos, qui aurei tunc preciosi erant. Qua contempta, alio die tribus incensis reuersa est, & tantundem poposcit: item tertio, aliis tribus incensis, cum tribus reuersa est, & accepit pro tribus ter centum, quantum postulauerat pro nouem: hac ipsa te rege commoto, quod precium non mutabat. Qui libri in templo Apollinis seruabantur.

Lectosque sacrabo alma viros] Quia nisi patricij non fiebant. Sanè sciendum, primo duos librorum fuisse custodes, inde decem, inde quindecim vsque ad tempora Syllana. Post creuit numerus: nam quadraginta fuerunt. Sed remansit quindecimuirorum vocabulum.

Suidas.

Herophila, quæ & Sibylla Erithræa, Theodori F. scripsit heroico versu lib. diuinationum III. & vel consulum vel Tarquinij temporibus Romam venit, pecuniæ ex illis parandæ spe. Sed contempta ab illis, duos libros cremauit, quos secum attulerat: vnus tertius remansit, magna pecunia emptus à Romanis.

Idem.

Cum res Argonautarum gestæ sunt, in Græcia quidem Erythræa Sibylla vaticinata est: in Phrygia vero Tros, Ili & Ganymedis pater regnauit.

Idem.

Romani cum ex Sibyllinis oraculis cognouissent, collturam esse terram, si rerum humanarum preciosissima in eum coniicerentur; alij aurum, alij argentum, alij fruges, alij quod quisque maximi æstimabat, aggerebant, & se diuinis responsis satisfacere arbitrabantur. Sed nihilominus permanente voragine, Curtius vir & aspectu pulcherrimo, & animo præstantissimo, se quid Sibylla diceret, rectius aliis intelligere dixit, rem enim Reipublicæ maximi esse precij, viri virtutem, eámque oraculo postulari.

FRAGMENTA ADDENDA

Ioannes Tzetzes in historia varia.

Et Plato vero omni scius inquit in Timæo.
Rationis quidem omnem hominem participem esse dicendum est:
Intellectus autem deos, & genus quoddam breuissimum ho-
Sane eos qui pranoscunt, dicentes, & prophetas. (minum
Qui cum non audierint, dixerunt de futuris.
Qualis & Pythagoras, atque Anaxagoras,
Empedocles, Democritus, alij sapientes multi,
Epirotica Phaënno, & Sibylla similiter:
Phaënno ante tempus quidem annorum tot,
Qua antea, paulum ante nos cum dixisset, qua facta sunt,
Quomodo Romanum regem vincent Persa,
Super colloque calcabunt, velut seruitute addicentes,
Et suus populus & proauus quomodo hunc ab imperio deii-
Et qui Persa obtinebunt omnem Bithyniam, (cient,
Et Scytha quomodo concient pugnam cum Romanorum ge-
Ad verbum dicens hac ore claro: (nere,
O rex Thracum accipies vrbem in ouibus,
Excrescere autem facies leonem magnum curuiunguem hor-
Qui olim mouebit patria thesauros regionis. (rendum,
Terram autem capies laboribus absque, neque te iubeo
Regus honoribus exaltare admodum diu,
Et sedibus autem cadere velut canes circum possunt.
Hac breuia Phaënnonis. Sibylla autem dixit,
Etiam vsque dum exitum accipiant, non intelliguntur,
De Cypro ipsa atque Antiochia,
Et quomodo nunc Labunius veniet in Cyprum.
De Cypro autem sic quidem, atque Antiochia:
Hei hei Cypre infelix, te autem magna vnda abscondet,
Hastis autem atque armis Antiochia infelix peribis.
Hac de Cypro atque Antiochia,
De Cilicis autem aduentu in Cyprum,
Sapientissima mulierum sic ad verbum dicit:
Erit posteris, quando Pyramus lata vnda
Littora profundens, sacram in Cyprum veniet,
Talibus Iamblichus, Porphyrius atque alij,
Hominibus, dixerunt intellectus adesse præsentiam,
Quippe solum intelligunt, & pradicunt omnia,
Absque eo vt ratiocinentur, vel aliquid audiant.
Paucis, propter hos quidem, dicebant intellectum præsto esse.
Ego autem neque his propriè intellectum adapto.
Vel enim audito aliquo, siue ex disciplinis,
Siue ratiocinati ex aliquibus spectris,
Dixerunt, qua dixit quiuis: postea autem euenit.
Intellectus autem sine medio omnia intelligit, & vere nouit
Sine exemplo, & ratiocinatione, atque spectaculo,
Neque igitur ipsos intellectu praditos, solertes autem voco,
Ad hac, piacula petant me & lapidibus.

Idem Chiliade IX.

De oraculo Sibyllæ dicente, viros qui Byzantij pauimentum habitant.

Quidam dicunt hoc quidem oraculum esse Sibylla,
Alij autem Epirotidis Phaënna illius.
Aliud autem erat Bacidis: hoc vero de Byzantio.
Verum ego duorum oraculorum partes quasdam iungens,
Retro currenti discipulæ Byzantidi dico,
Quia vero duo oracula, quod est Bacidis, pradixi
Atticis atque Gracis tunc vaticinatum fuisse.
Hoc Sibylla autem oraculum, aut Phaënna,
Magis vero videtur Sibylla, causa Byzantij,
Et de Diogene, Phœbo percita dicit, atque Turcis,
Et catera dimittamus, dicamus autem pauca:
Sane tunc Bithynorum terram lupi habitabunt,
Iouis consiliis, malum autem inuadet viros,
Viros qui Byzantij solum habitant.

Idem Chil. X.

De paræmia, super Oceanum fluctuans.

Et quis exundares super ipsum sermonibus?

Nisi forte dederit Homerum, vel egregium Orpheum,
Vel Phaënno, vel Sibyllam, sine aliquem talem.

Nicetas Choniates.

De Sibylla rumor est, quod simul atque ex vtero materno prodiit, quamprimum de vniuersi coagmentatione philosophata sit.

Ioannes Curopalates in historiarum compendio sic retulit, ita vertente illius interprete.

Erat autem oraculum Sibyllinum in quodam imperatoria Bibliotheca libro conscriptum, qui non oracula tantum continebat, sed etiam formas & figuras eorum qui crearentur imperatores. Erat autem fera Leonis forma prædita in eo libro, & super ipsius dorsi spina inscripta erat X litera, quæ vsque ad ipsum ventrem pertinebat, a tergo quidam vir accurrens letalem plagam hasta ipsi fere per medium X infigebat. Præ se ferente vero oraculo obscuritatem, solus ipsum, qui tunc quæstor erat, aperuit indicauitque ipsa die ortus Christi imperatorem perniciosa morte interfectum iri.

Glycas annal. parte 11.

Cæterum Sabæi natio sunt Æthiopica. Eorum regina fuit admiranda illa Sibylla: quippe quæ cum legem ignoraret, nec vates audisset, per Salomonem sapientiæ subministratorem Deum prædicauit. Celebretur, ait, Dominus Deus ille tuus, qui tibi sic fauerit, vt te Israëliticorum solio imponeret, & quæ sequuntur.

In sequentem censuram præuia annotatio. Dubitatum est nam hoc loco apponi deberent Libri Berosi Manethonis, Metastenis & aliorum qui ab Annio Viterbiensi Ordinis Prædicatorum primùm editi sunt, & quos vt germanos citauerunt Antonius Nebricensis, Ioannes Driedo, Augustinus Fugubinus, Sixtus Senensis & alij: Sed cum falsæ suppositionis tàm manifestè ab eruditioribus condemnati sint, indigni iudicati sunt qui in hac Bibliotheca locum haberent. Interim eorum confutationem à Gaspare Varrero Lusitano editam, diuersam ab ea quam eodem Andreas Scotus S. I. tomo 2. Bibliothecæ Hispanicæ edidit, accipe Lector. Quod si legitimi Berosi & aliorum fragmenta videre cupias, consule Iosephum in libris antiquitatum Iudaicarum & in libris contra Appionem, Eusebium Cæsariensem in libris de præparatione Euangelica Clementem Alexandrinum & alios antiquos Patres.

CENSVRA,

IN QVENDAM AVCTOREM, qui sub falsa inscriptione Berosi Chaldæi circumfertur.

GASPARE VARRERIO AVCTORE.

De Beroso & aliis vide Geropium Becanum in originibus, & Pererium in Danielem.

Typographus Romanus Lectori S.

CVM nihil in omnibus rebus sit veritate præstantius, magnas habere gratias iis debemus, qui suam omnem industriam in eam curam contulerunt, vt falsa distinguant à veris, magnum enim, ac planè singulare beneficium est, artes illustrare, errores auferre, sua cuique tribuere, occulta patefacere, nec pati humanas mentes ignorantiæ tenebris inuolui, quod cum antea studuit in primis vir egregius, & doctrina ac ingenio præstans, Gaspar Varrerius, tum vero præstitit in hac disputatione, quam suscepit, vt insitam in multis opinionem de falsis Berosi scriptis ex animis euelleret, nec fuit irritus conatus, nam ita confutauit aduersariorum argumenta, vt dubitatio iam apud æquos iudices planè nulla relinquatur. Speramus etiam fore, vt alia eiusdem viri, qui totus ad publicam vtilitatem incumbit, scripta diuulgemus: ex quibus fructum maximum & viuentes, & posteritas ipsa percipiet. Interim hæc accipe Lector optimè, & fruere viri præstantis ingenio, eique otium, valetudinem, animique tranquillitatem à Deo expeta: nostram quoque voluntatem, ad benè de literis merendum valdè propensam, pro tua humanitate complectere, & faue: Quod vt magis magisque facias, pro nostra virili parte elaborabimus.

CLARISSIMO VIRO ATQVE Illustriss. D.M. Antonio Amulio S.R.E. Tituli Sancti Marcelli Presbytero Cardinali, Gaspar Varrerius S.P.D.

QVEMADMODVM non est aliud in rebus humanis vel admirabilius, vel salutarius, quam sapientum & disertorum virorum, consignata literis monimenta, quorum, ad benè beatéque viuendum, Idoneis instruimur consiliis, diuinarúmque, atque humanarum rerum scientiam consequimur, præteritorum quoque temporum varietates, & vicissitudines cognoscimus; ita profectò nulla vel immanior, vel calamitosior iactura, quam librorum meo iudicio putanda est. Ac mihi, cum tantorum philosophorum atque illustrium poëtarum, summorúmque oratorum & grauissimorum Theologorum, quorum egregia tot interiere volumina, sæpenumero, in mentem venit clarissimè Amuli, illud penè accidit, quod euenisse potentissimo quondam Persarum regi, memoriæ proditum est; qui cum copiosissimum ac superbissimum, quem aduersus Athenienses collegerat exercitum, omni bellico apparatu, rerúmque omnium ornatu visendum, ex quadam specula contemplaretur, fleuisse dicitur; eo quod infinitam penè illam hominum multitudinem, ante centum annos, mortis fato interitoram esse cerneret. Verum ille futurum illorum hominum deplorabat interitum, qui, ad occidendos homines instructi, & parati erant: nos autem, sapientissima præclarorum animorum cogitata, ac diuinas lucubrationes, quæ admirabiles habere videbantur opportunitates, penitus intercidisse, iustius lugemus. Quis enim M. Varronis ingentem, & immensum librorum numerum, non ferat acerbissimè, temporis iniuriâ interceptum? Quem virum & tam multa legisse dixit diuus Augustinus, vt ei ad scribendum suppetiisse tempus mirum esset, & tam multa scripsisse, quæ nemo alius legere potuisset, vt Ciceronis & aliorum præclara de eo testimonia prætermittam. Nec verò scripta tantum innumerabilia sapientissimorum virorum temporis iniquitas deleuit: sed antiquam illam latini sermonis elegantiam, omnéque procsus etiam eloquentiæ lumen extinxit. Porro quas caussas dicemus, vir Illustrissimè, cur tantarum támque dissimilium rerum, & disciplinarum atque etiam artium tot amitteremus libros; & illustris illa dicendi ratio penitus interierit? Ex quamquam in hanc ipsam rem intuentibus, externorum armorum impetus, vel turbulentæ perditorum ciuium seditiones, quibus imperij cuiusque vel prorsus amissio, vel magna certè diminutio consequitur, ferè videri solent: tamen, si quis ad conuersionem Romani status, eiusque illius publicæ inclinationem toto se animo, & cogitatione conuertat, non tantum externa bella, ciuiléfque tumultus & dissensiones, quantum præposterum aliquorum iudicium,

vanæ cuiusdam laudis opinione deceptum, totam loquendi rationem peruertisse, & deprauasse comperiet. Quod enim fuit tranquillius aliquando tempus, quam illud, quo Cæsar Octauianus post rem publicam euersam, summa & placidissima constituta pace, toto penè terrarum orbi imperauit? Et tamen iam inde latina eloquentia, quam aurea illa Ciceronis ætas in altissimo paulo ante viderat gradu collocatam, naturaléque illud, & non fucatum sermonis genus, cœpit à summo nitore, & à diuino illo orationis genere deflectere, eóque passim deduci, vt omnem prorsus ornatum, dignitatémque amiserit, & veram atque germanam effigiem, quemadmodum aut non benè constitutum, aut iam senio confectum corpus, omnino mutauerit. Siquidem ipse, quem modo nominaui, Cæsar in nouas iam tum Tiberij, ac Mæcenatis, & aliorum similium virorum, loquendi formulas, quas fœtores appellare solitus erat inuehebatur. Cúmque ad Neronis tempora ventum est, ipsum imperatorem à lectione veterum oratorum præceptor eius Seneca retraxit: quo suorum scriptorum, vt auctores tradunt, vehementior excitaretur admiratio. Qui homines cum gratiæ multum & auctoritatis apud omnes, ob nimiam erga illos imperatorum indulgentiam, essent consecuti, fiebat, vt, cum alij, seu adulationis caussa, seu fortè simili errore ducti, eos imitarentur, nouum loquendi genus sensim obreperet. Errore igitur iudicij longè latéque diffuso, postquam explosa illa vetus, & illustris dicendi ratio, & tanquam à scena exsibilata est, antiquorum oratorum, atque historicorũ, poëtarumq; libri, cum legi, tum etiam describi à librariis sunt desiti: & hac de caussa à tineis & blattis penitus absumpti. Alia præter has tantæ calamitatis caussa fuit, quod cum historici, non propter ipsorum eloquentiam, cui iam nullus erat honos, sed ob rerum gestarum cognitionem legerentur, & multi maximam laudem in breuitate constituerent, librósque studiosè mutilarent, cœpere librarij ea maximè describere, quæ perquirere homines ardentiore studio, & auidius emere intelligerent. Itaque maiorem T. Liuij partem, atque Trogum amisimus, ob Iustini & L. Flori, si modo is Liuium contraxit, inanes & perniciosos labores. Festus Pompeius propterea mutilus remansit, & aliorum numerosa scriptorum turba deperijt: quorum iacturam Aldus Manorius Romanus, vir quondam longè doctissimus, satis iam tunc deplorauit, importunósque huiusmodi labores summè detestatus est. Cùm vero his potissimum de caussis, politiores litteræ, multis sæculorum ætatibus iacuissent, cœpere patrum nostrorum memoriâ caput aliquando extollere, seséque paulatim erigere: eodémque tempore Græci etiam auctores, qui ex funesta illa clade superfuerant, quasi reuiuiscere visi sunt: Summulistarum, similiúmque barbarorum monstra, ab gymnasiis extrudi: & verus ac Germanus Aristoteles, verus Plato, verus Hippocrates: verus Galenus, multique alij, qui, ounc extant auctores, ab innumeris mendis vindicati, velut ab inferis excitati. Verus quoque latinæ linguæ nitor, præstanti industria Petri Bembi, Iacobi Sadoleti, & Adriani doctissimorum Cardinalium, Paulique Manutij, qui nunc viuit, omnium iudicio eruditissimi, atque ornatissimi viri, quemque honoris caussa nomino, restitui, ac reflorescere. Cúmque magnos atque ingentes progressus, vera iam eloquentia, cæteræque artes & disciplinæ fecissent, ecce tibi subito alia coorta est tempestas. Nescio enim quo fato nuper cœperunt homines in Italia, quæ sola certè post Græciam fuerat bonarum literarum altrix, falsa & perniciosa quadam inducti persuasione, linguam suam vulgarem, quam latinam corruptam satis esse constat, adeo excolere, vt, in ea excelluisse, pulchrum putent: omnésque eos labores & vigilias, quas in restituenda latini sermonis proprietate, in studioque latinæ eloquentiæ ponere debuissent, in propaganda & illustranda lingua corrupta, collocare non verecundentur: idque contentione tanta atque diligentiâ, vt nullus iam ferè sit vel Græcus vel Latinus auctor, qui in hanc linguæ latinæ fecem conuersus non reperiatur. Quasi vero tanta sit huius linguæ præstantia, vt Cicero, Cæsar, Sallustius, Liuius, Terentius, Virgilius, Lucretius, Tibullus, cæterique poetæ, oratores & historici præstantissimi & eloquentissimi, in alienam linguam conuersi, maiorem eloquentiæ splendorem, ampliorémque speciem & ornatum, & vehementiorem delectandi, ac persuadendi vim vel habeant vel habere potuerint. Quod si in hac vulgari lingua tales poëtas, tales oratores habuissent, taléisque historicos, qui, in aliquibus eloquentiæ ornamentis, Græcis vel Latinis auctoribus præstitissent, aut saltem eos exæquassent fortasse iam quoquomodo eorum ferendus labor, & dissimulandum studium esset. Nam Franciscus Petrarcha & Ioannes Bogatius, quos velut vulgaris linguæ principes tantoperè laudant & extollunt, ad quorumque imitationem se cæteri contulerunt, quidnam quæso scripsere? Ille quidem, si verum licet dicere, de vnius obscuræ mulierculæ laudibus, quæ non Semiramis, nec Artimisia, nec Zenobia, vel alia huiusmodi fuit, infinitos penè versus composuit, dolores & anxietates animi sui, præ amore illius Helenæ deficientis nobis litteris consignatas, relinquens Christi sacerdos: hoc est ipsius vel Iliados vel Æneidos doctum & excellens poëma. Hic vero meras nænias & aniles fabulas, quæ nullam nec doctrinam, nec eruditionem sapiant, sed ad imperitam multitudinem & meretrices potius, quam doctos & sanos homines pertineant; in diuino illo Decamerone, sic enim illi vocant, exarauit. Itaque hos vulgaris linguæ Cicerones, hos Cæsares, hos Sallustios, hos Homeros & Virgilios nobis ostentant. Iam illud existimare non possum, esse quemquam sanæ mentis hominem, qui suum Homero vel Virgilio Petrarcham, Dantem Horatio, Ariostum Ouidio, ac nescio quos Seraphinos, aliósque malos de populo poëtas, docto Catullo, Propertio, vel Tibullo, cæterísque præstantissimis vatibus anteponat: vel inueniri aliquem, qui, quos modo nominaui, graues & ingeniosos poëtas, in linguam qua vulgo vtimur conuersos, legere in animum inducat; quæ lingua, sine vlla dubitatione omnem illis vim & suauitatem, cæterásque oratorias virtutes penitus ademit: nisi fortè, qui veræ eloquentiæ gustum & dulcedinem non sentiunt. Quid autem de historicis & oratoribus, in eandem linguam conuersis, sentiendum sit, ex ipsis, quæ de poëtis dicta sunt, intelligi potest. Quando igitur ex bonis Græcis, ex bonísque Latinis fabulis illos constat Etruscas facere non bonas, quid tantum insano iuuat indulgere labori? Vel, si fortè hac ratione linguam suam longè latéque propagare cogitant illi, qui totis viribus in vertendis auctoribus elaborant meminisse certè debuissent, Romanos olim, quorum potentiæ nihil arduum, vel difficilè potuisse videri existimandum est, vix in Gallias & Hispanias Romanum sermonem introduxisse. Nam Belgæ & Heluetij, Vascones & Cantabri, etiam si alios allj admiserunt, ab eo semper abhorruere, suámque etiam nunc retinent alumnam linguam: nec Germani, nec Græci, Ægyptij, vel Afri suam, cum Latina commutare vnquam voluerunt. Quonam igitur modo Itali linguam suam vulgarem in eas nationes, eis nullo seruitutis iugo mancipatas, introducere ac proseminare putent, satis intelligere non possum. Certè, vir illustrissimè, cum Italorum illustrem considero naturam, acre solértsque ingenium, ad quæuis præclara natum, non possum non vehementer dolere, tantam virtutis indolem, in re tam humili, tam angusta, tam Italico nomine indignâ, esse consumptam. Quod autem latinæ linguæ splendorem, eloquentiæque vim, quorundam olim potentium hominum deprauatum iudicium, æquè ac hostilis incursus, extinxerit, ex hac miserrima nostrorum temporum conditione facilè iudicari potest. Cum enim Italia nullis bellorum tempestatibus agitetur, sed summa pace, summáque tranquillitate perfruatur, quæ ad litterarum studium maximas conferre solet commoditates, tamen tantum valet quælibet vehemens persuasio, & opinio penitus insita, multorúmque consensu confirmata, vt, quemadmodum illis temporibus, post euersam rempublicam proximis, politiores litteras & eloquentiam omnioo afflixerit, ita præsenti tempestate facere videatur;

tur; adeo, vt nisi huic errori, antequam latius serpat, aliqua ratione obsistitur, futurum planè sit, vt Italia ad summam illam barbariem redigatur, qua Gotthorum temporibus fuerat infuscata, quippe, cum perpauci sint adolescentes, qui latinam velint orationem excolere, in qua laude præter gentes cæteras excelluisse Italos, satis cognitum compertúmque est. Quod si aliæ nationes, prætermisso latini sermonis cultu, linguas suas Italorum exemplo perpolire, & nobilitare contenderent, actum sanè quidem esset de Latina Græcâque lingua, déque cæteris artibus & disciplinis: omniáque Græcorum & Latinorum volumina aut inter priuatos parietes, situ, & squalore obsita corrumperentur, aut vncta mitterentur Ilerdam, vt ille suis carminibus prædicebat, si manibus sordescere vulgi cœpissent, sicut hodie Italicæ iuuentuti latina sordet eloquentia. Sed nescio quomodo longe vagata est oratio. Redeo igitur iam ad id, quod prius intenderam. Cum ego Berosum Chaldæum vidissem in illa, quam dixi, miserabili librorum clade concidisse, dolui maximè, fateor, virum tanti nominis, qui grauissimus historicus, & nobilissimus astrologus, atque etiam philosophus habitus esset, & cui, Athenienses propter doctrinæ præstantiam publicè statuam locauissent, quique pater extitisset Sibyllæ Cumææ, virginis religiosissimæ, ac diuinitus afflatæ, eo quod multa de Christo Deo vaticinata esset, sub cuiusdam vani & obscuri scriptoris titulo circumferri. Quapropter rei indignitate permotus, continere me non potui, quin hunc, pro mea mediocritate, non solum imperitæ multitudini, sed etiam doctis quibusdam viris errorem eriperem. Quod opus tibi vir præstantissimè, & quidem iure optimo dedico. Nam cum inter aliquas nostras lucubrationes partim Latinè, partim Lusitanè scriptas, quæ in manus tuas venerant, in quandam aduersus hunc commentitium Berosum censuram incidisses, quæ à me iam olim eo consilio fuerat lingua nostra vulgari in commentarium relata, vt, cum licuisset, Latinè componerem, contendisti à me, propterea quod quæ illic tractarentur, placuisse diceres, vt in communem & publicam vtilitatem, ea Latinè ederem. Cum vero iam tantis à te affectus beneficiis, me ad morem tibi gerendum præparassem, accidit, vt in ipso procinctu quasi currentem incitarent iniustæ aduersariorum meorum querelæ, illius præsertim, qui, in illa symposiaca altercatione, mecum, te præsente, hac ipsa de te, & quidem ad satietatem, ac penè ad stomachum expostulauit. Verum & si hæ duæ non extarent, aliæ profectò & longè iustissimæ ad hoc me, quodcumque est, opus tibi dedicandum causæ impulissent. Nam quis ignorat eum esse te, quem Respublica Veneta, vna omnium iudicio in toto terrarum orbe clarissima, natum ex illustri Amuliorum familia, talem semper iudicauerit, vt tuo consilio, opera, industria, quæ summa in te sunt, quæque ad illius reipublicæ dignitatem & amplitudinem pertinent, maximè vteretur? omnes enim magistratus honorabiliores, præter illum ducis supremum, tibi summa cunctorum gratulatione mandauit. Quare missus orator ab augusto illo senatu ad Carolum Quintum imperatorem, in ea legatione cum multa variaque negotia, quæ summam prudentiam requirerent, temporis obtulisset vicissitudo, omnia in tantis rerum difficultatibus sic plenè & cumulatè obiuisti, vt sapientissimus ipse Imperator, & quendam te esse Nestorem, in cuius mente plurimæ ad res maximas sitæ essent vtilitates, intellexerit, & senatus Venetus magnum quoddam patriæ decus, & ornamentum agnosceret & confiteretur. Itaque legatione illa perhonorificè functâ, aliísque gloriosis domi forísque tum bello tum pace administratis, idem senatus Romam te ad summum Pontificem oratorem misit: apud quem cum aliquandiu versatus esses, & mens ista magnarum & honestissimarum rerum consultrix, quasi lumen elucere cœpisset; statim PIVS IV. Pontifex maximus, qui per eosdem ferè dies ad celsissimum Apostolicæ sedis gradum, omnium patrum suffragiis, summa Dei erga genus humanum benignitate ascenderat in sacrum te Cardinalium collegium cooptauit: quam dignitatem & honoris gradum, quamuis sublimem & valdè honorificum, quia sine Senatus Veneti consensu, accipere diu, multúmque recusaueras, idem Pontifex, propterea, quod talium virorum consilio & auctoritate, in his præsertim turbulentis & difficillimis Ecclesiæ temporibus, vehementer indigebat, missis ad te primum quibusdam ex intimis familiaribus suis, grauissimis viris, postremo Aloysio Cornelio, amplissimo S. R. E. Cardinali, iussit (vt ipsius verbis vtar) in virtute sanctæ obedientiæ, vt oblatum munus omnino susciperes, fore pollicens, vt Senatus Venetus huiusmodi cooptationem, pro Christianæ reipublicæ salute, perpetuóque erga sedem Apostolicam studio comprobaret: quod nouum & inusitatum deferendi honoris genus, nemini post hominum memoriam, præterquam tibi contigisse, satis compertum testatúmque esse arbitror. Quid ego nunc commemorem istum tam præstantem, tot philosophiæ præceptis imbutum, tam ad omnem laudem propensum, omníque ornatum virtute animum, quid istam laudare pergam sacrarum litterarum scientiam, & illud Platonicæ doctrinæ studium, tum etiam præclaram morum, & humanitatis suauitatem, beneficúmque animum, quo literas literarúmque studiosos tanto fauore tanta liberalitate complecteris. Quod si omnes principes & optimates tuo exemplo litteras colere & literatos homines iuuare & ornare in animum induxissent, non esset profectò, cur nonnulli Italicæ iuuentutis adolescentes, seu pars eius potius præcipua, spreto Latini sermonis cultu, in exornanda lingua vulgari, in cámque græcis & latinis auctoribus vertendis, sine vllo eruditionis fructu consenescerent. Vereor igitur iam, ne, quas habui ad hoc tibi paruum opus dedicandum idoneas causas, cædem ipsæ me temeritatis & arrogantiæ arguere videantur: qui lucubratiunculam tam tenuem, principi tantis nominibus commendato, ausus fuerim dedicare: sed cum excellentem animi tui naturam considero, audacter iam te orare, & obsecrare non dubitabo, vt illam, qua mirificè apud omnes commendaris humanitate, & benignitate suscipias. Hanc igitur censuram sub tuo nomine prodeuntem, tibi vir clarissimè, méque ipsum commendo, tuæque fidei trado. Vale, Romæ IX. Kalend. Augusti, M. D. LXIII.

GASPARIS VARRERII

In quendam Auctorem, qui sub falsa inscriptione, Berosi Chaldæi, clarissimi quondam scriptoris, circumfertur, Censura.

EXtat commentarius de Ophira regione, vnde olim Salomoni Iudæorum regi inclyto, maxima vis auri & argenti, ingénsque aliarum rerum copia afferebatur, à nobis iampridem Latinè compositus. Extant præterea chorographicæ aliquot Hispaniarum, Galliarúmque, atque Italiæ vrbium & locorum descriptiones cuiusdam nostræ peregrinationis varium, & laboriosum opus, in quo ipso antiqua vetustatis nomina, quæ diu in tenebris latuerant, quantum per tenues & ingenij & eruditionis nostræ opes licuit restituenda, curauimus.

Multa autem etiam illic variæ tractationis, cursim animaduertimus atque notauimus. Nonnullos quoque auctores, qui sine vllo delectu, plurima, ab omni prorsus veritatis forma aliena, temerè affirmarant, coarguendos duximus. In quosdam itidem suppositiiios historicos, qui nomine Berosi Chaldæi atque Manethonis Ægyptij, Quinctíque Fabij Pictoris, & Porcij Catonis de Originibus circumferuntur, inuecti sumus: quos quidam Ioannes Annius Viterbiensis, non solum laudibus in cœlum ferre, iudicio, testimonióque suo comprobare, verumetiam quibusdam explicationibus illustrare, & celebrare conatus est. Quas veluti censorias notationes, cæteráque chorographica, quæ sermone vulgari in commentarium retuleramus, vt Latinè cum esset commo-

dum componeremus, frater meus, cui ego omnia mea commiseram, certis quibusdam ductus rationibus, typis excudenda curauit. Vbi vero editi fuerunt libri, passim & celeriter non modo per totam Hispaniam diuidi, atque peruulgari, sed etiam in Italiam comportari cœpti sunt: adeo, vt cum ipse, non multo post eorum editionem, Romam venerim, eos in hanc vrbem allatos, per homines Hispanos in Italorum manus peruenisse, ab eisque quamquam Lusitanè scriptos auidè lectitari acceperim. Nam Itali (vt est gens illustri & præclaro ingenio, eóque variis disciplinis exculto) in cognoscendis tractandísque rebus studium semper suum, atque operam posuere. Quare alij, eo quod fuissent aliquot tempus in Hispania commorati, alij, adiuuante Hispanorum interpretatione, non ita magno negotio, nec difficulter, quæcunque illic tractarentur, sunt consecuti.

Ita igitur ad Italorum famam scripta nostra dimanarunt, in quibus auctores illos, quos modo nominaui, non modo falsos & adulterinos, sed nullius propemodum momenti fore confirmauimus. Quapropter nonnulli, qui, tanquam veros & germanos, magnopere suspiciebant, & plus æquo admirabantur eos, nobis irasci, & succensere cœperunt: idque (vt opinor) duabus potissimum de caussis, seu quod in sermonibus quotidianis, qui fieri solent in circulis & conuiuiis, vel certè in libris editis, nonnulla tanquam argumenta ex eorum scriptis assumpserint, quibus vel sua defenderint, vel aliena oppugnauerint: seu quod nunquam diligenter & præparato otio in hoc leuissimum historicorum genus mentem intulerint, omnésque eius partes intentis oculis introspexerint, quo suis ponderibus examinarent quæcunque illic narrantur, & ab Ioanne Annio horum auctorum studioso, & supra modum fautore explanantur. Quam rem si aliquando circumspectis omnibus, perficere in animum induxissent, nec vllam fidem illis auctoribus habuissent, nec alios certè in similem errorem adduxissent.

Diuulgatis igitur Romæ lucubrationibus nostris, accidit vt illustrissimus Cardinalis M. Antonius Amulius, ob egregias artes, quibus excultus & perpolitus est, obque singularem humanitatem, mores suauissimos, plurimáque alia ornamenta, quibus fouet & ornat literas literarúmque studiosos, nonnullos viros doctos & celebres, méque etiam (vt sæpè solitus erat) ad prandium inuitaret: quo in numero erant duo vel tres Episcopi, doctissimi atque ornatissimi viri. Ibi tum (vt fit) sermonibus vltro citróque habitis, incidit mentio de Beroso Chaldæo, quem illustrissimus Cardinalis patrem fuisse dixit Sibyllæ Cumææ, vti legere; erat apud Iustinum Martyrem, quæ ex Oriente profecta, eam Italiæ oram appulerat, ex qua illi posteris temporibus nomen fuit. Atque hinc oblata occasione institutus est sermo de nostris censoriis notationibus, editis in quinque libros nomine Berosi Chaldæi de antiquitatibus inscriptos.

Erat inter conuiuas quidam vir, nobilitate generis clarus & insignis, literarúmque doctrinâ sanè quam eruditus, tum vero in historiis (vt videbatur) satis exercitatus & instructus: qui legerat opuscula mea omnia, tam Latinè quam Lusitanè scripta, & non parum homini displicuerat (vt satis ostendit) iudicium meum de auctoribus illis, quos falsis titulis inscriptos esse asserueram: quapropter improbare instituit rationes, & argumenta refellere, quæ ipse aduersus fictitium Berosum collegeram: dicebat insuper hos quinque libros, fragmenta esse, non iusta volumina, quæ ab ipso auctore fuissent composita, propterea nihil esse mirandum, si ea, quæ ex Beroso narrassent D. Hieronymus & Flauius Iosephus, cæterique quos ipse protulissem, minime in ipsis fragmentis reperirentur. Eleuare quoque cœperat auctoritatem ipsius Iosephi & Agathij cæterorumque, ex quorum monimentis argumenta protuleram, aduersus hunc vanissimum scriptorem. Ego vero quanquam imparatus contra paratum decertabam, tamen nonnulla, quæ sese mihi pro tempore obtulerant, dicere, causam meam defendere, ille modis omnibus impugnare, adeo vt totum tempus illud conuiuij, fere magna ex parte altercationibus consumeretur. Quapropter ne videremur in his auctoribus iudicandis, ferri cæco potius temeritatis impetu, quam sincero & constanti animi iudicio, decreuimus quoad fieri possit, non leuibus quidem, sed firmissimis probationibus & argumentis (quod non arroganter dictum existimari velim) ostendere, eosdem auctores non solum esse fictos & commentitios, sed etiam nullius ponderis vel momenti; & dignos quidem illos, qui è medio tollerentur & funditus delerentur, vt, si adhuc in errorem induxere quamplurimos, ne id ipsum efficere possint amplius. Itaque primo qui vir fuerit Berosus ostendemus, deinde hos quinque libros, illi falsò ascriptos, non esse fragmenta iusti alicuius operis docebimus, tertio probabimus Chaldaicam illius historiam, (ex qua multa Flauius Iosephus & D. Hieronymus in sua volumina retulerunt, & de qua Plinius & Agathius mentionem fecerunt,) non esse hanc, quæ vulgo circumfertur, & ab Ioanne Annio Viterbiense commendatur, suisque interpretationibus illustrarat: postremo nonnullis aduersariorum obiectionibus respondebimus.

Berosus igitur Chaldæus, cum gens illa astrorum cognitione multum excelluisset, in astrologia facile princeps illis temporibus fuit, cui, ob prædictiones rerum futurarum, Athenienses (vt author est Plinius) publice in gymnasio statuam lingua inaurata posuere, & qui (vt Iosephus refert) præter ea, quæ de Astrologiæ atque philosophiæ disciplinis Græce scripsit, ex annalibus suæ gentis ea decerpserat, quæcumque scitu digniora iudicauerat: ex quibus historiam contexuit Chaldaicam. Quæ historia, propter summam hominis amplitudinem, eiusque exquisitam multarum rerum doctrinam, & satis illis temporibus probata, & magnam posterioribus auctoritatem consecuta fuerat. In qua multa prodidisse fertur, quæ Moyses sanctis litteris mandauit: quemadmodum namque cataclysmus, totum terrarum orbem submergens, cunctos mortales deleuerit, præter paucos homines, naue ingenti, affabre in hunc vsum, & sollerter ædificata, seruatos, vnde genus humanum repararetur. Scripsit præterea Noëmi viri pientissimi progeniem, illorumque temporum decursus & varietates, vsque ad Assyriorum Reges; quorum historiam adeo continenter texuit, vt bella, quæ Rex Nabuchodonosor aduersus Iudæos gesserat, cum Hierosolymorum vrbem, & eius templum penitus exciderat, infinitamque Iudæorum multitudinem captam Babylonem perduxerat: multaque alia, quæ in historia Iudæorum Regum traduntur, diffusè narraret, vt locupletissimus testis est Flauius Iosephus. Atque, hunc patrem fuisse Sibyllæ Cumææ, cum multi auctores prodiderunt, tum vel maximè sanctus Iustinus philosophus & martyr, in calce Parænericæ orationis ad gentes, narrat, eandem Sibyllam, cum Babylone profecta esset, ad oras Campaniæ peruenisse, ibique oracula edidisse in opido Cumarum, quod à Baiis sexto lapide abest: quo in opido cum vir sanctus aliquando fuisset, vidisse se præterea dicit locum quendam, in quo esset basilica admirabilis structuræ, ex vno saxo ædificata; qua in basilica edere solitam oracula, narrabant opidani, seque in ea vidisse tres cisternas, ex eodem scaturientes saxo in quibus virgo ablui solita esset, vrnamque ex ære factam, qua eius ossa adseruabantur. Multaque narrat se illic conspexisse, & multa ab opidanis intellexisse circa ea, quæ de Christi aduentu prædixisset. Floruit Berosus paulo ante Magni Alexandri principatum.

Verum illam tanti auctoris historiam, cum innumeris pœne illustrium virorum monumentis, nobis intercepit temporis iniquitas, præter pauca quædam, quæ apud D. Hieronymum, & eundem Iosephum reperiuntur, & pleraque ab aliis auctoribus commemorata.

Quæ vero circumfertur, de qua modo cōtrouersia est, aut omnino adulterina est, ad ludificandos homines de industria composita, aut ab imperito quodam auctore

scripta,

scripta, & ab alio quopiam, suppresso, vel ignorato auctoris nomine, inscriptione Berosi falso illustrata. Ac, priusquam ad banc disputationem aggredior, visum est faciendum eos admonere, qui hæc nostra sunt lecturi, vt meminerint, quemadmodum in omnibus sæculis inuenti sæpenumero sint, qui, nimiâ inducti diuitiarum cupiditate, gemmas pretiosissimas, herbarumque medicinas, ac testamentarias tabulas, chirographa, eorumque signa, & nummos etiam audacissime adulterauerint; ita non defuisse, qui, quadam importunitate, seu quouis alio animi morbo docti, vel alienos libros scriptis suis, tanquam næuis Inspersis, contaminauerint, vel sapientissimorum virorum nominibus inscripserint, vel factum fuisse exploratum satis est ab illo, qui carmina quædam, à se inepte & inelegantet composita, adscripsit Æmiliu Macro, poetæ, vt in illa ætate, illustrium ingeniorum altrice, graui & ingenioso: de quo Ouidij Nasonis sunt hæc carmina.

Æmilius Macer.

Temporis illius colui, fouique poëtas,
Quotque aderant vates, rebar adesse deos.
Sæpe suas volucres legit mihi grandior æuo.
Quæque nocet serpens, quæ iuuat herba, Macer.

Quod si huiusmodi fucus oon aliis deptehensus fuiss argumentis quam quod ille, qui sese in formam Æmilij Macri mutare tentauit, Plinij testimonio vsus fuit, hoc demum ad conuincendum hominem falsitatis satis superque fuisset; quando ipso Plinio superior ætate Æmilius Macer fuerit, cuiusque scriptis, in sua historia naturali, multa probare, & confirmare solet Plinius. Verum tanta est eius infantia, vt res in promptu sit, nullaque egeat disputatione. Simile mendacium confinxit, quisquis Ille fuit, qui de bello Troiano duo volumina confecit, quorum alterum Dicti Cretensi, alterum Dareti Phrygio adscripsit: vtque quaudam veritatis speciem præseferret figmentum, induxit quendam Q. Septimium Romanum, per litteras cuidam Q. Arcadio significantem, cum in Creta insula, vi tempestatis, desedisset terra, apparuisse in illo hiatu Dictis sepulchrum, in quo inuenta esset à pastoribus arcula plumbea, quæ librum ipsius auctoris de bello Iliensi, Phœniceis scriptum litteris, contineret; eundemque postea dono missum fuisse C. Neroni, Romanorum Principi, quem ille in Græcam linguam vertendum curasset. Fecit præterea Cornelium Nepotem nobilissimum historicum, C. Crispo Sallustio scribentem, quo pacto liber autographus Daretis Phrygij de bello Troiano Athenis inuentus esset, quem, à se ex Græcis conuersum, illi, tanquam munus quoddam mirificum, pro iure amicitiæ mitteret. Sed mirum plane, qualis hic Cornelius est, & quantum mutatus ab illo Nepote, Romanarum historiarum celeberrimo scriptore; ex cuius tanti & præclari ingenij monumentis, sola T. Pomponij Attici vita, quam diligenter, & elegaoter scripsit, temporis iniuriæ superfuit. Iam illud satis constat, Inter volumina Aristotelis philosophi, pleraque opuscula sub falsa eius nominis inscriptione circumferri. Notissimum quoque id est, quod refert A. Gellius in Noctibus Atticis, ex centum & XX. Comœdiis, quæ sub Plauti nomine vulgo ferebantur, vnam & viginti dumtaxat, quæ veram & germanam illius Comici effigiem retulissent, à M. Varrone selectas, eaque de causa Varronianas appellatas: cæteras autem tanquam è doctorum virorum scena explosas, & exsibilatas esse. Nec modo, vt sunt aliqua ad fallendum propensiora, & paratiora hominum ingenia, hoc genus commenti hic se continuit, sed, in sacrosanctæ religionis volumina impie & atrociter irrumpens, euangelia commentitia elucubrauit; eaque ipsa sanctissimorum Apostolorum nominibus illustrauit: cui malo sanando, ne velut pestis latius serperet, vir sanctissimus Gelasius, Pontifex Maximus, libros huiusmodi, quos falsos & commentitios iudicauerat, lege scripta curauit ab omnibus bibliothecis extrudendos. Quam legem hic duximus subiiciendam, vt melius intelligatur, quantum præpostera hominum ingenia fallacitatibus huiusmodi, & fucosis artibus delectentur. Ait enim:

Dares Phrygius Dictis Cretensis

Cornelius Nepos.

Plauti Comœdiæ.

In primis Ariminensem Synodum, à Constantino Cæsare Constantini filio congregatam, mediante Tauro præfecto, ex tunc & in æternum confitemur esse damnatam. Item Itinerarium Petri Apostoli, quod appellatur sancti Clementis libri VIII. apocryphi. Actus nomine Andreæ Apostoli apocryphus. Actus nomine Philippi Apostoli Apocryphus. Actus nomine Petri Apostoli apo. Actus nomine Thomæ Apostoli apo. Euangelia Thadæi nomine apo. Euangelia nomine Thomæ Apostoli, quibus Manichæi vtuntur, apo. Euangelia nomine Barnabæ Apostoli, apo. Euangelia nomine Bartholomæi Apostoli apo. Euangelia nomine Andreæ Apostoli, apo. Euangelia, quæ falsauit Hirtius apo. Liber de Infantia Saluatoris apo. Liber de Natiuitate Saluatoris, & de sancta Maria, vel de obstetrice Saluatoris, apo. Liber, qui appellatur, † Pastoris, apo. Libri omnes, quos fecit Lenticius, discipulus diaboli, apo. Liber, qui appellatur de filiabus Adæ, vel Genesis apo. Liber, qui appellatur Actus Talæ & Pauli apo. Liber Prouerbiorum, ab hæreticis transcriptus, & sancti Sixti nomine signatus, apo. Reuelatio, quæ appellatur Pauli Apostoli, apoc. Reuelatio, quæ appellatur Thomæ apo. Reuelatio quæ appellatur Stephani, apo. Liber, qui appellatur Transitus sanctæ Mariæ, apo. Liber, qui appellatur Pœnitentia Adæ, apo. Liber, qui appellatur Diogene, nomine gigantis, qui post diluuium cum dracone ab hæreticis pugnasse perhibetur, apo. Liber, qui appellatur Testamentum Iob, apo. Liber, qui appellatur, de pœnitentia Origenis, apo. Liber, qui appellatur Sors Apostolorum, apo. Liber Philologus, ab hæreticis conscriptus, sed beati Ambrosij nomine præsignatus, apo. Opuscula Iesu ad Abagarum, apo. Philacteria omnia, quæ non ab angelo, vt illi confingunt, sed magis à dæmone conscripta sunt, apo. Hæc & his similia, quæ Simon magus, Nicolaus Therudas, &c. non solum repudiata, verumetiam ab omni Romana Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus auctorumque sequacibus, sub anathemate indissolubili vinculo, in æternum confitemur esse damnata, Pont. Max. Hæc Gelasius. Sed quorsum hæc tot exemplorum prolatio spectat? quia in illa, quam supra memoraui, altercatione sæpius argumentabatur aduersarius, nec probabile, nec verisimile videri, quemquam adeo nullius esse mentis, vt earum rerum labores susciperet, ex quibus nullam sibi prius spem, alicuius vel laudis, vel vtilitatis constitueret. Quam enim (inquit) laudem aucupari, aut quem fœcundum quæstum facere se posse arbitrarentur, qui similes nugas non suo, sed aliorum nomine conficerent? Verumtamen ego factum doceo, causas non exquiro: hoc ipsum viderint callidi rerum æstimatores: tot enim sunt deprauati animi vitia, tot humanæ mentis morbi, vt non semper omnium flagitiorum causas reperire liceat.

† Pastor.

S. Ambr.

Quid enim censemus hominem illum ad tantum facinus quondam impulisse, qui templum magnifici operis, subditis ignibus, cremare voluisset? an quandam animi impotentiam? fatebimur. Sed vanæ cuiusdam laudis opinione deceptum, vt multi suspicati sunt? fortasse non ita. Siquidem alia potuit subesse causa: verum, vtrum hæc fuerit nec ne, nihil laboro: narrabo, quid acciderit Vlissipone eodem anno, aut paulo post, quam inclytus Portugalliæ Rex Emmanuel Indiam subegerit. Florebat illa tempestate in poetica laude Hermicus Caiadus, homo Lusitanus, Angeli Politiani quondam auditor, & discipulus, cuius est Epigrammatum libellus. Is Latinis carminibus commentus fuerat Sibyllinam vaticinationem, in columnis marmoreis incisam, quæ per ambages significabat, Indos sub imperium, & ditionem Lusitanorum esse venturos; eosque lapides data opera detruncatos, vt aliqua inesent antiquitatis vestigia, obrui præcepit in extremitate promontorij Artabri, prope Syntram opidum. Vbi vero defossa marmora aliquod vitium fecisse, ex humore terreno, iudicauit, ad certam diem, simulatâ delectationis causâ, inuitat amicos in villam suam, quæ proxima erat loco, vbi obrutum latebat vaticinium. Cum igitur accubuissent omnes, ecce

Caiadus poeta.

villicus

villicus nunciat Hermico, mercenariss eius operas, dom in fundo fossionibus incumberent, incidisse in lapides, in quibus inscriptæ essent litteræ, indices magni cuiusdam thesauri, eodem loco defossi. Sic enim rustici opinabantur. Nec mora, omnes simul, alacritate ingenti, relictis epulis, accurrunt, defossas intuentur columnas, confestimque extrahi iubent, in quibus incisa huiusmodi erant carmina Sibyllina.

Sibyllæ vaticinium, occiduis decretum.
Voluentur saxa litteris, & ordine rectis
* *Cum videas * occidens Orientis opes.*
Ganges, Indus, Tagus erit, mirabile visu
* *Merces commutabit * suas vterque sibi.*

Soli æterno, ac Lunæ decretum.

Tum vero omnes, pro se quisque, legere, admirari, versus illos fatidicos venerari, manu tangere, exosculari. Quid multa? continuo Vlissiponem ad Regem, iam antea Sibyllini commenti conscium, perferuntur, qui, mirabundo similis, optimatibus ostendere, illi describendum curare, in scriniisque veluti sacrum quoddam reponere. Cum vero res percrebuisset, atque in ore, & sermone omnium esset, ad peregrinos mercatores, qui Vlissipone negotiabantur, delata est. Ii continuo vaticinium in Galliam & Germaniam ad viros principes mittunt. Illi vero statim, ac diligenter cum hac præfatione cuiusdam Valentini Morauî, typis excludendum tradunt.

VALENTINVS MORAVVS
D. Hieronymo Monetario, Nuribergensi.

Anno à natiuitate Domini M D V. nona vero die Augusti, regnante Emanuele Rege excellentissimo Portugalliæ, regni autem eius sui anno XIII. in vltimis suæ vlterioris Hispaniæ finibus, versus Solis Occasum, in calce Lunæ promontorij, quod Rocham de Syntra vulgus appellat, secus maris Oceani litus, tres sub terra ex insperato comperta fuerunt ex saxo columnæ quadratæ forma, Priscis temporibus, characteribus Romanis, vna tantum quadra incisis; quarum basis recta, ordine immutato, paululum in caput erigebatur. Caput vero proprium ex industria (vt apparebat) defixum suspeximus, euulsisque ferro, & arte defossis lapidibus, quibus præfata miranda columna subtus alligabantur, tandem in earum vna, iam directe conuersa, has figuras liquido annotauimus. Nam, aliarum litteras in lucidum explicare, non satis nobis fuit integrum; quia temporum vetustate, ac maris imbribus, & afflatu erant pene consumpta. Hæc ille.

Vide Ant. Augustinum Dialogo XI. Antiquitatum & Numismatum.

Ita Sybillina fabula vires acquirit eundo, ac tandem per totum terrarum orbem diuulgata, fides ei vbique, & auctoritas adiungitur: hodieque typis excusa circumfertur in fronte Codicis, cui titulus *est Inscriptiones antiquæ.* Hæc idcirco recensere visum fuit, vt intelligatur, quantum huiusmodi nugis humanus capiatur animus, etiam si nihil inde commodi, vel vtilitatis aliud sit consecuturus, præter inanem, quam sibi proponit, laudis opinionem, de inutili commento, ad ludificandos mortales excogitato. Similiter illi, qui tot commentitios libellos sunt elucubrati, suas vnusquisque habuere causas. Alij namque, superstitiosa, & anili forte quadam ducti pietate, de infantia Saluatoris, deque Pauli, & Stephani reuelationibus, & de Adæ pœnitentia scripserunt historias; Alij, veteratoria fraude, & versuta nocendi ratione, nomine Sixti, & Ambrosij, confinxere volumina, & sanctissimorum Apostolorum inscriptionibus, non modo inutiliter, sed impie, & irreligiose falsa architectati sunt Euangelia; Nonnulli, inanis laudis studio decepti, vt sunt infantes, & insipientes homines, fictitios libellos anicularum lucubrationibus persimiles exararunt: cuiusmodi est ineptum, quod vulgo circumfertur, poema Æmilij Macri, cæteraque (quorum modo mentionem feci) Daretis Phrygij, ac Dictis Cretensis, Berosi, Manethonis, Fabij Pictoris, Catonis de Originibus volumina; de quibus nunc est disputationis nostræ contentio. Quare iam mirari desinamus, fuisse, qui sua pro alienis scriptis venditauerint; quando tot præclaris auctorum testimoniis id ipsum planum nunc factum sit. Ac, priusquam ad eum locum venio, qui est proprius huius quæstionis, verum ij quinque libri sint fragmenta iustorum voluminum, nec ne, non sum arbitratus alienum fore, aliquot tractare rationes & argumenta, quibus appareat, etiam si fragmenta fuissent; (vt ipsi volunt) ea tamen non esse ex historia Chaldaica veri, & germani Berosi. Etenim, si quis vltra titulum huius historiæ, mentis aciem intendere, ac subductis rationibus æqua lance examinare in animum induxerit, omnia, quæ in ea continentur, iam profecto multa contraria, nonnulla repugnantia, pleraque recentiora, & à notitia illius ætatis, qua vixerit Berosus, longo temporis interuallo disiuncta, facile deprehendet. Nam iunior Berosus aliquando dicit, quod superior Berosus negat. Ait namque, Semiramim Reginam, Babylonem, ex oppido ignobili, & exiguo, maximam, & amplissimam effecisse vrbem, adeo, vt illam ædificasse potius, quam amplificasse, videretur. *Quarto* (inquit) *loco regnauit apud Babylonam vxor Nini Ascalonita Semiramis, annis quadraginta duobus. Hæc antecessit militia, triumphis, diuitiis, victoriis, & imperio, omnes mortales. Ipsa hanc vrbem maximam ex oppido fecit, vt magis dici possit illam ædificasse, quam ampliasse. Nemo vnquam huic fœminæ comparandus est virorum: tanta in eius vita dicuntur, & scribuntur, cum ad vituperationem, tum maxime ad collaudationem magnifica.* Hæc ille. Berosus autem superior dicit, non eam quidem vrbem exædificasse, vel magnificis operibus exornasse Semiramim, vt Græci mentiebantur scriptores, verum Nabuchodonosorum Rerum tanti operis auctorem fuisse. Verba autẽ ipsius Berosi, quæ à Flauio Iosepho ex Chaldaica illius historia referuntur, subiicienda duximus, vt lectoris mentem ad pleniorem intelligentiam, & cognitionem traducant. *Nunc itaque* (inquit Iosephus) *dicenda sunt ea, quæ apud Chaldæos noscuntur esse conscripta, & de nobis in historia sunt relata, quæ multam habent concordiam cum nostris voluminibus, etiam de aliis rebus. Testis horum Berosus, vir genere quidem Chaldæus, notus autem eis, qui doctrinæ, eruditionique congaudent: quoniam de astronomia & de Chaldæorum philosophia ipse Græcas conscriptiones edidit. Igitur Berosus, antiquissimas secutus historias, de facto diluuio, & hominum in eo corruptione, sicuti Moyses, ita conscripsit, simul & de Arca, in qua generis nostri princeps seruatus est, deuecta ea in summitatem montium Armeniorum. Deinde scribens eos, qui ex Noë progeniti sunt, & tempus eorum adiiciens, vsque ad Nabulassarum peruenit, Babyloniorum, & Chaldæorum Regem: &, huius actiones exponens, narrat, quemadmodum misit in Ægyptum, & ad nostram terram, filium suum Nabuchodonosor cum multa potentia, qui, dum rebellantes eos inuenisset, omnes suo subiecit imperio, & templum in Hierosolymis concremauit, cunctumque generis nostri populum auferens, migrauit in Babylonem, vnde ciuitatem contigit desolari annis LXX. vsque ad Cyrum Persarum Regem. Dicit autem, quod tenuerit Babylonius Ægyptum, Syriam, Phœniciam, Arabiam, vniuersos priores Chaldæorum, & Babyloniorum Reges, actionibus suis excellens. Ipsa vero verba, quæ Berosus protulit hoc modo dicta, necessario proferenda sunt. Audito autem pater eius Nabulassarus, quod satrapa constitutus in Ægypto, & Syria inferiore, & Phœnicia rebellaret, cum non valeret iam ipse labores ferre, tribuens filio suo Nabuchodonosori ætate valenti partem quandam exercitus contra eum misit. Nabuchodonosor autem, cum satrapa desertore congressus, prouinciam, quæ ab initio eorum fuerat, ad proprium reuocauit imperium. Eodem vero tempore contigit, patrem eius Nabulassarum, cum ægrotasset in Babylonia ciuitate defungi, qui regnauit annis XXIX. Nabuchodonosor autem, non post multum tempus mortem patris cognoscens, & negotia Ægyptiaca disponens, reliquarumque prouinciarum, & captiuos Iudæorum, & Phœnicum, atque Syrorum, qui in*

Berosus Chaldaica scriptor historia.

Iosephi locus.

Ægypto fuerant, commendans quibusdam amicis, vt cum exercitu, & impedimentis perducerentur ad Babyloniam, ipse, cum paucis iter aggressus, per desertum Babylonem venit, repertisque cuncta à Chaldæis dispensari, seruatumque regnum ab optimatibus eorum, dominus factus totius paterni Principatus, captiuis quidem aduenientibus, præcepit habitacula in opportunissimis Babyloniæ locis ædificare; ipse vero ex manubiis templum Beli, ac reliqua munificentissimè excoluit, & veteri vrbi alteram extrinsecus adiecit: &, prouiso, ne posthac possent homines fluuium conuertere, & ad vrbem accedere, tres interiori ciuitati per circuitum muros, totidem exteriori, hos coctili latere, illos addito etiam bitumine circumdedit: Tum sic communita portas, quæ vel templum decerent, addidit. Ac hoc, iuxta paternum Regiam, alteram sumptuosiorem multo, ampliöremque exstruxit: cuius ornatum exponere fortasse longum esset. Illud memoratu dignum, quod hæc adeo superba, supraque fidem magnifica, quindecim dierum spatio perfecta est. In ea lapideas moles excelsas excitauit, aspectu montibus assimiles, omnique genere arborum consitas. Hortum quoque pensilem fecit, fama nobilem, eo quod vxor eius montanum prospectum desideraret, in Medorum regione educata. Hucvsque Berosus. Deinde Iosephus adiicit. *Hæc itaq; retulit de prædicto Rege, & multa super hæc in libro Chaldaicorum; in quo culpat conscriptores Græcos quasi vanè arbitratos à Semiramide Assyria Babylonem ædificatam, & mira opera ab illa circa eam fuisse constructa, falsò conscripsisse dicens. Ipsam certè Chaldaicam conscriptionem fide dignam existimandum est, quando cum archiuis Phœnicum concordare videntur, quæ ex Beroso conscripta sunt de Rege Babyloniorum; quoniam & Syriam, & vniuersam Phœniciam ille subuertit.* Hæc Iosephus. Nunc videamus, si firmiore opus esset argumento, ad docendum longè aliam esse historiam, quæ vulgo circumfertur, ac fuit illa Chaldaica, quam Berosus olim composuisse fertur. Quod si contraria sunt, cum alterum quis ait, alterum negat, (vt rectè dixit quidam) nonne facilè intellectum esset, Berosum, satis secum ipsum pugnantem, minimè cohærentia, & maximè inter se contraria narrasse, si in vna eademque historia dixisset, Semiramim ædificasse vrbem illam nobilissimam, magnifico ædificiorum, & ornamentorum apparatu; ac mox Græcos historicos mendacij arguendos existimasset, quod id ipsum affirmauissent? O præclarum rerum scriptorem, qui, ipsam veritatis lucem, testemque temporum historiam, diuersis, & pugnantibus inter sese narrationibus deformasset! quis istud ipsum affirmare ausus esset? Berosum, cuius excellenti, atque multiplici doctrinæ tot summi, ac præstantes viri grauissima testimonia dedissent, Athenienses statuam publicè locauissent, historiæ leges, quarum prima est, *ne quid falsi dicere audeamus*, vel neglexisse, vel ignorasse? atque decorum illud, quod in omni rerum actione versatur, prætermisisse? Quod autem Nabuchodonosor Babylonem ædificiorum splendore illustrauerit, vt Berosus asseruit, testantur quoque diuinæ literæ apud Danielem Prophetam. Cum enim Daniel ipsi regi prædixisset, quæ ei iam iamque impenderent mala, respondit Danieli, Nonne hæc est Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei; nec enim omnes historici dicunt, Reginam Semiramim hanc vrbem vel ædificasse, vel magnificis operibus nobilitasse. Nam Curtius, in eius mentionem incidens, inquit: Semiramis eam condiderat, vel, vt plerique credidere, Belus, cuius Regia ostenditur. Nam de hortis pensilibus eadem narrat, quæ Berosus. Sic enim ait: *Syriæ Regem, Babylonia regnantem, hoc opus esse molitum, memoriæ proditum est, amore coniugis victum, quæ desiderio nemorum, siluarumque, in campestribus locis virum compulit amœnitatem naturæ genere huius operis imitari.* Hæc ideo commemorare volui, ne aduersarius ipsi Iosepho, vel Beroso obiicere vanitatem posset. Mitto quod Berosum, ea modo narrantem de Rege Nabulassaro, deque filio eius Nabuchodonosoro, & vtriusque gestis audiuimus, quæ apud iuniorem Berosum non sunt: quoniam de iis alius erit disserendi locus. Sed ad illud nunc pro se quisque diligenter aduertat animum, quam vim habeat semel concepta, & penitus insita opinio. Cum celebre nomen Berosi, & aliorum trium auctorum, Manethonis, Fabij Pictoris, & Porcij Catonis vsque ad nostram ætatem beneficio historiæ viguisset, propter singularem doctrinæ præstantiam, qua maximè floruissent multi, non vltra titulum mentis aciem intendentes, librorum indicibus decepti sunt, præsertim cum nulla adhuc orta esset suspicio falsitatis? Accessit ad hæc iudicium Ioannis Annij Viterbiensis, qui primus horum auctorum comprobator, ipsos non modo in cœlum extulit, verum, licet adumbratis interpretationibus, vtcumque tamen illustrauit, eorumque scripta testimoniis poëtarum, historicorum, geographorum, & philosophorum, siue rectè, siue perperam intellectis, confirmare, summa contentione laborauit. Quibus rebus effectum est, vt iam non mediocrem vulgo auctoritatem consequerentur: adeo vt multos, quamquam doctrina præstantes, viros falleret hæc communis persuasio, & latè peruagata, atque penitus insita opinio; omnesque velut aditus illis intercluderet; & idoneam occasionem tolleret inquirendi in auctores, qui has fecissent fabulas. Quamquam iam inde ab initio minime placuissent aliquibus viris doctis, qui, iudicium interponentes suum, hos duos auctores, Berosum, & Catonem, falsitatis condemnarunt: quo in numero fuere M. Antonius Sabellicus, Raphaël Volaterranus, Iacobus Faber Stapulensis, Ludouicus Viues Valentinus, & Beatus Rhenanus. Cum igitur pro veris & germanis haberi cœpti essent, & maior in dies illis auctoritas accederet, & fides adiungeretur, fit vt, qui semel in eorum verba iurarunt, aut nullatenus, aut difficillimè assentiantur veritati. Nam, cum satis multa à Flauio Iosepho, à Doct. Hieronymo, & nonnulla à Plinio, & Agathio ex historia senioris Berosi decerpta commemorari docuerimus, quæ apud iuniorem Berosum minus reperiuntur, tunc huc, & illuc tergiuersantur aduersarij. At, postquam ipsa vi argumentorum adstringuntur, atque manifesto tenentur, statim, anguillarum more, è manibus elapsi, ad fragmentorum nomen, tanquam ad arcem munitissimam, confugiunt. Dicunt enim, vt iam significaui, hos quinque libros fragmenta quædam esse, non iusta volumina, Berosi. Cum vero in ipsis suis, vt vocant, fragmentis, deprehenderimus, iuniorem Berosum aliqua narrasse, quæ superior Berosus apud Iosephum ficta, & commentitia esse dixerit, ac propterea Græcos historicos reprehenderit, quod talia scripserint, tunc eiusdem Iosephi auctoritatem labefactare, & conuellere nituntur. Quo quid importunius, aut puerilius, seu quid magis ridiculum fingi potest? nonne sua ipsorum tergiuersatio clariorem facit veritatem, quando, fracti, & debilitati, totisque viribus destituti, tamen nimium pertinaciter causam iniustissimam defendere nituntur? Quamquam ego satis intelligere non possum, quid in Iosepho contemnendum putent, vt eius auctoritati sic derogare audeant. Quem, omni disciplinarum genere excultum, & Græcis litteris in primis eruditum fuisse, testentur doctissima, quæ Græcè scripsit, volumina; multarum rerum doctrinâ, & varietate distincta: quæ volumina Vespasianus imperator propterea in publica bibliotheca reponenda, ipsique Iosepho statuam faciendam, & publicè locandam curauerit, vt auctor est Doct. Hieronymus; quique adeo leges historiæ coluit, vt, quamquam genere Iudæus esset, & ideo à Christiana religione abhorreret, clarissimum tamen, & grauissimum de Christo DEO, deque Ioanne Baptista dederit testimonium, ne veritatem occultare, & historiæ fines transire videretur. Quos enim, Deus bone, Græcos auctores cuiuscumque facultatis, siue poëtas, siue oratores, siue historicos, siue philosophos non diligenter euoluit? vt satis ostendunt opuscula, *in Appionem Ale-*

Historiæ leges.

Ioan. Annius Viterbiēsis.

Qui falsò Berosi titulo decepti.

Iosephi laus.

xandrinum edita, & *historia bellorum, & antiquitatum Iudaicarum*, tam doctè, tam ornatè, & tam eleganter scriptæ. De quo præclarum exstat Doct. Hieronymi elogium, in eo libello, quem de scriptoribus illustribus composuit. Photius quoque in Bibliotheca copiosè. Sed de his hactenus. Ad vlteriora vero tendentes, ostendamus, superiorem Berosum moltis ætatibus præcurrisse iuniorem, vt ea, quæ hic litteris mandauerit, ille nullatenus scire potuisset. Exploratum enim est, & multis nobilium scriptorum testimoniis comprobatum, Lugdunensem Galliam, quæ prius Celtica vocaretur, sic appellari

Lugdunū Galliæ vrbs.

cœptam à Lugduno, amplissima, & copiosissima Galliarum vrbe, & ciuium Romanorum Colonia, & omnium Lugdunensis prouinciæ vrbium omnino principe: quam, teste Plutarcho, L. Munatius, Plancus, Imperator, & vir consularis, condidit, ait enim: *Itaque, horum consilus persuasus, Hannibal castra mouit, & per ripam Rhodani, aduerso flumine, profectus, paucis diebus peruenit ad locum, quem insulam Galli appellant. Hanc Arar, & Rhodanus amnis, ex diuersis montibus confluentes, efficiunt; ibique nunc Lugdunum est, celeberrima Galliæ vrbs, quam longis postea temporibus à Planco Munatio conditam fuisse, accepimus.* Hæc Plutarchus. Hunc Ciceronis fuisse discipulum, scribit Eusebius, Cæsariensis Episcopos, in Chronicis, & eandem vrbem condidisse: *Munatius,* inquit, *Plancus, Ciceronis discipulus, orator habetur insignis, qui, cum Galliam Comatam regeret, Lugdunum condidit.* Illum nos fuisse censemus, ad quem multæ sunt Ciceronis, & eius ad Ciceronem epistolæ, cum Plancus ipse susceptis aduersus Antonium Reipub. partibus, Galliam prouinciam cum imperio obtinuisset. Quod vero Lugdunensis Gallia nomen inuenerit ab ipsa vrbe Lu-

Gallia Lugdunensis.

gduno, auctor est Stephanus in libris, quos de Vrbibus scripsit. Dicit namque: *Lugdunum emporium est totius Galliæ Celticæ longè celeberrimum, à quo ea pars Galliæ Lugdunensis dicta est à L. Munatio Planco, dum Galliæ Comatæ præss[illegible], conditum, in colle, supra confluentem Rhodani, & Araris imminente; vbi etiam hodie non obscura antiquæ vrbis exstant vestigia. Hæc Stephanus.* Sed hodie in loco plano sita est vrbs hæc nobilissima, quam magna ex parte circumfluunt Rhodanus, & Araris amnes. Adiecit etiam Strabo, Cæsarem Augustum voluisse, vt hæc vrbs totius esset prouinciæ Lugdunensis primaria. *At enim,* inquit, *Cæsar Augustus quadrifariam partiens, Celtes quidem Narbonensis prouinciæ definit; Aquitanos vero, quos & ille sanè extollens, insuper decem adiecit gentes, ex iis, quæ inter Garumnam, & Ligerim fluuium colunt: Reliquam dupliciter partitus; Vnam quidē Lugduno applicans, vsque ad superiorē Rheni plagā; alterā Belgis. Et alibi: Post Aquitanicā vero partē, ac Narbonensē, alia deinceps est ab Ligeri fluuio, ac Rhodano vsque ad Rhenū, eo delatus à fonte, ad Lugdunum Rhodanus Ligeri coniungitur. Huius autem regionis partes superna ad Rheni, ac Rhodani fontes vsque ad medium ferè camporum Lugdunensi ditioni addita sunt.* Hæc Strabo. Quare nemini mirum videri debet, C. Cæsarem, nullam huius nominis mentionem in Galliæ diuisione fecisse, quippe quod necdum id temporis vrbs Lugdunum condita fuerat: à qua posteris temporibus nomen traxisse Lugdunensem Galliam, auctores, quos modo nominaui, prodidere. Exposuimus, vnde & quo tempore initium huius nominis ortum sit: videamus nunc, qui fieri poterat, vt Berosus, qui Plancum ipsum, Lugduni conditorem, multis antecesserat ætatibus, hoc nomine, quod nusquam erat id temporis, vteretur? si nec Cæsar, qui proximus ante Lugdunum conditam fuit, in Commentariis belli Gallici hoc vocabulo *Prouinciam* nominauit: Quod si tempestate illa, nomen hoc omnino inauditum, & incognitum, nec propterea huic prouinciæ impositum fuerat, intelligitur, auctorem hunc, qui quendam *Lugdum* commentus est, à quo Logduoensem Galliam nomen traxisse asserit, non esse Berosum Chaldæum, sic enim narrat: *Duodecimo vero anno Mancales apud Ianigenas regnat Kuim, relicto in Celtiberis rege filio Sicoro. Eiusdem Mancales temporibus apud Tuiscones regnat Hercules Alemanus, apud Celtas Lugdus; à quo prouincia & homines cognomenta sumpserunt.* Hæc ille. Vidimus hunc mulgentem hircum. Intueamur nunc

Berosius & Annius.

Annium. eius interpretem, cribrum illi supponentem; (vt in vtrúmque scitè dixit Beatus Rhenanus:) *Lugdus est,* inquit, *qui incoluit Lugdunensem prouinciam, vt nomen est argumento. Quod vero ait ab eo cognominatam fuisse prouinciam, & homines, ita intelligendum esse existimo, vt prouinciam intelligat totam partem Lugdunensem; homines autem Lugdonicos dictos, quos postea, g, ablata Ludonicos dixerunt.* Hæc Annius. Atqui operæpretium est animaduertere singularem hominis leuitatem, & insignem temporum ignorantiam, cui non occurrerint tot sæculorum ætates, quot inter Berosum, & Francorum reges Ludouicos fuerint interiectæ? qui temporum ordines, eorúmque decursus & varietates distinguere nesciuerit, rerum humanarum commutationes, ac dissimilitudines non viderit, historias tam turpiter ignorauerit. Sed ad suppositiuum Berosum reuertamur. Ego certè adduci non possum, vt credam, esse aliquem in tanta mentis cæcitate depressum, qui ex hoc manifestissimo, & apertissimo loco, etiam si veritas ipsa, cuius magna vis est, firmiora huic caussæ non subministrasset argumenta) non intelligat, hunc auctorem infinitis propè sæculis post Berosum Chaldæum, & multis annis post Lugdunum conditam vixisse. Simili figmento lusit adulterinus Cato *de Originibus*, qui quendam nobis *Medum* principem Insubrium

Marcus Cato falso inscriptus. Mediolanum.

commentus est, à quo, quod *Mediolanum*, vt ipse confirmauit, instaurandum curasset, nomen inuenisse hanc vrbem scripsit: quam rem fieri non potuisse, vt Cato Porcius scriberet, ostendimus in quadam censura, quam in illum commentitium Catonem iampridem edidimus. Mitto, quod Berosus in ea vixit ætate, in eáque orbis terrarum parte, in quibus homines, vt mox docebimus, nullam, aut, perexiguam regionum scientiam, Hispaniæ præsertim, fuerant consecuti. Quod si hic auctor, post quam pars illa Transalpinæ Galliæ, nouo *Lugdunensis* nomine appellari cœpta est, historiam scripsit, vt satis constat: quo modo huius nominis aliam prodidit originem, ac cæteri auctores prodidere, & de qua nullus, præter ipsum, quidquam retulit? an quia *à Lugduno* ductum id nomen penitus ignorauerit? nec auctores diligenter euoluerit? at hoc ipsum satis ostendisset hominem indoctum, & rerum, ad historiam pertinentium, satis imperitum. An quia veriorem alteram opinionem iudicauerat? quo modo ergo, si controuersum id esse sciebat, silentio præteriuit? ac rationibus, & scriptorum testimoniis minus sententiam animi sui confirmauit? aut quo modo alij historici, tam Græci, quam Latini, quorum modo mentionem feci, qui illum longè, multúmque doctrina, eruditione, & eloquentia superarunt, nullam omnino huius Lugdi mentionem, sed ne tenuissimam quidem significationem fecere: nam, si aliquam notitiam habuissent, vtcumque certè significassent, vt auctores solent varias de rebus controuersis opiniones proferre, ac tum vel rationes probabiliores exquirere, vel iudicium lectoris integrum relinquere, quid igitur caussæ fuisse censebimus, cur nec Strabo, nec Stephanus, nec Plutarchus, nec Eusebius Cæsariensis, nec alij, quos longum esset recensere, doctissimi rerum scriptores, longéque diligentissimi antiquitatis inuestigatores, qui post Berosum floruerunt, nec Plinius, qui de eius historia nonnulla retulit, de hoc *Lugdo*, à quo *Lugdunensis Gallia* nomen habuisset, quidquam meminerint? nisi quod hic auctor post tantorum virorum sæcula, hanc ineptissimam historiam composuit. Quare iam satis arbitror constare, vel ex hoc solo argumento, non modo hunc verum non esse Berosum, sed etiam obscurum, ignobilem, ineptum, ac nullius ponderis, vel auctoritatis scriptorem. Exstat præterea locus Agathij, Græci auctoris,

Agathias historicus.

per sese clarus, & apertus, qui benè indicat, auctorem hunc non esse Berosum Chaldæum, vtque rectius id ipsum diiudicari possit, verba ipsius Agathij prius subiicienda existimauimus. Scribit itaque: *Sed huius temporis Persæ priscos mores omnes ferè omiserunt, & penitus iam euerterunt, alienisque legibus, tanquam adulterinis,*

Zoroaster magicæ artis inventor.

utuntur, ex Zoroastris desumptis Orisinadai disciplinis. Is autem Zoroaster, siue Zarades (nam duplici vocitatur cognomine) quo tempore in principatu floruerit, & tulerit leges, satis clare internosci non potest. Persæ namque nostri huius ætatis; Idaspis temporibus simpliciter tamen hunc fuisse affirmant; ita, vt in ambiguo sit, nec satis planè dignosci queat, verum Darij pater, an alius quispiam is fuerit Idaspes. Sed, quouis ille floruerit tempore, magister tamen & Persis fuit, & magici sceleris adinuentor, qui, prisco sacrorum ritu mutato, promiscuas quasdam, & varias opiniones induxit. Siquidem vetustiores illi Iouem, Saturnum, & huiusmodi cæteros, apud Græcos quosdam percelebres, vt deos, venerabantur; cum alioqui cognomenta seruarent: nam Iouem Belum dicebant, Herculem Sandem, Anaïtida Venerem; & alios item aliter vocitabant; quemadmodum Berosus Babylonius, & Athenocles Symmachus, qui Assyriorum, Medorúmque res antiquissimas conscripserunt in historia produnt. Hæc Agathius. Is autem iunior Berosus dicit, Chamum, Noëmi filium, fuisse Zoroastrem Bactrianorum regem, quem omnes historici, principem, & inuentorem magicæ artis exstitisse, confirmant: atque fabulæ adiicit quædam, poëtarum portentis similia; quod, cum ebrius humi iaceret Noëmus, Chamum patris virilia manibus sacrilegis turpiter attrectata, illi vim generandi magicis carminibus penitus abstulisse, eo quod Noëmus pluris, quam ipsum Chamum, cæteros filios fecisset. Sed ipsum iam hæc narrantem audiamus. *Erat illi, vt diximus, filius ex tribus primis adolescentior Cham, qui, semper magica, & venefica studens, Zoroaël nomen consecutus erat. Is patrem Noam odio habebat, quia alios vltimo genitos ardentius amabat, se vero despici videbat. Potissime vero idem infensus erat patri ob vitia, itaque, nactus opportunitatem, cum Noa pater madidus iaceret, illius virilia comprehendens, tacitéque submurmurans, carmine magico patri illusit, simul & illum sterilem perinde, atque castratum effecit; nec deinceps Noa femellam aliquam fœcundare potuit.* Hæc ille in libro III. At vero in V. *Sextus,* ait, *Babylonia rex Arius regnauit annis XXX. qui adiecit imperio omnes Bactrianos, nam paulo ante mortem Nini, Camesenus, pulsus ab omni ferme orbe, in Bactrianos sese contulerat, & illos magico præstigio sibi deuinxerat; adeo, vt apud illos maximis viribus imperaret. Coacto autem Camesenus maximo populorum exercitu inuasit Assyrios, contra quem Ninus dimicans superior fuit, & Camesenum obtruncauit: inde paulo post ipse obijt, quare Arius, collecto exercitu, post patris Nini obitum, Bactrianos, & omnes Caspios subiecit.* Hactenus ille. Nunc autem diligenter velim lector expendat, si Agathius, qui Berosum Chaldæum testem citauerit, vt paulo ante vidimus, apud eum legisset, Chamum, Noëmi filium, fuisse Zoroastrem; qui, cum ob scelerum, & flagitiorum turpitudinem, à patre fuisset ablegatus, ad Bactrianos sese contulisset; postea vero quàm eos magicis artibus domuisset, coacto robustissimo exercitu, Assyrios inuasisset; à Ninóque tandem, sexto Babyloniorum rege, victus, ac profligatus esset: qui fieri poterat, eum dubitasse, quanam ætate, quibúsue temporibus Zoroastres floruerit? Nónne ex eisdem Berosianis libris satis intellexisset, & quo patre satus, & quibus artibus ad imperium adspirasset, & quæ bella gessisset, & à quibus tandem superatus, & necisus fuisset? quo modo igitur non hæc omnia ipse animaduerterat Agathius, qui Berosum euoluerat? nisi quod Berosus vtique non illa narrauerat? Si enim retulisset, nihil dubium est, quin Iosephus, qui tantum Beroso tribuerit, eum Noëmi res gestas, eiúsque, atque liberorum soboles, & coloniarum deductiones, in longinquas terrarum oras ab eisdem ipsis factas diffusius commemorauerit, significasset, Camesenum hunc, Noëmi filium, fuisse Zoroastrem, Bactrianorum regem. Nec enim rem, quæ non id esset generis, vt silentio prætereunda foret, ipse diligentissimus antiquitatis indagator non scitu dignam esse iudicasset; qui multa, cum ab ipso Beroso, tum ab aliis auctoribus prodita, non æquè memoranda, narrauerit. Nec Plinius; qui Berosum (vt apparet) accuratius legerat, cum varias de Zoroastre opiniones prodidit, puto prætereundum existimasset, quæ Berosus de illo narrasset, quippe qui & patrem, quo genitus esset, & tempora quibus vixisset, & quas res gessisset, & à quo victus & occisus esset, tam aperta, & dilucida narratione declarasset; nec dixisset, (vt ipsius verbis vtar) *non satis constare, vnus hic fuerit, an postea & alius.* Nec D. Augustinus, credo, tacuisset, cum sæpius in Zoroastris mentionem incidit, ea, quæ Berosus ab aliis scriptoribus prætermissa, de illo solus enarrasset, præsertim vbi de ipso Chamo nonnulla perstrinxit. Nec verisimile est, Berosum tantæ auctoritatis scriptorem, ea proditurum fuisse, de quibus manifestissimo mendacio deprehenderetur, nam à diluuio ad patrem nostrum Habrahamum, in cuius ætate satis constat Ninum, qui Zoroastrem superauit, floruisse, numerat Eusebius, Cæsariensis Episcopus, in Chronicis MDCCXX. annos, qui vero minimum, vt Augustinus, M.LXXII. quomodo ergo Cham, qui ante cataclysmum centum natus erat annos, tam longam vixisset ætatem, ad quam nemo quisquam mortalium vitam produxit, præsertim post diluuium, quando non mediocris iam ætatum diminutio consecuta fuerat? Quod si Zoroastres (vt iunior Berosus, contra omnium historicorum sententiam, asserit) non à primo Nino, sed à secundo, huius filio, qui post matrem Semiramim regnauit, superatus est, multo plures ab ipso diluuio ad Zoroastris interitum computantur anni, ita vt clarius veritas eluceat, & manifestum ac deprehensum multo etiam magis appareat figmentum. Quapropter cum veritas per se ipsa constet, & firmissimis radicibus nitatur, oportet mendacem, qui ipsam veritatis vim conuellere, & labefactare conatur, memorem & ipsum esse, vt in prouerbio est. Iam, nisi fallor, satis supérque mihi videor demonstrasse, etiam si iustum non fuisset opus, sed fragmenta tantum, (vt ipsi volunt) ea tamen non esse Berosi vetustissimi & grauissimi auctoris. Verum, ne fortasse aliquis resideat scrupulus, ostendamus, hos quinque libros nulla fragmentorum vestigia, sed incorruptæ potius integritatis speciem præseferre. Ac primum omnium demiror esse quemquam, qui veteres librorum inscriptiones audeat expungere, & nouas supponere, vt aduersarius liberiore licentia ausus est: nam titulus huius operis hic est; *Berosi, Sacerdotis Chaldæi, de Antiquitatibus libri quinque,* cum commentariis *Ioannis Annij Viterbiensis, Sacræ Theologiæ professoris,* nec enim ipse Annius, horum librorum comprobator, & fautor, atque etiam inuentor, alium titulum ostendit in præfatione sua: dicit enim: *In primo tradit, quid Chaldæi scribant de temporibus ante diluuium, In secundo, de genealogiis deorum, id est, ducum, post diluuium; In tertio docet antiquitatem Iani patris, quem & Noam nominant; In quarto, de antiquitatibus regnorum totius orbis, in communi tradit; In quinto singula explicat. Titulus huic libro est, Defloratio Berosi Chaldaica.* Hæc ille. Quod si Ioannes Annius, qui hunc auctorem è tenebris in lucem euocauit, eius historiam, quam Deflorationem Chaldaicam appellat, in quinque libros offendit ab ipso auctore distributam, quo tandem ore nouos nos audebimus comminisci titulos, præsertim cum nulla comperta sint fragmentorum vestigia, nec vlla signa corruptionis deprehendantur? nam, si Annius ipse seriem, & contextum huius historiæ interruptum, aut deprauatum inuenisset, nihil dubium est, quin illi fragmentorum nomen imposuisset, perinde ac imposuit historiæ cuiusdam auctoris, quam, aut omnino credidit, aut certè suspicatus est reliquias quasdam esse Originum Catonis. Quod si aduersarius tantam fidem, & auctoritatem tribuit Ioanni Annio Viterbiensi in iis, quæ ad extollendum suum Berosum pertinent, quid caussæ est cur circa titulum sui operis, non eidem quoque assentiatur? Sed nos, tametsi ea, quæ modo attulimus, idonea satis arbitrabamur fore ad probandum, non fragmenta, sed iustum opus esse hoc, quod in quinque libros distributum est; tamen volumus aliunde firmissimis rationibus, & argumentis aduersario cumulatè satisfacere. Diximus, illum cum se vndique constrictum cer-

Zoroaster qua ætate floruerit.

xandrinum edita, & *hiſtoriæ bellorum, & antiquitatum Iudaïcarum*, tam doctè, tam ornatè, & tam eleganter ſcriptæ. De quo præclarum exſtat Doct. Hieronymi elogium, in eo libello, quem de ſcriptoribus illuſtribus compoſuit. Photius quoque in Bibliotheca copiosè. Sed de his hactenus. Ad vlteriora vero tendentes, oſtendamus, ſuperiorem Beroſum multis ætatibus præcurriſſe iuniorem, vt ea, quæ hic litteris mandauerit, ille nullatenus ſcite potuiſſet. Exploratum enim eſt, & multis nobilium ſcriptorum teſtimoniis comprobatum, Lugdunenſem Galliam, quæ prius Celtica vocaretur, ſic appellari cœptam à Lugduno, ampliſſima, & copioſiſſima Galliarum vrbe, & ciuium Romanorum Colonia, & omnium Lugdunenſis prouinciæ vrbium omnino principe: quam, teſte Plutarcho, L. Munatius, Plancus, Imperator, & vir conſularis, condidit, ait enim: *Itaque, horum conſiliis perſuaſus, Hannibal caſtra mouit, & per ripam Rhodani, aduerſo flumine, profectus, paucis diebus peruenit ad locum, quem inſulam Galli appellant. Hanc Arar, & Rhodanus amnis, ex diuerſis montibus confluentes, efficiunt, ibique nunc Lugdunum eſt, celeberrima Galliæ vrbs, quam longis poſtea temporibus à Planco Munatio conditam fuiſſe, accepimus.* Hæc Plutarchus. Hunc Ciceronis fuiſſe diſcipulum, ſcribit Euſebius, Cæſarienſis Epiſcopus, in Chronicis, & eandem vrbem condidiſſe: *Munatius*, inquit, *Plancus, Ciceronis diſcipulus, orator habetur inſignis, qui, cum Galliam Comatam regeret, Lugdunum condidit.* Illum nos fuiſſe cenſemus, ad quem multæ ſunt Ciceronis, & eius ad Ciceronem epiſtolæ, cum Plancus ipſe ſuſceptis aduerſus Antonium Reipub. partibus, Galliam prouinciam cum imperio obtinuiſſet. Quod vero Lugdunenſis Gallia nomen inuenerit ab ipſa vrbe Lugduno, auctor eſt Stephanus in libris, quos de Vrbibus ſcripſit. Dicit namque: *Lugdunum emporium eſt totius Galliæ Celticæ longè celeberrimum, à quo ea pars Galliæ Lugdunenſis dicta eſt à L. Munatio Planco, dum Galliæ Comatæ præeſſet, conditum, in colle, ſupra confluentem Rhodani, & Araris imminente; vbi etiam hodie non obſcura antiquæ vrbis exſtant veſtigia. Hæc Stephanus.* Sed hodie in loco plano ſita eſt vrbs hæc nobiliſſima, quam magna ex parte circumfluunt Rhodanus, & Araris amnes. Adiecit etiam Strabo, Cæſarem Auguſtum voluiſſe, vt hæc vrbs totius eſſet prouinciæ Lugdunenſis primaria. *At enim*, inquit, *Cæſar Auguſtus quadrifariam partiens, Celtes quidem Narbonenſis prouinciæ definit; Aquitanos vero, quos & ille ſanè extollens, inſuper decem adiecit gentes, ex iis, quæ inter Garumnam, & Ligerim fluuium colunt: Reliquam dupliciter partiuit; Vnam quidē Lugduno applicans, vſque ad ſuperiorē Rheni plagā; alterā Belgis. Et alibi: Poſt Aquitanicā vero partē, ac Narbonensē, alia deinceps eſt ab Ligeri fluuio, ac Rhodano vſque ad Rhenū, eo delatus à fonte, ad Lugdunum Rhodanus Ligeri coniungitur. Huius autem regionis partes ſuperiora ad Rheni, ac Rhodani fontes vſque ad medium ferè camporum Lugdunenſi ditioni addita ſunt.* Hæc Strabo. Quare nemini mirum videri debet, C. Cæſarem, nullam huius nominis mentionem in Galliæ diuiſione feciſſe, quippe quod necdum id temporis vrbs Lugdunum condita fuerat: à qua poſteris temporibus nomen traxiſſe Lugdunenſem Galliam, auctores, quos modo nominaui, prodidere. Expoſuimus, vnde & quo tempore initium huius nominis ortum ſit: videamus nunc, qui fieri poterat, vt Beroſus, qui Plancum ipſum, Lugduni conditorem, multis anteceſſerat ætatibus, hoc nomine, quod nuſquam erat id temporis, vteretur? ſi nec Cæſar, qui proximus ante Lugdunum conditam fuit, in Commentariis belli Gallici hoc vocabulo *Prouinciam* nominauit? Quod ſi tempeſtate illa, nomen hoc omnino inauditum, & incognitum, nec propterea huic prouinciæ impoſitum fuerat, intelligitur, auctorem hunc, qui quendam *Lugdum* commentus eſt, à quo Lugdunenſem Galliam nomen traxiſſe aſſerit, non eſſe Beroſum Chaldæum, ſic enim narrat: *Duodecimo vero anno Mancales apud Ianigenas regnat Katim, relicto in Celtiberis rege filio Sicoro. Euſdem Mancales temporibus apud Tuſcones regnat Hercules Alemanus, apud Celtas Lugdus; à quo prouincia & homines cognomenta ſumpſerunt.* Hæc ille. Vidimus hunc mulgentem hircum. Intueamur nunc Annium, eius interpretem, cribrum illi ſupponentem; (vt in vtrúmque ſcitè dixit Beatus Rhenanus:) *Lugdus eſt*, inquit, *qui incoluit Lugdunenſem prouinciam, vt nomen eſt argumento. Quod vero ait ab eo cognominatam fuiſſe prouinciam, & homines, ita intelligendum eſſe exiſtimo, vt prouinciam intelligat totam partem Lugdunenſem; homines autem Lugdonicos dictos, quos poſtea, g, ablata Ludouicos dixerunt.* Hæc Annius. Atqui operæpretium eſt animaduertere ſingularem hominis leuitatem, & inſignem temporum ignorantiam, cui non occurrerint tot ſæculorum ætates, quot inter Beroſum, & Francorum reges Ludouicos fuerint interiectæ? qui temporum ordines, eorúmque decurſus & varietates diſtinguere neſciuerit, rerum humanarum commutationes, ac diſſimilitudines non viderit, hiſtorias tam turpiter ignorauerit. Sed ad ſuppoſititium Beroſum reuertamur. Ego certè adduci non poſſum, vt credam, eſſe aliquem in tanta mentis cæcitate depreſſum, qui ex hoc manifeſtiſſimo, & apertiſſimo loco, etiam ſi veritas ipſa, cuius magna vis eſt, firmiora huic cauſſæ non ſubminiſtraſſet argumenta) non intelligat, hunc auctorem infinitis propè ſæculis poſt Beroſum Chaldæum, & multis annis poſt Lugdunum conditam vixiſſe. Simili figmento luſit adulterinus Cato *de Originibus*, qui quendam nobis *Medum* principem Inſubrium commentus eſt, à quo, quod *Mediolanum*, vt ipſe confirmauit, inſtaurandum curaſſet, nomen inueniſſe hanc vrbem ſcripſit: quam rem fieri non potuiſſe, vt Cato Porrius ſcriberet, oſtendimus in quadam cenſura, quam in illum commentitium Catonem iampridem edidimus. Mitto, quod Beroſus in ea vixit ætate, in eáque orbis terrarum parte, in quibus homines, vt mox docebimus, nullam, aut, perexiguam regionum ſcientiam, Hiſpaniæ præſertim, fuerant conſecuti. Quod ſi hic auctor, poſt quam pars illa Tranſalpinæ Galliæ, nouo *Lugdunenſis* nomine appellari cœpta eſt, hiſtoriam ſcripſit, vt ſatis conſtat: quo modo huius nominis aliam prodidit originem, ac cæteri auctores prodidere, & de qua nullus, præter ipſum, quidquam retulit? an quia à *Lugduno* ductum id nomen penitus ignorauerit? nec auctores diligenter euoluerit? at hoc ipſum ſatis oſtendiſſet hominem indoctum, & rerum, ad hiſtoriam pertinentium, ſatis imperitum. An quia veriorem alteram opinionem iudicauerat? quo modo ergo, ſi controuerſum id eſſe ſciebat, ſilentio præteriuit? ac rationibus, & ſcriptorum teſtimoniis minus ſententiam animi ſui confirmauit? aut quo modo alij hiſtorici, tam Græci, quam Latini, quorum modo mentionem feci, qui illum longè, multúmque doctrina, eruditione, & eloquentia ſuperarunt, nullam omnino huius Lugdi mentionem, ſed ne tenuiſſimam quidem ſignificationem fecere: nam, ſi aliquam notitiam habuiſſent, vtcumque certè ſignificaſſent, vt auctores ſolent varias de rebus controuerſis opiniones proferre, ac tum vel rationes probabiliores exquirere, vel iudicium lectoris integrum relinquere, quid igitur cauſſæ fuiſſe cenſebimus, cur nec Strabo, nec Stephanus, nec Plutarchus, nec Euſebius Cæſarienſis, nec alij, quos longum eſſet recenſere, doctiſſimi rerum ſcriptores, longéque diligentiſſimi antiquitatis inueſtigatores, qui poſt Beroſum floruerunt, nec Plinius, qui de eius hiſtoria nonnulla retulit, de hoc *Lugdo*, à quo *Lugdunenſis Gallia* nomen habuiſſet, quidquam meminerint? niſi quod hic auctor poſt tantorum virorum ſæcula, hanc inepriſſimam hiſtoriam compoſuit. Quare iam ſatis arbitror conſtare, vel ex hoc ſolo argumento, non modo hunc verum non eſſe Beroſum, ſed etiam obſcurum, ignobilem, ineptum, ac nullius ponderis, vel auctoritatis ſcriptorem. Exſtat præterea locus Agathij, Græci auctoris, per ſeſe clarus, & apertus, qui benè indicat, auctorem hunc non eſſe Beroſum Chaldæum, vtque rectius id ipſum diiudicari poſſit, verba ipſius Agathij prius ſubiicienda exiſtimauimus. Scribit itaque: *Sed huius temporis Perſæ priſcos mores omnes ferè omuſerunt, & perinde iam euerterunt, alieniſque legibus, tanquam adulterinis,*

uuntur,

Margin notes: *Lugduni Galliæ vrbs.* — *Gallia Lugdunenſis.* — *Beroſus & Annius.* — *Marcus Cato falſo inſcriptus. Mediolanum.* — *Agathias hiſtoricus.*

Zoroaster magicæ artis inuentor.

utuntur, ex Zoroastris desumptis Orismadæi disciplinis. Is autem Zoroaster, siue Zarades (nam duplici vocitatur cognomine) quo tempore in principatu floruerit, & tuleris leges, satis clare internosci non potest. Persænamque nostræ huius ætatis, Idaspis temporibus simpliciter tamen hunc fuisse affirmant; ita, vt in ambiguo sit, nec satis planè dignosci queat, vtrum Dury pater, an alius quispiam is fuerit Idaspes. Sed, quouis ille floruerit tempore, magister tamen & Persis fuit, & magicæ sceleris adinuentor, qui, prisco sacrorum ritu mutato, promiscuas quasdam, & varias opiniones induxit. Siquidem vetustiores illi Iouem, Saturnum, & huiusmodi cæteros, apud Græcos quosdam percelebres, vt deos, venerabantur; cum aliaque cognomenta seruarent: nam Iouem Belum dicebant, Herculem Sandem, Anaïtida Venerem; & alios item aliter vocitabant; quemadmodum Berosus Babylonius, & Athenocles Symmachus, qui Assyriorum, Medorúmque res antiquissimas conscripserunt in historia produnt. Hæc Agathius. Is autem iunior Berosus dicit, Chamum, Noëmi filium, fuisse Zoroastrem Bactrianorum regem, quem omnes historici, principem, & inuentorem magicæ artis exstitisse, confirmant: atque fabulæ adiicit quædam, poëtarum portentis similia; quod, cum ebrius humi iaceret Noëmus, Chamum patris virilia manibus sacrilegis turpiter attrectata, illi vim generandi magicis carminibus penitus abstulisse, eo quod Noëmus pluris, quam ipsum Chamum, cæteros filios fecisset. Sed ipsum iam hæc narrantem audiamus. *Erat illi, vt diximus, filius ex tribus primis adolescentior Cham, qui, semper magica, & venefica studens, Zoroast nomen consecutus erat. Is patrem Noam odio habebat, quia alios vltimo genitos ardentius amabat, se vero despici videbat. Potissime vero idem infensus erat patri ob vitia, itaque, nactus opportunitatem, cum Noa pater madidus iaceret, illius virilia comprehendens, tacitéque submurmurans, carmine magico patri illusit, simul & illum sterilem perinde, atque castratum effecit; nec deinceps Noa fœmellam aliquam fœcundare potuit.* Hæc ille in libro III. At vero in V. *Seuerus,* ait, *Babylonia rex Arius regnauit annis XXX. qui adiecit imperio omnes Bactrianos, nam paulo ante mortem Nini, Camesenus, pulsus ab omni ferme orbe, in Bactrianos sese contulerat, & illos magico prestigio sibi deuinxerat; adeo, vt apud illos maximis viribus imperaret. Coacto autem Comesenus maximo populorum exercitu inuasit Assyrios; contra quem Ninus dimicans superior fuit, & Camesenum obtruncauit: inde paulo post ipse obijt, quare Arius, collecto exercitu, post patris Nini obitum, Bactrianos, & omnes Caspios subiecit.* Hactenus ille. Nunc autem diligenter velim lector expendat, si Agathius, qui Berosum Chaldæum testem citauerit, vt paulo ante vidimus, apud eum legisset, Chamum, Noëmi filium, fuisse Zoroastrem; qui, cum ob scelerum, & flagitiorum turpitudinem, à patre fuisset ablegatus, ad Bactrianos sese contulisset; postea vero quàm eos magicis artibus domuisset, coacto robustissimo exercitu, Assyrios inuasisset; à Ninóque tandem, sexto Babyloniorum rege, victus, ac profligatus esset: qui fieri poterat, cum dubitasse, quanam ætate, quibúsue temporibus Zoroastres floruerit? Nónne ex eisdem Berosianis libris satis intellexisset, & quo patre satus, & quibus artibus ad imperium adspirasset, & quæ bella gessisset, & à quibus tandem superatus, & occisus fuisset? quo modo igitur non hæc omnia ipse animaduerterat Agathius, qui Berosum euoluerat? nisi quod Berosus vtique non illa narrauerat? Si enim retulisset, nihil dubium est, quin Iosephus, qui tantum Beroso tribuerit, cum Noëmi res gestas, ciúsque, atque liberorum soboles, & coloniarum deductiones, in longinquas terrarum oras ab eisdem ipsis factas diffusius commemorauerit, significasset, Camesenum hunc, Noëmi filium, fuisse Zoroastrem, Bactrianorum regem. Nec enim rem, quæ non id esset generis, vt silentio prætereunda foret, ipse diligentissimus antiquitatis indagator non scitu dignam esse iudicasset; qui multa, cum ab ipso Beroso, tum ab aliis auctoribus prodita, non æquè memoranda, narrauerit. Nec Plinius; qui Berosum (vt apparet) accuratius legerat, cum varias de Zoroastre opiniones prodidit, putn prætereundum existimasset, quæ Berosus de illo narrasset, quippe qui & patrem, quo genitus esset, & tempora quibus vixisset, & quas res gessisset, & à quo victus & occisus esset, tam aperta, & dilucida narratione declarasset; nec dixisset, (vt ipsius verbis vtar) *non satis constare, vnus hic fuerit, an postea & alius.* Nec D. Augustinus, credo, tacuisset, cum sæpius in Zoroastris mentionem incidit, ea, quæ Berosus ab aliis scriptoribus prætermissa, de illo solus enarrasset, præsertim vbi de ipso Chamo nonnulla perstrinxit. Nec verisimile est, Berosum tantæ auctoritatis scriptorem, ea proditurum fuisse, de quibus manifestissimo mendacio deprehenderetur, nam à diluuio ad patrem nostrum Habrahamum, in cuius ætate satis constat Ninum, qui Zoroastrem superauit, floruisse, numerat Eusebius, Cæsariensis Episcopus, in Chronicis MDCCXX. annos, qui vero minimum, vt Augustinus, M.LXXII. quomodo ergo Cham, qui ante cataclysmum centum natus erat annos, tam longam vixisset ætatem, ad quam nemo quisquam mortalium vitam produxit, præsertim post diluuium, quando non mediocris iam ætatum diminutio consecuta fuerat? Quod si Zoroastres (vt iunior Berosus, contra omnium historicorum sententiam, asserit) non à primo Nino, sed à secundo, huius filio, qui post matrem Semiramim regnauit, superatus est, multo plures ab ipso diluuio ad Zoroastris interitum computantur anni, ita vt clarius veritas eluceat, & manifestum ac deprehensum multo etiam magis appareat figmentum. Quapropter cum veritas per se ipsa constet, & firmissimis radicibus nitatur, oportet mendacem, qui ipsam veritatis vim conuellere, & labefactare conatur, memorem & ipsum esse, vt in prouerbio est. Iam, nisi fallor, satis supérque mihi videor demonstrasse, etiam si iustum non fuisset opus, sed fragmenta tantum, (vt ipsi volunt) ea tamen non esse Berosi vetustissimi & grauissimi auctoris. Verum, ne fortasse aliquis resideat scrupulus, ostendamus, hos quinque libros nulla fragmentorum vestigia, sed incorruptæ potius integritatis speciem præseferre. Ac primum omnium demiror esse quemquam, qui veteres librorum inscriptiones audeat expungere, & nouas supponere, vt aduersarius liberiore licentia ausus est: nam titulus huius operis hic est; *Berosi, Sacerdotis Chaldæi, de Antiquitatibus libri quinque,* cum commentariis *Ioannis Annij Viterbiensis, Sacræ Theologiæ professoris,* nec enim ipse Annius, horum librorum comprobator, & fautor, atque etiam inuentor, alium titulum ostendit in præfatione sua: dicit enim: *In primo tradit, quid Chaldæi scribant de temporibus ante diluuium, In secundo, de genealogiis deorum, id est, ducum, post diluuium; In tertio docet antiquitatem Iani patris, quem & Noam nominant; In quarto, de antiquitatibus regnorum totius orbis, in communi tradit; In quinto singula explicat. Titulus huic libro est, Defloratio Berosi Chaldaica.* Hæc ille. Quod si Ioannes Annius, qui hunc auctorem è tenebris in lucem euocauit, eius historiam, quam Deflorationem Chaldaicam appellat, in quinque libros offendit ab ipso auctore distributam, quo tandem ore nouos nos audebimus comminisci titulos, præsertim cum nulla comperta sint fragmentorum vestigia, nec vlla signa corruptionis deprehendantur? nam, si Annius ipse seriem, & contextum huius historiæ interruptum, aut deprauatum inuenisset, nihil dubium est, quin illi fragmentorum nomen imposuisset, perinde ac imposuit historiæ cuiusdam auctoris, quam, aut omnino credidit, aut certè suspicatus est reliquias quasdam esse Originum Catonis. Quod si aduersarius tantam fidem, & auctoritatem tribuit Ioanni Annio Viterbiensi in iis, quæ ad extollendum suum Berosum pertinent, quid caussæ est cur circa titulum sui operis, non eidem quoque assentiatur? Sed nos, tametsi ea, quæ modo attulimus, idonea satis arbitrabamur fore ad probandum, non fragmenta, sed iustum opus esse hoc, quod in quinque libros distributum est; tamen volumus aliunde firmissimis rationibus, & argumentis aduersario cumulatè satisfacere. Diximus, illum cum se vndique constrictum cer-

Zoroaster qua ætate floruerit.

neret, velut anguillam, elapsum, ad fragmentorum nomen confugisse, non quod crediderit (vt opinor) fragmenta esse, sed quod arbitratus est verisimile, & probabile istoc ipsum videri posse, ob exiguam librorum breuitatem, quæ illi occasionem obtulit, & quasi viam ad hoc perfugium muniuit. Sed nos hunc, seu errorem illi eripiemus, seu simulatam opinionem fundims euellemus. Nam, quisquis fuit huius auctor operis, ille ipse non modo se eidem breuitati studuisse significauit, verum etiam eosdem quinque libros non semel, sed sæpius breuissimas Annotationes nuncupauit. Siquidem in calce totius operis scribit: *Itaque, qui reges & tempora traduntur à nostris, de primoribus regnis orbis, à Iani diluuio primo vsque ad Dardaniæ regnum conditum, his nostris breuissimis Annotationibus sint hactenus dicta.* Hæc ille. Quid igitur significantius dici potuit, aut quid magis aptum & consentaneum huic librorum exilitati, quàm breuissimarum Annotationum nomen? Præterea in primo libro ait: *Has igitur principum, atque heroum origines, atque posteritates abbreuiamus ex nostris Chaldaïs, atque Scythicis libris, quoad satis sit: nam & multos alios memoriæ mandant, quos, quia nihil ad nostram intentam accurtationem, aut parum afferant, ob id dimittimus.* Ecce iterum librorum paruitatem significatam, auctorémque ipsum summam breuitatem datâ operâ secutum: nam, per intentam accurtationem, quamquam ineptè, satis tamen innuit, seu potius fatetur, quandam à se destinatam, & propositam breuitatem. Deinde eodem libro non solum prædixit, se hoc breue & compendiarium genus historiæ secuturum esse, sed etiam prius indicauit, & verbis penè depinxit totam historiæ seriem, eundémque ipsius contextum, & ordinem, vt nullo pacto queat tergiuersari aduersarius, nedum ad fragmentorum desperatissimum perfugium elabi. Ait enim: *Ab hoc igitur anno salutis humanæ, ab aquis primordio sumpto, nostri maiores innumeros scripserant, nos vero tædiosam eorum sermonem abbreuiaturi, referemus origines, & tempora, & reges eorum dumtaxat regnorum, quæ nunc magna habentur.* Hæc ille. Quid enim aliud narrando, idque breuiter & nude, prodidit, quam origines, tempora, & reges eorum dumtaxat regnorum, quæ prius prædixerat? Nec solus id declarauit auctor ipse; sed quidam Manethoo, qui huic historiæ quædam adiunxit supplementa, in fronte ipsius operis idem profitetur. *Berosus* (inquit) *inter Chaldæos historicos probatior, desflorauit breuissimis Annotationibus omnia Chaldaïca, de potioribus regnis orbis, à diluuio maximo, quod deorum maiores scribunt fuisse ante Ninum, vsque ad præcipuum regnum Troiæ conditum.* Hæc ille. Tenetur vndique, & constringitur vinculis aduersarius, vt nec se commouere queat, nec, quo confugiat, vllus iam illi locus relinquatur. Quod si fortè pertinaciter persistat, negétque, hanc historiam colligatas inter se, ac nexas habere rerum gestarum narrationes; iam ex ipso contextu facilè vnusquisque diiudicare poterit, vtrum absoluta sit ipsius historiæ continuatio, nec ne, nam in primo libro narrat, quemadmodum extabant apud Chaldæos Annales de rebus ante cataclysmum gestis, in quibus proditum erat, fuisse iuxta montem Libanum vrbem quandam amplissimam, Enos nominatam, atque à gigantibus qui totius terrarum orbis dominium id temporis obtinerent, habitatam, eúsque multiplici flagitiorum, atque scelerum labe inquinatos, ab diis, quorum iram irritauerant, fuisse interemptos, cum vniuersum terrarum orbem aquis vindicibus operirent, præter Noëmum, trésque eius liberos, & eorum vxores, qui naue, in speciem arcæ fabricata, seruati fuere. Postea vero quam exaruissent aquæ, ac velut emergere terrarum solum cœpisset, quemadmodum nauis ipsa in vertice Armeniorum montium subsedisset, quodque ab illo anno, quo seruatum fuerit genus humanum, Chaldæi multa confecissent volumina, verum ille, breuitatem secutus, eorúmque prolixas narrationes relinquens, relaturum se profitetur origines & tempora, & reges eorum tantummodo regnorum, quæ tunc pro maximis haberentur, in Asia Babylonicum, in Africa Ægyptium, & Lybicum, in Europa Celtibericum, Celticum, Italicum, Tuisconum, & Ionicum; finémque imponit primo libro: cui secundus statim adnectitur iis verbis: *Necesse est igitur, nos ex præmissis confiteri, quod & Chaldæi, & Scythæ scribunt, siccato ab aquis orbe, non fuisse nisi octo homines in Armenia saga, & ab his omne genus humanum in terris seminatum, atque ob id Scythas rectè dicere, & appellare Noam, omnium deorum maiorum, & minorum patrem & humanæ gentis auctorem, & chaos, & semen mundi; Tytheam vero, Aretiam, id est terram, in quam semen chaos posuit, & ex qua, tanquam ex terra, cuncti prodierunt, &c.* Deinde, cunctam ipsius Noëmi sobolem breuiter, simpliciterque recensens, finem facit; tertiúmque librum sic auspicatus est: *Has igitur principum, atque heroum origines, atque posteritates abbreuiamus ex nostris Chaldaïs, atque Scythicis libris, quoad satis sit, &c.* Deinde gesta ipsius Noëmi, postquam è naui descenderat, narrare pergit; tum, quo pacto humanum genus reparatum, & auctum sit, docet: ipsiúsque Noëmi solertiam circa agrorum culturam, vitiumque satus explicat; cúmque ex immoderato vini potu stratus humi esset, quemadmodum filius eius Cham magicis cantionibus illi vim generandi præripuisset, eo quod plus cæteris filiis indulgeret, húncque posteris temporibus fuisse Zoroastrem, Bractianorum regem, magicæ artis principem, & inuentorem. Vbi vero nonnulla eius gesta refert, tertium librum absoluit; & quartum huic adiungens, his verbis orditur: *Multiplicatum est in immensum genus humanum, & ad comparandas nouas sedes necessitas compellebat, tum Ianus pater adhortatus est homines principes ad quærendas nouas sedes, & communem cœtum inter homines agendum, & ædificandas vrbes. Designauit itaque illis tres orbis partes Asiam, Africam, & Europam, vt ante diluuium viderat. Singulis autem principibus singulas partes, ad quas irent, partitus, ipse per totum orbem colonias se traducturum pollicitus est, &c.* Tum subiungit, quemadmodum homines, per terras sparsi, latè propagati sint, vtque Nimbrotho attributa fuerit Mesopotamia, & ipse vrbem condiderit in campo Sennaar, in eáque turrim miræ celsitudinis ædificauerit anno post cataclysmum CXXXI. quodque quinquaginta sex annos regnauerit, & regnum eius Babylonicum vocatum fuerit. Deinde narrat, postea quam Noëmus colonias deducendas curasset in Ægyptum & Lybiam, atque ex Armenia in alias orbis partes colonias deduxisset, postremo iis verbis quartum absoluit librum: *Hæc nostri maiores multis libris tradiderunt: nunc de temporibus eorum ac posteritatibus dicemus, iuxta id, quod in nostra Chaldaïca, & primordiali, Scythica historia, fideli memoriâ conseruatum est*, & quintum statim aggreditur, ita incipiens: *Vt supra diximus, anno à salute humani generis ab aquis CXXXI. cœpit regnum Babylonicum sub nostro Saturno, patre Iouis Beli, qui imperauit annis quinquaginta sex, &c.* Quo in libro, postea quam prosecutus est regna, quæ prius promiserant, eorúmque reges, & annos quibus regnauerint, vsque ad Ascatadem Babyloniæ, Ramessem Ægypti, & Dardanum Dardaniæ reges, totum opus huius historiæ absoluit, iis verbis: *Itaque qui reges, & tempora traduntur à nostris de primoribus regnis orbis, à Iani diluuio primo, vsque ad Dardaniæ regnum conditum his nostris breuissimis Annotationibus sint hactenus dicta.* Hæc ille. Ac demum Ioannes Annius, in explicatione huius loci, ostendit, quo consilio vsque ad regnum Dardaniæ historiam producere statuerit: *Patet*, inquit, *ex hoc vltimo, cur Berosus Athemensibus hoc opus solum vsque ad Dardaniam conditam, tempora Græcis ignota eruerit.* Hæc ille. Quapropter nescio, quid amplius iam desideret aduersarius; cum planum factum sit, non solum nihil mutilum aut deprauatum in hisce quinque libris fui Berosi, sed nec vllum fragmentorum vestigium, aut eorum tenuissimam suspicionem apparere; quando non semel, sed sæpius auctor fateatur, in hac historia scribenda se quam maximam secuturum esse breuitatem; eámque historiam appellet breuissimas Annotationes; atque id quoque apertissimè significet, (vt supra demonstrauimus)

quisquis ille fuit *Manethon*, qui ad hos quinque libros quædam adiunxit supplementa. Quare desinant iam nobis obiicere, & opponere fragmentorum nomen. Et quoniam deprehendimus, hanc historiam, ex omnibus suis partibus, incorruptam retinere integritatem, progrediamur vltra, & cæteras probationes in medium proferamus; quibus etiam intelligatur, non id esse hoc opus, quod Berosus Chaldæus, vir quondam celeberrimus, confecerit. Intelleximus ex iis quæ supra memorauimus hunc commenticium Berosum à diluuio (vt ipsemet, eiúsque interpres Annius fatetur) ad Ascatadem Assyriorum, & Dardanum Dardaniæ reges, Berosum vero Chaldæum, ab eodem tempore ad Nabulassarum regem, & Nabuchodonosorum eius natum, historiam scripsisse; tum etiam intelleximus, partem quandam historiæ ipsius Berosi, quæ apud Iosephum est vbi de Nabuchodonosoro, eiúsque patre Nabulassero, multa prodidit, non extare apud ficticium Berosum, propterea quod ab eodem rege Ascatade ad Nabuchodonosorum reges circiter XXX. & mille plus minus interiecti fuerint anni; vt auctor est in chronicis Eusebius, Cæsariensis Episcopus. Exstat præterea locus quidam apud D. Hieronymum, qui nobis satis supérque ostendit, non esse hunc verum Berosum, ait enim: *Pugnasse autem Sennacheribum, regem Assyriorum, contra Ægyptios, & obsedisse Pelusium; iámque exstructis aggeribus vrbi capienda, venisse Taracham, regem Æthiopum, in auxilium; & vna nocte, iuxta Hierusalem, centum octoginta quinque millia exercitus Assyrij, pestilentia corruisse, narrat Herodotus, & plenissime Berosus Chaldaïcæ scriptor historiæ: quorum fides de propriis libris petenda est.* Hæc Hieronymus. Flauius autem Iosephus, eadem commemorans, quæ de Sennacheribo rege meminit D. Hieronymus, eundémque Berosum testem citans, ipsamet Berosi verba refert. *Herodotus autem*, inquit, *de rege Sennacheribo errorem ideo facit, quia non Assyriorum dicit regem, sed Arabum; adiiciens, quia soricum multitudo vna nocte arcus, & arma reliqua comedit Assyriorum, & propterea, cum non haberet rex arcus, exercitum à Pelusio reuocauit.* Et hæc quidem Herodotus. *Berosus autem, qui Chaldaïcam conscripsit historiam, meminit regis Sennacherib, & quia regnauit super Assyrios, & castrametatus est contra omnem Asiam, & Ægyptum, ita dicens. Reuersus autem Sennacherib à præliis Ægyptiorum, ad Hierosolymam cum venisset, exercitum, quem cum Rapsace dimiserat, inuenit in periculo pestilentiæ constitutum: (Deus enim morbum populo eius immiserat, ita vt prima nocte eorum, qui obsidebant, deperirent CLXXXV. millia viri, cum iudicibus & tribunis) propter hanc calamitatem, in nimio terrore, & angustia constitutus, de cuncta iam militia metuens, fugit cum sua manu ad proprium regnum, in ciuitatem, quæ appellatur Ninive; & , dum modicum tempus ibidem commoratus fuisset, dolo a senioribus filiis Adramelech, & Selensaro est peremptus, in proprio templo, quod dicitur Arasci. Et illi quidem pro cæde patris effugati, ad Armeniam discesserunt. Successit autem in eius regnum Assaracoldas. Terminus igitur obsessionis Assyriorum contra Hierosolymitas tali occasione prouenit.* Hæc Berosus. Euoluat nunc aduersarius quinque libros sui Berosi, & ostendat nobis apud illum hanc de Sennacheribo rege historiam, & ego libenter palinodiam cantabo; siquidem vnum ex duobus necessario fatendum est, aut D. Hieronymum, & Flau. Iosephum ea scripsisse, quæ nunquam prodiderit Berosus, (quod de illo non solum credere, sed cogitare quidem, impium & nefarium; de hoc vero, temerarium esse, arbitror) aut, si vera sunt quæ narrant ipsi, hunc fictum, & adulterinum prorsus esse Berosum, necesse est. Sed alium proferamus locum D. Hieronymi ex commentariis, quos scripsit in Danielem prophetam, qui nobis nonnulla narrat ex Beroso Seniore, quæ apud iuniorem minimè reperiuntur: ait namque, cum in mentionem Baltazaris regis incidit: *Sciendum est, non hunc esse filium Nabuchodonosor, vt vulgo legentes arbitrantur, sed iuxta Berosum, qui Chaldæam scripsit historiam, & Iosephum, qui Berosum sequitur, post Nabuchodonosor, qui regnauit annis quadraginta tribus, successisse in regnum eius filium, qui vocatur Euilmarodach, de quo scribit Hieremias quod in primo anno regni sui leuauerat caput Ioachim regis Iuda, & duxerit eum de domo carceris. Refert idem Iosephus, quod, post mortem Euilmarodach; in regnum patris successerit filius eius Neglisar, post quem rursum filius eius Labosordach; quo mortuo, Balthazar, filius eius, regnum tenuerit, quem nunc scriptura commemorat.* Et paulo post subiungit. *Quod autem Balthazaris patrem Nabuchodonosor vocat, non facit errorem, scientibus sancta Scriptura consuetudinem, qua patres omnes proaui, & maiores vocantur.* Hucúsque Hieronymus. Hæc autem, quæ vir sanctissimus commemorauit de rege Balthazare ex Beroso, diffusius recenset Flau. Iosephus, atque insuper ipsius Berosi verba retulit in librum primum, quem aduersus Apionem Alexandrinum edidit: ait igitur Iosephus: Quæ vero de templo Hierosolymorum relata sunt, & concrematum esse Babyloniis, & cœptum rursus ædificari Cyro tenente Asiæ principatum, ex dictis Berosi declaramus. Sic enim in tertio libro dicit: *Nabuchodonosor itaque, posteaquam inchoauit prædictum murum, incidens in languorem, de vita migrauit, cum regnasset annis tribus, & quadraginta. Huius regni Dominus effectus filius eius Euilmarodochus propter iniquitates, & libidines passus insidias, à marito sororis suæ Niriglisoroor peremptus est, cum duobus regnasset annis. Quo defuncto, sumens regnum, qui ei fecit insidias. Niriglisoroor annis regnauit quatuor. Huius filius Laborosardochus pr nepatum quidem tenuit, puer existens, mensibus nouem; insidias vero passus eo quod nimis appareret malorum esse morum, ab amicis extinctus est. Hoc itaque perempto, conuenientes ij, qui fecerant insidias, communi suffragio regnum tradidere Nabonido cuidam, qui erat ex Babylone ex eadem gente. Sub hoc muri circa fluuium Babylonia ciuitatis, ex latere coctio, & bitumine sunt constructi. Cuius regni anno septimo decimo egressus Cyrus ex Perside cum magno exercitu, vniuersa Asia subacta, impetum fecit in Babyloniam vrbem. Sentiens autem Nabonidus inuasionem eius, & occurrens cum exercitu suo, atque congressus, pugna victus, & cum paucis fugatus, inclusus est in Borsippensium ciuitate. Cyrus autem, Babyloniam obsidens, & deliberans exteriores muros deponere ciuitatis, eo quod nimis videretur munita, & esset ad capiendum valde difficilis, reuersus est ad Borsippum, Nabonidum expugnaturus. Nabonido vero oppugnationem non expectante, sed prius supplicante, vsus clementia Cyrus, & dans ei habitaculum in Carmania, expulit eum à Babylone. Nabonidus itaque reliquum vitæ tempus in illa prouincia conuersatus est.* Sic Berosus. Hæc concordant cum nostris, Iosephus inquit. Quod si hæc, quæ modo Berosum seniorem audiuimus narrantem de Cyro, Persarum rege, qui Balthazarem, à Beroso Nabonidum nuncupatum, (vt Iosephus X. libro Antiquitatum narrat) acie fudit, & regno exuit, scripta fuerant in tertio libro historiæ Chaldaicæ, quid causæ est, quamobrem non extent in tertio libro iunioris? nisi quod ij duo Berosi (vt ex amborum scriptis apertissime deprehenditur) & maxime diuersi fuerint, & longe diuersa, disiunctissimis temporibus scripserint? His lector adiungat ea, quæ supra Flau. Iosephum non modo ex historia Berosi narrasse, sed sua ipsius verba descripsisse intelleximus de Nabulassaro rege, déque eius filio Nabuchodonosoro, qui Belo templum augustissimum sacrauerit, & Babylonem vrbem pulcherrimo ædificiorum apparatu illustrauerit, atque hortos amœnissimos & pensiles vxori suæ exstruendos curauerit, propterea quod nemorum, & siluarum Mediæ regionis, vbi nata, & alta fuerat, desiderio teneretur, adiiciat etiam ad hæc, quod Iosephus commemorat, Berosum coarguisse mendacij Græcorum historicos quod Semiramim prodiderint amplissimas, & magnificentissimas illas ædificiorum exstructiones Babylone condidisse; quarum auctorem non ipsam Semiramim, sed Nabuchodonosorum exstitisse, confirmauit: atque in memoriam reuocet locum Danielis prophetæ quo ex loco colligitur eundem regem magnificis, & præclaris operibus vrbem illam

D. Hieronymus de Beroso.

Soricum prodigium.

A

nobilitasse, quæ omnia maxime repugnant, & aduersantur iis, quæ iunior Berosus de Semiramide asserit, vt supra satis disputatum est. Exstat præterea apud eundem Iosephum, in primo libro Antiquitatum locus quidam, in quo pauca senioris Berosi verba refert: quæ apud iuniorem minimè reperiuntur. Ea sunt huiusmodi: *Meminit autem patris nostri Habraham Berosus, non quidē nominans eum, sed ita dicens. Post diluuium decima generatione apud Chaldæos fuit quidam vir iustus, & magnus, in cœlestibus rebus expertus.* Alius apud Plinium etiam locus est, in quo litterarum antiquitatem recensens, testem citat Berosum, inquiens: *Anticlides in Ægypto inuenisse quendam nomine Menona tradit XVI. annis ante Phoroneum, antiquissimum Græciæ regem, idque monumentis approbare conatur, è diuerso Epigenes apud Babylonios DCCXX. annorum obseruationes siderum, coctilibus laterculis inscriptas docet, grauis auctor in primis: qui minimum, Berosus, & Critodemus, CCCCLXXX. annorum.* Hæc Plinius.

Plinij locus.

B

Quarum rerum mentio apud Berosum iuniorem nulla facta est, nec enim credibile videri potest, Plinium, diligentissimum, & grauissimum scriptorem, asseruisse, ea se ex libris Berosi, & Critodemi de litterarum vetustate excepisse, quæ ipsi nunquam prodidissent. Sed nec reperiuntur apud iuniorem Berosum, quæ ex Agathio supra memorauimus: Berosum Babylonicum, & Athenodorum Symmachum, (qui Assyriorum, & Medorum res antiquissimas scripserunt) prodidisse, vetustiores illos appellasse Herculem Sandem, & Venerem Anaitida. Quid, quod hæc tot regnorum descriptio parum conuenit cum titulo historiæ Chaldaicæ? quem titulum præseferebant libri Berosiani, nam, si idem auctor (vt D. Hieronymus, & Iosephus testantur) flores tantum historiæ Chaldaïcæ decerpere decreuit, (quæ historia, vt videtur, late patebat, ac diffusis narrationibus, & longis rerum monumentis, velut in camporum patentium æquoribus, spatiabatur) & alia omittere, quæ sibi minime pertinere visa sunt ad illa, quæ secum ipse narrare constituerat: quomodo verisimile aut probabile est, illorum, tot exterorum regum Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, Germaniæ, Græciæ, & Africæ principatus, & tempora, cum rebus Chaldaïcis commiscuisse? inter quos, & Babylonios reges nullum omnino vnquam commercium, nullum bellum, nullum fœdus, aut societates interuenerant? At de Iudæis regibus multa commemorauit, Berosus horum ideo meminit, quod inter vtrosque, & Babylonios & Israëliticos reges propter regionum vicinitatem, sæpius & bella suscepta, & amicitiæ initæ, aliáque pacis fœdera sancita, & firmata fuerant.

C

Quod argumentum retorquere in aduersarium possumus: nam in suo Beroso nulla Iudæorum regum commemoratio facta est, quam sæpius fecisse Berosum, cum ex ipsius auctoris, tum ex D. Hieronymi, & Flauij Iosephi testimoniis satis supérque demonstratum est. Quapropter existimo, auctorem hunc, si ei sic visum fuisset, æquè potuisse Hispanum, Gallicum, Garmanicum, seu Africum, vel Italicum vsurpare titulum, ac Chaldaicum vsurpauit. Mitto, quod non erat iis locus, vt quidam prudenter dixit in causa simili, mitto, quod pauca illa, quæ ex historia Berosi superioris, beneficio D. Hieronymi, & Flauij Iosephi, non interiere, longe aliam dictionis formam præseferunt ac est illa iunioris. Adde, quod nec nomen exstat interpretis, qui hosce libros ex Græcis conuertit, ob quæ etiam si alia non superessent signa falsitatis, suspecti maximè viderentur, nec enim adduci possum, vt credam, illos ab homine Græco fuisse compositos, sed potius ab auctore Latino, eóque Latini sermonis non admodum perito. Præterea, si quis temporum varietates, & rerum vicissitudines expendere in animum induxerit, deprehendet, Berosum Chaldæum, & Græcos illius ætatis, qua erat ipse, aut nullam, aut perexignam certe notitiam habuisse regionum, earum præsertim, quæ ad occidentem vergunt, vt sunt Hispaniæ, quippe quæ nondum per Romanorum potentiam domitæ, vel pacatæ, sed potius infestæ exteris nationibus erant, tum ob immanem, & barbaram hominum illius ætatis naturam, tum etiam ob morum, & linguarum dissimilitudinem, qua humani generis societas, &

Horatius.

D

E

coniunctio maximè distinetur: nec enim aliam fuisse causam scribit Plinius, cur Æschylus existimauerit, *Eridanum* fuisse in Hispania, eundémque *Rhodanum* appellari: & cur Euripides, & Apollonius opinati fuerint, *ipsum Rhodanum* in mare *Hadriaticum* fluere, quàm quod terrarum, & locorum situs ignorauerint, ideo Aristoteles, (vt in Meteorologicis eius libris videre est) ex Pyrenæis montibus oriri Danubium, falso existimauit: & Ephorus (vt Strabo significat, & Iosephus aperte testatur) Hispaniam non prouinciam, sed vrbem quandam fuisse arbitratus est. Sic etiam Plato (nisi locus, vt suspicantur aliqui, physicam continet allegoriam) nescio quam Atlantidem insulam ad Herculeas columnas olim fuisse asseruit, tantæ magnitudinis, vt maior Lybia simul & Asia censeretur; cuius insulæ reges late imperium & ditionem in totam Africam, & Ægyptum, in bonámque Europæ partem obtinuissent, quæ tandem tota pelago submersa fuerit, vnde factum sit, vt Atlanticum illud pelagus vbi fuerat insula, ob frequentem limum ibi relictum, nauigari nequiuerit. Quod vtique vanum, & falsum esse, compertum satis est nostra, & patrum nostrorum memoria: nam à Gadibus, ad omnes cœli plagas, siue in orientem, siue in occasum, siue in septentriones, totus hodie nauigatur Oceanus Atlanticus.

Geographia errores.

F

Quapropter non pigebit subiungere, quæ Polybius, grauis in primis auctor, de hac ipsa veterum Græcorum exigua extremarum oratum cognitione iudicauerit, vt ad id, quo tendimus, commodior nobis via muniatur. Refert itaque: *Quod vero hæc potissimum pars historiæ, præter cæteras omnes, videatur correctione egeat, cum ex pluribus aliis, tum ex eo maximè liquet, quod omnes ferè antiqui, vel certè quam plurimi scriptores, conati sint, & proprietates extremarum orbis regionum referre, multis in locis longè aberrarant à veritate, proinde non casu, nec preter intentionem, eorum gratia, sed potius laudandi, corrigendique, quippe quos non dubitamus, si hac tempestate fuissent, ipsos errorē suum fuisse emendaturos, siquidē superiori ætate raro quispiam inter Græcos reperiri potuit, qui extremas orbis partes scrutatum proficisci voluerit, ob periculosum, & insuperabile iter. Multa enim, ac pœnè innumerabilia mari terraque pericula erant. Quod si quis, vel necessitate actus, vel sponte, extrema orbis petiisset, non tamen facilè erat locorum situm, resque in his partibus indagatione dignas perquirere, quod partim efferatis barbarorum nationibus occupabantur, partim loca deserta, & vasta solitudines erant. Adde, quod rem longe etiam difficiliorem diuersitas linguarum faciebat: nec enim petere quippiam, nec discere haud se inuicem intelligentibus licebat, nec minus laboriosum erat, res visas modeste postea referre, singulis quibusque vt res nouas augendo mirabiliores facerent, non parum à veritate recedentibus. Quapropter si non solum difficile, sed pœnè impossibile fuit, ante hoc tempus veram huiuscemodi rerum historiam haberi posse, nequaquam succensendum est antiquis rerum gestarum scriptoribus, si quid vel omiserint, vel deliquerint; quin potius, quod talibus temporibus inuestigare aliquid potuerint, laudandi sunt, atque admirandi. Nostra vero ætate, cum & Alexandri Macedonis vires in Asia, & in reliquis orbis partibus Romanorum imperium cuncta nobis terra marique accessu facilia fecerint, liberatis præsertim hominum animis bellorum cura, studioque, atque ambitione publicarum rerum; ex quo maxima scrutando, indagandaque veritatis opportunitas accedit: profectò operæpretium foret, diligentius, veriusque ea inuestigare quæ maiores nostri ignorauerunt quod nos quidem omni studio conabimur facere, cum primum opportunum huic rei locum nacti erimus. nihil enim nobis iucundius accidere potest, quam si intellexerimus studiosos huiusmodi rerum nostra opera veritatis compotes fieri: cum præsertim non aliam ob causam tot labores, atque pericula in peragranda Africa, & Hispania, præterea etiam Gallis, & hæc omnia circumeunte Oceano, suscepimus, quam vt, veterum scriptorum ignorantiam emendantes, eas orbis partes hominibus nostris quam notissimas faceremus.* Hæc ille. Docemur igitur ex iis, quæ modo Polybius

Polybij locus de Geographia inscitia quorūdā.

G

H

differuit,

disseruit, bellum plurimas orbis partes nobis patefecisse, quæ antea aut penitus ignorabantur, aut multis fuerant obscuritatibus, fictisque poëtarum fabulis implicata; siquidem Alexandri Magni expeditiones (vt auctor est Strabo) bonam Asiæ partem eamque septemtrionalis Europæ plagam, vsque ad Danubij ripas pertinentem, quæ diuturnis temporibus latuerant, aperuere; Romani autem iis contigua, quæ in occidentem solem vergunt, vsque ad Albim fluuium, mediam Germaniam intersecantem, tractumque illum omnem, qui trans Istrum ad flumen Tyriam pertinet, notum effecerunt; Mithridates Eupator, quæ vltra tendunt vsque ad Mœotidem, & Cholchorum maritima; Parthi vero Hyrcanorum, & Bactrianorum nationes Scytharumque gentem manifestarunt. Hæc idcirco longo sermone disputaui, vt melius intelligatur, quod supra leuiter attigi, Græcos antiquos parum, aut nihil plane de rebus Hispaniæ compertum habuisse, ob rerum difficultates, quas Polybius diffusè commemorauit. Nunc igitur videat aduersarius, si Aristoteles, si Ephorus, si Æschylus, si Euripides, & Apollonius loca, & situs Hispaniarum ignorauerint, quid de Beroso censendum sit, qui hos ætate antecesserat, & in ea terrarum parte degebat, quæ longioribus, quam Græcia, interuallis ab Hispania disiungebatur? ac secum ipse reputet, si in illa tempestate adeo latuerat Hispania, vt Ephorus vrbem quandam, non prouinciam, esse existimauerit, vnde, vel qui scire potuisset Berosus ea, quæ hic nouus auctor de Hispaniæ vrbibus, coloniis, regibus, eorumque temporibus scripsit? vt prætercam, quam indecorum esset ei, qui in scribenda historia suæ gentis, breuitati consulto studuisset, tot exterorum regum seriem simul cum perpetua suarum rerum historia contexere: quibus rebus adiectis, propositam sibi breuitatem omnino peruertere, & corrumpere necesse esset: siquidem iunior Berosus Hispaniæ, atque Galliæ, Africæ, & Italiæ præterea Germaniæ, Græcorum, & Ægyptiorum reges, & tempora, quotque ætatis annos vixerint, corpori totius historiæ, quemadmodum pollicitus fuerat, adiunxit: (si historia appellanda est, & non potius, vt auctor ipse vocat, breuissimæ annotationes) quod neutiquam Berosus, omni disciplinarum genere excultus, tantisque ornamentis, atque laudibus cumulatus, committendum duxisset, vt qui leges historiæ non ignorasset, & propterea non neglexisset. Plurima, dedita operâ, prætermitto, quæ proferre poteram in auctorem hunc, nisi hæc satis multa mihi visa fuissent, vel plura fortassis, quam res ipsa postulare videretur, quapropter contrahamus iam vela, & cæteris obiectionibus aduersarij respondeamus, quæ nonnullam videntur habere difficultatem; simulque ostendamus, quas causas Ioannes Annius, eiusque sectatores habuisse visi sunt, vt has breuissimas annotationes crederent omnino esse veram, & germanam Berosi Chaldæi historiam. Primum decepit eos operis inscriptio, nisi me fallit coniectura, qua maximè ducor ad suspicandum, hunc titulum ab ipso Annio sciente fuisse conscriptum: deinde, quod auctor ipse Chaldæum se esse professus est: tertio, quod ea, quæ ex historia Berosi refert Iosephus in primo libro Antiquitatum, de naue ipsius Noëmi, quæ ab aquis destituta in arido remanserat apud Armenios, eisdem fere verbis narrantur, quibus ficticium Berosum eandem ipsam rem narrasse videmus: postremo, quod de cataclysmo, de Noëmo, & naue, quam dixi, commemorauerit aliqua, quæ Berosum prodidisse, testatus est Iosephus. Exstant præter hæc apud Plinium, in descriptione Hispaniæ, duorum opidorum nomina quibus nominibus iunior Berosus duas nuncupat colonias, quas scribit ipsum Noëmum in eadem prouincia collocauisse, tum etiam, quod reges, ab illo commemorati, & pleraque alia, quæ illic narrat, reperiantur apud Diodorum Siculum, & alios auctores. Nec quidquam aliud, quod illos in hunc errorem coniecerit, præter ista, modo mihi in mentem venit. Quasi conquisita quadam ratione inueniendæ veritatis, & paribus ponderibus hæc omnia examinare voluissent, iam profecto nullius esse momenti iudicassent has à me modo collectas rationes, & causas, quibus ducti ad credendum sunt,

Berosianis quæ errandi causa.

Arca Noë.

hunc auctorem fuisse Berosum Chaldæum: qui quamuis se Chaldæum esse, & ex annalibus Chaldæis excepisse dixerit, quæ breuissime narrauit, non continuo statuendum est, Berosum fuisse: siquidem permultos eiusdem nominis, eiusdemque nationis, addo etiam familiæ fuisse auctores accepimus, & nonnullos, qui de rebus eisdem scripserunt. Euoluat, qui volet, philosophorum vitas, plures iam Inueniet, eosdemque Græcos fuisse Socrates, plures Platones, plures Aristoteles, atque Xenophontes, plures Homeros, & Virgilios. Quod si ad alias facultates atque nationes oculos conuertat, non paucos videbit eiusdem nominis scriptores, vt sunt duo Manethones Ægyptij qui apud Suidam referuntur, & duo Senecæ Hispani: Si vero ad rem bellicam, plures sibi Bruti, & Fabij occurrent, plures Scipiones, & Decij; multos exstitisse comperiet Pyrrhos, & Alexandros; sed vnum semper in vniuscuiusque seu artis, seu facultatis scientia excelluisse, & primas tulisse offendet: vti Aristoteles, Homerus, Virgilius, & Alexander tulerunt. Similium exemplorum pleni sunt libri, quapropter nihil est, cur non duo esse Berosi Chaldæi facile potuerint, vt duo Messalæ, Romani ambo, ex eadem familia ambo; vt plures Cornelij, & Nepos, & Tacitus, & Celsus: quamquam ego magis adducor, vt credam, ficticium esse auctorem hunc, sed venio ad argumenta, quæ aduersarij firmiora esse putant, dicunt enim, superiorem Berosum apud Iosephum retulisse nonnulla eisdem verbis, eodemque ordine, & contextu collocatis, quo Berosus iunior eadem ipsa refert, quæ sunt eiusmodi, *Eiusdem* (inquit Iosephus) *arca Noe, atque diluuij memoriam faciunt omnes, qui barbaras historias conscripserunt: quorum vnus Berosus Chaldeus, qui, narrans de hoc diluuio, taliter est affatus: Dicitur autem nauis eius, qua in Armeniam venit, circa montem Gordiæum aliqua adhuc pars esse. & quosdam bitumen exinde tollere, quo maxime homines ad expiationem vtuntur.* Hæc Berosus senior. Berosus autem iunior, id ipsum narrans, dicit. *Ita omne humanum genus aquis suffocatum, excepto Noa cum familia sua, qua naui erepta est, nam eleuata ab aquis, in Gordiæi montis vertice quieuit; cuius adhuc dicitur aliqua pars esse, & homines ex illa bitumen tollere, quo maximè vtuntur ad expiationem.* Hæc Ille. Sed, priusquam accedo ad hæc diluenda, operæ pretium fuerit rem aduersariorum perridiculam animaduertere, nam, cum satis doceremus, Berosum Chaldæum narrasse apud Iosephum res aliquot gestas quorumdam regum Assyriorum, quæ apud hunc non exstarent, continuo auctoritatem Iosephi eleuare nituntur; cum vero persuadere volunt, hunc fore germanum Berosum, tunc ipsum Iosephum ad id confirmandum testem citant. Quid igitur puerilius hac stulta calliditate, aut quid inconsideratius quam præstare fidem cuipiam, dum commodum est; & eandem ipsi rursus abrogare, dum nocet? nonne hæc contumacis, & perfracti sunt signa animi, & qui sciens, & prudens ipsam conuellere veritatem vult? Sed venio ad rem ipsam. Atqui satis mirari non possum, quam leui, & infirma ducantur ratione ad affirmandum, ob quandam verborum similitudinem, quæ aut omnino nulla est, aut tenuis admodum, & exigua, hunc auctorem esse Berosum Chaldæum; aduersus tot argumentorum cateruam, tantis tamque validis rationibus firmatam, quibus apertissime ostenditur, diuersos fuisse auctores, & diuersis temporibus vixisse, nam Berosus sic incipit: *Dicitur autem nauis eius, qua in Armeniam venit, circa montem Gordiæum aliqua adhuc pars esse.* Hic autem dicit: *Nam, eleuata ab aquis, in Gordiæi montis vertice quieuit; cuius adhuc dicitur aliqua pars esse.* Ostendant nunc aduersarij, vbi sint eadem illa verba, eodem ordine & contextu collocata, quæ iactant. Deinde dicit ille: *Et quosdam bitumen exinde tollere, quo maxime homines ad expiationem vtuntur.* Hic autem: *Et homines ex illa bitumen tollere quo maxime vtuntur ad expiationem.* Ego certe (nisi me animus fallit) non hic video eandem illam verborum seriem, & contextum, video tamen rem ipsam, ab vtroque scriptore eisdem fere verbis explicatam, hoc solum fateor. Sed quid mirum, aut quid exploratius, quam non

Plures reperiuntur cognomines.

Manethones duo, & Senecæ.

Cornelij Romani.

Arca Noë.

Quartũ caput quo diluuntur obiecta.

A

C. Plinius, & Solinus eadē narrant. Virgilij furta. Vide Macrobium, Fuluium Vrsinum, Lamb. Hortensium, & Germanum Valentem imprimis.

modo hac ipsa verborum similitudine, verum etiam eisdem sæpe verbis scriptores easdem res litteris mandauisse? Euoluant, si volent, C. Plinij & Iulij Solini volumina; iamque passim offendent easdem animi cogitationes eisdem verbis explicatas, adeo, vt alter alterius simia fuerit appellatus, nec enim constat, vter ætate superior fuerit. Nonne Virgilius plurima carmina ab Homero, ab Ennio, à Pacuuio, à Furio, à Sueuio, à Næuio, à Vario, à Catullo, à Lucretio, & ab Actio mutuatus est? vt exempli causa. *Vnus qui nobis cunctando restituit rem*: quod carmen sic Ennius, *Vnus homo nobis cunctando restituit rem.*

Virgilius.

Corruit in vulnus, sonitum super arma dederunt.

Ennius.

Concidit, & sonitum simul insuper arma dederunt.

Virgilius.

Summa nituntur opum vi.

B

Ennius.

Romani scutis summa nituntur opum vi.

Virgilius.

Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Imposuit fixit leges pretio, atque refixit.

Varius de morte.

Vendidit hic Latium populis, agrosque Quiritum
Eripuit, fixit leges pretio, atque refixit.

Virgilius.

Dicite Pierides, non omnia possumus omnes.

Lucretius.

Maior erat natu, non omnia possumus omnes.

Virgilius.

Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Furius.

Interea Oceani linquens Aurora cubile.

Virgilius.

Numquam hodie effugies; veniam, quocumque vocaris.

Næuius.

C

Numquam hodie effugies, quin mea manu moriare.

T. Liuius à Polybi est mutuatus; Macrobius ab Agellio.

Et alia permulta, quæ longum esset recensere, præsertim cum referantur à Macrobio. Quid dicam de Liuio, qui integras non modo sententias, sed longam rerum gestarum seriem, eisdem Polybij verbis e Græco conuersis, sæpius narrauit? Quid de ipso, quem modo nominaui, Macrobio, qui totas paginas in opus suum ex Gellio transtulit? Quod nisi doctorum hominum aures multitudine exemplorum, quæ illis notissima sunt, obtunderem, iam sexcenta loca proferrem, in quibus deprehenduntur plurima, quæ alij ab aliis, eisdem verbis, & eadem serie dispositis, & collocatis, sunt mutuati. Simili igitur ratione, quisquis auctor ille fuit, ea, quæ modo audiuimus de naue Noëmi, eiusque bitumine, quo stipata fuerat, narrauit, eisdem fere verbis, quæ vel ipse apud Berosum legerat, vel apud alios auctores, qui ex Beroso illa in suos libros retulerant. Quæ verba, vt etiam nunc apud D. Hieronymum in commentario de locis Hebraicis, & apud Iosephum exstare scimus, cur non ita apud alios auctores exstitisse, vnde hic illa exciperet, existimabimus?

D

Quod si quis nunc eandem ipsam rem narrare statuisset, quare ista nomina comprehendere, & includere necesse esset, *Gordiaus mons, Armenia, nauis, bitumen, expiatos homines? nonne* nolens in eandem verborum similitudinem, & ordinem incideret? quis hoc infitiabitur? vti Plinio, & Solino vsu venisse videmus in descriptione Padi, nobilissimi fluminis: qui cum, ipsa necessitate coacti, nominaturi essent montem Vesulum, eundemque altissimum, fines Ligurum, agrum Forombiensem, & quod Padus ipse Eridanus à Græcis fuerat appellatus, Canis exortum, XXX. quæ recipit flumina, mare Hadriaticum, in eadem fere verba inciderunt, quæ subiicere non pigebit, ad clariorem huiusce rei cognitionem, & intelligentiam, ait igitur Solinus. *Ad hæc Italia Pado clara est quem mons Vesulus saperantissimus inter iuga Alpium gremio suo fundit visendo fonte in Ligurum finibus, vnde se primum Padus prorumpit, submersusque cuniculo rursus in agro Vibonensi extollitur: nullis amnium inferior claritate,*

De Pado eadem Plinius & Solinus.

E

à Græcis dictus Eridanus, intumescit exortu canis, tabefactis niuibus, & liquentibus brumæ pruinis; auctusque aquarum accessione, XXX. flumina in Hadriaticum mare defert. Plinius vero eisdem fere verbis ait. *Padus è gremio Vesuli montis, celsissimum in cacumen elati, finibus Ligurum visendo fonte profluens, condensque sese cuniculo, & in Forombiensium agro iterum exoriens, nullis amnium claritate inferior, Græcis dictus Eridanus, ac pœna Phaëtontis illustratus, augetur ad Canis exortus, liquatis niuibus*, &c. deinde, *omni numero, XXX. flumina in mare Hadriaticum defert.* Hæc Plinius Nonne apparet, ex iis quæ modo attulimus, scriptores in tractatione eiusdem rei, nonnumqoam ipsa cogente necessitate, in eandem coire verborum similitudinem, in quam modo vidimus Plinium, & Solioum incidisse? Iam, si quis diligenter considerare voluerit, ea, quæ duo hi auctores de hominis natura, de eius velocitate, de visu, de memoria, deque aliis huiusmodi scripserunt, nihil dubium est, quin maximam inter eos deprehendat verborum cognationem; vt eidem Plinio, & Pomponio Melæ variis in locis contigisse videmus, nam hic in Gallia Narbonensi, *Colonia Ruscino* (inquit) *vicus Illiberis, magna quondam vrbis, & magnarum opum tenue vestigium.* Ille vero in eadem prouincia scribit: *Opida, Illiberis, magna quondam vrbis tenue vestigium, Ruscino Latinorum* &c. Quod si forte, non casu, hi duo auctores in eandem verborum similitudinem inciderunt, cur non existimabimus, iuniorem Berosum ea, quæ de naue Noëmica scripsit, ex ipso superiore Beroso assumpsisse, aut certè ex alio auctore, qui ea ipsa verba ex Beroso retulisset, vti Iosephus, & D. Hieronymus fecerunt, apud quos eadem verba Berosi de ipsa naue reperiuntur, vnde hic nouus auctor ea sumere potuisset? Desinant igitur iam, futilia huiusmodi argumenta, hasque eneruatas proferre rationes, quæ parum, aut nihil ad rem facere videntur. At narrat hic auctor casum illum communem, & calamitosum, quo genus humanum aquis deletum est, sicuti Iosephus tradit Berosum prodidisse, quid ergo? num propterea intelligitur, fuisse Berosum celeberrimi quondam nominis apud Athenienses? nonne Romani, Græci, & Carthaginienses plurimos habuere rerum suarum scriptores? nonne proditum memoriæ est, Alexandrum circiter XXX. habuisse historicos, qui res eius gestas litteris mandarunt? scripsit Moyses cataclysmum, scripsit etiam Berosus; scripsere præterea Hieronymus Ægyptius, Mnaseas Damascenus, Iosephus, & nouissimè omnium Ouidius, sed poëtice, commentitias adiiciens fabulas; à quibus nec nouus Berosus abstinet; vt sunt ea, quæ de *Titaa* magna, de *Pandora*, de *Noela*, & *Noegla*, *deque magicis maleficiis*, quibus manifestissimo mendacio protulit, Chamum patri suo nocuisse, eundemque postea Zoroastrem, Bactrianorum regem, principem, & inuentorem magicæ artis fuisse.

F

C. Plinius à Mela est mutuatus.

G

Alexādri Magni Scriptores historici. De diluuio terra qui scripserint.

At multa scripsit, quæ apud Diodorum Siculum, Cornelium Tacitum, C. Cæsarem, & apud alios auctores referuntur. Nec id iam illum in Berosi Chaldæi formam mutabit: immo & suspicionem, iam diu iniectam, auget, alienæ personæ simulatæ; & argumentis nostris maximè opitulatur, nam, cum apud Cornelium Tacitum legisset, Germanos celebrauisse olim carminibus suis, quibus annalium loco vterentur, quendam Tuisconem deum terra editum, & filium eius Mannum suæ gentis conditores dixit, Ianum patrem, quem Noëmum fuisse asseruit, creasse regem Sarmatiæ hunc Tuisconem, qui à flumine Tanai ad Rhenum imperaret, & misisse in Asiam quendam Gangem, cum aliquot ex filiis cuiusdam Comeri Galli, qui colonias illuc deducerent, vt nomen huius nobilissimi fluminis hinc originem traxisse videretur, quam originem Ioannes Annius statim, quadam leuissima inuestigatione, ex nomine huius Gangis coniectauit. Dicit insuper, misisse in Arabiam Felicem quendam Sabum, cognomine Thuriferum, & in Arabiam Desertam quendam Arabem, & quendam Petreium in Arabiam Petream, vt harum regionum nomina ab iis initium sumpsisse facile viderentur, quæ omnia plena summæ

Obiectio II.

H

Tuisco Germanorum.

leuitati suor. Cum vero apud Plinium duo hæc opidorum nomina Noegam, & Noelam inuenisset, quæ auctor ille in Asturibus, & Gallæcis sita commemorasset, commentus est duo cognomina Noegam, & Noelam, quibus vxores Chami, & Iapheti aognominatas fuisse dixit; asserens ipsum Iannm patrem X. anno Nini, Babylnniorum regis, ex Africa in Hispaniam transferasse, in Celtiberisque collocauisse duas colonias, ea cognominibus nurum suarum Noegam & Noelam appellatas; aliaque portenta refert, quæ, vt verum fatear, modo mihi stomachum faciunt, modo risum mouent, adeo deliris poëtarum figmentis omnia ſiouoluit, vt rectè Ludouicus Vines, & M. Antonius Sabellicus, alijque viri doctissimi iudicauerunt. Quasi vero illa tempestate tam totus esset Noemo terrarum orbis, vt, in Armenia constitutus, veluti quidam geographus, designare radio prouincias potoisset, atque earum fines ostendere, fluuiosque vel globis, vel tabulis depingere, quemadmodum multis post seculis, ipso vsu, & experientia duce, homines factitauisse compertum est, vt vnicuique quas vellet regiones attribueret, & regna concederet, vt hic temerariè (ne dicam impudenter) asserit: & quasi in ipso mundi primordio humanom genus huiusmodi ratione per totum orbem fuerit propagatum: quod multo aliter euenisse consentaneum est: quippe quod non consulto tunc homines in longinquas orbis oras, veluti quibusdam susceptis expeditionibus, sese contulerint, sed paulatim progrediendo terras coluisse, magis credendum sit. Hinc effluait Hispani cuiusdam scriptoris immoderata licentia, & qui, Berosum hunc secutus, non modo asseruit, Noemum in Hispaniam venisse, & colonias, iam dictas, Noegam, & Noelam, collocauisse, verum, audacius vltra progrediens, opidum maritimum, ex quo Noemus in Hispaniam nauigaturus solueret, Iopen fuisse affirmauerit, quod nec ipse iunior Berosus dicere ausus est, nisi forte iam tum ars ipsa, & ratio nauigandi adeo eaculta esset, vt Noemus fabricatis nauigiis, audacter sese pelago committeret; aut tanquam credendum sit, illum nauem, qua seruatus fuerat, nautica scientia illo temporis spatio gubernasse, quo totum orbem cataclysmus inundasset: quod impium, arbitror, esset, & irreligiosum credere. Quod si ex hac nominum similitudine argumenta deducere, & coniecturam capere liceret, iam ipse vel sexcenta loca, & opidorum, ac locorum infinita pene nomina proferrem, quæ ab ipso Noa fluxisse fortasse verius, quam Noega, & Noela, videri possent, nam Plinius Græciam, & Atticam scribens, *Opida, Sidus.* (inquit) *Cremyon, Scyronia saxa III. M. longitudine, Megara, Eleusin fuere & Oenoa, & Probalinthos quæ nunc non sunt.* In descriptione verò insularum: *Patmos*, inquit, *circuitu XXX M. pass. Corasia, Lebinthus, Leros, Cynara, Sycinus, quæ antea Oenoe.* At in Lycia ait: *Comprehendit in mediterraneis Cabaliam, cuius tres vrbes, Oenoanda, Balbura, Bubon. & paulo ante nominarat Oenium nemus.* Præterea inter insulas adiunxit: *Ab hac Ægina liberæ conditionis, eadem autem à Piræo, Atheniensium portu, XII. M. pass. abest. ante Oenone vocitata.* Hæc Plinius. Quæ insula primum *Oenone* nuncupata, & opidum *Oenoa*, quod tunc temporis non erat, verisimiliorem coniecturam facere poterant, ob nominis vetustatem, & opidi ipsius interitum. Cum vero hic auctor asserat, Noemum in illas quoque Græciæ partes colonias deduxisse, si quis liberiore licentia hæc opidorum, nemoris, & insularum nomina, *Oenoa, Oenoe, Oenoanda, Oenone, Oenium*, ab ipso *Noa* asseuerasset emanata, fortasse iouenisset quoque credulos, & attentos auditores. Vel, si quis nunc ea, quæ de primo vini inuentore tradit Athenæus, in medium protulisset, quod denominatum fuerit à quodam Oeneo, vt ex hoc carmine Nicandri Colophonij constat.

De Ioannis de Annio iudicium.

> *Oeneus inde cauo cratere coercens, alma*
> *Vina premens.*

Quodque antiquiores Græcorum vineas Oenas propterea appellare consueuissent; atque hunc Oeneum Noam fuisse confirmasset, eo quod primos (vt diuinæ litteræ docent) vitem seuisset, idque magno oris hiatu, & sonoro verborum strepitu persuadere coorendisset, magnos arbitror, & ingentes theatri adplausus excitare potuisse. Quod ipse Ioannes Annius frigidè, satis & ineptè fecit in explicatione nominis Aborigioum, quos negat Græcos fuisse, & aliunde in Italiam venisse: dicit enim, quod cum in illa ætate aurea qua Saturnum regnasse auctores tradunt, nondum constitutis vrbibus homines pro domibus tuguriis & cauatis arborum truncis, aliisque siluestribus tectis vterentur, vt quidam hoc carmioe significauisse videtur.

Gensque virum, truncis, & duro robore nata; inde nomen Aboriginum fluxisse. Cuius nominis etymon significare dicit hæc omnia, *paterna cauea nata proles*, nam *ab* patrem, *or* caueam seu foramen, *genos* prolem seu posteritatem significare contendit, vnde nomen conflatum, vel, vt significantius dicam, consarcinatum fuisse testatur. Nec modo has aniles ineptias effutiuit circa nomen Aboriginum, sed etiam circa nominis Herculei etymon magis insaniuit: dixit enim; *Hercula* nomen significare *pellitum totum*, iis verbis indoctis ac barbaris, quæ ideo subiicienda curauimus vt hominis inscitia & inconsiderata temeritas, cum summa leuitate coniuncta, notior fiat. *Lybius (inquit) est nomen proprium Herculis Ægyptij; & Arnus est vnum ex cognominibus; vt ait Berosus in quinto Antiquitatum, sunt autem cognomina eius Her Col, Ar, Arno, Musarno, quæ lingua Ægyptia significant. Her quidem Pellitum, quia induebatur simplici pelle leonis quotidie, Col etiam apud Hebræos totum significat, hinc Hercol significat pellitum totum, quia pellibus ferinis toto corpore tegebatur pro armis inuentis in primo ortu generis humani. At vero & Ar significant leonem; dictusque fuit Ar ab insigni suo leone, quia ab insigni sæpe nominabantur duces, vt Macedo Lupus, & Anubis Canis, teste Diodoro in primo libro. No autem, famam celebrem significat, hinc Arno, id est Leo celeber, à virtute, qua, vt ait Diodorus, propulsabat iniurias ab humano genere. Musa item disciplinam significat apud omnes gentes deinde est igitur Musarnus, id est Doctor Leo celebris; quia deditus fuit initiationibus, & incantamentis militaribus,* &c. Hæc ille. Verum, quid iam ineptius, aut indoctius esse potest quam ex diuersis exterarum nationum linguis, vocabulorum origines deducere, vt iste fecit? qui ex Ægyptiorum, & Hebræorum lingua nominis Herculei originem petit, nam *Her* apud Ægyptios pellitum; & *Col* apud Hebræos totum: igitur Hercules pellitus totus; qoia induebatur pellibus ferinis. O hominem acutum, qui ex tantis tenebris in lucem nobis reuocat abstrusam vim, & originem vocabulorum. Hac ratione, (vt dixit Cicero) quoniam *Neptunum à nando* appellatum aliqui existimabant, nullum esset numen, quod non possent homines, vna littera mutata, explicare, vnde ductum sit. Legi ego commentarium cuiusdam hominis Hispani, de expugnatione Tunetis opidi: in quo ille etymon huius nominis, quod Hispani Tunes appellare solent, sic explicauit: Dicit enim cum olim Pœni post euersam à Scipione Æmiliano Carthaginem, opidum Tunetem condidissent, (sic enim ille falso existimabat) & senes, qui adhuc superfuissent, in memoriam renouassent antiquam Carthaginis amplitudinem, & nobilitatem, quam noui opidi modica, & humilis structura nullis ea partibus exæquasset, atque propterea dicere soliti essent. Tu ne es? ex hac senum interrogatiuncula nomen Tunetis, quod Hispani, vt dixi, Tunes appellant, originem traxisse. Hæc idcirco narranda existimaui propter illorum impetitiam, qui sibi licere putant, ex peregrinis linguis nomina deducere, nam hac ratione (vt dixit Cicero) nullum erit vocabulum, quod non omnia, quæ ipsi voluerimus, significet, si eius originem deduci posse ex diuersis nationum linguis arbitrabimur. Vt vero ad Ioannem Annium, huius noui Berosi interpretem, reuertamur. Si quis originem nominis Viterbij opidi quæ illi patria fuit, legere in animum induxerit, quam in quæstionibus Annianis (sic enim, si rectè memini, vocat) longiore tractatu explicat, inueniet mera ægrotantium somnia, & ineptissimas explicationes, tortuosis sibi illarum ambagibus persimiles,

Aboriginum.

Hercules.

Annij ineptia.

Neptunus à nando e qualia Gospius Betanus tradit. Tuneti inepta originatio.

Viterbiū.

&

A

& plurima inutilia quæ patum subtilitet, nimisque frigide excogitauit, quo vetustam Viterbij opidi, vnde ille fuit, suscitaret originem, & antiquam ostenderet nobilitatem. Adde, quod nullus antiquorum hunc Berosum citat. Mitto, quod Iosephus asserit, Græcos Noemum nuncupasse *Nochum*, quem iste nouus Berosus *Ianum* vocat, & eis colonias *Ianigenas*, quas nunquam auctor vllus grauis, & eruditus nominauit, nam Ianus filius fuit Iapheti, & frater germanus Madei, à quo Iones, & Helladici orti, & mare Ionicum appellatum est, vt idem tradit Iosephus. Atque permulta alia consulto prætermitto ne in re iam testata, tot argumentorum multitudine doctorum aures offendam. Existimo enim plenissime ostendisse me, hunc auctorem non fuisse Berosum Chaldæum, patrem Sibyllæ Cumeæ, virum amplissimum, & variis disciplinis excultum, ac multorum elogiis celebratum quapropter contrahenda iam vela sunt, & in portu nauigandum, si prius ostendero, quidnam senserint, & quod iudicium de isto auctore iampridem homines aliquot doctissimi fecerint: quo magis elucеat veritas, & ne vt ab aduersario, sic & ab aliis, aut acerbè, aut temerariè in hunc auctorem inuecti fuisse videamur. Raphaël Volaterranus, primo, Hispaniæ cultores narraturus, hæc præfatur. *Gentis originem ab Orientalibus Iberis prouenisse, Plinio placet: quibusdam vere (à Phœnicibus, qui primo Gades incoluerunt. At Beroso aliter, si modo verus est eius, qui fertur, libellus. Quem mihi verisimile non videtur Plinium qui eius alibi meminit quoad hunc locum latuisse) Tubalem quendam ex Arameis, qui Persæ sunt, profectum in Hispaniam dicit: deinde Iberum successisse, postea Idubedam, Brigum, Tagum, Batum, Gerynem, Hispalum, Herculem, Tellam, Romanum, Palatinum, Cacum, Erythrum, postremo Gorgorim, qui & Habis dictus* &c. Sed Volaterranus, quanquam rectè senserit, hunc auctorem non esse verum, Berosum, tamen non per cautum, & diligentem rerum delectum aduersus illum habuisse visus est, cuius rei iudicium aliud tempus, aliumque locum postulat. Ludouicus Viues Valentinus in explicationibus librorum D. Augustini de Ciuitate Dei, satis apertè declarauit his subiectis verbis, quod de hoc auctore, & eius interprete Ioanne Annio Viterbiensi senserit, ea sunt huiusmodi: *Erat quidem ad manum libellus, quem Berosi nomine vendunt bibliopolæ; erant alia quædam Ioannis Annij, quæ non dubito, quin admiranda fuissent visa, si attulissem, nempe portentosa: & vel solo audita horrenda. Sed ab illis prorsum abstinui, nec de fuco (quod aiunt) viderer haurire, hoc est, è libellis friuolis, & incertorum auctorum, quos ad stupefaciendos imperitos lectores Græcia lusit otiosa: non quod si Berosi censerem esse, non essem perquam libenter vsus; Sed quod mihi fœturā subolebat Græci hominis, vt etiam Xenophontis Æquiuoca, & alia multa, quæ illorū non sunt, quorū titulos præ se ostētāt Quod si quis illis delectatur, nō procul sunt petenda; amet, & fruatur, sine me dūtaxat riuale.* Hæc ille.

Ianus.

Berosus quantus.

B

Doctorū iudicium de falso Beroso.

1. Rap. Volaterranus.

E

1. Ludouicus Viues.

F

FINIS PRIMI TOMI BIBLIOTHECÆ Sanctorum Patrum.

C

G

D.

H